)R

RA

EUNT
ENTIS
NTALES,
NANTUR.

CASTRO
FONTIS
HINACO
DIENSES,

MINATAM,

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA BINA EDITIONE TYPIS MANDATA EST, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. — VENEUNT MILLE ET TRECENTIS FRANCIS SEXAGINTA ET DUCENTA VOLUMINA EDITIONIS LATINÆ; OCTINGENTIS ET MILLE TRECENTA GRÆCO-LATINÆ. — MERE LATINA UNIVERSOS AUCTORES TUM OCCIDENTALES, TUM ORIENTALES EQUIDEM AMPLECTITUR; HI AUTEM, IN EA, SOLA VERSIONE LATINA DONANTUR.

PATROLOGIÆ TOMUS CCIV.

CLEMENS III PONT. ROM. S. STEPHANUS GRANDIMONT. LABORANS, HENRICUS DE CASTRO MARSIACO, S. R. E. CARD. BALDUINUS CANTUAR. ARCHIEP. BERNARDUS ABBAS FONTIS CALIDI. STEPHANUS DE LICIACO, PETRUS BERNARDI, GUILLELMUS DE TRAHINACO, GERARDUS ITHERII, GRANDIMONTENSES. REINERUS; LAURENTIUS, MONACHI LEODIENSES. ERMENGAUDUS. HENRICUS SEPTIMELLENSIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1855

SÆCULUM XII

CLEMENTIS III

PONTIFICIS ROMANI

EPISTOLÆ ET PRIVILEGIA

ORDINE CHRONOLOGICO DIGESTA

ACCEDUNT

S. STEPHANI ORDINIS GRANDIMONTENSIUM FUNDATORIS, LABORANTIS, HENRICI DE CASTRO MARSIACO, S. R. E. CARDINALIUM, BALDUINI CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI, BERNARDI ABBATIS FONTIS CALIDI, STEPHANI DE LICIACO, PETRI BERNARDI, GUILLELMI DE TRAHINACO, GERARDI ITHERII, GRANDIMONTENSIUM, REINERI, LAURENTII, MONACHORUM LEODIENSIUM, ERMENGAUDI, HENRICI SEPTIMELLENSIS

SCRIPTA QUÆ SUPERSUNT

ACCURANTE J.-P. MIGNE

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

TOMUS UNICUS

VENIT 8 FRANCIS GALLICIS

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM
SEU PETIT MONTROUGE

1855

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CCIV CONTINENTUR.

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

REINERUS

MONACHUS S. LAURENTII LEODIENSIS

NOTITIA HISTORICO-LITTERARIA

(D. Bern. PEZIUS, Præf. ad t. IV *Thesauri Anecdot.*, p. XVII)

Reineri, Raynerii, Reineriive, cœnobitæ Laurentiani Leodii, plures hactenus meminere, nominatim Baronius, Valerius Andreas, Gerardus, Joannes Vossius, Chapeavillus, Mabillonius, Casimirus Oudinus aliique, sed paucis admodum et nequaquam ut tantus vir merebatur. In causa fuit quod maxima pars Reineri opusculorum in tenebras abdita hucusque ignoraretur. Sed omnia de eo deinceps certiora et ampliora erunt, postquam pleraque ejus ingenii monumenta cl. P. Lombardus ex autographis codicibus exscripsit, nostroque Thesauro inseruit. Ætatem Reineri, quem plerique circa annum Domini 1130 claruisse scribunt, certam habemus ex ejusdem libello De casu fulminis super ecclesiam monasterii sui. *Nam præsenti anno*, inquit, *qui est ab Incarnatione Dominica* 1182 XI *Kal. Aprilis, in crastinum, scilicet post dies Palmarum, mirabilis in altis Dominus intonuit super nos fulmine cum maximo atque horribili fragore cadente*, etc. Ejusmodi certas ad stabiliendam Reineri ætatem notas chronicas in aliis etiam ejusdem opusculis reperies. Quo autem anno mortem cum vita commutaverit, ex nullis monasterii sui monumentis cl. Lombardus potuit extundere. Virum fuisse excellenti ac pereleganti ingenio præditum omnia ejus opera loquuntur, stylo perscripta erudito, terso, et qui vix sæculi sui sit. Nec virtute ac vitæ sanctimonia inferior exstitit, ut qui cœlestibus etiam visionibus claruerit, quas in opusculis suis tanquam ab aliis habitas passim refert, et veteribus quas tractat historiis interserit. De operibus suis ipse accurate agit libro II De claris scriptoribus monasterii sui, ex quibus ea duntaxat recensere juvat quæ in nostro Thesauro nunc primum comparent.

1. *De claris scriptoribus monasterii sui libelli III.* Hi ita in codice autographo inscribuntur: *De ineptiis cujusdam idiotæ libellus ad amicum suum*, quæ inscriptio, sine dubio ab ipso Reinero profecta, insignem auctoris modestiam prodit. In eo satis accurate quid a quolibet majorum suorum scriptum posteritatique commendatum sit, recenset. Optandum foret ut idem circa coætaneos sibi sodales præstitisset. *Sed morabantur eum*, ut ipse initio libelli II fatetur, *duo, scilicet ne aut livoris argueretur, si remissius laudaret quæ laudanda essent, aut daretur adulationi, merita si dependeret præconia.* Cæterum ex hoc Reineri opusculo non parum lucis vetus historia litteraria accipiet, quæ tanto studio ab eruditis nostri temporis excolitur. Errat vero non leviter vir eruditus Joan. Gottfridus Olearius t. II Bibliothecæ script. eccles. ubi pag. 121 scribit Reineri libros III *De viris illustribus monasterii sui*, qui ipsissimi nostri hi III libelli sunt, in Collectione rer. Leod. a Joan. Chapeavillo editos fuisse, cum in ea nihil Reineri præter Vitam S. Lamberti (1) reperire sit.

2. *In novem ante-natalitias antiphonas ab O exordientes opusculum*, seu, *Quid significent novem O et quæ sit dierum illorum ratio*, quem titulum se commentationi suæ prælixisse, in prologo ad amicum Reinerus testatur. Hoc opusculum præcedenti mox subjunximus, propterea quod idem argumentum Reinerus, licet succinctius, in ejus libello III pertractet, atque adeo alterum ex altero suppleri possit. Prodiit quidem hæc commentatio jam pridem, nempe anno 1618, Leodii. Verum cum ejus editionis exempla rarissima sint, ejusque nemo unus, qui hucusque Reinerum celebravit, meminerit, eam in nostra collectione repetere visum fuit. Commodo ac usui erit divini verbi præconibus, qui in diversis ecclesiis ultima Dominici Adventus hebdomada in has ipsas mysteriorum plenas antiphonas sermones ad populum habere consueverunt. Quæ autem sit ratio quod Reinerus novem ejusmodi antiphonas, non septem, quot nunc in omnibus fere ecclesiis decantari solent, exposuerit, lector ex nota cl. P. Lombardi cognoscet.

3. *Speculum pœnitentiæ* seu *Vitæ S. Pelagiæ lib. II.* Historiæ hujus non tam auctor quam interpolator Reinerus est, ut ex ipsius verbis, quibus prologum finit, constare potest: *Cujus*, inquit, *monimenta conversionis* (Pelagiæ) *ab alio quidem scripta reperi, sed cum oratio parum idonea, tum vero barbarismorum erat atque solœcismorum tanta confusio, ut illustrem materiam stylus obscurior laceram reddidisse ac despicabilem videretur. Verum de scriptoris vitio magis quam de auctoris imperitia id accidisse suspicor, dum quatuor aut amplius clausulis, tum et dimidiis se versiculis passim mutilatum textus pronuntiaret. Gloriosis autem rebus plurimum tollit gratiæ sermo contemptibilis. Meliori ergo aliquantum facie prædictam curavi materiam reformare, rudemque experiri adolescentiæ indolem. Opusculum in duos digessi libros, atque titulo prænotavi* Speculum Pœnitentiæ. *Nam quantum remedii hujus sit bonum, quam felix proventus, in hoc etiam speculari potest benivolentiæ expiatus collyrio cujusvis oculus.* Porro etsi horum libellorum argumentum satis decantatum sit, non æque tamen cognita hucusque fuerunt plura virtutum exempla quæ vel de se dissimulato nomine, vel de aliis lib. I, cap. 4, et lib. II, cap. 3, Reinerus narrat, id quod et in aliis historiarum et Vitarum suarum libellis agit, ut adeo vel hoc nomine in lucem proferri dudum

(1) Non est Reineri, sed Sigeberti Gemblacensis. Vide *Patrologiæ* t. CLX, col. 759. EDIT.

520

commeriti fuerint. Scimus non deesse homines qui ejusmodi omnia derisui habeant. Sed nec desunt qui, delectu habito, magnos etiam in animo fructus ex iisdem capiant. Quibus si nostris laboribus amplius prodesse cupimus, nemo prudens id ægre ac impatienter feret in opere quod diversissimorum hominum usibus destinatum est. Opusculi hujus ipse meminit Reinerus lib. II De claris script. monasterii sui, cap. 3.

4. *Palmarium virginale*, seu *De vita et passione sanctæ Mariæ, virginis Cappadocis, libri II.* Hos adolescens adhuc edidit Reinerus eo maxime fine, ut otium fugeret, ac salutaribus studiis animum imbueret. Stimulum ad sacra argumenta tractanda addiderat visio B. Joannis, magistri sui, in qua beatissimi Laurentii vocem et monitum : *O quam delectabile est atque jucundum divinis rebus intendere animum*, audisse ferebatur. Is enim ipse est, de quo ita in prologo scribit Reinerus : *Frater etenim quidam pueris sive adolescentibus Terentium legebat. Sed scenica lectio plus obesse quam prodesse auditoribus infirmis solet. Interea magister ille infirmatus est, ita ut pene desperaretur. Qui extra se per extasim factus plura vidit et audivit memorabilia quæ postea scripto edidit. Beatum quoque Laurentium, quam præmisi, sententiam minaciter sibi objecisse non tacuit, redarguentem quod ludicris sordidaretur, dum comico uteretur. Nam censeatur parum religiosus, qui pectus vel linguam occupet nugis turpibus. Divina igitur tractare et honesta saluberrimum est. Augescit scientia, vitatur otium, proficit ad virtutes anima. Nempe quosdam legimus Patrum intexere mattas sive sportellas solitos fuisse, quarum grandes cumulos dum congessissent, quoniam qui distraheret non erat, igni supposito cremasse, et alias denuo factitasse ad similem redigendas sortem. Philosophi quidem spirituales sic argumentati fuerint, otiositatem esse inimicam animæ, quam adeo insectarentur. Verum improbus ego conserendorum ignarus juncorum, neque sportulis idoneus attexendis, scribere saltem aliquid conabor, adolescentiamque artibus assuescere bonis, nec fornacibus, sed codicibus dedere ingeniolum. Itaque* gemino *distinctum* libro opusculum *compositurus sum, cujus sit titulus* : Palmarium virginale. *Etenim sancta virgo Maria, quo agone certaverit, hoste devicto qualiter palmam adepta sit cœlicam, in eo describetur.* Hactenus Reinerus, cujus sententia etsi longior esset, huc transferenda videbatur, ut quibus studiis animos suos exercerent religiosi, addiscerent. Neque enim ejus generis desunt nostris temporibus homines, qui non *codicibus* sed pictis etiam chartis et aliis nugis ingeniolum dedant, iis quoque indignari soliti, qui bonas horulas exscribendis veterum monumentis consecrant, quæ ipsi luce omnino indigna, utpote suis moribus perquam infesta, existimant. De Maria martyre Cappadoce ac ancilla vide Baronium in Martyrologio Romano ad diem primam Novembris et Laurentium Surium, qui eodem die Mariæ acta ex Vincentii Speculo historiali recitat, quo integro fere sæculo antiquior noster Reinerus est.

5. *De vita S. Tiebaldi libri II.* De his uti et præcedentibus duobus opusculis ita loquitur ipse Reinerus lib. II De claris scriptor. monasterii sui, cap. 3 : *Geminis ergo libellis conversionem descripsi sanctæ Pelagiæ, opusculumque hoc illustravi titulo :* Speculum pœnitentiæ. *Dehinc passionem virginis Mariæ Cappadocis æque duplici libello explicavi ita prætitulando :* Palmarium virginale. *Subsequenter Vitam Tiebaldi eremitæ duobus itidem libellis complexus sum, appellavique* Florem eremi. *Atque hæc antea quidem, sed scabro dictationum fuerant stylo descripta, quæ ego monitu quorumdam scientiolæ, qua potui, lima purgari. Parendum est quippe amicis pia injungentibus. Sanctorum vero res gestæ communis sementur materiæ, nec vanitatis pungendus est nota quem pietatis exercent studia*, etc. Non prodit quidem Reinerus cui quæ de sancto Tiebaldo commemorat, debeat. Verum qui Vitam ejusdem sanctissimi eremitæ, a Petro Vangadiciæ abbate in litteras relatam, et a Surio et Mabillonio parte II Sæculi VI Benedictini, a pag. 156 editam, cum Reineri opusculo vel leviter contulerit, illico reperiet hunc illius vitula arasse, nec nisi elegantiori oratione Reinerum Petri opus convestivisse, ac singularibus quibusdam sui temporis eventis, pro more suo, telam distinxisse. Latuit id tamen omne Mabillonium, inter eos qui sanctum Tiebaldum laudarunt, Reinerum alias nequaquam prætermissurum.

6. *De conflictu duorum ducum et animarum mirabili revelatione*, etc., *libelli II.* Istud Reineri opusculum, quemadmodum et sequens, *De adventu reliquiarum S. Laurentii Roma Leodium*, ideo duntaxat in collectionem nostram immisimus, ut quid etiam versu potuerit Reinerus, eruditis patefaceremus, liberum ac integrum iis relinquentes quid vel quantum ejusmodi historiis tribuere velint. De priori opusculo hæc Reineri verba sunt lib. II De clar. scriptor. monasterii sui, cap. 6 : *Ne mucidis autem dormitantes tabellæ ceris stylus parieti affixus rubiginis lepra tabesceret, scripsi ad quemdam familiarem opusculum* De insignibus insularum Sardiniæ et Siciliæ *duobus versifice digestum libellis. Item ad alium duos libellos : primum* De conflictu duorum ducum et animarum mirabili revelatione; *secundum* De quodam milite captivato, et per salutarem hostiam liberato. De posteriori autem ita scribit ejusdem libri cap. 8 : *Scripsi etiam versifice* libellum De adventu reliquiarum S. Laurentii in Leodium ab urbe Roma. *Quin et ad ipsum martyrem et ad alios plures sanctorum dicendas, rogatu fratrum, plurimas conscripsi orationes*, quarum unam metricam ad S. Laurentium habes col. infra. Cui mox ob idem orationis genus *Officium de sancto Spiritu*, sensu pietatis plenum subjunxi. Quid vero hujus officii scribendi occasionem Reinero dederit, apud eumdem videre potes citato libro, cap. 8. Cæterum in opusculo metrico *De adventu reliquiarum S. Laurentii* martyris nihil fere aliud egit Reinerus quam ut id quod Ludovicus Senior de eodem argumento prosa oratione tradidit, versa etiam redderet, quod pro ætate sua non ineleganter exsecutus est.

7. *De adventu reliquiarum S. Laurentii Roma Leodium liber metricus*, etc. De hoc opusculo Reineri mox actum est.

8. *Triumphalis Bulonici libelli V.* Quantas turbas et calamitates Hugo et Rainaldus, filii Rainaldi Barrensis comitis, Ecclesiæ Leodiensi intercepto castro Bulonico seu Bulliono dederint, late describit Bartholomæus Fisenus in Historia ecclesiastica Leodiensi libro X, ad annum 1141. Earum miseriarum Iliadem, ac tandem Leodiensis Ecclesiæ post recuperatum ope S. Lamberti martyris castrum Bullionense triumphum, duo insignes veteres scriptores in litteras retulerunt. Primus est Nicolaus, canonicus Leodiensis, auctor æqualis, cujus *Triumphum S. Lamberti M. de Castro Bullonio* ex veteri codice monasterii Alnensis primum in lucem extulit Joannes Chapeavillus tom. II Scriptorum rerum Leodiensium, a pag. 577. Alter est, quem illustrandum hic sumpsimus, Reinerus de Ecclesia Leodiensi, non uno nomine optime meritus, qui ejusdem argumenti libellos V admodum elegantes et graves composuit, ut ipse testis est lib. II De clar. scriptor. monasterii sui, cap. 9 : *Præterea*, inquit, *quinque exaravi libellorum opusculo, qualiter diebus nostris Ecclesia Leodiensis Bullonianse castrum, pervasoribus trium ha is divina receperit virtute, tituloque prætitulavi :* Triumphale Bolonicum. *Hoc ipsum musico quoque astruxi modulamine.* Musicum modulamen excidisse videtur, solo residuo *Triumphali*, quod ex autographo a cl. P. Lombardo eruto, ad illustrandam nonnihil amplius historiam Leodiensem hic publici juris fecimus.

9. *Evracli episcopi Leodiensis Vita.* Hanc ex antiquioribus quibusdam monumentis Reinerus concinnavit. Ita enim in prologo disserit : *Evracli utique gesta quoniam fuere præclara, fuerant et præclaro digna scriptore, qui peritia dictionis bonæ secundum prophetam diceret justo : quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet. Dixerunt et quidam scriptores aliquid de illo, sed minus bene, quia minus diligenter aut plenarie. Sparsim igitur dicta exegit quorumdam fratrum benevola simulque importuna petitio, ut in unum colligerem et diligentiore stylo facerem ex pluribus scriptis unam scriptionem, quemadmodum feceram in describendo Vitam S. Wolbodonis Leodiensium item episcopi*, etc. Non meminit hujus Vitæ Reinerus libro II De clar. scriptor. monasterii sui, ubi opuscula sua singulorumque occasiones et titulos recenset. Ast non omnia ibidem retulisse Reinerum, aut plura deinceps post finitum illum librum II scripsisse vel ex hoc loco demonstrari potest, ubi se ab auctore Vitæ S. Wolbodonis, editæ a Mabillonio Sæculo Benedictino VI, parte I, minime distinguit.

10. *Vita domni Reginardi episcopi.* Nec hujus opusculi mentionem facit Reinerus in libellorum suorum indiculo, quem libro II De claris scriptoribus monasterii sui contexuit. Nec tamen propterea minus liquidum est illud neminem alium quam eumdem Reinerum auctorem agnoscere. Ut enim jam nihil de codice, in quo Vita Reginardi cum aliis certis Reineri opusculis permista est, dicam, auctor ea in prologo affert quæ nulli nisi Reinero possunt convenire. *Ad quem*, inquit de Reginardo, *describendum etiam fratres quidam hortatu benivolo et jugi me precatu quasi pigrum ac desidem excitaverunt, importune objectantes non minus gratitudinis, non minus obsequii me pro patrefamilias debere nostro, cujus beneficiis educatus maxime essem a puero, quam sanctis præsulibus Wolbodoni et Evraclo, quorum jam antea duobus libellis Vitas descripsissem.* Quæ ipsissima opuscula Reineri sunt, a nobis præcedenti numero recensita.

11. *De casu fulminis super ecclesiam monasterii sui liber.* Cum anno Domini 1182, XI Kal. Aprilis ecclesia monasterii S. Laurentii, ictu fulminis percussa, dire conflagrasset, tragœdiam singulari libro Reinerus persecutus est, eumque inscripsit ac obtulit Friderico monacho, *familiari amico suo*, ac dein cœnobitæ Stabulensi, ut patet ex epistola Reineri ad eumdem data, cap. 7, in qua præterea queritur de Friderico, quod, *postquam Stabulas abiisset postquam Stabulensis effectus esset, nullum sibi alloquium, nullam litterarum schedulam miserit, quasi arietes, oves, vitulos Arduenna non habeat, de quorum solent pellibus confici pergamenæ.* Hujus opusculi nulla memoria exstat in libro II Reineri De claris scriptoribus monasterii sui. Ex quo paulo ante dicta de non recensitis inibi omnibus ejusdem opusculis amplius confirmantur, simulque conficitur, libellos illos tres, omniaque in iis commemorata opuscula ante annum Domini 1182 a Reinero composita fuisse.

12. *Libellus gratiarum actionis super dedicatione nova ecclesiæ monasterii sui.* Libellus hic præcedentem nativo ordine consequitur. Cum enim lugubrem basilicæ suæ casum et excidium in priori flevisset et miseratus esset Reinerus, in isto faustam ejusdem resuscitationem sibi celebrandam, perpetuumque grati adversus B. Laurentium animi monumentum esse relinquendum existimavit. Fuit opusculum hoc eodem anno quo prius conditum, ut cap. 6 nos ipse docet Reinerus his verbis : *Igitur a prima dedicatione hujus ecclesiæ ad secundam dedicationem anni supputantur* CLI, *ab anno autem Dominicæ Incarnationis 1182. Denique* XI *Kal. Aprilis divina fuimus animadversione plagati, sed eodem nihilominus anno*, IV *scilicet Nonas Novembris divina miseratione sanati. Hujus sanationis lætitiam, hoc est, dedicationis solemnitatem exemplo Salomonis vel Machabæorum per octo egimus dies, atque, ut scriptum est, obtulimus holocausta precum, et salutaria laudis, in canticis spiritualibus et gratiarum actionibus tanquam in vasis musicorum diversis confitentes Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus*, et cætera, quæ sine dispendio temporis ipse lector percurret. Id enim in Reineri opusculis singulare est, quod brevitatem cum elegantia orationis nullibi non conjungat, id quod et ad lectionem facile pellicit, et ab eadem sine fastidio ac tædio dimittit.

13. *Breviloquium de incendio ecclesiæ S. Lamberti.* Ejusdem commatis hoc opusculum est ac numero 11 relatum. Nempe lessus est, quem Reinerus fecit cum *anno ab Incarnatione Domini* 1188, *quarto Kal. Maii, quo die S. Lamberti celebratur translatio, ad primam scilicet subsecutæ noctis vigiliam, ignis a domo prorumpens cujusdam canonici, circumpositas domos, dein claustrum claustralesque officinas repente corripuit et absumpsit, nimiumque dæmonica exagitatione invalescentes flammæ tuo, sancte Lamberte, monasterio incubuere, et tecta quamvis convestita diligentissime plumbo, ambasque turres, nec non et palatium vetus cum ecclesia sanctarum virginum, nonnullisque circum mansionibus ingenti conflagratione ruinaque dejecere.* Breviculum quidem hoc scriptum Reineri est, sed quod tamen insigni usui esse potuisset Bartholomæo Fisen in perscribenda Historia ecclesiastica Leodiensi, in qua ne verbo quidem hujus memorabilis eventus meminit ad annum 1188, quo eum contigisse ex Reinero advertimus.

14. *Lacrymarum libelli III.* Elegantissimi, et qui pietatis sensu reliqua omnia superent, sunt præsentes III Lacrymarum libelli, a Reinero ad Philochristum seu quemlibet Jesu Christi amatorem conscripti, forte jam a senio gravi et morti vicino. Vocat autem propterea *libellos* seu *libros Lacrymarum*, quod in iis ea duntaxat doctrinæ ac exempla proponantur, quæ animum terrenis rebus immersum salubriter futurorum exspectatione ac metu concutiant, et amaras pœnitentiæ lacrymas ex captis mundi vanitate oculis eliciant. Cæterum in iis non pauciora historica quam ascetica lector deprehendet, tametsi forte non deerit qui tam ex his quam ex aliis hucusque recensitis libellis Reinerum arguat, quasi qui plus justo somniis et narratiunculis parum gravibus tribuerit. Verum Reinerum, virum alias doctum et politum, in his non sine judicio et discrimine versatum fuisse, libro II Lacrymarum, cap. 1, his verbis nos docet : *Nec vero intendimus favori, sed compunctioni : lacrymarum quærimus instrumenta, non levis jactantiolæ argumenta, maxime cum duobus tantummodo nobis nostra loquamur familiaria vel scribamus. Sunt etenim ut diversæ facies, ita diversæ hominum opiniones, dum quod alius æstimat bonum, alius opinetur malum. Talis objicere contra hujusmodi solet scholare illud :*

Somnia ne cures : nam mens humana quod optat
Dum vigilat, sperat; per somnia cernit idipsum;

Et illud Sapientis : multos errare fecerunt somnia, et exciderunt sperantes in illis .... *Neque inficiamur, sed quod item scriptum est, magis apponimus :* Somnia male facientium vanitas est, et sicut parturientis cor tuum phantasias patitur : *tamen non dissimulantes, quod sequitur :* nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio. *Vanissimum quippe est æque et stultissimum intendere somniorum phantasiis, quorum nec genera, nec formas, nec significantias Pharaonis sapiens aliquis aut conjector, non regis Nabuchodonosor quisquam hariolus, non magus, non Chaldæus, nec ipse quidem Muhamad Saracenorum propheta et deus, licet angelum*

Gabrielem suum culpaverit fuisse mysteriarchen, comprehendere; interpretari ad plenum potuisset. Tantus somniorum est acervus phantasticorum, ut Judaici gomor superet infinite mensuram. Seponimus ejusmodi: eas commendamus solummodo, quæ ad hos qui tribulato sunt corde et humiles spiritu emittuntur ab Altissimo visitationes, qui super flumina Babylonis sedentes flent, dum recordantur Sion; qui fluctuantia et transcurrentia hujus sæculi confusione pleni, ut adversa sic prospera deputantes fletui cum Apostolo dicunt: Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus, etc. Qui lo us ut prolixus, ita percommodus et aptus est ad Reinerum ab suspicione nimiæ credulitatis vindicandum, in quam apud nonnullos ob relatas frequentius qua proprias qua alienas visiones haud dubie veniet. Doctissimus P. Lombardus, qui hos cum sequentibus libros e tenebris eruit, accurate notavit in eo codice quo usus esset nomen Reineri non esse prima, sed non nihil recentiori manu depictum, imo ipsos etiam libellos Lacrymarum non eodem quo cætera indubia Reineri opuscula, charactere perscriptos esse, denique in alio apographo, anno 1428 a Joanne Stabulao, celebri Sanlaurentiano cœnobita exarato, hanc tantum inscriptionem reperiri: *Incipit libellus Lacrymarum primus, editus a quodam fratre Ecclesiæ nostræ.* Observavit postremo ab auctore horum libellorum ipsum Reinerum velut *Triumphalis Bulonici* conditorem lib. III, cap. 4, in hunc modum citari: *Cæterum prædictus frater quomodo tam adorabilem tertio majestatem viderit, nunc reticebo, quia intimus hic noster in opusculo, cujus est titulus*: Triumphale Bulonicum, *hoc retulit*, etc. Ex quibus omnibus P. Lombardus evinci posse putabat, hos libellos Lacrymarum non Reineri, sed cujusdam alterius Reinero familiaris cœnobitæ Laurentiani esse. Sed conjecturas has nullas esse, omnibus liquidissimum erit, qui hoc De lacrymis opusculum cum reliquis minime controversis Reineri libris contulerint. Tanta enim ingenii, styli, pietatis et festivitatis utrobique similitudo est, ut eorum nihil Reinero abjudices, quin omnia auferas. Nec postrema eruditissimi amici nostri ratio invicta est. Nec enim adeo insolens apud antiquos visionum et miraculorum scriptores est, ut modestiæ vel invidiæ causa ea aliis tribuant quæ ipsis contigerunt. Ex pluribus non nisi unum in rem præsentem exemplum ex tomi nostri III parte II adducam. Ibi Othlonus, decanus Emmerammensis, in libro De cursu spirituali, cap. 21 (2) tentationes et portenta quæ sibi juveni monacho obviarunt his verbis enarrare aggreditur: *Libet hic scripta cujusdam fidelis mihique notissimi fratris inserere, qui ad conversionem veniens, et Scripturam sacram legendo frequentans (habebat enim spem magnam in hac lectione), nimia diuturnaque hostis antiqui impugnatione fatigabatur in eadem sacra Scriptura*, etc. Quis non crederet *fidelem* illum et Othlono *notissimum fratrem* ab ipso Othlono diversissimum esse? Nihil tamen minus est. Nam quæcunque loco citato ex illius *fidelis fratris scriptis* narrat Othlonus, in libro metrico De doctrina spirituali, suo nomine, aperte ac sine ullis involucris de se ipse canit cap. 14 et sequenti. Maneat itaque certum hos Lacrymarum libellos a nullo alio quam a Reinero fuisse profectos, ut recte alia manus, licet recentior in codice adnotavit.

15. *De profectu mortis libri duo.* Unum eumdemque esse auctorem librorum De profectu mortis (qui iidem magnam partem historici sunt) ac libellorum Lacrymarum, ex illorum cap. 10 constat, in quo Willelmum hoc *opusculum De profectu mortis* jubet *accipere, et opusculo adjungere illi quod ante aliquot dies composuit, qui et pro qualitate materiei* Lacrymarum *præfixit titulum.* Nec dubium quin libelli De profectu mortis id idem opusculum sint quod in fine libelli III Lacrymarum his verbis promiserat: *Et quidem, fratres, me æstimo lacrymosa jam vobis narratiuncula satisfecisse, quæ noverim referendo, etsi aliqua restent quæ opusculo inserentur illi, quod ante aliquod tempus incœptum perficere vestra me affectio et hortatus impellit.* Ita Reinerus ipse, qui quam præclare promissis steterit, abunde ex utrisque libellis constat, quos Wilelmo, celebri cuidam monacho, cujus virtutes lib. II, cap. 10, maximis laudibus celebrat, dedicasse videtur. Libellus alter sub finem mutilus est, forte propterea quod morte, cujus *profectum* sibi adeo constanter ob oculos posuit, præventus eum ad calcem perducere nequiverit. Atque hæc de Reineri opusculis in nostro Thesauro publicatis. [Præter opuscula superius commemorata quæ publici juris fecit D. Bernardus Pezius, exstat Reineri liber de Vita S. Wolbodonis, Leodiensis episcopi, cujus ipse meminit in Vitis S. Everacli et Reginardi supra laudatis. EDIT.]

(2) *Patrologiæ* tom. CXLVI, col. 214.

REINERI MONACHI S. LAURENTII LEODIENSIS
DE CLARIS SCRIPTORIBUS MONASTERII SUI
LIBELLI TRES (3)

Ex ms. cod. in lucem dati a cl. D. P. Cœlestino Lombardo, ejusdem monasterii bibliothecario.

(D. Bern. PEZIUS *Thes. Anecdot.*, t. IV, parte III, col. 17.)

LIBELLUS PRIMUS.

PROLOGUS.

Hominis quidem *est*, ut ait Salomon, *animum præparare et Domini gubernare linguam*, quia *omnes viæ hominum patent oculis ejus et spirituum ponde-*

(3) *Cod*: De ineptiis cujusdam idiotæ libellus ad amicum suum.

rator est Dominus (*Prov.* XVI). Non sic autem, o amice, non sic scandalorum opifices, qui aut odii, vel invidiæ securi et malleo terrifici, aut gratiæ vel adulationis runcina et torno delinifici stateras fabricant dolosas, pondus trutinant atque pondus, nec modestiæ intendentes ut præjudicant impie, sic blandiuntur improbe, scilicet erroris mancipia qui dicant scienter malum bonum, et bonum malum. Equidem nescit odium rationem, invidia æquitate caret. Hoc in uno familiarium adverti stupide, qui cum intime quosdam diligeret, eo quod domestica fide amicos crederet, barbara inimicos sensit perfidia, dum ministerio inserviret aliquando fratrum, eo labore, ea fidelitate, ac spiritus angustia, quam novit Dominus Sabaoth, qui cum tranquillitate judicat, et cum magna reverentia disponit nos. Tunc gratis utique fratres hominis pauperis oderunt eum, insuper et amici procul recesserunt ab eo, et tanquam prodigium factus est multis, quia esset observare rudis animos sub vulpe latentes horum qui nihil invita dicant faciantve Minerva.

Probabilius ergo est confidere in Domino quam confidere in homine. Inconstans quippe est in pluribus fides, frequentemque patitur eclypsim corniculatam quorumdam amicitia. Quid porro hæc velut insolita, frater, quereris? Sedari odium non potuisset atque invidia fratrum, nisi post cisternæ voraginem Ismaelitæ vel Putiphar monetis traduxissent Joseph; neque insectatio quievisset invidorum, nisi Danielem caveæ intrusissent leonum. Perenni discordia adversus innocentiam grassatur malitia. Sunt autem vitia mentis insulsæ vulnera. Quo expletur vitium, eo augetur incommodum. Ergo plus sibi malevolus quam alii nocet.

Me vero nequaquam invectionem instruere contra osores Phalaricam ineptiarum, quin potius miscellam intexere crebro instanterque monuisti, qua videlicet paupertini supellectilem ingenii enumerando comprehenderem. Quocirca suo æmuli fruantur absinthio, nectar nobis patientia suum instillet, quia humanum quidem est irasci, diabolicum semper malignari. Igitur quæ hactenus scriptitarim, quibusve occasionibus, vel qua intentione, calamus percurret. Quanquam mihi hoc magis invidiosum quam tibi æstimem fructuosum, attamen nulli benevolo injuriosum. Sed videtur utique non ineptum, si quæ fratres Ecclesiæ nostræ, litterarum videlicet periti scripserunt utilia, prius attingam. Nam et cautius est aliena quam propria prædicare.

CAP. I. *De Lamberto secundo abbate.*

Lambertus abbas noster secundus multimodæ homo utilitatis, accurato satis stylo *Vitam sancti Heriberti Coloniorum archiepiscopi et miracula descripsit*. Quin etiam musice quædam de ipso composuit, in versibus quoque faciendis claro fretus ingenio.

CAP. II. *De Stephano abbate primo.*

Stephano ipse successerat, qui, licet alicujus scripti nullum reliquerit monimentum, tamen scribi dignus est, quoniam scientia clarus, sed conversatione clarior dignum se patremfamilias exhibuit. Novellæ adhuc Ecclesiæ tenues erant res, proinde laborabat omnimodis vel conquirere prædia, vel ædificia construere, ac sobrie vivens sibi subtrahebat quod aliis proficeret. Tenuitati ergo rerum impensas commetiebatur sumptuum, eratque melius modicum justo super divitias peccatorum multas, dum familiaribus interdum adjocaretur super Vitellio, Romani voracissimo cyclope imperii illo, qui quater aut quinquies in die epularetur, quem nisi vita exturbasset maturo Respublica exitio, aerem volucribus, mare piscibus, terram quadrupedibus, horrea frumento, cellaria vino vacuasset. Nam et in quadam scribitur cœna præter cæteros sumptus duo millia piscium ac septem millia avium profligasse, ut Bele Babylonio nequaquam fuerit voracitate impar, quamvis fortissimo illi convivæ per singulas noctes similæ duodecim artabæ, oves quadraginta, vini sex amphoræ divini scilicet ventris quodam orco absumenda apponerentur.

Verum Stephanus et faciendo strenue et docendo, postquam legitime certavit, quam signabat nomine, migravit ad coronam, vir revelationibus supernis dignus, præsertim cum ei pro inopia fratrum aliquando mœrenti angelus Domini per visum vultu astiterit nec non habitu præclaro, atque sanctos Laurentium et Wolbodonem hunc a Christo locum in suam suscepisse tutelam dixerit, cujus fundamenta quoque in montibus sanctis consisterent. Inhabitantibus præterea, si primum quærerent regnum Dei, omnia, quæ necessaria forent, adjicienda. Quod etiam tunc ille, et nos usque nunc experimur Christo largiente, Dei sapientia, cum quo sunt divitiæ et gloria, opes superbæ et justitia.

CAP. III. *De Sancto Wolbodone episcopo Leodiensi.*

Sed quia inglorius usquequaque filius non est, qui gloriosos recenseat viros, antedictus Wolbodo quisnam fuerit parumper recenseo. Flandrensis genere fuit, et claros nobilitate ac possessionibus parentes gloriosa reddidit vita, illustrique scientia clariores, apud Ultrajectensem ecclesiam primo quidem canonicus atque scholarum magister, postea Leodiensis episcopus. De quo aliqua majores paginis mandavere, quibus declaratum est, quam vixerit episcopaliter. Hoc autem præterire non debui, quod unice sancto martyri Laurentio devotus, nostro se loco totum impenderit cura et rebus, dum viveret, corpore post obitum. Apud nos siquidem in crypta sanctæ Dei Genitricis operoso conditus est monumento, quod apicibus auratis tale præfert epitaphium:

Ingens carnis honor, sed morum gratia major,
Præsulis officio te locat et solio.
Sensit dives egens, ut eras ad singula præsens,
Istis unde salus, his fluit unde cibus.

Hinc eadem nobis assunt et viscera cunctis
Inde salutiferum excolimus tumulum.

Nostræ ergo areola Ecclesiæ pulchrescit gemino flore rosa et lilio, dum et martyr aliquanta reliquiarum parte, confessor illam insigniat toto corpore, patrocinio ac meritis uterque.

CAP. IV. *De Everardo III, abbate Sancti Laurentii.*

Tertium sortiti a Stephano pastorem sumus Everardum ecclesiæ Florinensis monachum pollentem experientia virum, quo virtutes veluti pacato utebantur habitaculo, qui hæreditatem Domini pasceret in innocentia cordis sui et in intellectibus manuum suarum deduceret eam. Sed paucitas dierum obstitit. Nam finitus est brevi, ut ne integro quidem anno adviveret. Lucidæ porro intentionis et curæ jam bene florentis non careat fructu. Itaque in diebus veri computetur anni, et cum justis scriptus hæreditate capiat terram, ubi est longiturnitas vitæ et victus, ubi est lumen oculorum et pax.

CAP. V. *De Ludovico seniore monacho et diacono.*

Ludovicus bonæ recordationis senior qualiter ab urbe Roma reliquiæ nobis sancti delatæ sunt Laurentii, jam ante excripserat.

CAP. VI. *De Falchalino Ludovici discipulo.*

Falchalinus etiam scholarum magister, ejus coaluerat disciplinis. Iste Franconi scholastico Sancti Lamberti in opusculis de quadratura circuli, et de jejuniis Quatuor temporum cooperatus est.

CAP. VII. *De Heribrando quinto abbate, Ludovici altero auditore.*

Hujus quoque exstitit auditor Heribrandus abbas noster quintus, in quo canities sensuum canitiei congrueret capillorum, cujus secundum Ecclesiasten (cap. IX) omni tempore vestimenta essent candida, cum succinctos haberet castimonia lumbos, lucernam in manibus, id est operibus Dei et proximi dilectione ardentem. Ad dictandum erat sive ad versificandum promptissimus, tamque divina quam humana præditus litteratura. Hic *Vitam Theodorici junioris de Sancto Huberto abbatis* scripto tradidit. Nec pecuniam scientiæ habebat repositam in sudario, sed ultro etiam docebat inscios semper placididate et animi utens et vocis. Capitur enim a discente melius, quod dicitur a docente lenius. Arte potius quam vi tractanda sunt ingenia.

CAP. VIII. *De Davide monacho.*

David asinus fortis, qui usque in senectam et senium ad portandum Christi jugum suave et onus leve supposuerit humerum. Die ac nocte ecclesiasticis insudabat muniis. Nunc orationi, nunc vacabat lectioni, nunc digiti ejus apprehendebant calamum, et quos legerent, quos meditarentur fratres, scribebat doctorum libros. Nam Davidicæ turris hæc sunt propugnacula, hi mille clypei, qui pendent ex
A ea, omnis armatura fortium. Æneis porro ardentibusque Phalaris bobus sævierit, tamen invidia Siculi non invenere tyranni majus tormentum qua noster Mathusalan carens, in negligentes magnopere zelabatur, juventutique imminebat, ne panem otiosa comederet. David senio quidem, sed nunquam benevolentia incessit curvus; qui ut aliquem fructum indefessi edidisset laboris, *Passionem sancti Blasii*, *Vitam* denique *sancti Eucherii Aurelianensis* quamlibet locuplete contextu, attamen grossiore et quasi cannabino telam orditus est stamine.

CAP. IX. *De Engelberto monacho.*

Engelbertus compoti ventilator et assecla, quædam theoremata computistis utilia compaginavit. Nam, quemadmodum Bootes in cardine cœli, dum
B sic jugiter in hac versatur arte, et plaustrum memoriæ volvi quidem, sed nequaquam patitur occidere, multam exinde comparavit notitiam, quapropter Maronis eum his versibus illustrarim :

Qui numeros cœlique vias, qui sidera nosset,
Defectus solis varios, lunæque labores;
Unde tremor terris, qua vi maria alta tumescant,
Obicibus ruptis, rursusque in se ipsa residant.
Quid tantum Oceano properent se tingere soles
Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet.

CAP. X. *De Berengero quarto abbate.*

Summopere apud monachos seu clericos Urbis nostræ studia tunc vigebant scholaria, diuque viguerant, nec minus religio, ut statui ecclesiarum splendide illud congrueret. *Quam pulchra taberna-*
C *cula tua, Jacob, et tentoria tua, Israel, ut valles nemorosæ, ut horti juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri propter aquas* (*Num.* XXIV). Virtutibus ac disciplinis Leodium florebat nec non divitiis. Erat spectabilior tamen bene litteratus, quam bene nummatus. Et cum beata sit terra, cujus rex nobilis est, studia veræ beatitudinis nostra tunc temporis æmulabatur Ecclesia, dum præesset Berengerus abbas quartus spiritu quam carne nobilior, cognatione quidem humilis, verum ut sapientis cujusdam utar verbis, oculus Dei respexit illum in bono; et erexit illum ab humilitate ipsius, et exaltavit caput ejus, et mirati sunt in illo multi. Etenim sagacitate admodum famosus ad instar lu-
D cernæ super candelabrum positæ regno conspicuus erat et Ecclesiæ. Nihilominus et qui sub illo degerent fratres, liliis, quæ sunt in transitu aquæ, serio compararim, quia pluribus nec candor religionis, nec odor bonæ deerat opinionis, cum litteraria quoque irrigarentur scientia.

CAP. XI. *De Roberto seu Ruperto postea abbate Tuitiensi.*

Inter hos velut inauris aurea et margaritum fulgens Robertus emicuit, homo, qui attenderet sapientiam, et prudentiæ inclinaret aurem suam, qui quæreret eam quasi pecuniam, et sicut thesauros effoderet illam. Hic a puerulo penes nostrum est educatus monasterium, ut ætate, sic virtutibus germinaret feliciter, ingeniumque memoria roborante

A cum adderet scientiam, addebat et laborem. Etenim quod sibi legendo infundebat, aliis docendo refundebat; in oratione tamen sedulus et contemplatione, matutinis maxime excubiis. Quibus quanto secretius, tanto insistebat devotius, dum concalesceret cor ejus intra se, et in meditatione sua exardesceret ignis. Nec aberant lacrymarum adipes; hos adolebat in odorem suavissimum Domino, revera cui suavius nihil est spiritu contribulato, corde contrito et humiliato. Unde fruebatur sæpenumero illustratione divina, limpidique gliscebat in eo intellectus aurora; quoniam, ut scriptum est, bene consurgit diluculo, qui quærit bona. Aperuit ergo illi sensum Sapientia Dei, ut intelligeret Scripturas, ut tractaret de illis summa facultate, summa utilitate. Potest in ejus hoc pervidere opusculis, cujus oculum vel glaucoma invidiæ, vel lippitudo imperitiæ non scandalizat.

Igitur cum adhuc esset junior, scripsit *Libellum metrice in laudem Spiritus sancti*, cujus proficiebat magis aspiratione quam alicujus magistri eruditione. Item alium *De diversis Scripturarum sententiis*; tertium nihilominus adnectens versu heroico *De Incarnatione Domini*. Uno etiam *libello statum nostræ* prosecutus est *Ecclesiæ*, videlicet a quibus exstructa sit, quæ bona, vel quæ mala de manu Domini ab Euraclo Leodiensium episcopo usque ad Obertum susceperit. De hac eadem quoque materia *aliud opusculum Saphico confecit metro. Vitam* denique *sancti Augustini*, nec non et *sanctæ Odiliæ virginis* radiante
C melioravit stylo. *De sanctis Theodardo martyre*, *Coare* ac *Severo* confessoribus *cantus* composuit.

Factus presbyter tum vero accessit ad cor altum, quia totius jam intentionis atque ingenii vela in verum explicans austrum *De divinis officiis*, sive sacramentis, quæ celebrantur in Ecclesia per anni circulum, edidit *libellos XII*. Deinde *In Evangelium Joannis libellos XIV*. *De sancta Trinitate et operibus ejus libros XLII*, ubi degustes omnia Scripturarum poma scilicet nova et vetera, quæ dilecto se dicit servasse Ecclesia. *Apocalypsin* petente Frederico archipræsule Coloniensi *XII libris*, similiterque *XII Prophetas XXX* et *I* clarissime explanavit. *De victoria Verbi Dei XIII libros*; et *In Evangelium Matthæi* item *XIII* scripsit, quorum scilicet decla-
D rat penultimo, quam mirabiliter, quam gloriose gratiam scribendi desursum a Patre luminum acceperit. Namque ut litteris hoc mandaret, prorsus institit Cuno Sigebergensis abbas, qui invitum diutiusque renitentem per tremendum nomen sanctæ Trinitatis adjuraverat. Divino quippe liberaliter dono adgaudebat, quo illum benevolus uti exactor instantissime hortabatur, et conferens cum eo sæpius de Scripturis delectabatur in ejus dictis vel scriptis sicut in omnibus divitiis. Sacrarum siquidem erat studiosissimus lectionum, cujus scientiam mores egregii adornabant et religio, qui Radisponensium quoque postea factus est episcopus. Quin et ipse Robertus Ecclesiæ prælatus jam fuerat Tuitiensi defuncto illius loci abbate, circa quod ministerium quamvis satageret, atque instar Marthæ sollicitus esset, interdumque turbaretur erga plurima, tamen instar Mariæ unum sedulo proponebat necessarium.

Sedebat etenim secus pedes Domini et audiebat verbum illius, quandoquidem meditationi nihilominus sanctæ et scribendi studio invigilaret. Cui mos etiam erat tam laudabilis, ut si quando minorem sibi adesse gratiam sentiret (*nam corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum, multa*, maxime exteriora, *cogitantem* (*Sap.* IX), humi ante Dominum sese adjiceret crucifixum, et a sancto et vero, *qui habet clavim David, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit* (*Apoc.* II, 7), peteret, quod clausum erat, aperiri. Humiliter quærenti, fideliter pulsanti mox aperiebatur, dum luce intellectui superfusa mirabili modo audiret, quid loqueretur in ipso Dominus Deus, cujus utique lingua calamus scribæ velociter scribentis, cujus qui appropinquant pedibus, accipient de doctrina illius. Adeo enim se diligentem ditaverat, adeo thesaurum pectoris ejus repleverat, ut duo insimul aut tres vix possent excipere scriptores, quæ dictabat.

Qua ex re superfluum non fuit quod aspexerat aliquando in visu noctis Sapientiam Dei, Verbum Dei, se deosculans, cujus scilicet totum existeret corpus quasi de auro formatum purissimo, a quo et fistulæ prominebant undique complures, quæ vivas cum impetu in illum aquas profundebant. Nam et Psalmista: *Declaratio*, inquit, *sermonum tuorum, Domine, illuminat, et intellectum dat parvulis* (*Psal.* CXVIII), id est humilibus, quo altorum notitia secretorum, quæ solis debetur amicis, ditescant, affatimque irrigentur, quemadmodum ipsa quoque Sapientia dicit: *Ego sapientia effudi flumina, ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio: ego quasi fluvius Dorix, et sicut ductus aquæ exivi de paradiso. Dixi, rigabo meum hortum plantationum, et inebriabo partus mei fructum, et factus est mihi trames abundans, et fluvius meus propinquavit ad mare, quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, et narrabo illam usque in longinquum* (*Eccli.* XXIV).

Itaque idem Robertus etiam *in Cantica canticorum* scripsit *libellos VII*, in *Samuelem* sive *David libros XV*. *De glorificatione Trinitatis et processione Spiritus sancti libros IX*. *Tractatum* quoque condidit *V libellorum* quem *annulum* titulavit, eo quod fidei altercationem inter Christianum contineat et Judæum; nec non *super quibusdam capitulis Regulæ Sancti Benedicti IV edidit libellos*, in quorum videlicet primo denarrat quantos invidorum assultus, quales passus sit molestias calumniantium, quod esset hæreticus, quod sacras pravis sensibus Scripturas temeraret. Quocirca et juvenculus ad Anselmum Laudunensem scholasticum atque Willelmum Catalaunensem episcopum opinatissimos tunc Franciæ magistros libellum scripserat *apologeticum*

de voluntate Dei, in quo illis repugnat, qui juxta hæresim Colitianorum dicerent, Deum velle malum fieri, non quidem malum afflictionis, quod plane interdum necesse est ad correptionem peccantium inferri, sed quodcunque passim malum, quod sit bono virtutique contrarium. Nonnulla etiam scripta seu contra criminatores suos, seu contra irreligiosos quosdam ediderat, quorum unus presbyter, imo concubinarius, presbyteros concubinis licenter uti posse menstruatis astruxerat pagellis. Alter de monacho clericus, imo de columba factus fuerat corvus, qui errorem suum allegationibus defensans improbis mallet in sæculo fluctuare et periclitari quam apud Noe verum, id est Christum intra monasterii arcam requiescere et salvari.

Evenit præterea ut circumpositas Tuitiensi cœnobio grave incendium officinas corriperet atque absumeret. Undique sæviebant immaniter flammæ, ipsum jam cœnobium subsideret periculo, nisi divina irrorasset miseratio. Ut enim videre aliquibus datum est, sidereæ desuper claritatis persona astitit, quæ sui amictus ora veluti quodam flabello insurgentes ignium globos eventilaret. Refugere igitur vapores, illæsa emicuit domus illa, impleto haud dubie, quod ad Dominum propheta dicit: *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis* (*Habac.* III). Parochitanam vero ecclesiam depasta sunt incendia. Sed ibi nihilominus Christi gloriose magnificata est dextera. Cum fuerit namque tanta conflagratio, ut etiam campanas liquefecerit ejusdem ecclesiæ, armariolum tamen ligneum, in quo pixide clausum corpus Dominicum habebatur, corrumpi adustione non potuit, sacrosanctum scilicet suum servante Sancto sanctorum, cujus caro requievit in spe, cujus non derelicta fuit anima in inferno, cui datum est non videre corruptionem. Quin etiam corporale, quod in longo hastili quidam protulerat e fratribus in ipsas decidit flammas. Cum putaretur autem exustum, miro resilivit modo, atque in aera libratum longius ab igne integrum se illibatumque in terram deposuit. Nec minus hoc fuit quam tribus pueris Babylonicam olim tepuisse fornacem, quando et belluinus extremuit tyrannus nil eos læsisse corruptionis, dum neque capillus capitis eorum adustus, neque sarabara sunt immutata, nec odor ignis transivit per eos. Quæ videlicet ad memoriale perpetuum ipse Robertus *aureo et compunctionis pleno descripsit libello* quem intitulavit *De incendio*, alterum quoque subtexens *De meditatione mortis*. Cujus aliquantam partem dum confecisset, ille cœlestis philosophiæ assessor, o! ille divini symmistes eloquii mortem obiit plenus utique dierum, sicut et ante aliquod sibi tempus per revelationem illud fuerat dictum quod in Job legitur: *In abundantia ingredieris sepulcrum* (*Job* V). Oliva, inquam, fructifera in domo Dei o! subitæ adusta est febris aura et emarcuit. Robertus scientia et virtutibus par doctoribus summis appositus est populo sanctorum, inter quos veræ pacis ac jucunditatis oleo, et divini lumine conspectus immarcescibiliter fruatur, juxta quod scriptum est: *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates* (*Dan.* XII, 3).

CAP. XII. *De Wazelino seu Waselino ejus nominis II abbate VII S. Laurentii.*

Viri tam illustris eruditus est magisterio Wazelinus abbas noster VII qui doctrinarum sationem dum bene excepit, bona virtutum germina edidit, quem ita columbæ simplicitas mansuetum faceret, ut serpentis prudentia severum redderet. Gratiam ergo et disciplinam invenit coram Deo et hominibus, et dum scientiæ gemmas auro illustrat religionis, opinione factus est odorifera quasi thus redolens in diebus æstatis. Peritiæ illius exhibet documentum liber quem scripsit: *De concordia Evangeliorum et expositione eorum*, opus equidem clarum et utile, et quod studiosus doleat lector remansisse imperfectum. Nec minus hoc addocent picturæ seu vela quarumdam ecclesiarum, ubi perlegas visu, colligas sensu luculentam ac singularem allegoricarum tam de Veteri quam de Novo Testamento materiarum illo dictante consonantiam. *Sancto* denique *Nicolao* se præstitit officiosum, scilicet rubiginosa cujusdam *de vita vel miraculis illius scripta* purgatioris dictatus ad limam revocando *De transfiguratione Domini, de sanctis Agaunensibus, de sancto Apollinare martyre* solemnes composuit *Cantus*. Quin etiam eo satagente oratorium sancti Georgii martyris penes nos ut devote sic operose, ut pie, sic apte exstructum est, quatenus sanctorum patrociniis transire mereretur in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.

Supra familiam Domini constitutus dabat illis in tempore tritici mensuram, quia discretione præditus, eloquentia suavis publice ac privatim vel admonere vel corripere erat opportunissimus. Jam porro senuerat, jam diutinus in servitio Christi labor, præterea nonnunquam interstrepens ægritudo illum detriverant, sed indeflexa lectionis, orationum, contemplationis acie in verum solem oculos habens animæ fixos illustri quodam modo novitate repubescebat; hoc scilicet instar phœnicis, quem dum extensius ævum languidulo marcore contraxerit (fertur etenim ultra quingentos vivere annos) e virgulis struem aromaticis fabricat, plausuque alarum, atque igneo solis radio usus incendit se ipsum, sed post triduum ex suo reviviscit busto, puberemque assurgit denuo in avem unico et singulari exemplo. Hinc etiam congruenter seu a phœniceo, id est rubicundo colore, seu quod sit toto in orbe singularis, Arabum vocatur lingua, qui phœnicem dicunt singularem. Quæ nostro aliquatenus licet congruant Wazelino, attamen hæc quam maxime tibi congruunt, o Jesu Christe singularis et unice phœnix, hæc, inquam, specialiter ascribenda tibi sunt, o Isaac unigenite, qui es risus et amor sanctorum, qui aromatibus omnis gratiæ delibutus super ligna crucis temetipsum obtulisti Deo per charitatem Spiritus

sancti, sed singulari novitate, sed unica pubertate post triduum e sepulcro refloruisti immortaliter jam redivivus.

CAP. XIII. *Wazelinus I hujus nominis abbas S. Laurentii.*

Alter hunc in abbatia Wazelinus antecesserat, qui simplex quidem ingenio, sed religionis solers studio a juventute in senectutem ecclesiastica rite executus est officia nunc legendo, nunc psallendo, nunc orando veluti bos nervosus sedule triturans in area Domini. Mansuetus erat et affabilis, ut Moysen sanctum magis quam Nabal imitaretur illum Carmeliten, qui plus camelo tortuosus nil aliquando rectum, nil effaretur pacificum. Wazelinum recolant studiosi. Wazelinus paterne coluit studiosos. Ipse amaro carens invidiæ illud dulciter frequentare solebat: *Domine, dilexi decorem domus tuæ* (*Psal.* xxv).

CAP. XIV. *De Lamberto monacho.*

Lambertus *fabulas Æsopi commentatus est.* Has vero ad figurandos hominum mores auctor sagaciter præscriptus finxit. Sed commentator noster moralitate posthabita insudavit allegoriæ, in hoc minime sagax, qui ex rebus hujusmodi sacratas voluerit res procudere quasi de spinis colligantur ficus, aut de rubo vindemientur uvæ. Igitur Kalendis Martialibus liber ille in senatu soricum recitatus est, discussus est, abjudicatus est, sententiamque accepit corrosivam. Irruerunt proinde ex agris, irruerunt ex villis Palæstinorum mures, ac effero dente invaserunt, corroserunt, dissipaverunt apices præscriptos. Quæ autem spes recuperandi? deerat Philistinorum nobis inclyta supellex, qui mures potuerunt aureos in sua expendere vota, ne pergamena quidem suppetebat. Pergamum vero, quæ scilicet prima pergamenis tam usu quam copia nomen indidit, adire arduum nobis ac difficile nimis. Ergo Æsopicum illud ita disperiit sacramentorium.

CAP. XV. *De Gisleberto monacho.*

Gislebertus agile clarumque ingenium exercitio effecit agilius, usu perinde clarius. Pectus etenim manumque jugiter conversabat vel meditando aliquid vel scriptitando. Itaque *versu heroico* scripsit *Historiam de Joseph*, unumque in volumen extendit. Deinde *Gesta David* eodem metro partiens opus per *libellos XII.* Planus et facilis est, verumtamen digne laudabilis, quia facile usus difficili est opera secundum hos suimet versiculos:

Carmina composui gratoque labore peregi
Sune difficilem proponendo mihi legem.
Lex fuit, ut verbum curarem reddere verbo.
Ardua res certe multa dignissima laude
Et labor egregius est ex sermone pedestri,
Ex humili prosa salienti currere versu,
Atque sequi cyclum patulum, sic ut sibi quivis
Speret idem, sudet multum, frustraque laboret.

Neque illius opuscula gratæ sunt utilitatis aliena, quando historicæ narrationis campum mysticis amœnet floribus allegoriarum. Qui dum cæteris polleret artibus, maxime tamen in musica dulces faciebat modos, quemadmodum liquet in cantibus, quos vel de sancto Georgio martyre, vel de sancta Ragenufla virgine, nec non et de sancta Begga composuit.

CAP. XVI. *De Joanne monacho, Gisleberti fratre.*

Quin etiam Joannes tam spiritu quam carne illius frater, scholasticus et eruditione et officio fuit, cujus extremui plerumque ferulam puer, ut clavam Herculis nemo nunquam plus extremuerit. Heu quoties, dum nostra exigit aut discutit opuscula, et aduncis correptas manibus obliquo tabellas oculo intuetur! Heu quoties illum Virgilii monoculum me putavi Polyphemum incurrisse! Idem aliquando infirmatus, miroque satis ordine extra se et supra se factus plurima vidit memoratu digna, quæ et gratia ædificationis scripto edidit. *Binos* etiam *cantus* composuit, id est de *sancto Christophoro martyre*, et de *sancta Maria Ægyptia*, *Historiam Tobiæ*, itemque *Martyrium S. Stephani protomartyris* heroico pede percurrit, et *Cantica canticorum aliquanta ex parte antiphonatim* modulatus est.

CAP. XVII. *De Nizone monacho.*

Nec vero Nizonem omiserim nostrum, quem importunum quodammodo naturæ, discendi solemne habuimus exemplar. Quippe dum obtuso et quasi testudineo esset ingenio, tamen exercitiis acuebatur, donec meditatione seu lectione assidua quasi duabus alis in culmen assurgeret climati provectus. Claras edidit *Melodias de sanctis Joanne et Paulo martyribus, de sanctis Nazario et Celso, de domno Frederico Leodiensi episcopo, ex cujus etiam gestis, obitu vel miraculis Libellum* scripsit. Falli poterat, fallere homo simplex ignorabat. Proinde nos pueruli, cum ab illo doceremur, undelibet nobis iratum facile supplantabamus, ac veluti ex alto aere cadentia librantis et ferientis eludebamus verbera.

CAP. XVIII. *De aliis pluribus nominatim non recensitis.*

Eos quidem, quos aliqua scripsisse comperimus fratres nominatim nostros expressimus, quanquam fuerint plures quoque alii tum scientia, tum religione commendabiles, quorum meminisse et dulce et utile sit. Verum de his plura scribere noster nunc calamus non suscepit. Hoc omnimodis optamus, hoc te, o Christe, imploramus, qui numeras multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocas, qui sanctorum scientissimus es calculator, ut scribas super eos nomen Dei tui, et nomen civitatis novæ Jerusalem, quæ descendit de cœlo a Deo tuo, et nomen tuum novum, ut des, inquam, illis calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit.

LIBELLUS SECUNDUS.

CAP. I. *De primis Reineri ipsius opusculis.*

Sicut eorum, qui sæculo jam dudum exempti sunt, breviter adnotavi studia vel opuscula; sic fratrum, charissime, nostrorum, qui adhuc superstites sunt, volebam ingenia tibi vel scripta retexere. Sed morantur me duo, scilicet ne aut livoris arguar, si remissius laudem quæ laudanda sunt, aut detur adulationi, merita si dependam præconia. Igitur per se verius innotescent, propriis clarescent probabilius monumentis, quando alii non parit offensam quod ex sese meretur gratiam. Quam ob rem petitioni jam tuæ, imo importunitati satisfaciam, ac tibi duntaxat soli meas retexam ineptias.

Aliquos super Ecclesiæ pressuris *threnos* metrorum atque rhythmorum diversa edidi specie adolescentulus. Discendi quippe agebar studio, et magnos poetas ego poeta modicus tentabam utcunque imitari.

Unde et *opusculum de Novo ac Veteri Testamento* condidi, *duobusque libris* partitus sum. Hoc etiam *Pantherem* pro varietate appellavi, quod prosa esset ac metris velut multicoloriter distinctum.

Quin etiam *De compoto* quædam tunc composui.

Denique *libellum De suspendio* scripsi prosaice *cujusdam latronis.*

Martyrium quoque VII Machabæorum fratrum versu heroico.

Deinde illud de Apostolo capitulum : *Nescitis quod ii qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium* (*I Cor.* IX) pede latius excurri Asclepiadeo.

Sed quorum memini nunc opuscula quidam nostrorum familiaris schedularum invito subripuit. Non enim suppetebant exemplaria, et quod verebar, accidit, ut ita destituerer laborum primitiis. Nam conversionis ille gratia in aliam est regionem profectus, atque in pignus mutuæ charitatis hæc secum spolia deportavit.

CAP. II. *Ejusdem melodia de sanctis hujusque fortuna.*

Præterea dum arte instituerer musica, quo assignassem fructum studio, melodiam composui de sanctis Sixto, Felicissimo et Agapito. Quippe vegetatio ingenii sedulitas est exercitii; simulque mira vis indita probatur arti, ut piis cordibus multum affectionis, multum parere soleat compunctionis sua dulcedine. Id minime quidam attendentes ea sedulo cum exercerer, levitati et lasciviæ deputabant, quorum videlicet unus, quem secundi prioratus tunc fulcirent tribunalia, arripiens tabellas, quibus exiles impresseram cogitatus, aliquantisper consideravit. Interim oscitabam metu. Etenim torvus hominis A vultus suspensaque supercilia futurum mihi malum præsagiebant. O judicem Minoe vel Athamanto severiorem! legens infremuit, cantans ex hoc in hoc inclinavit : cum ecce veluti magna colaphizatus injuria cœpit innocentes ceras obruere, et quæ exarata erant, æmulo unguis aratro confundere. Quid facerem? luctarerne, streperem, convitiarer? Virgarum falces in capitulo, accusatores multi, ut recogitanda magnopere mihi Pharisæorum, Saducæorumque tumultuatio, qua periclitatus olim Paulus fuerat in concilio. Pestem murmure imprecarer? Pressum dentibus nihil prodesset anathema. Quid igitur? Depono auriculas ut iniquæ mentis asellus, cum gravius dorso subiit onus, hypocritarumque B patientia mansuesco ad calamitatem.

Num vero iterum ceris delecta mandarem? Unguis ille truculentior immineret. Membranulis resarcirem? Arulam et prunas regis Joachim, et scalpellum Judi scribæ animo versabam maxime, cum nec ego Jeremias, nec mihi Baruch esset notarius. Ergo refrigueram ab incœpto. Longum denique jam tempus decesserat : revolvere tandem cœpi, si quæ ejusdem apud memoriam cantus reliquiæ superessent. Qui tam prompte recuperatus est, ac si ante oculos haberem exteriores adnotatum, ut senserim certe quodammodo vota non despicere Deum simplicia. Igitur dedi membranulæ, quod redditum erat memoriæ. Nec otiositatem sectabar, quæ inimica est animæ, cum dulce potius esset continue C occupari. Nempe Salomonicum me illud excitabat : *Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat; aperi oculos et saturare panibus* (*Prov.* XX) ; Horatianumque illud .

Ut te ipsum serves non expergisceris; atqui
Si nolis sanus, curres hydropicus : et ni
Posces ante diem librum cum lumine, si non
Intendes animum studiis et rebus honestis,
Invidia vel amore vigil torquebere.

CAP. III. *Alia Reineri opuscula.*

Geminis ergo *libellis conversionem* descripsi *sanctæ Pelagiæ*, opusculumque hoc illustravi titulo : *Speculum pœnitentiæ.*

Dehinc *Passionem virginis Mariæ Cappadocis* æque D *duplici libello* explicavi ita prætitulando : *Palmarium virginale.*

Subsequenter *Vitam Tiebaldi eremitæ duobus* itidem *libellis* complexus sum, appellavique *Florem eremi.*

Atque hæc antea quidem sed scabro dictationum fuerant stylo descripta, quæ ego monitu quorumdam scientiolæ qua potui lima purgavi. Parendum est quippe amicis pia injungentibus. Sanctorum vero res gestæ communis censentur materiæ, nec vani-

tatis pungendus est nota, quem pictatis exercent studia.

Opusculum denique confeci quod sic titulatur: *Libellus cujusdam funebris super morte amici*, cui et *tetrastichon* superscribendum tumulo adjeci.

CAP. IV. *Gravissima Reineri infirmitas et sanitas divinitus recuperata.*

Gravissima post hæc ægritudinum tabes locum incesserat nostrum, et acutæ febris canicularium vapore dierum acriores plurimos fratrum lectulis, aliquos addicebant sepulcris. Versus est in luctum chorus noster, dum aut infirmamur, aut morimur, dum vel timore, vel dolore concutimur. Sed tibi, o vigil et sancte, qui non dormis neque dormitas, qui custodis Israel, tibi, o Jesu benigne, cura est de nobis; tu nos diebus omnibus actusque nostros prospicis a luce prima in vesperum. Quod tunc uni etiam fratrum perspicue ostensum est, cui nocturno dum interesset psallentio, atque dormitaret, quædam astitit sidereæ personæ venustatis, leniterque pulsans: *Quid*, inquit, *dormis? vigila et ora* (*Luc.* XXII): promisit Deus coronam vigilantibus. Vigilavit ille et attendit, quia in medio stans chori eos, qui tum excessuri vita essent, intelligibili quodam nutu designaret. Dein per gradus sanctuarii ascendens disparuit.

Ego miseriæ et infirmitatis vasculum, ego limus et ignobile lutum virgam iræ Dei super me vigilantem tunc graviter sensi, qua percussus, qua pene ad nihilum redactus sum. Siquidem ægrotavi usque ad mortem, et Dominus universum stratum meum versavit in infirmitate mea, replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio. Spem vivendi signa jam funebria expulerant, cum per septimanam sibi penitus ac somni expers, tum et ignea febre exsiccato propemodum periclitarer cerebro, agerer phantasiis, loquerer aliena. Sed pia, sed sedula fratrum compassio divinæ genibus me advolvit clementiæ, illique assignavit infimæ corruptionis morticinium, qui habet claves mortis et inferni, qui fuit mortuus, nec vidit corruptionem, sed ecce vivit in sæcula sæculorum.

Igitur in crypta sanctæ Dei Genitricis ad sepulcrum domini episcopi Wolbodonis, cujus memini supra, delatus sum. Ibi ad mediam fere noctem decubui. Languor qui totum depastus erat corpusculum, ad sedem jam irrepebat animæ, claudendisque sensibus sera lethalis imponebatur, cum ecce sanctum video illum pura canitie floridum et cætero cultu festivum sacerdotali a dextris astitisse lectuli ac tertio signum super me crucis exprimere. Benedictionis continuo sensi virtutem: totis quippe quodammodo membris frementibus erupit sudor, ac vigiliis acescentes oculi dulcem somnum recepere; nec ab edulio jam stomachus, sed ab jejunio dissentiebat. Sic beatæ Dei Genitricis compassione inæstimabili, dignatione mirabili, quæ infantulum in cruce pendentem adorandum indignissimo exosculandumque obtulisset; sancti prætcrea confes-

A soris interventu, qui benedixisset ad vitam, ex ipsa sum mortis fauce retractus. Verum anima quos evolvet gemitus, quas oculi stillabunt lacrymas? Tremens factus sum et timeo, ne mortis illa dilatio meæ minus sit vitæ correctio. Scio autem, Domine, quia non est hominis via ejus, nec virtus ejus, ut ambulet et dirigat gressus suos. Corripe ergo me, verumtamen non in judicio, et non in furore tuo, ne forte ad nihilum redigas me, sed qui cognoscis figmentum meum, sicut potes, solida, quoniam sine te nihil est validum.

CAP. V. *Gratus Reineri erga cœlestes medicos animus Visio cujusdam de judicio divino.*

Posteaquam sospitate vigoratus sum, quæ possem, inops exsolvi munuscula, scilicet ad ipsam miseri-
B cordiæ matrem spiritus contribulati *orationem rhythmice expressam*, atque in divina elaboratam præconia *de ipso confessore melodiam*.

Denique haud puto supervacaneum, si attexam quid unus fratrum de alio fratre tunc viderit. In mortem hic agonizabat, ille admodum jacebat infirmus. Quodam diluculo dum vigilaret, vidit in eadem manifeste domo quamdam judiciariæ auctoritatis personam posito tribunali resedisse, apud quam candidati quidam viri causam morientis agebant accusationibus vel objectis respondentes dæmonum foris tumultuantium. Divina etenim quadam vi, ne irrumperent, inhibebantur. Illorum specie nihil tetrius, quorum etiam livor et malitia felitis quodam-
C modo et horrore sulphureo tabescentibus patebat ex oculis, ac velut indagine locum obsederant. Egrediente tandem anima et judice illo cum beatis spiritibus recedente, tum vero intolerabili tumultu et incondita vociferatione prosecuti sunt, ut nimiis totum aerem procellis crederes laborare. O lacrymabilem horam! o terribile examen! o pavendam nimium necessitatem illam! Quam beatus, quem bona tunc reddiderit tutum conscientia!

CAP. VI. *Varia Reineri opuscula.*

Aliquanto dehinc omiseram tempore scribendi operam, eo quod vel lectione magis fruerer, vel eruditioni me fratrum pro viribus impenderem. Verum ab amico interpellatus pro aliqua necessitate
D scriptum elucubravi diffusius, quod nuncupavi *Commonitorium pietatis*.

Ne mucidis autem dormitantes tabellæ ceris stylus parieti affixus rubiginis lepra tabesceret, scripsi ad quemdam familiarem opusculum *De insignibus insularum Sardiniæ et Siciliæ* duobus versifice digestum libellis.

Item ad alium *duos libellos*: primum *De conflictu duorum ducum et animarum mirabili revelatione*; secundum *De quodam milite captivato et per salutarem hostiam liberato*.

Artem vero libentius illam quisque excolit, quam sibi et scientia et usu maxime compararit. Quapropter ut mihi aliquantulam dictandi labor facultatem acquisisset, opus arripui, quod excedere inge-

niolum ipse non ignorarem, illius certe Horatiani temerarius transgressor consului :

Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam
Viribus, et versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri. Cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.

Itaque historiam libellis utcunque sum XIV complexus, quæ contineat, qualiter Jerusalem sancta et aliæ plures apud Orientem urbes sive regiones ab occidentalibus Christianis circa nostram sint ætatem receptæ, cujus est titulus : *Laurea peregrinorum Jerosolymitanorum*. Infirmitas me postmodum gravis in lectulum dejecit.

CAP. VII. *Altera Reineri infirmitas, cœlitus depulsa.*

Jam pelli meæ consumptis carnibus adhæserat os meum, jam secundum prophetam fecerat Dominus vetustam pellem meam et carnem meam, contriverat ossa mea. Cibi defecerat omnino appetitus succique inopes venæ somno illapsum negabant. Ad Deum ergo stillabat oculus animæ meæ, quia in me transibant iræ ejus, et terrores ejus conturbabant me. Quippe et suis anima lacrymis rigatur, et confractione resoluta, indicibilique sensu quodam affecta, tenerrimo ploratu, fortissimo gemitu, ipsa Spiritus Paracleti viscera movet, mereturque consolationem.

Accessit ad visitandum aliquis fratrum, qui dictaret, ut nomina sanctorum septem dormientium in schedula scribi facerem, capitique circumligarem. Hoc nempe remedio piæ fidei ægrotantibus dormiendi nonnunquam restitui facultatem. Adhibui fidem, feci ut injunxerat, et aure jam quodammodo audiebam interiori : *Fides tua te salvum faciet* (*Marc.* x). Repente etenim per mentis excessum in quadam me vidi esse regia, quam lux inæstimabilis, odor incredibilis perfunderet, quippe cum lucerna ejus, gloria ejus, exsultatio ejus, illa veræ, illa unice desiderabilis, beatæ et adorandæ esset Trinitatis majestas. Sed enim os intemperans atque procax frenandum est, ne meas infelix nimium gravem miserias. Hoc in gratiarum actionem dixisse solum sufficiat, quod inter choros purpuratorum atque albatorum, qui aderant, sanctos agnoverim illos aureis gloriose coronis et ostro rubente insignitos. Illic nova dulcissima, illic cantica resonabant, et responsorium illud organa modulabantur angelica : *Isti sunt sancti qui pro testamento Dei sua corpora tradiderunt, et in sanguine Agni laverunt stolas suas* (*Apoc.* xxii).

Ad me autem reversus attonitos circumferebam oculos, pene ignarus ubi essem. Interim frater familiaris lectulo assidebat, qui dum magnopere quæreret cur ita circumspectarem, quoniam probatæ confidentia debetur amicitiæ, retuli visionem, quam non fuisse frivolam mox expertus sum. Sic membra languore debilitata, sic dolore tanquam vinculis astricta erant, quod per septem dies nec surgere nec stare nisi alieno potuissem adminiculo. Verum de aspectu fortis illius, misericordis illius, A qui in sanguine testamenti sui emisit vinctos suos de lacu, in quo non est aqua, ita solutus, ita confortatus sum, quatenus sine quovis sustentamine tunc surgerem, cum prædicto fratre oratorium peterem, toto gratias perfunderem affectu. Ita dein sospitate redintegratus sum sanctisque dormientibus septem exile quidem et omnino impar, sed præcordiale tamen laudis atque gratiarum actionis munus obtuli, videlicet compositam *de ipsis melodiam*.

At vero si quis gravabitur, si quis jactantiæ deputabit, quod talia scribam, num interdicere volet ne miser miserationum Domini recordetur? Simplicem piamque intentionem nemo benevolus accusat. Secretum quidem regis abscondere bonum est, opera B autem Dei revelare et confiteri honorificum est. Cæterum mentis est timoratæ non alta sapere, sed humilibus consentire, siquidem piis supernæ revelationes non vitii sed virtutis instrumenta sunt. Quid vero impiis ut Balaam, ut Nabuchodonosor divina prosit vidisse? Lippientes sol confundit oculos. Deum non sancta visio, sed sancta meretur actio.

CAP. VIII. *Alia posthæc opuscula Reineri.*

Scripsi etiam versifice *libellum de adventu reliquiarum S. Laurentii in Leodium ab urbe Roma.*

Quin et ad ipsum martyrem, et ad alios plures sanctorum dicendas rogatu fratrum plurimas conscripsi *orationes*.

Libellum denique ad quosdam edidi sacerdotes *de* C *reverentia sacrorum locorum*, acriter culpans, quod penes cœmeteria, seu corpora defunctorum, priusquam ad ecclesiam deferrentur, nocturnis maxime vigiliis puellares choros aliaque exsecranda agi, dici vel cantitari paterentur.

Sophista vero qui sua extollere, nostra deprimere pugnaret, abstrusas quæstiones barbarasque dictiones undecunque congestas, mihi scripto proposuit. Dædali labyrinthum et Minotauri cornua me putaverant incurrisse. Qua evaderem? Quibus regerer? Subtilis deerant illa ingenii. Quo defenderer? Facundi gladius oris nullus. Implexa tamen illa dissolvi, cornupetam dirum evasi, libellusque hunc accepit titulum : *Qui sophistice loquitur odibilis est.*

D Quia vero humanæ inditum constat naturæ, quod alternis recreatur, fastidiumque mutatio tergit, nunc prosa, nunc versibus interdum musica studium variabam. Qua de causa geminos cantus scilicet de sanctis confessoribus Antonio ac Hieronymo orditus sum, præcipue cum tantis aliqua patronis officia meæ parvitatis cuperem impendisse. O me bestialem homunculum! o curvam in terris animam et cœlestium inanem! tamen aliquando faciem ausus levare mentis et pectore et lingua velut geminis evectus alis angelica irrupi arcana. Etenim *de victoria Michaelis archangeli tres* digessi *versifice libellos*, tam de illa videlicet qua ex antiquo dracone et angelis ejus cum suis est clarificatus

angelis, quam de illa, qua pro Christianis contra paganos dimicans gloriose innotuit, quando in monte Garganico novum instituit ac dedicavit sanctuarium. Non in illam quidem sunt expensæ fabricam metallorum, marmorum, cedrorum congeries pretiosæ, sed enim rupes concavo impolito expandit fornice sinus, plus religionis protendens quam operositatis. Nam tibi, o gloriose assertor, tibi, inquam, o magnifice secundum nomen tuum admirator glorificandæ et admirandæ Trinitatis! Enimvero quis sicut Deus? hominum magis pectora placent fide, spe, charitate dilata, quam dives ejusmodi rerum materia.

Quin etiam de *sancto Servatio* et de *sancta Begga* musice aliqua rogatus a canonicis quibusdam composui.

De sancto Spiritu septem hymnos ut contexerem, frater petiit, cujus deberem dilectioni, quo satisfacerem devotioni. Qui scilicet, dum familiari sæpius me colloquio ædificaret, quiddam inter cætera retexit quod venerabile, quod memorabile sit. Aliquando cum vigiliis, atque invocationi ejusdem Spiritus sancti quam devote institisset, circa crepusculum in excessum factus, vidit a quodam claritatis penitus et suavitatis mirandæ, quem albæ super nivem nitidæ infloraret accinctus, se in Ecclesiam deportari, luce solemniter seu odore præditam. Quæ persona dulcissimo quidem amplectebatur illum affectu, utraque pectori manu apposita, quemadmodum pia mater ad dulcia solet lactentem infantulum ubera stringere, sed faciem suam occultabat, dum se frater crebrius ille converteret, ac desideranter eam tentaret inspicere. Intelligebat enim sanctum esse Spiritum, tamen ad modicum vidit faciem illam, de qua reticendum est, quia cautius est inde compungi quam loqui; arcana venerari quam de arcanis disputare tutius est. Denique frater idem clementissimi plasmatoris, dignantissimi reparatoris dexteram a pectore suo elevans, atque digitos illius ad signum crucis exprimendum propriis aptans manibus ex eadem super cor, super lumbos, renesque suos signaculum tertio salutare impressit, quatenus contra cogitationum molestias, seu carnales concupiscentias tueretur ac roboraretur, choro candidatorum, qui aderat, canoris modulante vocibus: *Lætetur cor quærentium Dominum;*

A *quærite Dominum et confirmamini; quærite faciem ejus semper* (*Psal.* CIV). Frivolam non fuisse visionem frater ille expertus est, dum sese quodam ex tunc lumine infusum mentis et motuum assultus carnalium sibi plurimum mitigatos contrite lacrymabiliterque asseveraret. *Beatus* profecto, *quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum, ut mitiges ei a diebus malis* (*Psal.* XCIII).

CAP. IX. *Reliqua a Reinero relicta ingenii monumenta.*

Præterea *quinque* exaravi *libellorum* opusculo, qualiter diebus nostris Ecclesia Leodiensis *Bulloniense castrum* pervasoribus triumphatis divina receperit virtute, tituloque præsignavi: *Triumphale*
B *Bulonicum.* Hoc ipsum musico quoque astruxi modulamine.

De *sanctis* etiam *martyribus Evermaro*, sive *Urbano*, exigente fratrum devotione, *geminos* cantus composui.

Epitaphia et *epistolas* conscripsi quamplurimas.

Talibus ergo vel similibus ineptiis miseram exegi vitam ac monasticæ conversationis oneribus, hæc etiam vicissim onera dorso nostri superimpressimus aselli. Absit autem ut muricatos exspectaverim quorumdam obelos, quibus nostræ confodiantur schedulæ, nullius ipse censeo esse momenti quæ scripsi, aut scribo, quin potius indocta, quin potius inepta. Propria tamen utcunque malo fabricari quam aliena usurpare et domestica incude
C quam extraria uti, nec de Latinis bonis Latina sarcire non bona. Prædicabilis faber o quisquis es, novus intendas esse Tubalcain. Ad exemplum veteris exerce prædicabilia. Proprius te ignis, proprium te prædicet utensile. Inertis namque est artificis alienos semper malleolos ac folles appetere, et inglorii apud alienam jugiter mendicare fornaculam. Fontis latex non esse censetur, nisi quem de propria fundit vena. Quod extrorsum infunditur, alienum est. Mihi ergo cavendum, mihi retinenda potissimum illa est Flacci castigatio, qua monet amicum:

Privatas ut quærat opes, et tangere vitet
Scripta palatinus, quæcunque recepit Apollo:
Ne si forte suas repetitum venerit olim
D *Grex avium plumas, moveat cornicula risum*
Furtivis nudata coloribus.

LIBELLUS TERTIUS

—

CAP. I. *Proponitur argumentum libelli.*

Meæ quidem ineptiæ quasi nigro calculatæ sint lapillo. Nunc Parii vero crustula marmoris, nunc pretiosos lactei aspectus exoptaverim uniones, quo calculus ea digerat clarus in numerum, quæ disserendæ intimus nuper proposuit amicorum. Quæsitu etenim digna et scitu sunt utilia; et unus impetrat jure quod pluribus velit prodesse. Videlicet quæsivit: Cur ante Dominicum Natale novem antiphonæ ab O incipientes, novem æque diebus super Evangelii canticum ad vespertinam synaxim canantur in ecclesia? Item cur passio sancti Stephani protomartyris secunda Dominici Natalis die, assumptio sancti Joannis evangelistæ tertia celebretur, dum alter secundum traditionem majorum III nonas Augusti passus, alter VI Kal. Julii ad perpe-

tram sit assumptus immortalitatem, moriendo quidem, sed celerius tamen reviviscendo? cur etiam quarta Innocentibus sit deputata, dum non facile constet, quod tunc passio illorum provenerit. Hæc itaque primo, dehinc cætera quæstionum, quas sciscitatus est, disseram, pro voluntate rogantis latius inde tractando, licet strictior esse maluissem.

CAP. II. *Cur novem antiphonæ a littera O incipientes novem diebus ante Natale Domini ad vesperas canantur?*

Igitur corde creditur, ad justitiam ore autem confessio fit ad salutem, quod Unigenitus Dei incarnatus de Spiritu sancto ex Maria virgine homo factus sit. Quoniam ergo sapientia per voluntatem Patris ædificante sibi domum corporis, ac excidente columnas septem gratiarum mirabilis illa humanatio novem mensibus intra uterum coaluit atque celebrata est virgineum; nos æque novem diebus claris eam recolimus laudem celebriis. Pro mense etenim diem subornamus. Quippe cum et aliis vel temporum, vel solemnitatum nos officiis vacare oporteat, et cum debeant sacramenta quoque alia celebrari; minus idoneum aut rationabile esset in uno jugiter occupari. Assiduitatem humanum fastidit ingenium: quod est rarius admittit gratius.

Quod circa finem diei, quod sub occasum solis ea eduntur præconia, illud præclare mysticat, quod is, qui erat ex Patre natus ante omnia sæcula Deus de Deo, lumen de lumine, genitus non factus, ubi venit plenitudo temporis, factus ac genitus ex muliere est, quando scilicet visitavit nos oriens ex alto illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedebant. Nam et ipse in Apocalypsi loquitur: *Ego sum α et ω, primus et novissimus, initium et finis* (*Apoc.* XXII), quandoquidem omnia per ipsum, et in ipso facta, sive creata sunt; omnia per ipsum et ab ipso instaurata, sive perfecta sunt.

Hoc utique quemquam insinuent superiores litteræ, quarum α Græci alphabeti prima, ω postrema est; subesse tamen clarius advertas mysterium. Græca siquidem elementa non solum verba componunt, sed numeros quoque efficiunt: et sicut unumquodque est ordine posterius, ita charactere titulat suo numerum ampliorem, α igitur unum, ω significat octingentos. Et vere misericorditer, vere dignanter qui erat unicus sive unigenitus Patri Filius, in fine sæculorum filios Dei secum non quidem genere sed adoptione voluit habere quasi octingentos, id est innumeros, beatitudinibus octo generose præditos. Opus itaque pietatis, mysterium miserationis etiam ipsis angelorum novem ordinibus admirandum nos omnimodis admiramur, qui etsi nec corde nec ore, tanti adæquare possimus beneficii gratiarum actiones, cum Sapiens dicat: Glorificantes Dominum quantumcunque potueritis, supervalebit adhuc et admirabilis magnificentia ejus; benedicentes Dominum exaltate illum, quantum potestis: major est enim in laude; exaltantes eum replemini virtute, ne laboretis, non enim pervenietis. Esset impiæ tamen ingratitudinis gratias non agere. Gratitudinis igitur nostræ glorificationem, benedictionem, exaltationem Deo dependimus, ac per novem antiphonas multiplex quidem votum, sed parilem concentum vero soli sempiterno, diei orbem plenitudine lucis jamjam illuminaturo dicamus. Siquidem in Christo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter qui tanquam sponsus procedens de thalamo virgineæ aivi omnimoda virtutum suavitate miris omnium flagrantiis gratiarum se irroratum atque infusum exhibuit. Itaque dum ter ternæ in laudem ter sanctæ Trinitatis antiphonæ instar sint ter ternarum compositæ gratiarum, desiderabile nobis est de alterutra illarum consonantia, si detur desursum, disserere.

CAP. III. *Exponitur mysterium primæ antiphonæ: O sapientia*, etc. *Apparitio Sapientiæ cuidam facta refertur.*

Prima gratiarum, quas Ephesiis scribens memorat Apostolus, *sermo sapientiæ* est. Huic prima antiphonarum *O sapientia, quæ ex ore Altissimi prodisti*, etiam ipsa litterali superficie consonat. Omnia vero in sapientia fecit Deus, universa per verbum, quod ex ore illius prodivit, Altissimus creavit, *quia ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt* (*Psal.* XXXII). Quæ nimirum sapientia *attingit a fine usque ad finem fortiter* (*Sap.* VIII); quia, dum delicias vult esse suas cum filiis hominum, a divinitate, ultra quam nihil est, ad humanitatem se inclinavit, quæ ultima in rebus condita est.

Christus itaque Dei virtus et Dei sapientia tam salutariter quam potenter opere consummato, quod dederat sibi Pater ut faceret, ascendit, unde descenderat, quoniam *a summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus* (*Psal.* XVIII). A Deo enim processerat et venerat charitatis ac misericordiæ aurea redimitus corona gratiarumque fultus plenitudine, ut ipsum etiam elementum quod suæ invocationi profert Ecclesia, *O* scilicet, plenaria rotunditatis suæ forma innuere monstratur. Denique hoc idem cuidam fuisse fideli cœlitus imaginatum didici. Verum parvipendere solent quidam et subsannare illud objicientes sapientis: *Somnia extollunt imprudentes quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum: sic et qui attendit ad visa mendacia* (*Eccli.* XXXIV). Quibus econtra respondetur, quod idem etiam paulo post subdit: *Somnia male facientium vanitas est, et sicut parturientis cor tuum phantasias patitur, nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio* (*ibid.*). Tam ex canonicis quippe quam et aliis plura suppeditant exempla Scripturæ, non omne visum, non omne somnium mendax esse aut erroneum, et interdum ad pios homines, maxime qui juxta Danielem sunt viri desideriorum, ab Altissimo emitti non tam somnia quam revelationes. Siquidem et apud Job legitur: *Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines et dormiunt in lectulo, tunc aperit aures vi-*

rerum et erudiens eos instruit disciplina (*Job* xxxiii). Præter arcaniorem etenim sensum, hoc ad litteram quoque satis idoneé potest accipi.

Sapientia ergo Dei throno videbatur aureo resedisse, coronam æque habens auream in capite, quam verna distingueret gratia gemmarum. Facies ejus immarcessibili florebat candóre, cum oculi quodam arcanæ lucis mirabiliter vigore splendescerent. Erat lineis vestita, candentibus nimis, pallioque circumdata inaurato, dum et arca testamenti purissimo intus ac foris auro splenduerit, supraque coronam sortita sit auream, quia Filio Dei velut capitis est diadema vel ornamentum, quod sicut per gratiam voluit, sic per potentiam valuit hominem assumere. Mirus prætcrea odor spirabat sicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus.

Circa viri sedebant aspectu et amictu conspicui, atque instar liliorum quadam pubertate germinantes, quos radii ex ipsa undique procedentes sapientia illustrabant. Citharas tenebant in manibus niveo compactas ex ebore ac operose respersas auro, quibus dulcissima persultabant musica illos Psalmi versiculos : *Lex Domini immaculata convertens animas, testimonium Domini fidele sapientiam præstans parvulis ; justitiæ Domini rectæ lætificantes corda ; præceptum Domini lucidum illuminans oculos; timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi ; judicia Domini vera, justificata in semetipsa, desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum , et dulciora super mel et favum* (*Psal.* xviii).

Quin et titulus quasi ex colore digestus sapphirino legebatur : *Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus.* Prædictus siquidem fidelis meditatus nocte illa cum corde suo effuderat in se animam suam, quia memor operum Domini et judiciorum ejus, quæ a sæculo sunt, suæ præterea miseræ conditionis, afflictus fuerat et humiliatus nimis, lacrymisque stratum suum rigaverat, superabundanti compassione divinitatis hanc acceperit visionem pro consolatione. Cœlestibus quippe oraculis piam frui animam ut consolationis beneficium, ita devotionis est incitamentum.

Igitur *O sapientia, quæ suaviter disponis omnia!* Suavis etenim es universis, et miserationes tuæ super omnia opera tua, *veni ad docendum nos viam prudentiæ,* qua scilicet ratione angelus fortis, ut scribit Joannes, descenderit de cœlo, amictus nube, in cujus capite iris, cujus facies erat ut sol, cujus pedes sicut columna ignis, qui habebat in manu sua libellum apertum : hujus, inquam, sacramenta libelli doce nos, ut cantabiles nobis sint justificationes tuæ in loco peregrinationis nostræ.

CAP. VI. *Mysteria secundæ antiphonæ : O Adonai.*

Secunda gratiarum est *sermo scientiæ,* cui antiphonarum secunda *O Adonai* clare consonat. Nam Dominus, quod interpretatur *Adonai,* qualiter dux fuerit in misericordia sua populo illi, quem redemit, qualiter circumduxerit eum et docuerit, et custodierit quasi pupillam oculi sui, habemus in

A Scripturis. Nempe et Moysi se nomen indicasse, quod patribus non indicarit, loquitur : *Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac et Jacob in Deo omnipotente, et nomen meum Adonai non indicavi eis* (*Exod.* vi), subintelligendum, ut tibi indicaturus sum vel signa faciendo, vel facie ad faciem colloquendo. Cui etiam antea in igne flammæ rubi apparuerat, dicentique : *Vadam et videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus* : *ne appropies,* inquit, *huc; solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est* (*Exod.* iii). Quocirca etiam nobis ad tam reverendum tendentibus spectaculum carnalis est calceamentum temeritatis solvendum, quo spiritu humilitatis ambulantes vivo ac vivificante frui mereamur incendio.

B *Rubus* ille beatam figurabat Mariam, quæ revera verecundæ virginitatis purpureo exstat rubore spectabilis. Ardebat rubus, sed minime comburebatur, quia Spiritu sancto superveniente, et virtute Altissimi obumbrante ineffabili accensa est virgo amore, sed non adusta, quoniam Deum, Dei Verbum sic mente concepit, et carnem factum peperit, ut post partum inviolata, carnalisque funditus expers concupiscentiæ permaneret. O dulcedinis ignem ! o suavitatis flammam ! o singulare incendium, quo materies non solum castissimæ carnis non aruit, quinimo rosa tam speciali, qua cœlum terraque purpurantur, floruit !

Igneus deniqúe splendor ille zelum et splendida C signarit mirabilia, quæ mox facturus erat Dominus in terra Ægypti, in campo Taneos. Tamen potissimum signata est charitate ardens, ac miraculis splendens humanitas Jesu Christi. De hoc Joannes Baptista, quo inter natos mulierum non surrexit major : *Ipse est,* inquit, *qui post me venturus est, qui ante me factus est, cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti* (*Joan.* i). Siquidem calceamentum Christi est humanitas, qua ejus calceata, id est circumdata est divinitas. Corrigia calceamenti perplexa nostris sensibus tanti subtilitas sacramenti. Absisto igitur, et cum Moyse abscondo faciem. Non enim audeo respicere contra Deum, sed terræ advolutus quia pulvis sum, et in pulverem iturus, toto animæ affectus, totis sensuum D exclamo medullis illud verum veræ Virginis præconium : *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui* (*Luc.* i).

Quinquagesimo præterea die exitus Israel de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro, lex Moysi data est in Sina, cum descendisset Dominus super eum in igne, et ascenderet fumus ex eo quasi de fornace, clangorque buccinæ vehementius perstreperet, quando audita sunt tonitrua ac micuere fulgura, ac nubes densissima operuit montem, timuitque populus, qui erat in castris. Hæc autem omnia in figura contigerunt illis. Siquidem præsignabantur, quæ Pentecostes die acta fuerunt, scilicet postquam Moyses verus, id est Christus de Ægypto infernali populum eduxerat sanctorum, ac per mare

Rubrum suæ passionis traduxerat, et ab aquis sub- A latus passibilitatis atque mortalitatis resurrectione et ascensione fuerat glorificatus. Etenim *factus est repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum, ubi erant sedentes* apostoli, *et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum, et repleti sunt omnes Spiritu sancto et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis* (*Act.* II). Tunc sane buccina tam sonoræ prædicationis perstrepente convenit multitudo et mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes magnalia Dei. Tunc, inquam, personuere tonitrua, ac micuere fulgura, dum et miracula coruscarent, et divina ex Scriptu- B ris judicia intentarentur, ut puta illud : *Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris tanquam me. Ipsum audietis juxta omnia quæ locutus fui vobis. Erit autem : omnis anima quæ non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe* (*Deut.* XVIII). Vel illud Joelis : *Et quidem super servos meos et super ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, et prophetabunt, et dabo prodigia in cœlo sursum, et signa in terra deorsum; sanguinem et ignem et vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis et manifestus* (*Joel.* II).

Quippe quando ex latere lanceato Jesu Nazareni, per manus iniquorum patibulo affixi, cum jam emisisset spiritum, sanguis et aqua præter mortuorum C exivit corporum naturam, tunc sanguinem in prodigium dedit Dominus. Fuit siquidem sanguis ille aliis prodigium mortis in mortem, aliis vitæ in vitam quemadmodum et agni quondam sanguis, cum emissa sunt signa et prodigia in medio Ægypti, in Pharaonem et in omnes servos ejus, fasciculus hyssopi in eo intinctus est, nec non aspersus uterque postis ac superliminare, et dum transiret Dominus percutiens Ægyptios, vidit sanguinem, signataque transcendit ostia, et non sivit percussorem ingredi domos aut lædere; sic etiam nunc qui utrumque postem, id est animam et corpus aut superliminare, id est rationabilitatem suam fide prænotat crucis, ut ex passione Christi, quæ per hyssopum signatur, herbam videlicet humilem, amaram, sed salubrem, minime scandalizetur, imo præcordialiter credat, veraciter fateatur, quin et sacrosanctam digne sumat eucharistiam, percutientis non incidet manum diaboli, quia sanctæ Trinitatis signabitur nomine, tuebitur sacramento.

Ignis vero in prodigium datus est, quoniam lucentis et ardentis cum sit substantiæ, significabatur, quod Christi apostolos Spiritus sanctus et zelo accenderet et intellectu illuminaret. Namque et dispertitarum formulæ linguarum, divisiones mysticabant gratiarum. Vapor denique fumi in prodigium datus est, quando plurimi ad prædicationem apostolorum compuncti sunt corde, lacrymabiliterque consilium suæ flagitabant salutis dicentes : *Quid faciemus, viri fratres?* (*Act.* II.) Nam fumigare est compungi, ac de peccatis flere. Et quidem ubi primum Ecclesiæ baptisma celebratum est, tria millia non absque magno collecta sunt prodigio, videlicet divina præsignante gratia, quod ad fidem Trinitatis de toto esset colligenda orbe multitudo credentium, simulque ut per ignem illuminatio seu ardor fidelium, ita per vaporem fumi cæcitas Judæorum nec minus compunctio pœnitentium, vel obtenebratio intelligi potest impœnitentium.

Sol autem in prodigium datus est; quia, dum in passione Domini obscuratur, Israelis, quæ tunc contigit et nunc etiam durat, cæcitatem portendit. At vero luna licet in sanguinem conversa fuisse palam non paruerit, utcunque tamen se habuerit, sanguinea illis facta est, quandoquidem pascha suum, quod scilicet secundum lunæ cursum quartadecima die ad vesperum ex mandato legis agnum comedentes tunc faciebant, occidendo Christum cruentavere, et pannum tam prodigioso scelere menstruatum Synagoga super oculos accepit sanguinaria.

Cætera desiderantur.

REINERI MONACHI S. LAURENTII LEODIENSIS

IN NOVEM ANTE-NATALITIAS ANTIPHONAS

Ab *o* exordientes

COMMENTATIO

Post editionem Leodii anno 1618 typis Joannis Ouwer procuratam (1), nunc iterum ob maximam opusculi raritatem hic recusa.

(D. Bern. Pezius *Anecdot.* t. IV, parte III, col. 51.)

PROLOGUS AD AMICUM.

Munus amicitiæ congruum, quod nostra exhibet officiositas, jucunde tui vultus acceptet hilaritas, ut per hanc exhibiti muneris speciem amici sedulo contempleris imaginem. Est enim hic honesti quædam forma exercitii, qua delectamur plerumque scribendo cuivis amico familiari. Et nunc quidem breve hoc opusculum ad te scribimus, cui hic in fronte præfigitur titulus : *Quid significent novem O, et quæ sit dierum illorum ratio.* Cujus nimirum opusculi membra capitulatim digesta hic tibi præ oculis tanquam brevi depinxi tabella, ne ut informis quædam facies, inordinata pareat orationis series.

A

(1) Cujus en titulus et prooemia : *In novem ante-natalitias secundum proprium cœnobii Divi Laurentii usum seu officium (illius videlicet ævi) antiphonas ab* o *exordientes opusculum, sive pia, brevis et docta commentatio, auctore Reinero ejusdem S. Laurentii ordinis S. Benedicti religioso, nunquam antehac in lucem edita.*

Reverendissimo ac amplissimo D. domino Otgero Loncino, *celeberrimæ et antiquæ Divi Laurentii ad Leodiensia mœnia abbatiæ archimandritæ vigilantissimo carmen hexastichum.*

Clara tot heroum proles, Otgere, verenda
Nequaquam Patribus relligione minor
Facta Patrum obscuris evolvere perge tenebris,
Et rutilam præbe, quam meruere, facem.
Posteritas olim, quamcunque merebere, lucem,
Quam modo fers aliis, officiosa feret.

De clarissimo D. Laurentii monasterio in publico Leodiensium suburbiorum monte sito carmen encomiasticum.

Hesperidum dites Pœnus quid suspicit hortos?
Fœta quid autumno divite septa canit?
Quid varios Graius flores, quos pascis Hymette?
Quidve tuas Siculus concinit Hybla rosas?
In cœlum meliore jugo mons publicus exit :
Vere, vel autumno nobiliore prior.
Proxima Legiacis attollit culmina muris;
Culmina sidereis proximiora jugis.
Hic tibi fragrantes statuit Laurentius hortos :
Quos Boreas nunquam, non fera lædat hiems.
Cœlica fecundi lætum strepit aura Favoni :
Æthereo felix rore madescit humus.
Lumine Phœbeo fovet enascentia Christus
Sed fovet occidui nescius ille maris.
Urna sacros divum cineres bis terna recondit :
Luxuriat tanto pignore pinguis humus.
Quas promittit opes divino pignore terra :
Hybla tuas vincet, vincet Hymette tuas.
Lilia virgineo surgunt candore decora,
Et viola exemplis suavis odore fragrat.
Hinc Tyrio, appinxit quem fax divina, nitore,
Hinc nivea rident integritate rosæ.
Quid varios florum percurris musa colores?
Copia erit numero, carmine major erit.
At quos apes sancto florum pascuntur odore
Quæve Deo sacrent, dulcia mella legunt!
At quos aves sanctis effundunt carmina ramis,
Carmina prælustri nobilitanda face!
Hinc retulit sacras divino Virginis artes
Munere, quem coluit Tuitia sancta Patrem,
Qui toto canitur celeberrimus orbe Rupertus,
Legia quem lucem vindicat esse suam.

B

Plurima non parvæ pubescunt germina famæ,
Quæ sacra fecundo semine terra tulit.
Multa tulit, quondamque feret : sic vivida virtus
Spondet, et antiquæ relligionis amor.
Pergite, majorumque decus servate minores :
Non est virtuti palma futura minor.

Felicia Reneri vota.

Nescit amor perferre moras : amat ecce Renerus,
Numen amant Patres, tristis utrinque mora est.
O tibi jungar amor! Patrum pia turba canebat :
Audiit, et supera venit ab arce Deus.
O tibi jungar amor : cupido canit ore Renerus :
Audiit, et cupidum vexit ad astra Deus.

Hactenus anonymus hujus opusculi editor

CAPITULA.

COMMENTATIO

IN ANTIPHONAS ANTE-NATALITIAS AB *O* EXORDIENTES.

Cap. I. *Propositio materiæ.*

Votiva Natalis Dominici gaudia diligens quædam ecclesiasticæ consuetudinis præcurrit observantia, quam non abusivo proditam primordio, sed cœlesti traditam magisterio evidens probat mysteriorum ratio. Siquidem diebus aliquot novo gratiæ præconio vespertina Laus celebriori peragitur officio, jucunda scilicet antiphonarum quarumdam decantatione, quæ tam verborum quam pneumatum omnimoda florentes pulchritudine, devotionis ac lætitiæ plurimum sacro excitent conventui ecclesiæ. Sunt porro dies non amplius novem talis observantiæ, et ejusdem numeri antiphonæ cum Evangelii cantico singulæ diebus singulis decantandæ. Quarum omnium principia eadem prænotantur *O* littera. Quæritur quæ observantiæ talis causa vel ratio? Edisserant hæc plenius subtiliusque, quibus altior ingenii vis est : nos intelligentiæ simplicis fructum ex humili carpimus leniter.

Cap. II. *De vera Christi humanitate.*

Unigenitum Dei Patris in vera natura nostræ carnis, in cunctis humanæ naturæ legibus habitasse in nobis fidei puritate novimus, propter quod intemerata materni uteri fecunditate editum veraciter credimus. Hoc denique excepto, toto ordine suo vera hominis natura cucurrit, sicut a Patribus tradita fidei regula sane defendit. Conceptus enim non de maritali opere, sed divina sancti Spiritus operatione lege naturali intra viscera materna, totis novem mensibus coaluit, natusque infans in præsepi vagiit, atque lactis alimonia ciboque communi educari vel sustentari voluit, omni conversandi habitu conditioni nostræ simillimus et in ætatis plenitudinem proficiens crementis naturalibus. Passus deinde est vera carnis passione, et mortuus vera hominis morte, quæ infirmitatis humilia æque ut virtutis opera magnifica, qualia sunt miraculorum insignia, et superexcellens Resurrectionis gloria, Ascensionisque exaltatio prædicanda, pietate congrua amplectimur ac veneramur, quia nulla sui indigentia, sed salutis nostræ causa necessaria, voluntarie hæc eum pertulisse fidei constantia profitemur.

Cap. III. *De observantia dierum novem ante diem Natalis.*

Itaque anni nostri tempora varietate distincta ordinabiliter disponimus, et singula singulis sacramentorum faciebus conformi pietate notamus, ut hinc velut accedentis semper claritatis perstringamur fulguribus, dum successim instauratis gloriamur solemnitatibus. Hinc illud est, quod ante solemnem Natalis ejus diem proximos novem dies gaudiis observamus, ac veluti rutilantibus novæ lucis exordiis hilaritate sustollimur, præcipueque hora vespertinæ synaxis gratulatione concepta superefferimur, dum præconiorum modulis illustrio-

rem clarioremque synaxim eamdem peragimus. Hac denique diligenti observantia traditio ecclesiastica, qua valet similitudine, gestit exprimere, quod is, qui in primordio de tenebris lucem splendescere dixit, nunc vergente mundi vespere, sedentibus in tenebris clementer illuxit, et vera divinitatis luce profundas noctis humanæ tenebras tersit.

Eadem nec dissimili observantia totos novem dies continuamus, per quos nimirum menses novem signanter exprimi advertimus, quibus in secreto virginalis uteri cubiculo sese continuit Deus homo. Digna plane celebris observantiæ causa, vel ratio. Quale enim, vel quantum est, quod in illo puritatis totiusque sanctitatis sacrario arcana divinitatis operatione peractum? Magnum est, ineffabile, imo et incomprehensibile est. Cujus enim vel mens cogitatu saltem attingere possit, qualiter in utero femineo Deus homini personaliter unitus sit? Non enim permutata in carnem divinitas, sed assumpta in Deo vera creditur humanitas, ut ex duabus naturis una fieret persona Mediatoris indivise, inconvertibiliterque unita deitate carni nostræ. Unde non jam seorsum ab homine per se colitur divinitas, vel separatim sola prædicatur humanitas, sed unus ab omnibus fideliter adoratur Christus, verus in utraque natura, Conditor idem ac Redemptor Deus et homo, Deus ante sæcularia tempora genitus ex Patre, et homo in tempore procreatus et natus ex Virgine. Digna profecto jucunditatis observantia tanta sibi proposita gaudiorum materia.

Quod vero diem pro mense assumimus, rationabiliter et discrete temporibus prolixitas contrahitur, ne hujus celebritatis jucunditas intercurrente festivitate aliqua intercipi videatur, neve infirmitatis humanæ tædio. semel accensa frigescat devotio; sed fervore vegetata continuo quanto brevior, tanto sit purior, ac per hoc supremæ dignationi fiat acceptior. Adsumus itaque frequentes hora vespertinæ Laudis cum psalmis et hymnis, et venturæ solemnitatis gaudia nova quadam præimus lætitia, Regique processuro congruo servitutis occurrimus obsequio. Nam processurus est, ut exortu novo exspectantes se lætificet. Qualis putamus processurus est? Nimirum pulcher et decorus, suavis et deliciosus, omnibusque omnium gratiarum unguentis delibutus.

Cap. IV. *Quæ sit antiphonarum novem ratio.*

Earum profecto gratiarum plenitudinem novem illæ exprimunt *antiphonæ* splendida verborum pulchritudine, suavique melodiæ dulcedine decenter accurateque compositæ, quas in laudem Regis ejusdem matrisque Reginæ cum cantico ipsius affectuosa et vocali enuntiatione celebriter effert chorus Ecclesiæ.

Nec incongrue cantico Virginis coaptantur, cum celebritas hæc matri æque ut filio dedicata prædicetur: et redundans in Filio gratiarum perfectio plenarie in matre adfuisse probabiliter asseratur. Si enim, ut ait Apostolus, *in Christo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei reconditi* (*Coloss.* II), A Christus autem in Maria, ergo omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei in Maria, imo et tota divinitatis plenitudo, quæ corporaliter inhabitat in Christo. Unde et angelus eamdem venerabiliter salutans a gratia exorsus ait: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus* (*Luc.* I). Digne gratia plenam asseruit, quæ Unigenitum Dei Patris castis concipere visceribus meruit, et benedicta in æternum Dominum nobis et hominem progenuit. Apostolus Corinthiis scribens gratiarum plenitudinem partitione novenaria subdistinguit inquiens: *Alii per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alteri fides, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.* B *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis, prout vult* (*I Cor.* XII). Quarum profecto gratiarum plenitudinem nemo fidelium, ut dictum est, ambigit in beatam affluxisse Virginem, quam vere tota inundatione Divinitas implevit, tota plenitudine torrens voluptatis inebriavit.

Cap. V. *De consonantia earumdem cum singulis gratiarum.*

Cum ergo Apostolus gratiæ plenitudinem distinctione novenaria subdividat, et eamdem novenarius, ut præmissum est, antiphonarum numerus signanter exprimat: perpulchrum ac delectabile erit earum ad invicem consonantiam prudenti rationis judicio discernere, ac veluti ex instrumento musico voces C diversas easdem regulari symphoniæ succentu audito interno percipere. Quod perfacile erit, si non pigeat in singulis illarum paulisper subsistere, et quasi levi manus pulsu chordam tangere, ut cujus sint ad invicem habitudinis vel consonantiæ, cauta queat auris interna solertia discernere.

Age enim, conferatur prima antiphonarum cum prima gratiarum, et eodem modo reliquæ per ordinem conferantur alterutrum, ut indubitato constet rationis judicio, una, nec dissimili habitudine binas altrinsecus semper sibi respondere. Nam quemadmodum in musica diapason maxima symphoniarum, quæ *dupla* dicitur, juxta observantiam proportionum ei voci, quam in acutis ediderit, non dissimilem a gravibus succinit: sic nimirum pari concordia D sensuum adscita quoque interdum cognatione verborum, antiphonarum singulæ singulis gratiarum quasi succinunt consone.

Cap. VI. *De prima antiphona: « O Sapientia, quæ ex ore Altissimi, » etc.*

Ecce enim cum prima gratiarum sit *sermo sapientiæ*, et prima antiphonarum *O sapientia, quæ ex ore Altissimi prodiisti*, profecto jam in ipso initio patescit concors sonoritas eloquii. In sensu vero longe clarior redditur consonantiæ similitudo, cum singula pene verba mysteriorum fecunditate gravida palam faciant, quod non verbosa vaniloquii levitate, sed pondere prolata sint sapientiæ. Nam et primum elementum *O* propositæ rationis apte congruit mysterio, dum forma plenaria suæ rotunditatis figura-

liter plenitudinem exprimit Divinitatis, quæ cum omnibus gratiarum distributionibus totam se contulit in carnem, et totam assumpsit hominem ex Virgine. Hæc est sapientia quæ *ex ore Altissimi prodiit*, Filius scilicet, qui de paterna progenitus substantia omnium in principio Creator apparuit.

Attingit autem a fine usque ad finem fortiter, dum a divinitate, in qua cuncta creavit, ad humanitatem, quam in fine omnium condidit, se inclinat misericorditer utramque uniens naturam in se personaliter ea fortitudinis potentia, qua Deus est, cui utique verbum omne possibile est.

Suaviter disponit omnia, dispensatione scilicet ordinatissima, qua provide regit condita. Hinc in fine antiphonæ fideliter supplicamus et attente: *Veni ad docendum nos viam prudentiæ*, videlicet ut apparens visibiliter in carne innotescat angelis et hominibus, qua via vel consilio prudentiæ suæ fortem armatum fortior ipse aggrediatur de atrio suo ejicere. Ita plane cuncta primæ antiphonæ membra primæ gratiarum veluti harmoniæ cujusdam aptantur concinentia.

CAP. VII. *De secunda antiphona: « O Adonai et Dux domus Israel, »* etc.

Secunda quoque antiphonarum *O Adonai* secundæ gratiarum, quæ est *sermo scientiæ*, non dissimili respondet habitudine. Quid enim aliud nomen ipsum *Adonai* indicat nisi quia scientiæ gratiam Deus fidelibus suis cum tempore multiplicat? Moysi enim dicit: *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac et Jacob in Deo omnipotente: et nomen meum Adonai non indicavi eis* (*Exod.* v). Utique qui hæc dicit, per incrementa temporis dona scientiæ multipliciora se largiri asserit, dum et nomen suum *Adonai* Moysi indicat, quod Abrahæ primo non indicaverat.

Quod vero eidem *in igne flammæ rubi apparuit* (*Exod.* III), et *in Sina legem dedit* (*Exod.* XXIV), nimirum cum sermone scientiæ utrumque aptissime congruit. Nam per hoc, quod in igne apparuit, mystice prudentem Moysi animum erudire voluit, ut sciret, se et tunc pro temporali populi sui liberatione in magno venire zeli fervore, magnaque ac pavenda signorum claritate; et quandoque pro æterna ejusdem salvatione venturum in carne.

Tritum ac celebre est in schola Christi, et notum etiam parvulis fidei, *rubo* qui ardere potuit, nec comburi, beatam Virginem Mariam figurari, quam vere ignea Divinitatis substantia sic implevit, ut totis novem mensibus in utero ejus habitaverit, et fragilem in ea naturæ femineæ materiam non solum non combusserit vel dissolverit, verum etiam cum virginitatis honore majori, gratia formati exinde hominis, quem assumpsit, perenniter illustraverit. De lege autem data in Sina patet, quam multiplex in toto mundo profluxerit scientia.

Huic ergo *Adonai* pia fidelis Ecclesiæ devotio magno supplicat desiderio: *Veni ad redimendum nos in brachio extento*; videlicet ut ea brachii fortitu-

A dine, qua oppressorem fidelium Pharaonem contrivit, superbum conterat diabolum, cujus ille typum gessit. Singula itaque hæc, quæ dicta sunt, cum sermone scientiæ probabiliter consona sunt.

CAP. VIII. *De tertia antiphona: « O Radix Jesse, qui stas in signum, »* etc.

Sequitur tertia antiphonarum *O Radix Jesse*, et tertiæ gratiarum, quæ est *fides*, amica respondet similitudine. Nam *Radix Jesse* Christus est secundum fidem: sicut e converso *Radix* Christi *Jesse* secundum carnem. Denique tam Jesse quam et Abraham vel Patres reliqui, qui tanquam bonæ plantationis arbusculæ suo quique tempore virtutum gratia effloruere, in fide Christi venturi radicati,
B vel plantati, sicut et de pinguedine bonæ radicis hujus uberem bonorum fructuum dulcedinem traxerunt, de plenitudine redundantis in eo gratiæ omnes acceperunt.

Radix hæc *de terra sitienti ascendit*, et in arborem pulcherrimam excrescens fructum bonum in tempore suo dedit: Christus videlicet de populo Judaico non habente humorem fidei, secundum carnem exortus est, exaltatusque in cruce, mortis amaritudinem sustulit, ac vitæ dulcedinem fructuosa omnibus passione attulit. Nunc super cœlos ad dexteram Patris elevatus lignum crucis suæ extulit *in signum populis et gentibus*, ut hoc tam in frontibus suis quam in mentibus fideliter consignentur. Jamque *super ipsum continent reges os*
C *suum* fatentes humiliter, quod ipse excelsus dominetur in regno hominum. *Ipsumque gentes deprecantur* colentes in hostiis et muneribus. Quæ omnia cum sacramento fidei convenire evidentissime comprobantur ratione. Huic ergo tota supplicamus fidei devotione: *Veni ad liberandum nos, jam noli tardare.*

CAP. IX. *De quarta antiphona: « O Clavis David et sceptrum, »* etc.

Quarta nihilominus antiphona *O Clavis David* cum gratia *sanitatum* omnimoda sui habitudine congruit. Quæ enim hoc in loco est *Clavis David*, nisi potestas regia et sacerdotalis? potestas judicium faciendi vel peccata remittendi, quam habet
D Christus, secundum carnem filius David? Qui cum sit Deus et homo, Rex et Sacerdos, interpellat idem et exaudit, conciliat et absolvit. Estque *sceptrum domus Israel*, decus scilicet regium omnium, ad quos veraciter pertinet nomen *Israel*.

Ipse pulsantibus aditum regni manu gratiæ clementer *aperit*, contemptoribusque vel incredulis censura justitiæ *claudit*. Nec est qui eo aperiente claudat, vel eo claudente aperiat. Quis enim repellat, quem ille per misericordiam colligere voluerit? Aut quis valeat colligere, quem per justitiam repulerit? Huic talem ac tantam habenti potestatem jure damus puram cordis et oris nostri confessionem, petimusque suppliciter: *Veni et educ vinctos de domo carceris, sedentem in tenebris et umbra mortis.*

CAP. X. *De quinta antiphona : « O Oriens splendor Lucis æternæ, » etc.*

Quinta quoque antiphonarum : *O Oriens splendor lucis æternæ et sol justitiæ* cum quinta gratiarum, quæ est *operatio virtutum*, non dissona aptatur sicmilitudine. Verus namque *Oriens* Christus est, sicut per prophetam dicitur : *Ecce vir : Oriens nomen ejus* (*Zach.* VI). Et item in Evangelio : *Visitavit nos oriens ex alto* (*Luc.* I). Splendor est *Lucis æternæ*, supernam scilicet sanctorum patriam indeficienti clarificans Divinitatis luce. Est et *Sol justitiæ*, Scriptura protestante : *Vobis timentibus nomen meum orietur Sol justitiæ* (*Malach.* IV). Hic exortus in tenebris lumen rectis corde quosdam lucis tuæ radios visibiliter quoque in terra sparsit, dum omnem languorem et infirmitates diversas verbo virtutis suæ potenter curavit. Super hæc etiam apostolos splendoris ejusdem claritate penetrabiliter irradiavit, per quos tam multiplicia, tamque diversa miraculorum insignia in mundo ostendit. Ad quem nimirum pia dirigitur Ecclesiæ devotio supplicantis : *Veni, et illumina sedentes in tenebris et umbra mortis.*

CAP. XI. *De sexta antiphona : « O Rex gentium et desideratus earum, » etc.*

Sexta itidem antiphonarum *O Rex gentium, prophetiæ* convenit, quæ est sexta gratiarum. Denique si Scripturam propheticam diligenter attendimus, de salute gentium familiarius semper eloqui manifestissime reperimus. Nam post celebrata in Christo mysteria reparationis humanæ, quid aliud sonant omnes Scripturæ prophetarum divinitus inspiratæ nisi vocationem gentium, repulsionemque Judæorum? Propterea recte dicitur *Rex gentium et desideratus earum*. Judæi namque, quos et propria curavit prædicatione, et multiplici sanitatum erexit opere, ipsum, ne regnaret super se, importuna nimis repulerunt negatione. *Non habemus*, inquiunt, *regem nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX). Gentes vero ubi primum per apostolos prædicationis verbum acceperunt, toto ad eum corde conversæ ad regnandum super se ultronea submissione expetierunt. Hic est *lapis angularis qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II) : ex utroque scilicet populo credentes in se unit, et unam facit Ecclesiam fidelium. Huic devotione supplicamus fideli : *Veni, salva hominem, quem de limo formasti.*

CAP. XII. *De septima antiphona : « O Emmanuel Rex et Legifer noster, » etc.*

Septima quoque antiphonarum *O Emmanuel* septimæ gratiarum, quæ *discretio* est *spirituum*, consonat suaviter. Per ipsum enim *Emmanuel*, id est, per hoc, quod *nobiscum Deus* est, id est, *Rex et Legifer noster, exspectatio gentium et Salvator earum*, discretionem habemus spirituum; discernere novimus inter sanam Catholicorum doctrinam, et insanam hæreticorum, experientiam habentes probandi spiritus, si ex Deo sunt : sumusque inter omnia vitæ discrimina tuti ipso Rege nostro juxta pollicitationem suam permanente nobiscum usque ad consummationem sæculi. Huic totum quod intelligimus, aut possumus, humiliter ascribentes, ut nos salvatione sempiterna possideat, oramus fideliter dicimusque : *Veni ad salvandum nos, Domine Deus noster.*

CAP. XIII. *De octava antiphona : « O Virgo virginum, quomodo fiet istud ? »*

Octava etiam antiphonarum *O Virgo virginum* resonat concorditer cum ea gratia, quæ *genera linguarum* dicitur. Vox est namque animarum fidelium in cunctis generationibus, linguis omnibus Dei Genitricem beatificantium, magnitudinemque tantorum, quæ in ea completa sunt, mysteriorum admirantium atque dicentium : *O Virgo virginum quomodo fiet istud*, etc. Quibus illa voce suavi et jucunda : *Filiæ*, inquit, *Jerusalem, quid me admiramini? Divinum est mysterium hoc, quod cernitis.* Divinæ operationis est et gratiæ totum, quod admiramini in me. *Respexit Deus humilitatem ancillæ suæ* (*Luc.* I). Per me salutem operari dignatus est in medio terræ. *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes : quia fecit mihi magna, qui potens est.* (*ibid.*)

CAP. XIV. *De nona antiphona : « O summe artifex poli rectorque siderum. »*

Ultima jam antiphonarum *O summe artifex* ultimæ gratiarum, quæ est *interpretatio sermonum* concordi habitudine respondet suaviter. Nam quid aliud verba hæc innuere probantur nisi quod clausas catenus Scripturarum voces, sermonesque prophetarum nobis aperiunt, vel interpretantur? Summa quippe eorum est : Altissimum Altissimi Filium per intemeratæ Virginis uterum dignanter descensurum ad homines, ut ejus erigat humilitas, quos propriæ elisit superbiæ temeritas.

Ipse est *summus artifex* Deus, videlicet Creator vel fabricator omnium : qui a principio *polum*, sive cœlum innumera depinxit lampade : *siderum*, quorum per sæcula inerrato regit ordine cursum. Huic profusa supplicamus devotione cordis, ut de occulta prodiens habitatione lucis inaccessibilis dignanter ad nos homines *descendat sedentes in tenebris et umbra mortis.*

CAP. XV. *Brevis superiorum complexio et competens rationis propositæ conclusio.*

Ecce dum in singulis gratiarum antiphonarumque paulisper immorando substitimus, earum ad invicem concordiam sive consonantiam fida mentis intelligentia notavimus. Unde non incongrue dictum putavimus, his novem antiphonis earum exprimi plenitudinem gratiarum, quæ tam evidenti ratione sibi per omnia consonæ sunt. Quarum profecto gratiarum distributionibus beatam decuit Virginem veluti congruis oppignerari muneribus, ut esset gratia plena, quæ Filium, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, sancto superveniente Spiritu, integris illibatisque visceribus con-

ciperet, totisque novem mensibus felici gravida hujusmodi onere, in utero gestaret.

Hæc prædicta dierum novem observantia, antiphonarumque signat distinctio novenaria. Pro singulis mensium dies singuli observabiles sunt, itemque singulæ antiphonarum singulas exprimunt gratiarum. Inde nobis præsentium datur materia gaudiorum: hinc votivæ causa celebritatis, quam pio retulit studio ecclesiastica sedulitas recursibus annuis. Hic finis promissionum, quæ ad Patres factæ sunt; hæc adimpletio, seu veritas omnium, quæ a prophetis longe ante prædicta sunt. Verbum quod in principio erat apud Deum, et per quod omnia facta sunt, conditionis humanæ fragile induit figmentum: tenera carne circumdari Divinitas voluit in utero virgineo ac nostræ counîri substantiæ arcano sapientiæ suæ consilio, sic ut in uno eodemque et divinæ radiaret splendor naturæ, et veritas appareret infirmitatis assumptæ. Hoc jucundæ laudis clara personat celebritas: hôc novæ tripudium lætitiæ, et pia sanctarum exprimit mentium hilaritas. Hæc de observantia tam celebri strictim, tenui verborum copia dixerimus, ne amico familiari officiositatis propriæ opera aliquatenus defuisse videatur (5).

(5) Pro Coronide scire te oportet, clarissime domine, quod priscus Ecclesiæ Leodiensis usus decem habeat antiphonas: decimam enim de sancto Thoma, cujus initium: *O Thoma Didyme*, novem istis adjicit; quin et eam bis repetit in utrisque scilicet festi ejus vesperis. Aliæ forsan alium seu majorem seu minorem earumdem antiphonarum numerum observant Ecclesiæ secundum patrium et religiosum cujusque morem. Neque est propterea, quod diversitatem hanc quisquam miretur, nedum leviter improbet, aut maligne calumnietur. Quemadmodum enim regionum, imo et hominum plerumque singulorum mores sunt diversi, nec ideo tamen in urbani: sic et particularium quandoque ritus Ecclesiarum, etsi varii, omnes tamen laudabiles et boni. Cæterum Reinerus noster novem ex professo, duabus, septem a ritu Romano institutis, hodieque observatis, pro ratione proprii sua ætate officii adjunctis explanat; idque, ut in suo prologo ait, *in amici gratiam familiaris*: et profecto sicut familiariter ita pie, solide breviterque.— *Nota cl. P. Cœlestini Lombardi.*

SPECULUM PŒNITENTIÆ,

SEU

VITÆ SANCTÆ PELAGIÆ LIBRI DUO

AUCTORE REINERO.

(Ex ms. cod. cœnobii S. Laurentii Leod. eruit cl. D. P. Cœlestinus Lombardus; edidit D. Bern. Pezius, *Anecdot.* t. IV, p. III, col. 69.)

INCIPIT PROLOGUS.

Exemplar conversionis ac pœnitentiæ Pelagiam proposui, quæ de tenebris ad lucem, de prostibulo ad castimoniæ emersit sanctitatem: in qua benedicitur Pater misericordiarum Deus, qui vas perditionis et iræ in vas transformavit salvationis et gratiæ; cujus dignatione nil profecto dignius, indulgentia nil præstabilius est; quem plus impœnitens quam delinquens, qui desperat, velut qui negat, offendit. Nemo itaque tam summe malus est, cui summe bonus non ignoscat, si rite pœniteat. Igitur Pelagia spem veniæ peccatoribus suscitat, multitudinem viscerum Christi prædicat.

Cujus monimenta conversionis ab alio quidem scripta reperi, sed cum oratio parum idonea, tum vero barbarismorum erat atque solœcismorum tanta confusio, ut illustrem materiam stylus obscurior laceram reddidisse ac despicabilem videretur. Verum de scriptoris vitio magis quam de auctoris imperitia id accidisse suspicor, dum quatuor aut amplius clausulis, tum et dimidiis se versiculis passim mutilatum textus pronuntiaret. Gloriosis autem rebus plurimum tollit gratiæ sermo contemptibilis. Meliori ergo aliquantum facie prædictam curavi materiam reformare, rudemque experiri adolescentiæ indolem. *Opusculum in duos digessi libros* atque titulo prænotavi *Speculum pœnitentiæ.* Nam quantum remedii hujus sit bonum, quam felix proventus, in hoc etiam speculari potest benevolentiæ expiatus collyrio cujusvis oculus.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Altiori quodam pro negotio sanctus quidam Antiochenorum episcopus finitimos episcopos evocavit. Convenerunt octo numero, inter quos erat vir apostolicus et dignus sacerdotio Nonnus Heliopolitanus, qui ob merita virtutum raptus Tabenensium ex monasterio, quanquam invitus, pascere susceperat gregem Christi, in salutem multorum electus ab ipso et vocatus. Hic jam Heliopolim civitatem et xxx Saracenorum millia de sub jugo diaboli abacta, regis sui transtulerat in militiam.

Tabenensium porro monasterium, Thebaide situm, præstantissimo floruit quondam religionis vigore, ac probatis, quos educavit viris orientem illustravit universum, ut plane gauderet quævis Ecclesia de illius se alumnis meruisse pastorem. Quinque vel amplius monachorum ibi millia regebantur uno abbate, cui quanto parerent studio, qua subessent humilitate, quam glorioso calcarent mundum despectu, quia dicere nimis longum, supersedeo.

Igitur episcopi positis die quadam sellulis præ foribus basilicæ Juliani martyris consederant, atque venerabili Nonno de verbo vitæ tractanti tenebant auditorium : cum ecce meretrix speciosissima mimarum Antiochiæ prima, vehiculo sedens, transiit amicta pallio, margaritis auroque insignito, torquem collo habens auream quam præ nimia pulchritudine seu ornamentorum splendore Margaritam cognominarent Antiocheni. Formæ illius nulla poterat filiis sæculi satietas fieri, qua Sirenes voracissima miseros alliciebat et perdebat. Illam præibat et sequebatur ingenti pompa puerorum ac puellarum turba, scitis vultibus cultuque ambitioso, diversi persultans generis musicam, quæ ex unguentorum redolentia totum in transitu aerem perfudit. Sed impudicitiæ schemata pudicus horret oculus.

CAPUT II.

Horruerunt ergo sacerdotes, suffusique verecundia averterunt oculos suos, ne viderent vanitatem. Verum altioris intellectus vir Nonnus intendebat in eam spirituali oculo, speculans, quousque pertransisset, tunc dicit circumsidentibus : « Tantamne istius considerastis pulchritudinem, beatissimi sacerdotes? » Reticentibus illis caput inter manus reclinavit, atque flexis genibus flevit uberrime. Inde rursum interrogavit : « Num delectati tanta hujus non estis pulchritudine ? » Illis tacentibus adjecit : « Ego utique delectatus sum valde, mihique species ejus placuit, quia istam habet præponere Deus et statuere in conspectu tremendæ sedis suæ judicaturam nos et episcopatus nostros. Quid namque æstimatis, quantas fecerit in cubiculo moras omni studio ad

A speculum sese lavans et componens, quatenus nihil corporeæ desit pulchritudini ? Quomodo omnibus placeat suis amatoribus, turpis non appareat, qui hodie sunt, crastino tollentur ? Nos e contra immortalem habentes in cœlis Sponsum, donantem castitatis amatoribus divitiarum præmia cœlestium, quæ æstimari non possint, non exhibemus corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem; non inquam, animas castificamus nostras timore ipsius, neque exuimur concupiscentiis, ornamurve sacris virtutibus, sed in pulvere jacemus vitiorum. »

Dum ea dixisset, cum diacono suo ad cellam in qua hospitabatur recessit. Illic ingressus cubiculum, jactavit se in pavimentum, faciemque in terram premebat et lacrymabatur, dicens : « Domine Deus

B miserator et misericors, ignosce mihi, quæso, peccatori, quoniam ornatus exterior meretricis istius interius ornamentum superavit animæ meæ. Quonam vultu suspiciam ad te ? quibus justificer sermonibus in conspectu tuo ? Neque enim, Domine, cor meum occultaverim ante te, quia tu renes et corda scrutaris, nuda et aperta sunt omnia oculis tuis. Et væ misero mihi qui tuo altari astare præsumo, mysteriis me sanctis ingero, nec pulchram offero animam, qualem expetis. Illa promisit hominibus placere et fecit : ego promisi placere tibi, et mentitus sum. Nudus sum tam in cœlo quam in terra, Domine, quia peccavi tibi et mandatis tuis non obedivi. Ergo non est spes mihi ex operibus

C bonis, sed spes mea tu es, tua miseratione confido salvari. »

CAPUT III.

Erat sabbatum. Cum igitur nocte secuta sacerdos quieti concessisset, jucundo per visum de futuris est commonitus oraculo. Nam sanctis mentibus divini nonnunquam se præostendunt arcani beneficia. Hymnis proinde dictis matutinalibus diacono hæc retulit: « Somnium, frater, vidi, quod perturbat me, quia nequeo illud discernere. Videbar mihi sancto astitisse altari et divina celebrare mysteria, columbaque nigra et multis involuta sordibus a sinistro exsurgens altaris cornu circumvolitabat me, cujus ferre non possem fetoris ac sorditiæ hor-

D rorem. Quam abigere dum vellem, importuna insistebat, donec finissem catechumenorum orationem. Cum clamasset vero diaconus : *Procedite, catechumeni*, nusquam comparuit. Verum post missarum expletionem, dum dimisissem ecclesiam, egrediente me sacrario, iterum circumvolitabat me. Quam ego manu apprehensam in aquæ concham dejeci, quæ erat penes atrium ecclesiæ, et penitus omni exuta deformitatis squalore, et in miræ florem novitatis transformata, nive candidior ascendit de lavacro,

concussisque alis in altum ferebatur, donec intuentis ab oculis sublata est. »

Itaque in crastinum episcopi ad majorem processere ecclesiam, salutatoque civitatis episcopo missarum celebravere Canonem. Post evangelicam lectionem antistes Antiochenus laudabili Nonno porrigens Evangelii codicem ad populum facere sermonem hortatus est. Qui ambone ascenso de regno Dei et sanctorum gloria, de locis pœnarum atque perditorum miseria peroravit, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in virtute spiritus ac simplicitate veritatis, utpote cujus aperuerat os Dominus, quem repleverat spiritu sapientiæ et intellectus; compunctaque sunt audientium corda, fundebantur lacrymæ, dabantur gemitus.

Intererat famosa peccatrix illa, cujus supra memini, quæ miserentis Dei tracta et adducta instinctu, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, ad pœnitentiam compuncta est, fletusque edebat amarissimos. Quo enim plus peccatum prius delectaverit, eo plus pœnitentis animum postea mœror excoquit. Defæcatum vero jam hominem lætitiæ quoddam serenum reficit. Bona enim conscientia nihil placidius, nihil tutius, nihil festivius est. Aliqua interseram quæ, ut credo, superflua non sint.

CAPUT IV

Frater familiaris mihi referre solitus erat, quod dum adolescentulus esset, ethnicorum sedulo libris intenderet, ac suæ negligens animæ minus curaret C divinos. Nocte igitur quadam per soporem sibi videbatur quod dies universalis instaret judicii. Veniebat in nubibus cœli ad judicandum Filius hominis cum potestate magna et majestate, ardente ac tremente horribiliter mundo. Recedebant subito e monumentis mortuorum rediviva corpora. Justi candore floridi rapiebantur obviam Christo in aera: injusti nigredine horridi fugiebant a facie illius nil acerbius reputantes quam videre eum, quem peccatis exacerbavissent. Sed hos sæva rapiens vertigo, simulque fulminum jactus impellentes cum malignis spiritibus in chaos provolvebant tartareum.

Prædictus frater parum fidens conscientiæ latebram sibi quærebat, dum latere tamen non posset, D A recolens illud Evangelii: *Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos; et collibus: Operite nos* (*Luc.* XXIII). Et illud Apocalysis (VI): *Et dicent montibus et petris: Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni, quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, et quis poterit stare?* Expergefactus tandem inedicibili se modo velut arboris folium tremore agitatum in lectulo testabatur. Denique subjiciebat, quod item in visu noctis aliquando aspexerit Dei ac virginis Unicum in cruce pendere vivum, qui severo se vultu respectaret. Luce speciosus forma præ filiis hominum vernabat inæstimabili, de quo radius procedens cor ejusdem fratris penetrabat, et mordaciore quodam afficiebat B sensu. Lux etenim, quæ solet lenissima esse ac desiderabilis bene conscio, asperrima sentitur ac formidabilis male conscio.

Indicabat etiam, quid similiter una sibi noctium contigerit. Post laudes matutinas fratrum conventus in crypta sanctæ Dei Genitricis psalmos ex more pro fidelibus defunctis canebat, dum ab aliis seorsum sedens atque obdormiens spiritum repente suum a corpore advertit egressum. Videbat enim et audiebat psallentes, sed magis vocibus intendebat strepentium foris dæmonum, qui ad judicis eum tribunal rapere concurrerant. Cum ergo angustiæ illi essent undique: nam hinc conscientia, illinc dæmones arguebant, toto cœpit affectu sanctam Genitricem Christi et beatum Laurentium martyrem invocare. Nec mora, sensit se in corpus relabi, sed sensim atque indulgentia quadam, ne scilicet membrorum crates fragilis impetu relabentis eliderentur.

In se vero reversus horrende stupebat, dum anima corpusque mirabili adhuc glutino reconciliarentur. Nutante igitur vestigio vix ad lectulum reversus est. Solabar quo poteram affectu ac sermone hæc aliave plura cum lacrymis et trepidatione memorantem. Siquidem divina illum dicebam clementia corripi nec esse phantasmata, imo salutis commonitoria videre interdum ea per speculum et in ænigmate, quæ procul dubio futura sunt in re. Est enim salubre somnium, quod animæ faciat profectum. Jam quæ intermiseram, altero explicabuntur libro.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Cum didicisset Pelagia, quoniam Nonnus episcopus in basilica Beati maneret Juliani, per duos pueros tabellum misit continentem hæc: Discipulo Christi discipula diaboli: *Audivi, Domine mi, quod Deus tuus de cœlo ad terram descenderit non propter justos, sed ut peccatores salvaret, et in quem prospicere desiderant angeli, inter homines visus sit, cum publicanis ac peccatoribus conversatus sit, dignatione illis mira se exhibuerit colloquendo atque convescendo. Et tu, domine meus, multam habes sanctitatem, carnalibus licet oculis ipsum Dominum non videris, qui se meretrici Samaritanæ ad puteum manifestavit, quemadmodum a Christianis didici. Si ergo tam benigni discipulus es magistri, ne me despi-*

cias miseram atque peccatricem, sed obsecro illi A *per te merear assignari.*

Rescripsit vero episcopus : *Deus non irridetur, o mulier! quidquid intendis vel cogitas, ei manifestum est. Humilitatem meam ne tentaveris : homo enim peccator sum minimus servorum Christi. Quod si tuæ salutis desiderium habes, et me videre vis, veni, et coram coepiscopis meis me videbis : aliter videre non poteris.*

Lecto mulier indiculo cursim ad basilicam venit sic ad regenerationis desiderans lavacrum, quemadmodum cervus ad fontes aquarum. Nam optabilis ægroto sanitas est : pectus compunctum veraciter ad curam tendit celeriter. Nuntiatum est Nonno episcopo, qui et cæteros episcopos evocavit : sanctoque oblatą mulier conventui procidit ad pedes B episcopi, pœnitentiamque agens dicebat cum lacrymis : « Obsecro, mi sancte, imitare Christum Dominum et movearis in me visceribus pietatis ac misericordiæ, faciasque Christianam. Ego enim sum, Domine, pelagus peccatorum, ego cœnum immunditiæ : supplico in Christo purificari. » Cui dum vix persuasisset episcopus ut surgeret, ait : « Sacris est, filia, sancitum canonibus, meretricem non debere baptizari, nisi fidejussore dato spoponderit, non se malis denuo prioribus involvendam. » Ad quod iterum illa sese in terram dedit, pedesque stringens sacerdotis complexabatur, atque exemplo peccatricis evangelicæ rigabat lacrymis, tergebat capillis, figebat oscula, multo cum super salute sua obtestans C gemitu.

CAPUT II.

Moti sunt omnes tanta satisfactione, collacrymantesque pœnitudinem se tanti affectus nunquam vidisse testabantur. Miserunt itaque ad episcopum civitatis, et causam insinuantes, unam petierunt e diaconissis exhiberi.

Qui gavisus in Domino, misit Romanam diaconissarum primam Nonno sic remandans episcopo : « Bene, Pater honorabilis, te exspectabant opera ista. Scimus quod os Dei es dicentis : *Si ejeceris pretiosum ab indigno, tanquam os meum eris.* » Veniens ergo Romana invenit mulierem sacerdotis adhuc vestigiis inhærentem, monuitque dicens : « Surge, filia, ut exorcizeris. » Quæ dum surrexisset, D dixit episcopus : « Confitere peccata tua. » Et illa : « Si, inquit, sancte conscientiam cordis mei inspexero, non inveniam vel momentum in me boni operis. Peccata vero mea sunt infinita, nec facile scitur per numerum, quod sine modo sit cumulatum. Miseratione autem Dei indulgentiam confido adipisci. »

Tum nomen edicere suum jussa : « Pelagia quidem, ait, a parentibus dicta sum; verum ob insignia ornamentorum, quibus circa ministerium ornabar diaboli, Margaritam cives denominant Antiocheni. » Dixit episcopus : « Pelagia vocaris? — Etiam, » inquit. Tunc catechizavit eam et baptizavit, crucisque muniens signaculo Christi corpore participavit. Facta est autem illi Romana mater spiritualis. Sic profecto juxta visum viri sancti columba nigra, et multis involuta sordibus in lavacro æterni candificata fontis est, pulchraque reviruit juventute, sicut renovatur juventus aquilæ.

Deo itaque senior gratificans dixit diacono suo : « Diem agamus festum, frater, cum angelis Dei pro salute puellæ hujus, ac præter consuetudinem vinum sumamus et oleum, quia invenit Deus drachmam suam, quam perdiderat, et reportavit ad gregem ovem, quæ perierat. Quibus lætantibus ac reficientibus, exaudiebantur in aere voces quasi aliquorum violentiam patientium. Princeps ergo perditionis hæc in sanctum convicia jaculabatur : « Quidnam mecum decrepitus iste? Mea tollit, mea diripit! Jam impostoris non sustineo contumaciam. Non sufficiebat illi, quod xxv Saracenorum millia cunctosque Heliopolitas meo subduxerit regno, quod frequentes fecerit rapinas, sed magnum insuper spei meæ nunc tulit emolumentum. O senem injuriosum! » Puellam denique his redarguebat questibus : « Eia, domina Pelagia, quid fecisti? Tu meum Judam imitaris. Ille gradu et honore provectus apostolico tradidit Dominum et Magistrum suum, sic tu quoque mihi fecisti. »

Dum horribili itaque latraret ejulatu, vir sanctus puellam commonefaciebat attentius. Quæ crucis imprimens sibi signaculum nomenque Domini invocans exsufflavit in dæmonem, et sicut deficit fumus, sic defecerunt phantasmata ejus. Nec quievit deceptor animarum. Denuo quippe instauravit tentationem. Tertia dehinc nocte ancilla Dei cum Romana in cubiculo quiescebat. Adfuit, dormientem pulsavit, compellansque : « Quid tibi, inquit, domina Pelagia, feci? In quo contristavi, ut me dimitteres? Nonne meis opibus ditata es? Nonne auro atque argento, gemmis atque ornamentis te insignivi pretiosis? Ostende, in quo læserim, quatenus satisfaciam tibi, tantum ne opprobrio me facias Christianis. »

Tum illa signo crucis hostem repulit, ita increpans : « Christus omnipotens qui de tuis me cassibus eripuit, et ad sui agnitionem nominis vocare dignatus est, ipse tibi resistat pro me. » Ad hæc dæmon malignum infrendens evanuit.

CAPUT III.

Agnovi certe virginem, quæ virtutum lampade illustris, oleo charitatis, quod conscientiæ retinebat mundo vase, prædita, supernis se nuptiis exhibere dignam satageret. Os actioni modestum consonabat, falsiloquium vitabat omnimodis. Ea mihi fatebatur, sicuti sanctæ simplicitati familiare est quædam interdum ex suis retegere secretis, dæmones se aliquoties et videre et audire objurgantes, quod immissis temere suggestionibus vel tentamentis resisteret. Nec fabulor adulatoris labio : quippe jam emenso illa stadio laborum justitiæ accepit bravium : beata vivendi principia beatiore conclusit fine.

Vidi et fratrem probabilis vitæ, qui tumentia

livcentibus plagis interdum mihi membra ostenderet, a dæmonibus in se visibiliter quoque grassantibus, adeo contusa, ut ore sanguinem ejectaret.

Vacabat igitur Pelagia die ac nocte spiritualibus studiis priorem ignorantiam confitens cum lacrymis, et spiritu forti frenabat carnis lenocinia. Conversio est enim illa beata, quæ post pœnitentiam non admittit pœnitenda. Adhærebat pedibus Nonni episcopi, accipiens de doctrina sapientis, nimirum reginæ conferenda illi, quæ a finibus terræ sapientiam venit audire Salomonis. Illa regem observavit inclytum : ista Christum, vel Christi discipulum, quæ jam nihil ducens pretiosum præter salutis æternæ appetitum omnia relinquere festinabat et Christum sequi.

Denique descriptis omnibus, quæ habebat, substantia scilicet satis locuplete, posuit ante pedes viri apostolici, obsecrans ut per eum in Christi pauperes dispensaretur. Qui Ecclesiæ omnia œconomo tradidit sub anathemate adjurans, ne quid ex his in episcopium, ne quid inferret in ecclesiam, sed totum usibus cederet indigentium. Quod et factum est fideliter, dispersumque est bene quod congregatum fuerat male. Libertavit quoque Pelagia omnes pueros, puellasque suas, singulisque singulos porrigens aureos monebat, ne essent suæ negligentes salutis, verum religione initiarentur Christiana.

CAPUT IV.

Aderat jam dies octava, quando albas haberet deponere. Et de nocte surgens vestes sacras exuit, tunicaque tricina et byrrho induta Nonni episcopi latenter urbe discessit, Jerosolymam se contulit adorare ad sepulcrum Domini, necnon loca venerari sancta.

Inde in monte Oliveti exstructa sibi mansiuncula ingressa est Christi columba, ubi libera sæculi fluctibus vacabat et videbat, quoniam suavis est Dominus. Vigiliis frangebat corpus atque jejuniis, nunquam os ejus a precibus, oculi nunquam cessabant a lacrymis. Æstuabat enim ac pene deficiebat anima illius ad amplexus et mystica Sponsi festinans cœlestis oscula. Illuminata quippe Spiritu sancto contemplationis fruebatur speculo, revolvens, quæ esset in regno cœlorum visura, quod vim patitur, quod pœnitentium rapitur violentia.

Nam et secreto a quodam fratre audivi, quia cum pœniteret eum negligentius vixisse luctuque semetipsum assiduo dijudicaret, ne in futuro judicaretur, miram perceperit consolationem. Contemplabatur enim per visum sanctam Trinitatem, cujus et invocationi et laudibus attentissime insistebat in speculo perlucidissimo ultra hominis artificium effigiatam ineffabiliter, de qua vivæ lucis tres radii emicantes illum cellustrabant mirifice. Fructu siquidem vera non caret pœnitentia : sortitur meritum, si caveat peccatum.

Itaque dum Pelagiam lugeret Romana ignorans, quid de spirituali accidisset filia, prohibebat eam episcopus : ne fleveris, inquiens, imo gaudeas,

A quis bene sibi Pelagia providit, optimam cum Maria partem elegit, quæ non auferetur ab ea.»

CAPUT V.

Decurso abhinc triennio unus diaconorum ejus orationis gratia Jerosolymam adire disposuit. Cui senior ait : « Cum, fili, votum reddideris, eunuchum quemdam, Pelagium nomine, qui vitam longo jam tempore solitariam agit, diligenter require ; quia si eum videris, plurimum ædificari ex ipso poteris. » Dicebat autem de Pelagia.

Dum ergo postmodum ad sanctam Resurrectionem adorasset diaconus, requisivit de viro Dei, ac didicit quod in monte maneret Oliveti. Et ascendens humilem eo loci intuitus est cellulam ubi sub passione B tertio Dominus oraverat. Erat brevis in pariete fenestra, per quam advenientibus sancta se exhibebat. Hanc pulsavit diaconus, aperuitque solitaria. Vidensque virum, recognovit. Ipsa vero minime ab illo recognita, quia eam adurentis sol pœnitentiæ decoloraverat, atque virens flos juventutis arefactum ierat. Sed erat profecto meritis jam pulchrior quam membris, anima quam corpore candidior. Oculi quidem defossi indesinentes lacrymas, pallens atque extenuataque facies prætendebat infatigabiles abstinentias. Mentis sobrietatem pudica frons exprimebat. Interpres quippe interioris exterior est homo.

Interpellans itaque humiliter : « Unde, ait, te habemus, benedicte Domini? Cum, inquit, desiderassem sanctorum hæc adire loca, tum maxime C ad sepulcrum Domini adorare libuit, mandatumque dedit senex venerabilis Nonnus, ut ex ipso salutarem te, qui precatur tuis se Domino commendari orationibus. » Accepit hoc illa venerabiliter.

Post colloquium autem pronus adorans gratias egit diaconus ac recessit plurimum ædificatus. Qui regressus Jerusalem circuibat sanctorum habitacula, et de conversatione Pelagii monachi bonus ubique odor spirabat. Igitur tertio post susceptum baptisma anno, felix pœnitens longo Christi desiderio fatigata, multis tentationibus atque inediis probata, jam tandem diu desideratam sentiens sui obitus adesse horam, humi prostrata sed mente et oculis cœlo fixa, spiritum Deo reddidit cum gloria. Hæc D nimirum in ara pœnitentiæ magno cremata compunctionis igne ascendit a deserto sæculi hujus, sicut virgula fumi ex aromatibus. Carpit itaque botrum supernæ dulcedinis, quæ tulerat fasciculum myrrhæ, pondus videlicet mortificationis, margaritaque fulgens assumpta e pulvere mundi locatur in ædificio cœlesti.

Tertio præterea die revisens diaconus tugurium ancillæ Dei, dum neminem interius persentisceret, accessit atque consideravit, et ecce illa solo decumbebat, mortemque nullo sensu, nullo motu prætendebat. Tunc luto fenestram diligenter obsignat, et currens, quia migrasset, urbi nuntiat. Egreditur ad exsequias Patrum honorabilis cœtus cum monachorum psallentiis, et corpus loco effe-

rentes, quo lavaretur, nudaverunt. Videntes vero mulierem et artus exanimes plusquam limpidum nitere speculum, ac mirum spargere odorem, obstupuere, magnificabantque Deum, qui tam mira, tam gloriosa operatur etiam in sexu muliebri. De- A nique ex tota concurrit regione multitudo magna monachorum, virginum, et populi utriusque sexus cum cereis atque lampadibus, sacrumque corpus pretioso delibutum myrrho terræ mandaverunt.

PALMARIUM VIRGINALE

SEU

DE VITA ET PASSIONE SANCTÆ MARIÆ

VIRGINIS CAPPADOCIS

LIBRI DUO

AUCTORE REINERO.

(D. Bern. Pezius *Thesaur. Anecd.* IV, III, 83, ex cod. ms. monasterii S. Laurentii Leod.)

PROLOGUS.

O quam delectabile est atque jucundum divinis B rebus intendere animum! Quod sapit maxime fidelis anima, quæ affectu transfusa in Deum sancti Spiritus meretur attactum. Nobis etiam melle dulcior hæc sententia est, eo magis, quod eam a beato martyre Laurentio dicimus prolatam, cujus equidem dicta velut divini gemmæ oraculi sunt. Frater (6) etenim quidam pueris sive adolescentibus Terentium legebat. Sed scenica lectio plus obesse quam prodesse auditoribus infirmis solet. Interea magister ille infirmatus est, ita ut pene desperaretur. Qui extra se per exstasim factus plura vidit et audivit memorabilia, quæ postea scripto edidit. Beatum quoque Laurentium, quam præmisi sententiam, minaciter sibi objecisse non tacuit, redarguentem, quod ludicris sordidaretur, dum comico uteretur. C Nam censeatur parum religiosus, qui pectus vel linguam occupet nugis turpibus. Divina igitur tractare et honesta saluberrimum est. Augescit scientia, vitatur otium, proficit ad virtutes anima. Nempe quosdam legimus Patrum intexere mattas sive sportellas solitos fuisse, quarum grandes cumulos dum congessissent, quoniam, qui distraheret, non erat, igni supposito cremasse, et alias denuo factitasse ad similem redigendas sortem.

Philosophi quidem spirituales sic argumentati fuerint, otiositatem esse inimicam animæ, quam adeo insectarentur. Verum improbus ego conserendorum ignarus juncorum, neque sportulis idoneus attexendis, scribere saltem aliquid conabor, adolescentiamque artibus assuescere bonis, nec fornacibus, sed codicibus dedere ingeniolum. Itaque *gemino* distinctum *libro opusculum* compositurus sum, cujus sit titulus : *Palmarium virginale.* Etenim sancta Virgo Maria, quo agone certaverit, hoste devicto qualiter palmam adepta sit cœlicam, in eo describetur.

(6) B. Joannes monachus Leod. cujus scriptum supra dedimus.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Virgo Maria, gente Cappadox, Cæsareæ fuit oriunda plebeis quidem, sed Christianis parentibus, quæ ab infantia divinis legibus imbuta in odore unguentorum Christi cucurrit indefessa. Illi se, suamque virginitatem vovit, et juxta Apostolum cogitabat, quæ Domini sunt, ut esset sancta corpore ac spiritu. Erat autem ancilla nobilis cujusdam Tertulli nomine

cujus et deserviebat obsequiis. Sed nobilitatem carnis nobilitate mentis, divitias paupertate præcellebat. Pluris est enim virtutibus pollere quam opibus: animæ quam corporis potior est claritudo.

Igitur Natalem filii celebrante Tertullo epulis variisque hostias simulacris immolante, consuetum hæc tenebat jejunium, conservamque suam, quæ obsequia secum præstabat, ne proderetur, dissimulatione fallebat. Qua diu tamen insidiante latere non potuit. Evocatur ergo a domina, cur abstineat, quid habeat mœroris, disquiritur, jubetur, cibum capiat. Cum Christianam se illa diceret, ac semper observasse jejunia, renueretque obtemperare, tum vero domina furens gravia illi verbera, ipsam insuper mortis pœnam intentare. Atque dum cogit hæc, illa reluctatur, ecce a foris Tertullus ingreditur. Qui cognita causa flagellari ancillam jubet, graviterque afflictam custodiæ subigit, constituens illi modicum et vilem cibum, quo non satiaretur fames, imo deficiens quotidie ad inediam anima servaretur. Verum devota Christo frangi mens non potuit, quin etiam jugibus incumbebat orationibus, et erant illi lacrymæ suæ panes die ac nocte.

CAPUT II.

Aderat dies jam tricesimus, vinculis gaudebat et tribulationibus illud reputans: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* XXIV). Proponebat sibi sanctarum gloriosos agones atque palmas virginum, quæ sexu fragiles, sed sensu fortes mundum triumphassent, et ad sidereos Sponsi thalamos liliorum ac rosarum conspicuæ coronis, quas distinguebat vel pudor servatus, vel cruor exspersus, ascendissent.

Nuntiatum interea præsidi est Tertullum principalem illius civitatis contra principum decreta Christianæ in domo sua religionis celare ancillam. Ad tribunal Tertullus statim perducitur, ac primoribus advocatis, assistente etiam vulgi corona, præside jubente, sic ex charta recitatum est: « Adrianus atque Antonius pii, felices, augusti, omnibus nostro jure viventibus. Evenit ad nos vanitas religionis a quibusdam nuper inventa; esse enim perhibentur nonnulli, quibus nec sacrificia cordi sint, nec cultus, quo utimur, per quos sine dubio, nisi cito pœnæ succurrat formido, oblitteranda antiquitatis credulitas est, venerationque exstinguenda majorum. Damus itaque omnibus populis hanc legem et singulis hæc observanda judicibus edicta proponimus, ut compellantur ad sacrificium singuli, rebelles gladio ultore feriantur. Malumus namque paucos interfici, quam omnes errare, nec vagari ut pecora, sed esse unius sententiæ. Si quis itaque hujus legis aut cultus occultandum aliquem putaverit cujuslibet ætatis aut sexus, ferro ipse exhalet spiritum edictis repugnantem, facultates vero illius fisco inferantur. Delator autem tanti criminis ex ærario publico quadringentorum donatione denariorum gratuletur, quatenus agnoscant universi, nec peccatum perire, nec præmium. »

Lecta imperiali pagina: « Quidnam, præses ait, o cives facturi sumus? Num contraire dominorum possumus sententiæ? » Ad quem curiæ principes: « Humanius nos, inquiunt, audire digneris, precamur. » Tunc quæ dicerentur, adnotare præses imperat.

CAPUT III.

Surrexit itaque Nithagoras scholasticus, atque ut erat inaurati eloquentia oris, omnium suscepta in se persona sic elocutus est: « Egregie princeps nostræ civitatis ac populi decus, benigne nos audias, oramus pro vestræ mansuetudinis et æquitatis gloria. Vir iste multis functionibus publicis, nataliumque prærogativa ornatus, magnum curiæ præstat nostræ auxilium. Fuit Augustorum pontifex, urbis insuper munerarius. Tum legationibus plurimis pro publica utilitate susceptis tantum sibi gloriæ, quantum amoris ascivit. Ejus denique summis largitionibus aucta res publica est. Infinitum pecuniæ modum in diversis fabricis et balnearum expendit calefactionibus. Sunt et alia majora, quæ per longum sit enumerare. Nam primum ætatis tempus, in quo lubrica vita, rudesque anni calore juvenili flammantur, divinæ obtemperans religioni evicit, et modestiæ freno naturæ jura ipsius cohibuit.

« At cum ævo gravior maturioris esse cœpit consilii, satisfecisse divinis se præceptis credens aliquid populo quod placeret, invenit. Munera igitur anni auspicantis exsolvit, et spectacula propriis viribus sumptuosa comparans communem totius populi satiavit aspectum, dum plurima intulerit agonum insignia nostræ civitati. Æmulas etiam prælii voluptates gladiatorum inter se dimicantium civibus non negavit. Necessitates proprias et in rem venientia familiarem lucra patriæ semper credidit postponenda. Placuit itaque diis sacerdotio, muneribus civitati. Quin etiam, quod est maximum, vinci ætatem, juvenis sacerdos edocuit, ostenditque non repudiandam in gravioribus annis voluptatem. »

CAPUT IV.

Dum perorasset, advocatus præses dixit: « Quid præteritarum splendores actionum adeo commendas, et quod intenditur crimen, non refellis? Culpam videtur agnoscere, qui dissimulat excusare. » At ille: « Nec puella, inquit, cujus pro scelere dominus astat judicio, sicut dotalia testantur instrumenta, ab uxore donata est. » Præses ait: « Tertulli uxor ingenua est? » Respondit: « Ingenua, imo et nobilitatis eximiæ. Namque pater ejus vir florentissimus Clernidis. » Præses dixit: « Comparata est hæc ancilla, an vernaculi educatione suscepta? » Tertullus ait: « Nata quidem domi videtur, sed parentes ad nos ejus ex comparatione venerunt. » Cui præses: « Socer tuus, o princeps, incolumis est, anne jam fati munus implevit? » — De medio, inquit, jam factus est. » Præses dixit: « Istius contumacis puellæ parentes supersunt? — « Sed jam, ait, concessere superis. » Præses dixit « Hujus erant perditæ religionis deorumne cul-

tores? — « Eadem, inquit, amentia tenebantur A crucifixum colentes. »

Adjecit iterum advocatus : « Equidem scias, optime præses, cum ista diutius puella certatum, quatenus errore potuisset liberari. Verum neque mulceri, neque flecti unquam potuit. In tantum suppliciis, terroribusque pectus contumaciam agreste concepit. Sed æquitati certe detrahitur, si probitas dominorum pro improbitate plectatur servorum. Bonos adjudicari propter malos crudele est. Culpæ reus culpam luat. »

Tunc diutina præses habita deliberatione hanc protulit tandem sententiam : « Tertullus ore publico laudatus, cui honor pro meritis rependendus est, seu pro natalibus editor optimus, senator insignis, imperatori pariter devotus ac numinibus, qui et legibus satisfecit et cultibus, cujus imagines totam sæpius per urbem etiam ipse aspexi, liber abscedat. Nullum calumniatorem, nullum judicem metuat. Dum auribus hæc omnia securis intimentur, scelestissimam mihi hanc puellam offerri jubeo in publicum, ut habeat et culpa supplicium, et populus exemplum. »

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Igitur tradita virgo carnificibus sicut ovis in medio exponitur luporum. Trahitur, injuriatur, judici sistitur. Quæ quidem oculos habebat in judicem, sed mente in cœlo fixa Christo se commendabat, Christum precabatur. Clamare interea populus, tollendam hujusmodi de terra debere, sævis talem perire incendiis. Ac virgo manebat intrepida, quando perfecta in Christum charitas omnem ab ea foras misisset timorem. Itaque, oculis ad cœlum elevatis, Christi nomen constantius invocabat. Super quo præses obstupuit, ac per integram fere horam miraculo spectantibus fuit tanta puellæ constantia.

Tum, quæ vocaretur, præses interrogat. Respondit Maria : « Cur de nomine requiris, de lege nihil dicis? Illa esse percunctandi debet ratio, quæ vocatur ad crimen. Neque enim natura mihi nomen posuit, sed cultus. Secura itaque interrogationi tuæ ante respondeo, me Christianam esse. » Præses igitur : « Dominus te tuus hic operitur, qui aut præmium conferat resipiscenti, aut supplicium inferat repugnanti. Elige quid sequaris. » Respondit Maria : « Corpori quidem meo ille dominatur non animæ. » Præses dixit : « Cur religionem domini, ancilla cum sis, non sequeris? » Respondit Maria : « Quoniam ab infantia Christo dicata sum, et ab ipso intellectu et ratione donata, simulacra vana atque insensata respuo, cultum ei tantum exhibens, qui fecit omnia, non eis, qui ab hominibus facti probantur. »

Præses dixit : « Ex qua successione hæc a te vanitas pervenit? » Respondit Maria : « Ex majoribus informata sic teneo. Nam religiosi parentes religiosos quam divites habere filios exoptant. » Præses dixit : « Parentes etiam tui hujus fuere sectæ? » Respondit Maria : « Semper in hac manserunt sacratissima religione. » Præses dixit : « Ante Deucalionemne istam suscepistis religionem? quin imo sacrifica, ut et te et dominum tuum culpa exuas. » Respondit Maria : « Quæ enim comparatio hominis ad Deum, ut non merito plus homine timeri B Deus debeat, cujus nutu nosque omniaque pariter reguntur elementa? quaslibet ergo perferam cruces, quibus afficiar, suppliciorum acerbitatibus : æquanimiter omnia sustineo pro amore Jesu Christi Domini, qui et hic præstabit auxilium et in futuro reddet præmium. Ne enim quævis angustia vel persecutio, fames vel nuditas, gladius aut periculum aliquod sive tribulatio nos ab ejus separet charitate, per Apostolum sanctum præmonuit, ut quæ promisit, adipisci palmaria mereamur. Hinc robur est illud invictum, hinc inextricabilis animus, et dolorum acerbitate mens ipsa sublimior, quod et prædicta sunt nobis ea, quæ patimur, et majora sunt præmia quam dolores. Dum nihil itaque sit quod a C Christo separare nos debeat, testor illum, quem diligo, quem desidero, ad quem suspiro, me in ejus duraturam confessione, et malle mori quam vinci. Terrena enim relinquere, et cœlestia festino assequi. »

CAPUT II.

Præses dixit : « Sacrifica, et quæ tibi imminent, evadere tormenta, festina. » Respondit Maria : « Tormenta, quæ minaris, transitoria sunt : illud obsecro, ut quod intentas, non tardes perficere. Dominus mihi adjutor est, non timebo, quid faciat mihi homo. » Indignatus præses suppliciis eam, jubet applicari. Quæ tantam populi miserationem adepta est, ut a circumstantibus lacrymæ funderentur, magnisque illi clamoribus veniam postula-D rent. Verum accelerari pœnam urgebat præsidis insania.

Rursum populus in clamorem excitatus judicem arguebat sævitiæ; vociferatio namque una totius erat coronæ, lacerari virginem crudelitate judicis non ultione peccati : contra leges agi omnia, nec æquitatis jura servari. Stupens proinde præses, adductusque clamoribus, quippe qui præ tumultu vocum ipsa etiam putaret tecta ruere, relaxari virginem præcepit. Unde cum populo satisfactum crederet, jam securior : « Quæ vos, inquit, o cives, arrepsit insania? quid vociferamini? quid instatis? quid

strepitis? an ut imperatorum præcepta violentur et sint impunita scelera? » Et acclamatum est; sed nemo legibus sacris manus æstimaverit objectandas. Sanxit dominorum majestas vel sacrificare singulos, vel capitali subjacere sententiæ; non sacrificat hæc puella; pœnam, quæ decreto continetur, excipiat. Quidnam diversis cruciatibus, quidnam dolorum generibus exquisitis perurgetur? Interficere jussus es, non lacerando consumere; hominem, non bestiam judex se rationalis debet agnoscere.

Dum ergo tridui postularent inducias virgini, si forte ab intentione potuisset revocari, præses annuens: « Do, ait, quod petitis, spatium. Vos blanditiis agite, quod terroribus ego non potui. » Ait vero ad puellam: « Si petitas acceperis inducias, sacrificare consentias. » At illa: « Quod optimum, inquit, est teneo, neque inducias, neque humanam requiro indulgentiam. » Præses dixit: « Do tamen spatium. Si te in hac deinceps invenero contumaci professione, acerba feriam suppliciorum animadversione. » Quæ ait: « Imo te plurimum obtestor, optime præses, si qua meæ cura utilitatis te movet, ut Tertullum dominum meum ab hac immunem culpa habeas, tuaque auctoritate absolvas judicio, quia in professione ista nihil certe operatus est. » Præses dixit: « Jam liber, jam absolutus est. Tu porro si ad deos meliori te consilio transtuleris, et digne remuneraberis, et libertate donaberis. » Respondit Maria: « Libertatem a Christo jam merui, ut domitis vitiis et falsitate calcata studeam virtutibus, ac testificer veritati. Tu quæ promittis, vana et caduca sunt. *Quid autem prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum faciat* (*Luc.* IX). »

CAPUT III.

Virgo itaque absoluta libera tenebatur sub custodia, quæ forte cum oraret, et oculos in cœlum extulisset, atque illum decantaret Psalmi versiculum: *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi* (*Psal.* CXX), sitiretque anima ejus ad Deum fontem vivum, subito corde dilatato, illuminatisque hominis sensibus interioris, vidit gloriam majestatis in excelsis, et sanctorum choros suis distinctos ordinibus in voce exsultationis et confessionis concinere laudem sanctæ Trinitati. Quapropter tanto exhilarata est gaudio, ut jam paradisi se æstimaret amœnitatibus intromissam. Pia siquidem in Deum anima non potest interdum non videre, quod amat, fortique exigit charitate, quod desiderat, cum dantur in præsenti etiam sæculo humilibus atque afflictis futuræ remunerationis quædam primitiæ.

Nam et quidam frater, qui assiduo contemplationi divinæ inhæreret, mihi aliquando narravit, quod, dum orationibus et multo luctu pro suis esset peccatis quodam diluculo afflictus, repente in superna sit raptus per spiritum. Videbat sanctam Trinitatem habitudine prorsus admiranda. Antiquus ille dierum, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis niveo capite, vultu rutilante super

A thronum sedebat sapphirinum, sinuque tenebat suæ deitatis et gloriæ illum consubstantialem Unigenitum, qui *factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philip.* II). Quem etiam fratri prætendebat in cruce pendentem veluti admonendo, quali quantoque pro peccatoribus non pepercisset. Quo affectu, o anima, quibus explicem verbis, o lingua, quomodo paternis illum astringeret atque amplecteretur ulnis? Spiritus quoque sanctus in specie visebatur columbæ incomprehensibiliter, ineffabiliter a Patre procedens et Filio. Quin et titulus candidis erat litteris tantæ majestati superscriptus: *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob* (*Matth.* XXII). In quam scilicet, dum prædictus frater desiderantissime aspiceret, occurrebat cogi-

B tationi, quanta animæ vivacitas, quanta carnis esset humanæ fragilitas. Audivitque unum protinus e sanctis respondentem: *Ipse fecit nos et non ipsi nos* (*Psal.* XCIX).

Dein cum cœpisset deorsum intendere, animadvertit terram inferius jacentem ad ætheræ immensitatis comparationem quasi breve ac rotundum fornacis corpus, quod undique oceanus allueret. Quocirca jam sibi videbatur perspicuum, quod beatus Benedictus corde in Deum dilatatus omnem ante se adductum, et velut sub uno solis radio collectum vidisse mundum, legitur. In se autem reversus de quo lumine in quod obscurum, de qua felicitate in quam recedisset calamitatem, mœrendo revolvebat.

C Erit forsitan qui hæc fastidiat, qui hæc vilipendat, qui objiciat: *Multos errare fecerunt somnia* (*Eccli.* XXXIV). Verum ego erronea non duco, quæ plus afferant profectus quam defectus. Quæ ad virtutem incitat, salubris visio est. Spiritum pietatis compunctio; spiritum vanitatis comitatur confusio.

CAPUT IV.

Parabat igitur virgo sancta evadere de medio nationis perversæ, et velut columba innocens effugere de laqueo aucupum. Opportunitatem provido nacta fugam iniit. Pœnarum forsitan atrocitatem reformidaverat. Humanum hoc fuit, dum et Salvator iturus ad passionem, *cœpit pavere et tædere* (*Marc.* XIV), *et factus sit sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram* (*Luc.* XXII). Sed fidelem sponsæ

D agonem jam coronare Sponsus cœlestis disponebat.

Dum enim a persecutoribus se insequi sensisset, tota ad ipsum mente convertitur, et ut in pace jamjam mereatur suscipi, exorat cum lacrymis. Profecto mirandæ novitatis miraculum! Verum si auctorem attenderis, non videbitur res incredibilis, quia non est impossibile apud Deum omne verbum. Grande saxum, quod obvium jacebat, sese scindens medium, virginem sinu quasi materno excepit, iterumque adductis in solidum partibus corpus jam exanime sepulcri vice in se recondidit. Magnificavit ergo Dominus facere cum virgine sua salutare tam insolitum, ac ne malitia mutaret intellectum ejus, aut fictio deciperet animam illius, properavit illam educere de medio iniquitatum, quoniam gratia

et misericordia est in sanctos ejus et respectus in A electos illius.

At carnifices tanquam canes rabidi locum indagine claudentes, scrutabantur, sicubi præda tam subito sibi prærepta latitaret. Deprehenderuntque in silice extremas virginei amictus oras. Super quo incredibili stupore attoniti rem præsidi gestam intimarunt. Sed mali unde fieri deberent meliores, fiunt inde nonnunquam deteriores. Judex ergo impius partim ira, partim admiratione permotus, jussit Philocomo principali Neochorénsium civitatis, ut multitudine collecta idem saxum festinus dirutum procederet. Statim præconis voce populus congregatur.

Jam ventum ad locum fuerat, et rem perficere B laborabant, cum repente coruscatio splendoris magna emicuit, atque horrisono tonitru erumpente, ut ipsam pene machinam crederes cœli decidisse, terra concussa est, nutantiaque corruere omnium vestigia. Et ecce duo cœlestis militiæ equites cursu velocissimo per viam orientis a supernis descendentes occurrere ad spectaculum, quorum equi nive candidiores, ornatus omnis esset aureus, sidereis ipsi rutilarent fulgoribus. Quos simul atque viderunt qui aderant, tanto timore quadam vi divina perculsi sunt, quod fugiente sensu atque anima eorum in mortem oculi clauderentur.

At vero qui evasissent, ad profana idolorum limina confugientes dum sacrilega ambirent altaria, interiere. Suffragia quippe nequicquam ex illis sperantur, qui sibimet suffragari nequeant. Philocomus etiam ante ipsam ædis januam spiritum fudit. Egressus denique ignis a Domino devoravit populum simul et ædem. Periit itaque ministra crudelitatis multitudo; quantoque illic plura habuere numina, tanto ad ignis augmentum majora incendii suggesta sunt fomenta. Peccatis igitur suis imputent, quod incensi; deorum numero, quod diutius concremati. Summa eorum, qui tam repentino casu quam incendio absumpti sunt, duo millia septingenti. Quibus vero evasisse contigit, in civitatem tremebundi refugerunt, et magnis ubique conclamabant vocibus, magnum esse Deum Mariæ, solum esse Deum Christianorum, et justa ejus esse judicia.

Quoniam ergo aliorum perditio aliorum parit plerumque salutem, multi pœnitentiam pristini agentes erroris, contulerunt se ad veritatem fidei, appositaque sunt ad Deum circiter tria millia hominum. Crescebat autem credentium multitudo, quia post persecutionis procellam pax Ecclesiis data est, dum, imperante Jesu ventis et mari, facta esset tranquillitas.

REINERI MONACHI
FLOS EREMI
SEU
DE VITA S. TIEBALDI MONACHI ET EREMITÆ
LIBRI DUO.

(D. Bern. Pezius *Thes. Anecd.* IV, III, 95, ex eod. ms. monasterii S. Laurentii.)

PROLOGUS.

Ad gloriam Dei profectumque legentium et au- C dientium virtutes recensentur atque opera sanctorum, quatenus in eis cognoscatur et laudetur gratiarum dator mirabilis, ac præclaræ exemplo virtutis fecundæ mentes germina bonæ proferant actionis. Typico apud historiam facto, qua scribitur Jacob sanctus virgas populeas virides et amygdalinas, et ex platanis, et ex parte decorticasse, detractisque corticibus in eis, quæ spoliata fuerant, candor apparuit; illa vero, quæ integra erant, viridia permanserunt : posuitque ea in canalibus, ubi aqua effundebatur, ut, cum venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas oves, et in conspectu earum conciperent.

Eo nimirum modo in Ecclesia, ubi viventes fluunt aquæ cœlestis doctrinæ, quibus greges potantur fidelium, positæ sunt virgæ virides, virgæ candidæ, sancti videlicet viri, quibus et fidei viror, et vitæ rectitudo, candorque boni inest operis, quorum in aspectu, quorum documento atque exemplis oves, id

est simplices, juxta Prophetam concipiant, et quasi A pariant et parturiant, atque spiritum salutis faciant in terra, gratuleturque Sponsus et dicat: *Omnes gemellis fetibus, et sterilis non est inter eas* (*Cant.* IV).

Sum quidem imperitus tam sermone quam scientia, utpote qui cum Esau per lustra ferarum venando non discurrerim, qui per auditoria discendo non sim vagatus philosophorum; quin potius cum Jacob simplice penes matrem Rebeccam in tabernaculo semper resederim, regulare jugiter in Ecclesia otium observaverim. Æterni tamen Patris sapientiæ ac Verbo, quod ex ore infantium et lactentium perfecit laudem, confido.

Igitur laudabilem monachum indignus licet laudabo monachus, opusculumque duobus conficiam libris, cui præpingatur talis titulus: *Flos eremi.* Qua enim vita, quibus floruerit virtutibus eremita et monachus Tiebaldus, in eo expediam, atque ut primi tenellæ adhuc ætatis vel pueritiæ flores in hunc coalescant fructum, enitar. Nam salubre est studiis pectus excolere honestis. Otiositas quippe frutices alit vitiorum, quos ut præcaverim, studere juvat, quo veste nigra tanquam nigris hædorum togatus pelliculis de illa quidpiam assequar benedictione, quam tulit frater lenis a fratre piloso.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Apud territorium Senonense Tiebaldus quasi generosæ arboris flos clara progenitus stirpe fuit, penes castrum vero educatus Pruvinum sub Heinrico Romanorum imperatore, et Heinrico atque Philippo ejus filio, Francorum regibus. Parentes illius ab Odone famosissimo Campanorum olim comite duxere genus, illo, qui ob insolentiam circa Barum castrum a militiis oppressus Lotharingorum atque exemptus est.

Ipse inter prima infantiæ rudimenta bonæ protulit spei ex se indicia, ut videri frivolum non debuisset, quod eum mirabilem in vita fore anicula pauper spiritu, dum adhuc utero clauderetur, prædixerat, cum id Tiebaldus quoque prædixerit episcopus Viennensis, avunculus aviæ illius, vir scilicet probatæ sanctitatis, a quo et æquivocum nomen traxit. Formabatur itaque sensim ætate et gratia, ornabatur morum insigni puritate vel modestia. Est enim futuræ virtutis magnum specimen parvuli sincera indoles. Deinde ubi primum juvenilis robur ætatis attigerat, sanctis agebatur studiis, loca visitabat sanctorum, parcimonia et orationibus lubricam frenabat ætatem verborum Domini diligens auditor.

Vitæ porro eremiticæ zelatus potissimum philosophiam, quæ continentia, paupertate, divina floret contemplatione, huic se proposito devovit, clamque parentibus quemdam laudatum eremitam in una Sequanæ fluminis insularum degentem adiit, ac suam aperuit voluntatem. Ille juveni militaturo militis præmonstrans officia, diligenter instruxit de omnibus, commendatumque Christo dimisit a se.

Itaque Tiebaldus, quæ retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ sunt priora extendens seipsum, ad destinatum persequebatur bravium supernæ vocationis, et relictis patre vel matre, fratribus vel mancipiis, amplissimisque prædiis, quidquid denique est mundi, proximo Pascha tanquam militiæ sum- B pturus cingulum, cum tribus sociis milite scilicet quodam sibi familiari et suo et illius armigero venit Remis, hospitatusque in urbe est. Tunc opportunitate se excutiendi de manu Ægyptiæ dominæ, videlicet pompæ sæcularis, reliquit pallium cunctæ supellectilis et fugit. Dimissis namque domi tam equis quam armigeris cum collega fidissimo veluti amicos salutatum exiens, latenter in anteriora discessit. Ubi duos obviam habentes peregrinos optimis, quibus induti erant, vestibus sese spoliant, egenos vestiunt, eorum vilibus et abjectis induuntur ciliciolis. Ita schemate commutato iter faciunt viri misericordes ad locum Ptango (7) vocabulum, qui erat in Teutonicorum regno. Memorabilis pietas! Vestierunt in pauperibus Christum, quo mundi C evaderent nudi naufragium.

CAPUT II.

Prædicto igitur loco diutius remorati in fame et siti, in frigore et nuditate, in jejuniis et vigiliis multis egere vitam. Etenim juxta quod canitur in psalmo: *Manus eorum in cophino servierunt* (*Psal.* LXXX), quia pauperes pro Christo peregrinique facti ob quærenda necessaria vilissimæ se submiserunt servituti, fenum scilicet e pratis secando, lapides portando, jumentorum mundando domicilia, carbones in opera efficiendo fabrilia. Tenui perinde parto ex laboribus stipendio, nudis ad Galliciam exiere pedibus, patrocinia beati requisitum Jacobi.

Invidit diabolus, et eorum obviare profectibus D insurrexit. Neque autem propalam ausum hoc habuit, sed fraudem parat. Nam revertenti ab oratione Tiebaldo in hominis, quam finxisset forma, se opponit, in terra sternitur obliquus, eique lapsum facit. Statim Christum ille inclamat, crucis se armat signaculo. Quod non ferens illusor evanuit. Sed tentationum molestia justis est coronarum materia. Dæmones impugnant, defendit Christus. Præmia majores majora merentur agones.

(7) *Al.* Pitango, Pitindo, Picingo.

Venerat post hæc Treverim cum collega vir beatus, ibique invento patre, admodum tristatus est. Erat siquidem illi adversarius in via Domini, et eum retinere in sæculo nitebatur. Ipse vero tenens inconcussum quod legitur : *Qui amat patrem aut matrem super me, non est me dignus.* (*Matth.* x), patris vel sæculi contemptu adhæsit post Christum. Bajulans igitur crucem suam desiderio adorandi venerabile Jerosolymis sepulcrum, Romam primo, dein Venetiam mare transiturus accessit. Qua intentione fines pervagatus Italiæ in locum devenit, quem (8) Salanicam vetustas dixit, placuitque remorari. Loco siquidem perlustrato reperit saltum late spatiosum, ac veteris ruinas ecclesiæ, et a dominis loci obtenta habitandi licentia, quod mente jam olim concepisset, vivere scilicet solitariam, implere aggreditur, fabricatoque tuguriolo novus eremum illam habitator insedit.

Tum vero quas sibi agonista fortis cruces importavit, evolvere longum est, in jejuniis, in vigiliis, in orationibus, in maceratione carnis. Primo quidem carnibus atque omni pinguedine abstinuit, hordeaceo pane tantum et aqua naturæ quam ventri satisfaciens. Enimvero spiritu ad fortiora invalescente et humana jam supergrediente, ipso pane, omnique sibi potu negato, fructibus tantum sive herbis, herbarumque radicibus aliquot victitavit annos cilicio semper utens. Quippe obsequiis pascebatur homo interior cœlestibus et contemplatione assidua, ut jam minus exterior de cibo cogitaret materiali, totusque in Deo requiescebat, plane ut dicere tantum posset : *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo* (*Cant.* II).

CAPUT III.

Actum igitur est superna dispensante gratia, uti proficientibus meritis a præsule Liudecherio (9), viro spectabili, per gradus ecclesiasticos ad sacerdotium usque in Vincentiana promoveretur Ecclesia, quatenus qui jam carnis erat mortificatione viva Deo factus hostia, vivificum illi et acceptabile sacrificium sacrosancta libaret in ara. Nam libatio probatur gratior, quam conversatio commendat melior. Silentio autem non debet supprimi, unde possit quilibet ædificari.

Audivi secretius a quodam sacerdote, quia dum in celebrationibus missarum mysteria conficeret reverenda, ita interdum quodam vapore ignis afflabatur invisibilis, velut ardenti assisteret camino. Quinetiam ipsum panem vel calicem miro calere modo, dum teneret in manibus, sentiebat, quoniam Deus Dei Verbum ignis vere est, cujus caro panis ille, cujus sanguis vinum illud vere est.

Verum qua et illud affectione memorem, quod viderit aliquando super altare veri Isaac sacramentum in formam pueri pendentis in cruce illique ar ridentis transformatum, cujus tamen gloriosa flore ret canities, ut et in pueritia hominis novitas, et in capitis grandævitate Deitatis signaretur antiquitas?

Nec vero me pietas occultare sinit, quodam illum crepusculo per visum sanctam Trinitatem contemplatum fuisse. Erant duæ personæ habitu et vultu ineffabiliter venerando et capite ultra nivem candido; tertia flore conspicua speciosi atque suavis modestiæ juvenis, indutaque chlamyde coccinea. Quam dum aliæ insinuarent ac dicerent : Amice, agnoscisne Jesum, ille toto in eum affectu intendebat, vestemque agnoscebat, qua idem rex gloriæ et honoris ; rex, inquam, et regis unigenitus in die, qua improperia improperantium ceciderunt super eum, circumdatus fuisset. Ad cujus pedes cum procidere vellet ac deosculari, ipse mira dignatione sanctas ac venerabiles manus suas recentibus etiam tunc plagis sanguineas illi exosculandas porrexit. Ecce liquescit mens, stupescunt sensus; sermo deficit, nec complecti potest oratione, quod circumscribi potest affectione! O quam ineffabilis supernæ suavitas est dulcedinis! Anima defigens osculis illas desiderii collium æternorum plagas, os suum dulcissimo, piissimo intinctum quodammodo sanguine miro et inexplebili gustu persensit.

Neque opinor præterea reticendum, quod prædictus quoque fidelis referebat, se divinam dum legeret paginam, suavi aliquoties caloris aura perflatum, quæ ex eo, quem teneret tunc, libro procedebat. Pium atque serium est hoc. Nam legem Dei scilicet omnem Scripturam per Spiritum sanctum, ignem utique verum, aspiratam et editam Moyses scribit esse igneam ; et David : *Ignitum eloquium tuum vehementer* (*Psal.* CXVIII) ; et Salomon : *Omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se* (*Prov.* XXX). Diligentibus ergo Deum omnia cooperantur in bonum. Qui revera, dum præ dilectionis vehementia incolatum suum prolongari gemitibus lugent inenarrabilibus, præsertim cum militia sit vita hominis super terram, nec securos esse sinant infirmitas carnis, tot hostes, tot vulnera, tot passiones, miseriæ vel casus, uti consolentur et confidant, quia Jesus mundum, divina nonnunquam revelatione visitantur, præsidio animantur.

CAPUT IV.

Itaque Tiebaldus, quo se noscet Deo propinquasse altiori gradu, eo intendebat studiis spiritualibus ; ut si nunc ejus districtam cerneres conversationem, anteactam putares vitam deliciosam fuisse, dum facto etiam multifido flagello seipsum frequentius quam severe ceciderit. Castigabat enim corpus suum, et in servitutem redigebat, ne corpori servire cogeretur.

Quinquennio denique sicuti ejus testabantur familiares, non jacendo sed sedendo summum cepit furto tam laudabili, ut decumbens vestibus se diligenter quasi tota nocte quieturus tegeret, post mi-

(8) *Aliis :* Sallanica, Sallavica et Sallaviga.

(9) *Al.* Liuticherico.

nistri vero discessum ad sacrarum se munia prorideret vigiliarum, totasque exigeret orando tenebras, nimirum in lectulo suo per noctes quærens, quem diligebat anima ejus. Cum vero erat surgendum, lectulo sese redderet, laudem scilicet vitando humanam, Deumque sibi solum conscium exoptando. Fluit namque flos ex arbore, quem flatus carpit Boreæ. Ex jactantiæ vitio bona deflorescit actio. Lectuli ejus dives ambitio arca erat æqualis superficiei, lineumque desuper linteolum, capitale truncus, et laneus pilleolus, quem ab æstu in peregrinatione habuerat defensorem. Sed dum cilicio totum, ut ita dixerim, corpus armasset, pro linteolo cilicium substravit; pro arca quoque supposito sibi lato et dolatili ligno. Sic quotidiana corporis castigatione maceratus, et humiliati spiritus contritione liquefactus dicere veraciter poterat : *Manus meæ distillaverunt myrrham, et digiti mei pleni erant myrrha probatissima* (*Cant.* v). Sic ergo Tiebaldum vidisse philosophantem erat profectus plurimus.

Biennium inde fluxerat, cum socius propositi ejus, quem dixi supra, Walterus nomine, bono fine decessit. Nam bene moritur, qui bene vixerit.

Certe memini ante aliquot annos me lectulo astitisse fratris in mortem agonizantis, qui aliquandiu, dum sine sensu jacuisset, ut obisse crederetur, oculos aperuit, circumspexit amicos, flentes consolatus est, oscula dedit, gloriæ sanctorum se professus est interfuisse. Dehinc orationem, quam fudit propheta in ventre conclusus ceti, magno affectu atque suspiriis sub murmure cœpit. Inter cujus verba exhalans spiritum de corruptione mortis ad incorruptibilem sublevatus est vitam. O quisquis es, in quo angustiatur anima tua pro fluctibus tentationum atque miseriarum, qui super te transeunt, attendas, recogites languentium angustias, morientium agonias, qualiter urgeantur, qualiter sudent, qua expendant amaritudine pomi dulcedinem illius, quod cruentis dentibus primi usurparunt parentes! Revisas sepultorum tumulos, cum non sustineas fetores; horrendis quoque super morticiniis extremiscas, ut nuper lugubre nobis ac miserabile spectaculum prætendit corpus humanum, quod ossibus quidem et nervis adhuc compaginatum, sed carne esset nudatum. Nam multum repugnat vitiis sedulo versare, quid futurus sis. Verum quæ residua sunt, liber jam secundus explicet.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Tiebaldo igitur antiqui non defuere hostis certamina, ut probatior eniteret de constantia. Una enim noctium cum in stratu jaceret, neque tamen dormiret tentator adfuit, impulsuque magno parietem cellulæ quatiens increpitare cœpit Tiebaldum desidiæ nimis servire, qui somno distentus matutinos cantare negligeret, jam surgendum esse. Visum est viro Dei quod frater, qui commanebat, ad matutinam eum synaxim excitasset. Processit, sed neminem invenit : et dum fratris illius pulsasset ad cellulam, postibus seratis, quiescere cognovit. Intellexit ergo dæmonis fuisse illusionem. Tum expresso crucis signaculo inclamatoque Spiritu sancto, spiritum nequam deturbavit, et eum tanquam rusticorum multitudinem silvam securibus cedentium audivit discedere. Bellatorem plane fortem, qui eremitam cum nequivit evincere, ligna saltem eremi se ostentavit posse prosternere!

Aliquando etiam inter quosdam dissidentes pacis legationem sanctus agebat, cum impugnatione fraudulenta eum insidiator appetiit, quatenus læsisset corpore, quem spiritu superare non posset. Dum enim apud castrum Leonicum flumen vocabulo Novum transiret, plaustroque tunc sedebat, quod præ defectione pedes ambulare non valebat, ex vehiculi subito rotis una disparuit, quo vir Dei præcipitatus interiret submergio. Verum custodivit Dominus diligentem se, et humili suo factus est in salutem. Sola siquidem evectus rota transiit illæsus ne tenuiter quidem humectatus. Sanctos quippe irrationalia etiam verentur elementa.

Mille præterea illum nocendi artibus hostis versutus attentavit. Sed contrivit Dominus brachium peccatoris et maligni, semperque gloriosioribus victoriis militem fecit suum gloriosiorem. Quem inter tentamina quoque cœlestibus nonnunquam visionibus recreavit. Nam fervor devotionis multum oleo ignescit divinæ consolationis. Neque existit efficacius adversum tentationes occursusve malos patrocinium quam Spiritu sancti sedula invocatio. Hæc unicus salutis portus, hæc singulare serenum, hæc dulcedo mirabilis est. Quæ cordi dum instillet vivum saporem, interdum gustu etiam mellifluo viget in ore, adeo ut qui hoc meruerit, se refectum subito gaudeat, et vero perflante austro gratæ florem novitatis induat.

CAPUT II.

Referebat mihi gratia ædificationis memorabile quidam frater familiaris. Quodam diluculo sanctum instantissime Spiritum invocarat, cum oratione et lacrymis defessus obdormivit. Spiritu vero grandi et forti tanquam tonitruo ingruente evigilavit. Jacebat apertis quidem oculis, sed se movere penitus nequibat. Post Spiritum autem facta est commotio ita ut lectulum moveri, et se velut arboris agitari solium sentiret. Post commotionem ignis circumfusus est.

Recordabatur interim ille, quod erga prophetam sanctum in spelunca montis Oreb simile quid actum

tit. Post ignem ergo sibilus auræ tenuis audiebatur, et ibi Dominus. Columba siquidem omni floridior candore emicuit, quæ supervolitans, atque indices affectionis dulcissimas emittens voculas in os illapsa est fratris, et usque ad cor penetrans aliquanta supersedit mora. Alis deinde concussis egressa est. O quanta tunc dulcedine, o quanta tunc suavitate cor illud affectum est, dum corpus quoque ipsum lenissimo sudore quasi oleo irroratum maduerit. Habebat plane idem frater Spiritus sancti indesinentem memoriam, miro more totis eum medullis invocans, amplectens, desiderans. Unde et frequenti dignabatur ab illo visitatione.

Sed quia charissimus quidam precibus instat, ut scribam aliquid de gratia et consolatione ejusdem Spiritus sancti, ea, quæ vel a prædicto fratre, vel ab aliis memoranda didici, opportunius in eo attexam opusculo, si vitam, si facultatem Pater luminum dederit, a quo omne datum optimum, et omne perfectum donum descendit.

CAPUT III.

Igitur dum aliquando Tiebaldus corde confracto commissa sua lugeret, atque illo Axæ veteri exemplo irriguum superius, et irriguum suspiraret inferius, vox ad eum est delapsa hujusmodi: *Ne fleveris, remissa sunt tibi peccata tua* (*Matth.* IX). Digna utique consolatio fidelis animæ, quæ in terra peregrinationis et miseriæ jam acceperit oraculum salvationis suæ.

Eodem fere sub tempore nocturno ei visu astitere sancti Ermagoras atque Fortunatus martyres, quorum nominis ad titulum oratorium cellulæ erat ipsius dedicatum, cœlesti mirabiles venustate, igneis vultibus, stellantibus oculis, amictu purpureo, et illius devotæ sedulitati erga Dei cultum ac sui memoriam dixere gratias. Equidem felices ejus oculi, qui adhuc in terris positus cœlestia mereatur conspicari.

Quidam illius minister, Odo nomine, gravi febrium angebatur ac fici molestia. Qui orationum ejus, dum crebro peteret suffragia, ille primo refugere, peccatorem se dicere, nec esse, qui voluntati queat Dei resistere, cujus arbitrio infirmitates serviant. Sed enim, cum fidelem ministrum jam supremum trahere spiritum videret, illius dolens discessu, ad ecclesiam uti deferatur, præcipit. Ipse sacra celebraturus missarum accedit. Communicavit corpore et sanguine sacrosancto ægrotus, fugataque protinus infirmitas et reformata sanitas est. Qui ergo aliorum vix delatus fuisset manibus, merito Tiebaldi suis sanus rediit pedibus, impleto, quod Veritas credentibus repromisit: *Amen dico vobis, quia quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (*Joan.* XIV).

Lucerna ergo super candelabrum posita radios late suos sparserat, dum multis ad virum Dei undique confluentibus, patrem quoque ac matrem illius cum multa nobilitate opinio traxit. Gaudebant oppido se parentes invenisse, quem perdidisse dolebant, maxime cum filii cernerent tam gloriosam

A conversationem. Dubitavit pene tunc pia mater, quid mallet, suosne, patriam vel opes repetere, an Tiebaldo uni inhærere? Sed vicit amor filii, imo charitas Christi. Renuntiavit sæculo cum suis omnibus, secuta est Christum. Ambitiosos exuta ornatus eremiticas ambit stolas, vestem pullam, pauperem cultum. Quæ ergo prius magnarum exstitisset domorum latique domina cespitis, unius cum Tiebaldo casulæ modo angustias incolit, cujus exempla jejunia, vigilias, orationes frequentat. Cui piissimus tam sedulo filius inservivit, ut nullo unquam frigore, nulla incommoditate illius defuerit obsequelæ, recolens scriptum: *Fili, honora patrem et matrem, ut sis longævus super terram* (*Exod.* XX). Plus etenim Deo quam naturæ justus se accommodat.

B Præterea si qui supervenissent hospites, quasi alter sive Abraham, sive Lot sanctus occurrebat, gaudens, salutabat complexabatur, deosculabatur. Inducebat hospitiolo, lavabat pedes, coquebat oluscula, mensam ponebat, frangebat panem, poculum ipse porrigebat; spectares hominem disciplina exactum spirituali. Moribus, sermone, habitu erat conspicabilis; modesta facies, floridi nitebant oculi, per quos tanquam per duo specula interior radiaret gratia, et ad instar Job sancti lux vultus ejus non cadebat in terram.

CAPUT IV.

Bienno ante obitum suum omni tentatione, vitiorumque immunis assultu fuit, sed morborum obsitus tantis vulneribus, tantoque pressus incommodo, ut C ne gressum quidem figere, non in latus se aliud declinare, non manum ad os ducere quisset. Summus enim artifex igne tribulationis, et lima infirmitatis gemmam disponebat expolire, quam mox ereptam de terra diademati suo insereret, purgabatque septuplum, quem in tabernaculo habitare suo dignum judicasset. Emarcuit ergo eremi lacteus ille flos. Aura infirmitatis adustus est vernans ille flos eremi. Decumbebat Tiebaldus cœlo semper intentus, nec de priori quidquam rigore minui passus animum non deflectebat ab oratione. Etenim plus in sanctis animæ firmitas quam corporis infirmitas valet. Quo tabescit caro, eo animus invalescit. *Nam virtus in infirmitate perficitur* (*II Cor.* XII).

D Anno igitur duodecimo, ex quo patriam reliquerat (tres enim peregre annos fecit, novem vixit solitarius) ad extrema venit. Tunc accersito bonæ frugis viro Petro abbate familiarissimo sibi, a quo eodem anno monachicum suscepisset habitum, matrem suam, ac filios spirituales, quos parturierat et educaverat Christo, pauperemque supellectilem illi, nec non suæ curam cellulæ commendavit, sui dissolutionem imminere prædicens fratribus.

Post hæc morbo invalescente, jacebat agonizans, mortisque longam gustavit amaritudinem. Nam sic purgabatur, qui mox erat ad Deum assumendus, ad quem excipiendum quoniam divina occurrisset clementia, testis fuit terræ motus, qui tertio die ante ipsius transitum cellulam quinquies concusse-

vat, quem aliqui præ foribus; omnes sensere consistentes intrinsecus. Cui discessuro multi utriusque sexus valedicere convenerant, gemitusque dabant et lacrymas.

Sed videns unus fratrum diutina virum Dei agonia fatigari, tactus divino instinctu, egredi cunctos hortatur. Dum paululum ergo respirasset ille, miro petiit cum affectu Dominici corporis et sanguinis viaticum, accepit, gratias egit. Deinde sublatis in cœlum manibus et oculis, dum sæpius iterasset : *Domine, Domine, miserere populo tuo* (*Esth.* XIII), dilecto jam pulsante, surrexit aperire ei, atque muniis fatigatum divinis feliciter reddidit spiritum. Manibus ergo angelicis in via deductus est mirabili. Et quia hic esurierat et sitierat justitiam, cum veste nuptiali intromissus ad cœnam agni epulatur in mensa beatæ ac perpetuæ satiei.

Ut patuisset omnibus, quam purus, quam innocens vixerat Tiebaldus, quamdam futuræ gloriam resurrectionis ac demutatæ naturam carnis prætulit. Micabat itaque liliis candidius, aromatum redolebat areolis suavius. Quem exsequiis honoratum solemnibus multisque commendatum lacrymis honesto condidere fideles sarcophago, quoad in restitutionis die refloreat ad incorruptionem æternique accipiat candoris stolam duplicem. Transiit II Kal. Julias, indictione VI, imperante Heinrico Heinrici filio Augusti secundi, cujus præconia meritorum, crebra quæ per illum nunc usque fiunt, loquuntur miracula, populorumque frequentiis ejus memoria celebris est.

Denique sacri cineres illius a sorore postmodum in Gallias translati sunt, plurimamque pluribus meruere in locis venerationem.

REINERI MONACHI

DE CONFLICTU DUORUM DUCUM ET ANIMARUM

MIRABILI REVELATIONE

Ac de milite captivo per salutarem hostiam liberato

LIBELLI DUO.

D. Bern. Pezius *ubi supra*, col. 109, ex eodem ms.)

EPIGRAMMA SEQUENTIS OPUSCULI.

—

Quæ scribimus, o amice, ducis grata plurimum,
Sensu licet atque dictis valeant quam minimum.
Sed qui corde liquens alto verbis stillas aureis,
Nostris quid te tam sedulo acclinas testaceis?
Te sapphiri, te smaragdi collustrant scientiæ,
Tantum nostræ quidnam placet glarea miseriæ?
Affectu certe traheris. Squalemus ingenio,
Nec scribere piget tamen, quia vertis serio.
Ergo sume, quod ad legem texui versificam,
Nec dubita. Cluniaci hanc abbas asseruit
Monachica sanctitate Majolus qui claruit,
Inter duos gesta duces rem sane mirificam.
Quippe bella duces ipsi cum versarent gravia,
Hic eorum forte Pater subiit confinia,
Dumque lustrans abbatias studeret negotiis,
Est abductus a militum captivus custodiis,
Ac tum certis complurium didicit relatibus,
Defunctorum quæ retulit visis ex spiritibus.
Hæc uno tibi primitus libello disserui.
Post aliud æque dignum altero subtexui
De captivo scilicet ab hostibus milite
Sacram Christi per hostiam servato insolite.
Quibus tanquam charitatis tu fave pignoribus
Mutuique ut amoris pergratis obsidibus.
Nam quinorum hæc dierum sudavi curriculo,
Nec non versus quater centum indidi opusculo.
Quin etiam bis tricenos, bisque denos addidi :
Sed hos quia maturabas, minus cultos edidi,
Exscribensque communiter tuo quæque libitu
Admisi poetico synalœphas passim ritu.
At scribendi si cessisses otium morosius,
Carmen plane pervenisset nostrum castigatius.
Qualecunque tamen illud, dignanter accipias.
Solus habe, solus lege, celesque ineptias.
Et virtutum qui rutilas gemmis multiplicibus,
Unius vel carbunculi, ad nos jace radium.

EJUSDEM PROOEMIOLUM.

Ausurus majora, prius pertento minora,
Ingeniumque brevi rude nunc insuesco relatu,
Ne mihi materia sit latior, inde verenda.
Æquore nauta manum sic explorat breviore,
A Cum rudibus cœptis prius artem comparat usu,
Quam velit undoso committere vela profundo.
Nec vero phaleris modo, sive leporibus utar:
Est potius studio simplex ac lucidus ordo.

LIBELLUS PRIMUS.

De conflictu duorum ducum et animarum mirabili revelatione.

Ergo duces olim viguisse duo memorantur,
Alter Sicaniis, Sardois alter in oris,
Hic erat Eusebius, Ostorgius ille vocatus,
Cui virtus etiam major, numerosius agmen,
Divitiæ plures, magis amplificata potestas.
Sed morum dote Sardus potiore vigebat,
Job similis sancto nulla bonitate carebat:
Pro vita functis tamen adprime studiosus
Jugibus obsequiis complacebat Deitatem
Ecclesiis plura vel egenis extribuendo,
Atque frequentari sacra missarum faciendo,
Quo vita, requie fruerentur perpetuali.
Hinc ex subjectis elegerat urbibus unam,
Quæ cultu melior, reditu locupletior esset,
Atque dicarat eam Christo, membris quoque Christi
Debilibus duntaxat, egenis ac peregrinis,
Ad quam confluerent velut ad pietatis asilum,
Hic requieturi, sumptus, vestes habituri,
Usibus inde suis nil prorsus eo retinente,
Cunctos quin potius quæ parebat regionis
Conduci decimas istuc faciente quotannis.
Nec vero tantæ, tam faustæ sedibus urbis
Munia divini deerant vitalia cultus,
Nocte, dieque per ecclesias celebratio laudum
Et pia missarum vulgo fervebat agenda.
Sic igitur nardo pietatis quam pretiosa
Suavibus ungentis devotæ sedulitatis
Vir perlustris inungebat vestigia Christi
Quæ fiunt minimis, fieri sibi testificantis:
Nam sua sunt, membra licet ejus corporis una.
Denique ut illius evangelicæ mulieris
Nardus aromatica miros aspersit odores:
Hujus sic etiam studium memorabile justi
Spiramenta bonæ quoquo versus dedit auræ,
Donec et arcanos superum penetrando recessus
Ipsos emeruit summæ olfactus Deitatis.
Et quanti fuerit, quam suavis, odora, placensque,
Clarius est luce; quia non modo profuit illi,
Quin etiam multis tulit emolumenta salutis,
Ut facie rerum jam fiet et ordine notum.
Cum traherent igitur longæ confligia rixæ,
Alterutroque duces dicti bello quaterentur,
Insidias Siculus contra, fraudemque paravit,
B Dispositamque Deo, vel subsidiis animarum
Aggressu cepit subito, quam diximus, urbem,
Infestamque satellitio sub jura coegit.
Proh vehemens et raptor iniquus lædere facto
Qui veritus non sit tam degeneri pietatem,
Nec non obsequiis temerare dicata supernis!
Eusebium rumor absentem perculit iste,
Nubila mœroris animo contraxit et ore,
Utpote qui parte mallet regni caruisse
Tam claræ sibi, tam charæ quam mœnibus urbis,
Appellare Dei quam crebrius ipse soleret.
Attamen in Dominum spem jactans et meditatum
Præsumensque sibi proventus adfore faustos,
Convocat in cœtum socios fidasque cohortes,
Excitat hortatu, firmat dubios ratione.
C Ecquid, ait, socii, quid vos censetis amici?
Emovitne Dei vestras injuria mentes?
Prædo quod cupidus illi, quæ contuleramus
Abripuit fraude, vi nititur et retinere:
Virtutis minime ferat hoc industria vestræ.
Justitiam zelemur, et hosti congrediamur:
Justitia tuti victores efficiemur.
Sin aliud placitum justæ fuerit Deitati,
Utiliter, laudabiliter sic emoriemur.
Namque statu vitæ sustollet labe carentis
Cujus pro causa nos contigerit cecidisse,
Et corruptibilem morti vitam exposuisse.
Condecet ergo manus ad fortia mittere fortes,
Ut quo res gravior, graviora pericula pulsant,
Elucescat eo virtus, animique probentur.
D Nec vobis equidem bellantibus otia ducam;
Signa feram primus, certamina primus inibo,
In cunctis adero, neque me fraudabo labori.
Tum veluti sole flores panduntur aprico,
Nox torpore suo quos astrinxisset opaca,
Afflatuque vigor lucis respirat amicæ,
Qui languens gelidis pene exspiraverat umbris;
Corda ducis monitu sic instaurata virorum,
Atque pavor radiis explosus iners rationis,
Pectora fervescunt, in robur brachia gliscunt.
Cum dextris animos spondent in bella fideles,
Ulciscique parant et cogunt undique vires.
Instructos tunc dux cuneos educit in hostem.

Qui dum prodeat et pugnæ dum copia detur,
Ipse loco castra tuto recepit, cohibetque,
Insidiasque viris molitur ab agmine lectis,
Captat et hostilem fraudando revincere fraudem.
Castris interea custodes advigilabant,
In speculis positi lustrabant omnia visu,
Prospectumque soli longe lateque petebant,
Cum procul adventare aciem cernunt numerosam.
Arma putant hostilia, sed dubii tamen astant,
Intendunt, id certius ut dignoscere possint.
Jamque propinquabat paulatim exercitus ille,
Cujus erat mira species, habitudo stupenda.
Cedere floriferi censeres lilia campi,
Dum nive plus arma, nive plus vexilla niterent,
Vernarent et equi candore, quibus residebant.
Plura quid attexam? tellus quasi fluctuat omnis
Qualibet incedant vibrati luce nitoris,
Atque jubar solis florentibus innatat armis.
Custodes igitur novitate stupent inopina,
Ac referunt domino curis urgentibus ægro.
Nec minus ipse stupet, premit hinc metus, erigit
[hinc spes,
Quippe quod audisset habitus candere virorum,
In spem lætorum vocat haud interpres inanis.
Porro quod ex armis belli prætendere vultum
Suspensus metuit sibi tristia ne qua minentur.
Consulit ergo suos et primores et amicos,
Atque viros equites præmittens quatuor illo.
Qui sint? unde domo? quo tendant? quærere
[dictat,
Qui veniant? utrum tractent hostilia necne?
Approperantibus his, ex præscripto quoque cœtu
Quatuor occursant equites responsa daturi,
Seque salutantes resalutant officiose;
Adventusque rogantibus, armorum quoque causas,
Hæc referunt placide, sic et mulcent stupidatos:
Sit formido procul, constantia cordibus insit,
Anxietas levæ tollatur suspicionis,
Pacifici siquidem vobis, vestræque venimus
Causæ tutores, ac vestris hostibus hostes.
Fungimur obsequio cœlesti militiaque
Cœlitus et missi sumus in solatia vobis.
Propterea domino redeuntes dicite vestro:
Nos adeat fidenter, et ultra nil vereatur,
Imo metus nebulam spe detergat meliori,
Exhibeatque suos conspectus, alloquiumque.
Nunc quasi post hiemem verno redeunte sereno,
Post adversa, secunda Deo radiante redibunt.
Legati mandata duci tam fausta reportant.
Qui tanquam vinclis mœrore, metuque solutus
Spe mentem relevat, spe jam super hoste trium-
[phat,
Illorsum quoque pertendit pauco comitatu.
Excipiunt equites idem blandumque salutant,
Ac miris satagunt affectibus advenerari.
Tum memorant eadem quæ missis ante locuti,
Pluraque subjiciunt, simul indoleatne, requirunt
Dux urbem Siculus sibi tantam quod rapuisset,
Id perquam sese, respondet habere moleste,
A Præsertim quod eam Christo legasset habendam
Et Christi membris animabus pro redimendis.
Hanc, aiunt curam, tantum sepone dolorem:
Nam Christo quæcunque dabis, quæcunque de-
[disti,
Est, si quis fraudet, rapiat, minuatque, casurus,
Credito nimirum tibi non casura per ævum,
Quin rata mansura cœlo quoque centuplicanda.
Ac te suspensum ne per promissa trahamus,
Juris cuncta tui jam nunc repetemus ab hoste,
Restituetque vel in duplum, quidquid tulit abs te,
Atque satisfaciens ditioni subjicietur,
Vel capiendus erit et tradendus tibi vinctus.
Tu modo nos audi, sequere, ac diffidere noli,
Ducturusque tuas tecum dispone catervas.
B Hic sese fidei princeps committit eorum
Arbitrium sequitur, nullo cunctamine paret.
In sua castra redit, conducit in arma maniplos,
Plus una quibus institui nequeat legione.
Hos tamen hortatur, his præcedit comitatus,
Bis quoque tricenis occurrere millibus audet,
Plus quam terrenis, fidens cœlestibus armis,
Illi cum niveum prædux incederet agmen
Quod bis vicenis confertum millibus esset,
Nec non fidentem sibimet ferretur in hostem.
Quod simul addiscit Ostorgius, usque stupescit.
Nam nitor, armorum species, habitus venientum
Multum intorquebant multa novitate stuporem.
Tunc qui sint, propere scitatum mitti', et unde?
Sic quare immineant? tantæ quis dux aciei?
C Albato occurrunt venientibus ex grege quidam,
Qui se quæsiti de militia fateantur,
Et Christi regno, regique suo famulari,
Atque venire suum causa dominum capiendi,
Supplex ni veniat, pacem, veniamque requirat,
Utque satis Christo faciat Christique ministro,
Quem super erepta tantum tristaverat urbe.
Nec mora Trinacrio tam læva duci referuntur.
Oppido consultum trepidus petit ille suorum,
Maturat quoque, quo jussum consultus adire.
Candifluo quidam a comitatu nec minus adsunt.
Dux ab eis quærit, quæ legati prius, audit,
Quin et eum gravium pulsant terrore minarum,
Pœnas divinæ subiturum scilicet iræ,
Quod Christo, quam contulerit cultor pius, urbem
D Impius abstulerit raptor, retinere vel ausit.
Ille veretur, et attremit, ignoscique precatur,
Facturum spondet quæ censerent facienda,
Quo temere commissa piet correctio digna
Jam fuerat ventum turbæ candentis ad agmen,
Et quæ pacis erant, Siculus veniamque rogabat:
Ecce supervenit et Sardorum quoque ductor,
Cui se vel totam mox subjugat Triquetram,
Nec non dupliciter dispendia quæque reformat.
Fœdera panguntur, et pax firmatur utrinque,
Plenaque jam fidos concordia reddit amicos.
Si duo cum flabris mare versarint diuturnis
Hinc Boreas, illinc Auster, diversa frementes,
Subsidunt tandem Phœboque silent rutilante.
Eusebio cœtus tum candidus ille profatur,

Istaque sufficiantae sibi, perquirit amice.
Annuit, ac plures satagit dependere grates,
Et qui sint, nosse vanum jam non putat esse.
Supplex accedit, subtilius inde requirit.
Nec secreta viro sua quibant abdere tanto,
Cujus erant meritis sortiti gaudia lucis,
At sibi proficue vel pluribus hoc aperire:
Nos, aiunt, animæ defunctorum sumus ille,
Quas divina tuis salvavit gratia factis:
Nos quibus a Satanæ laqueis, misera ditione
Peccatique jugo feliciter eripuisti,
Lucis et æternæ penetralibus inseruisti
Ecclesiis vel pauperibus tua participando,
Seu Christo quæ grata probentur, rite studendo.
Nec pigeat certe bona pro nobis studuisse.
Nactus es hinc siquidem regis cœlestis amorem,
Sanctorum quoque vel justi cujusque favorem,
Imo voluntate nunc usque bona quod agebas
Scilicet ex propriis opus acceptabile votis,
Nostræ jam monitu precis obsequiique fidelis
Plenius exsequere, melius, meliusque studeto,
Quatenus erepti per te pœnisque soluti
A Vitam seu pacem tibi perpetuamve salutem
Nobiscum pariter orent indeficienter.
Non etenim dubites, quia nos, quos aspicis, omnes
Vitæ reddideris pacato judice nobis,
Multos et reddes, vigilantia si pia duret.
Sic duce commonito, sic magnifice relevato
Floridus ille sui questus, felix quoque cœtus
Suppliciter sese possit quo solvat abire.
Dux toto lacrymas affectu fundit obortas,
Mira Deum facientem collaudat, benedicit,
Qui sua tam mire secreta sibi patefecit.
Solvit et albatum contestans plurima cœtum.
Ille invisibiles repetit, qua venerat, arces.
At vir devotus, vir plane religiosus
O quantas studii generoso pectore sancti
B Extulit hinc flammas oleo pietatis adauctas!
Nec valet hoc dici, nostro nec carmine scribi,
Expendat potius cujuslibet id meditatus.
Perfectus crevit, melius bene cœpta peregit
Nec fructu caruit, quia centuplicata recepit,
Additus æternæ possessor et incola terræ.

EPILOGUS.

Qui valeant habitum sumere corporeum
Res non corporeæ, perquiras forsan, amice
Quatenus humanis participent oculis
Visibiles animæ quæ jam formas posuere.
Nec quis membrorum suppetat officium
Verborum modulos ut forment articulatos,
Id mens atque meum non capit ingenium.
Arcanum tale cuivis haud credo patere,
Nutu sed fieri non nego posse Dei,
Nil impossibile soli quia noscitur esse.
C Nam sic multiplices dum memorent apices,
Humani quivis speciem quod spiritus oris
Sæpius induerit, verbaque protulerit
Tam bonus atque malus, falsumne vel autumet [uilus.
Quod tu conspicuo præditus ingenio
Disquiras tecum, sit qualiter accipiendum,
Altius hoc certe si libet inspicere,
Patrum ceu speculo scriptis utare sereno.

PROOEMIOLUM LIBRI SECUNDI.

Ecce cano pene vulgari singulari versu
Atque tere plane levibus compendia Pyrgi:
Quod memores tale tibi gratum carmen, amice.
Et quia jam pinxit stylus anteriore libello
Quos pariant agapis fructus impendia sanctæ:
D Nunc quoque quid valeant divinæ mystica mensæ
Vinum cum pane, suppinget posteriore.
Pertæsus nostræ si non eris ipse camenæ,
Gratum scribere erit, et nec scripsisse pigebit.

LIBELLUS SECUNDUS.

De milite captivo et per salutarem hostiam liberato.

Alterutra reges duo pugna conseruere
Sanguine, divitiis exercitibusque superbi.
Vis utrique gravis, idcirco gravissima strages
Impulit utrinque, fera mors hinc sævit et inde
Occubuere viri, funestaque vulnera densim
Infregere acies, nec non par pene periclum.
Namque reportarit unus licet hoste fugato
Victrices aquilas, tamen usquequaque cruentas.
Amisit siquidem lethali vulnere fratrem,
Charorum quoque nonnullos cum parte aciei.
Inter quos etiam fidum cecidisse ministrum
Obtigit illius, mactæ juvenem probitatis
Plagis prægravibus, jam sanguine qui vacuatus
Unius spatium noctis pariterque diei
Exanimus pene mansit, vitaque carenti
Assimilis turbæ, quæ circumfusa jacebat.
Ast ubi vitalem sensim per membra calorem
Et vires, sensu demum redeunte, resumit:
Assurgit, residet, nec non pro posse suarum
Altos plagarum religans instringit hiatus.

Tum modica pectus requie componit anhelum,
Ac licet invalidus in gressum subrigit artus,
Insistitque viam, si forte quis obvius adsit.
Qui curam sibi compatiens impendat amicus.
Quem dum quæritat, hostis adest, captumque retentat.
Et ducis in vultum perducit discutiendum.
Unde sit ille rogat, seu cujus conditionis?
Cujus et officii? num liber, seu popularis?
Dissimulat juvenis quod erat solers aperire,
Invidiamque cavens, Sum pauper rusticus, inquit,
Legitimoque mihi conjux annexa cubili.
Res nobis tenues, indeptum denique quidquid
Servitio fuerit, socios partimur in usus.
Tum, bone dux, cum sim bellandi ignarus et expers,
Nil patriæ propter aliud sum castra secutus,
Quam quo militibus deferrem expendia victus,
Edicto ut mihi regali paribusque statutum.
Des igitur veniam, plecti servos minus æquum,
Observare quibus reges dominosque necesse est.
Flectitur his princeps, misero dolet, ac miseretur.
Colligit hinc, adhibet medicos, impendia præbet.
At postquam rediit vigor et sanescere cœpit,
Noctu ne fugeret, vinciri compede jussit.
Sed potuit nulla vinctus ratione teneri.
Nam simul abscessit custos, qui vincula strinxit,
Est invisibili actutum virtute solutus,
Attonito tanta nimis ipsomet novitate.
Frater porro sibi vita decoratus honesta
Officiumque gerens venerabile presbyteratus
Fama qui inductus armis illum cecidisse,
Sedulus exstinctum properavit tollere corpus
Alterius, sed enim qui forte simillimus esset,
Inveniens campo fratris putat esse cadaver.
Hoc levat, hoc vehit in patriam, tumulatque decenter,
Ejus pro requie nec omittit percelebrare
Missarum officia devota sedulitate.
Hinc veluti dictum, revera proveniebat,
Ne juvenem imposita quissent constringere vincla.
Sed fidei quisquam ne ascripserit hoc peregrinæ,
Veridico papa Gregorius aureus ore.
Nequaquam absimile quiddam legitur memorare,
Dictus quod fuerit quidam captivus ab hoste,
Qui tulerit multos arctissima vincla per annos,
Excessisse tamen vita dum credidit uxor,
Illius ob requiem certis holocausta diebus
Mystica libari sacram faciebat ad aram
Salvificum Christi corpus Christique cruorem,
Ilices et boiæ a captivo dissiliebant,
Atque facessebat labor, inflictique dolores.
Ad natale solum qui post quandoque regressus
Plenius uxori, quod contigerat, patefecit.
Quæ protestata est horasque fuisse diesque
Ipsius oblati toties relevamine sacri.
Quin et Waraccam maris atro gurgite nautam
Absorptum pene doctor non præterit ipse,
Præsidio tutum tali ereptumque fuisse.
Est igitur nil commodius nil dignius isto,
Quo vivunt animæ, vegetantur corpora sacro,
Quo tam corporei quam nexus spirituales
A Libato digne lentescunt absiliuntque.
Denique majori quinam cumulantur honore,
Quam quibus id tractare, sacrare tributa potestas,
Scilicet officio si consonet actio vitæ
Sintque manus mundæ, cordis sine sordibus arca
Quæ man cœleste queat, ut par est retinere?
Nam facit esse deos Deus aris victima factus.
Verum cœpta prius ordiri jam repetamus.
Ergo stupens juvenem princeps haud posse ligari,
Id quonam fiat, satagit perdiscere pacto.
Haudquaquam, Domine, sceleri hoc vertas, ait ille
Artis neu magicæ reputes præstigia nosse,
Hoc a Christicola procul esto pectore, fronte
Congestante insigne crucis baptismate uncto.
Ars magis hæc hominum sub dæmoniis agitantum,
B Quis ratio nulla, grave pectus, et actio dira.
Nam retinent animas terreno in pulvere curvas,
Nec barathri metuunt mala, nec cupiunt bona cœli,
Perditio quorum certissima, ni resipiscant.
Presbyter officio quin in patria est mihi frater,
Exemptum bello qui me, velut æstimo, credens
Munia missarum pro me veneranda frequentat,
Ac modo si seclo pœnis addicerer illo,
In quod succedunt, ex hoc quicunque recedunt
Illius requiem meritis fortasse mererer.
Præterea tempus inibi degens aliquantum
Idem clarorum juvenis spectamine morum
Proditus est, minime vulgari forte fuisse
Stemmate, quinimo quod celabat, generoso.
C Quippe quod addidicit, longum quod traxit in usum
In tempus longum, nequit ullus dissimulare.
Sed quiscunque patet propensus sedulo signis.
Hinc et adorsus eum princeps vocat ille seorsum,
Utque sibi retegat, qui sit, propensius instat
Dummodo nil fallat, tutum super hoc fore firmat
Prodam vera, refert etsi graviter cruciandus,
Nec fictis utar, etsi crudele necandus.
Nempe fui regis et miles et officialis,
Regis præcipuos non infimus inter amicos,
Nec populare genus mihi, clareo sanguine avito.
Ingenui mores, ait, et responsa vel actus
Prodebant mihi, quod non gente gregarius esses.
Et tu fine quidem consumi dignus acerbo,
Namque tui Marte regis tristique triumpho
D Amisi fratres, consanguineos et amicos:
Sed tibi jurata nequaquam conviolabo,
Atque fidem pactam nec pœna vindice solvam,
Nec scindam morte, quin plectam venditione.
Ex plagis igitur ubi plane convaluisset,
More subhastatum servi, qui obvenerit armis,
Uni Fresionum pretio contradidit illum.
Quique studens servum vinclis retinere coemptum
Nec valuit nodis compere nec artibus ullis,
Multimodis quanquam variasset pondera baccis,
Res tamen hæc mira, cum terna surgeret hora,
Missas quando sacras fieri solemniter usus,
Crebrius in juvene jam fato proveniebat.
Hinc et ei sese redimendi indulta facultas,

Pendere si pretium pro libertate valeret,
Isque suo jurans domino seu mittere pactum,
Denuo seu regredi, fidei nec prodere sacrum,
Lotherum petiit regem casusque retexit,
Ac sibi munificum regali munere sensit.
Quippe sororis eum nerat viguisse ministrum.
Ergo suo summam misit domino sibi pactam
Ac sic servitio exutus patriam repetivit.
Fratri nec tacuit, vel quæque sinistra tulisset,
Vel quæ divino sensisset commoda dono,
Ubere quam dulci casus sese inter amaros
Vincula laxando lactarit eumque levando,
Presbyter indiciis certum tenuit referentis
Illis temporibus duntaxat sive diebus
A Dextram subsidii victum meruisse superni,
Implorare Deum quibus astiterit super isto
Delibando sacram Christi mysteria ad aram.
Imo neque hoc Juvenis animadvertit minus idem,
Et referens multis, ad opus multos pietatis
Cœlitus in sese facta movit pietate.
Scilicet ut pro se, pro charis, proque propinquis,
Quos sive hæc vita retineret, sive futura,
Pervigiles libare preces Christo studuissent
Pauperibusque piam pro posse impendere curam :
Quodque bonis majus, reliquis quod dignius esset
Missarum impense sacra fecissent celebrari,
Quæ tam corporibus quam proficiunt animabus,
Unica commoda vera salus, alimonia perpes.

EPILOGUS.

Haud equidem oubitat, quicunque viget ratione
Omnicreatorem omnia posse.
Pro libitu, pro consilio utitur ipse creatis,
Quaqua flexerit, illa sequuntur.
Non igitur mirum vincti absiluisse catenas
Ipsius virtute sacrorum,
Evaleat cum vis et idem cujuslibet herbæ,
Cum im picus admonstraverit ales.
Invenies physicos etenim meminisse peritos,
Quod si quis nido inserat hujus
Vincula digressæ, pullis ut quæritet escam,
Dum revolat, neque tecta patere
Offendit, quamdam perquirit et applicat herbam,
Qua mox involucrum omne resolvit.
B Tum notat atque legit, qui captat habere cadentem
Jam potis omnem hac vincere nodum.
Me volucris nempe sic experientia brutæ
Arcanæ vis ut movet herbæ.
Omnia sed sensus comprendere non valet ullus,
Quæ mirabilis edidit auctor.
Papæ qui volucrum, vel qui genus omne animantum
Naturasve retexerit omnes,
Herbarum, lapidum, lignorum nomina, vires,
Imo quis explicet omnia? Rerum
Rite Creatorem vel nosse vel excoluisse
Vera scientia, summa salutis.

REINERI MONACHI

DE ADVENTU

RELIQUIARUM S. LAURENTII MARTYRIS

ROMA LEODIUM

LIBER

Cum aliis diversi generis carminibus et epigrammatibus.

(D. Bern. Pezius, *Anecdot.* IV, III, 120.)

INCIPIT PROŒMIUM.

Argento, gemmis, auro species minuuntur
Nube situs longi, quando neglecta premuntur
Et rutilum quamvis chalybem rubigo lacessit,
Otia si patitur, usumve manumve recessit :
Sic decor et robur, sic qualibet ars hebetatur
Assueta minime quando cura vegetatur.
Et scabiem tentat animi torpedo nitorem
C Si tædet studiorum, dissimulatque laborem
Prosa seu pedibus, uti libet. Unde frequenter
Oram vel tenuis, ne marceat insipienter.
Ardor inest legere, meditari, scribere plura.
Nam data desidiæ vitiis mens est ruitura.
Carmine Laurenti nunc proccelebrabere [*f.* percelebrabere] nostro

Verno martyrii mire spectabilis ostro.
At non te, Cæsar, ut iniquus craticularit,
Suppliciis ictum pretioso fine beavit :
Nobis imo canam pars ut collata liquoris,
Elicuit quem torridulo vis alta vaporis.
Ingenii minus hoc ubertas suasit, inirem.
Quin tuus egit amor, devotum munus obirem.
Quippe nec ulla magis graviter relevatio pressum,
Nec juvat unda magis solari caumate fessum,
Nec tua quam mira, titulos quam commemorasse,
Et scripti munus tibi qualiscunque dicasse,
Gloria quanta tibi, quam præcellens habearis,
Percipiet cui te dignanter notificaris,
Per visum cuidam mirabilis ut patuisti,
Auro limpidior obrizo dum micuisti,
Mundus revera multo velut igne probatus,
Florens luce mera, Christo velut irradiatus,
Læta tibi facies, stellabat lux oculorum,
Et subridebas, o mellea spes miserorum !
Orsaque mœrenti consolans ista tulisti :
En, frater, morere : tibi mortem namque petisti.
Hinc te picturam digito monstrante notabat,
Assus uti fueris, quæ desuper effigiabat.
Sic fiat sancte, vitiis idem moriatur.
Sic pie virtutum per te vitam mereatur,
Igne sacro calcat, quo mirifice caluisti,
Ignes lethiferos quo rorantes habuisti.
Quam meritis vigeas, rebus persæpe probari
Cœlitus et constat te signis clarificari.

A A superis plaustrum percepimus igne perustum,
Improbus agricola quod messe minabat onustum,
Festa tui dum martyrii temere violaret.
Damnose culpam luit, ut tibi rite vacaret.
Est ea res nobis ab eodem notificata,
Tumque per exhibitos carbones certificata.
Alter sancita dum religione veretur
Munificentia quanta tibi sentire meretur,
In plaustrum messem petiturus tecta levarat,
Festa tuæ noctis hunc hora sed anticiparat,
Abstitit incepto, liquitque sub aere nudam,
Inde sed obstupuit nec rore nec imbribus udam,
Nox ea sive dies fuerit quanquam pluviosa,
Reddidit illæsam virtus tamen officiosa.
B Tempore sic prisco siccum tulit area [*Cod. recent.* aera] vellus,
Imbrifero dum rore madesceret undique tellus.
Sancte tui veneratio ne reputetur inanis
Asseruit vel qui manavit sanguine panis.
Coxerat hunc mulier quædam festum violando,
Talem sed tulerat hæc ausu monstra creando.
Te porro scriptis quinam queat æquiparare ?
Laudibus, ut par est, magnalia dignificare?
Historiæ sed jam series fauste replicetur.
Prosarie prius edita, versifice memoretur.
Oro fave votis tenuem moderare camenam,
Et meritis lucem prædux adhibeto serenam.
Pectus mundifica cœno sordens vitiorum,
Digno quo niteant sensus habitudine morum.

INCIPIT LIBELLUS.

Præstanti vita, morum cultu redimita
Longe vir nitidus erat in clero Godefridus,
Tum qui florebat, urbs Legia quo renitebat,
Præsul cum regeret Tiuvinus, eoque vigeret
Clara multorum præfulto dote bonorum.
Sanguine magnorum sed quamvis altus avorum
Vitam tranquille degebat clericus ille,
Plus humili sensu quam pollens divite censu :
Plura dabat gratis cultor solers pietatis.
Hos tecto, victu, plures refovebat amictu.
Limina sacrorum visebat crebro locorum.
Sanctos orabat, votorum thura litabat.
Sed tu, Laurenti, spes illius unica menti,
Se tibi commisit, tua sæpe tuosque revisit.
Nobis munificum se præstitit hinc et amicum
Arctius hærendo, semper prodesse studendo,
Sic opportunus, de nobis sic erat unus,
Pervigili cura meditansque pavensque futura
Judicis examen vel præmia vel cruciamen,
Se sibi plectebat, lapsus punire studebat.
Quo te, sancte, bonum, Petre, conciliando patronum
Votis lenibat, Romam peregrinus adibat.
Hic prece pulsabat, gemitu lacrymisque citabat
Jure potestatis summæ clavi pietatis,
Ut bona præstares, ut claustra poli reserares,

C Mori durabat. Hunc anno quoque novabat
Morem servando. Prætenderat huc aliquando
Christicola gente jejunia sacra colente,
Quæ sanxit mundo prior hæc Christus subeundo
Plane vicenos dum soles bis quoque denos
Incoluit saltus non victu quolibet altus.
Reddidit ut vota, petiit sibi limina nota,
Scilicet abbatis, cui linea proximitatis
Se commendabat, affectio vel sociabat.
Clarus et hic vita, multa probitate polita
Romæ pollebat, Humbertus nomen habebat
Custos Ecclesiæ datus ob meritum theoriæ,
Summo sacrarum pretio quam reliquiarum
Martyr ditabat Laurentius atque dicabat.
D Hic liquor ille sacer, excussit quem vapor acer,
Quem devotorum pia legit cura virorum
Crate superstrata, qui membra tulere beata.
Hunc tenet ampulla, potior nec ducitur ulla
Urbi Romanæ, sacrum nec habetur inane.
Ne subducatur, haud segniter invigilatur,
Et qui mandatur, vir idoneus ante probatur.
Flagrat pro lauro, sapphiro præstat et auro,
Nec desunt vota, colit Urbs, ambit quoque tota,
Hoc et tutelam sibi credit et esse medelam
Sancti plerumque meritis persentit utrumque.

Commoda præstantur, quævis adversa levantur.
Est structura quidem minus ædi grandis eidem,
Grandis sed cultus, operum solidamine fultus,
Fucis stellatur lapidum, cameris decoratur,
Claret crystallis, radiatus ubique metallis.
Marmore segmenta pingunt vario pavimenta.
Nil in ea ligni, nil quod carpatur ab igne :
Hoc quia cavere, qui martyrium statuere,
Crebras flammarum jacturas urbicremarum.
Non ea sacratus cui martyr inest tumulatus ;
Non quas struxerunt, titulos quibus imposuerunt
Damasus, ac genere pollens Lucina vel ære,
Non quæ dotatur, venerabilis et titulatur
Craticula justi, quam laurea dedicat usti,
Hoc instrumentum, decus hoc, felix monumentum
Gazis plus charum retinet gens Romulidarum,
Tot levita quidem templis clarescit ibidem.
Lucifer est Urbis, rutilat merito, prece, turbis.
Ergo cognatum pater Humbertus memoratum
Admittit grate, prona refovet pietate.
Ille moras nectit, monet hoc hospes, prece flectit.
Illic versatur, aliquotque dies remoratur,
Orat ferventer, subit Ecclesiam sitienter.
Instat levitæ, bona det, tergat mala vitæ.
Tunc ibi sanctarum quid inesset reliquiarum,
Quærit, scrutatur, audit, supplex veneratur.
Abbas nil celat, sed caro quæque revelat
Mira retexendo meritumque loci retegendo,
Addit et ardorem sancti monstrando liquorem.
Sedulus attendit et grates ille rependit,
Tanto thesauro, quod dignius usque sit auro.
Haud tepidam mentem movet indulgere parentem
Si male servetur, locus illo ne viduetur.
Talis sermo quidem, meditatus non erat idem,
Versat enim partem, quam sublegisse per artem
Illius posset, hoc ne quis denique nosset.
Nobis tale bonum, nobis hoc nobile donum
Vir fidus totis inhiat conquirere votis.
Copia successit, abbas quia forte recessit ;
Curis illectus est longius Urbe profectus.
At precibus mille pernoctat clericus ille,
Orat successus totos, et ab inde regressus.
Tum subit ad fraudem, surgit quasi pendere laudem,
Quam nocturnarum vis exigat excubiarum.
Cella progreditur, ædes reverenda subitur,
E sociis munus ad idem communicat unus,
Quem nil celasset, admittere nec dubitasset.
Appetit altare, juvat illud sic temerare.
Vas, quod pendebat, pignus sanctum cohibebat.
Vas est crystallo comptum radiante metallo.
Hoc positum captat, aliud supponit et aptat,
Posset ut effundi liquor huc tutoque refundi.
Sed non stillabat, sua quem pinguedo ligabat.
Ex se densatus erat et senio solidatus.
Hinc est perculsus, hinc a spe pene repulsus.
Anxius astabat, quidnam faceret, dubitabat.
Pars ne parva quidem ligni constabat ibidem,
Quam sibi captaret, cœpto quam suppeditaret.
Extra ferre pedem, succedere rursus in ædem

A Incautum reputat, pavet id, cautusque refutat.
Hinc ne suspectus, ne fiat forte retectus
Tum vero gemere, suspiria crebra ciere
Martyris ad meritum, cor luctu vertere tortum,
Votis accedat, ne cassus ab inde recedat.
Allevat hic mœstum, removet martyr pius æstum,
Fitque, quod affectat, lignum propter breve spectat
Cœlitus injectum, quam pinu nescio sectum,
Nec ductu scabro, satis aptum martyre fabro.
Hoc capit absque mora, magis undant fletibus ora,
Quos ciet affectus divino melle refectus !
Optato fruitur, pretiosa merce potitur
Unguine sacrato, mera plusquam balsama grato.
Quod cum transfundit, nova se redolentia fundit,
B Cunctos quæ flores cunctat, quæ vincat odores,
Ut sit nullarum par halitus areolarum,
Vis pigmentorum licet imbuerit variorum.
Scilicet assatus ita dixerat ille beatus :
Igne libens isto sum factus victima Christo,
Quæ dulci rore suavi juvet hunc et odore.
Sed retegi pavido minus id gratum Godefrido.
Tantum non Roma si persensisset aroma,
Rem si cepisset, non impunitus abisset,
Ac sibi vitalis fieret liquor exitialis.
Ergo pavens turbæ migrat noctanter ab Urbe,
Fallit cognatum causatum diu remoratum.
Expedit ipse moras, patriæ contendit ad oras
Nec pedes incedit, sed equo properante recedit.
C At nec odor cessat. Hinc ne quis ab Urbe lacessat,
Extremit introrsum, spectat quam sæpe retrorsum,
Sanctus protexit cursum, per prospera rexit.
Tutus iter trivit, te Legia tutus adivit
Gaza tantarum ditandam reliquiarum.
Quas ut captavit duritas, ut justa probavit,
Pontifici memorat, heros hilarescit, adorat,
Thesaurus præfert, Christo præconia defert.
Hæc bona qui misit, hæc qui per dona revisit,
Ad nos sancta quidem tum pignora destinat idem
Nobis condenda, speciali jure colenda :
Quos tutela boni fovet, associatque patroni.
Plebs ea devota, clerique frequentia tota
Hymnidico more, celebri comitatur honore
Ac festivorum chorus occurrit monachorum,
D Excipit, exsultat, affectu, voce resultat.
Tunc fera tempestas, hiemalis tunc erat æstas.
Aer squalebat, aquilonum turbo furebat.
Nimbi manabant, hos nubila continuabant,
Mundus nutabat, aliud cataclysma putabat.
Christus pulsatur, Christus pro pace rogatur.
Pro terræ fructu, quæ jam sit subruta fluctu.
Christus et attendit, et commoda larga rependit
Martyris obtentum sentit mox turba petentum,
Cœnobio siquidem nostro venerabilis idem
Ut liquor illatus, summoque favore locatus
Ut super altare, cœpit per signa micare
Verbere jam tristi populum relevantia Christi.
Hinc plausus dantem, jubilando collacrymantem,
Per mensem tectus, statim sol nube retectus

Lumina dispersit, cœlum caligine tersit,
Imbres emovit, et terras igne refovit,
Ver nituit sudum, tempus nihil obfuit udum,
A Cœli tranquilla facies quia præstitit illa,
Successere bona sancti bonitate patrona,
Et frugum mundo sic reddita spes gemebundo.

EPILOGUS.

Cum Junio mense quartum sol ederet Idus
Acta refudere nos ista novum quasi sidus.
Annua lux eadem nobis professa refloret,
Concio dum nostra votis hymnisque peroret.
Ergo Laurenti primas nitidissime florum,
Sanguine qui vernant super æthera purpureorum,
Astes supplicibus, des commoda, noxia demas,
Salvifices meritis, quos pigneribus diademas.

ORATIO AD EUMDEM SANCTUM MARTYREM.

Beate Laurenti,
Me vultu clementi
Respice miserum !
Dulcibus te votis,
Quæ obstant, remotis,
Impende prosperum.
Numerum non habent
Pestes, quibus tabent
Mea præcordia.
Salutis amice,
Efficax medice,
Confer remedia.
Tuo sim merito
Liber a debito
Totius criminis,
Piorum particeps
Conscribar municeps
In regno luminis.
Levita pudice
Purpurans cœlice
Virtutum gloria,
Tua me lubricum
Vivere pudicum
Impetret gratia.
Inopes tu Christi
Divite fovisti
Gazarum pretio.
Nosti, ut egeam,
Tuo sic vigeam
Sancte suffragio.
Cruentus te torsit,
Sed nunquam detorsit
A recto carnifex.
Me premunt vitia,
Raptant per devia.
Tu adsis opifex.
Te dirus exussit,
Nec Deum excussit
Vapor craticulæ.
Luxus in me furit,
Angit, versat, urit,
Te voco sedule,
Sacer te Spiritus
Ussit medullitus
O Christi victima,
Hoc urar fervore,
Tam dulci ardore
Caleant intima.
Plus in te valuit,
Intus quod caluit,
Quam quod exterius.
Christo ut caleam,
Mundo ut frigeam
Ora propitius.
Auro tu clarior,
Crystallo purior
Existi hominem.
Mica jam cœlitus.
Purga jam penitus
Meam caliginem.
O quali ex ore,
Quali ex pectore
Grates tunc egeras !
Audiat sic Deus,
Dum clamat hic reus,
Tunc ut placueras.

OFFICIUM DE SANCTO SPIRITU.

Hymnus ad Nocturnos.

O Israel, qui custodis vigil, sancte, qui non dormis !
Nos e somno vitiorum, nos suscites Pneuma sacrum.
In Matutinis, Domine, meditari dones in te,
Illumines vita nostros, ne mors obscuret, oculos ;
Et ne dicant inimici : Hos adversus prævalui ;
Juvet Pater ac Filius ; regas tu, sancte Spiritus. Amen.

Ad Laudes.

Umbra noctis inclinatur, terris dies reformatur,
Repubescit sol aureus, splendor gliscit æthereus.
Vitiorum fuliginem, peccatorum rubiginem
Tergas, o sancte Spiritus, expiesque nos penitus.
Sic cum Patre, cum Filio perpes tibi laudatio,
Nos ut per te innovati, per se simus et beati. Amen.

Ad Primam.

Mane novo sacri fontis innovatos gratia
Sancto par est Spiritui laudum ferre munera.
Aurem piam nostris ipse accomodet vocibus,
Censerique præcipiat angelicis cum laudibus.
Nostris Pater cum Filio se votis præstabilem
Idemque reddat Spiritus semper exorabilem. Amen.

Ad Tertiam.

Hora fulget en tertia, felix tempus et aureum,
Quo afflavit mire donans apostolos Pneuma sacrum.
Nos eadem participet ipsum dignanter gratia,
Amore reddat fervidos, et laude disertos sua
Clemens nobis hoc largire Pater sancte, cum Filio

Rege tuo, ac solare nunc et semper, Paraclite. Amen.

Ad Sextam.

Sancte, damus sexta tibi laudem, Spiritus, hora
Quam propter Christum pius admitte hac cruce pensum.
Vulnera salvificam nobis fac illa medelam,
Sanguinis et nostros vero cura unguine morbos:
Filius ipse piis accedat cum Patre votis,
Et te quæ petimus, a te et per te obtineamus. Amen.

Ad Nonam.

Vivifica Christi morte sacrata Dei
Christicolis nona reverendam se exhibet hora.
En tibi devoto pangimus obsequio
Pneuma sacrum; nostra clemens tu perfice vota.
Laus tibi cum genito, cum genitore Deo:
Nos æterna choris per sæcula junge supernis. Amen.

Ad Vesperas.

Nullus est hymnus.

Ad Completorium.

Lux vera nubis nesciens, sol occasum non patiens,
Spiritus Paraclite! Nox ingruit; tu cordibus, tu
Lucerna sis pedibus, tuto ducens tramite,
Per vitia ne labamur, da virtutes, his regamur
Sæculi per devia, his et veri jubilæi, et æternæ
Requiei mereamur otia. Amen.

VARIA CARMINA.

Circa crucifixum.

Crux vitæ signum domat et fugat omne malignum:
Mors, hostes cedunt, neque signatos cruce lædunt.
Hac homo subnixus enitere, qua crucifixus,
Fers bona tunc vitæ, si mortifices mala rite.

Circa cymbalum.

Esurias, sitiasque Deum, qui vivere quæris:
Angelica satie mox fruiturus eris.

Epitaphium circa tumulum

Erutus es mundo mortis legem subeundo,
Hildebrande Pater, jam te retinet pia mater
Jerusalem supera, lux et requies ubi vera.
Nam bene vixisti, gregibus bene consuluisti.
Nunc recipis merita, revirescis perpete vita.
Quod lapis hic urget, Christo veniente resurget.

Circa campanam.

Laude tuà dignum Deus hoc sit fusile signum,
Det populis monitus sacros advisere ritus.

In fenestra vitrea.

Vive columbinus, sed cautæ simplicitatis
Sis serpentinus, sed honestæ calliditatis.

REINERI MONACHI
TRIUMPHALIS BULONICI
LIBELLI QUINQUE

Sive qualiter diebus nostris Ecclesia Leodiensis Balloniense castrum, pervasoribus triumphatis, divina receperit virtute.

(D. Bern. Pezius, *ubi supra*, col. 129, ex eodem mss.)

PROLOGUS SEQUENTIS HISTORIÆ.

Qua diebus nostris meritorum gratia, qua signorum gloria sanctus martyr Lambertus, quasi Lucifer novus effulserit: qualiter de manu pervasorum insigne Bulonii castrum, quod legitima traditione, tum et libero jure per multos possederat annos, receperit in pervasores ipsos ultus, quam magnifice triumpharit, cum sit memorabile, æstimavi non ineptum paucis describere. Multi quidem multa loquuntur, atque, ut in ejusmodi solet negotiis, diversæ diversorum sententiæ sunt. Verumtamen prout investigare ab eis diligentius potui, qui interfuere, posui veritatem.

Quod etiam opus in quinque distinxi libellos, titulumque præscripsi: *Triumphale Bulonicum*. In quo etsi præter verum quidquam positum sit, relatoribus an scriptoribus æquius hoc imputetur, benevoli sententiæ lectoris defero. Sed amica religionis veritas est. Unde a quibus hæc accepi, nequaquam suspicer eos aliquid finxisse, dum modestia hoc excuset personarum.

Cæterum clara materies clarum poscit ingenium, et aureos sensus carbunculis decet illustrari verborum. Verum quod iners ego ac imperitus tantum aggredi negotium præsumpsi, amor duntaxat in sanctum et devotio me induxerunt. Quippe gratiarum debitor ille eram, quas ex historia tam solemni dependere non otiosum habui. Etenim cum per annum fere duabus angerer quartanis, et aut urerer ardoribus, aut frigoribus contraherer, ita ut præsentium pertæso miseriæ mihi et oneri jam esset, quod viverem, postquam nuper a loco quietis, sicut *infra* liquebit, reverendum sancti corpus elatum est, inter languentium alios greges suffragium imploraturus accessi. Quod indignum inexhausta fuerit clementia exaudire dignatus, habui experimento beneficium sospitatis.

Sed in Evangelio displicuere novem leprosi pro recuperata salute ad gratiarum actionem negligentes. Itaque exemplo gratifici alienigenæ ego humiliter adorans coram benigno Jesu, Deumque magnificans, hujus præconialis dictatiunculæ velut hostiam accepta repræsentaverim pro incolumitate tanto sacerdoti. Dum enim detestabile sit malum ingratitudo, æquum omnimodis est, divinis nos existere gratos beneficiis. Nempe quam gratus sit nostræ in se devotioni, ipse totius boni vel gratiæ largitor, luce clarius est.

Nec puto superfluum fore, si rem pietatis et gratitudinis plenam hic memoravero. Amici quidem supprimere personam, virtutes vero exprimere et cautelæ et ædificationis est. Jure publicatur, quod imitabile sit. Quod autem bona intentione prædicatur, nemo bonus male interpretatur.

Igitur quidam pauperculus devoto erga sanctam Trinitatem obsequio fervebat; nomen triumphale Patris et Filii et Spiritus sancti, per quod adversa evincuntur omnia, assidue complectebatur corde, confitebatur ore. Nam, sicut scriptum est: *Turris fortissima nomen Domini; ad eam currit justus et exaltabitur. Substantia divitis urbs roboris ejus, et quasi murus validus circumdans eum* (*Prov.* XVIII): quod idem quoque justus experiebatur plerumque necessitatibus. Qui scilicet dum quodam diluculo contemplationi et confractioni deditus, sese lectulo post vigilias reddidisset, repente carnis sensibus novo vigore permutatis, a Spiritu vehementi sublevatus in aerem est deductusque ad ecclesiam. Res pene incredibilis, sed Dei omnipotentiæ non impossibilis.

Cum fores essent clausæ, sic per ipsas, ac si per aliquod concretæ corpus nebulæ transivit. Naturæ siquidem auctor naturam, dum vult, immutat, prout vult, dispensat. Ergo difficile non fuit Sancto sanctorum clauso matris utero processisse in ortum, sed mirabilis mirabiliter humanatus sic filius esse voluit, ut Virgo maneret sancta, quæ genuit. Quisquamne illum dubitet clauso item sepulcro surrexisse a mortuis, clausis ad discipulos intrasse januis? Sunt hæc quidem secreta, attamen vera debent procul dubio credi, licet nequeant comprehendi. Enimvero et apostoli et alii sanctorum qui-

dam clausa leguntur ostia per divinam exisse vel intrasse mirificentiam.

Itaque pauperculus ille ad gradus sanctuarii depositus seipsum stupebat, seipsum palpabat manu, experiri cupiens, utrum in spiritu tantum an et in corpore illo sic advenisset; cum ecce sursum audivit miræ dulcedinis voces organicas concinentes: *Dies sanctificatus illuxit nobis, venite, gentes, et adorate Dominum, quia hodie descendit lux magna super terram*. Evestigio tantæ coruscatio lucis sanctuario infulsit, ut solis vinceret meridiani claritatem: qua etiam ille perfusus intendit ad majus altare. Paveo, miser, extremisco, infelix, quia, dum vir pollutus labiis ego sum, usurpo tantum eloqui arcanum. Sedebat schemate sancta Trinitas vere incomparabili. Pater aspectu coruscans reverendo ac regiis purpuratus ornamentis ex canitie capitis suorum antiquitatem prætendebat dierum. Spiritus sanctus faciei ac vestis clara jucunditate festivus, igne circumfusus liquidissimo erat, virgamque tenebat manu auream, utpote qui et afflatu accendit, et tactu erudit; cujus longævitatem canities quoque insinuabat. In medio videbatur noster ille vivens, noster ille Emmanuel, qui ut cum Deo essemus, cum hominibus esse non est aspernatus. In medio, inquam, pendebat in cruce ille *speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV), *ille totus desiderabilis* (*Cant.* V). O mitem! o humilem corde! Ipse, inclinato quam reverenter capite, gratias agebat prædicto pauperculo pro affectione, pro devotione, qua sibi soeret obsequi. Nam continuis ille sacrosanctam passionem votis recensere unicum ac votivum habebat, crucifixi imaginem adorare, amplecti, rigare lacrymis, quas cordis funderent interiora, tergere capillis, defigere osculis, et pro unguentis gemituosas preces atque charitatis exhibere odores.

Dum ad tantam ergo visionem procidisset in terram adoraretque, ac totis animæ vocibus et medullis glorificaret atque benediceret, subtracta subito gloria est illa. Qui eo statim, quo venerat, ordine ad lectulum est revocatus, ita ut in illum se demitti clare adverterit. Profecto, ut ait Salomon, talem siceram mœrentibus, tale vinum his, qui amaro sunt animo, das, o Lamuel, quod interpretatur *in quo Deus*, ut bibant et obliviscantur egestatis suæ, et doloris ne recordentur amplius, talem utique consolationem, tale gaudium, o Christe, o dilecte, votorum humilium præbes lugentibus et contritis corde, quatenus qui te desiderant et diligunt in veritate, a te consolentur, te interdum videant saltem per speculum et in ænigmate. Assertio quippe tua est: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V). Sed intermissa jam repeto.

Igitur primum volui prælibatum, unde aut quomodo supra scriptum Buloniense castrum in jus ac possessionem Sanctæ Mariæ Sanctique Lamberti accesserit. De situ etiam ipsius loci breviter explicandum duxi; neque arbitror usquequaque stylo succensendum pauperi, cum debeant res potius quam verba pensari.

LIBELLUS PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Lotharingiæ dux celebris Godefridus, qui hæreditario a majoribus jure Bulonium possidebat, cum Jerosolymam pereginari votum habuisset, quemadmodum in opere quod titulatur: *Laurea peregrinorum Jerosolymitanorum*, quatuordecim sum plenius libris exsecutus, pro mille ac trecentis argenti et tribus auri marcis Oberto Leodiensi episcopo idem castrum contradidit; vadum tamen nomine alterutrum scilicet tali conditione firmata, quatenus, si repatriasset dux, ipse facultatem haberet redimendi; sin vero minime reverti contigisset, eadem ad retinendum facultas fratri ejus Eustachio Bononiensi cederet comiti. Qui redemptione si supersedisset, tum vero in jus ac ditionem S. Mariæ, Sanctique Lamberti æterna hæreditate libera et rata possessione transiret. Igitur, duce Jerosolymis postmodum diem obeunte, et Balduino fratre in regem sublimato, comes Eustachius a Dominico repatrians sepulcro Lotharingiam venit, divertit Leodium. Multa ibi honorificentia in die Dominico Natalis ab episcopo, clero ac populo exceptus et obsequiis amplissime habitus est. Quidquid itaque in prædicto Castro habebat juris, coram testibus idoneis penitus abdicavit, tamque pro sua quam pro fratrum suorum atque majorum salute Sanctæ Mariæ et Sancto Lamberto cum omnibus pertinentiis in postera possidendum sæcula concessit, ad majus altare celebrata donatione, quam legali etiam per omnia tenore, scriptoque firmandam censuit omni prorsus reclamatione cujusquam sui aut fratrum hæredis vel consanguinei perpetuo interdicta.

Castrum illud in extremis situm Leodiensis episcopatus, Lotharingi Francique conterminium regni facit, tam sui natura quam humano cultu singulare, tum insolenti mœnium fabrica, tum præcipitiis scopulorum et altitudine confragosa, ad hæc vero spaciosa circumjecta nemoris vastitate, ac fluvio Simoi præterfluente, accessuque, ut est perdifficile, ita et insuperabile. Illic nec piscium copia, nec venatuum deest affluentia. Sed loci nonnunquam firmamentum habitatoribus insolentiæ parit fomentum. Qua de re castrenses in finitimos quosque cædibus et rapinis, aut quo libuisset, nocendi genere, quia faveret impunitas, fuerant plerumque grassati. Quod solerter prædictus recogitans episcopus ut tam suæ diœcesis quam duorum paci regnorum consuluisset, de thesauris subjectarum ecclesiarum collatam jam dictæ pecuniæ summam in ejus acquisitionem contulit,

multorumque per hoc tribulationes damnaque sustulit.

CAPUT II.

Ergo ad episcopatum usque Alexandri, ab Oberto quarti, Ecclesia quieto et libero jure ipsum castrum possedit. Quo præsidente Leodiensium respublica bellorum frequentibus turbis atque principum seditionibus non minimum agitata, ecclesiarum possessiones a pravis hominibus pervasæ, oppressæ familiæ, direpta sunt bona.

Atqui ob impunitatem scelerum malis tunc licebat uti malitia nullo judicii metu, nulla cujuslibet potestatis reverentia. Quippe statu rerum in diversa orbis Romanus dissensionum quassabatur tempestate, cum Roma duobus se divideret apostolicis, duo reges unum scinderent imperium, duo duces Lotharingiæ sibi ducatum alterutris vindicarent. Hinc malos extolli, deprimi bonos, rapere potentes, miseros perdere tempus dictabat indisciplinatum. Abstineo cæteris.

Illud autem non dissimulaverim, quod tum confidentia virtutis suæ, et divitiarum multitudine obfirmatus in superbiam Godefridus exdux Lovaniensis ferro, igni, prædationibus Leodiensem est aggressus impugnare Ecclesiam. Contracto præterea undeunde ingenti exercitu, penes castrum Dyrrachium ad conflictum processit bellicum. Dei vero intemerata Genitrice et sancto martyre Lamberto suæ parti faventibus, quamvis ecclesiasticorum impar fuerit longe numerus, cæso tamen perterritoque hostium non parvo grege, dissiluit confractum cornu peccatoris.

CAPUT III.

Talibus itaque ac diversis causarum aliis tumultibus dum urgeretur idem episcopus, dumque horsum suis, aliorsum imperialis distraheretur curiæ negotiis, non domesticis modo, verum exteris quoque hostibus incursandi episcopum dabatur opportunitas. Unde Rainaldus comes Barensis, vir multæ quidem potentiæ sed ingenii pravi ac subdoli castrum Buloniense pervasit a custodibus tam accepta quam promissa inductis pecunia per proditionem intromissus. Qua de causa Leodiensem suspectui episcopum semper habens, veritusque nequando instrueret contra obsidionem, præsidiis illud firmis præmunire studuit.

Post, ubi Alexander decesserat, Albero Metensis Ecclesiæ primicerius, clarissimo vir editus sanguine, in episcopum est subrogatus. Qui apostolicæ sedi super dolo injustitiaque pervasoris questus uti ab Innocentio secundo anathematis feriretur sententia, Leodiensis Ecclesiæ supplicationem obtulit. Verum hoc et ille præcavens Romam adierat, et muneribus curialium favore comparato, quo minime id ageretur, effecerat. Apud avaros enim pecunia quam justitia pluris est. Sed etiam quod ipsum sibi castrum jure propinquitatis obvenisset, asseruit; simul quod pecuniam, pro qua Ecclesiæ fuisset obvadatum, reddere voluerit. At vero episcopus pro eadem causa A Romanam secundo synodum expetens mansit inefficax. In tribus denique regalibus curiis, Conrado videlicet secundo regnante, Romanis censuram super hoc, tam regis quam procerum, interpellavit.

Verum nihil adeo profecit, ut aper idem vastatorius cum alio quodam Dominicæ vineæ impio vindemiatore acriori rabie spirans illustre oppidum *Fossis*, sancti martyris Foillani et corpore et memoria reverendum dolo similiter, furtimque aggressus, iret populatum everteretque per incendium. Nec vero quoquam obsistente (nam cives re inopina attoniti quaquaversum diffugerant) vis flammarum non solum domos ac turres, quin et sacram martyris ædem officinasque corripuit et assumpsit. Episcopalem quoque domum septaque muralia hostilis manus B pessumdedit. Alia etiam passim episcopo damna intulit. Quapropter episcopus Romam adiit jam tertio, apostolicum attentavit patrocinium, super scelerum tanta immanitate exoravit ejus judicium vel sententiam. Sed cum hoc parum prodesse perpendisset, reversus in sua per se tandem ac per suos experiri negotium intendit.

CAPUT IV.

Namque primatum conciliata suorum fidelitate, communicato assensu, et auxilii sponsione Bulonium obsidere statuit. Verum quia facto anticipasse famam, rebus nonnunquam proficit, omnia secreto agitans quod moliebatur, adversarios latuisse (voluit) quod præventi cautius, concludi possent facilius. C

Anno igitur sui episcopatus quinto XVI Kal. Septembris cum quibusdam e principibus et delectis equitibus in obsidionem processit. Egressi tunc fuerant duo filii Rainaldi, Ugo, qui et natu major, et Rainaldus junior, excursionem in episcopium facere ac prædari, multaque cum illis militum manus in armis expeditorum. Quibus milites episcopi occurrentes congressi sunt, illosque in castrum abactos constanter obsedere ferro, ignique grassantes. Quanquam vero castrenses ampliori essent numero, tamen rati plures, quam viderent, hostes in insidiis delitescere (nec enim tam arduum opus, tam paucam multitudinem aliter præsumpsisse), dum libere possent egredi, aut ingredi, sola tenebantur formi- D dine inclusi. Loci item firmitudine confisi eo vilipendebant obsidentes, ut totam noctem epulis commodantes ac citharæ pueros et puellas agere choros in eorum irrisionem præciperent, maxime cum illos, qui prærupta montis jam occupassent, abegeriut, et quosdam peremerint.

At episcopus et qui cum illo erant, stationem castris præscribere, tentoriorum instituere diversoria, tum noctu et interdiu excubias et custodias agitare, parati semper esse, nequando aut obsessi erumperent, aut comes Rainaldus, quod sæpe fama minabatur, repente cum exercitu incurreret. Abundabant vero rerum commeatu necessariarum, lætaque ministrabant equis pabula circumjacentes agri, necdum demessis segetibus ubere gleba præditi.

Hostium inserviebat usibus molendini officina penes fluvium Simoin instituta, quæ ad victum dum esset accommoda, spe ad resistendum illos armaret non minima. Cujus quidem rotas ut celerior incitasset motus, aquæ artificioso contextu sepium retentæ collectiores atque rapidiores superinfluebant. Quin et ipsi officinæ suum erat præsidium, quo ex hoste defensaretur.

Intendit ergo hanc intercipere Heinricus comes Namurcensis, hortatusque socios fluvium primus irrumpit, quatenus disruptis aquarum retentaculis in proprium eas alveum reflectant. Quem tres balistarii appetentes jaculis, uno anteriores armos equi, quem sedebat, alio crus ipsius, tertio nihilominus ejusdem equi transfigunt ilia. Quo ruente sessor in flumen una decidit. Clamor utrinque oritur ingens spectantium, efferuntur hostes gaudio. Comiti nec mora socii subveniunt, ab inter undis pertrahunt. Sed injuria iræ indignationisve stimulus est. Ne diu itaque hostes lætarentur, alligato comes vulnere ad cœptum opus acrior redit, nec abstitit, donec disjectis obstaculis ad liberum aquas cursum revocasset. Sic obsessorum gravi dispendio eidem officinæ molendi exemit officium.

LIBELLUS SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Interea cum ob difficultatem et suspectas locorum angustias nullus adire castra vel importare quidpiam auderet, necessariæ obsidentes deficere res cœperunt. Proinde legatis episcopus quoquoversum nuntiis de toto equites ac pedites episcopio convenire edixit, affatimque victualium conduci necessaria in expeditionem. Tunc certatim confluentibus copiis assultus plurimi agebantur. Oppugnabant hi, repugnabant illi. Vulnera mortesque hinc et inde. Neque autem ab obsessoribus quidquam omittebatur, quod fore in rem contra obsessos credebatur. Dum firmitas vero loci difficultasque omnia impatiens despiceret, solum illud in spem adduxerat obsidentes, uti profligarentur fame, quos humana fortitudo vel ingenium minus valerent subigere. Obsessis igitur omnes egrediendi seu ingrediendi præcludere aditus moliebantur.

Ea dum agerentur, nutu Dei omnia suaviter disponentis episcopo et majoribus Ecclesiæ visum est, ut venerabile beati Lamberti corpus, de loco motum suæ pausationis, ad castra deportaretur, quatenus præsentia vel munimine tanti patroni amplior accresceret animus exercitui, atque ubi virtus cessisset humana, divina per suum operari martyrem dignaretur omnipotentia. Nam principes quoque exercitusque omnis, populus denique civitatis, qui edicto erat episcopali processurus, id summopere efflagitabant. Quocirca licet multa hæsitatione, multo deliberationum tractatu, postremo tamen complacitum est necessitati tantæ satisfieri. Quod etiam approbasse martyrem, cum successu rerum, tum et revelationibus et indiciis est quibusdam satis compertum, asseverantibus loci custodibus, quod, tantis plerumque motibus circa dies illos feretrum, quo felicia claudebantur pignora, concussum sit, tantus terror incesserit divinus, uti non auderent illo, præsertim noctibus accedere aut ingredi. Nam obstupescunt carnalia, dum emicant spiritualia.

Ad cumulum profecto tuæ glorificationis hoc agebatur, o martyr, o decus et gloriæ corona Leodiensis, quod a loco transferebaris pristinæ quietis, quatenus tua per te reciperes, quia jam cohæres Christo factus in regno nullius nisi propter tuos egens factus esses.

CAPUT II.

Igitur VI Kalendarum Septembrium convenientibus tam monachis quam clericis atque numerosa diversi sexus et ætatis frequentia abbates, virique religiosi subeuntes in secretarium cryptæ, quod tantum asservabat thesaurum, debita sacrum feretrum reverentia extulere, mellitisque laudum convenientibus in voce exsultationis et confessionis personantibus in medio est ecclesiæ locatum. Multa ibi vota, multæ preces ac lacrymæ fusæ. Sancti quoque virtus præfulsit mirifice.

Quædam mulier, quæ capitis obsurduerat dolore, cum occurrisset ad feretrum, opemque fideli affectione, pio lacrymatu implorasset, subito in verticem grave quoddam pondus superne sensit decidisse, et quasi duos ferri duculos utrique auri penetrabiliter infixos. Ex quo terræ consternata dum ita cœlesti medicamine sensum audiendi plene recuperasset, Deo et martyri gratias reddidit.

Denique puella quædam passionis trino genere miserabiliter agebatur. Modo etenim febre, modo paralysi, interdum epilepsiaco quassabatur incommodo. Super qua nimium parentes affecti votum martyri vovere, illiusque ad martyrium cujuslibet speciei oblationem infirmæ æquilibratam deferre statuerunt. Piæ supplicum devotioni pia sanctæ Trinitatis operatio adfuit, quæ actutum puellam eisdem ad integrum passionibus liberavit.

Puer quoque erronei sensus ac turbidæ mentis in sobrium rationis statum compositus est. Alia etiam provenisse sanitatum ferebantur remedia. Sed miracula pro augenda fiunt devotione credentium. Fit ergo ad devotionem provectior, qui est ad credulitatem inclinatior. Tunc primi atque saniores provido solliciti metu ne quid forte tristius super martyris corpore accideret si delatum in castra foret (nam bellorum incertos eventus esse, atque nunc isthinc, nunc illinc adversa misceri et prospera), decreverunt, ut resignato eodem feretro inde levaretur, tutiorique interim loco reconderetur. Quod videlicet sunt exsecuti abbates religiosi, et ad hoc electi probabiles viri, qui beata ossa penes altare sanctæ crucis situm in oratorio eidem basilicæ adjuncto ingenti, sicut par erat, metu ac devotione ad

nocturnum transposuere silentium. Aliquas tamen in ipsum feretrum reliquias reponentes denuo signaverunt, et hoc ad castra exhibere perferendum.

CAPUT III.

Nec quievit pietas populi vovere vota, oblationes offerre, donec inde sublatum cum tabula operose fabrefacta, cui Dominicæ crucis portiuncula inesset, castris deportaretur, choris monachorum atque clericorum tanto Patri debito affectu et veneratione prosequentibus, atque canticorum officio usque Mosam fluvium per publicum montem deducentibus, per sanctorum cœnobia; inibi constituta honorifice prius decantatis laudibus.

Neque popularium defuit ingens turba, suas ipsi laudes, sua personuere cantica. Verum loculo venerabili excepto navi devotus grex pium pastorem multa obsecratione et lacrymis commendans, uti prospere abiret, prosperius rediret, quia gressu non ulterius valebat, diu tamen voto sequens et oculis in sua tandem rediit.

Concurrebat autem undique obviam feretro sancto de vicis ac villulis utriusque sexus multitudo; fiebantque sanitates plurimæ tam medicabilis ligni virtute quam beati martyris merito et oratione. Ad Nandriensem quippe villam ubi ventum est, homo languidus, quem acerba membrorum contractio dissolverat, ipsi feretro applicitus, exorataque sancti clementia celeri est sospitate instauratus. Deinde in villa Phriere cæcus lumen recepit oculorum. Unde cum esset digressum, quidam miles, qui quartano diu typo laboraverat, et capitis valetudinario urebatur assidue, ubi salubrem attigisset loculum, suppositisque humeris aliquanto tulisset spatio, incommodis fuerat liberatus. Qui etiam armis protinus A resumptis officiosas retribuens gratias secutus in expeditionem est.

Secuta dehinc nocte apud villam Uphei [*hodie* Oufes] mansione disposita, ubi præsto'abatur Leodiensis exercitus, devota fidelium sedulitas cum incolis loci celebre exegit pervigilium.

CAPUT IV.

Inde matutino dum movissent, advenit qui diceret, sequenti die, III videlicet Kal. Septembris, Rainaldum comitem cum quingentis equitibus, et quindecim peditum millibus bello conflicturum. Quapropter accelerato itinere prono jam in occasum sole Thelim villulam venere. Ibi cives paulo ante Hoiensrs hospitati, sed hospitum humanitate hostiliter B abusi annona et rebus eos necessariis fuerant populati.

Nocte ergo media directo exercitus ad episcop..m Veredario, qui super bello dísceret, cum postera in lucem jam aurora crumperet, exinde progressi Vilantiam properato villam contendere. Illuc rediens legatus bellum eo procul dubio futurum die nuntiat. Sed formidolosos sinister facile rumor enervat. Unde complures incepta formidine fracti, soloque auditu vulnerati sunt. Diffidentia ergo subterfugere muliebri. Ac cæteri cum vitalis ligni, tum sancti martyris confidentia potius quam ferro armati, per angustos semitarum tractus in auxilium sociis maturaverunt pectore virili. Ab utroque autem exercitu missi exploratores, qui quomodo sese partes haberent, ve- C stigare ac referre deberent, dum sibi occurrissent, taciti ac dissimulantes ad socia se castra retulere, atque hostes quidem ex suis cognito, quanta obsidentium, quanta eorum, qui tunc confluxerint, esset copia, satius probaverunt conatu temerario absistere, quam periculum in se ultro arcessere.

LIBELLUS TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

Posteaquam fuerat auditum in castris Dominicæ crucis insigne cum tanto adesse patrocinio, ab episcopo exercituque, pro exspectatione belli instructo, armis occursum est. Ea igitur incessit lætitia, eæ choros ducentium voces insonuere, uti existimasses arcam fœderis Domini exercituum tunc excepisse Israel. Et sacrum quidem feretrum intra paratum sibi tentorium in loco, qui *Pratum Sancti Lamberti* dicitur, receptum, deputatisque custodibus, et qui congruis temporibus divinas dicerent laudes, clericis, quidnam in se contineret, quantam detulisset opem, mira cœpit continuo declarare potentia, ut liquido patuerit omnibus venisse Deum in castra.

Enimvero ad præsentiam ejus, qui erant in castro sive præsidiis, et invicto se loci situ inexpugnabiles arbitrabantur, subita hebetudine ac metu quasi fulmine tacti, per hoc, si mens non læva fuisset, sibi animadvertissent prædici quod tali forent machina expugnandi. Quinetiam Ugo, qui hæreditario jure *ipsum post* patrem possidere castrum acceperat, dum viso eminus feretro, juvenili arrogantia insultaret, toto statim dissolutus corpore cœpit tremere, sensuque perdito retrorsum ruit: excors et insolens qui non intellexisset, cujus indigne fieri cohæres attentaret. Sed ubi paulatim sese resumpsit, Rainaldum fratrem cum primis e familiaribus seorsum evocat, quantum terroris patiatur, aperit, intentionem in eo suam esse, quatenus sancto martyri satisfaciat, suumque castrum illi restituat. Super quo etiam voluntatem esse patris quærendam, ac sibi, quo urgeatur, periculo insinuandum. Se omnimodis obsecrare, ut pereunti paterna pietate prospiciat. Quod petebat, sese exsecuturos illi compromittunt.

D Induciæ ponuntur in hebdomadam, intra quam hoc ipsius referri potuisset. Leodiensis acies tertio, postquam advenerat die, post missarum agendam, post salutis commonitorium et peccatorum absolutionem armis accincta, præsidium, quod superius dictum tuebatur molendinum, aggreditur. Hoc etiam eadem cum officina injectis ignibus absumit, plures

sauciati utrinque, et aliqui lethaliter occubuere. A Quin et sacerdos quidam, dum periculo incautius se exposuisset, a balistario capite trajectus interiit.

CAPUT II.

Evolutis induciarum diebus cum præscriptus juvenis suos requireret quid egissent, quid super salute sua tractassent, vel patris quæ esset sententia, ubi nil actum intellexerat, gravi stomachatus indignatione, volentibus, inquit, sive nolentibus, quod suum est, sanctus recipiet. Sed en ego divina plector animadversione, et vestra faciente obstinacia crudeli en morior! Verum, o milites, o amici, si qua mei vos movet miseratio, si misero parcitis, inite jam demum mihi ac vobis salubre consilium. Dum instaret vehementius, illi ultra non ferentes eum B tam dire anxiari, nocte secuta per abditos silvarum calles misere castri procuratorem et militiæ antesignanum, qui ad patrem illius rem perferret, ac referret sententiam. Qui juramento etiam firmavit, quod sequenti haud dubie Dominica revertetur, nisi forte aut hostili captione, aut morte præventus. Sed ab eo fides neglecta, posthabita est sponsio. Nec enim peregit legationem, nec rediit ad socios, sed cuidam militi adjunctus de his quæ in castra convehebantur, prædationes agebat.

Juvene qui morarum fastidiebat tarditatem, condicta denuo die a suis exquirente, quænam voluntas seu deliberatio patris esset, ac respondentibus se nuntium misisse quidem, minime vero esse reversum: tum acerrimo luctu ille æstuans et mente ca- C ptus horrendo cœpit modo agitari, seipsum discindere, manus brachiaque dentibus appetere, ad sancti velle feretrum prorumpere. Verum ligatus a ministris penes remotiora continebatur, divulgato, quoniam ægrotaret. Sed nullam eo admittente quietem, imo quæ sola sibi libera remansissent labia, linguamque morsibus lacerante, idque inter inconditas crebrius voces perstrepente: *Quærite consilium, quærite*, sui mœrore et anxietate circumfusi statuere Rainaldum fratrem ejus tam tristis nuntium rei apud patrem fieri; fortasse præsentis aspectu, absentis alterius filii traheretur affectu, parvipenderetque alienam hæreditatem, ob quam tam gratum amitteret hæredem.

D At cum adolescenti processuro electissimum vellent equum exhibere, itatenus bestia neque ictibus urgeri, neque hortantium potuit vocibus moveri, ut fixo gradu in simulacrum putaretur obriguisse. Qua scilicet difficultate facta accessit experimento etiam artis industria. Nam ipsius equi velavere oculos, agebantque, quatenus vel sic procederet. Quia vero non est consilium, non est conatus contra Dominum, hærente illo astus solertiaque exinanita est hominum. Ita ergo adolescentis iter impeditum.

Possessor autem equi molestissime habens tanti se usu vehiculi destitutum, ne deficiens quoque in mortem conspexisset, sequenti die armigero jussit, si quo posset pacto aquatum illum producere, et alicui saltem adversariorum attribuere. Quod ultroneum statim minantis sequens arbitrium a montis est supercilio ad aquam deductum. Unusque militum mox ascendit transductum, et bello habile, et cursu probavit præstantissimum.

CAPUT III.

Igitur conjicere castrenses poterant, sese divinitus impediri atque superiori bestiæ repugnantia suam rebellionem pertinaciamque coargui. Nec minus porro in eis quam in juvenibus illis notam fecit sanctus virtutem suam, qui post furoris quidem contentionumque jurgia plerumque tanta adversum semetipsos armabantur insania, uti alterutros gladiis appeterent.

Horroris quoque ac terribilis cujusdam pavoris tetra super eos caligo incubuerat. Sicut enim postmodum fatebantur ipsi, singularem tunc in eis animadvertisse miseriam fuit, cum exteriori non solum obsidionis vallarentur angustia, verum, gravius quo nihil esset, intestino discordiæ malo sua lacerarent mutuo viscera. Quo contra dum captivus quidam, qui plurimum jam tempus illic fecerat in compedibus, virtutem martyris invocasset, ex edito se turris loco deorsum mittens quamlibet devolutus per asperrima sit præcipitia, non solum læsionis tantum nil pertulit, quinimo vincula, quibus stringebatur, superno soluta beneficio ab eodem sunt ante feretrum deportata, et in argumentum tantæ virtutis appensa. Etenim fides ac devotio merentur gratiam; perfidia et præsumptio incurrunt offensam.

CAPUT IV.

Ædificabatur interea grandi opere machina, quæ plurimam polliceretur spem adversarios opprimendi, quam scilicet manus artificis volubilem construebat solidissimis subter rotis quatuor insertis. Desuper vero stationem, quæ dimicantes contineret, crudis diligenter boum tergoribus vestiebat, quo tali obstaculo missilia hostium impacta frustrarentur. Locus quoque, per quem illa trahi placuerat, nemore expediebatur, ubi complanato ad montem accessu adversum munitionem ipsius tuentem montis fastigia, applicari debuisset, quam dum milites loricati admodum mille quingenti adnisu spectabili traherent, ruptis subito funibus humi concidere, talique sunt illusi infortunio.

Quin et ligneum parabatur instrumentum, quod super Simoin trahendum, observantibusque intus balistis, ne obsessi aquam haurire descenderent, esset inhibiturum, nec non sagittariis e castro jaculantibus objiciendum. Sed cum deflueret tempus, in exstruendo tædere populum cœpit morarum, præsertim dum et profusior intemperantia priorem abundantiam gravi exclusisset victualium inopia, gravemque gigneret continuus imber intemperiem.

Porro et milites, qui quolibet illustri facto suam emittere industriam cuperent, contra principes jam causari super rerum dilatione, et quod nihil agere præclarum juberentur. Sed virtus profecto divina suo reservabat martyri triumphales titulos. Sic

namque cuncta sapientium ingenia, sic cunctæ consultationes fluctuabant, ut, quod deliberatum vesperi esset, postero mane vix aliquando agi placuisset.

A Huc etiam accedebat, quod Rainaldus comes plurimas contrahere copias, instanterque moliri bellum ferebatur.

LIBELLUS QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

Cum se igitur plurimi subducerent, tædio alii, alii victus indigentia exhausti, decrevere primores machinarum ulterius non præstolari consummationem, quin potius totis in commune viribus adversum prædia hostium congressus experiri.

B Ad quintum decimum itaque Kalendarum Octobrium, qui dies glorioso splendescit natalitio beati Lamberti, ut se in expeditione quisque pararet, edictum est in castris. Nam eo magis die virtus sancti sperabatur adfutura præliatoribus suis. Tum vero exercitu peditum, qui centenorum æstimabatur millium exceptis equitibus, quorum tria essent millia, certatim ad assultus concurrente, infinita lignorum, ramorumque a silvis congeries advehebatur. Qua sub ipsa munitione aggesta, ignibus admotis nitebantur suscitare incendia. Sed vento vehementi ex adverso aspirante injuria fumi simulque flammarum globis oppugnantes affecti absistere cogebantur. Ita nihil eo conatu profecerant.

C Verumtamen ibi quoque tunc operata est manus martyris. Quanquam enim inconsultius plurimi pugnarent, ac nudo corpore, et obviis pectoribus fuerint hostibus expositi, nullus tamen fuit, qui se illo quereretur fuisse assultu gravatum. Ac militaris summopere cohors communita ferro per abrupta montis reptabundo vix gradu conscendit, atque inter duas munitiones, quas ante majus castrum comes exstruxerat Rainaldus, constitit. Quæ profecto res non minimam foret hostibus necessitatem allatura egrediendi vel ingrediendi facultate interclusa. Tanto autem dissensionis furore miseros ille dies induerat, ut suæ defensionis ac salutis immemores ferali potius invicem rabie baccharentur. Sensu etenim feræ induitur, qui Deo repugnare nititur. Verum jam D hespero diem claudente descendit exercitus de monte, militibus duntaxat loricatis studio acriori urgentibus inclusos.

CAPUT II.

Venit tunc in castra Heinricus comes Salmiensis, ex sorore ortus Rainaldi comitis. Hic ab episcopo et principibus petitis atque impetratis induciis collocuturus nepoti suo Ugoni, quem esse inæqualem audierat, et tam illos quam cæteros ad deditionem hortaturus in castrum successit.

Ea nox tetræ caliginis situ inhorruit inclementia nimborum pugnacique austro, placida serenitatis cœlo quiete ejecta. Discussit castra sæviens procella, et affecit inundatio; sed laudabilis sufferentiæ exercitus scutum objecit incommodo. At milites, qui pernoctabant in monte, hic quidem nec aliquam intemperiem, nec armorum pertulere onera, eo quod gloriosa sui patroni protectio illis in securitatem et in absconsionem fuerit a turbine et a pluvia. Comes denique, viso juvenis tam exitiali malo, divinam esse ultionem animadvertit, compunctusque in lacrymas, ut simile caverent, reliquos admonuit. Unius etenim plagam pluribus debere fieri cautelam.

Accepta proinde ab universis sponsione, quod nisi intra dies septem a Domino suo illis subveniretur, se et castrum dederent, quatenus idem Ugo ad feretrum martyris efferretur, et ab episcopo solveretur excommunicatione, et eorum quæ in sanctum deliquisset, veniam mereretur, obtinuit. Veruntamen talis interjecta pactio est, ut quousque fieret deditio, ipse juvenis apud episcopum obses detineretur. Quin et frater illius Rainaldus, qui ne fieret deditio pertinaciter restiterat, gravi confectus dolore membrorum, ad feretrum perducitur, sancto satisfacit, voto se obligat, quod res ejus nulla ulterius temeraret pervasione, dummodo imminens evadere periculum meruisset.

CAPUT III.

Nonnulli etiam adversariorum, alii alio ultionis modo multati sunt, ne quis leve æstimaret manus mittere in Sanctum Domini.

Interea Ugo cruciatuum longo angore consumptus, multumque martyris nomen inclamitans diem clausit extremum sane per hoc insinuans, quo indignante compulsus sit ad exitum.

Ad cujus scilicet patrem comes præfatus maturato proficiscitur; supernæ indignationis iram, primogeniti mortem, alterius incommoditatem, suorum miserias exponit attonito, suadetque sibi tandem ac suis consulat. Cum res enim tam in arcto sint, cedendum esse, et debere dimitti quod nequeat retineri. Itaque perpendens barbarus ille, quia velle Divinitati repugnare conatus esset humanos excedere, malorum violentia extorsus in deditionem consensit anno a pervasione duodecimo. O diem triumphalem! Tunc plane sicut sol in ortu suo rutilat, ita martyris nomen effulsit magnificentia, qui de cœlo contra hostes dimicans, quod penitus non potuissent humanæ vires, divinæ virtutis hoc peregit potentia.

Ejectis igitur e castro adversariis XI Kal. Octobris intromissum est splendido cum triumpho feretrum venerabile et in medio ecclesiæ locatum, quæ camerato transvoluta opere decentis structuræ reddit aspectum. Hæc sancti Baptistæ Joannis sacrata est ad titulum, quem Lambertus splendide imitatus

æque occubuerat propter justitiæ et castitatis testimonium. Dicebantur itaque laudes Deo secundum multitudinem magnitudis ejus; præconia martyri, quoniam humiliasset sicut vulneratum superbum, et in virtute brachii sui dispersisset inimicos suos.

LIBELLUS QUINTUS.

CAPUT PRIMUM.

Triumphatis hostibus postquam noster fortis armatus sua recepisset, omniaque illius jam in pace disponerentur, suam repetere Leodium placuit. Unde celebratis post biduum mature missarum solemniis, feretrum plaustro superpositum ad oppidum Deonantum est subvectum; inde Namurcum petitur. Illic puero septenni cæco a nativitate videndi per martyrem usus provenit. Apud Andetennam quoque B clericus acerba corporis valetudine exhaustus ab ipso pene mortis hiatu ad vitam retractus est et salutem. Nec Hoiense oppidum tam medicabilis gratia præteriit. Ibi contracto, quem nunquam ambulasse testarentur parentes, novi gressus officia indulsit.

Jam porro ubi feretrum navigio Leodium peraccessit, triumphali coronata gaudio tota se in occursum civitas effudit, plausibilibusque canticis, ac festis ordinibus duci emerito pompæ morem prætulit. Exceptumque in portu Sancti Jacobi a monachis et clericis ecclesiastico cultu, atque per insulæ monasteria deportatum, redditisque canora modulatione hymnis, ad majorem denuo est ecclesiam relatum. Corpus deinde beati martyris ab altari S. Crucis, penes quod repositum fuerat, levatum est, C decentique illatum feretro, in medio ecclesiæ debitis asservabatur obsequiis. Nec supernæ destitit pietatis munificentia, quæ ad probanda illius merita iterare sit dignata salutis opera. Nempe dum quidam languidus, quem totum possideret ægritudo, ad ejus martyrium deferretur vehiculo, gratia sanitatis illius fidei occurrente in itineris medio antiquo decem est leprosorum salvatus exemplo, qui dum irent ostendere se sacerdotibus, jubente Domino, priusquam pervenissent, mundati sunt ab lepræ incommodo. Exsilivit ergo, stetit, et ambulabat ille homo, et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.

Quemdam quoque captivum quem in vincula arctamque custodiam barbaries conjecerat hostium, D se invocantem exaudivit, ut eriperet pii martyris meritum. Nam subito dissiluere, quibus vinciebatur, boiæ, sicque indepta fugiendi opportunitate, ut suum honorificaret liberatorem, easdem pro virtutis indicio ad ecclesiam detulit cum gratiarum actione. Sed sanctorum vera beatitudo signorum non eget testimonio. Quocirca vanum æstimo his superaddere plura, cum prorsus pateat indubitate, infinitaque astipulentur documenta, sancto martyri apud Deum nihil esse impossibile. Verum acta hæc Dominicæ Incarnationis anno 1141, indictione IV, regnante Romanis Cunrado secundo, anno regni ejus quarto, episcopatus autem domni Alberonis secundi quinto. Laudes meritorum ipsius et mirabilium, quæ fecit, præconia posteris mittent sæculis, ut omnis cognoscat generatio.

CAPUT II.

Præterea dum filii hominum irritarent in vanitatibus suis Dominum, abutendo maxime immoderatis cultibus et lasciva superfluitate vestium, et ipse in virga et verberibus visitaret iniquitates et peccata eorum, ita ut in quibusdam mundi partibus interdum ipsa hominum corpora illæsis vestibus, interdum ipsæ vestes igne invisibili arderent intactis corporibus, plagæ tam horrificæ pavens urbs Leodiensis potissimo duxit remedio præoccupare faciem Domini in confessione, pœnitentia et litaniis.

Quapropter etiam visum est ut beati Lamberti corpus per loca sua deberet vicosque deportari, quatenus tanti patroni merito et sanctificatione tueri, conservari meruisset. Id magno affectu et celebri devotione monachorum, clericorum, ac popularis frequentiæ actum est. Verum, quod sine gemitu et dolore non dixerim, quidam laicorum se ingerentes, ac feretrum deportatione indebita temerantes martyris potius exacerbavere iram, quam commeruere gratiam. Nam præsumptio magis est quam religio ab indignis sancta contingi. Sinistris evestigio rebus hoc probatum est.

Etenim civitatem casuale corripiens incendium, cum per eadem maxime loca, quibus fuerat portatum, totis se laxasset habenis, non præclaras domos tantum, infinitasque supellectiles, verum ecclesias quoque, mœnia, seu turres aut est depastum penitus aut non mediocri demolitum jactura. Nec evaluit ad obsistendum conatus aliquis vel opera, quin voracibus flammis subsideret urbis pars maxima et venustissima. Sed equidem, uti postea comperimus, sine divina hoc ultione non accidit, dum flagitia inhabitantium pessima ignes tam validos accendissent, quod non solum proxima, sed etiam longinqua halitu ipso scintillisque minimis inflammarent.

Memorabile vero quiddam interfulsit, quia matronæ cujusdam habitaculum quamvis esset ligneum, tamen evasit discrimen. Ardebant undique grandes ac muratæ domus; habitaculum illud sinuamina flammarum horrendo circumdabant camino, sed durabat illæsum. Quin et sancti Georgii martyris contiguam prorsus ecclesiam absumpsit incendium; illius habitaculi aridam ac pene cariosam parietum fabricam innocui allambebant vapores, quorum tanta vis esset, ut saxa quoque dissolveret. Sed

enim piorum plura sunt bona, quæ homines lateant, Deo manifesta sunt. Proinde credendum est, quod pia conversatio mulieris hoc meruerit, ut circa illam prisci novaretur sæculi miraculum, quo tres pueros nil penitus læsit, imo clarificavit fornax Chaldæorum.

Conjiciebant tamen plurimi, sanctum illi Bartholomæum præsidio adfuisse, cui summopere devota existeret, ad cujus quoque ecclesiam ante aliquot dies pallium obtulisset. Nec equidem minus reticendum, quod ignis, cum ad quamdam ejusdem apostoli officinam circumquaque tempestatis instar sæviendo pervenisset, repente conciderit. Attollebantur interdum cumuli flammarum velut indignantes ibi subsistere, et ædificium invadere certabant; sed in semet relabebantur, sed minuebantur. Nam gloriosus ille *suspendentis aquas filius* meritorum eos fluentis restinguebat; nec ibi jus periculum habuit, ubi se patronum Bartholomæus exhibuit.

Frequentes præterea motus ac turbæ, et ab sicariis Arduennensibus furtivæ aggressiones et cædes, aliaque passim nostræ civitati incommoda tunc obtigere. Quod scilicet hominum genus, cum se potissimum latibulis tueatur silvarum, impunitatemque difficultatibus aucupetur viarum, plurimum sæpenunquam nocere, non facile vero circumveniri aut opprimi potest.

CAPUT III.

Elapsis post hæc duobus fere annis, venerabile martyris corpus in crypta, sub altari S. Trinitatis, ingenti cum gloria et honore XIV Kal. Januarias est relocatum, per hoc scilicet temporis spatium tam feretro quam secretario eodem, auro ac gemmis, tum et lapideis extrorsum tabulatis, superiorum triumphum operosa repræsentantibus sculptura, præclare adornatis. Sancitum insuper episcopali est auctoritate, idipsum Ecclesia Leodiensi prolante, ut IV Kalendarum Maiarum ejusdem triumphi, necnon et translationis (quia idem martyr de Trajecto in Leodium est translatus) solemnis in posterum agatur memoria, quoniam IX Kal. Januarii ipsa primitus translatio facta, eo die propter Dominici Natalis vigiliam debita non posset celebrari honorificentia. Quæ nimirum qualiter a sancto sit Huberto divina olim admonitione peracta, quot et quantis virtutum signis tunc mirificaverit Dominus sanctum suum, quia reperitur a multis multimode conscriptum, visum meæ est parvitati inde habere silentium. Attexere vero opportunum reor, qualiter anno quoque ab Incarnatione Dominica 1153, virtus martyris erga suos Leodienses claruerit. Nam dare operam sanctorum laudibus claræ sedulitatis est; nec carebit præmio devotus laudator, si ejus, quem laudat, sedulus fiat imitator.

Inter Heinricum episcopum, qui suprascripto successerat, Alberoni, et comitem Namurcensem Heinricum graves inimicitiæ a factiosis sunt hominibus conflatæ, ita ut plurimorum infligerent sibi damnorum incommoda direptionibus atque concremationibus villarum seu ecclesiarum, et hominum utrinque cædibus sævirent. Ad postremum decernere bello comes non est veritus, equitumque collecta peditumque manu Andetennam accessit, villam penes Mosam fluvium sitam, contra quem processit episcopus, licet equitum minore numero. Leodienses enim Hoiensesque cives dum classe processissent, metuens episcopus ne adversariorum illos equitatus incursaret, sequi non distulit. Ea præventus necessitate equestres aggregare copias minus occurrerat. Sed procul dubio Christus martyrem suum hoc etiam destinarat triumpho glorificare.

Kalendas siquidem Februarias cum armatæ in pugnam acies concurrissent, tanto repente pars hostium stupore alligata est ut se imbellem ipsa stuperet, etiam ipsis quodammodo telis ad feriendum tardioribus. Primi ergo et electi eorum equites dejecti et capti sunt, fugæ cæteri consuluere, et quibus nonnulli vel sauciati vel comprehensi. Pedites aut concidere ferro, aut funibus abstracti sunt, nisi quos pedum salvavit velocitas. Efferimur ergo Ecclesiæ glorioso successu, neque dubitamus accidisse quasi miraculum a Deo. Etenim dum adversariis nec virium copia, nec armorum defuerit experientia, adeo ut securi victoriæ funes quoque quibus abstraherent victos deportarint, ne unus tamen ecclesiasticorum aut vulneratus aut captus est.

Igitur victores quia parcerent victis, et maxime quia celebritas instaret sanctæ Dei Genitricis, omissa fugientium insecutione, triumphali cum tripudio in sua regressi sunt. Sic Moab ille, cujus audivit Ecclesia superbiam, quod superbus sit valde, fractus quidem est armis, sed non fractus animis, quoniam superbia ejus et arrogantia ejus, et indignatio ejus, plus quam fortitudo ejus.

Tu porro humilis, gloriose, tu martyr victoriose, cui floribus gratiarum et laudum scripti hujus coronam qualemcunque texui, omnia tuis supplicibus adversantia invictæ manu miserationis exclude, vultuque respiciens sereno vide et visita vineam Leodiensis Ecclesiæ, tuoque irrigatam sanguine et fecundatam corpore sub umbra alarum tuarum ab impiis atque affligentibus æternaliter protege.

VITA EURACLI
LEODIENSIS EPISCOPI QUADRAGESIMI QUINTI
AUCTORE REINERO.

(D. Bern. PEZIUS, *Thesaur, Anecdot.* IV, 155, ex cod. ms. S. Laurentii Leod.)

INCIPIT PROLOGUS.

Quantum honorificentiæ, quantum gratitudinis A Euraclo, gloriosi memorialis episcopo, Ecclesia Leodiensis debeat, operæ pretium est recolere scripto, quam scilicet moribus, doctrinis, basilicarum structuris tantopere excoluit, in hac Domini vinea vere operarius solers atque industrius. Propterea mercedis æternæ non est fraudatus denario. Fidelis est enim et verax, cum quo convenit eodem ex denario vineæ Dominus, qui reddat unicuique secundum opera ejus.

Euracli utique gesta quoniam fuere præclara, fuerant et præclaro digna scriptore, qui peritia dictionis bonæ secundum Prophetam diceret justo, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet. Dixerunt et quidam scriptores aliquid de illo, sed minus bene, quia minus diligenter aut plenarie. Sparsim igitur dicta exegit quorumdam fratrum benevola simulque importuna petitio, ut in unum colligerem, et diligentiore stylo facerem ex pluribus scriptis unam scriptionem, quemadmodum feceram in describendo Vitam S. Wolbodonis Leodiensium item episcopi.

Verum exilis ego ingenii ac nullius scientiæ conscius excusavi et reluctatus sum diutius, intra me illud versans poeticum :

Sumite materiam vestris qui scribitis æquam
Viribus, et versate diu quid ferre recusent,
Quid valeant humeri.

(HORAT., *Ars poet.* 38, 40.)

Quoniam vero charitas secundum Apostolum benigna est, nec quærit quæ sua sunt, sed quæ aliorum, et omnia sustinet, quanquam supra vires meas perpenderem esse negotium, tamen parvi B tandem petentibus, malens imperitiæ notam subire quam benevolentiæ fratrum non obedire.

INCIPIT VITA.

CAPUT PRIMUM.

Egregium Leodiensis Ecclesiæ decus, claro Saxonum Euraclus sanguine fuit oriundus. Ipse apud Coloniam Agrippinensem ad litterarum dispositus rudimenta, tantam postmodum in divinis æque et C humanis assecutus est scientiam, ut summis par esse philosophis jure censeretur, præsertim cum venustatem corporis mores etiam inaurarent splendidi, et juxta Salomonem in facie prudentis luceret sapientia.

Veronæ autem Cisalpinæ, quam vulgo Bonnam dicunt, magisterio præditus scholarum, mira benignitate tam suos scholares quam universos studii ad se causa confluentes erudiebat, et sese contemperans quibusque et acclinans his solidum quidem doctrinæ cibum, illis lacteam quasi maternis præbebat ex uberibus alimoniam. Flaccus Rebius Minutio Rutilio conscholastico suo Donatum describens grammaticum, super quavis ratione, inquit, consultus dicebat breviter omnia et furibunde, ita D ut nec a discipulis auderet interrogari. Quocirca furore dum sæpius perstreperet, obscenisque esset tam membris quam moribus, ordine senatorum et curia pulsus est, dum senatoris antea meruisset pileum propter grammaticæ artis magisterium. Rebium ergo dixisse existimes : Sic Donatum decuit scientia, quemadmodum si auribus suis coaptetur inauris aurea. Verum minime talis noster Euraclus, qui non exspectabat interrogari, sed insistebat, quo interrogaretur, non fastidiens, non lassescens, quantumcunque, aut quotiescunque quidlibet ab eo quæreretur. Adeo profectui studebat aliorum, nec habebat repositam in sudario desidiæ pecuniam domini sui, imo expendebat eam liberaliter in usuram cœlestis gratiæ, pigros ac desides in studia excitans illo Salomonis proverbio : *Qui operatur terram suam satiabitur panibus; qui autem sectatur otium stultissimus est* (*Prov.* XII). Itidemque illos jucundissimo ingerebat satyrici versiculos :

Ut jugulent homines surgunt de nocte latrones :
Ut teipsum serves, non expergisceris? At qui

Si nolei sanus, curres hydropicus, et ni
Posces ante diem librum cum lumine, si non
Intendes animum studiis et rebus honestis,
Invidia vei amore vigil torquebere.
(*Horat. Epist.* lib. I, epist. 2, 32 38.)

CAPUT II.

Fidei ergo firmitate et operum nitore vir eruditus erat, ut scriptum est : *Quasi vas auri solidum omni lapide pretioso adornatum* (*Eccli.* L). Quem licet invitum ac renitentem Veronensis Ecclesia sibi præfecit præpositum, experiebaturque in illius ministerio, quantæ strenuitatis, quantæ esset fidelitatis, ut jure diceret illud Isaac patriarchæ : *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus* (*Gen.* XXXVII), dum offerret fructum bonum, quod fuerat in illo bene seminatum.

Dictum itaque illi est a Domino : *Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis supra multa te constituam* (*Matth.* XXV). Decedente etenim vita Baldrico Leodiensium episcopo hujus nominis primo, in electionem Euracli atque substitutionem clerus ac populus felici studio, summaque animatus est concordia favente et adnitente Coloniorum archiepiscopo Brunone, qui et illum egregie sibi compertum solemni benedictione sacravit in episcopum, exsultans in gaudio, lucernam talem poni super Ecclesiæ Leodiensis candelabrum.

Religione igitur et doctrinis Euraclus lucebat omnibus, qui in domo Dei erant, adeo ut scholas etiam per claustra urbis monasterialia institueret, docendisque pueris provideret magistros, sufficientia illis stipendia et annuos redditus assignans. Litterarum quoque studia tanto fervore prosequebatur, quod nullæ illum occupationes retraherent, quin sæpius scholas adiret, artiumque disciplinas scholaribus pro cujusque ingenio et captu insinuaret. Verum si aut in expeditionem, aut in aliqua regni negotia evocatum contingeret diutius remorari, quos reliquerat, scholarum magistros, provocabat strenue ad studiorum palæstram mittendo scripta vel hilari prosa, vel dulci metro composita. Namque et ab Italicis et Calabricis partibus signa sequens imperialia, non omisit interdum scribere. Nec abstitit intentione tam laudabili, quousque multa fructificaret in multis scientia, cum quibus videlicet jam conferebat de rebus mysticis atque per hortos Scripturarum spatiando fruebatur cum illis de pomis, ut ita dixerim, fructuum solis ac lunæ, id est de sacramentis et dogmatibus Christi et Ecclesiæ, de pomis etiam collium æternorum, id est de actibus et eloquiis Patrum catholicorum.

CAPUT III.

Euracli summopere amplectebatur industriam Bruno, de quo præmissum est, Coloniensis archiepiscopus, et archidux Lotharingiæ, qui ut summæ nobilitatis, ita et summæ religionis ac prudentiæ ornabatur gloria. Hic cum fratre suo imperatore, scilicet Ottone, regni, seu imperii potenter ac industrie moderabatur gubernacula ; nec sæcularibus

A adeo distrahebatur curis, ut non præponeret, quæ essent ecclesiasticæ provectionis. Inter cætera enim quæ fecit magnifica, cœnobium quoque Sancti Pantaleonis penes Coloniam exstruxit, monachos in eo abbatemque instituit, locum thesauro et redditibus ditavit amplissime.

Hujus studium æmulatus Dei æmulatione noster Euraclus (nec enim erat inferior devotione) duo in hac urbe monasteria condidit : unum Sancti Pauli, alterum honori et titulo dedicans Sancti Martini, nec non per unumquodque triginta canonicos deputans. Ac licet sæpenumero premeretur tanquam uva dulcis adversitatum torculari, militantibus quibusdam villas seu bona episcopii usurpantibus ; sibi tamen in eisdem monasteriis servientibus
B uberes decimarum ac prædiorum redditus acquisivit, et chartulari munimine firmavit possidendos perpetue ; mallebatque penuriam rei familiaris nonnunquam perpeti quam pauperibus non tribuere, aut eis, quos aggregasset Deo, necessaria deesse.

Sicut denique in Zacharia legitur de Jesu sacerdote magno, quoniam Satan stabat a dextris ejus, ut adversaretur ei ; sic aliquoties per suos etiam cives Euraclo adversatus est, eatenus, quod vice quadam cellaria ipsius vinaria in monte Sancti Martini sita, tanquam filii Belial, id est absque jugo, ter effregerint rubeosque Wormatiensis vini rivos in subterfluentem Mosam per prona diffuderint. Sed, quoniam scriptum est : *Doctrina viri*
C *per patientiam noscitur* (*Prov.* XIX). Et : *melior est vir patiens viro forte, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium* (*Prov.* XVI), cum retribuere posset mala pro malis ; satagebat tamen in bono semper vincere malum, ac multo magis ignoscere, quam ultionem exigere. Sic ergo secundum Osee prophetam memoriale ejus sicut vinum Libani, ut quia Libanus *candidatio* interpretatur, cœlesti nitest candidatu, et vino lætitiæ fruatur perpetuæ. Asiis autem Thebanis patiens habitus sit Socrates quoque philosophus, quem dum aliquando Xantippe illius uxor procellis urgeret conviciorum, tonitruans hominem esse fœdissimum, recalva fronte, simiis naribus, pilosis humeris, cruribus repandis, ac superiore staret loco, deorsum stantem perfudit
D urinæ grandi stillicidio. Ille a vestibus, capillis et barba imbrem putidum decutiens : « Satis noveram, ait, post tonitrua solere pluvias sequi, nec egueram tali hac inundatione doceri. » Hoc duntaxat philosophus responso duxerit suæ satisfactum injuriæ.

CAPUT IV.

Euraclus præterea referre solitus erat quod, dum aliquando in castris esset cum Ottone imperatore, qui adversum Græcos occupaverat Calabriam, subita solis obscuratio, et horribile factum sit deliquium, nocturnas exercitus tenebras et chaos insolitum perhorruit, ac veluti urgeret ultimus sæculi dies, judiciique tempus instaret, cœpit pavitare. Magnanimes heroas timidarum instar damularum

vidisses diffugere. Quidam in vasa certatim vinaria irrumpere, quidam in cistas profugere, alii sub carris, in speculis alii latitare. Heu quæ turbatio, quæ tunc trepidatio erit, quando, ut prædixit Dominus: *Erunt signa in sole et luna et stellis, et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus præ timore et exspectatione, quæ supervenient universo orbi. Nam virtutes cælorum movebuntur* (*Luc.* XXI); sive, ut in Apocalypsi legitur: *Quando cælum recedet sicut liber involutus, et omnis mons et insulæ de locis suis movebuntur, quando reges terræ et principes, et tribuni, et divites, et fortes, et omnis servus et liber abscondent se in speluncis et petris montium, et dicent montibus et petris: Cadite super nos et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et a facie Agni, quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, et quis poterit stare?* (*Apoc.* VI.)

Ut vero intermissa repetam, Euraclus disciplinæ haud ignarus astronomicæ, mansit intrepidus, atque singulos circuiens femineæ arguebat diffidentiæ, qui trepidarent timore ubi non erat timor, fieri namque aliquando tamen naturaliter solis decessum. Viderent post paululum cuncta nitescere, quæ frustra tunc pavitabant nigrescere. Quorum si tam degeneres animos, si pectora tam meticulosa perciperent hostes, quorum in medio erant, qui gloriose cæteros solebant vincere, ignominiose victi, cædi, et rapinæ iidem ipsi forent hostibus. Nec vero diutina intercessit mora, cum paulatim renasci lux cœpit, ac Phœbeæ lampadis integer candor aera rursum perfudit et terras. Cœperunt milites tanquam formicæ a cavernulis emergentes suam invicem ignaviam increpitare, et ludibundis plausibus suæ exstasis ridere defectionem.

Euracli prædicatur scientia qui abstrusas etiam rerum causas norit perspicere. Certum est autem Plinio, Macrobio, Calcidio, aliisque pluribus tam astrologis quam compotistis auctoribus, quod quotiescunque luna eclipticam attingit lineam, si eadem hora congressionis ejus cum sole, qui circa ipsam semper cursitat, lineam convenerit, interventu et objectu ipsius solaris nobis defectus luminis contingat; vel si plena tunc diametro a sole destiterit, illam terrenæ molis umbram incurrere et terræ oppositione ab aspectu solis prohiberi, et ideo eclipsin necessario pati.

CAPUT V

Igitur super speculam Domini Euraclus stabat jugiter per diem, et super custodiam suam stabat totis noctibus, ipse litteratus, ipse, ut ait Isaias, verba legis ponderans et doctor parvulorum, qui doceret subjectos, quidquid justitiæ, quidquid vitæ et salutis esset perpetuæ. Ipse inter cætera disciplinarum instituit, ut in Adventu Domini, et a Septuagesima usque in Pascha clerus pulla veste, nigris scilicet cappis, amiciatur, eo quod niger color pœnitentiæ et afflictioni, quam albus magis conveniat, procul dubio intendens ut filii Ecclesiæ in exteriori

A quoque habitu hoc prætenderent, quod de Christo in Canticis canticorum dixit Ecclesia: *Comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus* (*Cant.* V). Comæ siquidem Christi sunt fideles eidem suo capiti adhærentes, qui propterea elatis palmarum, id est spatulis sese in altum elevantibus assimilantur, quod fide et operibus tendunt in superna, quatenus dicant cum Apostolo: *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philip.* III). Corvorum denique pulli dum plumescunt, albi sunt, et quia parentibus sunt dissimiles, negliguntur ab eis ac minime pascuntur. Qui tamen coacti fame halitu suo naturaliter fetente muscas attrahunt, quæ circa eorum rostra glomeratæ glutiuntur ab eis. Hinc et inter cætera laudum Dei Psalmista: *Qui dat*, inquit, *jumentis*

B *escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum* (*Psal.* CXLVI). Qui scilicet postquam nigrescere cœperint, propter plumarum similitudinem amplius et amanter a parentibus et aluntur. Comæ igitur Christi nigræ quasi corvus, dum fideles denigrari, hoc est nullis refugiunt affici tribulationum pressuris propter Christum, cujus nigredini, cujus passioni compatiens Isaias: *Et vidimus eum*, inquit, *et non erat species ei neque decor, despecto et novissimo virorum, viro dolorum et scienti infirmitates* (*Isai.* LIII). Ideo comæ tales firmiore amoris radice Dominico plantantur in capite. Tales, inquam, pulli ora sua Deum invocando aperientes, bonique odoris attrahentes spiritum non muscis, hoc est vitiis, sed Christi et Ecclesiæ pascuntur nunc sacramentis,

C æternalibus posthac pascendi bonis, ut scriptum est in Propheta: *In pascuis uberrimis pascam eos, et in montibus excelsis erunt pascua eorum, ibi requiescent in herbis virentibus, et in pascuis pinguibus pascentur* (*Ezech.* XXXIV); dicente et Davide: *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me* (*Psal.* XXII).

Nec vero ineptum sit adnectere, quod nihil in cadaveribus magis quam oculos corvus appetat, quod tangere videtur illa etiam Salomonis parabola: *Oculum, qui subsannat patrem et despicit partum matris suæ effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant illum filii aquilæ* (*Prov.* XXX). Pseudomagistri, sidera, ut scripsit Judas apostolus, errantia, quibus procella tenebrarum in æternum reservata

D est, dum divina reprehendunt judicia; Patrem subsannant luminis, hæretici, inquam, nebulæ sine aqua, illa scilicet, de qua Dominus: *Qui biberit aquam*, inquit, *quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam* (*Joan.* IV), dum fidem, seu prædicationem derident Ecclesiæ, partum matris despiciunt; quia, dicente Joanne: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis* (*I Joan.* II). De Ecclesia prodeunt, qui contra eam loquuntur. Cui pro erroneis sunt dolores ut parturientis, quatenus gemat cum Paulo: *Filii mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus* (*Galat.* IV). Sed perfidam horum intentionem dum Catholici, Scripturarum viventibus aquis immorantes

disceptando atque arguendo revincunt, quasi oculum nequam corvi de torrentibus effodiunt, et filii aquilæ comedunt. Sancti et quidem appellantur corvi, quia nigredinem in se confitentur peccati; filii vero aquilæ, quia illius vivifico sunt renati fonte, qui tanquam aquila volavit ad cœlum longe ultra solem humano radiant in corpore. Qui degeneres nimirum filios rejecit, velut aquila pullos, qui a radio solis cæcutientes reflectunt oculos.

Verum Euraclo erant oculi sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluenta plenissima, qui columbina simplicitate Scripturis assidue veritatis immorabatur, per quas spiritualis caveret insidias accipitricis, hoc est spiritus mendacii, *devitans*, ut præcipit Timotheo Apostolus, *profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt* (*I Tim.* VI).

CAPUT VI.

Et quidem jam provectus ætate processerat in diebus multis; sed secundum Psalmistam, renovata est ut aquilæ juventus sua, quæ dum ex senectute suos caligare oculos senserit, et impediri volatum, ad ferventissimum solis se ardorem exponit, et non solum totius corporis plumas, sed ipsas quoque alarum pennas, et ægritudinem exurit oculorum, utroque effectu aciem inde visus reparat, unde hominis solet obtundi et caligare aspectus. In fontem dehinc limpidissimum devolat, et tertio sese immergit, atque ita pristinam reformat sibi juventutem. Hac, inquam, similitudine Euraclus, cujus sitiret anima ad Deum fontem vivum, qui haberet in solem justitiæ intentos mentis oculos, devotionis studio renovatus est quodammodo ac refloruit, ut quia in urbe jam exstruxerat, sicut præmissum est, duo monasteria, tertium hoc in loco in gloriam sanctæ Trinitatis exstrueret.

Igitur fundamenta jecit, nec veritus est sapiens architectus, quod locus infamis esset suspendiis latronum, pollutus sæpe malignorum cædibus hominum, rapinis exosus prædonum, qui propter silvæ circumjacentis tunc condensa sibi speluncas hic fecerant et latibula. Nec enim ignorabat quod in Calvariæ loco Sanctus sanctorum crucifixus sit, Romæ Pantheon, et innumera quaquaversum per orbem dæmonum templa nonnunquam a sanctis Patribus in ecclesias mutata sint et dedicata. Itaque certatim fervebat opus, jam aliquanta ex parte surrexerant a fundamento murorum parietes, cum interim episcopus differens majus altare, quod esset sancti Laurentii, minus fieri seorsum jussit ad titulum Sancti Sixti papæ et martyris. Quod etiam dedicavit dotans nascentem ecclesiolam prædiis quibusdam, quæ nunc usque possidemus.

Sed repente impedita est ædificatio illa, manus cessavit artificum, quia Euraclus de medio factus est. Evocavit, inquam, ad se Christus vineæ suæ operarium, ut quoniam bene fuerat operatus, et portaverat pondus diei et æstus, redderet illi mercedem suam, æterni scilicet refrigerii, et beatæ pausationis denarium. Opus itaque cœptum remansit imperfectum, pupilla facta est absque patre quasi adhuc lactens ecclesiola, desolata sedit et nuda, donec Nothgerus, qui successerat episcopus, æquari tandem parietes murorum, et tectum superponi fecit

Ad hunc Leo quidam episcopus ex nobilissimis Græcorum profugus venit, qui pulsus a sede sua idcirco fuerat, quod incusaretur Ottoni secundo, dum idem imperator adversum Græcos haberet castra, prodidisse Calabriam: quem et humane exceptum prædictus antistes in hoc manere loco statuit, nec non de bonis quæ venerabilis Euraclus delegaverat, cum suis habere stipendia. Qui tempore incolatus sui sobrie, et juste, et pie vivens exspectabat beatam spem et adventum gloriæ magni Dei, a quo et postmodum gloriosæ ab exsilio mundi eductus est, et ante altare S. Gereonis penes nos accepit sepulturam, non jam hospes et advena, sed civis sanctorum, et tuus, o sancte Laurenti, domesticus

Euraclus denique pius paterfamilias, et scriba doctus in regno cœlorum migravit, a sæculo Dominicæ Incarnationis anno 971, VI Kal. Novembris, præsidente sedi apostolicæ Joanne a beato Petro apostolo 134, Ottonis primi tam regni quam imperii anno trigesimo quarto, sui autem præsulatus XIII, digitoque Dei scriptus est in vita in Jerusalem, cujus venerabile corpus digno exsequiarum cultu sepultum est in ecclesia Sancti Martini ante majus altare, choro utique illorum aggregati, de quibus ad Danielem dictum est: *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Amen* (*Dan.* XII)

VITA REGINARDI

EPISCOPI LEODIENSIS QUINQUAGESIMI

AUCTORE REINERO.

(D. Bern. Pezius, *Thes. Anecdot.* IV, III, 167, ex cod. ms. cœnobii S. Laurentii Leod.)

INCIPIT PROLOGUS.

Juxta Salomonis proverbium : *Pretiosi spiritus est vir eruditus* (*Prov.* XVII). Sed ego licet sim ineruditus, ideoque nullius revera pretii, tamen exigere a meipso præcordiale et votivum habui, ut virum describerem pretiosum, id est Reginardum venerabilem episcopum, qui te, o sancte Laurenti, specialem sibi patronum eligens, in quo serviatur perpetim Deo, ad tuum nomen tabernaculum, hanc scilicet ecclesiam, ædificavit in terra, unde et cœlestis per te tabernaculi et Ecclesiæ supernorum creditur meruisse municipatum. Ipse, inquam, nobis sub protectione tui degentibus patrocinii, et a strepitu sequestratis rerum sæcularium factus est velut in tabernaculum diei ab æstu in securitatem, et absconsionem a turbine et a pluvia.

Ad quem describendum etiam fratres quidam hortatu benevolo, et jugi me precatu quasi pigrum ac desidem excitaverunt, importune objectantes non minus gratitudinis, non minus obsequii me pro A patrefamilias debere nostro, cujus beneficiis educatus maxime essem a puero, quam sanctis præsulibus Wolbodoni et Euraclo, quorum jam antea duobus libellis Vitas descripsissem. Verum supervacanei respondebam esse laboris eos commendare verbo, quos egregiorum clarificet lampas operum, ac si sole circumfusis facem quis præferat, accessuque luminum diei conetur claritudinem adjuvare.

Attamen pro virtutum incitamento, profectuque vel legentium vel audientium justum aliquem operæ pretium est celebrare litteris, ut secundum prophetam memoria justi sit cum laudibus. Nec enim post pœnitentiæ dignos fructus, Reginardo magis est imputandum, quod fecerit aliquando de mammona B iniquitatis commercium, emendo scilicet episcopatum, quam Matthæo apostolo et evangelistæ, quod lucra sectando in sede publicani aliquando sederit ad teloneum.

INCIPIT VITA.

CAPUT PRIMUM.

In territorio Coloniæ Agrippinensis claro Reginardus genere ortus fuit, sed scholis apud Urbem traditus tam scientiæ quam virtutum initiavit bonos processus. In majore dehinc ecclesia canonicus est factus. Jamque adolescens ascensiones in corde suo secundum Psalmistam disponebat, subire scilicet gradus, per quos ad videndum Deum deorum in Sion ascenditur. Hinc castimoniæ studebat, cæterisque bonis, atque, ut ait quidam, sincerum est nisi vas, quodcunque infundis, acescit, sobrio ac sincero pectori sacras lectiones veluti divinos instillabat favos.

Juvenis ergo industriam et maturitatis decus non minimum amplectens venerabilis archiepiscopus Heribertus, sibi adhærere et suum esse collateralem voluit, simul quod non solum spiritu, quin etiam carne suum gratularetur esse proximum, quem et Veronensi canonicæ præfecit præpositum per sin- C gula ecclesiasticorum ordinum officia jam provectum. Hanc ille solerter œconomiam ut fidelis et prudens servus super Domini familiam constitutus administrabat, cautus in consiliis, æquus in judiciis, reddens Ecclesiæ ecclesiastica, sæculo sæcularia, scilicet secundum Apostolum reddens omnibus debita. Nec munera super innocentem accipiebat, nec personam divitis, ut opprimeret pauperem ; illud attendens Salomonis : *Abominatio est apud Deum pondus et pondus, et statera dolosa non est bona* (*Prov.* XI).

Defuncto interea Virdunensi episcopo clerus ac populus talem sibi virum præfici concorditer insistebat. Sed etiam tunc Durandus Leodiensis episcopus decessit vita, et Reginardus tentatione D apprehensus humana (nam in rebus solent humanis appeti meliora) Leodiensem quam Virdunensem magis cathedram ambivit. Adiit ergo imperatorem Conradum, obtinuitque ab eo per pecuniam, quod

fuisset obtinendum a Deo per gratiam. Illum denique in episcopum sanctus sacravit Heribertus. Et strenue quidem ac vigilanter pastoris agebat officium, quanquam ascenderit aliunde, nec intraverit per ostium in ovile ovium.

CAPUT II.

Providentiam hujus ecclesiæ tunc temporis agebat Poppo abbas Stabulensis ante quadriennium a sancto sibi episcopo Wolbodone injunctam. De cujus statu vel profectu cum jam desperaret, eamdem curam Reginardo episcopo resignavit, videlicet jam exactis 57 annis, ex quo primum ipsa fundari ecclesia cœpisset ab Euraclo gloriosæ commendationis episcopo.

Interea noster quidam mansionarius, homo pauper atque exilis, et naturæ simplicis, testabatur per nocturnas se visiones mira quædam audire sæpius et videre, quoniam parvulis magna nonnunquam solet revelare Deus, et cum simplicibus sermocinatio ejus. Vadens itaque per civitatem festis diebus vulgo referebat in publico monte sanctos Laurentium et Wolbodonem commune habere hospitium, totis eos noctibus suum disponere ac metiri habitaculum, et quoniam sibi videretur angustum, condixisse, quod vetus dirui, et novum et augustius deberet ædificari; simul dum inquirentibus insinuaret, huc usque in longum, sic in latum, tanto in altum, suas ipsi lineas tetenderunt, tandiu hæc stoliditati ac deliramento sunt deputata, donec subsequens probaret effectus vera.

Architectos itaque nostros Laurentium et Wolbodonem architectum in se crediderim exhibuisse illum, qui apud Ezechielem funiculo vel calamo mensus est ædificium civitatis super montem positæ et vergentis ad austrum; pariter adfuisse et virum, cujus secundum prophetam aspectus erat quasi species æris, quatenus sonora Dei laude hunc præsignaret locum divinæ laudi dedicandum, mentesque inhabitantium vero acclines austro, id est Spiritui sancto religionis odorifero halatu perflandas, frigido aquilone exturbato, quemadmodum in Canticis canticorum sponsa dicit: *Surge aquilo et veni auster; perfla hortum meum, et fluant aromata illius* (*Cant.* IV).

Nam veluti præmissum est, postquam Stabulensis abbas in manum Reginardi episcopi hujus loci remiserat providentiam, comes Herimannus prudentia et consilio, ut nobilitate vir clarissimus, qui frater erat Gozelonis Lotharicnsium et Mosellanorum ducis, episcopum interpellabat obnixius, quo eatenus pupillæ ac desolatæ misereretur Ecclesiæ, patremque illi et tutorem institueret; Virduni esse monachum sibi optime spectatum, qui religione et scientia tam præesse quam prodesse domui Dei posset. Episcopus se facturum gratanti animo respondit, dummodo ille adesset. At vero comes qui erga sanctum Laurentium mira et unica devotione ferveret, quantocius deductum a Virduno Stephanum præsentavit, 6 monachos secum commendabilis vitæ habentem, quem et in abbatem benedixit episcopus et huic loco præfecit.

CAPUT III.

Igitur a nostro tunc horto, id est Ecclesia sanctitatis atque virtutum fluebant aromata, quia Christi bonus odor inhabitantes erant facti. Illorum, inquam, digiti myrrha pleni erant probatissima, dum amaritudinem passionis Jesu Christi, et crucis mortificationem in suis jugiter corporibus circumferrent et operibus, juxta illud etiam, quod in Canticis canticorum sponsus ad sponsam dicit: *Comæ capitis tui sicut purpura regis juncta canalibus* (*Cant.* VII). Comæ siquidem cogitationes, caput mens, purpura regis passio rite intelligitur Christi omnia regentis. Purpura ergo juncta est canalibus, hoc est fidelibus, quorum videlicet ad mentes, dum fide et amore Christi adhærent passioni, confluunt aquæ vivæ charismatum Spiritus sancti.

Licet itaque Stephanus et qui sub ipso erant fratres, affluerent in spiritualibus; admodum tamen bonis egebant carnalibus, scilicet victu ac vestitu, eo quod locum penitus negligeret episcopus. Quocirca et idem Pater se quasi exsulem mœrebat et desolatum, atque pro filiorum indigentia quam pro sua magis anxiabatur, proinde ut essent illi dolores ut parturientis. Sed juxta quod ait de beatis lugentibus propheta: *Domine, in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis* (*Isai.* XXVI), hujus consolationis desuper accepit oraculum.

Nocte quadam cum ad sepulcrum sancti Wolbodonis instaret precum excubiis, essetque gemituum atque lacrymarum jam fessus, inclinato inter manus capite obdormivit, et sibi assistere juvenem vidit florido amictu et facie siderea, dicentem, se a pio Patre Wolbodone transmissum. Qui et consolans eum amicabiliter: *Bonum est*, inquit, o frater, *confidere in Domino quam confidere in homine* (*Psal.* CXVII). Et tu quidem nunc tristitiam habes, sed quia spiritu contribulato nunc usque ad Deum clamas te pauperem dolenter congemiscendo, salus Dei te suscipiet, ut in proximo tristitia hæc tua convertatur in gaudium. Sancti namque Laurentius atque Wolbodo in suam tuitionem et curam hunc pariter locum ante Deum assumpsere, et quandiu inhabitabunt, qui quærant regnum Dei et justitiam ejus, omnia adjicientur necessaria. Et hoc tibi signum! Ille, *qui respicit terram*, ut ait Psalmista, *et facit eam tremere, qui tangit montes et fumigant* (*Psal.* CIII), cor episcopi jam respiciet, ut faciat tremere et fumigare ad compunctionis et pœnitentiæ luctum salubriter pro Simoniæ culpa, per quam offendit graviter: et ipse hoc in loco satisfactionis suæ jaciet fundamenta, quæ per Dei gratiam sursum in montibus sanctis erit stabilienda. Denique, frater, quem ad forum Viseti hodie mittis, quatenus pro comparandis in usus fratrum vestimentis, mutuum aliquid accipiat, virum inveniet a sancto Wolbodone directum, qui tribuat gratis quantum necesse sit.

Itaque expergefactus senior fratrem jam egressum, jam ad forum abeuntem revocari citius jubet, visionem coram omnibus aperit, et eumdem abire veluti jam spe accinctum bona permittit. Venerat Visetum et stantem in foro interrogat ignotus quidam, cur venerit? quid quærat? « Missus sum, inquit, a sancto Wolbodone, quatenus emam vestimenta fratribus, sed pretium prorsus non suppetit. » Gratanter hoc ille accipit, et quam propere LX probatæ monetæ solidos evolvit a marsupio, manuque liberali adnumerat et largitur monacho. Equidem o sapientia! cum qua sunt divitiæ, opes superbæ et justitia, vigilantes ad fores tuas quotidie hac interim donasti beneficentia, observantes ad postes ostii tui hoc sublevasti munusculo, cujus genimina vere meliora sunt argento electo.

CAPUT IV.

Igitur ut a genimine mercationis malæ, Simonia videlicet, Reginardus noster jamjam se faceret alienum, ut expurgaret, inquam, vetus fermentum, suas die ac nocte lacrymas sibi fecerat quasi panem azymum, et eleemosynis atque misericordiis pauperum operam dando secundum Apostoli mandatum satagebat esse nova conspersio. Nam sui episcopatus quadriennium jam fluxerat, cum veluti quatriduanum de monumento Lazarum, sic eum de profundo peccati pius evocavit Jesus, et spiritu consilii sancto animavit, quatenus adiret Romam, ut per eum illic solveretur ab institis Simoniæ et cæcæ ambitionis sudario, qui vice apostolorum ligandi atque solvendi fungebatur privilegio. Fuit autem cum tanta nobilium pompa, ut expeditio quam peregrinatio magis putaretur, quibusdam pro honore, quibusdam pro devotione propria secum euntibus, qui tantum utique pœnitendi zelum concepisset, ut neque numerosam commilitonum turbam super eo, quod facere intendebat, erubesceret.

Ingressus enim Romam et principis apostolorum basilicam, ubi apostolicum Joannem vidit, tanquam rugiens a gemitu cordis sui coram suis, coram omni frequentia, illius ad pedes procidit. Moti sunt omnes, tum maxime, qui cum illo venerant. Motus et ipse apostolicus causam addiscere exspectabat. Sed cum singultibus jacentis verba impediebant lacrymæ. Verumtamen tantæ mœstitudinis vix demum absolvit materiam, scilicet episcopatum se pecuniis emisse, propter hoc quasi tumentes super se fluctus iram Dei sentire, unde antequam judicetur a Domino, seipsum se dijudicare, et velle honorem periculose partum abdicare. Approbat voluntatem apostolicus, et sic expedire illius saluti pronuntiat. Igitur pastoralem baculum super altare sancti Petri Reginardus deponit, et velut grandi exoneratus sarcina in Domino gloriatur innocente jam conscientia, suis admodum turbatis ac mœrentibus.

Interea retractans apostolicus cum illo misericordius agendum, quem nec in gladio, nec in arcu suo cepisset, imo qui suum ultro peccatum prodi-

A disset, voce, inquam ac fletu damnasset, tertia eum die ad se jubet revocari. Quem et benigne colligens: « Quia, inquit, indignationem Christi et flagellum non exspectasti, sed tuam ipse cathedram evertisti, quia, ut divinæ satisfaceres columbæ, id est Spiritui sancto, te beato Petro exhibuisti; ecce in nomine Christi, ex auctoritate Petri apostoli curam accipe et regimen sanctæ Ecclesiæ, et in templo Dei sede non jam ut mercator, sed ut fidelis dispensator, et ut legitimus pastor. Et quoniam scriptum est: *Bene facit animæ suæ vir misericors et feneratur Domino, qui miseretur pauperi: nam vicissitudinem suam reddet ei* (*Prov.* XIX), secundum possibilitatem tuam pasce pauperes, necessitatem patientibus assiste; et si facultas suppetit, alicujus

B sancti ecclesiam ædifica, ut, cum defeceris, recipiat te in æterna tabernacula. » Dehinc baculum pastoralem ei tradit, et benedictione roboratum apostolica remittit in sua.

Impletum ergo in eo est illud sancti Job: *Lignum habet spem; si præcisum fuerit rursum virescet, et rami ejus pullulant; si senuerit in terra radix ejus, et in pulvere mortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, et faciet comam quasi cum primum plantatum est* (*Job* XIV). Nam et Petrum te negantem, o Christe, sed te respiciente flentem amare, in thronum relocasti apostolicum: tu idem miserator et misericors Reginardum pœnitentem cathedra redonasti pontificali. Nec enim in perpetuum irasce-

C ris, nec in æternum comminaris, dissimulans peccata propter pœnitentiam.

CAPUT V.

Rediit ergo prospere Leodium Reginardus ad arcam veri Noe, id est Ecclesiam Christi, ut illa quondam in diluvio columba portans olivæ ramum virentibus foliis, pacem scilicet qua inter sæculi fluctus virere, frondere et fructificare haberet in doctrina et operibus bonis. Itaque cum per publicum montem jam descenderet, atque ecclesiolam hic sitam prospectaret, Herimannus comes, de quo jam præmissum est, secretorum illius nonnihil conscius, accessit propius. « Et ecce, inquit, Domine, sanctus Laurentius, quem si patronum tibi parare studueris, adjutorem in opportunitatibus fidum ha-

D bebis, et apud Dominum, quantæ sit gratiæ, experieris. » In amorem martyris ac devotionem miro statim modo præsulis affectus incanduit; quoniam quidem in cordibus timoratis facile claram suscitare flammam solet oleum piæ adhortationis.

Igitur dum a clero et populo fuisset honorifice exceptus, et in pace essent illius omnia, in una dierum juxta quod ait Salomon: *Bene consurgit diluculo qui quærit bona* (*Prov.* XI), auroræ exortu ascendit ad locum istum, habitacula inspexit, fratres visitavit, pauperculumque consolatus Stephanum, prospera repromisit et læta, secundum quod eidem abbati angelicum, ut supra dictum est, præenuntiarat oraculum.

Erat Novembris mensis dies secundus, ideoque

propter instantem hiemem suum implere propositum distulit. At vero necdum plene hiems transierat, necdum imber abierat et recesserat, cum tamen præ desiderio inchoandæ domus tuæ, o sancte Laurenti, sibi jam viderentur verni flores apparere, vineæ florentes odorem dare. Et ecce tertia die Februari mensis, aurora vixdum erumpente, numerosos artifices misit, qui ecclesiæ culmen conscendentes tectum dissipare, murum subruere ingenti alacritate et gaudio cœperant, ut abbatem Stephanum atque fratres adhuc quiescentes, reique tam subitæ ignaros fragor ille quasi stupidos reddiderit. Ita vox turturis, vox, inquam, id est operatio Reginardi bonos pœnitentiæ gemitus edentis quamprimum audiri cœpit in terra nostra, videlicet hoc in loco nostro.

Adjutores autem atque cooperatores in hanc ædificando ecclesiam fuere Olbertus S. Jacobi, et S. Petri Gemblacensis abbas et Huneco frater ejusdem episcopi, Meinerus quoque istius civitatis tunc advocatus, viri, quos, secundum Apostolum, jure dixerim agriculturam Dei. Nec vero est inconsequens referre, quod arbuscula quædam, quæ vulgo salangra vocatur, extra fundamentorum fuerat ambitum relicta. Hanc præmemoratus somniator longitudini ecclesiæ includendam penitus asserebat, sic Laurentio et Wolbodoni placere, sic perspicaces geometras illos fuisse permensos, atque suos eotenus tetendisse funiculos. Jam vero murorum parietes non parum surrexerant a fundamentis, et ille in sua nihilominus assertione durabat, cum prædictus episcopi frater venit, et opere inspecto improbare non minimum cœpit, dicens, displicere sibi mensiones longitudinis, et posse dominum suum multo melius consummare, quod cœperat ædificare. Tum operariis confidenter præcipit 40 pedibus augere in longum parietes, propriis sese sumptibus augmentum illud suppleturum, si episcopus noluisset. Sic illa Laurentianæ terminalis arbuscula geometriæ muro inclusa est, et suus ille vates arridens his, a quibus fuerat irrisus, quasi sententiæ compos insultabat, plane ut de hoc sentiatur pauperculo illud Salomonis : *Voluntas Dei in his, qui simpliciter ambulant* (*Prov.* x).

Deo igitur prosperante perfectum est opus, consummata est ecclesia, ad nihilum deducta est hominum malignitas perversorum, qui, ut Samaritæ muros olim Jerusalem, ita diu multumque impedierunt hujus exstrui domus ædificationem. Ad cujus scilicet consecrationem episcopus voluit apostolicæ sedis adhiberi auctoritatem, et missus a Joanne papa Joannes Portuensis episcopus cum Pelegrino Coloniensium archiepiscopo ingenti eam honore et gaudio dedicavit anno Dominicæ Incarnationis 1034, indictione II; anno autem episcopatus domni Reginardi X.

CAPUT VI.

Martyris ergo merita toti extunc civitati sole clarius alluxerunt. Superioribus namque annis quousque ecclesia vetus hic in negligentia et quasi pupilla stetit, tanta in martyrio ejus aeris fiebat turbatio, ut præ tonitruis ac nimiis coruscationibus ipsa quoque terra commoveri et contremere putaretur, procul dubio malignis spiritibus ad obtenebrandum celebritatis ejus splendorem etiam elementa horrende concutientibus. Nam teterrimi nebulones quanta in Laurentium torqueantur invidia, quantum victoriosæ abhorreant ignes craticulæ, nos quoque aliquoties experti sumus : tum vero maxime dum 1132 Dominicæ Incarnationis anno XI Kal. Aprilis subito et pavendo nubium fragore fulmen prope nos cecidit, atque per majus ostium ecclesiæ ingressum divino permissu ac judicio discurrit usque ad majus altare, et nihil aliud pene tangens aut ustulans, ipsum altaris sigillum in frusta comminuit, miro vere miraculo, quandoquidem sudarium, quo idem sigillum tegebatur, mansit illibatum. Et quidem tale fuit incendium, ut de loco veraciter isto quis dicat illud in Zacharia dictum : *Nunquid non iste torris est erutus de igne?* (*Zach.* III.) Sed huic modo materiæ supersedendum est, quoniam alias inde disserui uberiore opusculo.

Solemne igitur est clero ac populo hujus civitatis ad hanc cum litaniis ecclesiam convenire, quoties vel intemperie aeris vel incommodo exciti fuerint cujuslibet tribulationis, cujus merita illis nonnunquam subvenisse haud dubium est. Patuit autem hoc evidentius qua die Godefridus, majoris Ecclesiæ præpositus, vir genere ac religione conspicuus ad nos reliquias ejusdem martyris ex urbe Roma detulit. Tanta etenim tunc erat pluviarum inundatio, ut alterum crederetur instare diluvium, quia densitate nubium sol per unum fere mensem occultus subtraxerat suæ lucis et caloris beneficia, et agri et vineæ nullam spem bonam frugum suis jam promittebant cultoribus. At ubi eædem reliquiæ in nostram sunt ecclesiam illatæ, ac super altare majus depositæ, et pro serenitate et pace missa celebraretur, mox ut clamatum est : *Kyrie eleison, Domine, miserere*, tantum enituit serenum sole clarissimum jubar exerente, ut non minus divinæ magnificentiæ nunc applauderet ecclesia quam super tabernaculum fœderis apparuisse gloriam Domini quondam applausit Synagoga. Nec fuit serenum illud subitaneum, sed mansit diutinum, successitque maturitas et grandis copia frugum impetrante Laurentio, cujus merita nec eloqui lingua, nec comprehendere potest pagina.

Cujus corpore quam beata es, o Roma, quem tu quoque tot basilicis, tot privilegiis penes te honoratum esse, et celebrem voluisti ! Siquidem in palatio Lateranensi basilica est ipsius martyris, quæ dicitur Sancta sanctorum propter excellentiam scilicet reliquiarum, quæ illic habentur tam de Sancto sanctorum, id est Domino Jesu Christo, quam de aliis compluribus sanctis; cum sint etiam ibi capita et arteriæ apostolorum Petri et Pauli, ac plurimum de carbonibus atque sagina beati Laurentii, cujus etiam illic altare tanto excellit privilegio, ut nemini præter apostolicum concedatur super illud sacra celebrare missarum. Illic viseres reverendam quoque

imaginem Christi, quam dum sanctus Lucas evangelista effigiare cœpisset, mire in crastinum reperit consummatam, ab illo nimirum opifice, cujus sunt manus tornatiles aureæ plenæ hyacinthis.

Loco igitur tam illustri persona præficitur probatæ fidei ac religiositatis, videlicet primus subdiaconorum apostolicæ sedis, cujus est privilegium uti manto, mitra et annulo, atque consecrato recens pontifici summo tradere claves summæ domus, hoc est Lateranensis palatii. Ad titulum quoque tanti martyris papa Damasus construxit basilicam, necnon reliquiis ejusdem insignium, locumque suo ex nomine *Damasum* agnominavit. Quin etiam Lucina Romanorum clarissima celebri sumptu exstructam in honorem illius ecclesiam conquisitis pignoribus celebriorem fecit, catena scilicet, qua idem martyr vinctus, et craticula, super quam assatus, et uno ex forcipibus ferreis, quibus desuper fuit coarctatus, et parte carbonum et saginæ a sacris artubus a Justino et Hippolyto expressæ, linteo denique, ut fertur, illo, de quo in catasta cruentati membra viderit Romanus angelum extersisse.

Foras muros autem sub majori basilicæ altari cum protomartyre Stephano conditus est. Quod videlicet altare talis est privilegii, ut exceptis VI cardinalibus, qui ad hoc deputati sunt, nemini super illud divina concedatur mysteria celebrare. Beatus utique locus! Felix nimium terra! Terram Evilath Genesis commendat, quod ibi aurum sit optimum, quod ibi bdellium inveniatur, arbor videlicet aromatica, et lapis onychinus. Sed commendabilior terra, ubi consitæ sunt arbores tam aromaticæ, ubi aurum plus quam obryzum, lapidesque inveniuntur tam pretiosi, Stephanus et Laurentius, qui secundum quod Evilath *dolens* interpretatur, multimodis passionum doloribus politi, tuo, Christe, diademati sunt inserti.

CAPUT VII.

Præterea loco qui Panisperna dicitur, papa Formosus Laurentio exstruxit basilicam, penes ipsas videlicet Olympiadis thermas, ubi assatus idem martyr fuerat: quarum ex aditu tam suavissimus spirat hactenus odor, ut aromatum præcellat odorem illorum, quæ regina austri legitur regi exhibuisse Salomoni. Sed quanto plus habet formam doloris facta in Formosum res mirabilis, tanto plus contra impietatem quilibet moveatur, cum de Formoso lugubris tragœdia mollire saxea quoque possit pectora.

Hic tempore Joannis papæ octavi hujus nominis fuerat Portuensis episcopus. Sed dimisso episcopatu a facie prædicti papæ fugerat, sibi admodum offenso, quod papatum super illum quoquomodo usurpare incusaretur. Revocatus tamen ab eodem papa minime obedivit, ut se exhiberet. Postmodum vero eidem papæ apud Galliam posito satisfecit; nec tamen assecutus veniam usque in laicum degradatus est, adeo ut juramento et etiam propriæ manus scripto suum abdicare episcopatum, et Romanæ urbis abinceps ingressum cogeretur, ac se laicali communione, dum adviveret, contentum fore. Verum Joanne defuncto in apostolatum Martinus successit. Ipse retractans in Formosum inconsultius ac justo severius actum reconciliatione illum donavit, juramento absolvit, et honori atque sedi suæ restituit. Dehinc Martino diem obeunte, idem Formosus favore et assensu Romanorum, quod esset vir sagax et religiosus in papam est provectus, duobusque annis ac semis antistans pleraque fecit industria.

Illo decedente, subrogatus est Stephanus. Hunc pluribus licet beneficiis, et episcopatu insuper urbis Anagniæ Formosus extulerit, tamen detestanda ingratitudine in defunctum ita efferatus est, ut concilio, ac si dicam malignantium congregato, illum non tanquam Christianus et papa, sed plus quam barbarus et Scytha sepulcro extrahi, atque in medium deportari fecerit, in cathedra pontificali locato vestitum detraxerit pontificalem, et induerit laicalem; atque, o rem monstruosam! illius dexteræ manus abscissis tribus digitis, caput gladio secatum est, ac Tiberinis corpus injectum gurgitibus. Quid Nero absurdius; quid Decius fecisset inhumanius? Quæ filiorum pietatis mentes hoc ferre, et qui potuerunt oculi videre? Ergo dum soleant ex vivis martyres fieri, ex mortuo Formosus martyr factus est.

At vero quoniam tribunal Christi Stephanus non est reveritus, ad quod Formosus hinc abierat judicandus, inopinæ mortis dolabra moritur, quatuor tantum mensibus honore apostolico usus, imo abusus. Itaque secundum Scripturam præcisa est velut a texente vita ejus, dum adhuc ordiretur, succisus est, quasi de mane usque ad vesperam finitus est. Corpus autem Formosi a piscatoribus inventum in basilicam principis apostolorum loculo est deportatum, quod imagines sanctorum in marmoribus illic exculptæ tanquam novi martyris et emeriti consortis salutasse et adorasse palam omnibus visæ sunt. Miro quippe judicio sentiebant melius de Formoso inanimati lapides, quam senserint homines animales.

Stephano successit Theodorus. Iste, Formosi apostolatum approbans, quas fecit ordinationes in clero, quas tenuit synodos, ratas habuit, perperamque in illum gesta, vel scripta improbavit et damnavit.

Nec vero minus post illum papa Joannes, qui synodum LXXIV episcoporum præsentibus Francorum archiepiscopis, et Ludovico rege filio Arnulphi imperatoris Ravennæ statuit, necnon coram eis abdicata et cremata est synodus, quam in damnationem Formosi fecerat Stephanus. Sentiendum procul dubio est, o sancte Laurenti, tua Formoso adfuisse suffragia, tibi peculiariter devoto, qui summa gratitudine benefacta in te impensa prosequaris, et apud divinam efficacissime commendes clementiam. Unde et tui devotio, et actus Reginardi per te prosperati sunt feliciter.

CAPUT VIII.

Igitur pactum Domini erat cum Reginardo vitæ et pacis, quoniam quidem secundum prophetam dederat illi Dominus timorem et timebat eum, et a facie nominis ejus pavebat, potissimumque insistebat eleemosynis ac refrigeriis egenorum, recogitans Christum in judicio dicturum : *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV). Tunc ergo validissimæ famis angustia hanc regionem premente mille et ducentos pauperes quotidiana stipe sustentavit; trecentos Leodii, trecentos Hoii, trecentos Deonanti, trecentos Fossis. Bartholomæo quin etiam apostolo, qui *filius suspendentis aquas* interpretatur, scilicet illius, qui in Cana Galilææ suspendit aquas, naturam demutando, ut fierent vinum, sese liberalem exibuit ac devotissimum, quatenus ad XII canonicos illi eatenus servientes VIII adjiceret conquirens allodia, quorum redditus in eorum usus proficerent.

Denique super fluvium Mosam difficili admodum atque sumptuoso labore pontem maximum exstruxit, ulteriusque post insulas locis palustribus duos pontes lapideos, tertiumque nihilominus super Urtam fluvium invia paludum, et aquarum voraginem, quibusque commeantibus revera utilius consternendo et itinera coæquando, quam coæquavit voraginem civitatis David patris sui Salomon, dum ædificaret Mello. Numerosa etiam multitudo diversi sexus et ætatis in hanc urbem de partibus occidentis tunc confluxerat rerum inopia et bellorum quassationibus a suis sedibus exturbata, cui tam profuse liberalitatis et misericordiæ porrigebat episcopus manum, ut alterum putares de Alexandria Joannem Eleemosynarium.

Erat denique tam ingenuæ discretionis, ut eos, qui emendicare erubescebant, conduceret in opera. Misericordiarum ergo faciens odoros atque imputribiles fructus sicut cedrus Libani multiplicabatur, et juxta quod in Apocalypsi legitur (cap. XXII), *folia ejus*, id est benefacta ejus, *ad sanitatem gentium*, quandoquidem miserendo totum se miseris impenderet, subjectosque ad idem instantissime admoneret, detestans omnimodis *avaritiam, quæ*, secundum Apostolum, *est, simulacrorum servitus* (*Col.* III).

Tunc temporis Odo Campaniæ comes auxiliis Francorum atque Burgundionum fretus Lotharingiam igne et ferro graviter incursabat, et divina æque habens ut humana, tanquam aper de silva ecclesiarum Christi vineam exterminabat, et tanquam singularis ferus eam depascebatur. Denique castrum Barense expugnavit et cepit. Urbem Leucorum quam Tullum vocant, valida obsidione circumdedit, episcopatum prædiis et incendiis circumquaque vastans, cui tunc præerat Bruno, vir sanctitate, scientia et genere clarissimus, qui papatu Romanæ urbis postea insignitus, cum Leo hujus nominis nonus dictus sit, vestigia Leonis de tribu Juda pietatis atque humilitatis fortitudine imitari studuit

A Cur autem in tantam Odo tyrannidem eruperit absolvam paucis.

Rodulphus Burgundiæ rex diu multumque insolentiis Burgundionum affectus et irritatus, diademate abdicato, imperatori Cunrado regnum tradidit, quod a tempore Arnulphi imperatoris per annos plus quam centum XXX reges suæ gentis tenuerant, sicque in provinciam rursum Burgundia est redacta. Sed prædictus Odo ab imperatore, suo videlicet nepote, regnum avunculi repetens, ut Burgundiam sub ipso regeret magnopere efflagitabat, nec impetravit. Unde et contra imperium niti et grassari adorsus est. Cujus insolentem nimis arrogantiam Gozelo dux Mosellanorum atque Lothariensium non ferens, Leodium venit, et aggregato unde unde

B exercitu, episcopum, quod erat magnanimus et rerum perspicax disponendarum, pro fidelitate imperii ac defensione ecclesiarum expeditionem inire secum admonuit. Ille præceptus reddere Deo quæ essent Dei, et quæ Cæsaris Cæsari, nequaquam ut filii Ephrem intendentes et mittentes arcum conversus est in die belli, sed ascendit ex adverso, et opposuit se murum pro statu Ecclesiæ et regni, et cum delecta equitum ac peditum manu in castra se contulit.

Primis pugnæ congressibus hinc et inde plurimi concidere, inter quos etiam Albertus comes Namurcensis, dum perrumpere consertas hostium turmas conatur. At Lotharienses strage suorum accensis

C vehementius animis, ut mori quam vinci mallent, adeo in Francos cædibus grassati sunt, ut Odonem ipsum cum omnibus pene nobilibus prosternerent, ignominiosa cæteri fuga sibi consulerent. Dux magnifice victor reversus est, apud imperatorem et aulicos non minimam victoriæ partem episcopo Leodiensi attribuens. Qui et pro animabus suorum eo in prælio peremptorum per cunctas episcopatus ecclesias supplicationes agi, et sacras offerri hostias instituit : ut stans olim Aaron inter mortuos ac viventes non affectuosius pro Israel Deo supplicaverit vel thymiama obtulerit. Ipse, quod ait Apostolus, non habemus hic manentem civitatem sed futuram inquirimus, meditans die ac nocte omnibus votis ad supernam suspirabat Jerusalem, ubi est longitur-

D nitas vitæ et victus, ubi est lumen oculorum et pax.

Igitur XIII sui præsulatus anno temporalis vitæ subtractus est luci, et ducatu Laurentii a valle lacrymarum ascendens intravit in gaudium Domini sui, 1036 quidem Dominicæ Incarnationis anno, indictione V nonas Decembris, anno autem tam regni quam imperii XV Cunradi. Subiit mortem, sed memoria illius penes nos semper vivit, quoniam quidem in hac, quam exstruxit ecclesia, et quam sibi elegit in requiem, ante majus altare spectabili et operoso conditus sepulcro, scilicet ad ipsos sanctuarii gradus assidue spectatur a nobis, et quasi vivens nos admonet ut assiduis orationum muniis divinæ illum commendamus propitiationi. Cujus et

ossa cum XII prophetarum ossibus pullulent, ut A scriptum est, de loco suo, quatenus cum finito mundi termino supernum cum iis illuxerit regnum, angelicæ novitatis floreat luce resurgens novus homo. Amen.

CAPUT IX.

Sepulcrum ejus præclaro insignivit et opere et decore dominus abbas Everelinus, piis scilicet ossibus pietatis exhibens officiosum munus, atque hoc epitaphium ab ipso compositum auratis circa litteris inscribi fecit, antistes tibi, reverende, præcordialiter devotus.

EPITAPHIUM.

Flos, decus Ecclesiæ, præsul, speculumque sophiæ,
Hic, Reginarde, jaces, corpore jam cinis es.
Nos quia frumenti satias pinguedine dulci, B
Pascua sint cœli centuplicata tibi.
Te rapit a tenebris mundi lux quinta Decembris,
Splendeat in requie sol tibi justitiæ. Amen.

Abbas Stephanus, secundum quod ait per prophetam Dominus : *Ecce excoxi te non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis* (*Isai.* XLVIII), defuncto præsule quasi pupillus absque patre pauperem degebat vitam, quoniam Nizo, qui avunculo successerat in præsulatum, totam suppellectilem et auri plurimum et argenti, quod ille S. Laurentio thezaurizaverat, ut in comparandis huic Ecclesiæ prædiis pro illius anima expenderetur, retinuit, usurpavit, non recogitans quanta piissimus nutritor suus sibi fecisset bona, Nizo, inquam, vir ingenio C rudis et pene ignarus litterarum.

Tamen Stephanus Deo acclinis et a Deo sustentatus ædificia claustri et officinas consummavit, et circumquaque succisis nemoribus, quæ propter insidias latronum omni erant transeunti noxia, elaboravit, atque excoluit novalia, instar Noe de fructu manuum suarum plantavit vineam, et idem ipse veluti uva dulcis ex vinea Sorech, id est electa vel optima, tribulationum torculari sæpe numero pressus est. Siquidem et Wazo episcopus Nizonis successor non minime illum afflixit, jura quædam infringere volens circumjacentis terræ, quam venerabilis Reginardus liberam ab omni exactione huic Ecclesiæ delegaverat.

Post Wazonem Theoduinus successit, placidum Leodiensis Ecclesiæ sidus, qui basilicam sanctæ Dei genitricis Mariæ, ut magna devotione sic magna operositate in Hoio exstruxit, cujus anno episcopatus XIII prædictus abbas Stephanus, cunctorum hujus Ecclesiæ monachorum Pater primus, in senectute bona et plenus dierum, ut Abraham ille multarum gentium pater, mortuus est ; postquam præfuerat, inquam, normaliter huic Ecclesiæ XXXIII annis, secundum nomen suum, quod *normalis* interpretatur, id est coronatus, felicis normæ, id est justitiæ laborumque percepit suorum a Christo coronam.

Sepultus est autem in crypta sanctæ Dei Genitricis ante majus altare, scilicet ad pedes Domini Wolbodonis episcopi, apud quem pro sua religiositate et honestis moribus multum habuerat gratiæ et familiaritatis. At vero nobilissimus comes Herimannus, qui et Hezelo, sæculi quæ sunt renuntians omnibus, Virduni apud ecclesiam sancti Vitoni monachicum suscepit habitum, et vivens monachice usque in finem bonum, aggregari sanctorum collegio meruit monachorum. Ipse fideli et unica semper devotione sanctum Laurentium excoluit, quem et de thesauro et familia et prædio suo hæreditavit liberaliter. Ergo per suffragia et obtentum ejusdem martyris hæreditatem capiat in terra viventium, nec non et qui decesserunt fratres nostri feliciter in te, o Christe, quiescant, dum resurrectionis advenerit tempus, o primogenite mortuorum, per te resurgant, tibi vivant, in te glorientur in sæcula sæculorum. Amen.

REINERI MONACHI
DE CASU FULMINIS
SUPER ECCLESIAM MONASTERII SUI
LIBER.

(D. Bern. PEZIUS, *Thes. Anecdot.* IV, III, 187, ex cod. ms. cœnobii S. Laurentii Leod.)

OPUSCULUM CUJUSDAM AD AMICUM FAMILIAREM DE CASU FULMINIS.

CAPUT PRIMUM.

Libellum ad te flebilem scripsi, o Frederice, D postulantem scire, quomodo nuper plagati ab eo simus, qui plagatus pro nobis in cruce est, quomodo, inquam, ceciderit corona capitis nostri ab eo dejecta, qui spineam tulit in passione coronam, ut dolentes cum Job nostra dicere possit Ecclesia : *Spoliavit me Deus gloria mea, et abstulit coronam de capite*

meo (*Job* XIX). Vere, ut ait Jeremias : *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris* (*Thren.* IV), quia obscuratum est apud nos aurum divini timoris, mutatus est color optimus sanctæ religionis, atque ideo juxta eumdem prophetam virgam vigilantem iræ Dei sensimus super nos (*Jer.* I). Nam præsenti anno, qui est ab Incarnatione Dominica 1182, XI Kal. Aprilis in crastinum, scilicet post dies Palmarum, mirabilis in altis Dominus intonuit super nos fulmine cum maximo atque horribili fragore cadente. Quod licet extra ceciderit, ad sinistrum videlicet latus turris nostræ, tamen per majus ostium monasterii valvas feriendo ingressum, et ultro citroque volitans ac discurrens confudit omnia vapore, fumo, fetore secundum illud in Job : *Aspersum est in habitatione nostra sulphur* (*Job* XVIII). Attamen nullum penitus læsit, quanquam intro plurimi essent, adeo ut ne cortinas quidem modicum afflaverit, quæ, sicuti mos in Quadragesima est, ante crucifixum in medio ecclesiæ et ante cancellum pendebant, pene celatis sursum, terræ deorsum attiguæ. Tamen nunc supra easdem cortinas se elevando, nunc infra in modum explorantis, quem feriret, se deponendo illius judicio, qui terribilis est in consiliis super filios hominum, penetravit usque ad majus altare, et aliquandiu circumvolitans, nec quidquam aliud tangens aut ustulans, pallium duntaxat quo ipsum altare opertum erat, scidit, non ussit; sigillum vero marmoreum in septem partes dissolvit, sancto Spiritu septiformi, heu! a nobis offenso. Eo deinde quo ierat modo reversum atque circa crucifixum et cortinam ei appendentem volitans, per majus item ostium monasterii supra caput mulierculæ cujusdam astantis et sanctum Laurentium inclamantis innocue egressum est.

CAPUT II.

Res quoque accidit mira, quam amplectimur quasi miraculum a Deo. Nam sudarium, quo prædictum tegebatur sigillum, ab ustione vel scissura inventum est illæsum, servante procul dubio illud Sancto sanctorum, qui suam in sepulcro faciem sudario dignatus est tegi, qui cum iratus fuerit, misericordiæ recordatur.

Eramus itaque non parva turbatione attoniti turbante illo, de quo propheta : *Ab aquilone*, inquit, *pandetur malum super terram* (*Jer.* I). Siquidem et ab aquilonari parte coruscus hic et turbo pertonuerant vehementi grandine ignem, qui e vestigio ruptis nubibus est secutus, tertio præcedente.

Luce clarius ergo exerti in nos sunt tres illi de psalmo versiculi : *Ascendit fumus in ira ejus, et ignis a facie ejus exarsit, carbones succensi sunt ab eo : præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando et carbones ignis, et intonuit de cœlo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam, grando et carbones ignis* (*Psal.* XXI).

Forsitan cum Nadab et Abiu filiis Aaron in thuribulis nostris, id est, in mentibus et corporibus nostris ignem alienum et incensum non bene redolens obtuleramus, quod ferre non potuerit levita castissimus, martyr purissimus, qui, juxta sancti Job dictum, probatus est quasi aurum, quod per ignem transit, qui seipsum obtulit Deo in odorem suavitatis. Unde et pavendum horrifice nobis, quod ait ad Hebræos Apostolus : *Horrendum est incidere in manus Dei viventis* (*Hebr.* X). Quia terribilis est quædam exspectatio judicii et ignis æmulatio, quæ consumptura est eos, qui Filium Dei conculcaverint, et sanguinem testamenti pollutum duxerint, in quo sanctificati sunt, et spiritui gratiæ contumeliam fecerint pollute accedendo, temere tractando, indiscrete accipiendo corporis et sanguinis Christi sacramenta. Etenim *quicunque manducat et bibit indigne, reus est corporis et sanguinis Domini, judiciumque sibi manducat et bibit non dijudicans corpus Domini* (*I Cor.* XI).

Novi siquidem et æterni testamenti hoc sanctum singulare dignius longe est quam veteris et transitorii testamenti sanctum sæculare, dum et Evangelii per Christum gratia pluris multum sit quam per Moysen legis justitia ; quam tamen si quis irritam fecisset, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moriebatur. Quocirca et idem Apostolus Corinthios non rite seipsos probantes, imo irreverentius tantis se mysteriis ingerentes redarguens : *Ideo*, inquit, *inter vos multi infirmi et imbecilles multi, et dormiunt multi* (*ibid.*). Languoribus enim tabescebant variis, et febribus inæstuabant et moriebantur plurimi. Quia igitur seipsos minime dijudicabant, quatenus emendationi studerent, judicabantur et corripiebantur a Domino, de quo ad Moysen angelus : *Dominus*, inquit, *zelotes nomen ejus, Deus est æmulator* (*Exod.* XXXIV) ; ad populum vero Moyses : *Deus noster ignis consumens est* (*Deut.* IX). Cujus scilicet quantum movere soleant zelum anathematis seu obedientiæ contemptus, ut duo de innumeris ponam, exemplo est Achan qui propter anathema lapidibus fuit obrutus, suaque omnia igne combusta ; itemque Saul, a quo propter inobedientiam scissa regni est purpura dicente propheta, cujus sciderat ipse pallium : *Scidit Dominus regnum Israel a te, et quia projecisti sermonem Domini, projecit te Dominus, ne sis rex : melior est enim obedientia quam victimæ et auscultare magis quam offerre adipem arietum, quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere* (*I Reg.* XV).

Materiæ, mi frater, exigit triste fundamentum, ut tristia superædificem verba ; nec vereor, ne illo satyrici me notes elogio : *Plus aloes quam mellis habes*, cum vereamur, cum doleamus hæc fuisse potissimum mala quæ nos cibaverunt pane lacrymarum, quæ nos potaverunt doloris absynthio. Sed cœptæ jam prosequar seriem narrationis.

CAPUT III.

Quando hæc nos incessit subito tempestas, procedere debebamus in civitatem ad exsequias cujusdam canonici, et propterea illo mane maturius

officium aliquot horarum cum matutinali missa expleveramus, dispensante misericorditer eo, qui omnia in mensura et pondere et numero constituit, ut non ad horam tantæ animadversionis divina celebrarent super ipsum altare mysteria, quod sine multo fieri non potuisset periculo tam in ministris quam in sacramentis.

Miser ego ad tantam concussionem pavidus fugi in ecclesiam, ut ibi tutior essem, cum occurrit ex fratribus, dicens pallas altaris a fulmine tactas ardere. Inhorrui, extremui, sed tamen prompte in fidem martyris excitus cucurri, negligensque mei (necdum enim vapor cum fetore, caligo cum horrore decesserant loco) lævam altaris, quam exuri putabam, corripui ut excuterem, quæ vi quadam veluti a vento disjecta partim super ipsum altare superjacente missali remanserat, partim in pavimentum defluxerat. Obstupui mansisse incombustam, dum sub ea scintillam ignis reperissem ardentissimam, in quam et aliquandiu intendi, atque consideravi quiddam fuisse vivacis ac subtilis substantiæ, de qua, martyre sancto teste, timui ne mihi aut insiliret in faciem, aut sævum aliquid diceret. Quod cum vellem decutiendo exstinguere, subito disparuit. Fuisse dæmonem conjicio, qui pro sua potuerit subtilitate per rimas seu cavernulas irrepere, et ignea quadam vi vel demoliri aliqua vel adurere. Namque ut erratici, ita subversorii sunt dæmones, quantum a Dei bonitate frigidi, tantum ex sui malitia igniti. Quomodo autem non pateat illi nos addictos sententiæ : *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem et iram et tribulationem, immissiones per angelos malos* (*Psal.* LXXVII)?

Pyxidem denique argenteam, in qua corpus Dominicum habebatur, inveni super altare dejectam, quia catenulam, de qua ex more pendebat, ferream vis caloris velut stipulam siccam absumpserat, ut vix aliquantos inde annulos reperiremus. Ipsam gemebundus accepi firmiter quidem seratam, sed atramenti instar fuliginatam, et foramen modicum solitum habentem, quo nescimus, tunc artifice factum. Fuliginem illam manibus terendo atque fricando abstersi, aperui, tresque oblatas intus integras, sed paululum obfuscatas inveni, circumstantibus ostendi, quoniam summa nobis erat trepidatio, ne corpus Dominicum deperisset.

CAPUT IV.

Fratres porro altare circumdantes, quatenus si quæ resedissent ignis scintillæ, exstinguerent, pallium quidem, ut supra memini, scissum, sigillum in partes divisum, sudarium neque scissum neque ustum invenerunt, nisi quod etiam in eo, sicut in pyxide, modicum foramen, quantum fieri acu posset, videretur.

Igitur sigilli fragmenta cum lacrymis et mœrore multo levantes, plumbeam, quæ sub ipso fuerat, capsellam, in qua sanctorum reliquiæ continebantur, totum in locum post altare transposuimus, ubi nec cera diligentior, nec lumen deesset continuum. Non A enim ingrate accipimus, sed propensa gratiarum actione excolimus, quo ad tantum, ut dixerim, caminum nec plumbum liquefieri, nec reliquiæ con sumi, nec potuerit cera resolvi. In prædicta etenim capsella domnus Reginardus memorabilis episcopus, constructor ecclesiæ istius, unica devotione suum ex cera cum reliquiis condiderat sigillum. Non advertis, quicunque pietatis donatus es spiritu, trium hic puerorum præconiale spectaculum, quorum neque saraballa neque capillum saltem septemplicis flammæ valuit vehementia temerare? Etiam hic digito Dei athleta cooperatus est victoriosus, de quo veraciter dictum sit : *Cum transieris per ignem, flamma non nocebit tibi, et odor ignis non erit in te* (*Dan.* III), quandoquidem et ipse de craticula se
B assantibus dixerit : « Infelices! Non agnoscitis, quia carbones vestri non ardorem mihi, sed refrigerium præstant? »

Ante hunc ignem, flebiles ac si dicam thermas, dixerat in visu cuidam sanctis illius advoluto genibus et supplicanti : *O frater, venio iterum assari.* Et quoniam minatur per prophetam Dominus, *Scrutabor Jerusalem in lucernis* (*Soph.* I), non habeatur frivolum, quod visus est idem Vigil sanctus omnia monasterii nostri et claustri noctanter diversoria deambulasse et cum lucerna scrutatus fuisse, nec ut filios diei et lucis ambulare quosdam indignatus virga minaci longius eliminasse. Hoc etenim de quibusdam accidisse magis est commiserandum,
C quam aliquem hoc vidisse insimulandum. Quid vero et illud, quod conspecta est imago Domini in cruce pendens et quasi vivens amaras fudisse lacrymas, illi, qui hoc videbat in mentem tunc veniente, quia videns Dominus Jerusalem flevit super illam, qui videlicet tanto stupore ac tremore perculsus est, ut visionem non sustinens nutabundo vix gressu sese subtraxerit. Verum quoniam dicit Ecclesiastes : *Tempus loquendi, et tempus tacendi* (*Eccle.* III), supersedeo nonnullis et visionibus et offensis, quæ tantum nobis præsignavere malum, pro similitudine quadam illud tibi Virgilianum, mi frater, ingerens, nam scholarium studiosus es litterarum :

Sæpe malum hoc nobis, si mens non læva fuisset,
De cœlo tactas memini prædicere quercus.

D (VIRGIL. *Buc.* lib. I, vers. 16, 17.)

CAPUT V.

Quanquam igitur tam enormiter confusi [*spectaculum* quippe *facti sumus mundo et angelis et hominibus* (*I Cor.* IV)], non tamen in salicibus Babylonis suspendimus organa nostra, imo, ut scriptum est: *In tribulatione invocasti me et liberavi te ; exaudivi te in abscondito tempestatis* (*Psal.* LXXX), multiplicavimus laudare Deum super judicia justitiæ suæ variis satisfactionum modis, quos propter semetipsum habeat acceptos, qui penetravit cœlos Jesus Christus Filius Dei, qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum, qui posset salvum illum facere a morte, *cum clamore valido et lacrymis offerens exauditus est pro sua reverentia*(*Hebr.* V).

Ne desertum præterea usquequaque remaneret capitale nostrum, id est majus altare, oraculum attendimus propheticum : *Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua, et invoca me in die tribulationis, et eruam te et honorificabis me* (*Psal.* XLIX), nec non licentia episcopali minus altare majori nunc usque superponimus sacratum a domno Thiewino venerabili Leodiensium episcopo. Et quoniam ecclesia nostra III Non. Novembris a sanctis sacrata et dedicata est episcopis Reginardo videlicet, Joanne Portuensi apostolicæ sedis legato, Pelegrino Coloniensi archiepiscopo, visum humilitati nostræ est quatenus pro tantorum reverentia et prærogativa Patrum, nec non et primæ sacrationis pio respectu, denuo ipsa eadem die reconsecretur.

Proinde levamus oculos nostros in montes, unde veniat auxilium nobis, in te, o benedicta benedictarum virgo Maria, de qua, ut scribit Daniel, lapis abscissus est sine manibus, qui factus est in montem magnum, ita ut impleret universam terram; et in te, o Laurenti, mons craticulate, qui quanto inter tormenta detritus, inter flammas es liquefactus, tanto magis excrevisti usque ad cœlestes Christi januas, quas ingredi sole clarior meruisti. In vos etiam, o Sancti omnes, quos in Canticis canticorum dilecta dilecto esse pronuntiat montes aromatum, quatenus vestrorum odoribus meritorum juxta Zachariæ dictum, effundat Dominus super domum hanc et super habitatores ejus spiritum gratiæ et precum, ut, secundum eumdem prophetam, simus benedictio, qui maledictum esse nunc censemur a sæculo. Siquidem hæc nostra flagellatio facta est multis in scandalum, quasi et ille circuitor terræ et perambulator Satan Job justum non percusserit; Jesu quoque sacerdoti magno non steterit a dextris ut adversaretur ei, et Psalmista non dixerit : *Fui flagellatus tota die et castigatio mea in matutinis* (*Psal.* LXXII), innumeraque alia, quæ possunt objici, quando nec ipse Satan, quantum voluit, sed quantum, et quomodo, et ubi permissus est, nos impetierit illius judicio, cujus judicia abyssus multa.

CAPUT VI.

Quod evidenter cuidam ostensum est, qui subsecuto Parasceve, dum matutinali hora, post vigiliarum et orationum munia, sese in terram paululum quieturus coram altari quodam dedisset, supra se quodammodo factus vidit ea parte aeris, qua fulmen deciderat, clarissimæ lucis angelicam cohortem, quæ obstiterit dæmonicæ cohorti, nostram penitus in conflagrationem succensæ. Sed sicut deficit fumus, defecit, sicut fluit cera a facie ignis, sic tartareus ille torris a facie martyris assati fumigans defluxit. Nec fuit horridior fumus ille, quem vidit Isaias implesse domum Domini, isto, qui totum ita monasterium obfudit, ut ex fulgure illud accensum flebiliter discurrendo perstreperemus. Sed profecto angelus faciei Dei, angelus, quem quartum in camino cum tribus pueris deambulantem vidit et obstupuit tyrannus; ille inquam, qui excussit flammam ignis de fornace, hoc etiam abegit incendium, et ipsos in dæmones tanquam in Chaldæos, qui feroces interpretantur, retorsit.

Propterea miserationum, Domine, tuarum recordari æquum est, laudationem tuam loqui os nostrum salutare, super omnia, quæ largitus es nobis secundum multitudinem misericordiarum tuarum : omnia enim, quæ fecisti nobis, in vero judicio fecisti.

Nec vero sit supervacuum, Jesu Christe, sacerdos magne, sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, quod te vidit quispiam cultu sacerdotali, cultu supercœlesti plusquam Aaron gloriosum, ad altare, quod nunc videris ut tabernaculum Silo repulisse, mystica quædam et quæ supra hominem sunt, sacramenta celebrasse. Erat ecclesiæ structura mirabili modo innovata, aromaticus odor diffusus, claritas ut civitas, quæ, juxta Apocalypsim, non eget sole neque luna, ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminat eam, et *lucerna ejus Agnus est* (*Apoc.* XXI). Illuminanti ergo mirabiliter a montibus æternis supplicent omnes filii lucis, imploret atque impetret omnis Ecclesia sanctorum, quatenus Ecclesia nostra benedictionem accipiat et misericordiam a Christo Domino pontifice summo, salutari vero. Amen.

CAPUT VII.

Frederico in Christo familiari amico suus R.

Monet apostolus, non alta sapere, sed humilibus consentire. Idcirco quoniam instar David te scio humilem in tuis esse oculis, nec genere nec scientia extolli, simul nec vilipendere amici scripta, quamlibet simplicioris, Libellum ad te flebilem scribere gratum ac præcordiale habui. Quem videlicet ut sic titularem, ratio dictavit materiæ. Huic favorem, huic gratulationem te impensurum, prout cæteris soles, opusculis meis, non ambigo, tametsi utilitas sit in eis modica. Sed magnipendis etiam minima pro tua indole bona. Nam mediocribus quoque scriptis amicorum benignitas scit favere, alienorum malignitas nescit ignoscere. Trahit invidus ad culpam, quod emendationis minus fuerit tractum ad limam.

Sed habeo adversus te, quod charitatem primam reliquisti. Siquidem postquam Stabulas abiisti, postquam Stabulensis effectus es, nullum mihi alloquium, nullam litterarum schedulam misisti, quasi arietes, oves, vitulos Arduenna non habeat, de quorum solent pellibus confici pergamenæ. Et quæ tanta fuit Stabulas tibi causa videndi? Illicne legata tibi est stabulandorum cura equorum, qua detentus litterarum ad amicum ita tenus subtraxit officium? Sed forsan causaberis onagros abesse, qui tuos ad nos deportent codicellos? Adsunt autem commeantes plurimi. Si prædones vereris, quorum ferax Arduenna est, ergo per tales mitte, quorum supellex ad instar sit Gabaonitarum, qui misero voluere-

habitu ipsos etiam hostes inclinare ad misericordiam. Reduc ad memoriam :

Cantabit vacuus coram latrone viator.

Quandiu autem non rescripseris, nec duos saltem cupreos a Samaritano denarios, nec a nobis vel stabularii vale accipies.

REINERI MONACHI

LIBELLUS

GRATIARUM ACTIONIS AD B. LAURENTIUM

Super dedicatione nova ecclesiæ monasterii sui.

(D. Bern. Pezius, *ibid.*, col. 197.)

CAPUT PRIMUM.

Post vocem commotionis magnæ, qua super nos Deus majestatis intonuit, quemadmodum anteriore digestum est libello, nunc illa nobis voce exclamandum est, quam audivit post se Ezechiel sanctus, vocem similiter commotionis magnæ : *Benedicta gloria Domini de loco suo* (*Ezech.* III). Ad tuum siquidem redisti locum, o Laurenti, a quo per septem menses ac tredecim dies nostris relegatus offensis exsulaveras. Proinde et nos ut Decalogi vere transgressores per hanc tui exsilii moram offensæ Trinitati satisfacere, sanctum denique septiformem Spiritum impensius obsecrare non destitimus, et quasi septuplum nosmetipsos variis pœnitendo modis punivimus. Tuis igitur avertas meritis, ne tali ulterius plaga feriamur, a septem denique plagis, quæ scribuntur in Apocalypsi *novissimæ* (*Apoc.* XV), quoniam in illis consummanda est ira Dei, tuo defensemur patrocinio. Benedictus itaque Dominus ex Sion, qui habitat in Jerusalem, quia licet fueris, o patrone exorabilis, aversus, solemniter tamen ad pristinum es habitaculum reversus, ut non solemniore spectaculo, non clariore triumpho ad suam de exsilio redierit sedem clarissimus ille Christi dilectus fidelium proclamantibus populorum choris: *Benedictus, qui venit in nomine Domini; Hosanna in excelsis* (*Marc.* XI).

O lampade solari splendidiorem nobis illam lucem, cum III Nonas Novembris, quæ veteris dies fuerat dedicationis, ad novam dedicationem convenit in ecclesiam nostram magna devotione magna populi multitudo, et astante cum monachis, clero abbatibusque religiosis antistes Leodiensis domnus Rodulfus, vir amplissimæ nobilitatis, ecclesiasticæ exsecutus est sacrationis ministeria, tam pio discursu, tam spectabili occursu, ac si Jesum sacerdotem magnum mutatoriis et cidari munda cerneres infloratum.

CAPUT II.

Quod fuerat igitur desolatum, fit altare consolatum, sacrosanctis renovatur mysteriis, aqua, oleo, chrismate tuarum, Christe, ad instar plagarum signatur ac dedicatur. Capsella, in qua dulcissimum nobis man, id est martyris reliquiæ continebantur, cum jubilis cordium devotis et lacrymarum odoramentis reportatur. Hæc, inquam, urna Moysi aurea nobis pretiosior, in pristinum relocatur sacrariolum. Sigillum superinducitur marmoreum, et firmatur lapis benedictione jam et unctione non minus sacer illo, cui Jacob in Bethel superfudit oleum. Nec angelos defuisse sanctos credimus benignumque Jesum, quem unxit Deus oleo lætitiæ præ consortibus suis, scalæ innixum repropitiationis desuper benedixisse astantibus, acceptasse fidem et vota sicut unguentum nardi pistici pretiosi aromatizantia, quod super caput ac pedes ejus pœnitens effudit pretiosa, cujus ex odore miro tota est domus repleta.

Subinde ergo in voce exsultationis et confessionis cantavimus : *Terribilis est locus iste, hic domus Dei est et porta cœli et vocabitur aula Dei*, obtulimusque sacrificium laudis, sacrificium quasi vespertinum, quod te, o Laurenti, passo, te in vespera sepulto Justinus obtulit presbyter sanctus, panem vitæ æternæ et calicem salutis perpetuæ, de quo lacrymabili communicatu participati sunt, qui aderant omnes Christiani, super te gementes ut columbæ, murmurantes in cordibus suis.

Saltaverit quidem totis viribus egregius ille psaltes David, percusserit in organis, obtulerit holocausta et pacifica, cum deduceret arcam Domini exer-

citum in tabernaculum, quod tetenderat ei, universo Israel personante in jubilo et clangore buccinæ. Rex quoque Salomon cum eamdem magnifice transmigraret arcam in oraculum templi, in Sanctum sanctorum sub alas cherubin, arietes mactarit atque vitulos. Nos etiam juxta Osee prophetam reddidimus vitulos labiorum nostrorum atque multimodas gratiarum actiones velut arietum adolevimus adipes. *Arietem*, inquit Dominus ad Moysen, *sumes, quem cum mactaveris, fundes de sanguine ejus circa altare, et concisum atque lotum offeres totum in incensum super ipsum altare. Oblatio est Domino, odor suavissimus, victima Dei* (*Exod.* XXIX).

Quisquis cum Isaac patriarcha bonum sentire odorem potes, senties, quod arietis hujus instar Laurentius olfactui divino redoleverit. Plane et ipse aries spiritu contribulato et corde contrito saginatus valde, qui multiplicibus tormentis concisus, baptismoque lotus martyrii ab eo, apud quem est fons vitæ, ad ultimum oblatus est atque victimatus super aram craticulæ, a toto sparsim corpore in carbones decurrente sanguineo liquore, de quo odoratus est Dominus odorem suavitatis tanquam de sacrificio Noe, qui *requies* interpretatur. Et quidem subsannans in Sanctum subsannatione Decius et frendens super eum dentibus suis : Date, inquit, lectum ferreum, et requiescat in eo Laurentius contumax. Allatus est autem lectus ferreus in modum craticulæ cum costis tribus desuper, quo sanctæ Trinitatis agonista invictus : Ecce, ait, miser, assasti unam partem, regyra et alteram et manduca. Carnifex, qui ponebat morticina servorum Dei escas volatilibus cœli, carnes sanctorum bestiis terræ, mirabili odore affectus est nidore gravissimo carnis adustæ; quia quod fidelibus in vitam, hoc sibi factum est in mortem.

Nec vero siderei vultus coruscamen æternæ filius noctis sufferens cum Valeriano complice abstritus et confusus Tiberiani sese in latebras palatii ut lucifuga proripuit. At vero Laurentius, qui, ut ait Psalmista, jam in lumine videret lumen, qui totus intenderet ad illud Isaiæ : *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti exspectantibus te* (*Isai.* LXIV), vultu vernans pulcherrimo : *Gratias*, inquit, *ago tibi, Domine Jesu Christe, quia merui januas tuas ingredi*. Igitur in eodem Noe verus requievit, obdormivit, inquam, in Domino.

CAPUT III.

Hic revera meritis non impar Stephano tam a Jerosolyma quam et a Constantinopoli causis interpellantibus opportunis protomartyrem attraxit eumdem ad Romam, ut uno requiescerent in sepulcro, quibus fuerat, imo est *cor unum et anima una* (*Act.* IV). Sed quo sensu, quibus attentaverim hoc verbis edicere? Illo mihi dicto, hic utendum est poetico :

Non mihi si centum linguæ sint, oraque centum,
Digna rei tantæ valeam præconia ferre.

Nam Laurentius, o inæstimabilis dilectio chari-A tatis! sese in latus vertit, et dimidium requietionis suæ, id est sepulcri partem æqua portione tanto partitus est cohæredi, ostensumque est quod hæreditas hæc præclara esset eis, quibus tam beatæ sodalitatis ceciderant funes in præclaris.

Verum, ut ita dixerim, o mirum mirabile! quia dum ad corpora vel reliquias sanctorum mortuis vita, sanitas ægrotis soleat interdum instaurari, quicunque tantum Laurentii exustum corpus videre, tanquam exanimes statim cecidere, nec infra dies 10 superfuit ullus, qui morte non fuerit exemptus. Cur autem hoc acciderit humano investigari sensu non potest, cum dicat Apostolus : *Quis enim cognovit sensum Domini* (*Rom.* XI). Cujus nimis profundas esse cogitationes dicit et Psalmista. Est B autem supra hominem filios vitæ, quorum spiritus in cœlesti jam gloria Christus ineffabiliter dignificavit, velle carneis videre oculis maxime indignos. Quapropter tanto martyri quantum reverentiæ, quantum debeatur honorificentiæ, hinc æstimandum est.

Nec meam ipse debeo reticere miseriam; quia dum aliquando commendatas mihi quorumdam sanctorum reliquias publice videri et tractari exposuissem, tanto membrorum sum tremore subito redargutus, quod incautelam paralysis meam vindicasset, nisi pœnitentiæ mox antidotum succurrisset.

Cæterum quod in Canticis canticorum sponsa dicit : *Dilectus meus candidus et rubicundus* (*Cant.* V), C hoc itidem tu dicere, o Roma, potes : Dilecti mei candidi et rubicundi. Quæ lilia enim Stephano et Laurentio candidiora? Quæ rubicundiores rosæ a pigmentariis consitæ? Quæ aromatum areolæ redolentiores? miræ confectionis unguentum, cujus et ipse fuit dictator Dominus, quo etiam dictante unctum est tabernaculum et arca testamenti omniaque utensilia ejus; de quo, inquam, unctus est Aaron et filii ejus, thymiama, quo uti alieno non licet quod Sanctum sanctorum esset, paradisi floribus tantis nec odore suavius, nec fuit sacratius sanctitate.

CAPUT IV.

Dum enim esset inventum sacratissimum beati Stephani corpus, ait inventionis ejus relator, terræ D motus factus est magnus, tantaque suavitas et fragrantia odoris inde egressa est, quantam nullus hominum sentire unquam potuerit, ita ut putaremus nos in amœnitate paradisi esse positos. Et de ipso siquidem odore infirmi septuaginta tres a diversis sunt incommoditatibus sanati. Nihilominus et scriptor translationis ejusdem a Constantinopoli ad urbem Romam. Aperto, inquit, tumulo ejus tanta, tamque miri et suavissimi odoris abundantia prodiit, ut qui aderant in illam cœlestem jam se patriam translatos esse putarent.

Nec vero minore odoris gratia, nec impari virtutum mirificentia spiravit atque effulsit illa beati Laurentii sagina, quæ nobis ab urbe Roma divini-

tus provenit tempore oomni Diewini Leodiensium episcopi, et primi Ecclesiæ hujus abbatis Stephani. Quod etiam diligenter apud nos habetur descriptum, ideoque dicta prius supersedeo dicere rursum, præsertim quod clare digesta vili obscurare stylo esset temerarium. Ut attingam tamen breviter : Anno Dominicæ Incarnationis 1063, a die autem primæ dedicationis nostri cœnobii 37, IV Idus Julii tanto fuimus ditati thesauro, cum tam pretiosum, tam desiderabile pignus ad nos est perlatum, nobisque collatum præsenti maxima cleri ac populi Deum et martyrem magnificante frequentia. Solemnizatur proinde a nobis dies ista quotannis, dulce ac pium memoriale spirans tam redolenter mentibus piis quasi flos rosarum in diebus vernis, et quasi thus redolens in diebus æstatis.

Verumtamen ut scriptum est in Propheta : *Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem contemnentes spreverunt me* (*Isai.* I), quidam aliquando ex senioribus nostris firmaverunt sibi sermonem nequam, ut a serpente antiquo supplantati acuerent et ipsi linguas suas sicut serpentis, dicerentque istam superfluo celebritatem fieri. Caudam draconis partem stellarum diceres traxisse, cum minores etiam simplici lucentes oculo eatenus obscurarint et post se traxerint, ut eodem superveniente festo, debiti cultus ac festivæ servitutis fraudarent patronum honorificentia. Cum vero aeris esset tunc magna serenitas, tanta inhorruit vesperascente tempestas, quod præ tonitruis horribilibus et coruscis locus iste profundari ac subversum iri putaretur.

Zelatores proinde nostri ex sua ingratitudine proterva contriti et confusi, culpamque alterutris accusantes a synaxi vespertina omissæ festivitatis officia repetierunt, temperata evestigio tempestate et conquiescente. Detestabile profecto est vitium ingratitudo. Hanc et ipse Christus Dominus in novem leprosis, qui gentis erant Judaicæ, improbans, unius, qui erat Samaritanus, gratias agentis gratitudinem commendat : *Nonne*, inquiens, *nonne decem mundati sunt? et novem ubi sunt? non est inventus qui rediret et daret gloriam Deo nisi hic alienigena* (*Luc.* XVII). Ergo, gratissime martyr, grate acceperis, quod quidam tuis tam sedulo assederunt reliquiis, toties scrinium, in quod erant ab altari transpositæ, amplexati sunt, affectuosaque figentes oscula infunderunt lacrymis, tanquam viderent et manibus tractarent arcam testamenti, quam aperto cœlo visam esse in templo Domini dicit in Apocalypsi Joannes. Sed te hoc attendisse, te hoc acceptasse fusa interdum desuper lux declaravit. Lapidibus ignitis equidem ab igne ascendisti in montem sanctum Dei, de quo projectus, de quo perditus fuit cherub ille antiquus, ad quem Dominus per prophetam : *Omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sardius, topazius et jaspis, chrysolithus et onyx et beryllus, carbunculus et smaragdus* (*Ezech.* XXVIII) ; Lucifer, inquam, ille qui mane oriebatur, propter superbiam obscuratus tanti perdidit cultus operimentum : tibi propter humilitatem illustrato posuit in capite Christus coronam de lapide pretioso, cui quemadmodum habetur in Job nec topazius de Æthiopia, nec sardonicus lapis pretiosissimus vel sapphirus queant adæquari ullo modo, et tinctis in die coloribus omnino pretiosiore es purpura donatus, ab illo scilicet Rege regum, qui sua fuit in passione chlamyde coccinea purpuratus.

CAPUT V.

Et plane qui dixeras inter exstinctos lapides, hoc est infideles, positus : *Mea nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt*, qui tota in flammis nocte agonizaveras, tyranno dicente : *Nox ista in te versabitur cum suppliciis*, matutino coruscante lucifero ad diem et requiem veram transisti dicento tibi desiderato cunctis gentibus, dicente tibi Christo collium æternorum desiderio : Veni, desiderator bone, veni ; desiderant te angeli mei, quoniam assatus non negasti me, probatus confessus es me. Nam et auro puriorem obrizo, et omni clariorem carbunculo te cuidam ostendere es dignatus, utpote qui luces, qui ardes ut seraphim. Sed scriptum est in Tobia : *Sacramentum regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est* (*Tob.* XII).

Referebat igitur nuper juvenis quidam, quod captus a quibusdam fuerit raptoribus, qui rebus suis inhiantes, gravem pecuniæ summam ab illo exigerent, quem et vinculis et inedia per aliquot dies confecerant, et de loco ad locum trajiciebant. In turri postremo satis alta concluserunt, pedes arctissime illius in cippo constringentes. Jacebat ergo miserrime affectus ac pervigil. Sciens vero vigiliam passionis tunc esse sancti Laurentii, tota mentis contractione martyrem interpellabat, cum sensit repente concuti cippum atque laxari, cujus erat tam vasta moles, ut illum dædali quondam labyrintho destinatum suffecisset Minotaurum cohibere. Ita extractis pedibus accessit ad fenestram turris, circumspiciebatque utrum valuisset sine periculo desilire. Diffidebat quidem præcipitio, sed plus confidebat martyri. Itaque ab alto se misit deorsum, et virtute subvectus martyris, directusque ducatu, quanquam esset viarum ignarus, tamen tuto ad nos itinere pervenit, quæ sibi acciderant enarravit. Nos juxta psalmographum nomen Domini, *qui educit vinctos in fortitudine* (*Psal.* LXVII), alte concrepando invocavimus, cum ille ad majus altare accedens vovit, ut quoad vixerit, suam annualiter oblationem sancto dependat in gratiarum actionem.

Item alius ab iniquis captus atque im compedem conjectus, nisi daret, quod exigebatur, injuriis angebatur. Spopondit tandem se daturum, et absolutus uxorem pro se suam vadem reliquit. In compedem pro marito mulier conjecta est. Aderat festum S. Laurentii. Questibus et dolore lacrymoso misera per totam fere noctem importuna Laurentio sanctum inclamabat, sanctum obtesta-

batur, cum subito dissiluisse boiam mirata est, animoque usa virili eam humero imposuit, cum ea profugit, quam et continuo per maritum gratias agentem, sancto Laurentio, qui solvisset compedes, destinavit.

Venit etiam puer cum boia deductus a patre, quomodo et ipse solutus sit, et ad invocationem martyris in ipsius festo ereptus de inimicis, innotuit coram ipso. Unde et nobiscum populus dedit laudem Deo.

CAPUT VI.

Igitur a prima dedicatione hujus ecclesiæ ad secundam dedicationem anni supputantur 151, ab anno autem Dominicæ Incarnationis 1182. Denique XI Kal. Aprilis divina fuimus animadversione plagati, sed eodem nihilominus anno IV scilicet Nonas Novembris divina miseratione sanati. Hujus sanationis lætitiam, hoc est dedicationis solemnitatem exemplo Salomonis vel Machabæorum per 8 egimus dies, atque, ut scriptum est, obtulimus holocausta precum et salutaria laudis in canticis spiritualibus et gratiarum actionibus tanquam in vasis musicorum diversis confitentes *Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus* (*Psal.* CXXXV). Dicit autem Jesus filius Sirach : *Glorificantes Dominum quantumcunque potueritis, supervalebit adhuc, et admirabilis magnificentia ejus; benedicentes Dominum exaltate illum, quantum potestis : major est enim in laude; exaltantes eum replemini virtute, ne laboretis, non enim pervenietis* (*Eccli.* L).

Ergo quoniam reposita est corona capiti nostro, id est majori altari reddita est sua consecratio, nec pervenire possumus ad condignam laudem et gratiarum actionem, tu, o sancte Laurenti, procide cum viginti quatuor senioribus de Apocalypsi ante sedentem in throno, et adora pro nobis viventem in sæcula sæculorum; mitte, inquam, tuorum coronam meritorum ante thronum, adjunctoque ad preces miræ charitatis summæ ad Deum gratiæ Stephano, quemadmodum in cœlo, sic etiam in sepulcro tibi mirabiliter conjuncto, exora cum illo et impetra nobis servientibus hoc in loco tuo, quatenus digne possimus dicere omni sæculorum A ævo : *Benedicta gloria Domini de loco suo. Amen.*

EPILOGUS.

Æquum est præterea illius meminisse præcordialiter, illum adnotasse celebriter cujus maxime impensis, cujus præcipue cura necessariæ, quam exscripsi, plagæ sanitas est recuperata. Paterfamilias noster domnus abbas noster Everelinus quantum instar sancti Jacob luctatus sit cum Angelo, quantum precibus, lacrymis, atque, ut ita dicam, brachiis eleemosynarum institerit Christo, pium fuerit memoratu. Sed bonarum sinceritas actionum adulationis non requirit fucum quandoquidem scriptum est : *Lux Dei est bene agentis vestigium* (*Eccli.* L). Tamen dici de ipso potest non temere, B quod de supra dicto luctatore propheta dicit Osee : *In fortitudine sua directus est cum angelo et invaluit ad angelum et confortatus est, flevit et rogavit eum, in Bethel invenit eum, et ibi locutus est nobiscum* (*Ose.* XII). *In Bethel*, inquam, quod *domus Dei* sonat, in domo scilicet orationis invenit magni consilii angelum, nempe qui et dicit : *Domus mea domus orationis vocabitur.* Et *ibi locutus est nobiscum* misericordiam post judicium, ut Ecclesiæ mitteret Leodiensis angelum, id est episcopum. Sacerdos enim angelus Domini exercituum est, qui nostrorum uredine peccatorum arefactæ ut hederam Jonæ, reformaret nobis novæ dedicationis viridem atque florentem statum. Circa cujus instaurationem Eve- C relinum abbatem ita spectasses officiosum quasi Martham satagentem circa frequens Christi ministerium. Simon Oniæ filius, sacerdos magnus a Jesu filio Sirach prædicatur, quod in vita sua suffulserit domum, quod in diebus suis corroboraverit templum, quod in sua effulserit gente, quasi arcus inter nebulas gloriæ. Serio possunt hæc eadem ad nostrum derivari Everelinum, quandoquidem et lucerna super candelabrum posita omnibus, qui sunt in domo Dei, est conspicua, et in Evangelio legitur : Unaquæque arbor ex fructu suo cognoscitur. Denique a primo abbate hujus Ecclesiæ abbas ipse est novenarius, quem novem esse ordinis angelorum consortem et cupimus, et oramus.

REINERI MONACHI

BREVILOQUIUM DE INCENDIO ECCLESIÆ S. LAMBERTI LEODIENSIS.

(*Ubi supra*, col. 207.)

§ 1. Gravi et diutina detentus infirmitate distuli nunc usque, fratres mei, satisfacere voluntati vestræ ac petitioni, scilicet ut perstringam breviter Satanæ malignitatem, qua nos in commune, id est clerum et populum impetiit graviter et concussit. D Circuitor terræ et perambulator insidiosus, cujus instabilitas et vagatio semper intendit, semper grassatur ad nocendum; ille, inquam, qui tam dolenter Job sanctum percussit, nec nostra equidem a percussione abstinuit, dum matrem nostram, vi-

licet ecclesiam sancti Lamberti, nec non ad nihilum deducere per tantum, quod vidistis, incendium, machinatus est.

§ II. Anno ab Incarnatione Domini 1188, IV Kal. Maii, quo die S. Lamberti celebratur translatio, ad primam scilicet subsecutæ noctis vigiliam ignis a domo prorumpens cujusdam canonici, circumpositas domos, dein claustrum claustralesque officinas repente corripuit et absumpsit; nimiumque dæmonica exagitatione invalescentes flammæ tuo, sancte Lamberte, monasterio incubuere, et tecta quamvis convestita diligentissime plumbo, ambasque turres, nec non et palatium vetus cum Ecclesia sanctarum virginum, nonnullisque circum mansionibus ingenti conflagratione ruinaque dejecere.

Heu quis non dolere, quis a gemitu et lacrymis abstinere potuit super tua eversione, o domus excellentis fabricæ! o nobilis atque illustris ecclesia clero, institutionibus, multisque insignibus gloriosa! Ecce divino qualiter percussa es judicio! ecce sonoritatis atque dulcedinis unicæ in terram campanæ decidentes confractæ sunt! marmora pavimenti spectabilia nullis jam esse usibus apta æstimantur; augustæ operositatis corona, quæ pendebat in medio, dum tumultuarie et raptim deponitur, imo et dejicitur, plurimum dissipata est; lectionarium auro et gemmis insigniter fabricatum pretiosis, exportatum est quidem, sed de ipsis sunt gemmis perditæ præstantiores.

Denique quid memorem altare sanctæ Trinitatis, A aliaque sanctorum altaria fuisse demolita incendioque violata? Adeo tunc invaluit Satan, adeo tunc invectus est in sanctuarium Dei nebulo iste gehennalis, ille osor sanctitatis. Principale tamen altare, quod est sanctæ Dei Genitricis, mansit intemeratum. Non enim potuit temerare flamma, quod tanta voluit conservare patrona. Nonne et ipsa suam mirabiliter conservavit ecclesiam parochialem. Instar Chaldaicæ fornacis, in quam olim tres pueros conjeceral tyrannus, horrenda [undique exundabant incendia, ex illa tamen ecclesia quasi refugientibus et torpentibus flammis.

§ III. At vero tua, beate Petre, domus intacta perstitit et illæsa; tua, o apostole, decentis structuræ basilica eodem incendio cum ecclesia parochiali B sanctorum Clementis et Trudonis combusta est. Claustrum quoque cum officinis claustralibus ignis vorax absumpsit. Proh dolor! Propter peccata inhabitantium sic interdum sancta Dei disperduntur habitacula; propter indisciplinatorum offensas sic interdum divina destituuntur sanctuaria.

Sed tu, o piissima virgo Maria, tu exorabilis misericordiæ mater, vosque magnifici patroni, Petre et Lamberte, vos, inquam, piissimi pastores, a vestris gregibus omnes Satanæ incursiones propellite, et domos vestras, id est ecclesias vestris dicatas meritis, orate, ut ille Dominus, ille sanctus reformet in melius, et protegat in æternum, cujus *domum*, ut ait Psalmista, *decet sanctitudo in longitudinem dierum* (*Psal.* XCII). Amen.

REINERI MONACHI

LACRYMARUM LIBELLI TRES.

(D. Bern. PEZIUS, *ibid.* col. 211, ex ms. S. Laur. Leod.)

LIBELLUS PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Sunt justi atque sapientes, ait Ecclesiates, *et opera eorum in manu Dei, et tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta* (*Eccle.* IX). Propterea, o philochriste, qui, exemplo prædicabilis Magdalenæ plagas manuum, lateris, et pedum Jesu Nazareni crucifixi toties lacrymis lavisti, capillis tersisti, et quasi de alabastro spiritus contribulati profusum superinunxisti odoriferum nardi liquorem: propterea, inquam, o amator Christi, cum quo mihi familiariter frequens de hujusmodi sermo est, *timor et tremor venerunt super me et contexerunt me tenebræ* (*Psal.* C LIV). Ignoro etenim quando vel quomodo moriturus sim, licet noverim omnino me moriturum.

Nec sine lacrymis et dolore magno atque gemitu recordari aut dicere possum, quod quidam e fratribus nostris aliquoties inopina et subita sunt a nobis morte subtracti; et domestici quam extrarii casus visi quam auditi nos debeant terrores penetrabilius admonere. Probabiliter quidem scriptum est: *Justus qua morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit* (*Sap.* IV); tamen præoccupare faciem Domini in confessione et pœnitentia, oleo ungi sancto, eucharistia participari ut piissimum, sic et tutissimum est. Quis vero animæ, quis edicat corporis

morbos? Innumeris miser homo subjacet passionum **A** calamitatibus. Vana sunt autem et transitoria, quæcunque arrident sæculi hujus prospera. *Melius est* ergo, ut definit idem Ecclesias'es, *ire ad domum luctus quam ad domum convivii : in ea enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat, quid futurus sit* (*Eccle.* VII). Cogitatio fructuosa; quoniam, ut sapiens dicit alius : *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis* (*Eccli.* VII). Jugiter enim attendere, quod moriturus sis, præscribere, ad quæ sit futurus tibi sermo reddendæ rationis, multum retrahit a peccatis. Sed quia in Evangelio ait Dominus : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV). Et Apostolus : *Neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei* (*Rom.* IX), quidquid cogitamus, quidquid loquimur, **B** quidquid agimus boni, divinæ potissimum est gratiæ imputandum.

Denique fidelis quidam ejusdem Apostoli me sæpius dicto compungere solebat : *Ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos* (*II Cor.* I), quia memoraret, dum se aliquoties, dum aut orationi vacaret, aut contemplationi, tantum animi stuporem totiusque subito pertulisse corporis rigorem ut sibi agoniam adesse mortis crederet. Urgebat interim chaos terrificum utpote contra quem terrores Domini militarent. Etenim ad tremendum Dei judicium tam inopinate, tam improvise rapi exspectatio terribilis adeo est, ut mentem hominis, **C** nedum linguam excedat. Hinc culparum congeries, inde maligni spiritus accusatores; tum vero judicis examen et sententia jam versabantur ante oculos. Tribulationem igitur suam lacrymatu indicibili ante Deum pronuntiabat, effundendo scilicet illam beati Job orationem : *Dimitte me, Domine, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam et non revertar, ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine, terram miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis et nullus ordo, et sempiternus horror inhabitat* (*Job* X). Nec non illud Psalmistæ : *Remitte mihi, ut refrigerer, priusquam abeam, et amplius non ero* (*Psal.* XXXVIII). Non deerat tamen spes illi misericordiæ sub tali angustia. Quippe dum post aliquantum anima rursum membris omnibus quasi refun- **D** deretur, sed insolita concussione et fremore.

Quid autem verear fateri, quod e fratribus nostris uno jam propinquante morti, cum quadam Dominica inter Matutinorum vigilias somni gravedine pressus, super lectulum ipse parumper requiescere vellem, tam vehementer dæmonum in me turba irruit, ut ad ecclesiam tremebundus refugerem? At vero paululum post reprehendere meipsum cœpi et confundi, quod tam modicæ fidei essem, ut a facie potestatis phantasticæ ita deterrerer. Igitur quasi priorem fugam seu diffidentiam emendaturus ad lectulum reversus sum dicendo : *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo* (*Psal.* XXVI)? etc., crucisque signaculo me circumjecto sollicite communivi.

Vix irrepere somnus cœperat, et ecce cohors illa implacabilis graviore admodum quam prius violentia incurrit, feralibusque telis comminans et horrende infestans adeo quoque invaluit, ut detractum lectulo me in aerem veluti abripiendum levaret, nomen et auxilium inclamans Spiritus sancti, et a peste tanta me excutiens, ad ecclesiæ asylum utique pugnator invalidus atque somnolentus refuga denuo refugi. Nec miseræ menti ac imperfectæ defuit horror, dum se ingererent larvares nebulosissimique vultus illi, quos aspexeram.

Siquidem et anteriori quodam acciderat mihi diluculo, ut psalmodiæ intentus, dum super claustri me reclinassem intercolumnia, immanem ursum a domo infirmorum strepitu exire grandi viderem. Erat horribili aspectu et torvo nimis, flammantibusque oculis. Nec mihi parum incusserat horroris, dum econtra transiret, nisi salvificum exclamassem Spiritus sancti nomen et crucis objecissem signaculum, ad quod sicut deficit fumus, defecit et evanuit. Verum citius ego abscedens loco, ut quolibet meditatu alio turbatum tranquillare pectus valuissem, talibus meipsum versiculis occupabam :

Quanta mihi faciant crebro certamine pestes
Dæmonicæ mala, non leviter depromere possim.
Instant igne, minis, horroribus atque flagellis,
Concutiunt somnos carpuntque truci velut unguo.
Quam gravis illorum vis est, quam dira potestas!
Innumeros solus, et vincere quis queat hostes?
Spiritus obsistat sanctus, miserum tueatur;
Infirmosque suos firmet charismate sensus.
Tanto tutore nil sunt phantastica quæque.
Hic bene tranquillat, scelerum quod grex male turbat.
Felix, quem nutus, quem gratia diligit ejus,
Sensibus et corde clarescit jugiter ille!

CAPUT II.

Nihilominus autem occurrit memoriæ, duos ex fratribus nostris infirmatos graviter fuisse. Alter eorum per hebdomadam fere cibi ac potus perdito appetitu, etiam levamen perdiderat moriendi tam febre quam jejunio exsiccatus. Nocte igitur una, cum pervigil jaceret, subito vidit dæmonem fuligineis atque tetricis horrendum lineamentis inter suum et alterius fratris lectulum constitisse. In eodem quippe diversorio uterque altrinsecus decumbebat. Ad utrumque vicissim dæmon explorantis more gestibusque intendit. Et conversus ad eum, qui vigilabat : « Tu quidem, ait, nunc evades; alter vero ille conferet nobiscum jamjam moriturus : », quod et accidit. Nam evestigio frater aggravatus et ab ipso est diversorio exportatus. Porro qui remanserat infirmus, tantos in aere clamores eo decedente audivit, ut innumerum concursare tumultuarique vulgus crederet. Evocavit proinde dormientem coram se puerum, et : « Audisne, inquit, tantum circa nos clamores? — Non penitus, ait; » sed strepitu eodem tumultuosius accrescente identidem illum excitavit. Ad fenestram cellæ puer accessit,

oculos diligenter circumtulit et auscultavit, et « Neque nunc, inquit, audio vel video aliquid. » Verumtamen infirmus horrore quodam ac tremore angebatur, recogitans quantos dæmonum incursus, quanta perferant impedimenta e corporibus migrantes animæ. Siquidem dum ipse Christus Dominus, instante suâ passione, dixerit : *Venit enim princeps mundi hujus et in me non habet quidquam* (*Joan.* XIV); nec non tam mirabilis gratiæ et meriti beatus evangelista Joannes visitatus a Deo et invitatus ad convivium Dei precatus sit : *Domine, princeps tenebrarum non occurrat mihi, nec veniat mihi pes superbiæ* (*Psal.* XXXV), *et manus extranea non contingat me*, quid æstimandum est, draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus et Satanas, qualis, quam importunus ad alios cum suo potentatu veniat?

His itaque ac similibus multis nimium pavens, nimium contritus animo, matutinali similiter quodam crepusculo me somno permiseram, cum repente visum mihi est, quod essem ante altare sancti Benedicti in nostro situm monasterio. Ibi quemdam mihi familiarem suppliciter humi prostratum et orantem reperi. Ante aliquot dies vita ipse excesserat : qui primo cum fuisset canonicus et decanus in suburbio nostræ Urbis, ad sanctum scilicet Bartholomæum, relinquens omnia et sequens Christum, quatenus promissum a Christo centuplum mereretur accipere et vitam æternam possidere, factus est apud nos monachus, quantumque institerit divinæ servituti, vigilias, orationes, altaris mysteria frequentando, novimus, nisi upupa quævis tenebrarum assecla et luti, aquilam puro aere assuetam, clarosque figentem oculos in sole, sordium et cæcitatis arguere velit. Quinimo discipulus Christi quotidie bajulans crucem suam castigabat corpus suum et in servitutem redigebat, dum summopere disciplinis illud addiceret, nudo quiesceret pavimento, vel substrata vili mattula, et vice pulvilli posito ad caput lapide, qui suppositum plane capiti Jacob in Bethel lapidem nobis repræsentabat, præsertim cum Jordanici Baptistæ arduus imitator pilis camelorum contexta continue ad carnem toga vestiretur. In triduum plerumque aut in hebdomadam tenebat jejunium, quandoquidem et per totam aliquando Quadragesimam omni potu abstinuerit, tanta parcimoniæ prærogativa Moysi et Eliæ similandus, nisi quod et cibo per quadraginta itidem dies illi abstinuerunt, suo jejunio jejunaturi quadragesimam Christi præconantes. A vino et carnibus sese penitus relegarat, ut de filiis Rechab putares abstinentissimis unum, et quemcunque sibi victum subtraxisset, egentibus et infirmis aut per seipsum, aut per alios conferebat, procul dubio credens benigno se Jesu fecisse quod uni ex minimis ejus fecisset. Denique velut ad quamdam Siloe natatoriam internorum sordes oculorum luteosque actus per confessionem ac si cum cæco lavaturi evangelico currebamus, et juxta quod legitur : *Qui suscipit animas, sapiens est* (*Prov.* XI), paterne nos suscipiebat, exemploque Samaritanus discretus vinum et oleum infundere, plus valebat prodesse infirmis mentibus quam ille quondam Hyppocras ægrotis corporibus.

Revelabam itaque per eum Domino viam meam, et agricolæ bono passim exstirpandum dabam, quidquid conscientiam pungere, quidquid urere, seu lacerare animum posset sedulo Salomonis attendens illi proverbio : *Per agrum pigri hominis transivi et per vineam viri stulti, et ecce totum repleverant urticæ, operuerant superficiem ejus spinæ, et maceria lapidum destructa erat* (*Prov.* XXIV). Migraturus laboravit per aliquot dies infirmitate, sed, aspirante aura supernæ miserationis, justus de angustia liberatus est ac de camino laborum hujus sæculi eductus in refrigerium æternæ pausationis.

Ipse igitur cum apparuisset mihi, quemadmodum supra retuli, quia phantasmatis me quiddam inquietaverat dormientem, accessi pro consuetudine, ut ei confiterer rememorans illud beati Job : *Militia est vita hominis super terram* (*Job* VII), qui scilicet neque cum vigilat, neque cum dormit, a certaminibus tentationum prævalet tutus esse aut liber. Absolutionem proinde fecit, benedictionem dedit, hos mihi versiculos consolanter ingerens :

Pectus habe castum nec erit phantasma nocivum
Vis flammæ nulla, si tolluntur sibi ligna.

Equidem volebat intelligi, quod veluti sopitur ignis, si fomes desit lignorum, sic tentatio enervatur facile, si consensu careat mentis et delectatione Præterea cum lacrymosis quærerem prorsus suspiriis post mortem qualia sortitus sit, tremendum Christi tribunal quale habuerit? « Occupatus sum, » inquit, « pro pœnitentia. Namque indictum est mihi, quatenus sancta circumeam loca, sanctorum me patrociniis commendem. »

CAPUT III.

Salubris pœnitentia, felix purgatorium, quod nullus asperet horror dæmonum aut incursus, sed perpetuæ jam salutis spes purgandum relevet, cui neque desit lux, neque visitatio interdum angelica! Anima porro nimis misera, quæ dæmonicam in potestatem devenit, quia quandiu tam diris addicta est exactoribus, habere nullius refrigerii, nullius boni spem potest, quin potius die ac nocte ab inquietis inquietatur, donec remissione divina pœnitentiæ subdatur remissiori, requiem habitura quandoque justorum. Quod et cuidam fratri ostensum est, qui, dum inter vigilias matutinales altiore quodam loco staret, elevatisque ad orientem oculis meditaretur cum corde suo et intentius oraret, audivit tumultum per aerem magnum, sancti Spiritus invocatione et sanctæ crucis se signaculo præmunivit et attendens vidit, quod malignorum innumerabilis turba spirituum tetra nimis et succensa multitudinem minis atque intolerabilibus exagitaret tormentis. Ex quibus una, cujusdam scilicet fratris nuper defuncti, heu!

quam anxia, heu! quam lugubris ad prædictum A fratrem decurrit, ut aperte posset intelligi quod sibi peteret succurri. Sed horrendo fragore ac strepitu cum imminerent tartarei exsecutores, visa est transcurrere ad proximum sanctæ Dei Genitricis oratorium, forsitan ibi aliquod habitura patrocinium, eo quod idem frater, dum adhuc esset nobiscum, Dominæ tam speciali se exhibuerit devotum. O quanta est distantia inter cœlum et infernum! O quam magnum chaos firmatum est inter filios lucis et filios tenebrarum! Videre et audire cœlestia summæ dulcedinis ac refectionis est, infernalia summæ amaritudinis ac defectionis. Quocirca horribiliter qui hoc videbat vel audiebat extremuit, loco se amovit, et justitiam Dei animæ fratris per multum temporis fraterna compassione fieri orabat B propitiabilem.

Unde vigilia quadam matutina, cum sederet in ecclesia remotus, per quemdam excessum mentis denuo vidit ipsum fratrem inter quosdam fratres defunctos alternatim psallentes: *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur* (*Psal.* xc), et cætera usque ad finem psalmi, quorum itidem modus pœnitentiæ esset sanctorum circuire memorias. Et cum ab illo quæreret quomodo tunc se haberet: « Fueram, » inquit, « traditus cum aliis quibusdam cruentissimæ dæmonum potestati, qui nos sine ulla intermissione tormentabant indicibiliter. Ab his mater misericordiæ suo me patrocinio et interventu eripuit. »

Hæc ego utique non quasi frivola vel phantastica, sed quasi seria et vera compunctionis et correctionis commonitoria scribo, maxime cum ipsa eadem mater misericordiæ præscripto fratri per se dignata sit apparere in lectulo residenti atque lacrymis et orationibus fatigato. Nec dormiebat, sed clausos corporis dum teneret oculos, aperti sunt ei miro quodam modo animæ oculi, et illud singulare angelici oris *Ave* angelorum et hominum dominæ, qua interior posset homo, reverentia protendens: *Ave*, inquit, *Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*. Quod cum nutu benignissimæ faciei acceptasset, innuit ei ut attenderet ad illum qui astabat. Nam suus ille captivus, ille suus, o utinam liberatus! nimia captivitatis inclementia maceratus astabat. Attendit frater ad fratrem, et: Quomodo, ait, o amice! nunc agitur tecum? Allacrymans ille et ingemiscens: Heu, heu! quam horrendum est, inquit, incidere in manus Dei viventis! In has pro meis damnabiliter culpis incideram, nisi tantæ hujus miseratricis, tantæ hujus liberatricis me miseratio, me auctoritas liberasset.

Igitur cum nec sensus, nec linguæ angelorum et hominum tantæ Virginis, tantæ matris gratiam, dignitatem, gloriam comprehendere possint aut effari, ego infimus, ego iners terræ pulvisculus, quæ laudis munia dependam? Solus ille qui mensus est pugillo aquas, et cœlos palmo ponderavit, qui appendit tribus digitis molem terræ et libravit in pondere montes et colles in statera; solus, inquam, ille ponderator spirituum tam angelicorum quam humanorum, qui suarum fluenta gratiarum in singulos derivat et dividit sanctos, prout vult, ad plenum novit, quantum de sua plenitudine in Mariam mensus sit, ponderaverit, appenderit. Tamen os meum aperiens et attrahens spiritum exclamo corporis et animæ totis affectibus: « Heu, quantis nos obligaverunt malis Adam et Eva! O quanta recuperaverunt bona Christus et Maria! » Sed ad me miserum jam revertar. Postquam a me quem videbam, cui colloquebar, senior recessit, a somno etiam dimissus sum, meque perfusum lacrymis totoque tremulum corpore inveni. In amaritudinibus ergo morabatur mentis meæ oculus, et erant mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. Siquidem mihi proponebam unde et quis essem, ad quid post paululum deventurus, cui miseræ redditurus vitæ rationem? Molestias infirmitatum, agonias in mortem fratrum, qui me coram posito quamplures decesserunt, recolebam, lacrymasque addebam lacrymis, novas veteribus, illis videlicet quas in recenti funere quorumdam amarissime fudi. Cani capitibus, candentes virtutibus senes, cani sensibus, florentes moribus juvenes recurrebant ad mentem, quibus, dum nostræ vinea floreret Ecclesiæ, latius bonæ opinionis odorem dabat. Tales dum super custodiam suam starent, Decalogi præcepta ser- C vando et misericordiæ sex operibus se acclinando; tales, inquam, dum super custodiam Domini starent totis noctibus tam in se quam in aliis vitia resecando, et adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus colluctando, illis non injuria sunt conferendi, de quibus in Canticis canticorum dicitur: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi. Uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos* (*Cant.* III): quorum hic per singulos annotare personas et nomina exprimere fuisset quidem dulce mihi et gratum. Sed tamen supersedi, quando quidem spero ea esse scripta in libro vitæ, illo D scilicet digito Dei, quo scriptæ sunt tabulæ testamenti, ut sint hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Subnectam deinde quid luctus, quid lacrymarum fuerit non leve aliquando mihi incitamentum. Nam, secundum quod ait beatus Job, *Si dixero: Consolabitur me lectulus meus, et relevabor loquens mecum in stratu meo, terrebis me per somnia, et per visiones horrore concuties* (*Job* VII); mihi quoque accidit.

CAPUT IV.

Videbam me per somnium in quadam insula esse, quam mare rapidum nimis et atris horribile et turbulentum aquis circumdabat. Limes angustus valde per medium porrectus erat usque ad aliam procul terram, quæ ad orientem posita et omni amœnitate

vernans habebat regiam miræ et incomparabilis structuræ et tantæ claritatis ac beatitudinis, ut oraculum repræsentaret propheticum : *Oculus non vidit, Deus, absque tè, quæ præparasti exspectantibus te* (*Isa.* LXIV). In ejus porta litteris superscriptum aureis legebatur : *Beati qui habitant in domo tua, Domine! In sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII). Vox enim laudisonæ exsultationis atque gratiarum actionis perpetuo illic audiebatur. Nimio æstuabam desiderio illic transeundi; sed verebar illius super aquas altius eminentis difficilem et angustum usquequaque tractum, ne, si temerarie hoc attentassem, cum nulla deduceret aut sustentaret justitia, nutante gressu deciderem, tamque pavendæ hiatu perirem voraginis.

Flebam igitur multum, eoque amplius quod videbam transire quosdam non facile tantum, sed etiam cum grandi fiducia. Super arenam ergo concidi, et flebam, ut dixi, fletu magno. Suum quippe et anima fletum habet sive luctum, ut familiare est lugentibus, de quibus dictum est : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V). Et Apostolus : *Spiritus*, inquit, *orat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* VIII), id est orare nos facit. Itaque successit aliquantulum et consolationis. Annue, Jesu Christe, vigil sancte, qui non dormis, neque dormitas, qui custodis Israel, annue, inquam, custos, qui de nocte, quatenus quod per somnium in ænigmate vidi, re effectuque consequar, quo videlicet transire merear in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.

Aspiciebam quippe in visu noctis in ecclesiam me nostram deduci ante majus altare, et a quibusdam summæ auctoritatis ac reverentiæ personis, quibus contradicere nil auderem, ad peregrinandum destinari. Quam laboriosa peregrinatio! Angusta est enim via, quæ ducit ad vitam. Ad domum Dei contendere præcipiebar. Exivique lacrymosus et pavidus nimis, utpote qui nescirem utrum pervenire possem, et, si pervenirem, ne forte ut fatuis virginibus mihi janua clauderetur, repulsoque diceretur : *Amen dico* tibi, *nescio* te (*Matth.* XXV).

Ibam igitur demisso vultu laboremque psalmodia temperans sanctæ crucis me sæpius confortabam signaculo. Habebam, ut mihi videbatur, peram de collo suspensam, et nescio quid intus viatici, et quem tenebam baculo innitebar. Nudis siquidem mutabam pedibus, quoniam iter illud suspectum spinis erat et scrupulis, et utroque ex latere obsessum silvis horrentibus. Heu, quot impetus in me fecerunt, heu, quantis me terroribus affecerunt latrunculi de latebris exsilientes! Atque procul dubio abripuissent, nisi angelicæ venustatis quidam juvenis Christum inclamanti suffragia tulisset, quem interdum quidem me comitari sentiebam, nec tamen videbam, nisi cum necessitas interpellasset. Fundebatur desuper lumen, quali semiplena luna cæcas aspergere noctis tenebras solet. Jam pene lugubris atque anhelus viator defeceram, cum ecce aspexi a longe domum mirabilem, aspexi templum, quale non artifex homo, sed Deus exstruere solus potest, pronusque in faciem adoravi salutans et confitens, quia peregrinus vere et hospes sim super terram. Deinde cum appropinquassem, audivi quosdam clarissime concinentes : *Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quia Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere*, etc. (*II Tim.* I), dulcis et compunctivæ illius antiphonæ. Tum ten pli patere januam videns, licet cum tremore magno ingressus sum, sedique in pavimento lapidum et auri mira varietate constrato, ut ubi adverterem quod scriptum est : *Plateæ tuæ, Jerusalem, sternentur auro mundo et lapidibus pretiosis* (*Tob.* XIII).

Verum qualibus verbis affectum expediam mentis? Cum attendissem sursum, vidi Desideratum cunctis gentibus, vidi Desiderium collium æternorum. Ille, quem commendat in Canticis canticorum sponsa : *Dilectus*, inquiens, *meus candidus et rubicundus* (*Cant.* V), ille, inquam, videbatur in cruce illi pendere vivus, atque ineffabili reverendus habitudine, ut competenter nimium de illo dictum sit : *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque, ad eum, qui possit salvum illum facere a morte cum clamore valido et lacrymis offerens exauditus est pro sua reverentia* (*Hebr.* V). Innocentiæ illius quis adæquare possit candorem? Speciosus forma præ filiis hominum iniquitatem non fecit, neque dolus fuit in ore ejus. Et o qualis rubor in ejus parebat manibus, in latere, in pedibus! hunc Zacharias oculo prophetali ruborem cum prævidisset, tota effusus anima et præcordiis concussus ait : *Et dicetur ei : Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet : His plagatus sum in medio eorum qui diligebant me* (*Zachar.* XIII). O desiderabilis crucifixe, o amabilis plagate, a quibus, quomodo, quandiu hoc dicetur tibi? A Deo scilicet Patre, cui factus es obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, a sanctis angelis qui in te talem desiderant prospicere, ab hominibus qui tua salvati sunt confixione, cum inæstimabili affectu, cum inenarrabili admiratione per omnia dicetur tibi sæcula, et interrogaberis : *Quid sint plagæ in medio manuum tuarum?* Et dices, o vere innocens manibus, dices dictione quæ exsuperat omnem sensum : *His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.* Abraham, Isaac, et Jacob, David et cæteri tales, Domine, dilexerunt te, sed domus eorum, domus genere, non fide, gens peccatrix, populusque gravis iniquitate, semen nequam, filii scelerati te odio habuerunt gratis, et sic plagaverunt te.

In hac etiam valle lacrymarum quoties, qualiter a dilectoribus tuis interrogatus es, aut interrogaris, dignantissime Jesu : *Quid sint plagæ in medio manuum tuarum?* Enumerant hoc tibi martyria pro te plagatorum, mortificationes carnem suam cum vitiis et concupiscentiis pro te crucifigentium. In talibus apparet splendide, quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio, dum videlicet illorum

in te charitatem nec aquæ multæ tentationum exstinguere, nec flumina tribulationum potuerint vel possint obruere.

Cum in illa igitur, ut prescripsi, residerem domo refugii, ecce advenit et chorus diversi sexus et ætatis mira quodammodo novitate floridus, modulatis vocibus decantans: *Laudem dicite Deo nostro, omnes sancti ejus, et qui timetis Deum, pusilli et magni, quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens; gaudeamus et exsultemus, demus gloriam ei.* Ingressusque discubuit super pavimentum, et sicut qui nimio sole longique itineris labore confectus est, A limpida frigentis appetit aquæ fluenta, ita sitienter ad crucifixi faciem plagasque intendebat. Hæ etenim sanctis et dulcissima æternæ gratitudinis atque gratiarum actionis erunt commonitoria, erunt lampades ignis, nec non flammarum, quibus beato nimis incendio ignescant et flammescant instar seraphim, quando facie ad faciem contemplabuntur regem pacificum Salomonem verum in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsionis illius, et in die lætitiæ cordis ejus, Dominum, cujus ignis est in Sion et caminus ejus in Jerusalem.

LIBELLUS SECUNDUS

CAPUT PRIMUM.

Jam nunc, o philochriste, debitum munus exsequere, ut, quia retuli, pro quibus me benevolus exactor sæpius compellabas, tu quoque referas, quæ comperi a quibusdam te veraciter familiaribus didicisse.

« Honestam, » inquit, « vicissitudinem reposcis, nec amico debet subtrahi quidquam, quod habeat ædificationis materiam. Nec vero intendimus favori, sed compunctioni, lacrymarum quærimus instrumenta, non levis jactantiolæ argumenta, maxime cum duobus tantummodo nobis nostra loquamur familiaria, vel scribamus. Sunt etenim ut diversæ facies, ita diversæ hominum opiniones, dum quod alius æstimat bonum, alius opinetur malum. Talis objicere contra hujusmodi solet scholare illud:

Somnia ne cures, nam mens humana quod optat,
Dum vigilat, sperat, per somnia cernit idipsum.

Et illud Sapientis: *multos errare fecerunt somnia, exciderunt sperantes in illis*: quemadmodum dives etiam ille, qui notatur in Evangelio, propter promissa sibi per somnium longiora vivendi tempora destruxisse vetera et nova restruxisse et ampliasse messibus recondendis horrea, qui dum applauderet congestæ quantitati, ac multorum epulas speraret luxuriamque annorum, in subitam mortem exturbatus perdidit, quod thesaurizavit, sui ipsius proditor dum ignorat, cui congregaret ea. Neque inficiamur, sed quod item scriptum est, magis apponimus: *Somnia male facientium vanitas est, et sicut parturientis cor tuum phantasias patitur* (*Eccli.* XXXIV); tamen non dissimulantes, quod sequitur: *Nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio* (*ibid.*) Vanissimum quippe est æque et stultissimum intendere somniorum phantasiis, quorum nec genera, nec formas, nec significantias, Pharaonis sapiens aliquis aut conjector, non regis Nabuchodonosor quisquam ariolus, non magus, non Chaldæus, nec ipse quidem Muhamad Saracenorum propheta et deus, licet angelum Gabrielem suum culpaverit fuisse mysteriarcheu, comprehendere, intepretari ad plenum potuisset. Tantus somniorum est acervus phantasticorum, ut Judaici Gomor superet infinite mensuram.

B Seponimus ejusmodi: eas commendamus solummodo, quæ ad hos qui tribulato sunt corde et humiles spiritu, emittuntur ab Altissimo visitationes, qui super flumina Babylonis sedentes flent, dum recordantur Sion, qui fluctuantia et transcurrentia hujus sæculi confusione pleni ut adversa sic prospera deputantes fletui cum Apostolo dicunt: *Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus* (*Hebr.* XIII), ubi gloriosæ necnon stabilis in æternum specula felicitatis est. Ad hanc utique non admittuntur illi, quos apud se non recte cogitantes nimiumque insipientes ita dicere quidam sapiens scribit: *Exiguum est et cum tædio tempus vitæ nostræ, et non erit refrigerium in fine hominis, et non est qui agnitus sit reversus ab inferis, quia ex nihilo* C *facti sumus, et post hæc erimus tanquam non fuerimus. Umbræ enim transitus est tempus nostrum, et non est reversio finis nostri, quoniam consignata est, et nemo revertetur. Venite ergo et fruamur bonis quæ sunt, et utamur creatura tanquam in juventute celeriter. Vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant; nullum pratum sit, quod non prætereat luxuria nostra: nemo nostrum sit exsors luxuriæ nostræ. Ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra et hæc est sors* (*Sap.* II).

Heu qualis sensus! Qualia moriturorum verba! Et quidnam si essent immortales? Sciunt et fatentur D se morituros, et tamen superbiendo ac desperando dæmonibus se efficiunt pares. Ideo, ut ait Scriptura, *examinati ad inferos descendunt, et quoniam non habent sapientiam, intereunt propter suam insipientiam* (*Baruch.* III), De qualibus et Salomon: *Noli regibus*, inquit, *o Lamuel, noli regibus dare vinum, quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas, ne forte bibant et obliviscantur judiciorum et mutent causam filiorum pauperis. Date siceram mærentibus, et vinum his qui amaro sunt animo. Bibant et obliviscantur egestatis suæ, et doloris non recordentur amplius* (*Prov.* XXXI). Non igitur qui coronantur rosis deliciarum, non qui flore lasciviunt juventutis, non qui vino pretioso et unguentis se implent et

luxuriis gaudent, tuum merentur vinum, o Lamuel, quod interpretatur *in quo Deus*, non hujusmodi reges, id est superbi, o Christe Deus homo, tui spiritus consolatione et mysticarum digni sunt notitia Scripturarum : quia nulla est ad loquendum sobrietas, ubi scientia inflatis, et poculo inanis gloriæ inebriatis deest ad ædificandum charitas. Profecto si biberent tales, obliviscerentur judiciorum, id est male judicarent de Scripturis, et mutarent causam filiorum pauperis, eas scilicet interpretarentur aliter, quam saluti expediret auditorum, quos tu pauper filios tibi ex aqua et Spiritu sancto regenerasti. Pauper, inquam, quia mitis et humilis corde: insuper qui non habueris in hoc mundo, ubi caput tuum reclinares, cum vulpes foveas habeant et aves cœli nidos. Nam et propheticum de te hoc præconium est : *Non clamabit neque accipiet personam, nec audietur foris vox ejus, calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non exstinguet; in veritate educet judicium, non erit tristis neque turbulentus* (*Isa.* IV). Tibi ergo competit, o Lamuel juste, tibi competit respicere ad pauperculos et contritos spiritu, et trementes sermones tuos, et dare siceram mœrentibus, et vinum his qui amaro sunt animo, quatenus illis aperias sensum, o clavis David, ut intelligant Scripturas, et ita bibentes de spiritu tuo, videlicet singulari et incomparabili vino nunc interim consolentur ex parte, donec veniat, quod perfectum est, quando absterges omnem lacrymam ab oculis eorum, et dulcedine reficies tuæ visionis.

CAPUT II.

Jam vero tibi referam, mi frater, quod quæsieras. Mœrens et amaro erat animo quidam pauperculus, atque inter orationum suspiria, compunctionumque lacrymas Spiritus sancti præcordialiter frequentabat invocationem. Hic vespere quodam se in lectulo quieturus, composuerat. Adfuit pia ejusdem Paracleti inspiratio, dulcique attractu soporatum excitavit. Ille precibus instabat affectuosis, donec iterum soporaretur.

Secundo vis divina fortior quam prius ac dulcior somnolentum concussit, veluti admoneret illum vigilare et orare. Sex itaque vicibus hoc actum est, cum vice septima idem frater in nostro repente monasterio se invenit ante altare S. Benedicti. Et volens certius experiri, utrum in spiritu tantum, an et in corpore illic esset, attrectabat seipsum, atque palpando discutiebat, et dextera manu pelliculam sinistræ manus suspendens non minimum mirabatur, cum fores monasterii clausæ essent, quomodo verum et palpabile corpus eo intulisset, dum veste insuper, quam vadens dormitum exuerat, sese adverteret indutum. Curiosos nihilominus circumferebat oculos ad lucernas, quæ per monasterium ardebant, et alias clare, alias subobscure notabat lucere.

Propterea quod intendisset versus occidentem, vidit ad introitum chori secus altarium Sanctæ Mariæ Magdalenæ quemdam quasi monachum stantem. Signaculo sanctæ crucis frontem, oculos pectusque signavit, ne aliquod forte phantasma esset. Attamen qui videbatur, nec cessit loco, nec signum vitale exhorruit. Tum Spiritui sancto frater confidens ivit ad illum et dicendo psalmum LXVI : *Deus misereatur nostri et benedicat nobis;* ut enim scriptum est : *Omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se* (*Nahum.* II), juxta constitit, intendebatque omnino ad faciem illius. Quam cum haberet gravissimo quasi pondere cum toto capite suppressam et obvelatam, videre non potuit. Interrogavit tamen quis esset? ille tacuit. Adjuravit eum per tremendum nomen sanctæ et individuæ Trinitatis. Dum reticeret, adjuravit secundo, tertio et quarto : exigere nihil potuit. Unde mirabatur admodum et reputabat sine causa non esse maxima, quod ne nutum quidem ab illo aliquem sic adjurato extorquere posset, nisi quod importabili quodam, ut dixi pondere illum desuper premi et arctari perpendebat, ideoque sui forsitan non haberet potestatem, cum et illud se offerret menti : *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum*; *sicut onus grave gravatæ sunt super me* (*Psal.* XXXVII). Erat autem nigro ac veluti exusto colore et nullis parentibus membrorum lineamentis spiritus magis videbatur esse quam corpus.

Sed noscendi fervens curiositate prædictus frater quintam ingessit denuo adjurationem, cujus ille efficaciam etenim jam ferre non valens quasi plurimum gravatus se in pavimentum dedit. Submisit se etiam frater ac propius sedit, complectique illum ac tenere cogitabat. Quod ille dum præsensisset, quamdam quasi manum exeruit, atque manui sinistræ fratris supposuit. Sed eum gravare nolens citius retraxit. Ardebat etenim velut ferrum candens. Quin etiam levavit modice caput, tristeque nimis et grave suspirium emisit. Intellexit jam tandem frater, quis esset, intellexit doloris causas. Atque cum præ nimia compassione et tristitia cœpisset anima et totis fremere membris, quo nescit modo vel ordine in suo iterum se lectulo invenit. Neque exciderunt ei quæ viderat et intellexerat, sed quasi potatus vino compunctionis, vino amaritudinis atque contritionis assidue versabat animo, quanta districtione, quibus post mortem angustiis expendantur animæ, in carne carnaliter quæ vixerint.

CAPUT III.

O quam levius est hic pœnitere quam ibi! quomodo illic uruntur, qui carnalium istic corruptelarum ustiones minus exstinxerint! Quapropter timorato cuique cum Helia, qui interpretatur *fortis Dominus*, mons Carmeli ascendendus est, qui ex Hebræo *mollem* sive *tenellum* sonat, quatenus cum eodem propheta ut corpore sic mente acclinis, *fortem Dominum* forti humilitate imploret, ut imbre sancti Spiritus septiformis arentem pectoris sui terram irriget, quo mollitus cum beato Job (*cap.* XXIII) dicere possit : *Deus mollivit cor meum.* Itemque la-

star David manu fortis pia in Deum ac proximum A mansuescat teneritudine, qui pro summa humilis atque patientis animæ prærogativa scribitur fuisse *quasi tenerrimus ligni vermiculus* (*II Reg.* XXIII). Nam et patriarcha Jacob pari virtute fortis contra Dominum fuit sicut de illo propheta : *In fortitudine*, inquit, *sua directus est cum Angelo et invaluit ad angelum et confortatus est, flevit et rogavit eum* (*Ose.* XII).

Illud præterea volo Salomonicum, amice, recolas : *Aufer rubiginem de argento et egredietur vas purissimum* (*Prov.* XXV). Docilis quippe animus nulla dubietatis debet rubigine obscurari, ut vacillet ullo modo super his, quæ in sacro memorantur eloquio, sed venerabilibus fidem gestis adhibere, venerari mysteria, etsi humano nequeant sensu comprehendi. B Etenim licet scriptum sit : *Non erigas oculos tuos ad opes quas habere non potes, quia facient sibi pennas quasi aquilæ, et volabunt in cœlum* (*Prov.* XXIII); tamen curiosi quidam disquirere non verentur et scrutari, quomodo corpus Dominicum si verum et palpabile fuit, procedere in ortum clauso matris utero potuit, clauso item resurgere sepulcro, clausis ad discipulos intrare januis. Sed deficiunt improbo scrutantes scrutinio, non attendentes quoniam sicut *qui mel comedit multum, non est ei bonum; sic qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria* (*Prov.* XXV), illius etenim, apud quem non est impossibile omne verbum, quando capiant ad plenum mirabilia, dum aquilæ cœlestes illæ, dum superni C spiritus sive potestates in aspectu summi verique solis irreverberatos figentes contemplationis oculos faciei ejus altitudini, seu profunditati arcanorum ejus vacabunt quidem, sed finetenus et usquequaque non apprehendent, non explebuntur aut visu aut satie perpetuis sæculorum sæculis?

Opificis opes Trinitatis tantæ sunt, ut non valeant exhauriri. Quasi vero terreni homines omnium saltem, quæ vel in terris gignuntur vel in aquis, rerum naturas concludere sensu, assequi sufficiant tractatu. Nihil est autem in rebus tam animatis quam inanimatis mirabile, quod universalis non fecerit auctor incomprehensibiliter, infinite, incomparabiliter, ipse idem mirabilior, qui juxta Psalmistam : *Omnia, quæcunque voluit, fecit in cœlo et in terra, in mari* D *et in omnibus abyssis* (*Psal.* CXIII). Ad ejusmodi nimirum quisquis pure attenderit, et in Scripturis quæ leguntur, veritatis opera Dei pio pectore scrutatus fuerit, esse facillimum Omnipotenti fatebitur hoc cuicunque vel omnino præstitisse, ut solido et palpabili corpore clausa quælibet atque obserata potuerit penetrare. Igitur quod comprehendere quis non potest, credat per fidei sinceritatem, meriti acquirat claritatem, quemadmodum et præclarus ille Latinorum Chrysostomus papa Gregorius : *Operatio*, ait, *divina, si ratione comprehenditur, non est admirabilis, nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.*

CAPUT IV.

Quippe hoc etiam sedulitati tuæ tam benevolæ non abscondam, quod frater quispiam, dum in Nativitate Sanctæ Dei Genitricis matutinalibus interesset vigiliis, et decantaretur responsorium illud : *Super salutem et omnem pulchritudinem electa es a Domino*, etc., sensit aliquem dignitatis sidereæ cominus astitisse et manum injecisse et cor illius apprehendisse, nec non amicabili prorsus contrectatione aliquandiu conversasse, ita ut ex dulcedine et vi tam melliflui contactus ille idem, qui paululum dormitabat, evigilaret, viditque illam se protinus retrahentem solidi esse corporis manum, nec non lactei, ut est purissimum ebur, candoris, in memoriam veniente illo apud Cantica canticorum sponsæ dicto : *Dilectus meus misit manum suam per foramen, et venter meus intremuit ad tactum ejus* (*Cant.* V). Et quidem frater ille quomodo ad talem tactum intremuerit, non est inexperto dicibile, cum fuerit experto vix tolerabile, et Deo maxime soli pateat, quomodo per inconscissas vestes, per integræ carnis pectus divinæ soliditatis manus cor tenere humanum complectique valeat.

Verum equidem non minus fuerit et illud, quod idem ipse, dum aliquando secum revolveret illa de Dominica Incarnatione dicta : *Qui in cœlis secundum deitatem in sinu est Patris, et in terris secundum corporis susceptionem in sinu est Matris; et totus apud Patrem, et totus in Virgine;* revolveret, inquam, non dubitans, imo admirans et lacrymis se exercens super tam omnipotenti, tam clementi mirificentia, subito se vidit ante imaginem ipsius admirandæ Virginis, quæ in lapide sculpta, gestet in gremio et quasi ablactet illum Dei suumque unigenitum ac primogenitum, ubi quoque subterius in superliminari scilicet contigui oratorii sculpta est manus Domini, quæ illuc intrantes benedicere videatur, sculptis etiam hinc et inde duobus sanctis cum suis brevibus, uno, id est, Jacob pronuntiante : *Hic domus Dei est et porta cœli* (*Gen.* XXVIII); altero, id est, Ezechiele (*cap.* III) : *Benedicta gloria Domini de loco sancto suo.* Cum itaque ibi assisteret memoratus frater, visum sibi est, quod imagines illæ vitali ac florido spirarent mirabiliter vigore. Qui pro respectu sancti Spiritus septiformis procidens et adorans septies, ad gloriosam Dei Genitricem septies item iteravit angelicæ salutationis illud Ave splendidissimum. Demissaque ad eum manus Domini apprehendit cor ejus, et aliquanta detinuit mora mirabili revera effectu atque ineffabili, cum eadem manus tota et integra remansisse in superliminari videretur supra, eademque nihilominus tota et integra cor fratris teneret infra. Magnus itaque Dominus suo per se parvulo ita satisfecit, per se docuit magnus vere et laudabilis nimis Deus, qui facit magna et incomprehensibilia et mirabilia quorum non est numerus.

Talia, o amice, non illusoria, non esse destructoria credo, cum ad ædificationem, et divinum potius

amorem sint accommoda et ad consolationem animæ luctum et tristitiam pro incolatu suo habenti constructoria. Nam juxta Ecclesiasten (cap. VII): *Cor sapientium, ubi tristitia est; cor stultorum ubi lætitia.* Quis namque sapiens, quis futuræ in judicio Christi memor discussionis non lugeat et tristetur, sed rideat et lætetur? Stultorum est in ista valle lacrymarum lætari, quibus miseria videtur risum deputare errorem, et gaudio dicere: Quid frustra deciperis? quinimo, ut jubet apostolus (*Jacob.* IV), miseri simus nostras lugendo et plorando miserias, risum convertamus in luctum, et gaudium in mœrorem. Humiliemur in conspectu Domini, ut in die mortuorum beata nos resurrectione exaltet, verusque Isaac vero tunc impleat risu os nostrum, et labia nostra jubilo.

CAPUT V.

Ipse et quidem risu desiderabili aliquando lætificavit animam sui cujusdam servuli. Hic diaconus cum esset, fieri sacerdos a suis interdum prælatis monebatur. Sed se vita minus idoneum instanter asserebat et viribus. Quia igitur David exemplo vilis erat et humilis in oculis suis, sedulo retractans illud Apostoli: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron* (*Hebr.* V), ille qui in altis habitat et humilia respicit in cœlo et in terra, suum aliquatenus super hoc beneplacitum præostendit. Continere lacrymas, mi frater, jam non valeo. Nam incomparabilis, nam singulariæ (10) dignationis Christus Dominus suo illi minimo per visum apparuit, cum ipsa, in qua vivus pendere videbatur, cruce occurrens in Ecclesia, tempe Spiritu vehementi eamdem mirabiliter crucem agente et promovente. Propitia crucifixo facies erat et modesta nimis, totum co pus veluti ebur candidissimum atque purissimum, ut tali specie castitatis placere innueret sibi munditiam, qui jussisset ubique per prophetam: *Mundamini, qui fertis vasa Domini* (*Isa.* LII). Elephantem quippe, hoc genus ossis unde provenit, animal esse frigidissimum, ac proinde castissimum commendant physici. Habet quia etiam cum dracone et serpentibus juges inimicitias, ut artifici Deo suam sic accommodet naturam, de quo scriptum est: *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem* (*Psal.* XC). Sane virga Moysi et virga Dei versa in colubrum magorum devoravit Ægyptiorum ex virgis colubros, et serpens æneus a Moyse pro signo positus, atque exaltatus in deserto serpentium medebatur plagis ac morsibus ignitorum, dum in se aspicientibus percussis vitam reformaret atque salutem.

Et quidem hoc in tui figuram contingebat illis, o Jesu Christe, qui descendens de cœlis missus ab arce Patris in terra visus es, et cum hominibus conversatus, serpens factus, id est homo humilis, nimirum qui de te ipso ita senseris: *Ego autem sum vermis et non homo* (*Psal.* XXI); serpens, sed sine veneno alicujus omnino peccati; serpens, inquam, æneus, id est sonorus, quia Verbum es Dei Patris, per quem omnia facta sunt; æneus, quia solidus et firmus, cum pedes tui similes sint aurichalco sicut in camino ardenti, cruraque tua columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Quis enim te rectior, quis clarior, quis purior, cum non sit iniquitas in te? Tui omnes cogitatus, tui omnes actus, verbaque omnia super rectissimas et purissimas bases consiliorum sanctæ Trinitatis fundata sunt. Tu ergo, posteaquam ascendisti in palmam crucis, et victor apprehendisti fructus ejus, utique fructus redemptionis atque salvationis humanæ sanguinem de manibus et pedibus tuis emittendo, sanguinem et aquam de latere tuo, exstinctus est ad vitam per mortem tuam prædestinatis flammeus ille gladius atque versatilis, et sistere jussus ad custodiendam viam ligni vitæ, cum cherubim ante paradisum antea collocatus, ad quem primum vinctos triumphaliter tuos intromisisti, quos in ipso testamenti tui sanguine tunc emiseras de lacu, in quo non est aqua, cum ibi quidem sit fletus et stridor dentium, sed absque venia.

Præmemorato denique fratri arridere, et quod tremens nimium dico, dare osculum dignatus es, dum crux eadem tua hunc aureis exaratum litteris præferret titulum:

Melchisedech panem vinumque litavit,
Christus idem statuens pactum vetus evacuavit.

Siquidem obtulisti et quotidie pro nobis offers teipsum Patri per Spiritum sanctum in odorem suavitatis idem ipse et hostia et offerens, ut singulari privilegio, principali jure appellatus sis a Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedech, qui pane et vino tam venerabile initiavit primus sacrificium. Parasti proinde et tu in conspectu nostro mensam adversus eos qui tribulant nos, corporis et sanguinis tui salvifica in sancto altari sacramenta, quæ serpentes cohibeant ignitos a nobis, tartareæ scilicet ministros exustionis dæmones, vitiorum incentores. Et quia peccantes medicina semper egemus, hanc pro peccatis medicinam semper habemus, quam veteratis, quæ secundum Aaron erant, sacrificiis æternaliter statuisti, o exorande Melchisedech, quia rex justitiæ; o propitiabilis rex Salem, id est pacis, quandoquidem pacificasti per sanguinem crucis tuæ, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt, solus maxime potens compati infirmitatibus nostris.

(10) Ita habetur in autographo.

LIBELLUS TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

Quoniam non est nomen aliud sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, quam nomen Patris et Filii et Spiritus sancti (*Act.* IV), hoc venerabiliter amplecti, frequentare omnimodis, o Philochriste, debemus. Proinde et ternarius nobis numerus pluris habendus est, quatenus fratrem istum, qui nostro tertius interesse luctui et communicare lacrymis jampridem exoptat, grate admittamus, cum certe noveris scriptum: *Funiculus triplex difficile rumpitur* (*Eccle.* IV). Et: *Frater qui adjuvatur a fratre quasi civitas firma* (*Prov.* XVIII). Est quippe idoneus fraternos hortatibus adjuvare animos, piisque relatibus quibusdam velut machinis firmare pectorum munitionem.

Ægre, inquit, habeo me multo inferius nosse et valere, quam ut vestrum adæquem desiderium, inquisitioni satisfaciam. Etenim secundum illud evangelicum: *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit* (*Luc.* XI); ad Deum vestra intentio est, atque columbina ideo simplicitate nil aliud quam compunctionis monimenta, quam lacrymarum incitamenta quæritis, quibus veluti quodam nitro mundificari interior solet homo. Igitur pro similitudine sedentis asino Axæ bruti atque irrationabiles sunt motus subjugandi, quæ dum *claudicans* sive *factura* interpretetur, ne vitiis claudicemus, appingit suo nomine, imo quales, ad quid etiam facti simus sedulo attendamus. Propterea, secundum clamantis in deserto vocem paremus viam Domini, rectas faciamus semitas ejus ad patrem Caleph, qui *cor omnium* interpretatur, patrem videlicet illum, qui cor habet disponendi omnia, suspirando, ut det nobis irriguum superius et irriguum inferius, lacrymas ob amorem superorum, lacrymas ob timorem inferorum.

Quanquam clareat satis tam faustæ possessionis jam vos accolas esse, mi fratres, quatenus non inepte arrogem in vobis, quod per prophetam Dominus: *Pactum*, inquit, *meum cum Levi fuit vitæ et pacis, et dedi ei timorem et timuit me, et a facie nominis mei pavebat* (*Malach.* II). Siquidem pavetis non tantum quoniam morituri estis, hoc enim omnibus commune est viventibus; verum post mortem quam habituri sortem sitis, quoniam penitus ignoratis, ad exemplum justi Job, qui quasi tumentes super se fluctus timuerit Deum, conjicio ex vestris luctibus et vos timere et a facie nominis ejus pavere, qui ad judicandum venturus est in nube cum potestate magna et majestate, quando etiam virtutes cœlorum movebuntur, cum statu et ordine rerum horrifice prius atque intolerabiliter mutato et concusso fuerint *signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus præ timore et exspectatione, quæ supervenerint universo orbi* (*Luc.* XXI); quando, inquam, *recedet cœlum quasi liber involutus, et om-* A *nis mons et insulæ de locis suis movebuntur, quando reges terræ et principes, et tribuni, et divites, et fortes, et omnis servus et liber abscondent se in speluncis et petris montium, et dicent montibus et petris: Cadite super nos et abscondite nos a facie sedentis super thronum et ab ira Agni quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, et quis poterit stare?* (*Apoc.* VI.)

Super quibus allegorice licet tractent aliqui doctorum, tamen et historice competenter intelligi possunt, quod tantum chaos, tantæ sint futuræ aeris terrarumque demutationes, ut a suis omnia et locis et naturis emigrasse videantur, ac nimio timore attoniti et tanquam ebrii diffugiant et latebras quærant errabundi homines. Diem tam terribilem So- B phonias etiam propheta exprimere intendit: *Juxta est*, inquiens, *dies Domini magnus, juxta est et velox nimis. Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis, dies iræ dies illa, dies tribulationis et angustiæ, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris super civitates munitas, et super angulos excelsos. Et tribulabo homines, et ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt* (*Sophon.* I).

Consonant huic et apud Matthæum evangelistam Domini dicta: *Væ prægnantibus et nutrientibus in diebus illis: erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet: et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro; sed propter electos breviabuntur dies illi. Sta-* C *tim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum commovebuntur. Et tunc apparebit signum Filii hominis in cœlo. Sicut enim fulgur exit ab oriente et paret usque in occidentem, ita erit et adventus Filii hominis. Et tunc plangent omnes tribus terræ et videbunt Filium hominis in nubibus cœli cum virtute multa et majestate. Et mittet angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis cœlorum usque ad terminos eorum* (*Matth.* XXIV). Itidem et in Apocalypsi Joannes: *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt; et plangent se super eum omnes tribus terræ: etiam. Amen* (*Apoc.* I).

D Et quidem tam insolitorum ostenta mirabilium in visione nocturna cuidam præfigurata sunt. Videbat etenim, quod veniret Filius hominis ad judicandum vivos et mortuos, quemadmodum et Psalmista: *Deus*, inquit, *manifeste veniet, Deus noster et non silebit, ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida* (*Psal.* XLIX). Faciem ejus qualiter reformidarent impii, qualiter profugerent et latere vellent, dum nullatenus valerent, qua desperatione extabescerent, ipse item in spiritu prævidens: *Exsurgat Deus*, ait, *et dissipentur inimici ejus, et fugiant, qui oderunt eum a facie ejus, sicut*

deficit fumus, deficiant, sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei (*Psal.* LXVII).

CAPUT II.

Præterea unum e fratribus nostris negligentius se gerentem subitanee et improvise contigit vita decedere heu expertum, quod in Apocalypsi legitur (cap. III) : *Si non vigilaveris, veniam tanquam fur, et nescies qua hora veniam ad te.* Hic cuidam religioso per visum apparuit, et interroganti quomodo circa se ageretur: aspera, inquit, et luctuosa quamvis laborem pœnitentia, nihil tamen me gravius angit, nihil amarius terret quam recordatio illius in reprobos animadversionis : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV). Unde per tam tremendum te judicem contestor, ut pro meis ores intente miseriis et tu ipse esto vigilans, atque memora semper, quoniam *in memoria æterna erit justus, ab auditione mala non timebit* (*Psal.* CXI).

Hanc igitur auditionem malam, auditionem, o amici, tam desolabilem sic audiamus interim ex Evangelio, quatenus ab ea non timeamus in judicio. Legationem mittamus ad tantum Regem, dum adhuc longe agit, dum sui remoratur impetum adventus, atque rogemus ea quæ pacis sunt. Nam, etsi decem millium suffragetur copia nobis, formidabile tamen est congredi cum illo, qui cum viginti millibus occurrat illi, maxime Deo et homini, Domino virtutum, Regi gloriæ, qui suo facile duplo nostrum atterere simplum possit, dum et Job dicat, ille Dei quoque testimonio vir simplex et rectus ac timens Deum et recedens a malo : *Vere scio, quod non justificetur homo compositus Deo, si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille : sapiens corde est, et fortis robore, quis resistit ei et pacem habuit?* (*Job* IX.) Siquidem et prophetarum clarissimus Isaias (cap. LXIV) : *Facti sumus*, ait, *ut immundus omnes nos, quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ, et cecidimus quasi folium universi, et iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.* Si autem tales justitiæ nostræ, igitur quales injustitiæ?

Quamobrem, mi fratres, pacificæ legationis præmittamus obsides, pretiosa scilicet auri, thuris et myrrhæ munera, aurum regi, nosmetipsos ad regulam institutorum ipsius auream regendo : thus Deo in ara nos compunctionis sacrificantes, quia sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despiciet : myrrham, ut semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferamus, ut et vita Jesu in corporibus nostris manifestetur. Juxta Ecclesiasten (cap. IX), inquam, omni tempore sint vestimenta nostra candida, et oleum de capite nostro non deficiat, ut niveæ castitatis nos jugiter adornent lilia, et olivæ cœlestis oleum, id est Spiritus sancti unctio interioris caput hominis, id est cor nostrum impinguet. Etenim sensu apostolico ita renovati spiritu mentis nostræ, et induti novum hominem, qui secundum Deum A creatus est in justitia et sanctitate veritatis, cum veste nuptiali ad veræ incorruptionis nuptias intrare merebimur, quas fecit Filio suo summus ille Rex, cœli ac terræ principatum tenens, et agni comedendo paschalis carnes sanguinemque bibendo, mortiferum Ægypti percussorem non verebimur, sed vitæ reservabimur æternæ illo Domini promisso : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die* (*Joan.* VI). Hoc siquidem miræ ineffabilisque mysterium efficaciæ, qua cum Deo dii efficimur, qua Christo concorporamur, quemadmodum et ipse asserit : *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo : sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, vivet et ipse propter me* (*ibid.*). Unica vere et appetenda nimis portio, qua digne participans regem venturum habebit procul dubio pacatum, atque secundum nomen Levi timoratis addetur illis, de quibus scriptum est : *Vobis autem timentibus nomen meum orietur sol justitiæ.*

CAPUT III.

Et ob vestrum utique profectum rem vobis referam, fratres, quam didici nostro cuidam aliquando familiari accidisse. Sacerdos erat et sacri ministerium altaris ut desiderium, sic habebat etiam usum exsequi, pie ac fideliter frequentans memoria illam Ecclesiæ ad Deum supplicationem : *Concede nobis hæc, quæsumus, Domine, frequentare mysteria, quia, quoties hujus hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur.*

Quodam igitur mane opus exercebat tam desiderabile, cum infra canonem, scilicet dum corpus et sanguinem jam consecrasset Dominicum, repente modo, quem assequi dicendo minime possum, tam spiritualibus quam corporalibus oculis coram se vidit puerum in cruce pendentem, de cujus latere ac si vulnerato stillarent sanguis et aqua in calicem. Dum vero ad Dominicam venisset orationem, visione subito immutata eumdem puerum non jam in cruce pendere, sed in solio contemplatus est majestatis residere juxta illud apostolicum : *Videmus Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum* (*Rom.* II). Itaque illa sumenti sacramenta qualiter in palato cordis vel oris tunc sapuerint, supra me est; novit ipse, cui taliter concessum sit gustare et videre, quoniam suavis est Dominus.

Vos autem quomodo accipiatis, quæ dicuntur, quomodo sapiant vobis, produnt lacrymæ, quas deducunt oculi vestri, dum et versiculum recolatis illum : *Cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos* (*Psal.* LXXX); et quod granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, multumque fructum attulerit. Hujus adipe cibari, videlicet Christi corpore et sanguine ad sanctum altare saginari, de petra melle saturari, verbo scilicet Dei animæ ventrem adimplere votivum atque præcipuum habetis, quemadmodum est illud Psalmistæ : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua,*

Domine, super mel et favum ori meo! (*Psal.* CXVIII.)

Et quidem tales munere jam divino estis, quibus lacte opus non sit; sed solido cibo, quandoquidem circa sanctarum versamini Scripturarum limpidissimos fontes, simplicisque et candidæ mentis oculos ad illud intenditis de Canticis canticorum (cap. V) : *Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ et resident juxta fluenta plenissima.* Idcirco et clarius videtis hanc typicasse petram, Christum scilicet, illam, quæ a Moyse virga bis percussa est; silicem, de qua egressæ sunt aquæ largissimæ, ita ut biberet populus et jumenta, quoniam ex eodem Christo bis percusso, id est et cum viveret, cruci affixo, et cum jam mortuus esset, a milite lanceato, profluxerunt sanguinis et aquæ sacramenta et abundantissima donorum Spiritu sancti fluenta.

Sed ut venerabile, sic et jam præcordiale mihi est ad tantam percussionem cor et linguam excitare, secundum quod fidelis anima commonetur : *Surge, amica mea, speciosa mea et veni, columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ* (*Cant.* II). Bis utique percussus est Christus, videlicet tam passione exteriori quam angustia interiori : *Tristis tamque est*, ait, *anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI). Et : *Cœpit pavere et tædere* (*Marc.* XIV), *et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram* (*Luc.* XXII). Nihilominus vero se suggerit, quod ad Eliam vidua dixit Sarepthena : *En colligo duo ligna* (*III Reg.* XVII), quæ procul dubio crucem duobus compactam lignis mysticaverunt, in quibus tam in latum Christus quam in longum distentus, quia et in manibus confixionem et in pedibus tulit, bis fuisse percussus serio dicatur.

Denique, et veritatis evangelicæ lucernam pedibus nostræ intentionis adhibeamus, atque lucidius patebit, quod ille Job verus, ille vir dolorum et sciens infirmitatem, qui vere languores nostros tulit et dolores nostros portavit, bis percussus sit, quoniam et linguis Judæorum crucifixus est hora tertia, et manibus militum hora sexta. Igitur secundum quadrangulam crucis formam, ex qua orbi quadrifido veræ et perpetuæ cum Deo pacis beneficia provenerunt, quatuor vobis sensus proposui, quibus me vestros in compunctionem percussisse animos ipse dederit, de quo dicit Pater : *Propter scelus populi mei percussi eum* (*Isa.* LIII). Exinde sancito in nomine Patris et Filii et Spiritu sancti baptismate impletum est propheticum illud : *Erit fons patens domui David et habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris et menstruatæ* (*Zach.* XIII). Et illud Dominicum : *Qui sitit, veniat ad me et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ : hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum* (*Joan.* VII).

CAPUT IV.

Porro, quoniam tantæ majestatis, scilicet sanctæ Trinitatis nunc opportune mentio intervenit, et vos tertii hujus libelli frontem signastis hoc nomine, quædam memorabilia nobis et pia inde referam.

A Istius quidam nominis jugem memoriam habebat, tantoque affectu et lacrymis frequentabat invocando, et nocturnum sive diurnum ei psallentium privatim dependendo, ut interdum non in corde solum, sed etiam in ore divinum quemdam sentiret gustum favo mellis dulciorem. Triumphale nomen! Invisibilis virtus, cui resistere nil potest adversi, quippe ut scriptum est : *Turris fortissima nomen Domini, ad eam currit justus, et exaltabitur. Substantia divitis urbs roboris ejus, et quasi murus validus circumdans eum* (*Prov.* XVIII). Nec enim minus alta, minus munita est a turre David, *quæ ædificata est cum propugnaculis; quin et mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium* (*Cant.* IV). Si ad turrim vero spectemus Libani, quæ respicit contra Damascum, æque B et ista prædicabilis est. Nam despicit fortem armatum, scilicet diabolum, qui secundum nomen Damasci quod interpretatur *sanguinis populum*, semper sanguinem, id est mortem sitit animarum.

Itaque, dum *candidationi*, quod interpretari Libanum nostis, dum animæ et corporis studeret puritati frater ille, per nocturnam quietem se vidit positum in quadam ecclesia, cujus sanctuarium mira lux, mirus odor respergeret. Ibi siquidem sancta Trinitas throno residebat aureo plus nimium auro et ipsa obrizo resplendens, quod, quia præclare obradiet, omen accepit. Quam dum adoraret, dum se in gratiarum actiones totum effunderet, repente in se ipsum rediit, ut crederet magis per mentis excessum quam per somnium se hoc vidisse.

C Neque frivolum sit sanctam Trinitatem hac in specie visam, quandoquidem in Canticis canticorum (cap. V) : Ecclesia *caput* Christi, videlicet Divinitatem, *aurum* esse *optimum* prædicet, eo intuitu, quod cunctis hoe metallum pretiosus metallis et appetibilius sit.

Etiam hic ipse tantam denuo vidit majestatem super altare quoddam, ante quod sæpius ac devotius orare solebat, verum habitu dissimili. Nam quemadmodum in Daniele vel in Apocalypsi legitur, divinitatis antiquitas ex candoris albitudine insinuabatur, dum Patris vestimentum esset quasi nix candidum, et capilli capitis ejus quasi lana munda. Eadem specie et sanctus florebat Spiritus. Horum medius pendebat in cruce Filius mirabili quodam D atque ineffabili modo et novus parens et vetus, dum caput etiam ejus et capilli essent tanquam lana alba, et tanquam nix. Procidens ergo tam reverendæ majestati adorabat et benedicebat, illud gratiarum actionis ter iterans : *Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, o beata et benedicta et gloriosa Trinitas Pater et Filius, et Spiritus sanctus*, sentiebatque dulcissima se a Spiritu sancto aspiratione dignari, quæ aspiratio, mi fratres, tam vehemens interdum ac fortis esse solet, ut nisi fortissimus ipse aspirator animam, cui aspirat, sustentet, dissolvatur et quasi liquefiat. Si mundum invenerit pectus, si exercitatam compunctione et lacrymis, nec non piis actibus mentem, lenis ac dulcis sentitur, suique amoris gratia perfundit et lumine. Si alicujus vero peccati

seu negligentiæ sordes insederint, se exhibet severiorem, dum vi quadam acriori et ardore excoquat ipsum, quod displicet.

Cæterum, prædictus frater quomodo tam adorabilem tertio majestatem viderit, nunc reticebo, quia intimus hic noster in opusculo, cujus est titulus, *Triumphale Bulonicum*, hoc retulit. Supersedebo et aliis quibusdam, quæ in suis eum opusculis passim scriptitasse novimus. Ignota requiritis, dicam quæ novi breviter. O quam felix, quam beatus, qui Spiritus sancti gratiam, attactum, dulcedinem bene vivendo meruerit! Sive vigilans, sive dormiens ille tutus est, sensus habens illuminatos, et disciplinatæ mentis et oris modestiam. Heu! quam infelix, quam miser, qui spiritu maligno possidetur et agitur! Videre talem, et audire nimii est horroris, velut cuidam occurri aliquando, in quo exhorruissetis Virgilianum illud de quadam arreptitia, cui non vultus, non color unus, non comptæ mansere comæ, sed corpus anhelum et fera corda tument, majorque videri nec mortale sonans.

CAPUT V.

Denique, frater quidam infirmatus magnopere cupiebat dissolvi et cum Christo esse, tota sanitatis suæ tempora in conversatione exigens bona et precibus instans et lacrymis, quatenus hoc mereretur. Ad medium fere tempus cujusdam noctis quodammodo suum extra corpus spiritum persensit profecturum ad Judicis tribunal. Nec defuerunt dæmones; instar vulturum parabant irruere, proficiscentem insequi. Eorum aspectu tartareo pavefactus ille sicut ovicula inter lupos exposita, anxiari admodum cœpit, cum repente iterum se in corpore invenit. Itaque expertus, quam difficilis, quam districta profectio sit illa, mœrore quam ægritudine magis gravabatur. Sequentis vero ad vesperum diei cum jaceret in animo Deum suspenso, assistere coram se vidit duos cœlites gloriosos, sanctum scilicet Paulum apostolum, et sanctum Nicolaum, in quorum præsentia et conspectu tantæ suavitatis illum atque refrigerii aura circumfudit, ut paradisianæ serenitatis quiddam sentiret, dum et ignea febris, qua graviter laborabat, continuo exstincta sit, et valetudo bona successerit. Nihil est siquidem quod sanctorum non valeant in Deo merita.

Et vere juxta Psalmistam *judicia Dei abyssus multa (Psal.* XXXV); qui ab origine mundi tot generationum homines sui habere ignorantiam et ire in damnationem permiserit, quorum plurimi cæco ac nimis erroneo mortis contemptu hanc præoccupantes diversis generibus moriendi longiora vivendi spatia ultro sibimet præciderunt, ut summæ fuerit apud Indos philosophiæ, ad senium venientes accendere rogos, quibus sese injicerent et arderent. Nec minus miseri, imo crudeliores illi, atque bestiis inhumaniores, qui suos parentes, dum adhuc vegeti erant et carnibus teneriores, impie mactabant, atque his epulabantur, quasi pietas esset gravedine illos senectutis liberasse, sibique taliter invisceras se, videlicet belluini nec non deterrimi homicidæ, dum fortitudini deputant sive probitati temerarie ac præcipitanter mori, dum stelliferas sedes, aut Elysios hæreditare æstimant campos, Charonis nescio cujus navicula, trans Stygem seu Acherontem evecti, gehennalia incurrerunt incendia, et non a Cerbero, quem finxerunt, sed a Satana, quem nescierunt, lacerandi, corrodendi, et vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur.

Ingerit se illud etiam Horatianum:

> *Deus immortalis haberi*
> *Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Ætnam*
> *Insiluit.*
>
> HORAT., *Art. poet.*, 464 466.

Refertur quin etiam Leonidas rex Spartanorum regis Persarum Xerxis, ad Græciam irrumpere volentis, innumerabiles pene copias apud Thermopylarum angustias cum sexcentis duntaxat viris incursasse et cecidisse. Qui declinare adversarios cum posset, tamen se ipsum morti et suos devovit, atque priusquam pugnarent, reficere illos adhortatus: « Optimi commilitones, ait, ita prandete, tanquam apud inferos cœnaturi. » Eheu qualis adhortatio! qualis contemptus mortis! quantum differt cœna inferorum ab illa, qua dicitur: *Beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt (Apoc.* XIX). Nescivit procul dubio hanc magnanimus vir ille, qui pro patria mori fortiter gloriosum fortitudinis et æternum insigne, famam reputabat felicem, utique ad infelicem cum suis mensam sic moriendo sessurus. Verum, quoniam infructuosum est talibus immorari, prosequor, quæ malitis audire.

CAPUT VI.

Sepulcrum contigit quoddam aperiri, quatenus in eo mortuus recens sepeliretur. Qui ante fuerat sepultus, pene integro adhuc corpore durabat, nisi quod teneriora ventris a vermibus erant exesa. O lugubre lacrymosumque spectaculum! Ossa etiam tum sibi cohærentia, costæ et nervi, oculorum concavi orbes, ordo dentium nudatus carne, quo deveniat homo quantumcunque formosus, quantumcunque validus, cujuslibet nobilitatis, cujuslibet dignitatis, monstrabant miserabiliter. Memoratus interfuit frater, materiamque tribulationis et doloris ex hoc inveniens multam, nomen Domini invocabat multiplicius, versans assiduo meditatu, quæ apud Job leguntur: *Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulo, tunc aperit aures virorum et erudiens instruit disciplina, ut avertat hominem ab his quæ fecit, et liberet eum de superbia, eruens animam ejus a corruptione, et vitam illius, ut non transeat in gladium: increpat quoque per dolorem in lectulo, et omnia ossa ejus marcescere facit: abominabilis ei fit in vita sua panis, et animæ illius cibus ante desiderabilis, tabescet caro ejus, et ossa quæ tecta fuerant, nudabuntur. Appropinquavit corruptioni anima ejus, et vita illius mortiferis (Job* XXXIII). Illudque item Psalmographi: *Mane floreat et transeat, vespere decidat, induret et*

arescat; quia deficimus in ira tua, et in furore tuo turbati sumus (*Psal.* LXXXIX).

Itaque, totus in talium contemplatione laborabat in gemitu suo, lavabat per singulas noctes lectum suum, lacrymis suis stratum suum rigabat. Et quoniam quæ vigilans quis meditatur, dormienti etiam interdum imaginantur, in visione nocturna ipsum a se Job conspectum referebat, qualis et in sterquilinio fuerit, et quali postea sanitate refloruerit, quia regio cultu ac diademate gloriosus inter amicos consolantes atque convivantes residebat, dum unusquisque ovem illi unam et inaurem auream daret unam, innocentiæ profecto et obedientiæ illius sic congrua ut pretiosa dona. Verumtamen hoc protulerim, quod sicut in Evangelio habetur, transfiguratum viderit in monte Dominum præferentem quanta, quali fulgebunt in resurrectione gloria electi, quando *reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ* (*Philipp.* III); quando *erit lux lunæ sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum in die, qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, et percussuram plagæ ejus sanaverit* (*Isa.* XXX), vere omnia sciens, vere omnia potens medicus, quem in eadem luminis atque decoris majestate videbit per sæcula omnis Ecclesia sanctorum, quam habuit, priusquam esset mundus apud Patrem; quam habuit, inquam, dum, Spiritu sancto cooperante per ipsum et cum ipso, Pater operaretur sex diebus mundum, et in septimo requiesceret.

CAPUT VII.

Melior revera est, o dilecte, fructus sapientiæ auro et lapide pretioso, et genimina ejus argento electo, quam sobria humilisque consectans anima, quidquid desursum gratiæ acceperit a Patre luminum, supernæ attribuit omnino beneficentiæ et dignationi. Scriptum denique est in lamentationibus Jeremiæ, cui præexcelsa sanctimoniæ ac prophetiæ gratia suum competit nomen, quod *excelsus Domini* ex Hebræo sonat: *Bonum est præstolari cum silentio salutare Domini. Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius et tacebit, quia levabit se super se. Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes* (*Thren.* III).

Propterea, non altum sapienti, sed timenti et solitudinem sanctæ meditationis atque silentium appetenti, ut tacens liberius attendat grave nimis, onerosum et lamentabile super Adam et filios ejus jugum illud et sententiam: *Quia audisti vocem uxoris tuæ et comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terræ, in sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es; quia pulvis es et in pulverem reverteris* (*Gen.* III), spem excitare solent ad salutare Dominicum visitationes Dominicæ et levare humilem super se.

Econtra quantum noceat plerumque curiositas, quantum deprimat sæcularis appetitio familiaritatis, indicio est Dina, quæ pudici pertæsa tabernaculi secretum, exiit videre mulieres regionis, sed male supplantata patri Jacob, videlicet bono supplantatori magnum scandali malum peperit. Secundum etenim nomen suum, quod interpretatur *judicium istud*, corruptionis et devirginationis judicium tulit a Sichem filio Hemor, qui scilicet suis quoque nominibus brutos homines atque vitiorum onere laborantes insinuant, quandoquidem Hemor *asinus*, Sichem *labor* interpretatur.

Sed Sapientia, scilicet Christus foris prædicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus urbis profert verba sua dicens: *Usquequo parvuli diligitis infantiam, et stulti ea, quæ sibi sunt noxia, cupient, et imprudentes odibunt scientiam? Convertimini ad correptionem meam* (*Prov.* I); et: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris: jugum enim meum suave est et onus meum leve* (*Matth.* XI).

Et quidem, fratres, me æstimo lacrymosa jam vobis narratiuncula satisfecisse, quæ noverim, referendo, et si aliqua restent, quæ opusculo inserentur illi, quod ante aliquod tempus inceptum perficere vestra me affectio et hortatus impellit, et quia ipsum hoc opusculum, quo nunc colloquimur, ex Ecclesiaste principium habet, congrue ex eodem habebit et finem, quatenus non sine lacrymis audiamus dicentem: *Deum time et mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo* (*Eccle.* XII). Vere etenim ad hoc conditus est, atque per hoc ad verum esse perducitur omnis homo, si Deum timeat et mandata ejus observet. Nam in Proverbiis quoque sic habetur: *Custodi legem atque mandatum, et erit vita animæ tuæ et gratia faucibus tuis: tunc ambulabis fiducialiter in via tua, et pes tuus non impinget: si dormieris, non timebis, quiesces, et suavis erit somnus tuus* (*Prov.* III). Æternis igitur redonat se timentes Noe verus ille ac singulariter justus, qui fortissimo passionis vino inebriatus mortis somno in cruce dormivit, et requiescens in sepulcro et soporatus accubuit ut leo et quasi leæna, qui potenter dicere solus potuerit: *Potestatem habeo ponendi animam meam et iterum sumendi eam* (*Joan.* X), quandoquidem evigilarit tertia die auctor vitæ, princeps fortitudinis, Christus Dominus, principalis suavitas, perennis et vera sanctorum requies. Amen.

REINERI MONACHI
DE PROFECTU MORTIS
LIBRI DUO.

(D. Bern. Pezius, *Thes. Anecdot.* IV, III, 249, ex cod. ms. S. Laur. Leod.

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Multum proficere ad salutem animarum mortem corporum nescire nullatenus possunt quicunque carcerem præsentis vitæ et jugum grave super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium aut cogitatu considerant, aut experiuntur miseriis, ut Apostolo congemiscant dicenti: *Miser ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* VII.) Quicunque, inquam, tribulationem et dolorem inveniunt, ut item animo cum Psalmista contrito dicant: *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur Sion* (*Psal.* CXXXVI). Speculari siquidem et habere summum desiit bonum prævaricator Adam, dum male speculatus ligni fructum vetiti summo se malo inseruit, quatenus ex eo importune comederet mulieris instinctu. Dicit vero Apostolus : *Adam non est seductus ; mulier autem seducta in prævaricatione fuit* (*I Tim.* II). Ergo scienter Adam peccavit, nec deliciis contentus paradisi, altiora se per rapinam quærere attentavit dedignatus obedire, quandoquidem comparari ambiret Deo. Verum, quoniam *cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis* (*Psal.* XLVIII), similitudine Dei privatus, concupiscentiaque carnali, motibusque jam effrenis irrationabilibus abstractus est itaque et illectus, quia, secundum apostoli Jacobi dictum : *Concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem* (*Jac.* I).

Et heu! quam amarus generi est humano factus ille servorum peccati morsus! Hoc in morientibus videri maxime potest. Fateor miser, quod plurimorum lectulis dum sæpius assedissem, dolores, angustias sudoresque illorum amare dolui tribulatus satis, utpote moriturus et similia reformidans. Atque, ut taceam de multis, unum vidi e fratribus nostris per quadraginta propemodum dies ita doloribus coangustatum, quatenus alimoniæ nihil acciperet, nisi quod aquam sibi poscebat interdum dari signo potius quam voce. Et quidem tale nobis epulum paravit, tale nobis absinthium Eva miscuit, dum pedibus vaga et oculis, per illum voluptatis licen- A ter locum spatiatur, dum luciflua amœnitatis limites transcendit, atque incontinenti curiositate, qualis haberetur foris mundus, prospectat.

Unde opportunitatem quoque nactus adversandi perditus ille Satanas serpentem, qui et callidior erat cunctis animantibus terræ, quæ creaverat Dominus Deus, ac dulcedinem captando mellifluis sese vicinius septis ingerebat, ingressus est. Siquidem est credere absurdum, in paradiso illum fuisse, et ibi collocutum mulieri, maxime pervasum a diabolo, qui utique a regno Dei et sacris esset sedibus irrevocabili jam animadversione ob superbiam extrusus. Si autem inibi reptabant serpentes, cur etiam leones aut lupi vel cætera non admitterentur animantia, ut hirsutæ B barbis capellæ, aut hirci, aromatica vulnerarent morsibus arbusta, per florigeros pilosi campos saltarent, ululæ responderent et Sirenæ tanquam in delubro voluptatis melos interturbantes angelicum? Fossores talpas illam viventium terram absit fodiendo commolere et eruere, vespertiliones circumvolitare, dum perpetua illic dies nullum tenebrescat in vesperum. Intemerata equidem ac specialis mansio nihil talium receptat, quæ solis hominibus unica esset munificentia Dei contributa, neque jam penitus haberet facultatem mala bestia, insidiosus scilicet Behemoth transeundi per eam. Quin potius ipse, qui dixerat: *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus* C *aquilonis; ascendam super altitudinem nubium; similis ero Altissimo, et Deus sum ego, et in cathedra Dei sedi, et dederat cor suum sicut cor Dei* (*Isa.* XIV); jam secundum nomen suum totus animalis (nam Behemoth *animal* interpretatur) in infima devolvitur, in reptile descendit irrationale, obsidet cor linguamque serpentis extravagabundi, cujus per os utique totus jam irrationabilis ad mulierem hæc tanquam rationis verba eloquitur, imo exsibilat: *Cur præcepit vobis Deus, ne de omni ligno paradisi comederetis?* (*Gen.* III.) Quomodo mentitur? quomodo verba Dei dissimulat et supplantat nebulo captiosus, de quo veraciter omnino dictum est, quod fuerit *homicida ab initio, et in veritate non ste-*

sit, quia non est veritas in eo, et cum mendacium loquitur, ex propriis loquitur, quia mendax est et pater ejus (*Joan.* VIII), mendacii scilicet. Ligna siquidem paradisi omnia, unum duntaxat excipiens, Deus Adæ indulserat. Nam mulier quoque sic fatetur : *De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso, vescimur, de ligno autem, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus et ne tangeremus illud, ne forte moriamur* (*Gen.* V). O et mulierem jam subversæ mentis ac temerariæ! Temeravit quippe mendacio edicti veritatem divini, addere ausa, quod minime Deus addiderit, *et nec tangeremus illud.* Denique, quod gravissima interminatione et certissimo præfixum tenore fuerat, *in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris*, levissimum illa esse deputans, et velut dubitabile, et hoc addidit, B *ne forte moriamur.*

Quam funebre quam luctuosum *forte* istud, ad quantum, ad qualem devenerit effectum, plus dolore quam sermone, magis gemitu quam dictatu comminiscendum est. Procul dubio ille qui per serpentem nunc loquebatur foris, jam intus animos per sese paradisicolarum attentaverat, præcipites ac pronos ad sibi consentiendum deprehenderat, ut etiam beatus papa Gregorius: « Nisi prius, ait, per superbiam intus tumuissent, foris tentati tam facile non cessissent. » Itaque præsumptor exsecrabilis Deum mendacem, atque invidum, semet veracem ac benevolum credi et haberi machinans, dixit denuo ad mulierem « *Nequaquam morte moriemini : scit enim Deus quia in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii, scientes bonum et malum* (*ibid.*).

CAPUT II.

Sic Leviathan, quod interpretatur *additamentum eorum*, sic coluber ille veneficus dire infectos duxit ad mortem, traxit ad interitum, quibus dum promittit deitatem, secundum nomen Evæ addit calamitatem, addit *væ* infinitum, quæ competentius mors quam vita, verius mater cunctorum morientium dicenda sit quam viventium. Ex ista enim miserabiliter omnis Adam moritur nisi ex Christo vivificetur. *Vidit ergo mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis aspectuque delectabile, et tulit de fructu ejus et comedit, deditque viro suo, qui comedit, et aperti sunt oculi amborum* (*ibid.*). Ante serpentis confabulationem mulier quidem viderat lignum, sed non temeraverat : nunc vero propterea vidisse et curiose intuita notatur, quo illius tam conspicue naturam per seipsam experiretur, atque proprio dijudicare gustu haberet, quis veracior, Deus an serpens existeret, qui contraria sibi seu repugnantia prætendissent.

Etenim, cum ratione prædita cæterorum instar animantium irrationalem esse non ignoraret serpentem, nec nisi per alienum illi spiritum vocis articulatæ verba suppetere, velut divino animaliter inducta oraculo omnipotentem credidit eum, qui per tale ostentum se alloqueretur, sibi prospiceret, consultumque vellet. Itaque assensit, manus suas expandit ad rapinam, avulsit temere pomum, gulæ satisfecit mortiferæ, nec non importunitate muliebri, exactione improba et procaci etiam virum ad hoc impulit. Nam miseræ miser obedivit, animum effeminare submisit virilem, stolida nimis compassione comparem suam destituere nolens et duas seorsum fieri.

Ergo in suam et nostram prævaricatus est mortem. Heu, heu, heu! veræ inobediens vitæ, id est sanctæ Trinitati. Siquidem et in libro qui titulatur in Genesi ad litteram, augustissimus doctorum Augustinus ita dicit: «Adam, posteaquam de ligno prohibito seducta mulier manducavit, eique dedit ut simul ederent, noluit eam contristare, quam crederet sine suo posse solatio contabescere, si ab ejus alienaretur animo, et omnino illa interire discordia, non quidem carnis victus concupiscentia, quam nondum senserat in resistente lege membrorum legi mentis suæ, sed amicali quadam benevolentia, qua plerumque fit ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus. Ergo alio quodam modo etiam ipse deceptus est, sed dolo illo serpentino, quo mulier seducta est, nullo modo illum arbitror potuisse seduci. Hanc autem proprie seductionem appellavit Apostolus, qua id quod suadebatur, cum falsum esset, verum putatum est, id est, quod Deus ideo lignum illud tangere prohibuerit, quod sciebat eos, si tetigissent, velut deos futuros, tanquam eis divinitatem inviderct qui eos homines fecerat. Sed, C etiamsi virum propter aliquam mentis elationem, quæ Deum internorum scrutatorem latere non poterat, sollicitavit aliqua experiendi cupiditas, cum mulierem viderat accepta illa esca non esse mortuam : non tamen eum arbitror, si spirituali mente præditus erat, ullo modo credere potuisse, quod eos Dominus ab esca illius ligni invidendo vetuisset. »

CAPUT III.

Leodii cum esses, o Wilelme, hujus sæpenumero aliorumque sententias doctorum versabamus, et sedule disquirendo, fraterne disceptando velut odoris nos invicem quæstionum flosculis aspergebamus, nec dedignabaris a me, indocto licet, scholasticus, quæ sentirem, addiscere, ita ut etiam absens tabel- D lariis me frequentibus sollicitares : somnolentum perinde censebas et pigrum, ni continuo rescripsissem, adeoque amici acceptabas ingeniolum, ut nihil accusares, quantumvis tumultuarie stylus aut incondite barbarizasset. Totum igitur me impendebam benevolentiæ et degustabam, vicissimque negotiabar ex te, cum tu opulentæ admodum frugis philosophia inaurareris divina et humana, scientiamque inflorares conversatio, et ævo juvenis formares moribus senem : *Cani enim sunt*, ait senior quidam, *sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata* (*Sap.* IV). Siquidem dicebas sapientiæ : Soror mea es, et prudentiam vocabas amicam tuam, quandoquidem muliercularum tantopere vitares contubernia, generis sane arguti, nec non ad illiciendum

efficacis, seduloque illud attenderes Salomonis: *Mulier viri pretiosam animam capit* (*Prov.* VI). Quanquam, ut scriptum est: *Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata et sicut sol oriens in altissimis Dei: sic mulieris bonæ species in ornamentum* (*Eccli* XXVI). Verumtamen, quasi prudens et cautum animal tu vitabas foveam, ac freno moderabaris castimoniæ, nec muliebrem aspernabaris sexum, quin potius pro Apostoli dicto: *Noli altum sapere, sed time* (*Rom.* XI), culpam timebas et vitium, quoniam a muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur.

Nec sine singultu et cordium quodam rugitu edicere poteramus nostri illius quem noveras amici casum, qui, dum versaretur communiter nobiscum, sanctæ religionis, quem ferebat habitum, religiosa et cœlibe vita impense honestabat. Sed cellulæ illi cujusdam in eremo inju nctaest provisio, ubi nihilominus quæ solebat, bonæ exercitationis munia non ignavus eremita interim prosequebatur. Maturitati vero postmodum suæ confidens, nec respectui habens, quod ipsum etiam Dei Filium tentaverit in deserto diabolus, leves muliercula inconsulte aggregatas inconsultius sibi commanere voluit. Actitabantur in pœnitentiæ loco sæculares chori, lenocinia canticorum strepitabant, ut insolitum echo per nemora resultantem ipsæ, ut æstimo, feræ fugitarent attonitæ.

Sed nunquid abscondere potest homo ignem in sinu suo, ut vestimenta ejus non ardeant? Aut ambulare super prunas, et non comburentur plantæ ejus? Nec ævo quantumlibet provectiori abesse circumspectionem expedit. Namque et frigidis et cariosis senio membris calor irrepere inordinatus potest. Incautus autem et dormitans facile patet insidiis. Ergo virtutum æmulus hostis semper circumspiciendus est. Denique, quanto est locus remotior, tanto est ad peccandum stultis opportunior. Provenerunt ideo illic de ecclesia, de sacris, de mansionibus, quæ lugeri debeant multo amplius quam scribi. In spirituali homine, mi frater, spiritus quidem promptus est, caro autem, cum sit infirma, si mens vel minimum resolvatur, continuo lascivit, movetur, increpitat legem mentis lex garrula quædam, quæ inserta est membris. Vere fenum est populus. Quam labilis, quam infirmus est homo! Etiam ille primatum fortissimus Samson ad mille hostium cohortes heros invincibilis, meretriculæ lenocinantis victus est atque in mortem actus perdito amore, et amarum cepit experimentum, quod sint quidem favus stillans labia meretricis et nitidus oleo guttur ejus, novissima autem illius amara quasi absynthium, et acuta quasi gladius biceps; pedes ejus descendant in mortem, et ad inferos gressus illius penetrent: multos enim vulneratos dejecit, et fortissimi quique interfecti sunt ab ea.

CAPUT IV.

Enimvero quis expediat quaquaversus gentium mulieres quantorum fuerint incentiva malorum? A Vel solum illud interserere sic sufficiat, quod circa ejusdem Samsonis tempora ob unius mulierculæ infamis raptum XXXVIII millia et CC, sedecies quoque centena millia decennali bello Græcorum atque Trojanorum sint interfecta, ut scripsit Dares Phrygius qui præsens interfuit. Plane pro quanta probitas gloria, pro quanta fortitudinis prærogativa vires Europæ et Asiæ tunc adeo quassatæ sunt, tot periere potentes a sæculo, viri famosi? Non recolis, tu scholarum auriga, poeticum illud:

> *Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi,*
> *Seditione, dolis, scelere atque libidine et ira*
> *Iliacos intra muros peccatur et extra.*
> HORAT. *Epist.* I, II, 14-16.

Sed dilataverit infernus animam suam et aperuerit B os suum absque ullo termino, et descenderint fortes ejus et populus ejus et sublimes gloriosique ejus ad eum. *Væ mundo a scandalis!* (*Matth.* XVIII.) Perfectæ pacis nullus hic portus est. Vitæ navicula humanæ fluctibus semper tentationum circumagitur. Et rupem aliquando vis procellæ a suo emovet loco: et justum impetus tentationis a statu justitiæ. David Spiritus sancti præstantissimus Psaltes, in quem pleno effusum est cornu gratiæ spiritualis oleum, nempe de quo dixerit Deus: *Inveni David filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciat omnes voluntates meas* (*Act.* XIII), et ipse per contectalem Uriæ impulsus et eversus cecidit, sed illum Dominus suscepit pœnitentem. Salomon, de quo scriptum est: *Dilexit* C *eum Dominus*, misitque in manu Nathan prophetæ, et *vocavit nomen ejus Idida, hoc est amabilis Domino* (*II Reg.* XII), qui cunctis erat hominibus sapientior, ita ut cordis ejus latitudo arenæ sit comparata, quæ est in littore maris: ad quem dixerat Deus: *Ecce feci tibi secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens et intelligens, in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit* (*III Reg.* III). Ille, inquam, qui prædicatur *sapientior Ethan Ezrahite, et Emal* [Vulg. *Heman*], *et Calchal et Dorda filiis Mahol* (*III Reg.* IV), tam horrifice, tam sine exemplo, muliercularum se amoribus infatuavit ut fieret idololatra, gentiumque simulacris fabricaretur delubra. Cujus tamen eatenus assurgit commendatio, ut summis fuisse patriarchis superior memo- D retur. Siquidem Ethan interpretatur *durissimus*, Ezrahite *orientalis*; et ipse est Abraham vir prædurus animo, quia fidei solidæ et constantis justitiæ, radiosus genere et potens viribus, utpote qui quatuor reges uno belli excursu fuderit, ex orientali regione Chaldea oriundus.

Heman interpretatur *fidelis*, et ipse est legislator Moyses, de quo ad Aaron et Mariam loquens Dominus: *Si quis*, ait, *fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses qui in omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei et palam; non per ænigmata et figuras videt Dominum* (*Num.* XII).

Calchal interpretatur *gubernans*; et ipse est filius

accrescens Joseph : filius accrescens, qui, posteaquam Deus Jacob divertit ab oneribus dorsum ejus, postquam manus ejus in cophino servierunt, adeo accrevit, quatenus propter prudentiæ et gubernationis summatem industriam Salvator mundi ab Ægyptiis appellaretur, sapiens plane et intelligens, qui propter innocentiam atque castitatis prærogativam gubernacula possideret.

Dorda interpretatur *generatio scientiæ;* Mahol, *indulgentia.* Et generationem accipimus patriarcharum ac prophetarum, videlicet filiorum Jacob, viri admodum indulgentis : quibus universis Salomon præfertur in sapientia.

CAPUT V.

Quia igitur, Wilelme, secundum Petri apostoli dictum, *adversarius noster diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret* (*I Petr.* v), pudico cuique ac sobrio curandum magnopere est, quo munditiæ et castitatis vitet scandala, consessus, susurros, pellaciasque muliercularum. Equidem illorum superabundat numerus, quorum status aut concussus, aut eversus per illas est, dum etiam monasticorum maximus grex (flagella te pugnis et percute, evangelici exemplo Publicani, o vir lacrymose) in hanc conspiraverit disciplinam, neque scriptis, neque exemplis potest aliquibus impetrari, ne fratres sororibus, sorores fratribus justo impensius liberales sint.

Recordor præterea quemdam splendide et magni habitum apud sæculares reclusum nostra ætate plus quam sæculariter concidisse. Obtentu sanctitatis, quam simulabat, frequentabatur, plurimum conferebantur ei plurima, illis utique similando, quibus a Domino dictum est : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui comeditis domos viduarum oratione longa orantes. Propter hoc amplius accipietis judicium* (*Matth.* xxiii). Solebat ille aliquando, festivis maxime diebus de cellula clam exire, et quia in monte solitarius manebat, in quolibet defosso delitescere loco, veluti gravaretur inquietari, et contemplationem seu orationes impediri. Sed intravit mors per fenestras ejus, eo quod juvenculæ ministranti sibi, atque per hoc licentius adhærenti se nimium acclinaverit, nec ab ore suo, auribus vel oculis, nec a cellulæ fenestra lascivam compescuit, cæcus et insulsus, qui nosset videre et scire, quia de periculo animæ illius ageretur. Ideo irretitus est circumplexusque funibus peccatorum simul et castimoniæ incestator et propositi desertor factus, et cum illa pellice sua, imo et noctua per noctem tanquam diei fugax et reclusione profugit pecunia suffarcinatus, quam congessisset.

Noveras vero et tu ipse quosdam, fortissime, religiosos, qui fortiter aliorum minima ventilarent, et sua sic maxima tanquam diploide ex pilis caprarum palliove saccino adumbrare vellent, viros virtutis, qui velut clavam Herculis librarent in subditos illud Salomonicum : *Qui minima negligit, paulatim decidet* (*Eccli.* xix), quasi et de istiusmodi Christus non dixerit : *Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes* (*Matth.* xxiii). Atque alibi : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia : sic et vos a foris quidem paretis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate* (*ibid.*).

CAPUT VI.

Non autem solummodo patenter hostis ille antiquus, qui passus est ruinam cum suis sequacibus magnam, congressus facit ut leo, sed quoniam serpens quoque est Evæ seductor, quoniam Draco magnus est mundi veneficator, latenter etiam bonorum ruinæ invigilat et insistit omnibus nocendi artibus, innumeris phantasiarum machinis urgens tam vigilantes quam dormientes.

Atque aliquando cum super hujusmodi frater invicem tractaremus, ac de gestis sanctorum codicem revolveremus, occurrit lectio, quæ memoraret, quod fuerint duo fratres Picentina oriundi provincia, Victorinus et Severinus. Hi floridæ juventutis post utriusque parentis obitum omnem relictam sibi substantiam vendiderunt et pauperibus erogaverunt, quatenus apostolorum instar relinquentes omnia mercede donarentur apostolica. In remotiore igitur loco fabricaverunt sibi cellulam, in qua degebant communiter. Nihil erat illis proprium, nihil tamen deerat necessarium : alter alteri serviebat et se invicem suis ædificabant virtutibus, nec aliquando sejuncti mutua seipsos custodia pædagogabant, quatenus de illis jure diceretur : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* (*Psal.* cxxxii).

Porro, Victorinus in altiora nitens, et quemdam descensum reputans esse non ascensum perfectionis, fraterna saltem cohabitatione, solatio et convictu frui, solitariumque pluris judicans, cum dicat Ecclesiastes : *Melius est duos simul esse quam unum ; habent enim emolumentum societatis suæ : si unus ceciderit ab altero fulcietur* (*Eccle.* iv), fratrem deserit, ad eremum se confert. Præruptæ celsitudinis rupem fluvius præterfluebat, illic arctissimum ambit specum. Gratis habere gaudet, quos artifex natura exstruxit parietes. Erant ejusmodi, ut non jacendo, sed sedendo tantum acquiescere somno posset. Si admisisset hospitem, stare oportebat admissorem. Postes ostiolum muniebat viminibus intextum. Munia vigiliarum, orationes, jejunia, lectiones sacræ frequentabantur. Sed qui Adam et Evæ inviderat paradisum, invidit etiam Victorino tantæ operositatis palatium. Insidiatur, circuit ille præambulator terræ, instruit dolum, quo contrarium sibi advenam cœlis defraudet.

Qui solet ergo se in angelum transfigurare lucis, transfigurat se in puellam, ac veluti palpando impingens fores concutit eremitæ, queritur noctem tenebrosam, exaltat planctus, et lacrymas fingit, se erroneam incurrisse spinetorum avia, dentes metuere ferarum, petere autem unius solummodo noctis.

hospitium. Miseretur homo miseræ, veretur culpam, si neget hospiti susceptionem; nec enim credere hostem poterat, sed hospitem. Aperit ergo et suscipit. Nec horæ spatium adhuc decesserat, et qui putabatur puella, dum sese assiduo motu interim tentator conversasset improba moliendo (nam penitus impatientes sunt quietis dæmones testante Isaia : *Non est pax impiis, dicit Dominus* [*Isa.* LVII]) virum, quem cogitationibus jam irreligiosis inquietaverat, protenso ad extremum pede perstringit et scorpii more aculeati veneficans, inexperto eatenus calore succendit, maxime cum accuratus admodum quadam vernaret decentia vultus, oculique stellantes ipsis micarent in tenebris. Illecebrosus deinde ac mollis sermo trahit ad contagium. Quis confidat sibi? Sancte Spiritus, quam dissimilis est tuus calor a tali calore! Quomodo exstinguatur ignis noxius in cujusquam corpore nisi per tuum rorem? Tui solius est continentiæ donum puritatisque custodia.

Sed victus est Victorinus, et, priusquam humiliaretur, deliquit, quoniam ex seipso erat docendus non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Nam casui ejus et ipse antiquus seductor atque caducus apostata insultans hos in illum cachinnos delatrabat : « Quid eremita modo probatissime, quem gravabat etiam fratris societas? en sociatus es alteri, et castitatem inter silvæ scopulos perdidisti, quam inter sæculi servaveras anfractus. Inexpugnabilemne vel apud solitarios arbitrabaris pudicitiam? Cautela ubique opus est, et apud sæculum, et apud eremum : tentari sanctitas potest. Hanc impugno semper, interdum expugno. » Tunc putidi ad instar fumi a complexu evanuit.

CAPUT VII.

Qui vero miseretur omnium Dominus, et nihil odit eorum quæ fecit, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam et parcens illis, eo quod non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, misertus est Victorini, et convertit ad pœnitentiam ut viveret. Reversus siquidem in se post tentationem abrupit moras, rediit ad fratrem, et quanquam præ confusionis rubore suspenderit diu vocem, postremo tamen ei notum fecit lacrymabile suum, et Christiane cogitans et catholice sperans, *quia apud Dominum misericordia et copiosa apud eum redemptio* (*Psal.* CXXIX); et illud : *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur* (*I Cor.* XI), judicem sui ipsius et vindicem seipsum statuit, ut tam severa prædamnaret sententia. Fidit arborem, manumque inseruit, et fissuram cuneis pessulatam adeo præclusit, quod nec retrahere nec movere penitus posset, incarceratione videlicet unius membri totum corpus incarcerans.

At Severinus et fratris commissum, et inclementiam pœnæ illius diœcesis episcopo suggessit. Episcopus veniens Victorini exsolvere nodum voluit, et ad discretionem attrahere modum pœnitentiæ. Sed ille nullatenus acquievit apostolico bene inductus oraculo : *Scimus, si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis* (*II Cor.* V). Contra nec episcopus molestandum censuit (erat siquidem episcopalis et vitæ et scientiæ), sed bonum sustinentiæ finem benedixit et abscessit. Itaque Victorinus exhibebat corpus suum hostiam viventem, Deo placentem, rationabile obsequium suum orando, vigilando, jejunando. Nam cæteris omnino diebus abstinens, die tantum Dominico pauxillum panis et aquæ sumebat etiam a fratre compulsus, qui germano vere prædicabilis affectu pœnitebat cum pœnitente, nil aliud cibi aut potus percipiens quam frater.

Compara, o Wilelme, Joannis Baptistæ et istorum prandia. Illum eremi cocum, locustas ad solem qui coqueret, quibus cum silvestri melle cibabatur. An dubites delicatiorem pœnitentibus, qui cum Psalmista cinerem tanquam panem manducabant et poculum suum cum fletu miscebant? Qui æque ut Joannes mollibus ex pilis camelorum purpurati, zonisque pelliceis circa lumbos erant præcincti, cum nostris quibusdam abstinentibus et legisperitis. Decem ferculorum decalogus vix sufficiat, et decem mutatoria vestimentorum, benedictio, quam obtulit Naaman Syrus Elisæo prophetæ.

CAPUT VIII.

Mi amice, quam cito delinquitur, quod diu pœnitendum sit! In momento infligitur plaga, quæ diu sit medicanda. Pro una diabolicæ subreptionis abusione adeo se Victorinus afflixit! Nec edici facile potest tam arduum genus pœnitentiæ, si perpendantur incommoda necessitatesve, quas tulerit homo sic affixus. Non attendant hoc multimode peccantes, tepide confitentes, tenere pœnitentes, qui dum a confessoribus oleum et vinum opportune ignaris infundere multantur, sed nimium citra excessus, per qualemcunque tamen pœnitentiolam a qualicunque æstimant se peccato citiûs enodari quam aliquos funes seu vincula ruperit Samson. Nec vero peccare quiescunt, sed ad nauseam usque iterant, quæ pœnitenda sint, neque venialia, quidem, sed criminalia, cum scriptum sit : *Maledictus, qui in spe peccat.* Dei abutuntur patientia illud temere usurpantes, scilicet *miserator et misericors Dominus, longanimis et multum misericors* (*Psal.* CII), quasi non alibi dicatur : *Tacui, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar?* (*Isa.* XLII.)

Legisti presbyterum de pago fuisse Abricantino, qui deditus carnali concupiscentiæ vivebat detestabiliter, instarque filiorum Heli, filiorum Belial, per incontinentiam monstrabat, quod nesciret divina neque officium sacerdotis ad populum. Per illum ergo detrahebant homines sacrificio Domini, quia cujus improba est conversatio, restat ut ministerium illius improbetur a populo. Hic tamen interdum compungebatur. Sed, quoniam radices firmæ compunctionis non habebat, cito ad impulsum libidinis vellebatur, cito in tempore tentationis a sobrietate recedebat.

Verumtamen pro suis enormitatibus Romam singulis peregrinabatur annis, Apostolorumque limina Petri et Pauli revisebat. Quid autem hoc proderat se non emendanti? Posteaquam repatriasset, ut canis ad vomitum, ut sus ad volutabrum luti, ad immunditiam revertebatur non recogitans stultus, quia nil valet pœnitentia, nisi emendetur culpa. *Qui baptizatur a mortuo*, dicit liber Sapientiæ, *et iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius? Sic homo, qui jejunat in peccatis suis et iterum eadem faciens quid proficit humiliando se? Orationem enim illius quis exaudiet?* (*Eccli.* XXXIV.)

Nono itaque anno cum de Roma irritator redisset ille, horrifica morte interiit, quandoquidem, quod dictu quoque pudendum sit, inter fetidæ voluptatis amplexus exhalavit animam inferni fetoribus intrudendam.

Accidisse hoc idem apud nos recenti tempore non ignoras. Militaris quidam admodum sæcularis et incestuosus cum noctu tenderet ad officinam pellicis, tetrum imo intolerabilem se putorem sentire exclamavit ad comitantem se armigerum. Diu illecebris abusus merito tali prænuntio uti debebat, et prænosse, qualis auræ oblectamentum maneat voluptuosos, eadem nocte meretricando et ipse suffocatus.

Filii autem *hominum usquequo gravi corde?* (*Psal.* IV.) Quam multi libidine nigrantur, et quoniam *stultorum infinitus est numerus* (*Eccle.* I), quot sunt, qui candeant castitate? Sed prætenditur conditionis fragilitas, quasi nullo labore proveniat frumentum, virtusque tam aurosa constet gratuito. Quanta castigatione mentis et corporis possideatur castitas, præmonstraverunt Patres, qui candida simplicitate floridi suspirabant sibi cœlitus pennas sicut columbæ, quatenus a terrenis volarent et requiescerent ideoque elongabant fugientes et manebant in solitudine, ut ille solitariorum splendidissimus, de quo hymnizamus:

Antra deserti teneris sub annis
Civium turmas fugiens petisti,
Ne levi saltem maculare vitam
Famine posses.
O nimis felix meritique celsi,
Nesciens labem nivei pudoris!

Videre et audire sæcularia magni sæpius est detrimenti. Inter delicias gregesque muliercularum qualiter conservetur castitas? Super hac scholares tuos sedulus et dulcis admonebas, cum ego interdum superveniens honestis adgaudebam studiis, et aliqua interbalbutiebam, ut illos poetæ versiculos:

Fingit equum revera docilem cervice magister
Ire viam, quam monstrat eques. Venaticus ex quo
Tempore cervinam pellem latravit in aula,
Militat in silvis catulus. Nunc adhibe puro
Pectore verba puer, nunc te melioribus offer.
Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu.

HORAT., *Epist.* I, II, 64-70

CAPUT IX.

Jam triennali patibulo Victorinus fatiscebat, sed carne non spiritu, ut in eo veraciter illud sancti videretur: *Induta est caro mea putredine et sordibus pulveris; cutis mea aruit et contracta est; comparatus sum luto, et assimilatus sum favillæ et cineri* (*Job* VII), cum venerabilis, quem prædixi, episcopus, et tota undique vicinia tantæ satisfactionis instantia et attritione compuncta irruit ad locum, ac licet invitum renitentemque ex illa enodavit arbore, victoriosiorem utique illo, qui nos tam confusibiliter innodavit vetitam præsumendo arborem in paradiso. Verumtamen illius austeriorem quam præmiserim, fuisse pœnitentiam et mirabiliorem absolutionis modum alias legi, quod scilicet prædictæ arboris cavo utramque manum incluserit, et de illa triennio terram pedibus non attingens pependerit, atque dum violenter a populo deponi vellet, triduanum supplicaverit super hoc jejunium fieri, et ita demum per ignem cœlitus cum tonitru ruentem laxatum, exustis, quibus fuerat constrictus, nodis, non minore videlicet placationis ad Deum indicio, quam cum gratifica Patrum holocausta superno quodam assumebantur incendio. Qui ergo patientia ipsam vicisset hominis naturam, spectabili sanctitate ac modo vivebat angelorum, operatione virtutum apostolicus et contra dæmones victoriosus, etenim manus Domini erat cum illo. Propterea, cleri ac populi votivo assensu Amiterninæ levatus est urbis episcopus (nam *qui se humiliat, exaltabitur*, dicit Dominus [*Luc.* XIV]), atque subditos sibi velut Moyses mansuetissimus regebat sacrarium pietatis et indulgentiæ, quandoquidem lapsus didicisset lapsorum culpis ignoscere. Qui etiam sub Nerva Cæsare est assecutus martyrium, et secundo Adam, id est Christo dum militat, cum victrice palma transiit ad paradisum.

Nec inferiori vero splenduit sanctitate Severinus frater ejus, vir modestus, suique corporis severus domitor, qui pro gratiarum prærogativa pontifex in Septipedana est urbe institutus, Ecclesiamque illam et disciplina regulari et ornatuum cultu sacrorum præ suis antecessoribus radianter honestavit. Est quidem *consummatus in brevi*, sed *explevit tempora multa* (*Sap.* IV), quoniam perfecte seniliterque vivendo patriarchæ Abraham instar *mortuus est in senectute bona et plenus dierum*, *congregatusque est ad populum* (*Gen.* XXV) sanctorum, habuitque sepulcrum, ubi habuerat et monasterium. Illic frequentabatur a populis, quibus et patrocinio precum et medelarum beneficio sese exhibebat viventem, ut puta, qui scriptus esset in vita, in Jerusalem.

Itaque, ad ejus aliquando festiva presbyter quidam tendebat, qui vitam nomini suo conformaret. Dicebatur namque Innocentius, Israelita verus, in quo dolus non esset. Unius tantum oviculæ possessor erat. Hæc abeuntem patronum secuta devenit ad fluvium, Flosorem vocabulo, qui de imbribus tunc excreverat. Sed de ripa in ripam pastores trabecu-

lam, per quam transiretur, trajecerant. Transivit utcunque Innocentius; ovicula tam stricto ponti se diffidens credere cœpit hac discurrere et illac, tremulis caudæ motibus significare angustiam, tristes lanas concutere, cum tandem inter querulos balatus articulatæ insonuit harmonia vocis paterne exclamans : « Cui me reliquisti misellam? » — « In nomine, inquit ille, Jesu Domini secura transi. Quadam mox fide subnixam putares bestiolam, ita constanti et celeri pede transivit et neutram in partem versabunda. »

« Jam, disciplinate vir, non attonite mireris vocalem asinæ linguam et disertum guttur, quæ cruentis calcibus tyrannizantem in se Balaam et barbarico fuste percutientem inaudita eatenus objurgationis buccina repercussit. Cum sis autem purgatæ et placidæ auris, quidnam gratius audisses, Balaam cum sua disceptantem asinula, an Innocentium cum sua sermocinantem ovicula? » Magnificum quidem utrobique auditorium; sed jure censeberis detractor, nisi oviculæ magis faveas, quæ obedientiam (non) deserendo pædagogum in nullo læserit : asinula luctam inferendo sessoris propemodum pedem fregerit.

CAPUT X.

Denique, tu Wilelme, zelator evangelicæ perfectionis, omnia demum tua vendidisti, et Christo in pauperibus dedisti, bajulansque crucem tuam Christi esse meruisti discipulus relicto scholarum magisterio. Quid porro faciebas firmatis postibus, dum aliquoties insperate adveniens et pulsans ægre admitterer? Secretum tuum tibi, secretum tuum tibi libens concesserim : bene tibi! Etenim Christum sicuti gloriosus martyr Laurentius imitabaris, dum linteo te præcingeres, dum mitteres aquam in pelvim, dum pedes pauperum, lacrymasque superfundens lavares, præcinctorio simul et capillis extergeres. Nonne liberalis etiam Mariæ munia exsequebaris, et quasi aromatica nardo ex alabastro charitatis profusa, Jesum inungebas, cum minimos Jesu large reficeres? »

Ad illorum igitur te numerum pertinere mox claruit, de quibus per Osee Dominus : *In funiculis Adam*, inquit, *traham eos, in vinculis charitatis* (*Osee* XI), quandoquidem Fusmacum petens monachicam professus es philosophiam, ut tolleres jugum Christi super te, qui dixisset : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris : jugum enim meum suave est et onus meum leve* (*Matth.* XI).

Et quidem plures sunt ann., ex quo, aspirante Domino, egressus es de terra tua et de cognatione tua, et de domo patris tui, nec aliquando regressus es tuos visitatum, forsitan eo quod scriptum sit : *Nemo ad aratrum mittens manum et respiciens retro aptus est regno Dei* (*Luc.* IX), uxoremque Loth, prohibitam ab angelis respicere post tergum, in statuam salis versam, dum insulsa curiositate respiceret post se, ut incestæ videat regionis sulphureos ignes

Neque temporis longum est quod quidam optimæ opinionis frater a monasterio Septem-Fontium ad me, quia consanguineus eram, veniens rogavit, ut eum circumducerem ad salutandos parentes suos vel amicos. Sed in eundo attonitus repente, femineos fastidiens occursus et congressus cœpit dicere, urbem ex ea, quam viderat puer, satis demutatam, domos alias, cives alios parere, vix superesse aliquem cognatorum, pœnitere, quod venerit, esse tutissimum claustralia non exire septa : nam lupum agno tendere semper insidias, piscique fontium captandos sinus, quo rete effugiat. Non itaque dicam lente, sed quasi fugaciter abscessit noster ille Fontensis, magnanimiter protestatus, se amplius non reversurum.

Tu porro, etsi tuam amicis præsentiam ultro non inferre proposueras, quare interdum litteras saltem non misisti, quibus pristinæ affectionis et litterariæ familiaritatis te memorem esse significares, nisi superfluam quis dicere usurpet bonæ frugis schedulam? Verum spiritualibus amicis spiritualia exhibere scripta probabile est. In amando igitur et in scribendo te censear jure probabilior, qui libros mittam, cui nec schedulæ sint missæ.

Sed forsitan magna causaberis locorum interstitia, viarum difficultates, portitorum penuriam. Negligens libenter diverticula excusationum quærit Hoc tamen opusculum *De profectu mortis* accipe, et opusculo adjunge illi quod ante aliquot dies composui, cui et pro qualitate materiei *Lacrymarum* præfixi *titulum*. Sint quidem minus idonea, quæ scriptito, nec alicui fructuosa; attamen hunc ex eis capio fructum, quod et ingeniolum exerceo, et molestias supplanto utcunque otiositatis, ut quemdam dicere nosti :

> *Animum rege, qui nisi paret,*
> *Imperat; hunc frenis, hunc tu compesce catena.*
> HORAT., *Epist.* I, II, 62, 63.

Et quoniam gestarum narratio rerum accepta tibi est, veluti si quem oblectat gramine picta florulenta planities, idcirco hujus conscriptionis aream rebus gestis tanquam variis distinguo fucis colorum. Sed quæ fueram adorsus in capite libri hujus scribere, in subsequente libro jam prosequar.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Aperti sunt igitur oculi amborum, videlicet Adam et Evæ, ubi aperuerunt ad gulam ora eatenus a Dei laude clausa. Ingrati siquidem beneficiorum, quod essent ad imaginem et similitudinem divinam facti, quod prælati piscibus maris et volatilibus cœli et bestiis universæ terræ, omnique reptili, quod movetur in terra, quod benedictione irrorati dicente Deo: *Crescite, et multiplicamini, et replete terram et subjicite eam* (*Gen.* I), quod deliciarum horto munerati, quæ amoris, quæ gratiarum actionis solemnia exhibuerunt? quæ immolata in illo munificentia Dei tabernaculo vociferationis hostia? quod immolata laudis sacrificium? Quin imo cum viderent, cum intelligerent propter dolos serpentis ex tanta se miserabiliter alleviatione dejectos, atque factos in desolationem pristinæ puritatis et innocentiæ (jam enim regnabat peccatum in eorum mortali corpore, ut obedirent concupiscentiis ejus, ita ut nuditatem mutuam erubescentes consuerent folia ficus, et facerent sibi perizomata) non solum humiliter non extremuerunt, pœnitentialiter nec occurrerunt ad vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, ad quem utique tunc profunde sibi dormientem, graviter se dissimulantem vociferari simile quid debuissent: *Exsurge, quare obdormis, Domine? exsurge, et ne repellas in finem* (*Psal.* XLIII); sed absconderunt se in medio ligni paradisi.

Num vero erat aliquod in medio illius arboris concavum, in quo absconderentur duo illi? Verum absconsio talis plus animi est accipienda quam corporis. Et o infelicem latebram damnationis, obscura, noctemque mortis parientem! Profugi æternæ claritatis, et nostræ cæcitatis parentes absconderunt se in medio ligni, dum ejus scilicet usurpationem pertinaci maluerunt superbia Deo scienti omnia reticere quam confiteri, utpote qui concupiscentiæ jam absorpti vitio essent, quod per illud contraxerant.

A Quia ergo declinaverunt cor suum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, suamque in Deum rejicere transgressionem nisi sunt, dicente Adam: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi, et comedi* (*Gen.* III); et muliere: *Serpens decepit me et comedi* (*ibid.*), justus ille Dominus qui justitias diligit, cujus videt vultus æquitatem, jam commotior, jam severior: *Ecce Adam*, inquit, *quasi unus ex nobis factus est sciens bonum et malum! Nunc autem ne forte mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitæ et comedat, et vivat in æternum* (*ibid.*), quod subintelligendum sit, emittamus eum. Sed hunc divinæ locutionis lacrymabilem nobis defectum, gemituosam acerbissimæ animadversionis B expressionem historiographus mox supplet dicendo: *Emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est* (*ibid.*). Quantum vero habeat gravitatis, quantum ponderis hoc sanctæ Trinitatis dictum: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum*, satis appendere nulla mens, nulla exprimere lingua potest, cum magis per superbiam, prævaricationem, impœnitentiam, unitus diabolo esset, atque jam miserrime experiendo malum scire cogeretur, quantum amiserit bonum. Siquidem qui decore et gloria longe supra liliorum erat gratiam vestitus, quorum et in Evangelio commendat ornatum Veritas dicens: *Quia nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis* (*Matth.* VI), igno-C miniose nudatis pellium jam usu indigebat tam pro frigoris molestia quam confusione perditi cælibatus operienda, ut scriptum est: *Fecit quoque Dominus Deus Adam et uxori ejus tunicas pelliceas, et induit eos* (*Gen.* III), id est faciendi necessitate involvit, quoniam quidem omnino esset incompetens summæ majestati animalibus pelles detrahere et sordiscariorum artificio insudare, præsertim cum ea quæ fuerint ad hoc necessaria, penes angelorum officinas quando inventa sint.

Reliquum libri hujus deest in codice.

VITA SANCTI WOLBODONIS

LEODIENSIS EPISCOPI,

Auctore REINERO monacho S. Laurentii Leodiensis

Ex Jacobo Chapeavillo et Aprili Bollandiano.

(D. MABILLON., *Acta SS. ord. S. Bened.* Sæc. VI, part. I, p. 174.)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *Multi quidem auctores beati Wolbodonis episcopi Leodiensis gesta scriptis mandarunt, at nullus mihi videtur antiquior Reinero, monasterii Sancti Laurentii Leodiensis monacho, ubi sanctus ille vir sepultus est. Hic autem Reinerus, quem Valerius Andreas in bibliotheca Belgica, Chapeavillus et Vossius in historicis Latinis existimant circa annum 1130 floruisse, ex variis scriptoribus qui de beato Wolbodone scripserant opusculum suum compegit, ipsomet attestante, ut pio fratrum suorum desiderio faceret satis. Verum quinam sint illi auctores, qui ante scriptum de ea re scripserant, non indicat, nec alias reperire licuit. Profert quidem Henschenius beati Wolbodonis elogium ex antiquo Martyrologio monasterii Sancti Laurentii desumptum, quod ipsi antiquius Reinero visum est. At, cum nihil aliud sit quam compendium eorum quæ a Reinero fusius enarrantur, sive Reinero prius aut posterius fuerit, parum interest. Cæterum præter hunc auctorem Anselmus canonicus Leodiensis et Ægidius Aureæ-Vallis ordinis Cisterciensis monachus, plura de beato Wolbodone scripserunt sæculo decimo tertio, quæ Chapeavillus tomo primo* De gestis pontificum *Leodiensium cum variis adnotationibus vulgavit. At satis visum est cæteris omissis Reineri opus proferre; ex quo nempe illi posteriores hauserunt ea quæ ab ipsis enarrantur.*

2. *Negat plane Henschenius Wolbodonem ordini Benedictino ascribendum esse, eo præcipue nixus argumento, quod in Vita a Reinero edita, Wolbodo a puero canonicus Ecclesiæ Ultrajectinæ dicatur fuisse, ac demum post varias dignitates in ea Ecclesia administratas, Leodiensi Ecclesiæ præfectus. Stabulenses tamen monachi eum sibi vindicare conantur; et quidem eum monachum fuisse scriptores antiqui simul et recentiores, tam Benedictini, quam exteri unanimi consensu fatentur, quod disertis verbis affirmat Ægidius Aureæ-Vallis Cisterciensis monachus, qui ineunte sæculo decimo tertio floruit.* Post decessum, *inquit*, Baldrici episcopi, quadragesimus octavus Leodiensis episcopus, monachus religiosus, magnæ virtutis vir, et imperatoris Henrici capellanus, beatus scilicet Wolbodo successit. *Eamdem sententiam receptam fuisse in monasterio Sancti Laurentii Leodiensis patet ex barbaris versibus, qui sub Henrico XXVI, ejusdem loci abbate, editi sunt, quorum aliquot huc referre visum est ex Molano et Chapeavillo:*

Stirpe decens, virtute nitens, Wolbodo notatur,
Præpositus pridem Trajecti, rector et idem,
Ob cælibem statum, post hæc recepit monachatum.

Non referunt illi auctores, quo in loco pius antistes monasticam vestem susceperit, sed alium quærendum non esse existimaverim præter ipsam Ecclesiam Trajectensem, in qua Wolbodo, teste ipso Reinero, institutus fuit. Ibi enim Regulæ Benedictinæ observationem, quam in ea sanctus Willibrordus constituerat, viguisse etiam tunc plus quam verisimile est. Nec obstare debet quod Wolbodonem Reinerus canonicum *appellaverit: eo enim nomine monachos fuisse donatos, qui in ecclesiis cathedralibus instituti erant, multis exemplis ostendi posset. Quin et primus auctor Wolbodonis elogii, quem huic sancto synchronum fuisse suspicatur, ut mox dicebamus, ipse Henschenius, canonici nomen, quod fortassis Reinerus, præterita cum sibi præsentibus temporibus metiens adhibuit, non habet; sed asserit Wolbodonem* sub religiosis Patribus in ecclesiasticis claustralis vitæ adolevisse disciplinis. *Idem paulo inferius scribit virum sanctum,* invitum a claustri quiete abductum *ab imperatore fuisse,* quem secum in capella aliquandiu commorari voluit. *Quæ omnia probare videntur Wolbodonem monasticis institutis fuisse addictum.*

3. *Wolbodonem anno Christi 1021 e vivis excessisse consentiunt fere omnes auctores, qua de re nulla videtur esse difficultas. Pari consensu ad diem 21 Aprilis ejus obitum consignarunt: at contendit Henschenius, veteres auctores Wolbodonis depositionem in ecclesia Sancti Laurentii, non vero ejus obitum, quem pridie contigisse putat, ad 21 Aprilis retulisse, quod non satis attendentes qui postea secuti sunt scriptores Martyrologiorum, ejusdem sancti viri obitum diei 21 illigarunt. Et quidem si anno 1021 Wolbodo excesserit e vita, cum feria quinta, prout sibi a sancto Laurentio promissum fuerat, mors ejus contigerit, dicendus est obiisse die 20; nam hæc dies anno 1021 incidebat in feriam quintam Dominicæ secundæ post Pascha. Verum, si beati antistitis obitus ad annum 1021, ut quibusdam placet, revocetur, tunc feria quinta post Pascha, dies scilicet vigesima prima Aprilis, extrema ejus dies fuisse dicenda est, quod Reineri narrationi satis congruere videtur. Verum, cum ipsemet Reinerus, Chronicon Leodiense antiquum, ejusdem urbis episcoporum catalogi, cæterique omnes antiquiores scriptores constanter Wolbodonis obitum anno 1021 contigisse asserant, Henschenii sententiam præferre visum est.*

4. *Wolbodonis memoriam in Martyrologiis amplius triginta notatam vidisse se testatur Joannes Molanus in Natalibus sanctorum Belgii, ubi ejus breve elogium refert, cum versibus a nobis supra laudatis. Ejusdem meminit in fastis Belgicis. Unde mirum non est si qui postea Martyrologia conscripsere, Arnoldus Wion, Hugo Menardus, Dorganius, Bucelinus, Ferrarius in catalogo generali sanctorum, aliique, Wolbodonis nomen suis fastis ascripserint. De eo fuse agit Meyerus in Annalibus Flandriæ ad annum 1020. Placentius, Bartholomæus Fisenus in Floribus Ecclesiæ Leodiensis, similesque auctores, quos recensere supervacaneum foret. At omittere non licet egregium testimonium, quod Baldricus Noviomensis episcopus, vir gravis ac Wolbodoni*

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Aperti sunt igitur oculi amborum, videlicet Adam et Evæ, ubi aperuerunt ad gulam ora eatenus a Dei laude clausa. Ingrati siquidem beneficiorum, quod essent ad imaginem et similitudinem divinam facti, quod prælati piscibus maris et volatilibus cœli et bestiis universæ terræ, omnique reptili, quod movetur in terra, quod benedictione irrorati dicente Deo : *Crescite, et multiplicamini, et replete terram et subjicite eam* (*Gen.* I), quod deliciarum horto munerati, quæ amoris, quæ gratiarum actionis solemnia exhibuerunt ? quæ immolata in illo munificentia Dei tabernaculo vociferationis hostia ? quod immolata laudis sacrificium ? Quin imo cum viderent, cum intelligerent propter dolos serpentis ex tanta se miserabiliter alleviatione dejectos, atque factos in desolationem pristinæ puritatis et innocentiæ (jam enim regnabat peccatum in eorum mortali corpore, ut obedirent concupiscentiis ejus, ita ut nuditatem mutuam erubescentes consuerent folia ficus, et facerent sibi perizomata) non solum humiliter non extremuerunt, pœnitentialiter nec occurrerunt ad vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, ad quem utique tunc profunde sibi dormientem, graviter se dissimulantem vociferari simile quid debuissent : *Exsurge, quare obdormis, Domine? exsurge, et ne repellas in finem* (*Psal.* XLIII); sed absconderunt se in medio ligni paradisi.

Num vero erat aliquod in medio illius arboris concavum, in quo absconderentur duo illi ? Verum absconsio talis plus animi est accipienda quam corporis. Et o infelicem latebram damnationis, obscura, noctemque mortis parientem ! Profugi æternæ claritatis, et nostræ cæcitatis parentes absconderunt se in medio ligni, dum ejus scilicet usurpationem pertinaci maluerunt superbia Deo scienti omnia reticere quam confiteri, utpote qui concupiscentiæ jam absorpti vitio essent, quod per illud contraxerant.

A Quia ergo declinaverunt cor suum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, suamque in Deum rejicere transgressionem nisi sunt, dicente Adam : *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi, et comedi* (*Gen.* III); et muliere : *Serpens decepit me et comedi* (*ibid.*), justus ille Dominus qui justitias diligit, cujus videt vultus æquitatem, jam commotior, jam severior : *Ecce Adam*, inquit, *quasi unus ex nobis factus est sciens bonum et malum! Nunc autem ne forte mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitæ et comedat, et vivat in æternum* (*ibid.*), quod subintelligendum sit, emittamus eum. Sed hunc divinæ locutionis lacrymabilem nobis defectum, gemituosam acerbissimæ animadversionis B expressionem historiographus mox supplet dicendo : *Emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est* (*ibid.*). Quantum vero habeat gravitatis, quantum ponderis hoc sanctæ Trinitatis dictum : *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum*, satis appendere nulla mens, nulla exprimere lingua potest, cum magis per superbiam, prævaricationem, impœnitentiam, unitus diabolo esset, atque jam miserrime experiendo malum scire cogeretur, quantum amiserit bonum. Siquidem qui decore et gloria longe supra liliorum erat gratiam vestitus, quorum et in Evangelio commendat ornatum Veritas dicens : *Quia nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis* (*Matth.* VI), ignoC miniose nudatis pellium jam usu indigebat tam pro frigoris molestia quam confusione perditi cœlibatus operienda, ut scriptum est : *Fecit quoque Dominus Deus Adam et uxori ejus tunicas pelliceas, et induit eos* (*Gen.* III), id est faciendi necessitate involvit, quoniam quidem omnino esset incompetens summæ majestati animalibus pelles detrahere et sordiscariorum artificio insudare, præsertim cum ea quæ fuerint ad hoc necessaria, penes angelorum officinas quando inventa sint.

Reliquum libri hujus deest in codice.

VITA SANCTI WOLBODONIS

LEODIENSIS EPISCOPI,

Auctore REINERO monacho S. Laurentii Leodiensis

Ex Jacobo Chapeavillo et Aprili Bollandiano.

(D. MABILLON., *Acta SS. ord. S. Bened.* Sæc. VI, part. I, p. 174.)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *Multi quidem auctores beati Wolbodonis episcopi Leodiensis gesta scriptis mandarunt, at nullus mihi videtur antiquior Reinero, monasterii Sancti Laurentii Leodiensis monacho, ubi sanctus ille vir sepultus est. Hic autem Reinerus, quem Valerius Andreas in bibliotheca Belgica, Chapeavillus et Vossius in historicis Latinis existimant circa annum 1130 floruisse, ex variis scriptoribus qui de beato Wolbodone scripserant opusculum suum compegit, ipsomet attestante, ut pio fratrum suorum desiderio faceret satis. Verum quinam sint illi auctores, qui ante scriptum de ea re scripserant, non indicat, nec alias reperire licuit. Profert quidem Henschenius beati Wolbodonis elogium ex antiquo Martyrologio monasterii Sancti Laurentii desumptum, quod ipsi antiquius Reinero visum est. At, cum nihil aliud sit quam compendium eorum quæ a Reinero fusius enarrantur, sive Reinero prius aut posterius fuerit, parum interest. Cæterum præter hunc auctorem Anselmus canonicus Leodiensis et Ægidius Aureæ-Vallis ordinis Cisterciensis monachus, plura de beato Wolbodone scripserunt sæculo decimo tertio, quæ Chapeavillus tomo primo* De gestis pontificum *Leodiensium cum variis adnotationibus vulgavit. At satis visum est cæteris omissis Reineri opus proferre; ex quo nempe illi posteriores hauserunt ea quæ ab ipsis enarrantur.*

2. *Negat plane Henschenius Wolbodonem ordini Benedictino ascribendum esse, eo præcipue nixus argumento, quod in Vita a Reinero edita, Wolbodo a puero canonicus Ecclesiæ Ultrajectinæ dicatur fuisse, ac demum post varias dignitates in ea Ecclesia administratas, Leodiensi Ecclesiæ præfectus. Stabulenses tamen monachi eum sibi vindicare conantur; et quidem eum monachum fuisse scriptores antiqui simul et recentiores, tam Benedictini, quam exteri unanimi consensu fatentur, quod disertis verbis affirmat Ægidius Aureæ-Vallis Cisterciensis monachus, qui ineunte sæculo decimo tertio floruit.* Post decessum, *inquit,* Baldrici episcopi, quadragesimus octavus Leodiensis episcopus, monachus religiosus, magnæ virtutis vir, et imperatoris Henrici capellanus, beatus scilicet Wolbodo successit. *Eamdem sententiam receptam fuisse in monasterio Sancti Laurentii Leodiensis patet ex barbaris versibus, qui sub Henrico XXVI, ejusdem loci abbate, editi sunt, quorum aliquot huc referre visum est ex Molano et Chapeavillo:*

Stirpe decens, virtute nitens, Wolbodo notatur,
Præpositus pridem Trajecti, rector et idem,
Ob cælibem statum, post hæc recepit monachatum.

Non referunt illi auctores, quo in loco pius antistes monasticam vestem susceperit, sed alium [illegible] *non esse existimaverim præter ipsam Ecclesiam Trajectensem, in qua Wolbodo, teste ipso Reinero* [illegible] *fuit. Ibi enim Regulæ Benedictinæ observationem, quam in ea sanctus Willibrordus* [illegible] *etiam tunc plus quam verisimile est. Nec obstare debet quod Wolbodonem Reinerus* [illegible] *eo enim nomine monachos fuisse donatos, qui in ecclesiis cathedralibus instituti* [illegible] *ostendi posset. Quin et primus auctor Wolbodonis elogii, quem huic sancto synchronum* [illegible] *ut mox dicebamus, ipse Henschenius, canonici nomen, quod fortassis Reinerus,* [illegible] *temporibus metiens adhibuit, non habet; sed asserit Wolbodonem* sub religiosis [illegible] claustralis vitæ adolevisse disciplinis. *Idem paulo inferius scribit virum sanctum* [illegible] abductum *ab imperatore fuisse,* quem secum in capella aliquandiu commorari [illegible] *videntur Wolbodonem monasticis institutis fuisse addictum.*

3. *Wolbodonem anno Christi 1021 e vivis excessisse consentiunt fere* [illegible] *videtur esse difficultas. Pari consensu ad diem 21 Aprilis ejus obitum* [illegible] *nius* [illegible] *auctores Wolbodonis depositionem in ecclesia Sancti Laurentii* [illegible] *tat, ad 21 Aprilis retulisse, quod non satis attendentes qui* [illegible] *dem sancti viri obitum diei 21 illigarunt. Et quidem* [illegible] *quinta, prout sibi a* [illegible] *Laurentio promissum fuerat* [illegible] *0; nam hæc dies* [illegible] *cidebat in feriam quintam* [illegible] *obitus ad* [illegible] *ut quibusdam placet* [illegible] *prima* [illegible] *ema ejus dies* [illegible] *nerus, Chronicon* [illegible] *tores constanter* [illegible]

[illegible] *ogiis amplius* [illegible] *reve elogium* [illegible] *non est* [illegible] *Ferrarius* [illegible] *Meyerus* [illegible]

æqualis, in libro tertio Chronici Cameracensis cap. 14 *de eo profert, paucis his verbis :* Iste siquidem omni religione præditus, normam justitiæ suis exhibuit, morumque ac vitæ innocentis exempla reliquit. *Monasterium Sancti Laurentii apud Leodium, in quo beatus Wolbodo sepultus fuit, Eraclio ejusdem urbis antistiti originem suam debet, ipsum vero inchoatum Notgero successori suo reliquit Eraclius, quod tandem a Balderico et Wolbodone continuatum perfecit Reginardus Durandi successor, qui anno* 1036, *teste Miræo in Originibus Benedictinis, e vivis excessit. Perseverat hodieque celebre sub Regula Benedictina, sicut et aliud sancti Jacobi ejusdem urbis.*

5. *Beati viri corpus in proprio tumulo, qui ex marmore fabricatus erat, ad annum* 1656 *remansit, quo die* 29 *Octobris a Josepho Sanfelicio Consentino archiepiscopo, tunc temporis ad tractum Rheni Alexandri VII nuntio inde levatum est; ac demum in mausoleo magnificentissimo, quod Guillelmus Natalis Sancti Laurentii abbas construi curavit, depositum, ubi hodieque religiose asservatur.*

PROLOGUS.

1. Mala, inquit Salomon, aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. Nam spectantium sicut quodammodo pascit oculos, si argentea cujuslibet lecti fabrefactura malis adornetur aureis, ut, quas parit natura species, ars docte assimilet, metallumque arborea videatur germina quasi parturire; sic, imo verius, studentium alit animos, vel de auro intelligentiæ spiritualis, vel de argento experientiæ moralis, apte formata, et opportune prolata eruditio. De qua licet vix quidpiam assecutus sim, tamen benevola quorumdam fratrum æstimatio per aliquantum temporis me urgebat, quatenus de domino Wolbodone episcopo, qui penes nos quiescit, aliqua memorarem; scilicet, ut ea quæ apud diversos sparsim scriptores de illo habentur, mutuata tantum ab eisdem materia, proprio dictatu congererem, et unum pluribus formarem scriptum. Sed minus idonee capit effectum : quod supra vires fuerit attentatum; quin potius juxta poetam, metiri se quemque suo modulo ac pede verum est. Proinde et ego illud sedulo mihi proponebam evangelicum : *Quis ex vobis volens turrim ædificare, nonne prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum?* (*Luc.* XIV, 28) atque metiens meipsum, penitus refugiebam incipere, quod commode non possem consummare. Attamen, non refriguit fervens petentium piaque exactio. Igitur, recepi tandem, quod spiritus pietatis, fraterno quidem ore, sed suo instinctu injungebat, ne culpa offenderem indevoti, nisi parerem aliquatenus devotioni. Et, quia defixeram apud reverendum confessorem propriæ sponsionis manum, præsentis opusculi exsolvi verbum : quod utinam sim locutus in tempore suo, id est quod fructuosum sit vel legentibus, vel audientibus : quod si cui tamen displicuerit, attendat quam magnopere exactus sum, patientiusque feret imperitiam, qui non verba cogitabit, sed materiam. Nec enim usquequaque curat de verborum apparatibus, qui proficere quærit de sanctorum virtutibus.

INCIPIT VITA.

2. Claræ nobilitatis Wolbodo genus ex Flandria duxit (10*), sed claritatem generis clariore illustravit vita, eruditione, et pontificali prærogativa. Hic a pueritia primitivo flore, quasi lilium candens, bonæ indolis spirare cœpit odorem, dum traditus scholis, etiam ultro ad omne bonum aspiraret documentum; docibilisque sensu ac ingenio mansuetus, ex suis jam tunc studiis faceret intelligi, quod munda et recta essent opera ejus. Igitur ut ætate, ita litterariis proficiebat incrementis, poeticumque exercebat illud non segnis:

> *Nunc adhibe puro*
> *Pectore verba, puer : nunc te melioribus offer.*
> *Quo semel est imbuta recens servabit odorem*
> *Testa diu.*
>
> HORAT., *Epist.* I, II, 67-70.

Nec vero defuit piorum cura parentum : qui præ cunctis opibus suis hunc habentes pretiosum, modestis atque illustribus pædagogis commiserunt et magistris; quatenus claro institutionum auro tam charum sibi adornarent sapphirum, qui et mentis et faciei sereno, cœlestis quodammodo æmularetur firmamenti serenum. Nam boni parentes hanc suis debent filiis diligentiam, ut bene instituantur. Philippus Macedonum rex, tam litteris quam militaribus gestis egregie potens, dum Aristoteli philosopho scriberet natum sibi esse Alexandrum : « Equidem diis habeo, inquit, gratiam, non tam proinde quia natus est, quam pro eo, quod nasci eum contigit temporibus vitæ tuæ. Spero enim fore, ut educatus et eruditus abs te, dignus existat et nobis et rerum susceptione regalium. Sed humanæ insitum est naturæ, quod libentius docendi labor assumitur, si beneficia labori compensentur. Scribitur autem dignum esse operarium mercede sua, nec infrenandum os bovi trituranti, bonasque artes stimulo præmiorum felicius incitari. Itaque bonis habenda

(10*) Joannes Meyerus ad annum 1020 Wolbodonis patrem asserit fuisse Godefredum comitem Montensium, matrem vero Joannam Balduini Junioris Flandriæ comitis filiam : at hæc quo fundamento?

et gratitudo magistris, quod non litteris solum; sed, quod probabilius est, ad bonos etiam mores suos informent scholares. » Unde et Symmachus (11) vir clarissimus, Romanæ urbis præfectus, Theodosio scripsit Augusto : Inter præcipua negotiorum sæpe curatum est, ut erudiendis nobilibus philosophi præceptores ex Attica poscerentur. Itaque nonnullos jus et auctoritas publica in usum nostræ urbis accepit, domine imperator; nunc vestri sæculi bonitas ultro optimatem sapientiæ Romanæ gymnasiis arrogavit. Siquidem Celsus, ortus Arthemio patre, quem memoria litterarum Aristoteli supparem fuisse consentit, juventuti nostræ magisterium bonarum artium pollicetur, nullum quæstum professionis affectans; atque ideo dignus in amplissimum ordinem coaptari, ut animum vitiis avaritiæ liberum dignitatis præmio muneremur. Sidereum ergo est æternitati numinis vestri, hunc genere, eruditione, voluntate laudabilem, adjudicare nobilibus pignore dignitatis, cum prærogativa scilicet consulari, ne sumptum ejus magis quam magisterium quæsisse videamur non sine avaritiæ nota, si ab eo munia publica postulemus, qui spondet gratuita præcepta.

3. Igitur Wolbodo, pudoratus adolescens, bene institutus, ac semper in anteriora se extendens, ibat de virtute in virtutem; et summopere sobrietati studens ac pudicitiæ, sicut Samuel in tabernaculo Domini, sic penes ecclesiam vel claustrum erat assiduus, et ne lenociniis feteret sæcularibus, foras evagari omnimodo refugiebat Christi Nazareus. Quippe, ut scriptum est : *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea* (*Eccli.* XIII, 1); sic non erit alienus a contagio, qui curiosa sectans non se subtraxerit a sæculo. Dehinc juventute spectabili ut palma florens : nam et procero corpore, et membris erat directis, omnes in clero præcellebat Ecclesiæ Ultrajectensis, in qua etiam fuerat canonicus a puero, quæ tunc temporis religione pariterque divinis et humanis vigebat disciplinis. Magister denique scholarum factus, erudiebat multos; quoniam instar sancti Job, lucerna Domini splendebat super eum, et Domini appropinquans pedibus, accipiebat de doctrina illius. Itaque pro gradu, pro ætate, pro capacitate singulorum, affabilis et benignus, secundum Apostolum erat omnibus omnia factus. Ad præposituram deinde majoris ecclesiæ promotus, satagebat tanquam fidelis dispensator et prudens, qualem in Evangelio commendat Dominus, dare in tempore tritici mensuram confratribus suis, ut solertior non fuerit quondam filius accrescens Joseph horrea dispensare Pharaonis. Nec tamen pro

A cura exteriorum curam negligebat interiorum, sed pie severus, discrete districtus, omnem cohibebat indisciplinationem; practicæ quidem ut Martha, theoricæ insistens ut Maria. Quoniam ergo canonicus *regularis* interpretatur, opportune, importune arguebat subditos, et obsecrabat tam moribus quam habitu esse regulares, illud attendens Salomonis : *Tene, fili, disciplinam, ne dimittas eam; custodi illam, quia ipsa est vita tua* (*Prov.* IV, 13)

4. Imperator Henricus (12), qui propter insignia virtutum generisque claritudinem agnominatus est Gloriosus, Wolbodonem magni habebat, præcipuoque censebat loco inter amicos, et interdum detenti secum in palatio fruebatur familiaritate, consiliis ac B religiositate. Qui scilicet orthodoxus princeps, unice sancto Laurentio devotus, Babenbergensem ecclesiam, ad illius titulum constructam et dedicatam, possessionum atque opum munificentissima liberalitate donavit, et honore extulit, quatenus sedes ibi pontificalis haberetur. Proprii namque corporis hæredem non habens, Christum et ejus martyrem rerum devovit suarum nec non patrimonii hæredes habere, ut puta qui ante regnum vel imperium, dux fuisset præpotens Bajoariorum.

5. Interea Baldrico (13), ut genere, sic vita et memoria illustri episcopo diem obeunte, qui suæ diœcesis ecclesias multimodis quaquaversum rebus provexit, ad postremum vero in insula hujus urbis Sancti Jacobi fratris Domini fundavit cœnobium, C directa est ad imperatorem legatio Ecclesiæ Leodiensis, alium sibi pastorem substitui per litteras virosque industrios expetentis. Erat quippe tunc regiæ potestatis sive juris, episcopos ad suum electos arbitratum, per annulum et baculum pastoralem investire, nec non destinare ecclesiis cum sua commendatione; sed attente curabant religiosi principes in hunc honorem tales assumere, qui regno subjectisque possent prodesse, ut profuerunt plerique diversis temporibus per diversa loca. Gloriosus itaque imperator, qui gloriam Christi quæreret, tractabat, quem daret Leodiensibus pastorem : quibus et Wolbodonem assignavit, quo digniorem nullum attenderet. Hic indignum se profitens, precibus et lacrymis contra nitebatur, acquievit tamen pos- D tremo, ne diligentem se admodum principem contristaret, imo ne jacturam obedientiæ aut notam pertinaciæ incurreret. Missus itaque cum auctoritate augustali, exceptus est magno assensu et gaudio cleri ac populi : nec enim per ambitum sumebat sibi honorem, sed vocatus a Domino tanquam Aaron. Proinde quia faciebat illum Dominus crescere in

(11) Videtur is fuisse orator celeberrimus, qui a Romano senatu Constantinopolim missus est ad ejusdem Theodosii liberos, rogaturus ut vestales a Christianis non destruerentur, cujus orationem S. Ambrosius et Prudentius refutarunt.

(12) Henricus cognomento Sanctus, qui cum Cunigunda sanctissima uxore episcopatum Bambergensem fundavit anno 1007 : primus ibi institutus est antistes Eberhardus, qui hanc sedem usque ad annum 1042 religiose administravit.

(13) Baldricus Notgeri successor, episcopus Leodiensis, anno 1017 e vivis dicitur excessisse : cui eodem anno ab Henrico imperatore Wolbodo substitutus est. Utrumque anno sequenti consignat chronographus Magdeburgensis cum Sigeberto.

plebem suam, benedictionem accepit a Domino; atque ut sacerdotio illo fungeretur, vestitus secundum Aaron vestem sanctam in gloriam et decorem, sacratus est in episcopum a sancto Heriberto Coloniorum archiepiscopo.

6. Quia igitur hic pastor intravit per ostium in ovile ovium, illi ostiario aperiente, id est Christo, ad instar David pascebat Israel Christianum; pascebat, inquam, hæreditatem Christi in innocentia cordis sui, et in intellectibus manuum suarum deducebat eam. Et quidem faciebat prius, quæ postea doceret; ideoque ut monet Timotheum Apostolus, attendebat lectioni, exhortationi, doctrinæ, exercens quam maxime seipsum ad pietatem, quæ, sicut idem definit Magister gentium, ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est et futuræ. Erat itaque erga pauperes tam liberalissimæ pietatis, ut si deesset interdum quod largiretur, tapetia, urceolos, pallia, seu alia quævis episcopii ornamenta clam sibi ipsi sublegeret, atque nocturnis maxime horis distribueret egentibus, quæ scilicet a camerariis ac ministerialibus erat redimi necessarium. Quid nempe memorem illius in orationibus seu vigiliis instantiam, dum plerumque noctes etiam hibernas transegerit insomnes, aut sanctorum oratorio circumeundo, aut misericordiæ operam infirmis et pauperibus impendendo, qui secretius, ipsomet dictante, per nota eum diverticula viarum observabant? Filius quidem lucis ambulabat per noctem, quoniam ad verum tendebat diem; videlicet ambulabat in tenebris, quoniam nitorem oderat vanæ ostentationis, juxta Dominicum illud : *Te faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in absconso; et Pater tuus, qui videt in absconso, reddet tibi* (*Matth.* VI, 3). Attestari denique solebat quidam illi familiarior, quod, cum pedes ejus lavaret, frigore et glaciali viarum deprehenderit asperitate adustos, sanguinemque ab interioribus elicitum in superficie cutis occalluisse. Adeo ut Christi luminosum fratrem Jacobum imitatus sit, qui orando ad Patrem luminum, pro assidua genuflexione callos in modum cameli scribitur contraxisse in genibus.

7. *Ignis*, ait Dominus ad Moysen, *in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies, et imposito holocausto desuper, adolebit adipes pacificorum* (*Levit.* VI, 12). Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari. Ardens sane Wolbodo igne charitatis in Deum et proximum, nutriebat illum veluti sacerdos officiosus in altari sanctæ meditationis; operumque subjiciens ligna bonorum, holocaustum desuper eleemosynarum, quasi adipes adolebat pacificorum. Nec enim vacabat mensalis illius refectio, a ferculis dilatatæ largitionis, dum lautiora quæque et delicatiora sibi apposita Christo dispertiret, hac vel illac infirmis et indigentibus mittendo; se vero pane cibario atque escis communibus, quanquam longe citra saturitatem, reficiendo. Jure igitur ad illum sancti Job derivatum sit præconiale : *Si negavi, quod volebant, pauperibus; si oculos viduæ exspectare feci; si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea* (*Job* XXXI, 17). Potissimum tamen quos Deum timere et mandata ejus observare nosset, commendabat verbis, honorabat donis; quamlibet a nullo miserationis subtraheret manum, dicens cum Apostolo : *Sapientibus et insipientibus debitor sum* (*Rom.* I, 14). Nec forte insipidum prorsus æstimo, si rem hic inseram Græco sale conditam. Herodem Atticum consularem virum et amœno civilem ingenio, adiit palliatus quispiam et crinitus, barbaque pubetenus porrecta, petiitque sibi æs donari. Tum Herodes interrogat quisnam esset? Ille vultu vocisque sonitu objurgatorio philosophum sese profitetur; demirari autem cur quærendum putaverit, quod videbat. « Video, inquit Herodes, barbam, et pallium; philosophum necdum video. Sed cum bona te venia, quæso, dicas mihi, quibus nos uti posse argumentis existimas ut esse te philosophum experiamur? » Stomachante illo, tum vero qui aderant erraticum esse hominem et nullius rei dicere, quin imo incolam sordentium esse ganearum, ac nisi accipiat quod petit, convicio turpi solitum incessere. « Demus, inquit Herodes, *huic aliquid* æris, cujuscunque modi est; demus, tanquam homines, tanquam non homini. » Jussitque dari pretium panis triginta dierum.

8. Enimvero ut ad nostrum redeam Wolbodonem, maledici quidam averterunt ab eo pristinam Augusti benevolentiam, detractionum serentes zizania, de quibus est dictum : *Susurro et bilinguis maledictus; multos enim turbavit pacem habentes* (*Eccli.* XXVIII, 15). Verumtamen pacis sectator, qui fideliter Cæsari redderet quæ essent Cæsaris, et quæ Dei Deo, suorum consultu fidelium paravit xenium Cæsare dignum, quo illius contra se tranquillaret animum, non ignorans illud de Proverbiis : *Time Dominum et regem : sicut enim rugitus leonis, ita et terror regis* (*Prov.* XX, 2). Itemque illud Petri apostoli : *Deum timete, regem honorificate : hæc est enim gratia, si propter conscientiam Dei sustinet quis tristitiam, patiens injuste* (*I Petr.* II, 17). Præterea retractans et illud : *Cor regis in manu Dei quocunque voluerit, inclinabit illud* (*Prov.* XXI, 1), cœlesti rege placato, terreni facilius regis posse indignationem sustineri; ut excuteret manus suas sicut ab omni, sic etiam ab isto munere, quidquid congessisset pecuniæ, dispersit et dedit pauperibus, perinde ut ne unam inde quidem siliquam retineret. Coloniam deinde profectus, ubi tunc idem imperator agebat Natale Dominicum, se illius præsentiæ exhibuit, grandia exspectantis a Wolbodone auri et argenti talenta. Interrogatus, superno imperatori quæcunque attulerat se per manus pauperum attribuisse, submisso et gratanti ore respondit, quatenus illum summus imperator illiusque tueretur semper imperium. Augustæ civilitatis Cæsar, quod sanctum Laurentium esset imitatus, cui erat et ipse devotissimus, sereno accepit animo et vultu, dum terso protinus omnis

offensæ vel scandali nubilo, sibi congratulans et amplexans fecit considere. Majore igitur est habitus gratia Wolbodo nihil dando, quam cæteri qui multa dederant episcopi, palatinorum frivolos favores, aut mimorum plausus et facetias appetendo.

9. Quoniam quidem scriptum est : *Qui conscientiæ servat munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem* (*Prov.* XXII, 11). Idem nihilominus imperator archiepiscopo Heriberto graviter erat diuque infensus, et dicere causam opportunum est. Otto hujus nominis imperator III Crescentem Romanorum patricium contra se rebellantem, bello Romæ aggressum vicit; fugientem, sed retractum ex fuga, cepit; abjudicatum, et vili jumento averse impositum, circumduci per Urbem fecit, paulatimque truncatum membris, ante muros ad ultimum suspendi jussit. Hujus uxor, spe imperandi, imperatorem ad suum illexerat amorem; sed, cum doleret repatriantem, et nuptiis se frustrari, misso clam veneno illum infecit. Roboam Salomonis minutus prudentia legitur; sed non minus imperatorem istum dixerim minoratum sensu, qui mulierculæ insolenti et lascivæ cujus tam dedecorose tractasset maritum, cujus parentes, Romanamque rempublicam damnis admodum profligasset ac mortibus, se crediderit, se acclinaverit. Fugit Ottonem, quod in libro Sapientiæ scribitur : *Non est caput nequius super caput colubri; et non est ira super iram mulieris. Commorari leoni et draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam. Nequitia mulieris immutat faciem ejus, et obcæcabit vultum suum quasi ursus* (*Eccli.* XXV, 22). Per hanc itaque ursam actus est Otto in mortem, et agens in extremis, Heriberto Coloniensi archiepiscopo, qui tum aderat, et cui potissimum confidebat, insignia imperii commendavit, ut ea scilicet illi assignaret, quem communis electio et assensus principum in regnum substituisset : nam carebat filiis. Dum milites autem Transalpini corpus ejusdem defuncti transportarent ad Galliam, pluribus Italorum insidiis atque incursibus lacessiti sunt; sed viam sibi haud segniter armis paravere. Verumtamen cum in tuto jam esse res putaretur, Henricus, de quo nunc mentio est, imperator, dux Bajoariæ tunc existens, in archiepiscopum ad quem spectabant, et cui parebant omnes, insurrexit, atque ab illo insolentius injuriato, eadem insignia per vim extorsit, dicens : Hæreditario sibi jure illa competere : suum etenim fuisse avum, fratrem primi Ottonis imperatoris Henricum. Hoc seminarium simultatis et discordiæ apud Cæsarem contra archiepiscopum fuit, quem et molestius æquo aliquoties insectatus est. Porro, ad pœnitentiam divino tandem timore compunctus, mediante et elaborante ad bonum concordiæ acceptissimo ambobus Wolbodone; nunc, uti præmissum est, Coloniæ degens, humillima satisfactione archipræsuli est eidem reconciliatus.

10. Qui Dominicum Pascha dum Leodii postmodum celebraret, interpellatus est a fratribus Baldrici episcopi, de quo prælibatum est, eidem Augusto pro sua nobilitate et industria gratissimis, quatenus pietate prospiceret imperiali cœnobio Sancti Jacobi, quod idem frater eorum fundaverat quidem; sed præventus morte reliquerat imperfectum, ac sine providentia tutoris alicujus desolatum. Itaque cum magna nobilium plebisque frequentia imperator venit ad locum; cryptam intravit ad nomen sancti Andreæ apostoli exstructam et reliquiis consecratam : quas, ipse scilicet Augustus, venerabili Baldrico, tanquam mutuæ affectionis pretiosum pignus, dono dederat. Cujus et tumulum illic corpore quiescentis adveneratus : « Tibi, o episcope, inquit, Wolbodo (nam aderat præsens) tibi, o dilecte nobis, hunc pauperem locum, hanc vice nostra committo ecclesiam. Tu pupillæ pater ac sedulus sis tutor, et de bonis, quibus eam tuus subarrhavit antecessor, opus perficias imperfectum. » Dehinc munificam fecit super altare oblationem. Episcopus ergo, quanquam multis aliis curis detentus, loco tamen illi paterne superintendebat ; cui et præfecit Olbertum, Gemblacensis Ecclesiæ abbatem, virum virtutibus, religione, sapientia summe spectabilem : qui etiam studio vigilanti, episcopo cooperante, ut idem cœnobium perficeretur, instituit; in quo et post felicem a sæculo decessum, jam senex emeritus, accepit sepulturam.

11. Cæterum ad idem tempus Fresones debellabat Gandavensis comes Theodoricus (14), eo quod illius occiderint patrem Arnulphum. Ad quem inhibendum imperator Godefridum Lotharingiæ ducem cum exercitu misit : et cum succedere pax non potuisset, condicto die in pugnam pars utraque processit. Jam in sese acies concurrebant, dum novo repente monstro pertonuit vox terrifica, nescitur unde emissa : Fugite, fugite! Hinc attonitus cum suis dux ac terroris quadam vertigine actus, diffugium fecit. Perstitere vero Fresones, paucique plurimos cecidere adversariorum, ipso insuper duce capto, quoniam reputarent doli ac proditionis causa prælio illum excessisse. Permotus est imperator cum audis et, atque Wolbodonem cum legatis Fresoniam misit, quod genere et sanctitate clarus eo locorum haberetur. Qui etiam, ut ait Salomon : *Legatus fidelis sanitas; et sicut frigus nivis in die messis, ita legatus fidelis ei qui misit illum, animum ejus requiescere facit* (*Prov.* XIII, 17), sua effecit industria, ut et captivitate dux solveretur, et illata duci et regno injuria Fresonibus ab imperatore donaretur.

12. Leodium inde regressus, Dominicum Pascha devotione solita et spirituali gaudio celebravit, utpote cujus esset mos, paschalia quot diebus in sancto altari celebrare mysteria, verique Agni carnes igne passionis assas edere, quas profecto veluti cum

(14) De hoc bello nonnulla habet Sigebertus in Chronico ad annum 1018 et sequentem. De hujus Theoderici et Gandavi comitum familia videsis Andream Chesnium, in Historia familiarum Gisnensium, Andrensium et Gandensium in præfatione libri II.

accrescens Joseph : filius accrescens, qui, postea- A quam Deus Jacob divertit ab oneribus dorsum ejus, postquam manus ejus in cophino servierunt, adeo accrevit, quatenus propter prudentiæ et gubernationis summatem industriam Salvator mundi ab Ægyptiis appellaretur, sapiens plane et intelligens, qui propter innocentiam atque castitatis prærogativam gubernacula possideret.

Dorda interpretatur *generatio scientiæ;* Mahol, *indulgentia*. Et generationem accipimus patriarcharum ac prophetarum, videlicet filiorum Jacob, viri admodum indulgentis : quibus universis Salomon præfertur in sapientia.

CAPUT V.

Quia igitur, Wilelme, secundum Petri apostoli dictum, *adversarius noster diabolus, tanquam leo rugiens,* B *circuit quærens quem devoret* (*I Petr.* v), pudico cuique ac sobrio curandum magnopere est, quo munditiæ et castitatis vitet scandala, consessus, susurros, pellaciasque muliercularum. Equidem illorum superabundat numerus, quorum status aut concussus, aut eversus per illas est, dum etiam monasticorum maximus grex (flagella te pugnis et percute, evangolici exemplo Publicani, o vir lacrymose) in hanc conspiraverit disciplinam, neque scriptis, neque exemplis potest aliquibus impetrari, ne fratres sororibus, sorores fratribus justo impensius liberales sint.

Recordor præterea quemdam splendide et magni habitum apud sæculares reclusum nostra ætate plus quam sæculariter concidisse. Obtentu sanctitatis, C quam simulabat, frequentabatur, plurimum conferebantur ei plurima, illis utique similando, quibus a Domino dictum est : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, qui comeditis domos viduarum oratione longa orantes. Propter hoc amplius accipietis judicium* (*Matth.* XXIII). Solebat ille aliquando, festivis maxime diebus de cellula clam exire, et quia in monte solitarius manebat, in quolibet defosso delitescere loco, veluti gravaretur inquietari, et contemplationem seu orationes impediri. Sed intravit mors per fenestras ejus, eo quod juvenculæ ministranti sibi, atque per hoc licentius adhærenti se nimium acclinaverit, nec ab ore suo, auribus vel oculis, nec a cellulæ fenestra lascivam compescuit, cæcus et insulsus, qui nosset videre et scire, quia D de periculo animæ illius ageretur. Ideo irretitus est circumplexusque funibus peccatorum simul et castimoniæ incestator et propositi desertor factus, et cum illa pellice sua, imo et noctua per noctem tanquam diei fugax et reclusione profugit pecunia suffarcinatus, quam congessisset.

Noveras vero et tu ipse quosdam, fortissime, religiosos, qui fortiter aliorum minima ventilarent, et sua sic maxima tanquam diploide ex pilis caprarum palliove saccino adumbrare vellent, viros virtutis, qui velut clavam Herculis librarent in subditos illud Salomonicum : *Qui minima negligit, paulatim decidet* (*Eccli.* XIX), quasi et de istiusmodi Christus non dixerit : *Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes* (*Matth.* XXIII). Atque alibi : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia : sic et vos a foris quidem paretis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate* (*ibid.*).

CAPUT VI.

Non autem solummodo patenter hostis ille antiquus, qui passus est ruinam cum suis sequacibus magnam, congressus facit ut leo, sed quoniam serpens quoque est Evæ seductor, quoniam Draco magnus est mundi veneficator, latenter etiam bonorum ruinæ invigilat et insistit omnibus nocendi artibus, innumeris phantasiarum machinis urgens tam vigilantes quam dormientes.

Atque aliquando cum super hujusmodi frater invicem tractaremus, ac de gestis sanctorum codicem revolveremus, occurrit lectio, quæ memoraret, quod fuerint duo fratres Picentina oriundi provincia, Victorinus et Severinus. Hi floridæ juventutis post utriusque parentis obitum omnem relictam sibi substantiam vendiderunt et pauperibus erogaverunt, quatenus apostolorum instar relinquentes omnia mercede donarentur apostolica. In remotiore igitur loco fabricaverunt sibi cellulam, in qua degebant communiter. Nihil erat illis proprium, nihil tamen deerat necessarium : alter alteri serviebat et se invicem suis ædificabant virtutibus, nec aliquando sejuncti mutua seipsos custodia pædagogabant, quatenus de illis jure diceretur : *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum* (*Psal.* CXXXII).

Porro, Victorinus in altiora nitens, et quemdam descensum reputans esse non ascensum perfectionis, fraterna saltem cohabitatione, solatio et convictu frui, solitariumque pluris judicans, cum dicat Ecclesiastes : *Melius est duos simul esse quam unum; habent enim emolumentum societatis suæ : si unus ceciderit ab altero fulcietur* (*Eccle.* IV), fratrem deserit, ad eremum se confert. Præruptæ celsitudinis rupem fluvius præterfluebat, illic arctissimum ambit specum. Gratis habere gaudet, quos artifex natura exstruxit parietes. Erant ejusmodi, ut non jacendo, sed sedendo tantum acquiescere somno posset. Si admisisset hospitem, stare oportebat admissorem. Postes ostiolum muniebat viminibus intextum. Munia vigiliarum, orationes, jejunia, lectiones sacræ frequentabantur. Sed qui Adam et Evæ inviderat paradisum, invidit etiam Victorino tantæ operositatis palatium. Insidiatur, circuit ille præambulator terræ, instruit dolum, quo contrarium sibi advenam cœlis defraudet.

Qui solet ergo se in angelum transfigurare lucis, transfigurat se in puellam, ac veluti palpando impingens fores concutit eremitæ, queritur noctem tenebrosam, exaltat planctus, et lacrymas fingit, se erroneam incurrisse spinetorum avia, dentes metuere ferarum, petere autem unius solummodo noctis.

hospitium. Miseretur homo miseræ, veretur culpam, si neget hospiti susceptionem; nec enim credere hostem poterat, sed hospitem. Aperit ergo et suscipit. Nec horæ spatium adhuc decesserat, et qui putabatur puella, dum sese assiduo motu interim tentator conversasset improba moliendo (nam penitus impatientes sunt quietis dæmones testante Isaia : *Non est pax impiis, dicit Dominus* [*Isa.* LVII]) virum, quem cogitationibus jam irreligiosis inquietaverat, protenso ad extremum pede perstringit et scorpii more aculeati veneficans, inexperto eatenus calore succendit, maxime cum accuratus admodum quadam vernaret decentia vultus, oculique stellantes ipsis micarent in tenebris. Illecebrosus deinde ac mollis sermo trahit ad contagium. Quis confidat sibi? Sancte Spiritus, quam dissimilis est tuus calor a tali calore! Quomodo exstinguatur ignis noxius in cujusquam corpore nisi per tuum rorem? Tui solius est continentiæ donum puritatisque custodia.

Sed victus est Victorinus, et, priusquam humiliaretur, deliquit, quoniam ex seipso erat docendus non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Nam casui ejus et ipse antiquus seductor atque caducus apostata insultans hos in illum cachinnos delatrabat : « Quid eremita modo probatissime, quem gravabat etiam fratris societas? en sociatus es alteri, et castitatem inter silvæ scopulos perdidisti, quam inter sæculi servaveras anfractus. Inexpugnabilemne vel apud solitarios arbitrabaris pudicitiam? Cautela ubique opus est, et apud sæculum, et apud eremum : tentari sanctitas potest. Hanc impugno semper, interdum expugno. » Tunc putidi ad instar fumi a complexu evanuit.

CAPUT VII.

Qui vero miseretur omnium Dominus, et nihil odit eorum quæ fecit, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam et parcens illis, eo quod non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, misertus est Victorini, et convertit ad pœnitentiam ut viveret. Reversus siquidem in se post tentationem abrupit moras, rediit ad fratrem, et quanquam præ confusionis rubore suspenderit diu vocem, postremo tamen ei notum fecit lacrymabile suum, et Christiane cogitans et catholice sperans, *quia apud Dominum misericordia et copiosa apud eum redemptio* (*Psal.* CXXIX); et illud : *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur* (*I Cor.* XI), judicem sui ipsius et vindicem seipsum statuit, ut tam severa prædamnaret sententia. Fidit arborem, manumque inseruit, et fissuram cuneis pessulatam adeo præclusit, quod nec retrahere nec movere penitus posset, incarceratione videlicet unius membri totum corpus incarcerans.

At Severinus et fratris commissum, et inclementiam pœnæ illius diœcesis episcopo suggessit. Episcopus veniens Victorini exsolvere nodum voluit, et ad discretionem attrahere modum pœnitentiæ. Sed ille nullatenus acquievit apostolico bene inductus oraculo : *Scimus, si terrestris domus nostra hujus habi-* A *tationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis* (*II Cor.* V). Contra nec episcopus molestandum censuit (erat siquidem episcopalis et vitæ et scientiæ), sed bonum sustinentiæ finem benedixit et abscessit. Itaque Victorinus exhibebat corpus suum hostiam viventem, Deo placentem, rationabile obsequium suum orando, vigilando, jejunando. Nam cæteris omnino diebus abstinens, die tantum Dominico pauxillum panis et aquæ sumebat etiam a fratre compulsus, qui germano vere prædicabilis affectu pœnitebat cum pœnitente, nil aliud cibi aut potus percipiens quam frater.

Compara, o Wilelme, Joannis Baptistæ et istorum prandia. Illum eremi cocum, locustas ad solem B qui coqueret, quibus cum silvestri melle cibabatur. An dubites delicatiorem pœnitentibus, qui cum Psalmista cinerem tanquam panem manducabant et poculum suum cum fletu miscebant? Qui æque ut Joannes mollibus ex pilis camelorum purpurati, zonisque pelliceis circa lumbos erant præcincti, cum nostris quibusdam abstinentibus et legisperitis. Decem ferculorum decalogus vix sufficiat, et decem mutatoria vestimentorum, benedictio, quam obtulit Naaman Syrus Elisæo prophetæ.

CAPUT VIII.

Mi amice, quam cito delinquitur, quod diu pœnitendum sit! In momento infligitur plaga, quæ diu sit medicanda. Pro una diabolicæ subreptionis abu- C sione adeo se Victorinus afflixit! Nec edici facile potest tam arduum genus pœnitentiæ, si perpendantur incommoda necessitatesve, quas tulerit homo sic affixus. Non attendant hoc multimode peccantes, tepide confitentes, tenere pœnitentes, qui dum a confessoribus oleum et vinum opportune ignaris infundere multantur, sed nimium citra excessus, per qualemcunque tamen pœnitentiolam a qualicunque æstimant se peccato citius enodari quam aliquos funes seu vincula ruperit Samson. Nec vero peccare quiescunt, sed ad nauseam usque iterant, quæ pœnitenda sint, neque venialia, quidem, sed criminalia, cum scriptum sit : *Maledictus, qui in spe peccat.* Dei abutuntur patientia illud temere usurpantes, scilicet *miserator et misericors Dominus, longanimis* D *et multum misericors* (*Psal.* CII), quasi non alibi dicatur : *Tacui, semper silui, patiens fui, sicut parturiens loquar?* (*Isa.* XLII.)

Legisti presbyterum de pago fuisse Abricantino, qui deditus carnali concupiscentiæ vivebat detestabiliter, instarque filiorum Heli, filiorum Belial, per incontinentiam monstrabat, quod nesciret divina neque officium sacerdotis ad populum. Per illum ergo detrahebant homines sacrificio Domini, quia cujus improba est conversatio, restat ut ministerium illius improbetur a populo. Hic tamen interdum compungebatur. Sed, quoniam radices firmæ compunctionis non habebat, cito ad impulsum libidinis vellebatur, cito in tempore tentationis a sobrietate recedebat.

Verumtamen pro suis enormitatibus Romam singulis peregrinabatur annis, Apostolorumque limina Petri et Pauli revisebat. Quid autem hoc proderat se non emendanti? Posteaquam repatriasset, ut canis ad vomitum, ut sus ad volutabrum luti, ad immunditiam revertebatur non recogitans stultus, quia nil valet pœnitentia, nisi emendetur culpa. *Qui baptizatur a mortuo*, dicit liber Sapientiæ, *et iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius? Sic homo, qui jejunat in peccatis suis et iterum eadem faciens quid proficit humiliando se? Orationem enim illius quis exaudiet?* (*Eccli.* XXXIV.)

Nono itaque anno cum de Roma irritator redisset ille, horrifica morte interiit, quandoquidem, quod dictu quoque pudendum sit, inter fetidæ voluptatis amplexus exhalavit animam inferni fetoribus intrudendam.

Accidisse hoc idem apud nos recenti tempore non ignoras. Militaris quidam admodum sæcularis et incestuosus cum noctu tenderet ad officinam pellicis, tetrum imo intolerabilem se putorem sentire exclamavit ad comitantem se armigerum. Diu illecebris abusus merito tali prænuntio uti debebat, et prænosse, qualis auræ oblectamentum maneat voluptuosos, eadem nocte meretricando et ipse suffocatus.

Filii autem *hominum usquequo gravi corde?* (*Psal.* IV.) Quam multi libidine nigrantur, et quoniam *stultorum infinitus est numerus* (*Eccle.* I), quot sunt, qui candeant castitate? Sed prætenditur conditionis fragilitas, quasi nullo labore proveniat frumentum, virtusque tam aurosa constet gratuito. Quanta castigatione mentis et corporis possideatur castitas, præmonstraverunt Patres, qui candida simplicitate floridi suspirabant sibi cœlitus pennas sicut columbæ, quatenus a terrenis volarent et requiescerent ideoque elongabant fugientes et manebant in solitudine, ut ille solitariorum splendidissimus, de quo hymnizamus :

Antra deserti teneris sub annis
Civium turmas fugiens petisti,
Ne levi saltem maculare vitam
Famine posses.
O nimis felix meritique celsi,
Nesciens labem nivei pudoris!

Videre et audire sæcularia magni sæpius est detrimenti. Inter delicias gregesque muliercularum qualiter conservetur castitas? Super hac scholares tuos sedulus et dulcis admonebas, cum ego interdum superveniens honestis adgaudebam studiis, et aliqua interbalbutiebam, ut illos poetæ versiculos :

Fingit equum revera docilem cervice magister
Ire viam, quam monstrat eques. Venaticus ex quo
Tempore cervinam pellem latravit in aula,
Militat in silvis catulus. Nunc adhibe puro
Pectore verba puer, nunc te melioribus offer.
Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu.

HORAT., *Epist.* I, II, 64-70

A

CAPUT IX.

Jam triennali patibulo Victorinus fatiscebat, sed carne non spiritu, ut in eo veraciter illud sancti viseretur : *Induta est caro mea putredine et sordibus pulveris; cutis mea aruit et contracta est; comparatus sum luto, et assimilatus sum favillæ et cineri* (*Job* VII), cum venerabilis, quem prædixi, episcopus, et tota undique vicinia tantæ satisfactionis instantia et attritione compuncta irruit ad locum, ac licet invitum renitentemque ex illa enodavit arbore, victoriosiorem utique illo, qui nos tam confusibiliter innodavit vetitam præsumendo arborem in paradiso. Verumtamen illius austeriorem quam præmiserim, fuisse pœnitentiam et mirabiliorem absolutionis modum alias legi, quod scilicet præ-
B dictæ arboris cavo utramque manum incluserit, et de illa triennio terram pedibus non attingens pependerit, atque dum violenter a populo deponi vellet, triduanum supplicaverit super hoc jejunium fieri, et ita demum per ignem cœlitus cum tonitru ruentem laxatum, exustis, quibus fuerat constrictus, nodis, non minore videlicet placationis ad Deum indicio, quam cum gratifica Patrum holocausta superno quodam assumebantur incendio. Qui ergo patientia ipsam vicisset hominis naturam, spectabili sanctitate ac modo vivebat angelorum, operatione virtutum apostolicus et contra dæmones victoriosus, etenim manus Domini erat cum illo. Propterea, cleri ac populi votivo assensu Amiterninæ
C levatus est urbis episcopus (nam *qui se humiliat, exaltabitur*, dicit Dominus [*Luc.* XIV]), atque subditos sibi velut Moyses mansuetissimus regebat sacrarium pietatis et indulgentiæ, quandoquidem lapsus didicisset lapsorum culpis ignoscere. Qui etiam sub Nerva Cæsare est assecutus martyrium, et secundo Adam, id est Christo dum militat, cum victrice palma transiit ad paradisum.

Nec inferiori vero splenduit sanctitate Severinus frater ejus, vir modestus, suique corporis severus domitor, qui pro gratiarum prærogativa pontifex in Septipedana est urbe institutus, Ecclesiamque illam et disciplina regulari et ornatuum cultu sacrorum præ suis antecessoribus radianter honestavit. Est quidem *consummatus in brevi*, sed *explevit tempora*
D *multa* (*Sap.* IV), quoniam perfecte seniliterque vivendo patriarchæ Abraham instar *mortuus est in senectute bona et plenus dierum*, *congregatusque est ad populum* (*Gen.* XXV) sanctorum, habuitque sepulcrum, ubi habuerat et monasterium. Illic frequentabatur a populis, quibus et patrocinio precum et medelarum beneficio sese exhibebat viventem, ut puta, qui scriptus esset in vita, in Jerusalem.

Itaque, ad ejus aliquando festiva presbyter quidam tendebat, qui vitam nomini suo conformaret. Dicebatur namque Innocentius, Israelita verus, in quo dolus non esset. Unius tantum oviculæ possessor erat. Hæc abeuntem patronum secuta devenit ad fluvium, Flosorem vocabulo, qui de imbribus tunc excreverat. Sed de ripa in ripam pastores trabecu-

lam, per quam transiretur, trajecerant. Transivit utcunque Innocentius; ovicula tam stricto ponti se diffidens credere cœpit hac discurrere et illac, tremulis caudæ motibus significare angustiam, tristes lanas concutere, cum tandem inter querulos balatus articulatæ insonuit harmonia vocis paternæ exclamans: « Cui me reliquisti misellam? » — « In nomine, inquit ille, Jesu Domini secura transi. Quadam mox fide subnixam putares bestiolam, ita constanti et celeri pede transivit et neutram in partem versabunda. »

« Jam, disciplinate vir, non attonite mireris vocalem asinæ linguam et disertum guttur, quæ cruentis calcibus tyrannizantem in se Balaam et barbarico fastu percutientem inaudita eatenus objurgationis buccina repercussit. Cum sis autem purgatæ et placidæ auris, quidnam gratius audisses, Balaam cum sua disceptantem asinula, an Innocentium cum sua sermocinantem ovicula? » Magnificum quidem utrobique auditorium; sed jure censeberis detractor, nisi oviculæ magis faveas, quæ obedientiam (non) deserendo pædagogum in nullo læserit: asinula luctam inferendo sessoris propemodum pedem fregerit.

CAPUT X.

Denique, tu Wilelme, zelator evangelicæ perfectionis, omnia demum tua vendidisti, et Christo in pauperibus dedisti, bajulansque crucem tuam Christi esse meruisti discipulus relicto scholarum magisterio. Quid porro faciebas firmatis postibus, dum aliquoties insperate adveniens et pulsans ægre admitterer? Secretum tuum tibi, secretum tuum tibi libens concesserim: bene tibi! Etenim Christum sicuti gloriosus martyr Laurentius imitabaris, dum linteo te præcingeres, dum mitteres aquam in pelvim, dum pedes pauperum, lacrymasque superfundens lavares, præcinctorio simul et capillis extergeres. Nonne liberalis etiam Mariæ munia exsequeberis, et quasi aromatica nardo ex alabastro charitatis profusa, Jesum inungebas, cum minimos Jesu large reficeres? »

Ad illorum igitur te numerum pertinere mox claruit, de quibus per Osee Dominus: *In funiculis Adam*, inquit, *traham eos, in vinculis charitatis* (*Osee* XI), quandoquidem Fusmacum petens monachicam professus es philosophiam, ut tolleres jugum Christi super te, qui dixisset: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris: jugum enim meum suave est et onus meum leve* (*Matth.* XI).

Et quidem plures sunt ann., ex quo, aspirante Domino, egressus es de terra tua et de cognatione tua, et de domo patris tui, nec aliquando regressus es tuos visitatum, forsitan eo quod scriptum sit: *Nemo ad aratrum mittens manum et respiciens retro aptus est regno Dei* (*Luc.* IX), uxoremque Loth, prohibitam ab angelis respicere post tergum, in statuam salis versam, dum insulsa curiositate respiceret post se, ut incestæ videat regionis sulphureos ignes.

Neque temporis longum est quod quidam optimæ opinionis frater a monasterio Septem-Fontium ad me, quia consanguineus eram, veniens rogavit, ut eum circumducerem ad salutandos parentes suos vel amicos. Sed in eundo attonitus repente, femineos fastidiens occursus et congressus cœpit dicere, urbem ex ea, quam viderat puer, satis demutatam, domos alias, cives alios parere, vix superesse aliquem cognatorum, pœnitere, quod venerit, esse tutissimum claustralia non exire septa: nam lupum agno tendere semper insidias, piscique fontium captandos sinus, quo rete effugiat. Non itaque dicam lente, sed quasi fugaciter abscessit noster ille Fontensis, magnanimiter protestatus, se amplius non reversurum.

Tu porro, etsi tuam amicis præsentiam ultro non inferre proposueras, quare interdum litteras saltem non misisti, quibus pristinæ affectionis et litterariæ familiaritatis te memorem esse significares, nisi superfluam quis dicere usurpet bonæ frugis schedulam? Verum spiritualibus amicis spiritualia exhibere scripta probabile est. In amando igitur et in scribendo te censear jure probabilior, qui libros mittam, cui nec schedulæ sint missæ.

Sed forsitan magna causaberis locorum interstitia, viarum difficultates, portitorum penuriam. Negligens libenter diverticula excusationum quærit Hoc tamen opusculum *De profectu mortis* accipe, et opusculo adjunge illi quod ante aliquot dies composui, cui et pro qualitate materiei *Lacrymarum* præfixi *titulum*. Sint quidem minus idonea, quæ scriptito, nec alicui fructuosa; attamen hunc ex eis capio fructum, quod et ingeniolum exerceo, et molestias supplanto utcunque otiositatis, ut quemdam dicere nosti:

Animum rege, qui nisi paret,
Imperat; hunc frenis, hunc tu compesce catena.
HORAT., *Epist.* I, II, 62, 63.

Et quoniam gestarum narratio rerum accepta tibi est, veluti si quem oblectat gramine picta florulenta planities, idcirco hujus conscriptionis aream rebus gestis tanquam variis distinguo fucis colorum. Sed quæ fueram adorsus in capite libri hujus scribere, in subsequente libro jam prosequar.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Aperti sunt igitur oculi amborum, videlicet Adam et Evæ, ubi aperuerunt ad gulam ora eatenus a Dei laude clausa. Ingrati siquidem beneficiorum, quod essent ad imaginem et similitudinem divinam facti, quod prælati piscibus maris et volatilibus cœli et bestiis universæ terræ, omnique reptili, quod movetur in terra, quod benedictione irrorati dicente Deo: *Crescite, et multiplicamini, et replete terram et subjicite eam* (*Gen.* I), quod deliciarum horto munerati, quæ amoris, quæ gratiarum actionis solemnia exhibuerunt? quæ immolata in illo munificentia Dei tabernaculo vociferationis hostia? quod immolata laudis sacrificium? Quin imo cum viderent, cum intelligerent propter dolos serpentis ex tanta se miserabiliter alleviatione dejectos, atque factos in desolationem pristinæ puritatis et innocentiæ (jam enim regnabat peccatum in eorum mortali corpore, ut obedirent concupiscentiis ejus, ita ut nuditatem mutuam erubescentes consuerent folia ficus, et facerent sibi perizomata) non solum humiliter non extremuerunt, pœnitentialiter nec occurrerunt ad vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, ad quem utique tunc profunde sibi dormientem, graviter se dissimulantem vociferari simile quid debuissent: *Exsurge, quare obdormis, Domine? exsurge, et ne repellas in finem* (*Psal.* XLIII); sed absconderunt se in medio ligni paradisi.

Num vero erat aliquod in medio illius arboris concavum, in quo absconderentur duo illi? Verum absconsio talis plus animi est accipienda quam corporis. Et o infelicem latebram damnationis, obscura, noctemque mortis parientem! Profugi æternæ claritatis, et nostræ cæcitatis parentes absconderunt se in medio ligni, dum ejus scilicet usurpationem pertinaci maluerunt superbia Deo scienti omnia reticere quam confiteri, utpote qui concupiscentiæ jam absorpti vitio essent, quod per illud contraxerant.

A Quia ergo declinaverunt cor suum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, suamque in Deum rejicere transgressionem nisi sunt, dicente Adam: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi, et comedi* (*Gen.* III); et muliere: *Serpens decepit me et comedi* (*ibid.*), justus ille Dominus qui justitias diligit, cujus videt vultus æquitatem, jam commotior, jam severior: *Ecce Adam*, inquit, *quasi unus ex nobis factus est sciens bonum et malum! Nunc autem ne forte mittat manum suam, et sumat etiam de ligno vitæ et comedat, et vivat in æternum* (*ibid.*), quod subintelligendum sit, emittamus eum. Sed hunc divinæ locutionis lacrymabilem nobis defectum, gemituosam acerbissimæ animadversionis B expressionem historiographus mox supplet dicendo: *Emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est* (*ibid.*). Quantum vero habeat gravitatis, quantum ponderis hoc sanctæ Trinitatis dictum: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum*, satis appendere nulla mens, nulla exprimere lingua potest, cum magis per superbiam, prævaricationem, impœnitentiam, unitus diabolo esset, atque jam miserrime experiendo malum scire cogeretur, quantum amiserit bonum. Siquidem qui decore et gloria longe supra liliorum erat gratiam vestitus, quorum et in Evangelio commendat ornatum Veritas dicens: *Quia nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis* (*Matth.* VI), igno- C miniose nudatis pellium jam usu indigebat tam pro frigoris molestia quam confusione perditi cœlibatus operienda, ut scriptum est: *Fecit quoque Dominus Deus Adam et uxori ejus tunicas pelliceas, et induit eos* (*Gen.* III), id est faciendi necessitate involvit, quoniam quidem omnino esset incompetens summæ majestati animalibus pelles detrahere et sordiscariorum artificio insudare, præsertim cum ea quæ fuerint ad hoc necessaria, penes angelorum officinas quando inventa sint.

Reliquum libri hujus deest in codice.

VITA SANCTI WOLBODONIS

LEODIENSIS EPISCOPI,

Auctore REINERO monacho S. Laurentii Leodiensis

Ex Jacobo Chapeavillo et Aprili Bollandiano.

(D. MABILLON., *Acta SS. ord. S. Bened.* Sæc. VI, part. I, p. 174.)

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *Multi quidem auctores beati Wolbodonis episcopi Leodiensis gesta scriptis mandarunt, at nullus mihi videtur antiquior Reinero, monasterii Sancti Laurentii Leodiensis monacho, ubi sanctus ille vir sepultus est. Hic autem Reinerus, quem Valerius Andreas in bibliotheca Belgica, Chapeavillus et Vossius in historicis Latinis existimant circa annum 1130 floruisse, ex variis scriptoribus qui de beato Wolbodone scripserant opusculum suum compegit, ipsomet attestante, ut pio fratrum suorum desiderio faceret satis. Verum quinam sint illi auctores, qui ante scriptum de ea re scripserant, non indicat, nec alias reperire licuit. Profert quidem Henschenius beati Wolbodonis elogium ex antiquo Martyrologio monasterii Sancti Laurentii desumptum, quod ipsi antiquius Reinero visum est. At, cum nihil aliud sit quam compendium eorum quæ a Reinero fusius enarrantur, sive Reinero prius aut posterius fuerit, parum interest. Cæterum præter hunc auctorem Anselmus canonicus Leodiensis et Ægidius Aureæ-Vallis ordinis Cisterciensis monachus, plura de beato Wolbodone scripserunt sæculo decimo tertio, quæ Chapeavillus tomo primo* De gestis pontificum *Leodiensium cum variis adnotationibus vulgavit. At satis visum est cæteris omissis Reineri opus proferre; ex quo nempe illi posteriores hauserunt ea quæ ab ipsis enarrantur.*

2. *Negat plane Henschenius Wolbodonem ordini Benedictino ascribendum esse, eo præcipue nixus argumento, quod in Vita a Reinero edita, Wolbodo a puero canonicus Ecclesiæ Ultrajectinæ dicatur fuisse, ac demum post varias dignitates in ea Ecclesia administratas, Leodiensi Ecclesiæ præfectus. Stabulenses tamen monachi eum sibi vindicare conantur; et quidem eum monachum fuisse scriptores antiqui simul et recentiores, tam Benedictini, quam exteri unanimi consensu fatentur, quod disertis verbis affirmat Ægidius Aureæ-Vallis Cisterciensis monachus, qui ineunte sæculo decimo tertio floruit.* Post decessum, *inquit,* Baldrici episcopi, quadragesimus octavus Leodiensis episcopus, monachus religiosus, magnæ virtutis vir, et imperatoris Henrici capellanus, beatus scilicet Wolbodo successit. *Eamdem sententiam receptam fuisse in monasterio Sancti Laurentii Leodiensis patet ex barbaris versibus, qui sub Henrico XXVI, ejusdem loci abbate, editi sunt, quorum aliquot huc referre visum est ex Molano et Chapeavillo:*

Stirpe decens, virtute nitens, Wolbodo notatur,
Præpositus pridem Trajecti, rector et idem,
Ob cælibem statum, post hæc recepit monachatum.

Non referunt illi auctores, quo in loco pius antistes monasticam vestem susceperit, sed alium quærendum non esse existimaverim præter ipsam Ecclesiam Trajectensem, in qua Wolbodo, teste ipso Reinero, institutus fuit. Ibi enim Regulæ Benedictinæ observationem, quam in ea sanctus Willibrordus constituerat, viguisse etiam tunc plus quam verisimile est. Nec obstare debet quod Wolbodonem Reinerus canonicum *appellaverit: eo enim nomine monachos fuisse donatos, qui in ecclesiis cathedralibus instituti erant, multis exemplis ostendi posset. Quin et primus auctor Wolbodonis elogii, quem huic sancto synchronum fuisse suspicatur, ut mox dicebamus, ipse Henschenius, canonici nomen, quod fortassis Reinerus, præterita cum sibi præsentibus temporibus metiens adhibuit, non habet; sed asserit Wolbodonem* sub religiosis Patribus in ecclesiasticis claustralis vitæ adolevisse disciplinis. *Idem paulo inferius scribit virum sanctum,* invitum a claustri quiete abductum *ab imperatore fuisse,* quem secum in capella aliquandiu commorari voluit. *Quæ omnia probare videntur Wolbodonem monasticis institutis fuisse addictum.*

3. *Wolbodonem anno Christi 1021 e vivis excessisse consentiunt fere omnes auctores, qua de re nulla videtur esse difficultas. Pari consensu ad diem 21 Aprilis ejus obitum consignarunt: at contendit Henschenius, veteres auctores Wolbodonis depositionem in ecclesia Sancti Laurentii, non vero ejus obitum, quem pridie contigisse putat, ad 21 Aprilis retulisse, quod non satis attendentes qui postea secuti sunt scriptores Martyrologiorum, ejusdem sancti viri obitum diei 21 illigarunt. Et quidem si anno 1021 Wolbodo excesserit e vita, cum feria quinta, prout sibi a sancto Laurentio promissum fuerat, mors ejus contigerit, dicendus est obiisse die 20; nam hæc dies anno 1021 incidebat in feriam quintam Dominicæ secundæ post Pascha. Verum, si beati antistitis obitus ad annum 1021, ut quibusdam placet, revocetur, tunc feria quinta post Pascha, dies scilicet vigesima prima Aprilis, extrema ejus dies fuisse dicenda est, quod Reineri narrationi satis congruere videtur. Verum, cum ipsemet Reinerus, Chronicon Leodiense antiquum, ejusdem urbis episcoporum catalogi, cæterique omnes antiquiores scriptores constanter Wolbodonis obitum anno 1021 contigisse asserant, Henschenii sententiam præferre visum est.*

4. *Wolbodonis memoriam in Martyrologiis amplius triginta notatam vidisse se testatur Joannes Molanus in Natalibus sanctorum Belgii, ubi ejus breve elogium refert, cum versibus a nobis supra laudatis. Ejusdem meminit in fastis Belgicis. Unde mirum non est si qui postea Martyrologia conscripsere, Arnoldus Wion, Hugo Menardus, Dorganius, Bucelinus, Ferrarius in catalogo generali sanctorum, aliique, Wolbodonis nomen suis fastis ascripserint. De eo fuse agit Meyerus in Annalibus Flandriæ ad annum 1020. Placentius, Bartholomæus Fisenus in Floribus Ecclesiæ Leodiensis, similesque auctores, quos recensere supervacaneum foret. At omittere non licet egregium testimonium, quod Baldricus Noviomensis episcopus, vir gravis ac Wolbodonis*

æqualis, in libro tertio Chronici Cameracensis cap. 14 *de eo profert, paucis his verbis :* Iste siquidem omni religione præditus, normam justitiæ suis exhibuit, morumque ac vitæ innocentis exempla reliquit. *Monasterium Sancti Laurentii apud Leodium, in quo beatus Wolbodo sepultus fuit, Eraclio ejusdem urbis antistiti originem suam debet, ipsum vero inchoatum Notgero successori suo reliquit Eraclius, quod tandem a Balderico et Wolbodone continuatum perfecit Reginardus Durandi successor, qui anno* 1036, *teste Miræo in Originibus Benedictinis, e vivis excessit. Perseverat hodieque celebre sub Regula Benedictina, sicut et aliud sancti Jacobi ejusdem urbis.*

5. *Beati viri corpus in proprio tumulo, qui ex marmore fabricatus erat, ad annum* 1656 *remansit, quo die* 29 *Octobris a Josepho Sanfelicio Consentino archiepiscopo, tunc temporis ad tractum Rheni Alexandri VII nuntio inde levatum est; ac demum in mausoleo magnificentissimo, quod Guillelmus Natalis Sancti Laurentii abbas construi curavit, depositum, ubi hodieque religiose asservatur.*

PROLOGUS.

1. Mala, inquit Salomon, aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. Nam spectantium sicut quodammodo pascit oculos, si argentea cujuslibet lecti fabrefactura malis adornetur aureis, ut, quas parit natura species, ars docte assimilet, metallumque arborea videatur germina quasi parturire; sic, imo verius, studentium alit animos, vel de auro intelligentiæ spiritualis, vel de argento experientiæ moralis, apte formata, et opportune prolata eruditio. De qua licet vix quidpiam assecutus sim, tamen benevola quorumdam fratrum æstimatio per aliquantum temporis me urgebat, quatenus de domino Wolbodone episcopo, qui penes nos quiescit, aliqua memorarem; scilicet, ut ea quæ apud diversos sparsim scriptores de illo habentur, mutuata tantum ab eisdem materia, proprio dictatu congererem, et unum pluribus formarem scriptum. Sed minus idonee capit effectum : quod supra vires fuerit attentatum; quin potius juxta poetam, metiri se quemque suo modulo ac pede verum est. Proinde et ego illud sedulo mihi proponebam evangelicum : *Quis ex vobis volens turrim ædificare, nonne prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum?* (*Luc.* XIV, 28) atque metiens meipsum, penitus refugiebam incipere, quod commode non possem consummare. Attamen, non refriguit fervens petentium piaque exactio. Igitur, recepi tandem, quod spiritus pietatis, fraterno quidem ore, sed suo instinctu injungebat, ne culpa offenderem indevoti, nisi parerem aliquatenus devotioni. Et, quia defixeram apud reverendum confessorem propriæ sponsionis manum, præsentis opusculi exsolvi verbum : quod utinam sim locutus in tempore suo, id est quod fructuosum sit vel legentibus, vel audientibus : quod si cui tamen displicuerit, attendat quam magnopere exactus sum, patientiusque feret imperitiam, qui non verba cogitabit, sed materiam. Nec enim usquequaque curat de verborum apparatibus, qui proficere quærit de sanctorum virtutibus.

INCIPIT VITA.

2. Claræ nobilitatis Wolbodo genus ex Flandria duxit (10*), sed claritatem generis clariore illustravit vita, eruditione, et pontificali prærogativa. Hic a pueritia primitivo flore, quasi lilium candens, bonæ indolis spirare cœpit odorem, dum traditus scholis, etiam ultro ad omne bonum aspiraret documentum; docibilisque sensu ac ingenio mansuetus, ex suis jam tunc studiis faceret intelligi, quod munda et recta essent opera ejus. Igitur ut ætate, ita litterariis proficiebat incrementis, poeticumque exercebat illud non segnis:

> *Nunc adhibe puro*
> *Pectore verba, puer : nunc te melioribus offer.*
> *Quo semel est imbuta recens servabit odorem*
> *Testa diu.*
>
> HORAT., *Epist.* I, II, 67-70.

Nec vero defuit piorum cura parentum : qui præ cunctis opibus suis hunc habentes pretiosum, modestis atque illustribus pædagogis commiserunt et magistris; quatenus claro institutionum auro tam charum sibi adornarent sapphirum, qui et mentis et faciei sereno, cœlestis quodammodo æmularetur firmamenti serenum. Nam boni parentes hanc suis debent filiis diligentiam, ut bene instituantur. Philippus Macedonum rex, tam litteris quam militaribus gestis egregie potens, dum Aristoteli philosopho scriberet natum sibi esse Alexandrum : « Equidem diis habeo, inquit, gratiam, non tam proinde quia natus est, quam pro eo, quod nasci eum contigit temporibus vitæ tuæ. Spero enim fore, ut educatus et eruditus abs te, dignus existat et nobis et rerum susceptione regalium. Sed humanæ insitum est naturæ, quod libentius docendi labor assumitur, si beneficia labori compensentur. Scribitur autem dignum esse operarium mercede sua, nec infrenandum os bovi trituranti, bonasque artes stimulo præmiorum felicius incitari. Itaque bonis habenda

(10*) Joannes Meyerus ad annum 1020 Wolbodonis patrem asserit fuisse Godefredum comitem Montensium, matrem vero Joannam Balduini Junioris Flandriæ comitis filiam : at hæc quo fundamento?

est gratitudo magistris, quod non litteris solum; sed, quod probabilius est, ad bonos etiam mores suos informent scholares. » Unde et Symmachus (11) vir clarissimus, Romanæ urbis præfectus, Theodosio scripsit Augusto : Inter præcipua negotiorum sæpe curatum est, ut erudiendis nobilibus philosophi præceptores ex Attica poscerentur. Itaque nonnullos jus et auctoritas publica in usum nostræ urbis accepit, domine imperator; nunc vestri sæculi bonitas ultro optimatem sapientiæ Romanæ gymnasiis arrogavit. Siquidem Celsus, ortus Arthemio patre, quem memoria litterarum Aristoteli supparem fuisse consentit, juventuti nostræ magisterium bonarum artium pollicetur, nullum quæstum professionis affectans; atque ideo dignus in amplissimum ordinem coaptari, ut animum vitiis avaritiæ liberum dignitatis præmio muneremur. Sidereum ergo est æternitati numinis vestri, hunc genere, eruditione, voluntate laudabilem, adjudicare nobilibus pignore dignitatis, cum prærogativa scilicet consulari, ne sumptum ejus magis quam magisterium quæsisse videamur non sine avaritiæ nota, si ab eo munia publica postulemus, qui spondet gratuita præcepta.

3. Igitur Wolbodo, pudoratus adolescens, bene institutus, ac semper in anteriora se extendens, ibat de virtute in virtutem; et summopere sobrietati studens ac pudicitiæ, sicut Samuel in tabernaculo Domini, sic penes ecclesiam vel claustrum erat assiduus, et ne lenociniis feteret sæcularibus, foras evagari omnimodo refugiebat Christi Nazaræus. Quippe, ut scriptum est : *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea* (*Eccli.* XIII, 1); sic non erit alienus a contagio, qui curiosa sectans non se subtraxerit a sæculo. Dehinc juventute spectabili ut palma florens : nam et procero corpore, et membris erat directis, omnes in clero præcellebat Ecclesiæ Ultrajectensis, in qua etiam fuerat canonicus a puero, quæ tunc temporis religione pariterque divinis et humanis vigebat disciplinis. Magister denique scholarum factus, erudiebat multos; quoniam instar sancti Job, lucerna Domini splendebat super eum, et Domini appropinquans pedibus, accipiebat de doctrina illius. Itaque pro gradu, pro ætate, pro capacitate singulorum, affabilis et benignus, secundum Apostolum erat omnibus omnia factus. Ad præposituram deinde majoris ecclesiæ promotus, satagebat tanquam fidelis dispensator et prudens, qualem in Evangelio commendat Dominus, dare in tempore tritici mensuram confratribus suis, ut solertior non fuerit quondam filius accrescens Joseph horrea dispensare Pharaonis. Nec tamen pro A cura exteriorum curam negligebat interiorum, sed pie severus, discrete districtus, omnem cohibebat indisciplinationem; practicæ quidem ut Martha, theoricæ insistens ut Maria. Quoniam ergo canonicus *regularis* interpretatur, opportune, importune arguebat subditos, et obsecrabat tam moribus quam habitu esse regulares, illud attendens Salomonis : *Tene, fili, disciplinam, ne dimittas eam; custodi illam, quia ipsa est via tua* (*Prov.* IV, 13)

4. Imperator Henricus (12), qui propter insignia virtutum generisque claritudinem agnominatus est Gloriosus, Wolbodonem magni habebat, præcipuoque censebat loco inter amicos, et interdum detenti secum in palatio fruebatur familiaritate, consiliis ac religiositate. Qui scilicet orthodoxus princeps, unice B sancto Laurentio devotus, Babenbergensem ecclesiam, ad illius titulum constructam et dedicatam, possessionum atque opum munificentissima liberalitate donavit, et honore extulit, quatenus sedes ibi pontificalis haberetur. Proprii namque corporis hæredem non habens, Christum et ejus martyrem rerum devovit suarum nec non patrimonii hæredes habere, ut puta qui ante regnum vel imperium, dux fuisset præpotens Bajoariorum.

5. Interea Baldrico (13), ut genere, sic vita et memoria illustri episcopo diem obeunte, qui suæ diœcesis ecclesias multimodis quaquaversum rebus provexit, ad postremum vero in insula hujus urbis Sancti Jacobi fratris Domini fundavit cœnobium, C directa est ad imperatorem legatio Ecclesiæ Leodiensis, alium sibi pastorem substitui per litteras virosque industrios expetentis. Erat quippe tunc regiæ potestatis sive juris, episcopos ad suum electos arbitratum, per annulum et baculum pastoralem investire, nec non destinare ecclesiis cum sua commendatione; sed attente curabant religiosi principes in hunc honorem tales assumere, qui regno subjectisque possent prodesse, ut profuerunt plerique diversis temporibus per diversa loca. Gloriosus itaque imperator, qui gloriam Christi quæreret, tractabat, quem daret Leodiensibus pastorem : quibus et Wolbodonem assignavit, quo digniorem nullum attenderet. Hic indignum se profitens, precibus et lacrymis contra nitebatur, acquievit tamen pos- D tremo, ne diligentem se admodum principem contristaret, imo ne jacturam obedientiæ aut notam pertinaciæ incurreret. Missus itaque cum auctoritate augustali, exceptus est magno assensu et gaudio cleri ac populi ; nec enim per ambitum sumebat sibi honorem, sed vocatus a Domino tanquam Aaron. Proinde quia faciebat illum Dominus crescere in

(11) Videtur is fuisse orator celeberrimus, qui a Romano senatu Constantinopolim missus est ad ejusdem Theodosii liberos, rogaturus ut vestales a Christianis non destruerentur, cujus orationem S. Ambrosius et Prudentius refutarunt.

(12) Henricus cognomento Sanctus, qui cum Cunigunda sanctissima uxore episcopatum Bambergensem fundavit anno 1007 : primus ibi institutus est antistes Eberhardus, qui hanc sedem usque ad annum 1042 religiose administravit.

(13) Baldricus Notgeri successor, episcopus Leodiensis, anno 1017 e vivis dicitur excessisse : cui eodem anno ab Henrico imperatore Wolbodo substitutus est. Utrumque anno sequenti consignat chronographus Magdeburgensis cum Sigeberto.

plebem suam, benedictionem accepit a Domino; atque ut sacerdotio illo fungeretur, vestitus secundum Aaron vestem sanctam in gloriam et decorem, sacratus est in episcopum a sancto Heriberto Coloniorum archiepiscopo.

6. Quia igitur hic pastor intravit per ostium in ovile ovium, illi ostiario aperiente, id est Christo, ad instar David pascebat Israel Christianum; pascebat, inquam, hæreditatem Christi in innocentia cordis sui, et in intellectibus manuum suarum deducebat eam. Et quidem faciebat prius, quæ postea doceret; ideoque ut monet Timotheum Apostolus, attendebat lectioni, exhortationi, doctrinæ, exercens quam maxime seipsum ad pietatem, quæ, sicut idem definit Magister gentium, ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est et futuræ. B Erat itaque erga pauperes tam liberalissimæ pietatis, ut si deesset interdum quod largiretur, tapetia, urceolos, pallia, seu alia quævis episcopii ornamenta clam sibi ipsi sublegeret, atque nocturnis maxime horis distribueret egentibus, quæ scilicet a camerariis ac ministerialibus erat redimi necessarium. Quid nempe memorem illius in orationibus seu vigiliis instantiam, dum plerumque noctes etiam hibernas transegerit insomnes, aut sanctorum oratorio circumeundo, aut misericordiæ operam infirmis et pauperibus impendendo, qui secretius, ipsomet dictante, per nota eum diverticula viarum observabant? Filius quidem lucis ambulabat per noctem, quoniam ad verum tendebat diem; videlicet ambulabat in C tenebris, quoniam nitorem oderat vanæ ostentationis, juxta Dominicum illud : *Te faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in absconso; et Pater tuus, qui videt in absconso, reddet tibi* (*Matth.* VI, 3). Attestari denique solebat quidam illi familiarior, quod, cum pedes ejus lavaret, frigore et glaciali viarum deprehenderit asperitate adustos, sanguinemque ab interioribus elicitum in superficie cutis occallnisse. Adeo ut Christi luminosum fratrem Jacobum imitatus sit, qui orando ad Patrem luminum, pro assidua genuflexione callos in modum cameli scribitur contraxisse in genibus.

7. *Ignis*, ait Dominus ad Moysen, *in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subjiciens ligna mane* D *per singulos dies, et imposito holocausto desuper, adolebit adipes pacificorum* (*Levit.* VI, 12). Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari. Ardens sane Wolbodo igne charitatis in Deum et proximum, nutriebat illum veluti sacerdos officiosus in altari sanctæ meditationis; operumque subjiciens ligna bonorum, holocaustum desuper eleemosynarum, quasi adipes adolebat pacificorum. Nec enim vacabat mensalis illius refectio, a ferculis dilatatæ largitionis, dum lautiora quæque et delicatiora sibi apposita Christo dispertiret, hac vel illac infirmis et indigentibus mittendo; se vero pane cibario atque escis communibus, quanquam longe citra saturitatem, reficiendo. Jure igitur ad illum sancti Job de- A rivatum sit præconiale : *Si negavi, quod volebant, pauperibus; si oculos viduæ exspectare feci; si comedi buccellam meam solus, et non comedit pupillus ex ea* (*Job* XXXI, 17). Potissimum tamen quos Deum timere et mandata ejus observare nosset, commendabat verbis, honorabat donis; quamlibet a nullo miserationis subtraheret manum, dicens cum Apostolo : *Sapientibus et insipientibus debitor sum* (*Rom.* I, 14). Nec forte insipidum prorsus æstimo, si rem hic inseram Græco sale conditam. Herodem Atticum consularem virum et amœno civilem ingenio, adiit palliatus quispiam et crinitus, barbaque pubetenus porrecta, petiitque sibi æs donari. Tum Herodes interrogat quisnam esset? Ille vultu vocisque sonitu objurgatorio philosophum sese profitetur; demirari autem cur quærendum putaverit, quod videbat. « Video, inquit Herodes, barbam, et pallium; philosophum necdum video. Sed cum bona te venia, quæso, dicas mihi, quibus nos uti posse argumentis existimas ut esse te philosophum experiamur? » Stomachante illo, tum vero qui aderant erraticum esse hominem et nullius rei dicere, quin imo incolam sordentium esse ganearum, ac nisi accipiat quod petit, convicio turpi solitum incessere. « Demus, inquit Herodes, *huic aliquid* æris, cujuscunque modi est; demus, tanquam homines, tanquam non homini. » Jussitque dari pretium panis triginta dierum.

8. Enimvero ut ad nostrum redeam Wolbodonem, maledici quidam averterunt ab eo pristinam Augusti benevolentiam, detractionum serentes zizania, de quibus est dictum : *Susurro et bilinguis maledictus; multos enim turbavit pacem habentes* (*Eccli.* XXVIII, 15). Verumtamen pacis sectator, qui fideliter Cæsari redderet quæ essent Cæsaris, et quæ Dei Deo, suorum consultu fidelium paravit xenium Cæsare dignum, quo illius contra se tranquillaret animum, non ignorans illud de Proverbiis : *Time Dominum et regem : sicut enim rugitus leonis, ita et terror regis* (*Prov.* XX, 2). Itemque illud Petri apostoli : *Deum timete, regem honorificate : hæc est enim gratia, si propter conscientiam Dei sustinet quis tristitiam, patiens injuste* (*I Petr.* II, 17). Præterea retractans et illud : *Cor regis in manu Dei quocunque voluerit, inclinabit illud* (*Prov.* XXI, 1), cœlesti rege placato, terreni facilius regis posse indignationem sustineri; ut excuteret manus suas sicut ab omni, sic etiam ab isto munere, quidquid congessisset pecuniæ, dispersit et dedit pauperibus, perinde ut ne unam inde quidem siliquam retineret. Coloniam deinde profectus, ubi tunc idem imperator agebat Natale Dominicum, se illius præsentiæ exhibuit, grandia exspectantis a Wolbodone auri et argenti talenta. Interrogatus, superno imperatori quæcunque attulerat se per manus pauperum attribuisse, submisso et gratanti ore respondit, quatenus illum summus imperator illiusque tueretur semper imperium. Augustæ civilitatis Cæsar, quod sanctum Laurentium esset imitatus, cui erat et ipse devotissimus, sereno accepit animo et vultu, dum terso protinus omnis

offensæ vel scandali nubilo, sibi congratulans et A amplexans fecit considere. Majore igitur est habitus gratia Wolbodo nihil dando, quam cæteri qui multa dederant episcopi, palatinorum frivolos favores, aut mimorum plausus et facetias appetendo.

9. Quoniam quidem scriptum est : *Qui conscientiæ servat munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem* (*Prov.* XXII, 11). Idem nihilominus imperator archiepiscopo Heriberto graviter erat diuque infensus, et dicere causam opportunum est. Otto hujus nominis imperator III Crescentem Romanorum patricium contra se rebellantem, bello Romæ aggressum vicit; fugientem, sed retractum ex fuga, cepit; abjudicatum, et vili jumento averse impositum, circumduci per Urbem fecit, paulatimque truncatum membris, ante muros ad ultimum B suspendi jussit. Hujus uxor, spe imperandi, imperatorem ad suum illexerat amorem; sed, cum doleret repatriantem, et nuptiis se frustrari, misso clam veneno illum infecit. Roboam Salomonis minutus prudentia legitur; sed non minus imperatorem istum dixerim minoratum sensu, qui mulierculæ insolenti et lascivæ cujus tam dedecorose tractasset maritum, cujus parentes, Romanamque rempublicam damnis admodum profligasset ac mortibus, se crediderit, se acclinaverit. Fugit Ottonem, quod in libro Sapientiæ scribitur : *Non est caput nequius super caput colubri; et non est ira super iram mulieris. Commorari leoni et draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam. Nequitia mulieris immutat faciem* C *ejus, et obcæcabit vultum suum quasi ursus* (*Eccli.* XXV, 22). Per hanc itaque ursam actus est Otto in mortem, et agens in extremis, Heriberto Coloniensi archiepiscopo, qui tum aderat, et cui potissimum confidebat, insignia imperii commendavit, ut ea scilicet illi assignaret, quem communis electio et assensus principum in regnum substituisset : nam carebat filiis. Dum milites autem Transalpini corpus ejusdem defuncti transportarent ad Galliam, pluribus Italorum insidiis atque incursibus lacessiti sunt; sed viam sibi haud segniter armis paravere. Verumtamen cum in tuto jam esse res putaretur, Henricus, de quo nunc mentio est, imperator, dux Bajoariæ tunc exsistens, in archiepiscopum ad quem spectabant, et cui parebant omnes, insurrexit, atque D ab illo insolentius injuriato, eadem insignia per vim extorsit, dicens : Hæreditario sibi jure illa competere : suum etenim fuisse avum, fratrem primi Ottonis imperatoris Henricum. Hoc seminarium simultatis et discordiæ apud Cæsarem contra archiepiscopum fuit, quem et molestius æquo aliquoties insectatus est. Porro, ad pœnitentiam divino tandem timore compunctus, mediante et elaborante ad bonum concordiæ acceptissimo ambobus Wolbodone; nunc, uti præmissum est, Coloniæ degens, humillima satisfactione archipræsuli est eidem reconciliatus.

10. Qui Dominicum Pascha dum Leodii postmodum celebraret, interpellatus est a fratribus Baldrici episcopi, de quo prælibatum est, eidem Augusto pro sua nobilitate et industria gratissimis, quatenus pietate prospiceret imperiali cœnobio Sancti Jacobi, quod idem frater eorum fundaverat quidem; sed præventus morte reliquerat imperfectum, ac sine providentia tutoris alicujus desolatum. Itaque cum magna nobilium plebisque frequentia imperator venit ad locum; cryptam intravit ad nomen sancti Andreæ apostoli exstructam et reliquiis consecratam : quas, ipse scilicet Augustus, venerabili Baldrico, tanquam mutuæ affectionis pretiosum pignus, dono dederat. Cujus et tumulum illic corpore quiescentis adveneratus : « Tibi, o episcope, inquit, Wolbodo (nam aderat præsens) tibi, o dilecte nobis, hunc pauperem locum, hanc vice nostra committo ecclesiam. Tu pupillæ pater ac sedulus sis tutor, et de bonis, quibus eam tuus subarrhavit antecessor, opus perficias imperfectum. » Dehinc munificam fecit super altare oblationem. Episcopus ergo, quanquam multis aliis curis detentus, loco tamen illi paterne superintendebat ; cui et præfecit Olbertum, Gemblacensis Ecclesiæ abbatem, virum virtutibus, religione, sapientia summe spectabilem : qui etiam studio vigilanti, episcopo cooperante, ut idem cœnobium perficeretur, institit; in quo et post felicem a sæculo decessum, jam senex emeritus, accepit sepulturam.

11. Cæterum ad idem tempus Fresones debellabat Gandavensis comes Theodoricus (14), eo quod illius occiderint patrem Arnulphum. Ad quem inhibendum imperator Godefridum Lotharingiæ ducem cum exercitu misit : et cum succedere pax non potuisset, condicto die in pugnam pars utraque processit. Jam in sese acies concurrebant, dum novo repente monstro pertonuit vox terrifica, nescitur unde emissa : Fugite, fugite! Hinc attonitus cum suis dux ac terroris quadam vertigine actus, diffugium fecit. Perstitere vero Fresones, paucique plurimos occidere adversariorum, ipso insuper duce capto, quoniam reputarent doli ac proditionis causa prælio illum excessisse. Permotus est imperator cum audis et, atque Wolbodonem cum legatis Fresoniam misit, quod genere et sanctitate clarus eo locorum haberetur. Qui etiam, ut ait Salomon : *Legatus fidelis sanitas; et sicut frigus nivis in die messis, ita legatus fidelis ei qui misit illum, animum ejus requiescere facit* (*Prov.* XIII, 17), sua effecit industria, ut et captivitate dux solveretur, et illata duci et regno injuria Fresonibus ab imperatore donaretur.

12. Leodium inde regressus, Dominicum Pascha devotione solita et spirituali gaudio celebravit, utpote cujus esset mos, paschalia quot diebus in sancto altari celebrare mysteria, verique Agni carnes igne passionis assas edere, quas profecto veluti cum

(14) De hoc bello nonnulla habet Sigebertus in Chronico ad annum 1018 et sequentem. De hujus Theoderici et Gandavi comitum familia videsis Andream Chesnium, in Historia familiarum Gisnensium, Andrensium et Gandensium in præfatione libri II.

azymis panibus et lactucis agrestibus, valde scilicet amaris, edebat, cui erant lacrymæ suæ panes die ac nocte : qui loquens Deo in amaritudine animæ suæ : *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est* (*Psal.* cxix, 5), ferniento careret malitiæ et nequitiæ. Igitur ad verum et perpetuum pascha evocandus ab Ægypto sæculi hujus; evocandus, inquam, a tenebris in admirabile lumen Dei, dolore stomachi ex nimia contracto abstinentia, urgeri ad mortem cœpit, superjectoque vilibus stramentis cilicio, et cineribus aspersis, decumbebat, precibus, psalmodiæ, lectioni divinæ, quam sibi faciebat legi, desideranter intentus, suspirabat quando veniret et appareret ante faciem Dei. Denique assidentes sibi, ut sua semper memorarent novissima, et dum dies salutis essent, suæ saluti providerent paterne admonens, præcipiebat ne quis ad se prohiberetur ingredi; videlicet, ut in ipso mortis angustiam, mortis considerarent in episcopo amaritudinem, quæ comparata sit dulcedine pomi illius, quod temeraverunt in horto deliciarum tam austeri, tam acidi suo in posterum generi, parentes primi. Nec antiqui defuere serpentis insidiæ, explorantis, si quid in illo suum inveniret, quem signo crucis, et aquæ benedictæ repulit aspersione infirmus, assistentem propter illius vestigia. Nam, *omnis sermo Dei*, secundum Scripturam, *ignitus clypeus est sperantibus in se* (*Prov.* xxx, 5). Quo scilicet Wolbodo munitus : « Absiste, inquit, funeste tenebrarum accola; pars mihi nulla tecum, sed portio mea Christus in terra viventium. » Beata spes, felix exspectatio infirmi hujus, dolentis hujus, qui confidenter Deo dicere potuerit : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam* (*Psal.* xciii, 19). Beatus namque Laurentius, cum inæstimabili suavitate et gloria, illi evestigio apparuit et consolans. « Quinta, inquit, feria mecum eris. » Qua consolatione super mel et favum dulciore, qua promissione ut nectare divino refectus æger, majoribus ecclesiæ, clericorumque nonnullis plus justo lætabundus eam exposuit; et illis congratulantibus sibi, unctione sancta, viatico Christi sacramentorum sese communivit. Denique Popponi, Ecclesiæ Stabulensis opinatissimo tunc abbati, hujus loci commisit providentiam, quia nulli adhuc fuerant ad serviendum Deo instituti vel abbas vel monachi. Cœperat quidem ecclesia hæc construi ab episcopo gloriosæ commendationis Euraclo, qui jam in urbe ista sanctorum Pauli et Martini basilicas egregia liberalitate construxerat; sed paucis post diebus eo decedente, relicta est imperfecta : utrumque dotata quidem, sed miserabili facie, quia nec saltem cooperta, nisi quod Nothgerus, qui successerat episcopus, insigne tuum diadema, o Leodium, perfectis tandem et æquatis parietibus, superponi tectum fecit.

13. Itaque, ut venit dies qui promissus erat, qui desiderabatur, vir ille desideriorum suo est frustratus desiderio : fuit siquidem culpæ, visionem dignitatis tantæ indignis æque ut dignis innotuisse. Quapropter admodum mœstificatus, cor suum ipse discussit, et culpam in se deprehendens, Wielandum bonæ conversationis clericum familiarem sibi obtestatus est, per tremendam Divinitatis majestatem, quatenus se astrictum loris, verberibus subjiceret districtis. Vinctum igitur suum Dominus non despexit : quem velut sanctum Job dixisse advertas : *Ipse me reprehendo, et ago pœnitentiam in verbere, in favilla et cinere* (*Job* xlii, 6). Unde pœnitentis oratio Wolbodonis directa est sicut incensum in conspectu Domini; elevatio, inquam, manuum illius in mortem vesperascentis, quasi sacrificium vespertinum apud Patrem misericordiarum et Deum totius consolationis. Siquidem sensit per spiritum, carnis se vinculis jamjam absolvendum, et humillime circumstantes admonebat instantius orare; psalmis antiphonas incipiendis ipse imponens, finitis collectas ipse subjungens. Atque ut hoc efficacius posset, linguam, vicina jam morte siccatam, madidari aqua interdum faciebat. Quinta igitur subsequentis hebdomadæ feria mox migraturus, crucem Dominicam accepit in manibus, et mira dulcedine, affectu inexplebili diu complectens, pedesque crucifixi, manus et latus exosculans, Christo spiritum crucifixo reddidit. Cui ut suorum reddatur merces laborum, deductus est in via mirabili; quia Laurentio duce transivit in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei. Corpus autem venerabile ad hunc locum, ad hanc domum martyris, quem sibi specialem fecerat patronum, magna cleri et populi frequentia et honore delatum, operoso atque spectabili, quemadmodum spectari potest, sepulcro est reconditum, circa quod auratis hoc litteris habetur exaratum:

Ingens carnis honor, sed morum gratia major;
Præsulis officio te locat et solio.
Sensit dives, egens, ut eras ad singula præsens,
Istis unde salus; his fluit unde cibus.
Hinc eadem cunctis adsunt, et viscera nobis;
Hincque salutiferum excolimus tumulum.

14. Migravit anno Dominicæ Incarnationis 1021 undecimo Kalendas Maias, præsidente sedi apostolicæ Benedicto, a beato Petro apostolo 144, gloriosi vero Henrici tam regni quam imperii anno xx, sui autem præsulatus mense xxx. Qui procul dubio terræ viventium hæres, de sua re mancipi sanctum Laurentium hæreditavit munifice; trecentas insuper argenti marchas in opus perficiendæ dimittens ecclesiæ, mirabili affectione, o martyr sancte, tibi thesaurizatas. Nam si advixisset diu, quantum erga te suam extendisset devotionem, cum Deo, qui metitur hominum corda plenius nosti. Septem denique matrices ecclesias contulit et in Flandria sibi a progenitoribus dimissa multorum prædia redituum, quibus nos violenti homines, alienorumque cupidi pervasores, adversante Satan, exhæredavere, contra

diei malitiam, contra sæculi hujus injustitiam, nobis frustra reclamantibus.

15. Nec vero prætermiserim, quod diligens ipse decorem domus Domini, stationes instituit seu processiones, quæ ab universo communiter clero civitatis, ad majorem ecclesiam, certis per annum solemnitatibus fiunt; quatenus per hujusmodi conventus, in choro Leodiensi, jugiter charitatis maneat, ut ita dixerim, concentus: hoc est, ut majori ecclesiæ a minoribus, tanquam matri a filiabus, privilegium servetur, competensque subjectio; ab eo modificata, qui habitare facit unius moris in domo; monente Apostolo, sollicite servari unitatem spiritus in pacis vinculo. Labri denique illius ænei, quod fecit Moyses, ut lavarent in eo Aaron et filii ejus manus suas ac pedes, quando ingressuri erant testimonii tabernaculum et quando accessuri ad altare, ut offerrent in eo thymiama Domino, recordari nos facit liber ille Psalmorum conspicuus, quem propria manu scripsit et in quo unicuique psalmo, compositam ex eodem et a se dictatam subjecit orationem, de bono thesauro cordis sui proferens bona. Hic a nobis hactenus diligenter asservatur; in quo videlicet manus ac pedes nostros, id est actuum sive intentionum motus, compunctione lacrymosa, velut ænea ad Deum sonoritate psallendo, lavare possimus, introituri ad Sancta sanctorum. Inter cætera enim etiam istud piissimi amplectimur Wolbodonis memoriale; cui diebus singulis mos erat, antequam divina celebraret mysteria, de integro perorare psalterium, thymiama utique Christo acceptabile in odorem suavitatis.

16. In episcopatum est subrogatus ei Durandus, nostræ satis Ecclesiæ durus; quoniam bona quæ plurima nobis dederat antecessor ejus, abstulit et partim ad mensam episcopalem retinuit, partim militibus beneficiavit. Ipse ignobilis quidem genere, utpote ex familia Godescalci, majoris ecclesiæ præpositi, fuit; sed ingenii atque litterarum clara viguit nobilitate. Qui, videlicet Godescalcus, sancti Bartholomæi construxit ecclesiam; ex suis sufficienter allodiis duodecim canonicos instituit, liberalissimo illum Wolbodone consiliis et beneficiis animante. Sed Durandus, quanquam natus serviliter, tamen in hoc etiam se commendavit nobiliter, quod eumdem Godescalcum, nec fidelitatem sibi episcopo, ut mos est, jurare, nec hominium facere passus fuerit. Ingenue morigeratus, qui non attenderet quid tunc esset, sed antea quid fuisset; nec jam servus, tamen quasi servum sese obsequiis Godescalco exhiberet. Fuit ergo in theatro mundi quasi fabula, quod suis dominaretur dominis homo ex tam paupere et humili familia, cum Dominus pauperem faciat et ditet, humiliet et sublimet. Hunc, propter vitæ modestiam et scientiæ prærogativam, Wolbodo benignus habebat gratissimum, atque ideo

A imperatori Henrico clericum quærenti scientem litterarum, assignaverat eum et summopere commendaverat. Quam Augustus commendationem adeo habuit non irritam ut, ipso decedente, illum cathedra sublimaret Leodiensi. Idem etenim Babenbergensem Ecclesiam, ab eodem destinatus Augusto, doctrinarum jampridem et religionis claro sidere illustrarat. Sed plerique acceptorum obliviscuntur beneficiorum, et bonas etiam mentes depravant aliquando curæ sæculares. Unde et Durandus, misericordis erga se Wolbodonis oblitus, misericordiam eleemosynæ defraudavit, ut præmissum est, quam Laurentio in hoc ejus loco delegaverat, leve æstimans, si eam, nemine sibi contradicente, tolleret.

B 17. Quapropter visione durissima semel ac secundo redargutus est, eodem apparente sibi sancto, et suam acriter eleemosynam repetente. Quod ille cum suis non modice concussus denarraret, aiebant, maxime hi, quibus rapta fuisset elargitus, non debere illum somniis attendere; multas sequi curas somnia; eum dormientem videre, quod vigilans versaret mente; sapientis esse, ut quasi fumum reputet somniorum phantasias. Canum hujusmodi, ut ita dictum sit, adulantium linguæ conceptum timoris stillicidium illius facile ex animo elambuere. Venerat quidem Wolbodo semel ac secundo in spiritu lenitatis; sed jam tertio in virga furoris aderat, comminansque terribiliter, quod auditus non fuisset, quod culpam ille non correxisset, ad radices arboris jam securim esse positam dixit. Gravissime ergo

C illum cecidit, eumque continuo mortis prævia corripuit ægritudo. Cujus angore nimio et clamore turbata est familia; evocati celerius sunt archidiaconi, nec non civitatis majores. Quæ viderat, quæ audierat, innotuit. « Et ecce, inquit, jam morior; ad misericordiam domini mei Wolbodonis me perferetis, atque illius ex opposito, extra ecclesiam scilicet sancti Laurentii, secus parietem me sepelietis. » Tradit deinde sancto Laurentio prædium in Wasegga, quod nuper a Roberto emerat archidiacono, et quatuor auri marchas sibi tantum residuas, spondens viscerabiliter, quod si spatium sibi daretur, cuncta quæ abstulerat ex integro restitueret. Juxta

D Zachæi votum forsitan reddidisset ablata in quadruplum, sed non exspectatus obiit; atque hic, sicut petierat, extra ecclesiam sepultus est. Ibi sub dio tam diu jacuit, quousque nova ædificaretur ecclesia, et tunc inclusus muro atque admissus sub tectum est, lapidemque sepulcralem, qui nunc usquecernitur, abbas Stephanus (15) pro episcopii veneratione, super illum componi, atque hoc fecit epitaphium inscribi :

Durandus jacet hic, qui paulo plus tribus annis
Tungrensem rexit nobiliter cathedram.
Pauperis in nido patrimonii natus et altus,
Ingenio summos evolat ad proceres.

(15) Stephanus huic monasterio præfuit ab anno 1026 ad 1059 quo mortuus est.

Quos tulerat dominos, isdem famulantibus usus,
In theatro mundi fabula quanta fuit?
Septima lux urnam fundentis in orbe fluebat,
Cum faceret rebus triste vale senior.

18. Denique ad corpus dilecti Deo Wolbodonis quicunque petierint ex fide, diversorum remediis languorum sospitantur, meritorumque illius efficaciam, tum ex nobis ipsis, qui ejus beneficiis fruimur, tum ex aliis nonnunquam sumus experti. Ut de innumeris, duo saltem perstringam breviter: Adelardus (16) in ecclesia sancti Trudonis, hujus nominis abbas secundus, acerbissima phrenesi a se alienatus, dum ad sepulcrum nostri Wolbodonis pertractus fuisset, ibique jacuisset aliquandiu, suffragio sancti plenam recepit sensus sobrietatem. Item alius e fratribus nostris gravissime infirmatus, atque ad sancti misericordiam deportatus est; quo sibi dignanter apparente, ac tertio super illum sanctæ crucis signaculum faciente, tanquam ab ipsis retractus mortis faucibus, sine mora convaluit.

19. Sed corporum sanitates pariunt nonnunquam animarum infirmitates, dum miracula quæ debeant A excitare ad devotionem, sibi materiam indisciplinati vindicent ad dissolutionem, præsertim cum monachico non expediant instituto vel quieti frequentiæ sæculares. Quocirca improbandum non fuerit quod, uti ferebant seniores nostri, primus loci hujus piæ recordationis abbas Stephanus, hunc aliquando sanctum per divinum nomen contestatus sit, quo temperaret a miraculis (17); quibus tantæ fratribus flebant per occasionem infirmorum noctu et interdiu molestiæ. Verum quamlibet rarescere extunc miracula cœperint, tamen per præsentiam meritorum Wolbodo semper nobiscum est, dum et aliquoties a religiosis quibusdam visus fuerit ad tuum altare, o sancte Laurenti, pro statu ecclesiæ istius, præsente mirabiliter sanctissima Trinitate, arcanis B divinorum fungi mysteriorum, sacerdos exaudibilis secundum ordinem Melchisedech, cujus hostias, tuarumque odorifera precum libamenta acceptaverit, ac sempiterne acceptet idem trinus et unus Deus, cui gloria nunc et in diem æternitatis. Amen.

(16) Duo ejus nominis abbates Trudoniani fuere: primus monasterio præfuit triginta quinque annis, obiitque anno 1039; alter vero ab anno 1055 usque ad annum 1082, ut habetur in Chronico ejusdem monasteri edito, tom. VII Spicilegii Acheriani.

(17) Egregium studii observantiæ regularis exemplum, cui utinam hodie attenderent nonnulli, qui tantopere sæcularium conventibus inhiant, ut celebre nomen suis ecclesiis, aut sanctis faciant.

ANNO DOMINI MCLXXXVIII

HENRICUS DE CASTRO MARSIACO

CLARÆVALLENSIS ABBAS

POSTMODUM

S. R. E. CARDINALIS ET ALBANENSIS EPISCOPUS

NOTITIA HISTORICA

(UGHELLI, *Italia Sacra*, I, 234, in Episcopis Alban.)

Henricus de Castro Marsiaco, Gallus, monachus Cisterciensis et Claravallensis abbas, ab Alexandro III invitus consecratus est episcopus card. Albanensis, die 2, ex quo concilium Lateranense cœperat celebrari, an. 1179, Idibus Martii. Hic nobilissimis parentibus procreatus est, ac puer adhuc ad Claravallense monasterium convolavit sub B. Roberto abbate, qui D. Bernardo fuerat suffectus, sub cujus disciplina cum mirabiliter fuisset progressus, Altacumbam, celebre in Sabaudia cœnobium suscepit regendum; inde post B. Gerardi martyrium, ad Claravallensem curam translatus est, ubi cum omni perfectione excultos viros exercuisset, æque apud aulam, atque Alexandrum III pontificem maxime inclaruit, dignusque habitus est qui inter concilii Patres numeraretur, purpuraque senatoria decoratus Albanensi dignitate fulgeret. Quæ utique illum adeo desidem non effecit, ut ultra mare nobilissimas provincias ad sacrum

bellum apostolicus legatus excitaverit, gentibusque, quas dira lues hæresœs infecerat, salutarem adhibuerit medicinam. Idem cumulatissime præstitit in Galliis, cum ibi eodem legationis munere fungeretur. Siquidem, cum, quæ ad divinum cultum spectant, omnia perlustrasset, reperissetque Lugdunensem ac Narbonensem archiepiscopos circa gregem insigniter desidere, utrumque, nullis flexus precibus exuit dignitate. Mox conversis in hæreticos armis, Vallem prævalidum castrum, illorum arcem, oppugnat, ac demum divino magis quam humano expugnat consilio. Veronæ Lucio pontifici decedenti adfuit, mox et Ferrariæ Urbano III cum morte luctanti postremum pietatis officium impendit. Cumque Henrico purpuratorum senatus apostolicam sedem ultro volensque deferret, non assentiit offerentibus, in Gregorium VIII honorem refundens, quem ideo virum incomparabilem summum pontificem eligendum curavit; a quo cum deinde ad omnes principes Christianos legatus cum maxima auctoritate declaratus fuisset, ita munus illud ex more suo cumulate implevit, ut Fridericum ipsum toties perfidiose relapsum cum Clemente III reconciliaverit, cumque sexaginta novem præclarissimis principibus bellatoribus, suis ipse manibus militari cruce consignaverit.

Cum vir doctissimus esset, adhuc abbas declamationem contra hæreticos Albigenses subpullulantes in Galliis scripsit, quam in suis Annal. refert Baronius tom. XII. Demum vir optimus atque excellens ita omnibus probatur, ut auctor Vitæ S. Petri Tarantasiensis inter Ecclesiæ Christi columnas illum principem columnam appellet. Et merito quidem, cum usque ad extremum spiritum pro Ecclesia laboraverit. Denique ut præclarissime gestis coronidem satis decentem apponeret, sub Clemente III in Belgio postrema fungens legatione, Flandrensi comiti Atrebatensique Ecclesiæ, qui inexplicabili propemodum simultate pugnabant, sua prudentia consiliisque peperit pacem; ac ineluctabili morbo ipse correptus, cum horæ fatali se propiorem fieri sentiret, ante altare S. Andreæ cathedralis ecclesiæ se deportari jussit, ibique sacramentis munitus inter sacerdotum manus animam exhalavit, die 4 mensis Julii 1188; ejusque corpus ex testamento in Claramvallem relatum est, tumulatumque a Lingoniensi episcopo inter D. Bernardum ac S. Malachiam cum hoc epitaphio.

Subjacet huic lapidi quondam notissimus orbi
Abbas Henricus Romano cardine dignus;
Lubrica qui vani contemnens gaudia mundi,
Terræ membra dedit, cœlis animamque remisit.

Clarissimi viri Vitam gestaque multi scripsere, in quibus Cæsarius ejus contemporaneus in libro *Miraculorum;* Magnum Exordium Cisterciensis ordinis. l. II, c. 3 et 21; Vincentius Bellovac. lib. XXX, cap. 31. In Kalend. Cisterciensi in album beatorum refertur die 14 m. Julii. Ejus præter Baronium meminit Crantzius lib. VII, cap. 5, *Saxoniæ;* Sirmundus in notis ad Petrum Cellensem, Chrysostomus Henriquez in *Fasciculo SS. ordin. Cisterc.* et in *Menol.* ad hanc diem; Montalvus, multique alii. Scripsit Henricus adversus Albigenses hæreticos. Exstat ep. t. XII Ann. Baronii.

NOTITIA ALTERA

(D. Bertr. TISSIER, *Biblioth. Patr. Cisterc.*, Bonafonte 1660, fol., t. III initio.)

Egregius hic præsul, Castro Marciaco prope Cluniacum parentibus nobilibus ortus, in Claravalle adhuc puer religionis vestem assumpsit: ac nondum elapso quadriennio Altæcumbæ primum, et post aliquot annos Clarævallis abbas est electus. Corpus S. Bernardi ab Alexandro III paulo ante in cœlitum numerum relati, in marmoreo sepulcro, ubi etiam nunc quiescit, recondi curavit. Virtutum autem ejus fama longe lateque se diffundente, omnibus charissimus fuit, tam regibus et principibus, quam religiosis et prælatis. In Tolosanum episcopum et paulo post in Cisterciensem cœnobiarcham electus, utramque dignitatem recusavit. A Clemente III ad Lateranense concilium nominatim accitus, cardinalis invitus creatur, atque episcopus Albanensis consecratur; et mox legatus cum plenaria sanctæ sedis potestate ad provincias transmontanas mittitur; archiepiscopos Lugdunensem et Narbonensem deponit, abbates nigros, et multos Ecclesiarum prælatos, quantum potuit, reformavit. Munitissimum hæreticorum Castrum, cui nomen Vallis erat, non sine miraculo cepit: et erroris duces tenuit, convicit, et hæresim publice abjurare coegit. Dehinc dilectam suam Claramvallem visitavit et muneribus donavit. Romam reversus, non multo post Urbano III ex vivis sublato multorum cardinalium votis cum summus pontifex designaretur, adduci non potuit ut electioni suæ consentiret, sed crucis prædicandæ officium assumens urbe excessit, et imperatorem cum sexagintanovem principibus et aliis plurimis, reges quoque Galliæ et Angliæ cruce signavit, id est, ad bellum sacrum, et ad succurrendum Terræ Sanctæ, tessera crucis collata obligavit. Cum venisset autem Leodium, ejus prædicatione permoti et compuncti clerici plures sexaginta sex timore Simoniæ sua ei beneficia resignarunt: quæ deinde ut omnis Simoniæ labes abesset, plenaria potestate velut recens collata, eisdem restituit. Demum in partes Flandriæ profectus, pacem inter comitem illius provinciæ et Atrebatensem Ecclesiam reformavit. Morbo ibi correptus, susceptis Ecclesiæ sacramentis ante altare S. Andreæ Atrebatensis, quo deportari optaverat, pie in Domino obdormivit. Inde corpus ejus, ut mandaverat, Claramvallem delatum est, et inter SS. Malachiæ et Bernardi altaria et sepulcra reconditum. Hæc ex tabella ejus sepulcro appensa, quæ certum annum mortis ejus non designat, sed circa annum 1186 eum obiisse refert. Verum cum ei scripserit amicus ejus Gaudefridus epistolam insignem, quæ exstat apud Baron. ad ann. 1188, aliquot annis videtur supervixisse.

NOTITIA LITTERARIA

(Fabric., *Bibliotheca med. et infim. Latinit.*, tom. III, pag. 211.)

Henricus de Castro Marsiaco, abbas an. 1161 Altæcombæ in Sabaudia, et an. 1177 Claræwallensis, ord. Cisterc., deinde anno 1179 sub Alexandro III episcopus Albanus sive Albanensis in Campania Romana, et cardinalis legatusque apostolicus sub Gregorio VIII, diem obiit an. 1188. De eo Ughellus tom. I, p. 254 seq.; Sammarthani t. IV, pag. 31 et 256; Oudinus tom. II, pag. 1559. Ejus scripta hæc exstant in tomo tertio Bibliothecæ Cisterciensis Bertrandi Textoris sive Tissierii : Commentarius sive sermones *De peregrinante civitate Dei*. Declaratio *adversus Albigenses*, quæ ex Baronio ad an. 1178, n. 29-37 exstat etiam in Chrysostomi Henriquez libro II, *Fasciculi sanctorum. ord. Cisterc.*, dist. 25. *Epistolæ ad diversos*, conferendæ cum *epistolis undecim* quas ex codice Clarævallensi edidit Edmundus Martene tom. I *Anecdotor.*, pag. 576 seq. His nuper accessit *Censura morum et corruptelæ inter clericos et sacerdotes sui temporis*, quam vulgavit Joannes Petrus a Ludewig in reliquiis mss et diplomatum ineditorum tom. II, pag. 437, 441, *et litteræ quibus convocat præsules Germaniæ ad comitia deliberaturos de bello sacro adversus Saracenos*, id., p. 449-452. Inter epistolas a Martenio tom. I Vet. Mon. vulgatas legitur pariter ejus edictum quod dein Joannes Petrus Ludewig in suis Reliquiis tom. II vulgavit sub hoc titulo : *Censura, morum et corruptelæ inter clericos et sacerdotes sui temporis*. In Ludewigo tamen integriores sunt litteræ istæ quam apud Martene ; vicissim autem Martenii illæ multo correctiores sunt Ludewigianis. Præstat insuper animadvertere nec litteras illas Ludewigi integras esse, sed habere in fine assutum fragmentum alterum epistolæ forte ab altero auctore , et diverso de argumento scriptæ. Mansi.]

DOMNI HENRICI
CLARÆVALLENSIS QUONDAM ABBATIS
POSTMODUM
ALBANENSIS EPISCOPI
EPISTOLÆ.

(D. Tissier, *Biblioth. Patr. Cisterc.*, t. III, p. 252.)

I.

Ad Papam Alexandrum tertium.— Missus ad prædicandum bellum sacrum, nuntiat Henricum Campaniæ comitem crucem assumpsisse, commendatque pontifici terram seu principatum ipsius.

Ut in gaudio et exsultatione metatis, quod pia sollicitudine seminastis, ad notitiam vestram, Pater sancte, deferimus, quod cura, quam nobis apostolica delegavit auctoritas, suaves in aliquibus et acceptabiles Deo fructus, fidei vestræ merito parturivit, ita ut et nos delectet exsecutio boni operis, et vos certe pœnitere non debeat utilis et saluberrimæ jussionis. Illustris namque comes Henricus, noster specialissimus princeps et dominus terræ peregrinationis nostræ, compunctus et inspiratus a Domino, vexilla salutis primus arripuit, et dignum Domino spontaneæ oblationis offerens sacrificium, ad æmulationem pii muneris ducem se cæteris præstitit pietatis. Jam in hortulo cordis ejus germina læta repullulant. Jam futuræ fertilitatis ipsius aprica A viriditas hilarescit; ita ut sentientes in eo fragrantiam spei bonæ exsultemus et lætemur in ipso, tanquam in odore agri pleni, cui benedixit Dominus. Nuper enim circa Dominici Natalis proxima sacramenta de manu legati vestri vivificæ crucis signum pia devotione suscipiens, publicæ solemnitatis gaudium inopinatæ lætitiæ festivitate prævenit; ut de ipso quoque merito resonaret : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II). Ecce igitur pro eo coram vobis affectuosissimæ devotionis preces prona humilitate prosternimus, rogantes ut terram suam, quam patrocinio vestro ex fiducia multa commisit, memineritis, prout decet, apostolici præsidii tuitione vallandam; quatenus quisquis in eam aliquod fuerit in absentia prin- B cipis machinatus incommodum, indignationem vestram se non dubitet incursurum. Nulli etenim justius diligentia sacri apostolatus impenditur, quam ei, qui tollens crucem suam, per tot maris terræque discrimina crucis Dominum imitatur.

II.

Ad abbatem Buscalonem. — Optat Buscalonem venire Claramvallem, et rogat ut occurrat ei Altamcumbam, ubi Henricus abbas fuerat.

Ecce ego ad ostium cordis vestri pertinax amator invigilo, clamans litteris, precibus inquietans, ut animus ille vester vel importunitate victus assurgat, et pessulum nobis abditæ voluntatis aperiat. Credimus enim quod illa prompta est ex virtute, licet retardetur ex obice; et gestit invenire qua prodeat, si renitentis obstaculi durities non obsistat. Quid autem sibi velit, quod sæpe scribens vobis, vestra nec semel rescripta promerui, non adverto; nisi quod admodum vereor, ne vobis memoria nostri prorsus exciderit, dum affectui nostro quærenti quem diligit, dilecti saltem littera non recurrit. Ego autem impatiens moræ moras vestras silentiumque dissimulo, blandiens utique mihi, ne forte qui hæc interim vota suspenditis, recompensationis optimæ compendia procuretis. Quidquid autem illud sit, quod me, dum vos retardatis, excruciat, noster interim nec dormitat animus, nec tepescit affectus, quærens quem diligit anima mea, ut tenens teneam nec dimittam illum donec introducam vos in domum matris meæ et in cubiculum genitricis meæ. Tunc videbit dilectus meus et affluet, et mirabitur, et dilatabitur cor illius: cum egredietur ad eum in filiis suis gaudens et exsiliens Claravallis, et obviabit illi quasi mater honorificata. Tunc et mihi forsitan insultabit, ut dicat: *Jam non propter tuam loquelam credimus* (*Joan.* IV); quia, sicut audivimus, ita et vidimus. Vidimus et cognovimus eam, de qua Patres nostri annuntiaverunt nobis. Resuscitate igitur nunc tandem gratiam quam habetis in vobis, ne sepeliatur in uno angulo montium, quod datum est vobis in acquisitione gentium et multitudinis populorum. Veniet qui talentorum suorum lucra requirat, exacturus nimirum exinde rationem, si sub defosso cespite Bulcoldonis otiosam repererit pretiosi muneris quantitatem. Si qua igitur in vobis viscera pietatis, si qua societas spiritus, si qua laus disciplinæ, occurrite mihi in Altacumba, cum venero, ut vel ibi pandatur secretarium mentis, quæ tantæ obriguit lentitudine tarditatis.

III.

Ad papam Alexandrum. — Orat papam ne Tolosanæ Ecclesiæ pontifex constituatur.

Doctoris gentium probat auctoritas, et nostra jugiter infirmitas experitur, quod *nemo scit hominum, quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis, qui in eo est* (*I Cor.* II). Verum et hic ipse ad sua ipsius intima dignoscenda caligat, nisi hic ab alio spiritu adjutus intelligat, illo utique, de quo Apostolus ait: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram* (*Rom.* VIII). Ille namque solus, cum omnia scrutetur, etiam profunda Dei; ille, inquam, solus occulta humani cordis intelligit, et vires ac potentias singulorum singulari et propria virtute discernit. Quod ideo dictum sit, amantissime Pater, ut nulli de me credatis, quod supra me esse, meus ipse mihi spiritus attestatur, A domesticus utique propriæ insufficientiæ perscrutator; et nec mearum virium nescius, nec debilis imbecillitatis ignarus. Scitote itaque, Pater, et credite quod, si quid in me gratiæ vel virtutis aut est aliquatenus, aut esse conjicitur, illorum penitus meritis est attributum, quibus in lege Domini conservandis indigna me fateor prælatione submissum. Eorum debetur commodis omne quod possum, eorum deputabitur usibus quod accepi: quibus, si quid exinde qualibet subreptione fraudavero timeo ne quod illis pro parte subripitur, mihi dignius ex asse tollatur. Multo proinde melius mihi, multo securius, apud illos jugiter munia impositæ servitutis implere quam cum eo quod illorum est, de gente in gentem vaga mutatione transcurrere. Quando vero idoneus B fierem regere gentes indomitas, et divinæ legis ignaras, qui nec illis etiam administrare sufficio, qui plus mihi ex disciplina conferunt, quam a me recipiant per doctrinam? Et isti quidem per semitas justitiæ celeri currentes incessu, sponte feruntur ad vias vitæ; illi vero pactum fecere cum morte, et manibus et verbis accersierunt illam. Verumtamen et propter illos mori, pro vestra mihi erit jussione promptissimum, parato pro viribus meis ad omne, quod contra hæreses illius regionis injungatur, dum modo ab ea mihi quam somniant, pontificis electione, parcatur. Rogo igitur, et per mansuetudinem nostri Redemptoris obtestor, ut quidquid vobis alii suggerant, qui consuetæ forsitan correptionis aculeos removere C longius a sua conversatione festinant, ab his tamen quibus divina videor ordinatione conjunctus, paternitas me vestra non separet, nec cogat me amplius ad sæculi hujus alta respicere, qui elegi ab olim in domo Domini humilibus consentire. Inveniam, quæso, misericordiam in oculis vestris, ne ab accessu concilii hujus timoris occasione retarder, ut possim vobis tanquam vicario Christi Jesu et summo speculatori turris David quædam singulariter comperta suggerere, quæ poterunt, Deo propitio, in universitatis commodum redundare. Nunquid tanti est, ad tribus solummodo Tolosanas et fæces Vasconiæ convertendas intendere, ut negligantur alia multa, quæ potestis, si creditis, et debetis usque ad extremum terræ, in salutem multarum gentium providere? D Ipsa quoque Tolosana Ecclesia, si non ei aliunde consulitur, grave interim dispendium sustinebit, dum ego, si me cogitis, fugiam quoad potero, etsi non effugiam manus vestras.

IV.

Ad eumdem. — Rogat papam, ut latorem præsentis epistolæ dignetur Hibernis pontificem concedere.

Est in insula Hiberniæ vir vitæ venerabilis fide Christianus et nomine, qui in populo illo barbaro et gente novissima summo hactenus sacerdotio fungitur, et legationis insuper titulis insignitur. Nunc autem infirmitate confectus et senio quietis et vacationis vota concepit, fatiscentem nimirum causatus ætatem; quippe qui videt exitum vitæ sibi pro foribus imminentem. Maturus igitur miles, et post va-

rios triumphos legitimæ concertationis emeritus, A præteritæ operationis hebdomadam Sabbato quærit requietionis concludere, et spiritualibus tandem otiis dedicare id quod est reliquum vitæ suæ. Facta igitur cessione pontificii quod gerebat, ne gentem in qua hactenus laboraverat absque consolatione dimittat, virum venerabilem, scilicet latorem præsentium, ordinari sibi desiderat successorem, celebrata electione in ipsum a clero et populo et magnatibus terræ ejus. Unde nos licet tales in observantiis ordinis adjutores, nequaquam in ecclesiasticis functionibus fieri cupiamus antistites; adducimur tamen assensum nostrum præsenti negotio non negare, timentes utique illi barbaræ nationi, ne facile in eis naturalis feritas recrudescat, si in tepidioris segnitiem disciplinæ a spiritualium virorum fervore refrigeat. Quapropter si ita videtur et vobis, rogamus ut votis et desideriis prædicti pontificis tam in absolutione ejus quam in ordinatione istius efficaciter annuatis. Quidquid autem agendum fuerit, scitote quod ei et viarum prolixitas et brevitas expensarum moras inhibet longiores.

V.

Ad regem Anglorum. — Extollit regem Angliæ tum ob alia, tum quod plumbo statuerat Claræ-vallis ecclesiam operire, eamque ob causam mittit ei mensuram ejusdem ecclesiæ.

A die qua vobis Deo inspirante complacuit, ut ad redemptionem familiaritatis nostræ sinus sese regiæ dignationis expanderet, et apex tanti culminis inclinaret, jugis et ininterpolata memoria vestri sedem nostri pectoris occupavit, quæ nos non patitur vel in amore vestro tepescere, vel a gloriæ vestræ prædicatione cessare. Testis est terra Vasconiæ, et nobilis urbs Tolosa, quam ex dispositione nuper vestræ magnanimitatis adivimus, qualiter per os nostrum in omni opportunitate colloquii tam publici quam privati, magnifica virtus vestræ majestatis insonuit, et inter oppansas quodammodo erroneæ turbæ caligines splendor vestræ tam fidei quam pietatis effulsit. Deinde cum jam rediissemus ad propria, ejusdem vestræ pietatis gratiam domesticis nostris relatu familiari deprompsimus; et, abbatibus e diversis mundi partibus congregatis, cum solemni quadam et festiva lætitia regalis beneficentiæ nuntiavimus largitatem. Inter cætera sane, quæ de amplificatione et custodia ordinis servastis hactenus et servatis, curæ vobis fuit, non solum exhibita, sed et promissa referre, ut gratius accepta recolerent, cum potiora in reliquum ex gratuita pollicitatione sperarent. Specialiter illud amplissimum donum præconio excellentiore protulimus, quod Claræ-valli nostræ in nostris manibus promisistis, ut videlicet plumbi lamina in operimentum oratorii nostri vestro munere contributa, devotio, quæ vobis in pectore flagrat, nobis super tecta resplendeat. Hæc igitur acceptantibus universis et dignas Deo gratias persolventibus, habita deliberatione decrevimus oratorii nostri mensuram sine orationum mensura transmittere, orantes impensius et clamantes ad Dominum, ut pro decore domus suæ quam amplificatis in terris, restituat ipse vobis domum non manufactam æternam in cœlis.

VI.

Ad eumdem. — Ait in prima festivitate S. Bernardi illius factam memoriam, et exoptatam fuisse præsentiam, mittitque ei digitum S. Bernardi.

Celebratus est apud nos dies honorabilis et solemnis, nova festivitate jucundus, et ampla jucunditate festivus, utpote quem nobis relevatio sacratissimi corporis beati Bernardi celeberrimum reddidit, et lumine clariore perfudit. O quam voluimus gaudiis illis plus utique cœlestibus quam terrenis, vestræ majestatis interesse præsentiam: quatenus et nobis B de gloria principali decor tantæ festivitatis excresceret, et vobis de meritis illustrissimi confessoris miro quodam irriguo uberioris benedictionis largitas emanaret. Verum, quia id nobis ampla distantia remotissimæ regionis invidit, ad spirituale remedium vota transtulimus, fecimusque, Deo propitio, quod vestra ibi etsi præsentia defuit, memoria non vacavit. Solemniter etenim nomen vestrum cum suæ pietatis insignibus, vestrorum, ut oportuit, et affectionibus fratrum, et cordibus impressimus filiorum: qui ampla illud devotione susceptum, aspectui quodammodo sancti Patris offerrent, et cœlestis aulæ secretario præsentarent. Præterea ne absentiæ corporalis occasio regias apothecas inventi muneris participatione fraudaret, mittimus vobis de thesauro C reliquiarum ejus honorabilem portionem, indignum penitus reputantes, si pietas tanti principis tantæ sanctitatis participio fraudaretur. Suscipite igitur digitum sacræ illius manus: quam pro eo quod vir justus ab omni munere terreni quæstus excussit, Deus eam, ut dignum fuit, affluentissima copia cœlestis benedictionis implevit. Illius, inquam, manus, cujus tactus sanabat ægros, roborabat invalidos, firmabat homines, dæmones effugabat. Illius manus, quæ Claræ-valli nostræ, cui vos dare tecta disponitis, primum injecit lapidem fundamentis. Fuit autem studii nostri diligenter in vasculo consignare quod mittitur, ne vel thesaurus ibi reconditus per frequentes apertiones injuriæ pateat, vel devotæ subreptionis instinctu dolus aliquis piæ fraudis D irrepat.

VII.

Quæ est domini Cisterciensis ad Henricum et Morimundi abbatem. — Henricus et abbas Morimundi deputantur a D. Cisterciensi ad visitandum cœnobium de Columba.

Contentiones et rixæ quas in monasterio de Columba furor mali desiderii suscitavit, ad nostram nostrorumque pervenere notitiam, diro nos admodum vulnere percellentes; tam pro dispensatione domus ipsius, cui grave subinde periculum imminet, quam violata nostri ordinis honestate, quæ in omnibus professoribus suis pestem familiaris dissidii et domesticæ simultatis abhorret. Volentes igitur huic tanto malo competens accelerari remedium,

sollicitudini vestræ injungimus et mandamus, quatenus ambo pariter accedatis ad locum, et vices nostras in visitatione exactissima diligentia suppleatis, ita quidem, ut in præsentia I. abbatis super rebelles et inobedientes domus ipsius suam cujusque primitus malitiam visitetis, dignam pro modo culpæ exercentes in singulos ultionem, qua et vos ipsos zelus ordinis commendabiles faciat, et temeraria perversitas superborum contra ordinis stimulum inutiliter calcitrare dediscat. Specialiter autem in priorem domus ipsius, qui contra Patris imperium retinere non est veritus prioratum, depositionis sententia principaliter exeratur; quia non est dignus præesse cæteris, qui se contumaciter arbitrio subtraxit abbatis. Quia vero etiam abbatem ipsum, considerata hominis qualitate, debere judicamus absolvi; volumus ut eum ambo pariter seorsum quidem et sollicite moneatis, ut in capitulo suo coram vobis humiliter petat ab officio quod bajulat missionem et quasi sua vos importunitate devincat, quo violentia quadam remedium absolutionis obtineat.

VIII.

Ad conventum Saviniacensem. — Hortatur Saviniacenses ad frugalitatem, ob præsentem, ut apparet, domus eorum inopiam.

Benedictus Deus et Pater luminum, a quo dona cuncta proveniunt, qui Patri vestro domno abbati W. plenam contulit et in obtemperando fidem, et in operando virtutem, ita ut paterno studio sollicitus sit pro vobis, satagens omnimodis et laborans, qualiter domus vestra consueto amplius incommodo non laboret. Induit eum Dominus virtute ex alto, et roboravit fortitudine manum ejus, ita ut, dum præterita cum præsentibus æstimamus, aperte nobis detur intelligi, humanæ pusillanimitatis fuisse, quod timuit, sed superni esse muneris; quod id opere convalescit. Rogamus proinde vos, et tanquam filios charissimos admonemus, quatenus manum ejus orationis et obedientiæ subsidio fulciatis, currentes et ipsi post eum in odore virtutis suæ et vestigia ejus gressu pacifico prosequentes. Facite, ut complaceat sibi in vobis anima ejus, et delectetur in vestris actibus cor illius; quia tunc facile dilucescit nebulositas teporis, si aspiret in nobis serenitas charitatis. Porro, si opus fuerit, ut aliquid vobis in quotidianis etiam stipendiis restringatur, nolite protinus exacerbare spiritum viri Dei, pro diminutæ stipis impendio murmurantes, sed ipsi eum potius importuna oblatione frugalitatis monasticæ prævenite: quæ nunquam satis ad professionis suæ culmen attollitur, nisi cum universis superfluitatibus amputatis, intra necessitatis extremæ limites coercetur. Illa vero fraternitas profectibus spiritualibus militat, quæ commodi communis intuitu in iis etiam quæ necessaria videbantur, noxios appetitus propriæ voluntatis abjurat. Quod nunc maxime vobis æmulandum est et agendum, quando nihil aliud hac discretione quæritur, nisi ut domus vestra vobis posthac in usus uberes amplietur.

IX.

Ad Alexandrum papam. — Expostulat de Dolensibus monachis, qui armata manu decimas extorserant a monachis domus Dei ord. Cisterc. et quosdam etiam vulneraverant.

In immensum extollitur impunita temeritas, et licentia quæ juris ratione non cogitur, justis semper rationibus obluctatur. Probat hoc Dolensium monachorum granditer efferata præsumptio, qui in agrum fratrum de Domo Dei præteritis messionibus irruentes, rapinam frugibus, injuriam fratribus intulerunt, nulla prorsus admonitione præmissa, ut si quid eis decimationis jure competeret, pacifice ad ipsos aut judiciali ordine pervenisset. Hi vero armis potius confisi quam legibus, ad illos laboriosos fratres, qui sub pondere diei et æstus lætabantur coram Domino, sicut qui in messe, in armorum strepitu violenter intraverunt, potiti nimirum periculosa lætitia, qua exsultat raptores capta præda quando dividunt spolia. Quidam namque eorum violentas manus in conversos et monachos injecerunt, et illas sacras dextras, quas decimarum sacrilegio venerant profanare, fuso pauperum sanguine polluerunt. Et vos quid ad hæc, beatissime Pater, quid ad hæc? Poteritne præsidentibus vobis manere incorrectum in monachis, quod sacri canones acerrime puniunt in tyrannis? Poteritne et illis in exigendis his decimis justitia ulla competere, qui justitiam et judicium cruento præjudicio non sunt veriti prævenire? Verum et antea super his nullam habebant omnino justitiam, quippe qui olim pro eis idonea commutatione recepta diuturnum haberent pro hac decimatione concambium litteris traditum, et fundatoris domus subscriptione signatum. Rogamus igitur clementiæ vestræ celeberrimam pietatem, quatenus eam super hoc promat in maleficos ultionem, quod fratres nostros nulla ulterius decimæ hujus exactione lacessant, et contra inermes animas arma denuo sumere non præsumant.

X.

Ad eumdem. — Queritur, decreta ejus pro quadam domo ordinis sperni a Divionensi abbate, et rogat, ut aggravet manum suam in contumacem.

Ambiguitatis et diffidentiæ materia panditur, si Ecclesia, quæ mater est fidei, in suis institutionibus contemnatur. Desinat Roma vel promulgare quod statuit, si decretis ipsius impune contraire licuerit. Meminimus autem, piissime Pater, et cum gratiarum actione recolimus quod negotium domus parvulæ de Morans tam diligenter et efficaciter promovistis: quod ad suum jam causa exitum devenisset, si Divionensis abbatis nota protervitas vestræ jussionis limites non exiret. Sed ecce inventus est, qui perire magis eligat quam parcere, volens potius a functionibus separari divinis, quam in suis factionibus superari. Confidimus tamen in Domino, et in constantia virtutis vestræ quod mentietur tandem iniquitas sibi; et cui aufert exsecrabilis cupido consilium, jugis vexatio conferet intellectum. Is autem

jam tertio vestræ recepit litteras jussionis, in quibus ei omnis appellatio tollitur, ut pauperculæ illi domui juris sui prosecutio non tollatur. Jam per Lingonensem episcopum sub interdicti sententia de justitia vestra tentatur, dum non vult dimittere, quod per injustitiam suam tenere convincitur. Sed quid facimus? Non credit verbo signi prioris, nisi adhuc in manu vali a gravioris plagæ verbere feriatur. Data igitur, pie Pater, voci vestræ vocem virtutis, et facite adhuc nobiscum signum in bonum, ut erubescant rebelles, et increduli confundantur; et sciant pariter et intelligant quam periculose et ad insipientiam sibi decretis apostolicis reluctentur. Si qui autem ex eis conspectui vestro se irreverenter ingesserint, memineritis excommunicationis sententiæ cui succumbunt, ut non aliter, quam vos deceat, vel admittantur a vobis vel dimittantur.

XI.

Ad eumdem. — *Vitia quædam Galliæ deplorat quæ exstirpare adorsus sit cardinalis S. Chrysogoni, ob id tempus revertendi ei prorogari precatur.*

Inter cætera mala, quibus in partibus Gallicanis antiquus Ecclesiæ decor obsorduit, pudicitiæ lapsum et fidei deploramus excidium, videntes quod diebus his malis et casta simplicitas piæ credulitatis excluditur, et candida simplicium castitas influentibus undique flagitiis inquinatur. Unum vero superest contra prodigia funesta remedium, ut rigor apostolicæ disciplinæ non torpeat, et abundante malitia cæterorum Romanæ sedis charitas non frigescat. Hanc enim si spiritus ab austro veniens placidi fervoris æstu refoveat, totum corpus Ecclesiæ cœlesti protinus recalesceret incendio, et noxii torporis excussa segnitie in sui vigoris gloriam membra languida convalescent. Attendat ergo interim de sublimi qua præeminet specula, sanctitatis vestræ contemplationis obtutus, et tunicam veri Joseph sedula cogitatione perspiciat, videatque utrumne illa sit, quam ei Pater fecerat, tam inexpertam maculæ, quam totius conscissionis immunem. Maculatur hæc in partibus nostris et scinditur, eo quod duplici subjecta ludibrio, et nævo turpitudinis et ruga dehonestatur erroris. Bicipiti quodam fluvio et hæreses in eam et flagitia confluxerunt, ita ut, cum sordeat in plurimis per immunditiam vitæ, scindatur in aliis laceratione perfidiæ. Surrexit enim de cineribus Sodomorum antiquæ libidinis vermis, qui post ignis pluvias imbresque sulphureos de lacu damnationis emergens, fetoris sui flatibus occiduas inficit regiones. Revixit et Arius in partibus Occidentis, qui ab orientali judicio in propria persona damnatus, nunc in successoribus suis fines ultimos occupavit. Foris occidit gladius, et domi mors similis est. Nam et hæretici in publico disputant contra fidem; et quod multi in occulto faciunt, et scribentis verecundiam, et legentis læderet honestatem. Sed quid dicimus in occulto? Peccatum suum sicut Sodoma prædicant, et velut in suburbanis Gomorrhæ convivas libidinum provocant ad peccandum. Nunquid super his non indignabitur zelus vester, aut impune peccabunt, et vos tacebitis? Tempus est ut amicus sponsi sponsæ ulciscatur injurias, et gladius Phinees sacerdotis in incestum Israelitæ et Madianitidis exeratur. Ecce in diebus vestris, auctore Domino, sedata sunt schismata; euge pastor bone, facite ut et hæreses sopiantur. Habetis enim in partibus Gallicanis virum, sicut experti sumus, justitiæ et veritatis amicum, dominum P. tituli Sancti Chrysogoni cardinalem, qui in una sola electione, me teste, quingentas marcas argenti strenue refutavit, ne sub obtentu muneris a tramite diverteret veritatis. In eo igitur plurimæ consolationis hausto remedio Deum glorificamus et Patrem; in eo magnificamus et vos, videntes quod illustrium dignitatum gratia, quæ de vestræ plenitudinis fonte procedit, in tales confluit ex apostolica discretione personas, quæ per vitæ meritum fastigia illustrate comprobantur honorum. Hinc vobis materia gaudii, hinc Ecclesiæ Dei solatii fomes exoritur: quod tales assumitis in partem sollicitudinis, qui honorent in vobis plenitudinem potestatis. Probat iste quod diximus, vestrum in se non errasse judicium; dum eo se aptum exhibet ad pondus oneris, quo minus deprehenditur ambitiosus honoris. Is est quem sublimat humilitas, frugalitas locupletat, qui cum sit nemini gravis, charus et utilis factus est universis. Pugnat constater ad bestias Ephesi, Simonem Petrum contra Simones magos induens et leprosis Syriæ novum exhibens Eliseum, evellit et destruit, ædificat et plantat; ita de vinea Domini Sabaoth vulpeculas demolientes exterminat, ut de ipso quoque vestiario Salomonis tineas corrodentes excludat. Benedictus Deus, cui talem Ecclesia sua filium vobis obstetricantibus parturivit, qui et patris honori consonet, et a matris non degeneret honestate. Hunc itaque vobis contra prædictas pestes prolixiori temporum spatio petimus indulgeri, consentientibus plerisque de majoribus nostris in idipsum, ut citra exhibitam prædictorum vulnerum curam, non sit iste vir nostris regionibus subtrahendus, qui ob hoc maxime fuerat in partes etiam remotissimas destinandus; præsertim cum tetigerit Dominus hoc tempore corda regum, qui, pacis inter se fœdere confirmato, in nullo melius sanctiusque conveniunt, quam ut induti lorica fidei hæreticam multitudinem persequantur. Verum, quia necesse est, ut juxta Evangelii verbum sint gladii duo hic, dignum credimus et honorificum vobis, ut zelum sæcularium principum vestra quoque æmulatio comitetur, ne pia eorum intentio sumat ex occasione defectum, si opportunum non acceperit ex vestra cooperatione subsidium. Expedit igitur ut prædicto cardinali congruas prorogantes inducias, detis ei specialiter in mandatis, ut contra hostes charitatis et fidei magnanimiter accingatur; maxime quia in pluribus regionibus usque adeo jam exundavit iniquitas, quod factus est sicut populus sic sacerdos, vel potius pestilentia gregum ex ipsa serpit contagione pastorum. Moras proinde hominis Dei, et indicti sibi reditus tarditatem consideratio tantæ

necessitatis excuset; quia licet præsentia ejus vobis esset non immerito grata; talis tamen absentia cunctis Deum timentibus efficitur gratiosa. Redibit ad vos, Deo propitio, temporis opportunitate suscepta, et spirituales afferet ex agro hujus mundi mandragoras, quæ jam et in portis nostris odorem spargunt, et vobis suavitatem plurimam in ipsius Rachelis invidiam redolebunt. Persequatur interim, ut optime cœpit, peccatores Amalech, et de civitate Domini veteres exterminet Jebusæos, ut, cum venerit ad vos, et pulsaverit, confestim aperiant ei, et intret in gaudium Domini sui magni.

XII.

Ad nigros abbates Flandriæ. — Animos eorum commotos ob secessum abbatis de Ham in aliquod cænobium ordinis Cisterc. placare conatur.

Ad meipsum anima mea turbata est, insiti mœroris amaritudine contabescens, quod vestros, ut dicitur, animos turbo adversus nos gravis commotionis exagitat, et in profundo piorum cordium grandis infremuit spiritus procellarum. In primis igitur orandus est auster, ut veniat, qui indignationis ollam flante aquilone succensam mitioris auræ temperamento refrigeret, atque in thalamo Salomonis media cubiculi charitate consternens, in quietis tranquillæ planitiem sanctarum mentium redigat tempestatem. Ego autem, si quid modo est vel opere vel sermone commissum, in quo vestra sit vel exasperata benignitas, vel utilitas diminuta, nulla tuebor impudenti excusatione reatum, qui vestrum subeo spontanea satisfactione judicium. Maxime quia, cum apud misericordes judices causa decernitur, non tam periculosum est solvere pœnæ debitum, quam nequiter infiticiari delictum. Proinde ad vos pertinet, ut æqua discretionis lance pondus libretis examinis, per quod et confitenti sit venia, et innocenti non imputetur offensa. Verum est illud, nec omnino diffiteor quod in vestris me olim partibus commorante, ubi, quod cum gratiarum actione recenseo, impensius sese mihi copia vestræ charitatis exposuit, contigit ut præsentiam nostram vir venerabilis G. abbas de Ham gratia contrahendæ mecum familiaritatis inviseret, meque sibi, quod libenter annui, mutuæ dilectionis connexione vinciret. Cumque circa spirituales profectus medius inter utrumque sermo discurreret, sui propositi reseravit arcanum, dicens se animo concepisse, ut in ordinis nostri coloniam et ipse transiret, et alios, qui eum sequerentur, adduceret. Dehinc domum quoque obtulit quam regebat; ratus videlicet, non pleno sibi prospexisse consilio, nisi domum eatenus gubernatam in eminentiam ordinis ad quam ipse migraret, pari religiositate sustolleret. Læsi, fateor, et præ consideratione difficultatis obstupui. Deinde cunctis obstaculis mente decursis curam prosequendi operis dissuasi. Ad ultimum vero instantia mollitus abbatis rem totam dubia dilatione suspendi. Præterea Flandrensis Comitis quem abbas pro negotio tam actitando quam non acticando vocaverat, et

A declinavi conspectum, et evitavi colloquium, ne sui hortatus accessu præproperum aliquid et in posterum corrigendum, vel committerem improvisus. In omnibus his quid ego peccaverim, ipsi decernite, nisi forte, quod non statim ad vestram pertuli primordia causæ notitiam, ut cum vestro fuisset consilio per meipsum provide consummandum, quod postmodum per abbatem G. pia noscitur temeritate præsumptum. Verum, et in hoc mihi testis est Deus, neque per me factum esse, neque pro me, quod ipse domum illam temerarius occupavit, quam mox exoccupavit exstinctus, ita ut si habeamus in eum, quod movere possit ad iram, non desit tamen, quod inflectat ad veniam. Maxime, quia leniter punienda est culpa, quæ de zelo religionis opus potuit suadere

B discriminis. Ei ergo parcendum est et a vobis, quia ut spiritualibus loquor, quod fratribus illis prodesse voluit, vobis obesse non credidit. Nunc igitur, Patres optimi et dilectissimi fratres, removete, obsecro, a cordibus vestris iram, a nostro tristitiam; ne qua inter nos radix amaritudinis sursum germinans nuper initæ charitatis jura corrumpat, vel fructus uberes gratiæ utrinque adolescentis impediat. Ego enim vester sum in visceribus Domini Jesu Christi, nullam vobis daturus offensam, præsto semper et paratus ad gratiam.

XIII

Ad Cabilonensem episcopum. — Congratuletur ei recens in pontificatum Cabilonensem assumpto: et cœnobii Longivadi negotium quoddam commendat.

C Sermo bonus egressus a Domino non indigne quidem de vestra nos electione lætificat; quos in vestra pariter dilectione sublimat. Gaudemus siquidem ad altiora conscendere quos amamus; et eos præsertim de quorum datur conversatione præsumere, quod eis in signum gratiæ, operationemque virtutis, sublimis adveniant culmina dignitatis. Specialiter autem ex vobis specialem sumimus in hac promotione lætitiam; ubi ea materia exsultationis offertur, per quam in arctioris amicitiæ statum præcedentis gratiæ merita fœderentur. Illa enim Ecclesia vos suscipit in pastorem, per quam vos mater ordinis est habitura pontificem; ita ut spiri-

D tualis gratiæ parentela in subditam lineam descendente, habituri simus a modo viscera pii Patris, in quo habemus hactenus simplicis benevolentiam dilectoris. Cæterum et prædictæ matri nostræ, sicut bene confidimus, eo amplius assistetis, et sua in omnibus jura servabitis, quo piæ religionis æmulari propositum ab ipsa infantia ætatis vestræ didicistis. Devotis ergo precibus cœlestis est vobis exoranda potentia, ut operis hujus initia stabili salubritate promoveat; et ubi multiplicavit pondus oneris, amplificet et dilatet incrementa virtutis. Ut autem hæc ipsa incrementi vestri primordia lætis undique fulciantur auspiciis, rogamus prudentiam vestram, quatenus in negotio Longivadi et nostræ necessitudinis, et vestræ memineritis honestatis, providentes

intercedentibus nobis, quod idem negotium ad domus illius pacem et commodum dirigatur. Si quas ergo vel nostras vel aliorum litteras habuistis, quæ prædictæ domui exceptionem soluti contractus opponant, eas nobis loco magni muneris redhibete, facturi rem gratam et acceptabilem cordi nostro, si domum Longivadi ab hujus litigii discrimine liberetis.

XIV.

Ad dominum Hyacinthum cardinalem. — Excusat se quod nondum ei honorem (per epistolam, ut opinor), exhibuerit.

Quærendæ familiaritatis et gratiæ vestræ granditer hactenus negligentes vestro nos omnimodis humiliamus honori, ut debeat venia prærogari neglectui. Procul autem suspicio universa contemptus; quia etsi tales sumus, quod interdum præ occupationibus multis nonnulla negligimus; hanc tamen tantamque a nobis Deus avertat amentiam, ut aliquem de his qui nobis prælati sunt contemnamus. Inter cæteros autem vos tanto humiliori reverentia veneramur, quanto excellentiam vestram præpollere quamplurimis nullo unquam scrupulo dubiæ dissimulationi ambiguimus. Ad pedes igitur gloriæ vestræ præteritæ negligentiæ veniam postulantes, aperiri nobis tandem vestræ familiaritatis aditum deprecamur, quæ in hoc, si placet, primitias nobis suæ dignationis indulgeat, ut gravamen et tædium ejus quæ de vobis facta est electionis avertat. Profecto enim ex integro me vobis constituetis obnoxium, si ab hoc periculo reddideritis expeditum. Valeat sublimitas vestra.

Epistolas sequentes edidit domnus Martenius *Thesauri Anecdot.* t. I, col. 573, ex ms. Claræyallensi

XV.

Ad prælatum precatoria. — Commendat ei suum ordinem, ac præcipue domum Al.

Viro venerabili et amico suo Christiano R. Dei gratia S. R. E. subdito, et Lausannensi electo, Henricus Clarevallis pauperum servus, salutem et sinceræ dilectionis affectum.

Quod exhibitæ quondam domui nostræ præsentiæ vestræ defuimus, grave exstitit nobis et molestum, eo jampridem desiderio affectis, ut vestro ibi et recrearemur affatu, et delectaremur aspectu. Det nobis Dominus vicem recompensationis optatæ, ut quod tunc ex absentia nostra perdidimus, diuturnæ præsentiæ fenore compensemus. Satis etiam cupimus locum dari nobis et tempus, ubi et quantum id quod intra nos affectibus agitur, tandem erga vos affectibus comprobetur. De cætero memineritis, quæsumus, spei nostræ, quam in eo potissimum, et a vobis concepimus, et de vobis, quod ordinem nostrum, quem dominus papa, qui est pater vester, tanta pietate diligit et tuetur, vos quoque debeatis hæreditaria charitate diligere, nobisque in vobis hujus muneris successorem exemplo et imitatione tanti pontificis exhibere. Specialiter autem domum de Al. iteratis vobis precibus commendamus, rogantes omnibus modis talem vos illi exhiberi patronum, ut eo felicius beatam se dixerit, quo singularius ipsa sub umbra illius quem desideraverat requiescit. Si qua vero inter vos et eam litis materia emersit, vel causa dissidii, eo quod vineas quasdam quas possidet, ad manus vestras credideritis revocandas, competentes fratribus inducias prorogate, donec loquamur pariter facturi terminum absque termino charitatis.

XVI

Ad episcopum precatoria. — Commendat ipsi monasteria ordinis sui in episcopatu Legionensi existentia.

Patri charissimo De. gratia Legionensi episcopo, H. Clarevallis pauperum servus salutem, et quas potest orationes.

Apud egregium et benevole meritis virum, qualem vos esse confidimus, non opus est longo prœmio, multisque verborum blanditiis, ad impetrandum quod juste exposcitur, præsertim ubi Deus in causa esse agnoscitur. Proinde nolumus vos multiplici suadela diutius detinere; sed quæ a vestra sanctitate requirimus, simplici et nuda prolatione suggerimus. In episcopatu vestro constat esse novellas plantationes ordinis nostri quamplurimas, quæ continua rigatione tutaminis atque solatii vestri plurimum indigent. Has itaque omnes paternitati vestræ commendatas esse desideramus; præcipue vero illas quæ ad nostram domum specialius pertinere noscuntur. Sit ergo pietati ac providentiæ vestræ eadem monasteria amore Dei, et nostræ supplicationis obtentu diligere, fovere ac manu tenere; quia, si dignanter et pie super ea intenditis, omnis utique profectus eorum ad vestrum ipsius honorem et gloriam redundabit. Ut autem circa hujusmodi laudabile studium vos magis officiosum magisque devotum habeamus, orationum ac beneficiorum quæ in domo nostra usque in finem fieri habent, participem vos esse concedimus.

XVII.

Ad principem precatoria. — Commendat ei monasterium de Perosa.

Filia nostra pauper et modica domus de Perosa, fructus quos rigidior inter petras gleba non germinat, ab uberioris fundi benignitate mendicat; et quia non habet quo sustentetur ex proximo, victus sui stipem quærere cogitur ex longinquo. Hinc est quod cum sub umbra alarum vestrarum qualecunque illud suæ sustentationis remedium invenisset, locum sibi ad latus vestrum in plurima anxietate constituit, non tam de soli fertilitate secura, quam de propagandis vestræ dilectionis ubertate sollicita.

Odorata est enim in vobis odorem suavitatis et gratiæ, quasi odorem agri pleni, cui benedixit Dominus. Quocirca rogamus et petimus, ut vos penuriam fiduciamque ipsius miseratione debita contemplantes, eam a latere vestro minime repellatis; quatenus misericordia superexaltata judicio, eo securius cœlestia vindicetis, quo etiam indebite terrena dimittitis. Sciat cum Ruth Moabitide ad agrum se venisse potentis Booz, qui feminam alienigenam et ignotam, non solum a colligendis frugibus non abegit, sed etiam materiam sibi compendii plenioris indulsit.

XVIII.

Ad... — Excusat se quod non possit adesse assignata die ad terminandum Vallis-Lucentis negotium.

Ad diem quam Vallis-Lucentis negotio præfixistis, libenter juxta vestrum beneplacitum veniremus, maxime quia et ipsius domus affectio nos trahebat, et vobiscum loqui de pluribus habebamus. Est autem nobis eadem ipsa dies pro controversia Divionensium monachorum, quam et vos cupitis idonea celeritate decidi, apud Lingonas constituta, data cautione paris compromissionis in arbitros, quos ad terminandam causam decrevimus assumendos; ita ut hoc ipsum quod Quinciaciensium abbatem, in quem fuerat cum cæteris compromissum, subtrahitis nobis pro negotio supradicto non modice doleamus. Quod igitur alios duos abbates nostros ad diem causæ necessario retinemus, patienter ferre deposcimus; maxime cum sine ipsis qui sunt arbitri constituti in causa nostra procedere non possimus. Si vero post diem illum memorato negotio vestro aliqua nos velit opportunitas interesse, non subtrahemus præsentiam corporis, quibus non absumus instantia voluntatis.

XIX.

De negotio ad abbatem Trium-Fontium. — Vices suas ei committit ad negotium Vallis-Lucentis dirimendum.

Dilecto et venerabili coabbati suo A de Tribus Fontibus Henricus Clarevallensium pauperum suus salutem et omne bonum.

Negotio Vallis-Lucentis nostram nos exhibere præsentiam et mandatum domini Cisterciensis indixerat et ipsa domus illius familiaritas requirebat; quia vero dies eidem negotio præstituta, nobis quoque fuerat pro Divionensium monachorum pacificatione præfixa, coacti sumus ex propria necessitate dimittere quod fraternæ charitati cognoscimus nos debere; verum quia non usquequaque in solvendo quod debet qui per vicarii sollicitudinem idoneum exhibet solutorem, interveniente abbate Vallis-Lucentis, fraternitatem vestram vires nostras implere deposcimus: cui tanto justius operis hujus vicissitudo committitur, quanto diligentius omnem, Deo auxiliante, cautelam redintegrandæ pacis et ordinis amplectitur.

XX.

Ad papam precatoria. — Ut religiosos alienos et moniales de Bella Comba coerceat, quarum vicinitas pascua animalium Benedictionis-Dei impediebatur.

Sanctissimo Patri et domino Dei gratia summo pontifici, H., modicum id quod est.

Paupercula domus nostra, quæ dicitur Benedictionis-Dei in arido loco terræ sterilis fundata est, sed angusta facultatibus et paupertate depressa, ut si sola ei pascua defecerint animalium, continuo et ipsa pabula deficiant animarum. Surrexerunt autem nuper quidam diversæ religionis et ordinis alieni, qui cum habeant oves et boves abundantes in egressibus suis, in exterminium paucularum ovium quibus prædicta domus nostra suam consolabatur, utcunque pauperiem, turmas varias et pecus multiplex induxerunt; non solum alieni, sed et moniales de Bella-Comba prædictæ domus pascua etiam sui graviter turmis incursant, et in confinio grangiarum ejus novas ædificant mansiones. Quapropter fratres nostri, qui de domo illa sunt, clementiam vestram nobis intervenientibus deprecantur, ut per apertas litteras vestras communiter ad omnes et ad prædictas moniales specialiter destinatas; hujusmodi importunitatis coerceatur excursus, sintque patrocinantibus vobis pascua prædictorum fratrum tam ab incursione libera, quam a mole novæ illius ædificationis exempta.

XXI.

Ad prælatum. — Ejusdem argumenti.

Domino et amico charissimo Patrique reverendo (1) W. Dei gratia Lugdunensi archiepiscopo, H. Clarevallis pater, salutem et modicum id quod est.

Filii vestri fratres nostri de Benedictione-Dei novi gravaminis oppressione tristantur, eo quod per multiplices alienæ religionis et ordinis pascua eorum peregrini gregis intrusione præoccupantur, et ad repellendas oviculas eorumdem fratrum turmas sibi intolerabiles coacervant. Inter cæteros vero, imo præ cæteris moniales de Bella Comba prædictos fratres nova ædificatione molestant, et in confinio grangiæ suæ recentis domicilii erigunt mansionem. Quocirca rogamus et petimus, quatenus hujus importunitatis instantiam vigor vestræ auctoritatis amoveat, et filiorum nostrorum iura perire ab externis non permittat.

XXII.

Ad papam. — Ut pactum contra ordinis institutum a Fontanensibus fratribus initum cum Flaviniacensibus monachis commutet.

Domino papæ.

Fratres nostri de Fontaneto a monachis Flaviniacensibus assiduis contentionibus lacessiti, ad quamdam pactionem pacis desiderio abducti sunt: quam nobis inconsultis in gravamen et præjudicium nostri ordinis admiserunt. Non enim patitur nostri ordinis institutum, ut medietarias præstemus de nostris laboribus functiones. Proinde rogamus obnixe

(1) Wichardo qui ex Pontiniacensi abbate ad sedem Lugdunensem assumptus est anno 1161

clementiam vestram, ut fratrum simplicitati, prout dignum vobis videbitur, succurratis, scribentes monachis Flaviniensibus, quatenus illicita pactio, quam nostri ordinis institutio non patitur, opportunæ conventionis placito commutetur. Præsertim latorem vobis suppliciter commendamus, obsecrantes ut eum in justis suis misericorditer exaudiatis.

XXIII.

Ad principem precatoria. — Conqueritur de vexationibus domini Wangionis-Rivi.

Dum me in terra aliena peregrinum et exsulem videam, divitiis et honoribus pristinis omnique propinquorum auxilio destitutum me sentiam, hoc unum mihi remedium ad consolationem senectutis meæ remanserat, quod omnipotens Dominus ad locum dominationis vestræ, in quo mihi pacem et securitatem promiseram, venisse me et mansionem habere permiserat. Sicut enim ex corde vos diligo, et sicut de pietate ac tuitione vestra plus quam de homine confido; ita etiam præsumebam quod me latitantem sub alis protectionis vestræ nullus malefactor invaderet, quandiu vos Dominus salvum et incolumem custodiret. Sed ecce, peccatis meis exigentibus, expellere me de terra vestra satagit unus de hominibus vestris, qui nec Deum reveretur, nec vestram, prout oporteret, precem et præceptionem suam appretiatur. Dominus Wangionis-Rivi contra folium quod vento rapitur ostendit potentiam suam et stipulam siccam persequitur, qui miserabilem canitiem meam absque miseratione jugiter insectatur. Grangiolam illam quam mihi pauperes vestri de Claravalle ad usum necessitatis meæ tradiderant, et cui construendæ omnem sollicitudinem et operam impendebam, ipse quotidie tam per se quam per homines suos modis omnibus destruit. Oves et boves omnemque substantiam quæ in ea est deprædatur atque consumit, fratres et famulos vel manentes conviciis et verberibus affligere non desistit. Denique tres equos nuper abstulit mihi, quos jam, sicut audio, vendidit. Magistrum grangiolæ conversum, cum pridie iret ad forum Barri, in ipso itinere publico non sine injuria vestra servi ejus vapulaverunt, et equum illius abstulerunt. Si hæc vestra nobilitati displicent, imo quia displicent, propter honorem vestrum compescite malitiam ejus, et secundum potentiam vobis a Deo collatam cogite illum ut et damna restituat, et pacem nobis de cætero teneat. Alioquin oportet me fugam maturatam arripere, et ab ista terra quam ex omni mundo ad moriendum et quiescendum in ea elegeram, denuo quasi captivum et profugum ad aliam transmigrare.

XXIV.

Ad regem precatoria. — Commendat ei domum M. in Hibernia.

Licet vestræ majestatis aures multis et magnis non ambigamus occupari negotiis, emergentibus tamen fratrum nostrorum angustiis multiplicibus, vos crebrius forsitan, quam in oculis vestris bonum sit, pulsare compellimur. Considerantes tamen vos ministrum et cultorem justitiæ et aliquem nos ad serenitatem vestram aditum habere, confidentes pro filiis et fratribus nostris sub manu protectionis vestræ degentibus secura fungimur legatione. Pro domo ergo M. quæ in partibus Hiberniæ sita vestræ subjacet ditioni lacrymabilem excellentiæ vestræ querimoniam proponere instigamur.

XXV.

Ad socium amicabilis epistola.

Constat, charissime, quia longissimo terrarum tractu ab invicem separentur mortalia et corruptibilia nostra, adeo ut ad invicem nulla possimus ratione accedere, ut de invicem loquamur, et invicem consolemur, et pro invicem sollicitemur et oremus. Sed profecto, si fideles in dilectione et veraces sumus in sermone, spiritus qui vivificant omne negotium peragunt, ipsi accedunt, ipsi de invicem loquuntur, ipsi pro invicem orant et sollicitantur. Quando enim mihi meus spiritus tui poterit oblivisci? quando vel ad momentum recordatio tui et dilectionis tuæ circa me, et lacrymarum propter me a visceribus meis poterit avelli? Charissime, invisceratus es, non tam facile erueris; etiamsi assumpseris pennas tuas diluculo, ut longius avoles et habites in extremis maris, illuc te sequar spiritu. Illuc te visitatione qua potero visitabo, oratione duntaxat, et pia sollicitudine ad eum qui salvos nos fecit propter certissimam spem quam habemus, et salvos faciet propter verissimam rem quam speramus. Denique, etsi in hoc corpore te visitare non datur quemadmodum placeret, his tamen apicibus te visitare non negligo, per quos veraciter insinuo, quia talis in eis hodie, qualis eras cum a nobis discessisti, charus utique tunc, et nunc non minus charus. Acceptus tunc temporis, nec minus gratus et acceptus hac die, et maxime quia, sicut ex ore domni abbatis didici, te Domino acceptabilem et hominibus commendabilem facis. His, obsecro, mi, his, inquam, negotiis impliceris; his studiis occuperis; his curis exercearis, quia fructus non erit inanis, nec merces corruptibilis sed incorruptibilis, si in his perseveraveris.

Sequentes epistolas quatuor Chesnius evulgavit *Script. rer. Franc.* t. IV, p. 485.

XXVI.

Ad episcopum Cabilonensem. — Gratulatoria.

Convaluit in Domino spiritus meus vestræ felicis promotionis auspicio, quam utique acceptabilem Deo, salubrem vobis, Ecclesiæ utilem, et utrique nostrum arbitror esse communem. Nam in nobis si ad charitatis respicitur unionem, ego ipse quodammodo intelligor esse promotus, qui vestræ dilectionis glutino mediante in corde uno et anima una vestræ sum paternitati conjunctus. Ideoque attributæ vobis cœlitus dignitati felices processus, et successus uberes, imprecamur, optantes ut eam sibi non privatus ambitus, sed publicus debeat vindicare profectus, deturque per illam nobis de justitiæ semine lætitiæ manipulos portare. Quod utique, divina præeunte gratia, hac vobis ratione continget, si prodesse magis assueveritis quam præesse, et quodam æmulatoriæ imitationis obtentu sollicitum vos prædecessoris vestri præstiteritis successorem : cui sic exuberaverit pietatis liberalitas in egenos, ut præsto semper esset justitiæ severitas in tyrannos. Confido ego, charissime, hoc ipsum vobis ex divina provisione collatum, ut ei succederetis in opus sollicitudinis, cujus tam vitæ quam actionis exemplum vobis esset speculum sanctitatis. Gerenda est ergo vobis ecclesiarum tutela, cura pauperum, defensatio pupillorum. Talibus enim hostiis promeretur Deus. Et quoniam quod plus est cordi magis instat affectui, Altecumbæ nostræ memoriam facimus specialem, pro illa preces, sed pro illa intercessiones utiles effundendo, ut curam ejus, quam ego omnino non possum deponere, vos, si placet vestris affectibus, imponatis; remota prorsus ambiguitate scientes quod mihi specialiter erit exhibitum quidquid ei fuerit de gratia et vestri favore patronatus impensum.

XXVII.

Ad eumdem. — Ut in electione Cisterciensi sibi adsit.

Necessitas amicum probat, et intimæ charitatis ardorem splendor exhibitæ subventionis elucidat. Si quando igitur, vel nunc maxime nobis vestræ dilectionis experimenta præbebitis, cum et nos urget, et vestræ imminet Clarevalli, in quo et ei et nobis animi vestri benevolentiam demonstretis. Angit enim nos vehementer, nec dubium omnino quin angat, Cisterciensis electionis instantia, ne dum a multis magnisque personis matris dignitati concurritur, in jacturam et dispendium filiæ recurratur, instantibus utique fratribus domus ipsius, ut qui Tolosani turbinis fluctus integra rate nos enavigasse putavimus, in portus nostri finibus naufragemur. Rogamus ergo vos, et tanta necessitate conclamante deposcimus, quatenus, relictis curis A omnibus et intermissis ad tempus, vestrum ad nos acceleretis adventum, ita ut infra Dominici Natalis octavas, vestris in hoc opere et consiliis et auxiliis in Domino perfruamur. Videtur autem nobis, nisi forte vobis aliter videatur, ut Durandum hortari et inducere debeatis, quod ad conservandam pacem nostram pie ac prudenter invigilet, et assensum suum contrariis suggestionibus non inclinet.

XXVIII.

Ad Ludovicum regem Francorum. — De hæreticis Albigensibus.

Piissimo Domino suo Ludovico, Dei gratia Francorum regi, Henricus Clarævallensium pauperum B servus, immarcessibilem æterni regni coronam.

Inter cætera fidei et pietatis insignia, quibus inter reliquos mundi principes vestræ sublimitatis apex singulari et fere unica devotione resplendet, illud in vobis Christiani fervoris propositum amplectimur, et laudamus quod de eliminanda hæreticorum incertitudine concepistis, in tantum ut animum quoque regis Anglorum in eamdem, sicut audivimus, induxistis pietatem. Gratias Deo super inenarrabili dono ejus, de cujus munere venit ut in terris positus de cœlestibus cogitetis. Unus inventus diebus his nostris, in quo præter consuetudinem principum memoria potissimum vigilet æternorum. Non ergo cessamus pauperes vestri de Claravalle, sedulo pro vobis orantes ad Deum, ut ve- C stræ magnanimitatis vota grata, rata et acceptabilia faciat, et omnes regiæ dispositionis adnisus ad gloriam suam et salutem vestram promoveat, ordinet et disponat; specialiter autem in hoc opere Christianæ religionis et fidei copiam vobis gratiæ cœlestis impendat, per quam dignus inveniamini corona justitiæ, tam propagator fidei, quam victis infidelibus triumphator. Et nos quidem nuper ire ad partes illas pro visitandis nostris domibus disponentes, decreveramus faciem vestram etiam in hoc ipsum præcedere, ut possemus aliquos ex infidelibus illis prius ab erroribus suis, deinde ab ore imminentis gladii liberare. Habita tamen deliberatione nobiscum, præsensimus melius esse nobis D omnino desistere, ne ipsi forsitan ex monitis nostris in sua redderentur perfidia cautiores. Vobis melius decernitur hujus pugnæ victoria, per quam favente de supernis Altissimo, vel faciatis eos ad Ecclesiæ sinum reduces, vel a sinu regni propulsabitis contumaces. De cætero nosse vos cupimus quidquid forsitan alii dicant vobis, quod ad diem, qua comes Henricus crucem assumpsit, inde licet vocati interesse noluimus, quia dubitamus secundum ea quæ pridie acta fuerant, ne in aliquod vellent inutile declinare consilium, quod nobis esset aliquatenus inhonestum. Ibi tamen eadem die nec orationes

fratrum nostrorum, nec nostræ litteræ defuerunt: quibus per Dei gratiam et princeps animatus est ad susceptionem crucis, et consiliarii ejus recto incesserunt itinere veritatis.

XXIX.

Ad omnes Christi fideles. — De rebus a se et sociis suis tempore legationis eorum adversus Albigenses gestis.

Audite, cœli, quod plangimus, sentiat terra gemitum cordis nostri. Doleant vices Christi catholici Christiani, et ad detrimentum fidei fidelis populus ingemiscat. Quique terrigenæ et filii hominum humanæ salutis damna deplorent, et generalis vitæ suæ subversio ab omnibus viventibus generaliter lugeatur. Stat contra phalangas Israel novus nostri temporis Philisthæus, hæreticorum ordo, exercitus perversorum, qui agminibus Dei viventis irreverenter exprobrat, et Dominum majestatis impia præsumptione blasphemat. Quid dubitas, o David? quid trepidas, vir fidelis? Sume tibi fundam et lapidem, percutiatur protinus in fronte blasphemus, et caput nequam, quod impudenter erigitur, suo tuis manibus mucrone tollatur. Si enim in hoc certamine pars Christi vincitur, si vel ad modicum et in puncto mater Ecclesia conculcatur, scimus profecto causæ nostræ deesse meritum, sed patronum. Scimus quod non negabitur agonistæ nostro triumphus, si in amore Christi militet pugnaturus. Verum quia juxta Veritatis verbum Domini messis multa est, operarii autem pauci subintroierunt, audacter tuorum, bone Jesu, depopulatores agrorum parati sicut operarii subdoli acerba magis eradicare quam matura demetere, et tuæ messionis diem suis disreptionibus prævenire. Ubi sunt ergo nunc agricolæ tui constituti super fertilem agrum et jucundum, tuo cruore floridum, et aspersione pii sanguinis irrigatum? Surgant et opitulentur nobis, et in necessitate nos protegant, seque ad cruentas bestias murum defensionis opponant. Surgite, inquam, surgite, viri Patres, duces gentium, principes populorum. Abigite feras pessimas quas vidimus, quas monstramus, vel saltem vulpes parvulas effugate. Et capere quidem melius; sed ad hæc quis idoneus? Non habent certos aditus, semitas ambulant circulares; et in quodam suarum fraudium labyrintho monstra novissima reconduntur. Tanquam damula de manu diffugiunt, et instar colubri tortuosi quo eos plus astrinxeris facilius elabuntur. Deo autem gratias, quia etsi capi nequeunt, fugari possunt; ut cum prodiderint quod demoliebantur in nobis confundantur et pereant in seipsis. Hoc autem quam sit facile, per ea quæ vidimus et tractavimus approbamus, ut jam amodo si factum non fuerit, non tam illorum nequitiam quam defectus nostros nostrorumque negligentiam deploremus.

Contigit enim nuper ad imperium domini papæ, et hortatu piissimorum principum Ludovici Francorum, et Henrici Anglorum, regum, venerabilem Petrum apostolicæ sedis legatum, virosque discretos A Pictavensem et Bathoniensem episcopos, nosque in comitatu eorum urbem adire Tolosam, quæ sicut erat civitas maximæ multitudinis, ita etiam dicebatur mater hæresis et caput erroris. Perreximus ergo ad illam, ut sciremus si juxta clamorem qui ascenderat, esset dolor ejus. Et ecce inventa est plaga ejus magna nimis, ita ut a planta pedis usque ad verticem non esset in ea sanitas. Vere enim tertia pars nobis nuntiata non fuerat de omnibus abominationibus suis malis, quas civitas illa nobilis in incredulitatis suæ gremio confovebat. Locum in ea sibi abominatio desolationis invenerat, et propheticorum similitudo reptilium in latibulis ejus domicilium obtinebat. Ibi hæretici principabantur in populo, dominabantur in clero; eo quod sicut populus, B sic sacerdos; et interitum gregis ipsa configurabat vita pastoris. Loquebantur hæretici, et omnes admirabantur. Loquebatur Catholicus et dicebant: Quis est hic? In stuporem et miraculum deducentes si esset aliquis inter eos qui de verbo fidei auderet aliquid vel mutire. Interim prævaluerat pestis in terra, quod illi sibi non solum sacerdotes et pontifices fecerant, sed etiam evangelistas habebant: qui corrupta et cancellata evangelica veritate, nova illis Evangelia cuderent, et de corde suo nequam recentia dogmata seducto populo prædicarent.

Mentior, si non erat inter eos homo quidam ætate grandævus, rebus locuples, ornatus fratribus et amicis, et magnus homo inter maximos civitatis: C quem ita, peccatis exigentibus, diabolus excæcarat, ut seipsum Joannem evangelistam diceret, et Verbum quod erat in principio apud Deum, ab alio quodam rerum principio tanquam a Deo altero segregaret. Hic erat in urbe illa pereuntium caput, et princeps hæreticorum; qui, licet tanquam laicus idiota nil saperet, inter eos tamen velut quidam diabolicæ sapientiæ fons perditionis latices emanabat. Conveniebant ad eum nocte noctuæ tenebrosæ, et ille indumento ad instar tunicæ dalmaticæque vestitus, cum sederet inter eos tanquam rex circumstante in exercitu, erat et inerat desipientium prædicator. Totam penitus urbem discipulis suis et disciplina repleverat; quippe cui aliquis de urbe præ fortitudine suâ resistere non auderet. In ipso D quoque introitu nostro tanta erat hæreticorum ubique licentia, ut nos quoque per vicos et plateas recto itinere procedentes verbo subsannarent, digito demonstrarent, nos apostatas, nos hypocritas, nos hæreticos conclamantes. Verum, procedente tempore, et data nobis requie diebus paucis, nuntiatum est uni de nobis verbum exhortationis assumere, et de regula veræ fidei coram infideli multitudine disputare. Habito autem sermone orthodoxæ prædicationis ad plebem, conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas, ut qui prius obstruebant ora loquentium, jam apparere coram loquentibus non auderent. Audires illico vel videres vulpes transfiguratas in talpas, ut quæ prius in publico discurrebant, jam terrarum latebris, jam

sese cellulis immergerent cavernosis; et plantaria sacra, quæ jam non audebant in aperto commandere, infra terræ viscera corroderent et necarent. Ne autem pardus ille discolor pellis suæ varietate se proderet, sermonem sibi nequam callidis adinventionibus firmaverunt, ut ad nostræ conformitatis similitudinem simulandam, tracti ad discussionis examen, quidquid nos credimus se credere mentirentur.

Ex illa ergo die dominus legatus, et nos alii, qui cum feris bestiis congredi putabamus, ad perscrutandos eos, quos timor et confusio tanquam ignobile reptile in ima terræ detruserant, studium totum convertimus et laborem, ut vel coacti prodirent in publicum, et abjicerent in luce opera tenebrarum. Factum est exinde, præcipiente legato, ut juraret episcopus, et quidam de clero, et consules civitatis aliique viri fideles, quos nondum in aliquo perfidiæ fama resperserat, ut quoscunque vel hactenus noverant, vel nosse eos contingeret in futuro, qui essent hujus hæresis vel complices, vel actores, eorum nobis nomina scripto depromerent, nulli penitus vel amore, vel pretio, vel cujuspiam necessitudinis ratione parcentes. Cumque per dies singulos innumera multitudo in catalogum illius conscriptionis incederet, nominatus est inter alios magnus ille Petrus Moranus, quem Joannem evangelistam, ut supra diximus, nominabant. Super quo nos omnes, communicato consilio, decrevimus ab illo inchoare judicium, ut turba in reliquis perfida contremisceret, cum falsi evangelistæ versutiam veri evangelii simplicitas condemnasset. Missis igitur apparitoribus suis, præcepit eum comes Sancti Ægidii, qui fideliter nobis aderat, accersiri. Sed ille in multitudine divitiarum suarum et parentum numerositate confidens, primæ citationis edictum fastuosæ dilationis colludio declinavit. Altera ergo die prædictus comes blanditiis magis quam terroribus utens, eumdem Petrum per amicos et notos leniter advocavit, et eum nobis tandem post difficultates plurimas, mistis cum terrore blanditiis, præsentavit. Tunc unus, qui loquebatur e nobis, taliter eum exorsus est commonere: « Eia nunc, Petre, tui te concives accusant, quod sanæ fidei regulis confutatis, in Arianæ hæresis deveneris pravitatem; imo per multiplicium errorum versutias et ducas ipse alios, et ab aliis deducaris. » Ad hæc ille de profundo suspirans: In se non esse hujusmodi, est prima fronte mentitus. Et requisitus an hoc juramento probaret, simplici assertioni suæ tanquam viri nobilis et illustris credi oportere contendit.

Cæterum, cum in exigendo juramento universi pariter instaremus, promisit continuo se juraturum, ne in hoc ipso deprehenderetur hæreticus, si juxta quod consuetudo erroris illius obtinuit, vitandi juramenti existeret obstinatus. Mox igitur sanctorum reliquiæ honorabiliter efferuntur, cum tam solemni reverentia et devotione susceptæ, ut et fidelis popu-

A lus compungeretur ad lacrymas; hæreticos vero, qui convenerant, latebræ potius quam talia spectacula delectarent. Ipsum vero Petrum in cantu, quem ad invocandam Spiritus sancti gratiam profusis lacrymis cantabamus, tremor evidens et pallor operuit; ita ut ab eo color multus aufugeret, et virtus animi deperiret. Quomodo enim, adveniente Spiritu sancto, in adversariis ejus spiritus remaneret? Cernere erat hominem quasi morbo paralysi dissolutum, nec loquelam retinuisse, nec sensum, quamvis tantæ facundiæ fuisse diceretur ab omnibus, quod omnes in dicendo solitus sit superare. Quid plura? Jurat infelix astantibus universis quod de omnibus fidei articulis, quos requireremus ab eo, suæ credulitatis exprimeret veritatem. Res mira, et
B in tali spectaculo pia jucunditate gratissima! Allatus est liber, in quo juraverat, et uno de circumstantibus religioso quodam loco occurrentis litteræ prænosticum perquirente, illius Scripturæ textus occurrit: « Quid tibi et nobis, Jesu, Fili Dei? Venisti ante tempus perdere nos? Vere, Domine Jesu, nihil tibi et illis, quos Pater tuus ejectos a te vite vera, tanquam infructuosos palmites amputarat, et foras miserat ut arescant. » At nobis instantibus, ut de sacramento altaris suam nobis fidem sine fraude aliqua fateretur, quod corde non credidit ad justitiam, nec ore confessus fuit ad salutem; sed contra id quod de omnibus mentiri decreverat, falsitatis suæ prodidit veritatem, et panem sanctum
C vitæ æternæ sacerdotis ministerio in verbo Domini consecratum, non esse corpus Christi novo dogmate contendebat. Tunc surrexerunt omnes, cum quodammodo lacrymis obruentes, quas et sacramentorum contemptus elicuit, et habita erga miserum compassio Christiana profudit. Nec plura. Datur comiti reus, et hæreticus judicatus, statimque sub diligenti pollicitatione parentum custodiæ publicæ mancipatur. Volat facti rumor per vicos et plateas amplissimæ civitatis, aperiuntur ora fidelium, et catholicæ plebis labia in tua, Christe, præconia resolvuntur, velut tunc primum in eadem urbe fidei splendor erumperet, et in spem salutis æternæ desperata dudum civitas respiraret. Ex tunc igitur et deinceps verbum fidei crescebat, et multiplicabatur
D in dies; ita ut universa urbis facies lætior videretur, quæ in candorem lucidæ virtutis de tenebris evadebat erroris.

Interea Petrus ad se reversus, et, Domino respiciente, compunctus, cum se dignum penitus tam præsenti morte cerneret quam futura, missis mediatoribus multis satisfactionis quærit aditus, et conversionis pollicetur affectum, ut possit in frugem vitæ melioris ab imminentis mortis interitu liberari. Venit, recipitur, et in conspectu sistitur populi circumstantis, nudo quidem corpore, veteris exuens perfidiæ pravitatem. Ibi se coram omnibus hæreticum recognoscens, ibi dedit manus fidei, ibi abrenuntiavit errori, præstito coram omnibus manu dextera juramento, et datis fidejussoribus,

tam comite ipso quam multis præcipuis de concivibus suis, quod ad omne mandatum domini legati se subderet, et jussionem ejus in omnibus adimpleret. Tunc indictum est populo, ut omnes pariter ad ecclesiam sancti Saturnini die altera convenirent, audituri et visuri solemniter quam pœnitentiæ formam Petrus ille susciperet observandam.

Omnes ergo sequenti die, ut fuerant præmoniti, convenerunt; tanta utique multitudo, tam frequens, ut vix remaneret secus ipsa altaris cornua locus vacuus, qui domino legato missæ solemnia celebranti sine compressione nimia præberetur. Et ecce, coram illa multitudine multa nimis, Petrus ille jam noster per ipsas ecclesiæ valvas nudus et discalceatus adducitur, cædentibus eum hinc inde episcopo Tolosano, et abbate Sancti Saturnini, donec ad pedes legati in ipsis altaris gradibus se prosterneret. Ibi in facie Ecclesiæ ecclesiasticis reconciliatus est sacramentis; abjurata omni hæresi, et hæreticis anathematizatis ab eo. Mox autem possessionibus ejus publicatis universaliter et proscriptis, pœnitentia illi talis injungitur, quod infra quadraginta dies a patria sua exsulaturus abscederet, in servitio pauperum Hierosolymis triennio moraturus. Interim vero singulis diebus Dominicis ecclesias Tolosanæ urbis nudus et discalceatus cum disciplinalibus virgis jussus est circuire, ecclesiarum bona quæ abstulerat reddere, usuras omnes quas acceperat restituere, damna pauperum quos afflixerat resarcire, et castrum quoddam suum, quod hæreticorum conventiculis profanarat, ab ipsis fundamentis evertere. Deus bone, quot lacrymas lætitia sancta profudit! quas gratiarum actiones et laudes populus jubilans et devotus cœlestibus choris ingessit! cum de caverna perfidiæ talpa talis educitur, et in Israeliticam ovem lupus rapacissimus reformatur.

Post hæc illo dimisso, dominus legatus ad alios manus misit, examinaturus utique illos, quos in magno numero vel suspicio publica, vel accusatio privata notaverat. Nos autem vix tandem extorta cum lacrymis licentia revertendi, pro eo quod instantia capituli nostri jam reditus exigebat: petita licentia sub ea nobis est exceptione concessa, ut Albiensem diœcesim intraremus, commonituri principem terræ, Rogerum scilicet Biterrensem, ut Albensem episcopum, quem sub custodia hæreticorum in vinculis tenebat, absolveret, et universam terram suam juxta domini legati præceptum eliminatis hæreticis emundaret. Ingredientibus ergo nobis una cum supradicto Bathoniensi episcopo illam perditissimam regionem, quæ velut totius sentina malitiæ totam in se colluvionem hæresis illuc defluentis excepit: prædictus Rogerus in ultimos et inaccessibiles terræ suæ fines abscessit, tam mala conscientia profugus, quam causæ suæ merito desperatus. Oderat enim lumen veritatis actor malitiæ, nec sustinere poterat nostræ collocutionis accessum, qui totus recesserat in opera tenebrarum. Pervenimus tamen ad quoddam munitissimum castrum ejus, quod proprie ac singulariter castri nomine incolæ nuncupabant. Ibi habitabat uxor ejus cum militia magna, et familia multa nimis. Omnes fere habitatores illius castri, vel hæretici, vel hæreticorum complices erant, licet sola Domini virtute repressi, nihil contra fidem quam prædicabamus præsumerent vel mutire. Quamvis enim essemus et nos in manibus ipsorum positi, et velut intra quosdam potentiæ complices hæretica undique multitudine circumventi, verbum tamen Domini non erat alligatum, quin eos continuis invectionibus et increpationibus feriremus.

Cumque videremus quod nihil omnino præsumerent respondere, judicavimus prædictum Rogerum proditorem, hæreticum, et de violata pace episcopi et securitate perjurum, eum tanquam publica excommunicatione damnatum, ex parte domini legati et prædictorum regum in præsentia conjugis militumque suorum confidenter in Christi nomine diffidantes. Ecce amodo satis apparet quam grande et evidens ostium patet principibus Christianis, ut Christi ulciscantur injurias, ponantque desertum illud quasi hortum Domini, et solitudinem ejus in delicias paradisi. Ne autem vel parum, vel nihil contra illos posse causentur, sciant omnes generalem fuisse in urbe Tolosana sententiam, quod si visitatio ista fuisset adhuc triennio retardata, vix inveniretur in ea qui nomen Christi amplius invocaret. Super hæc autem omnia prædictus comes sancti Ægidii coram populo civitatis præstito juramento firmavit, quod amodo nec prece nec pretio favebit hæreticis nec eos in terra sua ulterius sustinebit (2).

(2) *Hactenus epistola seu Declamatio Henrici, Claræfallis abbatis, historica; cui ad pleniorem historiæ notitiam, ex litteris Petri cardinalis et legati sanctæ sedis, quas referunt Baronius et alii, quæ sequuntur addere visum fuit.* « Nos itaque indulgentiam eis concessam (quamvis a præfato comite Tolosano, et aliis nobilibus viris, sicut diximus, jam exierat edictum, ut de terris eorum deberent expelli), ratam habentes; eodem Pictaviensi episcopo, et prædicto comite Tolosano, et aliis clericis, laicis quasi trecentis, in ecclesia beati Stephani nobiscum pariter congregatis, illis injunximus, ut fidem suam nobis exponerent, et ad catholicæ fidei veritatem redeuntes, infamiam, quam et tota terra, et ipsi per damnabilem prædicationem incurrerant, per salutiferam confessionem veræ fidei removerent. Ipsi vero inter alia verba, quæ hinc inde processerunt, chartam quamdam, in qua fidei suæ articulos conscripserant, in medium protulerunt, et eam, sicut prolixius scripta fuerat, perlegerunt. In qua cum verba quædam deprehendissemus, quæ et suspecta videbantur existere, et nisi plenius exponerentur, hæresim, quam prædicaverant, possent velare; quæsivimus ut latinis verbis respondentes, suam fidem defenderent, tum quia lingua eorum non erat nobis satis nota; tum quia Evangelia et Epistolæ quibus tantummodo fidem suam confirmare volebant, Latino eloquio noscuntur esse scripta. Cumque id facere non auderent, utique qui linguam Latinam penitus ignorabant, sicut in

XXX.

Sententia Henrici Albanensis episcopi, et apostolicæ sedis legati, lata anno 1188 adversus abbatem S. Severi in gratiam Burdigalensis monasterii S. Crucis, in qua plurium fit mentio conciliorum.

(MARTEN. *Ampl. Collect.* t. VII, col. 87, ex archivis S. Crucis Burdigalensis.)

HENRICUS Dei gratia Albanensis episcopus, apostolicæ sedis legatus, dilectis in Christo filiis ARNALDO abbati et fratribus Sanctæ Crucis Burdegalensis, salutem et sinceræ dilectionis affectum.

Causam quæ inter vos et abbatem Sancti Severi, ejusque monasterium, super ecclesiam sanctæ Mariæ de Solaco vertebatur, dominus Alexander papa tertius sub certa forma nobis commisit, appellatione

verbis unius illorum apparuit, qui cum latine vellet loqui, vix duo verba jungere potuit, et omnino defecit; necesse fuit nos illis condescendere, et de ecclesiasticis sacramentis propter imperitiam illorum, quamvis satis esset absurdum, vulgarem habere sermonem.

« Illi ergo duo esse principia denegantes, publice coram nobis, et prædictis viris confessi sunt, et firmiter asseruerunt quod unus Deus altissimus omnia visibilia et invisibilia condidisset; quod etiam Scripturis, sicut verum est, evangelicis atque apostolicis comprobabant. Confessi sunt etiam quod sacerdos noster, bonus sive malus, justus vel injustus, et talis etiam, quem adulterum vel alias criminosum indubitanter esse scirent, corpus et sanguinem Christi posset conficere: et per ministerium hujusmodi sacerdotis, et virtutem divinorum verborum, quæ a Domino prolata sunt, panis et vinum in corpus et sanguinem Christi vere transsubstantiantur. Asserunt quoque quod parvuli vel adulti, nostro baptismate baptizati, salvantur; et nullus sine eodem baptismo potest salvari: omnino inficiantes se aliud baptisma, aut manus impositionem, sicut eis imponebatur, habere. Affirmaverunt nihilominus quod et vir et mulier matrimonio copulati, si aliud peccatum non impediat, licet carnaliter alter alteri debitum reddat, propter bonum matrimonii excusati salvantur, et propter hoc nunquam damnantur. Archiepiscopos præterea, et episcopos, presbyteros, monachos, canonicos et eremitas, Templarios et Hospitalarios affirmaverunt esse salvandos. Dignum quoque et justum esse dicebant, ut ecclesias in honore Dei atque sanctorum fundatas, cum summa devotione visitantes adirent, et sacerdotibus, et aliis earum ministris honorem et reverentiam exhibentes, primitias, et decimas eis deberent solvere, et de omnibus parochialibus devote et fideliter respondere. Eleemosynas etiam, tam ecclesiis, quam pauperibus, nec non et omni petenti esse tribuendas, inter cætera laudabiliter asserebat. Hæc omnia licet prius dicerentur negasse, juxta nostrum sanum intellectum se intelligere, asserebant.

« Postquam autem ita a nobis examinati fuerunt, et ea, quæ diximus, spontanea voluntate confessi sunt, ecclesiam beati Jacobi intravimus, ubi nobiscum innumera populi multitudo, quæ se quasi ad spectandum præparabat, convenit: et confessionem fidei eorum, quæ in prædicta chartula conscripta fuerant, vulgari sermone audivit. Porro, cum a nobis, et omni populo, qui ibidem convenerat, in omni patientia, et sine tumultu aliquo fuissent auditi, et ipsi sponte finem dicendi fecissent, quia expositio suæ fidei satis laudabilis et catholica videbatur; iterum ab eis, audiente universo populo, quæsivimus, si corde crederent quod ore fuerant confessi; et si aliquando in contrarium, sicut eis sæpius impositum fuerat, prædicassent. Illis vero respondentibus se ita credere; et nihilominus negantibus se unquam aliter prædicasse, nobilis vir comes Tolosanus, et multi alii clerici et laici, qui eos audierant aliter prædicantes, vehementi admiratione commoti, et Christianæ fidei zelo succensi surrexerunt, et eos plane in caput suum mentitos fuisse manifestius convicerunt. Quidam enim constanter proposuerunt se a quibusdam illorum audisse quod duo dii existerent, alter bonus, et alter malus: bonus, qui invisibilia tantum, et ea, quæ mutari aut corrumpi non possunt, fecisset; malus, qui cœlum, terram, hominem et alia visibilia condidisset. Alii affirmaverunt se in illorum prædicatione audisse corpus Christi non confici per ministerium sacerdotis indigni, aut aliquibus criminibus irretiti. Multi similiter testati sunt eos prorsus negantes audisse virum cum uxore salvari, si alter alteri debitum reddat. Alii in faciem illis firmiter opponebant, quod ab ipsis audissent, baptismum parvulis non prodesse, et alias quamplures contra Deum et sanctam Ecclesiam, et catholicam fidem blasphemias protulisse quas pro abominabili earum enormitate tacere maluimus quam referre.

« Quidquid autem illi in sua superiori confessione, quæ satis videbatur sufficere ad salutem, si ita corde crederent ad justitiam, et in corde, et corde dixerint, sicut homines tortæ mentis, et intentionis obliquæ; tandem hæresim noluerunt relinquere, ubi crassum et sopitum intellectum eorum alicujus auctoritatis superficie videbatur juvare, occasione verbi illius, quod Dominus in evangelio dixisse legitur: *Nolite omnino jurare; et sit sermo vester, est, est; non, non* (*Matth.* v; *Jac.* v), dicentes se non debere jurare, cum ipse Dominus sæpe jurasse legatur, sicut scriptum est: *Juravit Dominus* (*Psal.* CIX), etc. Et alibi: *Per memetipsum juravi, dicit Dominus* (*Genes.* XXII); et Apostolus: *Omnis controversiæ finis est juramentum* (*Hebr.* VI). Et multa in hunc modum in divinis Scripturis legentibus sese offerunt et occurrunt, quibus propter illorum infirmitatem, quibus aliquid suademus, jurare permittimur. Cæterum ipsi, tanquam viri idiotæ, non intelligentes Scripturas, in laqueum quem absconderant ceciderunt. Qua, cum prius juramentum, tanquam rem exsecrabilem et a Domino prohibitam, abhorrerent, in ipsa confessionis suæ charta jurasse convicti sunt, cum dixerint: In veritate, quæ Deus est, ita credimus, et dicimus, quod hæc est fides nostra; nescientes quod veritatem et verbum Dei in testimonium veræ assertionis adducere, procul dubio sit jurare, sicut de Apostolo legimus, cum dixit: *Hoc enim vobis dicimus in verbo Dei* (*I Thessal.* IV). Et alibi: *Testis est mihi Deus* (*Rom.* I). Et alia similia comprobant, quæ ab illis, qui divinas Scripturas intelligunt, et legerunt, possunt facilius inveniri.

« Cum autem a multis et sufficientibus testibus fuissent convicti, et adhuc multi se ad ferendum contra eos testimonium præpararent; quia Ecclesia consuevit redeuntibus misericordiæ gremium non negare, eos diligentius monuimus, ut omni hæretica pravitate deposita, ad fidei unitatem redirent: et quia a Domino papa, et venerabilibus fratribus nostris Bituricensi et Narbonensi archiepiscopis, et a Tolosano episcopo, et a nobis ipsis propter perversam prædicationem et sectam excommunicati fuerant, ad nos juxta formam Ecclesiæ reconciliandi venirent. Quod cum illi in arcum pravum conversi, et mente perdita indurati facere recusarent; nos in conspectu totius populi, qui jugiter acclamabat, et in eos multa immanitate fremebat, eos iterum accensis candelis, una cum prædicto Pictaviensi episcopo, et aliis religiosis viris, qui nobis in omnibus astiterunt, excommunicatos annuntiavimus, et ipsos cum suo auctore diabolo condemnavimus. »

remota, terminandam. Nos itaque mandatum apostolicum exsequi polentes, partem utramque ante nostram præsentiam convocavimus diem in octavis Nativitatis S. Joannis assignantes. Ad quam diem cum tu, dilecte fili abbas Sanctæ Crucis, ad castrum Descura, quod in Albigiensi episcopatu est, ad nostram præsentiam paratus et instructus veneris, abbas S. Severi nec venit, nec responsalis pro eo aut pro monasterio suo comparuit, qui causam vellet subire, licet ipsius auctores essent, et causam eamdem coram Romano pontifice suscitassent. Tamen abbas de Altoponte et duo clerici sine litteris abbatis vel capituli venerunt, qui dicentes se ab abbate S. Severi transmissos, allegaverunt eum gravi ægritudine detentum, quare ad diem assignatam non venisset. Verum fidem super his nobis nullam fecerunt. Et licet tu, Sanctæ Crucis abbas, per advocatos tuos expensas tibi adjudicari propter defectum adversæ partis, instanter postulares; tamen tam quæstionem expensarum, quam totam causam duximus protelandam; diem utrique parti peremptoriam assignantes octavam Nativitatis S. Mariæ. Ad quam diem apud Anicium, ad nos tu nihilominus paratus, et instructus testibus et instrumentis, cum multa difficultate laborum et expensarum venisti, nec pars S. Severi venit, nec responsalis apparuit, qui pro eo vel saltim causam absentiæ allegaret. Sed cum te per plures dies detenuissemus, adversarios tuos exspectantes, rationes et allegationes tuas, tam super causa principali quam super quæstione expensarum, per advocatos tuos proponens, ut diffinitivam de omnibus daremus sententiam, instanter postulasti. Nos vero cum venerabilibus fratribus nostris Pictaviensi, Aniciensi, Magalonensi et Lodovensi episcopis, aliisque personis in utroque jure peritis, quæ nobis assistebant, consilio habito abbatem et monasterium Sancti Severi tibi condemnavimus in expensas quas fecisti pro causa ad eumdem terminum prosequenda. Et licet major pars assessorum nostrorum in eo conveniret, quod totam causam diffiniremus, quia diem peremptoriam assignaveramus. Et quia pars Sancti Severi, quæ monasterium Sanctæ Crucis traxerat in causam, contumaciter absens videbatur, cum nec responsalis ejus absentiam excusans, appareret; tamen eamdem partem mansuetius portantes, aliam diem peremptoriam assignavimus in octavis Kalendarum Decembris, credentes quod in eadem terra tunc essemus, et ibi plenius de causa nobis posset liquere. Sane ad eam diem apud Vasatum, ubi venerabiles fratres nostri Auxitanus archiepiscopus et suffraganei sui, et prælati ejusdem provinciæ ad concilium quod ibi celebravimus convenerant: ambæ partes coram nobis præsentes fuistis. Et abbas Sancti Severi pro se et monasterio suo causam per advocatos suos movens, asseruit, quod olim cum monasterium Sancti Severi per priorem et monachos suos ecclesiam Sanctæ Mariæ de Solaco in pace possideret, a monachis Sanctæ Crucis Burdegalensis exinde per violentiam fuerunt expulsi, et super eadem expulsione coram Romanis pontificibus et in synodis multas fecerant proclamationes, et in jus litteræ fuerant contestati. Quare possessionem ejusdem ecclesiæ sibi restitui postulaverunt. Ad quod per advocatos tuos respondens, tam violentiam quam expulsionem, et proclamationes, et litis contestationes constanter negasti; sed ecclesiam de Solaco monasterio Sanctæ Crucis per Amatum quondam Olorensem et Hugonem Diensem episcopos, tunc apostolicæ sedis legatos, in concilio quod Burdegalæ celebraverunt, et postmodum per papam Paschalem tibi adjudicatam fuisse, asseverasti. Quarum sententiarum munimenta præ manibus dixisti habere. Addidisti etiam, quod post ipsas sententias, non solum per quadraginta annos ecclesia Sanctæ Mariæ de Solaco a monasterio Santæ Crucis in pace possessa fuerat et obtenta, sed ultra quam hominum memoria exstaret. Sed ante omnia volebas tibi restitui expensas, quas tibi apud Anicium adjudicaveramus.

Cumque super his hinc inde diu disputatum fuisset, et propter mutuas infiriationes de facto nobis minime constaret; præcepimus utrique parti et testes suos produceret ad suam intentionem probandam. Ubi abbas Sancti Severi quatuor testes produxit, et tu consequenter quamplures. Quibus productis, abbas Sancti Severi pro aliis testibus producendis inducias postulavit, allegans per machinationem et metum abbatis Sanctæ Crucis testes suos sibi fuisse subductos. Sed quamvis hoc, tu, abbas Sanctæ Crucis, constanter negares, allegans quod post duos dies peremptorios sibi assignatos induciæ ulterius non essent dandæ; tamen alium diem peremptorium assignavimus, tertiam diem post Epiphaniam, ita quod tunc ad sententiam plenarie hinc inde veniretis instructi. Ad eamdem diem cum ambæ partes ad nostram præsentiam Santonas venissetis, pars abbatis S. Severi prædictam subductionem testium a te, abbas Sanctæ Crucis, sibi factam constanter iterato allegavit; super hoc monachum quemdam et duos servientes suos testes produxit, quibus præstito juramento receptis et diligenter examinatis, cum de facto minime convenirent, et viles et suspecti essent, nullam nobis in hac parte fidem fecerunt. Verum, licet tu et advocati tui attestationes publicari et sententiam dari postularetis, et consilium nostrorum esset assessorum, quod id ageremus; tamen sacramento in charta monachorum manu ab abbate Sancti Severi ad ipsius oblationem suscepto, quod dilationem, prout videbatur, malitiose non requireret, atque ad diem quam sibi assignaremus, sine subterfugio de causa ipsa sententiam nostram reciperet, et quod eam observaret ac faceret a fratribus suis inviolabiliter observari; ad convincendam omnem malitiam, quartum diem peremptorium, tertiam sequentis Quadragesimæ Domini-

eam ei assignavimus, et testes quos sibi subtractos asserebat, sub excommunicationis pœna per litteras nostras districte commonuimus, ut super causa eadem perhiberent testimonium veritati.

Et interim personis ab ipsis partibus electis, testium ipsorum commisimus receptionem. Termino siquidem assignato, ambæ partes ad nostram præsentiam apud Lemovicas, ubi concilium de prælatis Bituricensis et Burdegalensis provinciarum celebravimus, instructi accessistis, et tres testes juratos abbas Sancti Severi produxit. Quibus receptis et examinatis, de assensu utriusque partis publicavimus attestationes; cumque attestationes ipsas partes conscripsissent, et super eis diu disputassent, pars Sancti Severi postulavit alias iterum inducias sibi dari, ad producendos testes de interruptione quietæ et longissimæ possessionis, quam de prædicta ecclesia de Solaco pars Sanctæ Crucis per multos testes se habuisse videbatur probasse. Ad quod advocati tui, abbas Sanctæ Crucis, responderunt, quod nulla penitus dilatio foret inde ulterius concedenda, cum jam quatuor peremptorias dilationes, præter omnem juris formam, præsertim cum abbas et fratres Sancti Severi actores essent, eis concessissemus, et violentam expulsionem, et secutam possessionis interruptionem inter primos litis congressus fuissent contestati, et super violentia et interruptione testes, quorum attestationes erant publicatæ, producti essent et examinati. Id etiam contra testes abbatis Sancti Severi addiderunt, scilicet quia quidam eorum de auditu tantum factæ violentiæ et interruptionis testificati erant, non quod ipsi fieri vidissent. Alii quidam, qui se violentiam vidisse testabantur, et vacillabant, et in attestationibus suis ita contrarii ad invicem erant, quod eorum testimonia omnino repellenda erant et contemnenda, et propterea quia in probatione violentiæ defecerant, non erant admittendi ad probationem interruptionis quam protestabantur, violentiam quam probare non potuerant, fuisse subsecutam.

Nec non Amati quondam Olorensis episcopi, tunc apostolicæ sedis legati, privilegium ejusdem sigillo signatum nobis tradidisti, in quo continebatur, quod coram se et Hugone Diensi episcopo, qui similiter legatus erat, in concilio quod apud Burdegalam celebrarunt, in quo Burdegalensis, Auxitanus, Turonensis et Dolensis archiepiscopi cum suffraganeis suis residebant, inter Arnaldum Trencardi olim abbatem Sanctæ Crucis, et Arnaldum Sancti Severi, super jam dicta ecclesia sanctæ Mariæ de Solaco quæstio ventilata fuit; et ad ultimum ita definita, quod cum in ipso Burdegalensi concilio multis testificationibus canonicis probatum fuisset Gregorium abbatem prædecessorem ipsius Arnaldi Sancti Severi, Romæ coram Alexandro papa de injuria quam faciebat Arnaldo abbati sanctæ Crucis, de Ecclesia sanctæ Mariæ de Solaco, adeo convictum fuisse, quod ipse abbas Gregorius in manu ejusdem Romani pontificis ecclesiam ipsam dimisit, firmiter promittens se ipsam non amplius invasurum. Et quod idem papa Alexander præfatum Arnaldum abbatem Sanctæ Crucis, de eadem ecclesia sanctæ Mariæ reinvestisset; ipsi Arnaldo Sanctæ Crucis abbati et successoribus suis, apostolica et concilii fultus auctoritate, ecclesiam sanctæ Mariæ de Solaco cum omnibus ad eam pertinentibus perpetuo jure possidendam adjudicavit, et eum exinde revestivit, et privilegium sigillo suo impressum exinde sibi fecit. Porrexisti etiam nobis privilegium Urbani papæ, in quo eadem sententia expresse confirmatur. Præsentasti et aliud privilegium Paschalis papæ, in quo manifeste declaratur, quod cum inter Suavium Sancti Severi abbatem, et Fulconem Sanctæ Crucis abbatem super eadem ecclesia sanctæ Mariæ de Solaco, in Lateranensi palatio iterato querela fuisset advecta, et coram eodem papa diu agitata, relectis instrumentis utriusque ecclesiæ, ac diligentius indagatis ab episcopis et presbyteris cardinalibus, qui præsentes aderant, judicatum fuisse, præfatam diffinitionem, quæ in Burdegalensi concilio supra memorato facta fuisset, perpetuum debere robur obtinere; atque idem Paschalis papa eamdem diffinitionem sua firmans assertione, scripto apostolico sancivit sæpe fatam ecclesiam beatæ Mariæ de Solaco, sicut diffinitum fuerat, a Sanctæ Crucis monasterio quiete in perpetuum possideri, et eodem scripto prohibuit, ne extunc clamor inde aliquis audiretur. Auditis itaque utriusque partis rationibus, et allegationibus, et attestationibus, atque instrumentis diligentius inspectis et sufficienter intellectis, et habita plenaria deliberatione cum venerabilibus fratribus nostris S. Lemovicensi episcopo, G. Autisioderensi electo, abbate Sancti Martialis, aliisque pluribus personis honestis, et in divino et humano jure peritis, de communi eorum consilio, cum nobis constaret per multos testes juratos, contra quos nihil dicebatur, ecclesiam sanctæ Mariæ de Solaco a monastrio Sanctæ Crucis, per prædictam Amati olim Olorensis et Hugonis olim Diensis episcoporum, et apostolicæ sedis legatorum, sententiam et Urbani papæ confirmationem, et Paschalis papæ decisionem, non solum per quadraginta annos, sed etiam per septuaginta et plures quiete possessam fuisse, neque de violenta ejectione, quam abbas Sancti Severi allegaverat, præter testium suorum vacillationem, contrarietatem et suspicionem, fides nobis aliqua facta fuisset, licet quatuor dies peremptorios ad testium productionem ei assignavissemus, et nullam concedendam sibi amplius dilationem cognosceremus; considerata forma commissionis, quam de eadem causa dominus Alexander papa tertius nobis injunxerat, abbatem et monasterium Sanctæ Crucis ab impetitione abbatis et monasterii Sancti Severi super ecclesia sanctæ Mariæ de Solaco, per sententiam absolvimus diffinitivam, et eamdem ecclesiam ab abbatibus et monasterio Sanctæ Crucis, sine inquietatione abbatum et fratrum Sancti Severi, adjudicavimus perpetuo possidendam; abbatibus et monasterio Sancti

Severi super repetitione ipsius ecclesiæ perpetuum A silentium imponentes.

Datum apud Pictavim per manum Raimundi de Capella, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, anno Dominicæ Incarnationis 1182, Kalendis Aprilis.

XXXI.

Epistola Henrici episcopi Albanensis ad universos Ecclesiæ prælatos. — Hortatur ad modestiam, humilitatem et pœnitentiam.

(Anno 1187.)

[MARTEN. *Ampl. Collect.*, I, 975, ex ms. Hemerodensi.]

Venerabilibus et in Domino sibi charissimis archiepiscopis, episcopis, cæterisque Ecclesiæ prælatis H. (3) Albanensis episcopus apostolicæ sedis legatus, per gloriam salutiferæ crucis ad perpetuæ lucis B gaudia pervenire.

Publicani et peccatores violenter præripiunt regnum Dei, quod ab ipsis vim perpeti gratulantur, et qui duces esse debuerant, nec sequuntur. Propter quod personis potissimum ecclesiasticis attendendum, ne, quod Deus avertat, ex clericorum damnatione incipiant resarcire principes tenebrarum, quæ ex laicorum conversione sustinent detrimenta. Cavendum etiam ne mare dicat ut Sidon erubescat. Cavendum est ne subjugale mutum hominis voce loquens incipiat redarguere insipientiam prophetarum. Litteris itaque, dilectissimi, non modo inscribi frontibus signum Thau, signum Dominicæ passionis, sed et cordibus inprimi his præsertim diebus oportet. Atrum est atramentum, atrox atramentarium, quod C a renibus ejus dependet, qui in lineo habitu singularis candoris, qualem fullo super terram facere nequeat, omnimodæ scilicet pietatis quam impœnitens nullus attingat signatum et insignitus advenit. Consideraverat atramentum hoc, altitudinem hanc, hanc nigredinem, qui dicebat: *Vidimus eum et non erat species ei neque decor* (*Isai.* LIII). Obsecro vos, dilectissimi, ne vos huic deformitati pigeat conformari. Æmulamini ejus humilitatem, qui pro vobis annorum induit infantilium paupertatem, ignominiam crucis subire non renuit, reputari inter mortuos non refugit. Deponite veterem hominem cum actibus suis, et exuvias veteris exuat Salvatoris ore prudentia commendata serpentis. Non competit huic tempori, non mœrori. Non plus calcaria quam altaria fulgeant, cum et illa forsitan oporteat ciliciis interim cooperiri. Idem quoque de sellis, de frenis, de phaleris notabilibus et inanem præferentibus fulgorem sentiendum. In vestibus suis deponant clerici, quæ etiam reges abjiciunt, quæ signatorum Christi universitas noscitur abdicare. Abjiciant varia, grisea, zebelinos, et pelliculas ejusmodi grandis pretii, sed coram Deo periculi grandioris, nec minoris in veritate dedecoris, dum ad imaginem Dei creatus homo pelliculis murium sese credit ornari. Audiatur Petrus saltem diebus istis, qui nullo tempore debuit non audiri; audiatur, ut appetere viros pudeat, pudeat clericos quod eorum primus ad ipsorum gloriam, primus in contumeliam tonsuratur, etiam mulieribus interdixit. Non manicæ, non calceamenta eorum. Si vero etiam ministrantium eis quotidianis egeant consuturis, ne subtilitas lineæ ligandis eorum manibus et pedibus in vincula debeant graviora converti, vel ne videantur funiculos texere, unde ligatis pedibus suis et manibus in exteriores tenebras demergantur. Manicatas etiam cappas non dissimuletis abjicere, quæ ex cappis et tunicis habitu duplicato duplicitatem redarguunt animarum. Qui ex lino et lana contextam vestem prohibuit, si vidisset suo tempore vestes ex cappa et tunica fieri, non laudasset. Prima fuit in cœlo generis humani transgressio, primam et ternam ex adversario jejunans Christus victoriam reportavit. Siquidem vicit mundum in appetibilibus suis, in concupiscentia carnis, in concupiscentia oculorum et superbia vitæ, de voluptate, de otiositate, de ambitione triumphans. Modo sibi et numerum laici in cibariis posuerunt, ut duorum ferculorum sint contenti, quod si vobis diceretur uno fore contentos, forsitan Germanicis aliquibus non placeret. Verumtamen si videtur sufficere quod ad numerum pertinet indicta frugalitas, vestrum erit imitatione dignum aliquid addere super deliciarum ineptiis declinandis. Et quidem mater vestra sacrosancta Romana Ecclesia statuit et decrevit (4) omnibus sextis feriis, et in Adventu Domini in cibo quadragesimali clericis simul et laicis jejunandum, feria quarta et Sabbato a carnibus et sagimine abstinendum, transgressores constitutionis hujus sacrorum reos canonum fore decernens. Sic ibi quoque et familiis suis a summo pontifice et fratribus suis in secunda feria eadem abstinentia carnium est injuncta, quod in vobis prælatos saltem majores voluntaria devotione deceat æmulari. Non competunt vina pigmentis delibuta, mœrori huic potissimum, cujus non expedit oblivisci. Nunquam negotiandum ut clericis, nunquam vilius comparandum quod venundari debeat pretio cariori. Propterea quod sacrilegium semper fuerat, nunc præsertim gravius exsecrandum, et negotiis tum ipsis deteriora videntur D jurgia clericorum, ut oporteat magis invicem supportare et donare vobis, ut et ipsis si quis adversus aliquem habet querelam. Insatiabilis est ardor ambitionis, nec hydropis avaritiæ ex divitiis refragatur adeptis. Quid gibbum gibbo camelus adjicit in variis dignitatibus et multitudine præbendarum. Non sunt ista quæ divinam erga hominem misericordiam provocant, sed iram potius mereantur. Ad negandum cœlestis regni per foramen acus introitum gibbus poterat abundare camelo. Itane studia vobis honestiora non suppetunt, ut nec in avibus ludere, nec venationibus pudeat occupari? Dum vobis su-

... epistolam scripsisse videtur Henricus oc- ...riæ a Saladino in Christianos reportatæ, ... divinum numen placere valeant, hortatur cruce signatos ad humilitatem et pœnitentiam.

(4) Decretum illud edidit Baronius ad annum 1187.

perfluitas criminum resecatur, ab hujusmodi vanitatibus abstinendum potius mementote. Aleas fugere Cato monuit, et gentibus, de quo vobis ad exemplum sufficiat militia Dei signatorum, quos hujusmodi ludos cernitis abdicasse. Sufficiat etiam in ecclesiis simplex cantus ad præscus et quæ minore....... gravitatem organa conquiescant. Exhibeamus quod legimus, ut in vocem flentium organa transeant, et in luctum cithara convertatur. Ignoscite mihi si dixero quod salubrius debeat quam suavius reputari A populis exterminata in ecclesiis licentia Janicalis resedit. Quid festivitati et fatuitati, vel potius ut apostolico vos sermone conveniam, quæ conventio Christi ad Belial? nec vos latet in nonnullis ecclesiis enormitates aliquando consuetas aliquatenus resecari, et in olosericis cappis quas offerunt qui baculos ferunt complacere. Quasi vero non de moribus quam de vestibus amplior sit causa Deo, quasi non seriis plus quam sericis delectetur. Verumtamen nec edictum super his et hujusmodi generale procedit, nec perenne proponitur edictum, sed quod nulli debet esse molestum.

XXXII.

Henrici Albani episcopi, legati apostolici, litteræ quibus convocat ad comitia præsules Germaniæ per portitorem ad deliberandum de bellis sacris adversus Saracenos, ad vindicandam crucem et loca Christi pedibus consecrata.

(LUDEWIG, *Reliquiæ mss.*, Francofurti et Lipsiæ 1720, in-8°, t. II, p. 449.)

Charissimis in Christo fratribus et amicis, venerabilibus Dei gratia archiepiscopis, episcopis, abbatibus, præpositis et aliis Ecclesiarum prælatis, et dilectis in Domino nobilibus viris, ducibus, comitibus, marchionibus et aliis principibus universis per regnum Teutonicum constitutis, ad quos litteræ istæ pervenerint, HENRICUS eadem gratia Albanus episcopus, apostolicæ sedis legatus, salutem in Domino.

Ex quo vox illa turturis, vox gemitus, vox doloris fines nostros lamentabilis nuper novitate rumoris aspersit, quis ad tantam stragem non ingemiscat populi Christiani? Quis terram illam sanctam quam redemptionis nostræ ipsi dedicaverunt pedes Domini, spurcitiis paganorum exponi non doleat? Quis Crucem salvificam captam non deploret, et conculcatam ab ethnicis et sanctuarium Domini profanatum? Heu, heu! ad auditum quemdam similem, cum fixuras clavorum crux ipsa susciperet, terra tremuit, sol expavit, petræ scissæ sunt, et aperta credimus monumenta. Cujus ergo vel saxeum pectus auditus iste non emolliat, cum sputis afficitur configitur, habetur contumeliis crux admirabilis, nostrorum curatio vulnerum, restitutio sanitatum, lignum dulce, signum vitæ, vexillum militiæ Christianæ? Fateamur, necesse est, quamvis quidem minora patimur, sed majora quam potuerimus vel timere. Verumtamen, quia universæ viæ Dei misericordia et veritas, eatenus nos dejicere non debemus, quin sperandum nobis sit quod qui, peccatis exigentibus, populum Christianum, qui jam post concupiscentias suas oculos suos statuerat declinare in terram de judicio flagellavit, redemptionem nobis de misericordia sua reservavit. Quomodo namque asportari permitteret lignum Crucis ab ethnicis, nisi iterum crucifigendus ab eis?

Ecce videmus iteratum Redemptionis nostræ mysterium, dum pro nobis suo nunc nomini non pepercit vel cruci, qui quondam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Non enim abbreviata est manus Domini, nec brachium Domini infirmatum est, ut salvare non possit, sed operatur misericordiam suam inscrutabilis altitudo Dei ut torpentem mundi devotionem sic excitet, atque per obsequium vestrum et aliorum quos ad hoc eligere dignatus fuerit, nobis salubriter et sibi gloriose de barbaræ nationis hostilitate triumphet. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, in quibus utinam milites Christi abjiciant opera tenebrarum, et ad vindicandam injuriam crucis indui non differant arma lucis, loricam fidei et salutis galeam assumentes. Malitia fuit, non militia, quod hactenus Christianorum cædibus et rapinis et execrabilibus intenti ignem inexstinguibilem et immortalium cruciatus vermium meruerunt. Felix eis abest militia, in qua et vincere gloria, sed magis mori lucrum. Ad hanc invitat nos hodie, qui amat animas nec propriæ pepercit injuriæ, ut necessitatem fidelibus suis imponeret ad hanc militiam compellentem. Adest qui signaculum vitæ gementibus super tantis malis ad evasionem intolerabilis percussionis imponat, et quamvis multiplicia vasa interius exigentibus peccatis jam egressi teneantur percussiones, (5) solos nocebunt eos, qui divinitus oblatum sibi vitæ signaculum recusabunt. Inde est quod a serenissimo domino F. Romanorum imperatore et semper Augusto, et nobis pariter, qui de mandato sedis apostolicæ, pro eodem negotio, quantum, Domino cooperante facultas suppetit, laboramus, solemnis est curia constituta apud Moguntiam, ad quam Dominicæ, qua cantatur *Lætare, Jerusalem*, diem festum agant et conventum faciant omnes qui diligunt eam.

Quoniam igitur eadem curia singulariter est Salvatori Domino deputata, sicut imperialis majestas sua potestate nos convocat, nosque ex parte Dei et ea quæ fungimus legationis auctoritate universitatem vestram ad eamdem curiam convocamus. Et ne quis vestrum legitima et certa necessitate præsentiam suam prædicto concilio Christianitatis exhibere dissimulet, injungimus firmiter et mandamus. Vos autem venerabiles episcopos in convocandis abbatibus et aliis prælatis qui sub vobis sunt, una cum præsentium portitore, qui forte omnes adire non poterit, fore præcipimus studiosos. Illud etiam universitati vestræ duximus nominandum, ut ad curiam Jesu Christi in ea gravitate et modestia

(5) Locus corruptus.

qua convenit, evectionum necessitate et omni curiositate et gloria temporali postposita, studeatis accendere, igne tamen charitatis et obedientiæ ad exal- A tationem Christiani nominis unanimiter inflammari ut fidem quam lingua nostra loquitur, habitus, familia et conversatio fateatur.

DOMNI HENRICI
TRACTATUS
DE PEREGRINANTE CIVITATE DEI.

(Dom Tissier, *Biblioth. Patr. Cisterc.*, III, 1.)

PRÆFATIO AUCTORIS
AD CLARÆVALLENSES.

Charissimis ac spiritualibus filiis suis in Claravalle Domino servientibus, Henricus peccator monachus, superaffluentem Paracleti consolationem.

Ex ea qua me sentio vobis charitate devinctum, vestrum quem erga me geritis, metiri ac pensare libet affectum. Inde est quod sicut de exteriori vestro profectu quotidiana sollicitudine angor, sic filiali affectu vos paternis anxietatibus condolere, et pro meo statu versa vice sollicitis non dubito cogitationibus æstuare. Videns igitur ad præsens non posse satisfieri votis, ut præsentes vos habeam, et omnia quæ circa vos sunt, plenius præsens agnoscam, vestris saltem desideriis satisfacere, li et absens, cupio: et quæ circa me acta sunt, ex quo a vobis exivi, vel aguntur hodie, volo vobis, prout possum melius, aperire. Postquam igitur summi Noe dispositione de arca sum disciplinæ regularis emissus, et imbrium ventorumque procellis expositus, nullam, ut verum fatear, requiem pes meus potuit invenire: et qui intra arcam consueverat stabilis permanere, cœpit extra positus inter labentia fluctuare. Diu ergo multumque in omnibus quærendo requiem fatigatus ipsisque vexationibus eruditus, tandemque in me reversus, talia mecum aio: *Revertar in domum meam, unde exivi* (*Luc.* XI). Quid mihi et mundanis? Quid mihi et transitoriis? Suos ista detineant amatores, suos occupent sectatores. Ego qui mea me tunica exspoliavi, quomodo iterum induam illam? Qui lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? (*Cant.* V.) Si spiritu ducor, utique non sum sub lege. Ubi enim, spiritus Domini, ibi libertas. *Non sum liber?* (*II Cor.* IX.) Non sum monachus? Si liberum est aliquibus a Deo recedere, mihi ad eum liberum non erit redire? Dum talia tacitus in corde volverem, et ad hæc B fortius animum obfirmarem, vocem subito dicentis audio: *Cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas. Cum autem senueris, alius te cinget, et ducet quo non vis* (*Joan.* XXI). Ad hanc vocem totus contremui, et divinæ sententiæ nexibus graviter me constrictum tandem confusus agnovi; et qui velut onagrum liberum me prius putabam (*Job* XXXIX), certo certius comperi, non esse in homine viam ejus, et quod nonnisi a Domino gressus hominis diriguntur (*Prov.* XX). Quis enim restitit ei, et pacem habuit? Ipse quasi peccatum ariolandi indicat non obedire, et quasi scelus idololatriæ non acquiescere (*I Reg.* XV). Hæc et alia multa attendens, et mente diligenter pertractans, cum talibus cogitationibus perturbarer, nec usquam jam exitus C appareret; totum tandem ad Dominum me converti, et ex intimis cordis medullis exclamans ad eum aio: *Nunquid mare sum ego, aut cetus, quia circumdedisti me carcere?* (*Job* VII.) *Abyssus vallavit me et pelagus cooperuit caput meum. Putas videbo templum sanctum tuum?* (*Jonas* II.) Putas ad illam meam, imo tuam Claramvallem, ab episcopalis sarcinæ vinculis absolutus aliquando redibo? Putas filiis meis dilectissimis, imo tuis redditus, cum eis tibi lætabundus cantabo: *Dirupisti, Domine, vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis?* (*Psal.* CX.) *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar* (*Psal.* CX), elongatus ab eis, sine quibus vivere mori mihi est, cum D quibus mori vivere mihi est? Quis mihi det eorum frui et recreari præsentia, quorum me confortent merita trepidantem, exempla provocent dormitantem; eorum humilitas reprimat præsumentem, virtus roboret vacillantem, hæsitantem confirment consilia, tristem spirituales lætificent consolatio-

nes? Hæc apud me frequentius versans, aures Domini mei Jesu lacrymis pulsare non cesso, illud propheticum mecum sæpius iterans: *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi mei ad Dominum Deum* meum, *donec misereatur* mei (*Psal.* CXXII); et cum patriarcha Jacob constanter affirmans: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi* (*Genes.* XXXII). Ad hæc ipse, qui nunquam obliviscitur misereri, tandem me servum suum audire dignatus est clamantem, flentem respicere, pulsanti voluit aperire, revelans oculos cordis mei, ac gratiæ suæ luce perfundens, ad cognoscendum statum illius civitatis, quam Ezechiel, qui et ipse prius audierat: *Ecce data sunt super te vehicula* (*Ezech.* II), vergentem vidit ad austrum; quam Joannes descendentem vidit de cœlo (*Apoc.* XXI); quam propheta David in montibus sanctis ædificandam aspexit (*Psal.* LXXXVI). In hac fratres meos et filios Clarævallenses, quorum absentiam deplorabam, præsentes reperi; in hac omnes bonos in hoc mundo peregrinantes ascriptos cives inveni. Quid igitur restare aliud jam videtur, nisi ut post multos et varios fluctus superius descriptos, civitate tandem habitationis inventa, seminare agros, plantare vineas, et fructum nativitatis facere studeamus? (*Psal.* CVI.) Hoc a me melius fieri posse non credidi; quam si ea, quæ de civitate prædicta a Domino accepi, litteris commendando, agros studiorum meorum specialibus ac dilectissimis filiis meis Clarævallensibus demetendos dimittam, vel si sarculo opus esse cognoverint, a superfluis purgandis committam. Non vereor ab eis patris nuditatem ridendam, sed compatiendo, pallio illo quod utrumque sufficeret operire, velandam confido pariter et ornandam. Sed nec nudum scio eos judicaturos sermonem minus ornatum, qui fecundum approbant potius quam facundum. Persuasum quidem eis esse ab Apostolo, virtutem magis quam sermonem eorum qui inflati sunt (*I Cor.* IV) attendendam, et regnum Dei in virtute consistere sensuum, non in lepore verborum. Rogo ergo vos, fratres mei dilectissimi, ut cum in paternos labores intraveritis, non alienos eos, sed A proprios judicantes, fruges vobis dicatas pia consideratione pensetis, et si tanta ubertas non fuerit, ut falce digna videatur, saltem spicas quæ occurrerint colligere et manufricare non contemnatis. Excuset sterilitatem agelli mei apud vos solis ardor, et ut Salomonis verbis utar: *Nolite me considerare, quod fuscus sim, quia decoloravit me sol* (*Cant.* I). Inde est quod nec illum saporem, quem aliquando apud vos habuit, retinet sermo meus, nec illum colorem, quem in me cernebatis, obtinet actus meus. Placeat soli justitiæ, qui non tam urere quam ungere consuevit, meritis et orationibus vestris, et verbis saporem, et operi pristinum reparare colorem. Tractavit beatus Augustinus (lib. *De civit. Dei*) mistim de utraque civitate, et B peregrinante in terris, et regnante in cœlis; si tamen duæ dicendæ sint, cum non sint nisi una in quam se Propheta gratulabatur iturum, cum diceret: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem. Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum* (*Psal.* CXXI). Ecce et ædificari Propheta dixit eam in terris, et id ipsum participare in cœlis. In terris habet initium et profectum, ubi est *fuisse*, *esse* et *fore*: ubi *heri*, *hodie* et *cras* (*Hebr.* XIII). In cœlis habet consummationem, ubi *erit*, et *fuit* vicissitudinis obumbrationem non faciunt; sed *est* semper idem est: et quidquid ibi est, in eo quod ipsum est, immarcessibile est. De illa ergo parte civitatis Dei, quæ C jam in cœlis coronata triumphat, peritioribus et spiritualibus, qui omnia judicant disserendum relinquo. Ego qui imperfectum meum non ignoro; et scire semper volo quod nesciam; ut si quid ignoro, ignorantia mea meum sit; de militante in terris civitate Dei tractare instituo, si quid in eodem tractatu acceptione dignum sit lectoris judicio derelinquens. Quem si repudiandum totum judicaverit, rogo ut prius legat, postea despiciat ne secundum beatum Hieronymum, ut tamen minus loquar, videatur minus recte, antequam legerit, ignorata damnare

DE PEREGRINANTE CIVITATE DEI.

TRACTATUS PRIMUS.

DE PRÆPARATIONE MATERIÆ CIVITATIS DEI.

Cupienti mihi toto desiderio verbo Domini parere dicentis: *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam* (*Joan.* VI), nihil ad hoc in præsentiarum commodius occurrit, quam ut civitati Domini virtutum, cujus pars peregrinatur in terris, pars coronata triumphat in cœlis, aliquid obsequii mei studeam impertiri. Nam etsi aurum aut lapides pretiosos non sufficiam exhibere, si saltem pilos caprarum obtulerim (*Exod.* XXV), nonnihil D in opus Domini inveniar contulisse. Et quia *laborantem agricolam oportet primum de fructibus suis percipere* (*II Tim.* II), expedire mihi visum est, primo in civitatis ipsius consideratione, diutius immorari, ut tali commoratione ejus tandem civis per Dei misericordiam merear inveniri. Dehinc ipsius statum studiosus describendo etiam alios ad habitationem ejus instanter provocare, ut nonnullos ei cives, si Dominus concesserit, inveniat collegisse. Sed ad hæc quis idoneus, nisi quem tu, Domine, dignum effeceris per tuam gratiam? Quia nullus est

dignus inventus, qui non ab ea indignus fuerit præventus. Fateor, Domine, fateor me indignum; scio me insufficientem; nec aliunde quidem quam de tua confisus gratia opus istud aggredior. De ipsa me confidere docet sola illa pietatis tuæ ineffabilis affluentia, qua præter merita mea, ad bona si qua feci, me semper præveniri, et in eis promoveri innumeris experimentis probavi. Ad te igitur nunc, Pater luminum, solito more confugio; te invoco, Deus meus, Deus veritas, in quo, et a quo, et per quem vera sunt, quæ vera sunt omnia; Deus sapientia, in quo, et a quo, et per quem sapiunt, quæ digne sapiunt omnia; Deus vera ac summa vita, in quo, et a quo, et per quem vivunt, quæ vere summeque vivunt omnia; fac me vera et recte sapiendo te vera et summa frui vita; a quo exire, est mori; in quem redire, reviviscere; in quo habitare, est vivere. Manendo in te, vivam ex te, et tu vita manens in me; ut fructum, qui maneat, afferam ex te, non ex me. Ex te fuit, quod prophetæ tuo David de tua revelatum est civitate, quodque mihi de eadem per eum revelatur. Quod si et aliis revelatum fuerit per me, non erit ex me, sed ex te. Jam ergo quid intus manens a te audierit, quid apud te viderit David, quid foris ad nos exiens eructaverit, audiamus. *Fundamenta ejus*, inquit, *in montibus sanctis* (*Psal.* LXVI). Hunc psalmum in nostri operis ponimus fundamento, ne a propheticæ et catholicæ regulæ rectitudine in aliquo deviemus. Hic igitur psalmus septem distinguitur versibus, quibus septiformis exprimitur nostræ civitatis profectus. In primo et secundo versu agitur de civitatis ipsius fundatione, et gloriosa portarum seu murorum consummatione. In tertio de communis asyli in medio civitatis collocatione. In quarto de civitatis populatione; in quinto de ejus informatione; in sexto de confirmatione; in septimo de consummatæ civitatis lætabunda dedicatione: et hæc omnia in ædificatione sine reædificatione Jerusalem in Veteri Testamento reperiuntur distincta. In ædificatione sub David, in reædificatione sub Esdra et Nehemia, fundamenta posita, muri ædificati, portæ cum seris et vectibus statutæ leguntur. Asylum vero commune præter civitates refugii, templum Jerosolymitanum omnibus creditur exstitisse; non ad quod congregaret impios quorumlibet impunitas delictorum, ob quam causam asylum Romuleum legitur institutum; sed in quo pro delictis universi satisfacientes impii a suis iniquitatibus mundarentur, juxta illud prophetæ, *Verte impium, et non erit* (*Prov.* IX). De populatione in Esdra sic legitur: *Postquam ædificatus est murus, et posui valvas* (*II Esdr.* VII), etc. *Deus dedit in corde meo, et congregavi optimates et magistratus, et vulgus, ut recenserem eos* (*Ibid.*). De informatione in Nehemiæ historia ita legitur: *Aperuit Esdras librum coram omni populo; super universum quippe populum eminebat, et cum aperuisset eum, stetit omnis populus. Et benedixit Esdras Domino Deo magno, et respondit omnis populus: Amen, amen, elevans manus suas et incurvati sunt; et adoraverunt Deum proni in terram. Porro levitæ silentium faciebant in populo ad audiendam legem; populus autem stabat in gradu suo. Et legerunt in libro legis Dei distincte et aperte ad intelligendum, et intellexerunt cum legeretur* (*II Esdr.* VIII). Et in sequentibus: *Vicesima quarta die mensis convenerunt filii Israel in jejunio et saccis; et humus super eos. Et separatum est semen filiorum Israel ab omni filio alienigena; et steterunt, et confitebantur peccata sua, et iniquitates patrum suorum. Et consurrexerunt ad standum; et legerunt in volumine legis Domini Dei sui, quater in die, et quater confitebantur, et adorabant Dominum Deum suum* (*II Esdr.* IX). De confirmatione ejusdem in sequentibus libris sic legitur: *Super omnibus his percutimus fœdus* (*Ibid.*), etc. Item: *Habitaverunt autem principes populi in Jerusalem; reliqua vero plebs misit sortem, ut tollerent unam partem de decem, qui habitaturi essent in Jerusalem civitate sancta, novem vero partes in civitatibus* (*II Esdr.* XI). Confirmationem autem hic dicimus, non solum qua populus Domino suo, sed et Dominus populo suo quarumdam immunitatum promissionibus obligatur, sicut sub Moyse factum legimus, ubi dicitur: *Audi Israel: Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus, et ambules in viis ejus, et custodias cæremonias illius et mandata atque judicia, et obedias ejus imperio. Et Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi, et custodias omnia præcepta illius; et faciat te excelsiorem cunctis gentibus quas creavit* (*Deuter.* XVI). Item: *Omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit. A deserto, et a Libano, et a flumine magno Euphrate usque ad mare occidentale erunt termini vestri* (*Deut.* XIII). Hæc Dominus non solum Israelis populo per Moysen promisisse, sed et patribus jurasse perhibetur, sicut est illud: *Per memetipsum juravi, dicit Dominus* (*Isai.* XLV; *Jerem.* XLIX). Tali privilegio se munitum quondam gloriabatur populus Judæorum. Sed longe digniori privilegio insignitus est populus Christianus; de quo, quod Dominus donaverit, suo loco dicemus. Dedicationem muri ac totius civitatis ab Esdra et Nehemia factam legimus in hunc modum: *In dedicatione autem muri Jerusalem requisierunt levitas de omnibus locis suis, ut adducerent eos in Jerusalem, et facerent dedicationem* (*II Esdr.* XII), etc. Hæc de historia Veteris Testamenti ponenda duximus, ut solide fundamento secure superædificemus. Pro hac igitur septiformi sancti Spiritus operatione Ecclesia septies laudem Domino dicit in die (*Psal.* CXVIII). Et sicut in ædificatione domus suæ sapientia columnas septem legitur excidisse, sic certis et distinctis anni temporibus Ecclesia septem prædicta solemniter commendando Deum noscitur collaudare, ut his divinæ laudis præconiis, velut septem suffulta inveniatur columnis. Hæc autem plenius explicanda singula singulis propositi psalmi versibus reservamus. Sed priusquam ad psalmi principium accedamus, de ipsius psalmi titulo aliquid dicendum esse videtur.

Titulus hic est [psalmus cantici filiis Chore (*Psal.* LXXXVI)]. Quid est autem illud, psalmum cantici filiis Chore convenire, nisi ut opere impleant, quod voce decantant, qui filii esse Chore, illius scilicet calvi (hoc enim Chore sonat), qui in Calvariæ loco suspensus est, non solum sacramento, sed et re sacramenti; non solum adoptione, sed etiam imitatione, seipsos decalvando, et superflua quæque resecando, contendunt? Tales plane filios Chore, mundos scilicet et rectos corde, ferventesque opere decet collaudatio, ut nec vita a voce, nec vox a cordis discrepet puritate; alioqui non erit speciosa laus in ore peccatoris (*Eccles.* XV). Aliud etiam ex hoc titulo attendendum quod, sicut titulus psalmum præcedit, sic fundationem civitatis, quæ in principio psalmi describitur, quædam præparatoria præcesserunt, ut impleretur illud Salomonis: *Præpara foris opus tuum, et diligenter exerce agrum tuum, ut postea ædifices domum tuam* (*Prov.* XXIV) Hoc quoque in Ecclesia, quæ ipsa civitas est, singulis annis et mystice figurari, et actu ipso cernimus repræsentari. Ipsa siquidem suæ fundationis in Christi Nativitate celebratura mysteria, ipsius Dominicæ Nativitatis venerandam memoriam prædicta consideratione quatuor consuevit Dominicalibus officiis prævenire.

Hujus rei si mysterium diligenter attendimus, invenimus quatuor ætatibus præparatum et prænuntiatum multifarie multisque modis Dominicum fuisse adventum: ab Abraham scilicet usque ad Moysen, a Moyse usque ad David, a David usque ad transmigrationem Babylonis, a transmigratione Babylonis usque ad Joannem. Nam duæ quæ præcesserunt ætates, velut infantia mundi et pueritia, minus aptæ, minusque habiles ad veritatis cognitionem inventæ sunt. Vel, si libet ab Abraham usque ad David secundum Evangelium unam computare ætatem (*Matth.* I), dicemus a Noe usque ad Christum quatuor præcessisse. Quæ autem in his ætatibus quatuor facta fuerit Domino suæ præparatio civitatis, plenius in sequentibus exponemus, cum cœperit libri materia plenior apparere. Interim ipsam materiam tantummodo prælibare sufficiat, ut nec nostro operi qualiscunque desit præparatio, qua lectoris animus excitatus ad intelligenda quæ sequuntur, et tenenda memoriter, præparetur. De omnibus igitur quæ quatuor prædictis ætatibus præparata noscuntur, unum ad præsens excerpimus, quod ad tituli prosecutionem sufficiet explicasse. Illis siquidem ætatibus sacra a Deo Scriptura noscitur præparata, quæ in totius civitatis constructione cæmenti locum obtineat, ad inæqualium coæquationem et dissidentium conglutinationem. Non enim in civitate Domini bitumen locum habet, quo Babylonii in suo opere usi sunt pro cæmento. Bitumen quippe quod naturaliter de terra oritur, astutia est naturalis, quæ prudentia carnis inimica est Deo. Prudentia vero spiritus, quæ de sacræ Scripturæ velut divini cæmenti compagine generatur, vita et pax. Et quia A cæmentum de diversis rerum generibus conficitur, voluit Deus singulis prædictis ætatibus singula coadunare, quæ ad hujus cæmenti confectionem necessaria videbantur. Quæ autem sint illa, cæmentum quod manu pontificis sit in consecratione altaris, manifeste declarat. Illud autem ex aqua, et vino, et calce, et cineribus fieri solet. Non enim sal quod aquæ miscetur, inter hæc duximus numerandum, cum ipsum nonnisi aqua coagulata esse noscatur. Hæc ergo quomodo summus pontifex Deus diversis temporibus præparaverit, et præparata tandem suo operi adaptaverit, attendamus. Ab Abraham siquidem usque ad Moysen labentium actuum bonorum sive malorum historiam texendo velut aquas fluentes in uno Genesis libro, ac si in uno videtur loco B congregasse. Inde est quod licet illæ actiones velut aquæ labentes cum sua ætate effluxerint, adhuc tamen sacræ Scripturæ cæmento per lectionis revolutionem in legentium memoria integræ permanere noscuntur. Et licet huic aquæ vinum spiritualis intelligentiæ permistum reperiatur; sequenti tamen ætati, a Moyse scilicet usque ad David, vinum spiritualiter attribuitur, in qua mordaces legis præceptiones et prohibitiones traditæ a Domino, susceptæ a populo, et ipsa sui novitate vini austeritatem importasse leguntur. A David autem usque ad transmigrationem Babylonis viri perfecti velut lapides vivi igne Spiritus sancti excocti, suis operibus futura præsignantes, et prophetico spiritu ventura C prædicentes, pluribus librorum monimentis firmitatem calcis Christianæ fidei paraverunt, qua calce formari et solidari in fide discipulos suos volebat Petrus apostolus, dicens: *Habetis firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco* (*II Petr.* I). A transmigratione Babylonis usque ad Joannem cineres sunt cribrati, cum Judaici populi reliquiæ multis tribulationum angustiis vexatæ, et suas miserias per Scripturæ seriem ad posteros transmittentes, non aliud innuisse videntur, quam nostræ ætatis fini similia esse præparata; adeo ut semper et præteritorum cinerum recordatione, et futurorum exspectatione humiles in prosperis, et fortes inveniamur in adversis. Cinis quippe, cum sit materia vilis, in D cæmento tamen non vilem habet effectum, cum et illud durabilius et tenacius reddat. Hoc cæmento Dominus in suæ civitatis ædificatione usus, omnibus fere suis et dictis et factis illud studuit coaptare. Unde et dicebat: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit.* Et illud: *Scrutamini Scripturas; illæ enim testimonium perhibent de me* (*Joan.* V). Et quia longum esset retexere omnia, quæ in Evangelio de Veteri Testamento assumuntur, sive quæ in eo de ipsius nativitate, circumcisione, apparitione, hypapante, baptismate, prædicatione, morte, sepultura et resurrectione prænuntiata reperiuntur, illud ad præsens ponere sufficiat, ubi prædicta quatuor nominatim legitur expressisse, dicens: *Hæc sunt verba quæ locutus sum*

ad vos, cum adhuc essem vobiscum; quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, et prophetis, et psalmis de me. Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat pati Christum, et resurgere a mortuis tertia die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma (*Luc.* XXIV). Ecce hic manifeste totam Scripturam veterem in legem et prophetas, et psalmorum nomine agiographa distinguendo concludit. Habemus igitur vinum in lege, calcem in prophetis, cineres in agiographis, et singulis horum historiæ aquam permistam; imo per aquam historiæ singula hæc sibi invicem permista et conglutinata unum cæmentum efficere comprobantur. Et hæc forsitan est illa rota, quam vidit Ezechiel, quatuor habentem facies per quatuor partes ire.

De rota quatuor habente facies, et per quatuor partes ambulante.

Historia siquidem humanos actus more humano retexendo, faciem hominis manifeste prætendit. Lex vero Moysi præceptorum et prohibitionum jugo colla subditorum atterens, vituli colligati faciem repræsentat; prophetia comminationum et promissionum sublimiora contingens, perspicacitatem aquilæ imitatur. Agiographa duris invectionibus, et asperis increpationibus leonis rugitum exprimere manifeste noscuntur, qualia in psalmis, ut est illud: *Filii hominum usquequo gravi corde* (*Psal.* IV), in Daniele et Esdra expressa sæpius replicantur. Quod autem per quatuor partes hæc ire dicuntur, illud manifeste innuit quod historia ad sola respicit præterita, velut aqua prætereundo deficiens et defluens in abyssum. Secundum sensum vero spiritualem, tota ipsa Scriptura Veteris Testamenti futura prospiciens in anteriora se extendit, triplicem Christi prænuntians adventum; vel primum, qui occultus fuit et humilis, et jam nobis est præteritus; vel secundum, qui præsens quotidie a sanctis intimus sentitur et dulcis; vel tertium, qui manifestus et terribilis in fine temporum exspectatur. Hi tres adventus ita Scripturæ veteri inveniuntur inserti, ut nunc omnibus congruere, nunc singulos separatim tangere videatur. Quod manifeste cernimus in Threnis Jeremiæ, quos quadruplici distinguens alphabeto, unum ad ruinam terrenæ Jerusalem, reliqua ad triplicem Ecclesiæ casum direxisse videtur. Sicut enim terrena Jerusalem prius de gloria regni, postea de gloria sacerdotii, tertio de legalium cæremoniarum observantia legitur corruisse: et, sicut templum primo a Chaldæis destructum, secundo a Græcis profanatum, tertio a Romanis penitus invenitur deletum; sic spiritualis Jerusalem, quæ est Ecclesia, prius a sacerdotalis auctoritatis humilianda est gloria et dignitate, secundo a Christianæ religionis virtute, et sanctitatis simplicitate casura, secundum quod prophetans Apostolus: *In novissimis*, inquit, *diebus erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes* A *quidem speciem pietatis, virtutem autem abnegantes* (*II Tim.* III). Tertio ipsam pietatis est speciem relictura, et totius ecclesiastici ordinis formam etiam exteriorem rejectura. Quod forte ipsa Ecclesia in eo præfigurat, quod tribus diebus ante resurrectionem Domini ingloriam, indecoram et mœrentem se exhibet, eo quod communem omnium resurrectionem, et ultimum Christi adventum talia præventura indubitanter exspectet.

De tribus diebus præcedentibus Dominicam Resurrectionem, et de septem antiphonis solemnibus Adventus Domini.

Quod præfigurari manifeste dignoscitur in eo quod prædictis tribus diebus horæ canonicæ sine B solito initio et fine dicuntur. Nam ex principio et fine in musica forma dijudicatur. Quod autem, *Dominus vobiscum*, *Oremus*, *et Kyrie eleison* supprimuntur, sanctitatis insinuat defectum. Nam quod *Gloria* omnino reticetur, quem hodie Ecclesia obtinet, gloriæ apicem innuit aliquando de medio tollendum. Non tamen subito hæc gloria abscondetur, sed paulatim processu temporis minuetur, sicut a Dominica in passione Domini in missa tantum, ubi specialiter gloria sacerdotalis refulget, incipit reticeri. Hæc etiam distinctio in prædictis Threnis reperitur, cum in secundo alphabeto pollutum regnum et dejecti principes, et omne cornu confractum deploratur; in tertio propheta se esse virum videntem paupertatem lamentatur; in quarto obscuratum C aurum, et colorem optimum plangit esse mutatum. Quæ licet de ultimo Christi adventu specialiter dicta intelligantur, multa tamen in eisdem alphabetis ad primum et secundum specialius referuntur. Sicut autem in Ecclesia Domini resurrectio et ea quæ præcedunt, in preparationem ultimi adventus celebrantur, sic et ea quæ primum Christi præcesserunt adventum, in ipsius sunt facta præparationem, et ea quæ singulis annis de primo ejus adventu solemniter recoluntur, medii adventu præparatoria esse noscuntur. Quod in illis septem solemnibus apparuit antiphonis, quæ in præparatione Nativitatis Dominicæ decantantur: quarum primis quatuor, illorum Patrum qui prædictis quatuor D ætatibus Scripturas ipsas ediderunt, clamores et desideria exprimuntur. Nam tribus quæ sequuntur, ipse triplex Christi adventus ab eisdem prædictis Patribus prævisus et desideratus innuitur. Quatuor etiam prædictis antiphonis quatuor secundi adventus præparatoria ostenduntur. Nam per primam excitantur corda torpentium ad surgendum, secundum illud: *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit* (*Matth.* XXV). Secunda excitatos admonet ad ornandum, quo sponsus suscipiendus est, locum, juxta illud quod sequitur in Evangelio: *Tunc surrexerunt omnes virgines illæ et ornaverunt lampades suas.* Tertia ad obviandum, secundum illud: *Exierunt obviam sponso et sponsæ.* Quarta, ad intrandum, sicut dicitur: *Quæ paratæ erant*,

intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua (*ibid.*). Cujus januæ claviger est et clavis : cui vult claudens, ita ut nemo aperiat; cui vult et quando vult aperiens, ut nemo claudat : ille qui in quarta antiphona ad veniendum vocatur, et clavis David nominatur. Aliis enim quæ prædiximus, alias tres antiphonas facile lector diligens assignabit. Patet igitur, ea quæ primum Christi præcesserunt adventum, præparatoria tantum nostræ fuisse civitatis; ipso vero Christi primo adventu civitatem ipsam fundatam atque munitam : nam per secundum ipsius adventum quotidie adunatur et informatur; tertio tandem adventu plene ab eo confirmanda, et lætantibus omnibus tam angelis quam hominibus dedicanda. Hæc enim primo Christi adventu præparata quodammodo videntur potius quam completa. Complebuntur autem, cum signis omnibus decedentibus res succedent, fides transibit in speciem, umbra in veritatem. Interim, dum durat umbra, sciens Christus signa esse necessaria, et ad res ipsas præparatoria, talia agere voluit, quæ et res essent præcedentium signorum, et signa rerum futurarum. Præsignavit enim fundationem civitatis suæ in sua nativitate, initiationem in circumcisione, adunationem in apparitione, informationem in sacramentorum institutione, confirmationem in passione, secundum illud Apostoli : *Ubi est testamentum, mors necesse est intercedat testatoris; testamentum enim in mortuis confirmatum est. Alioqui nondum valet, dum vivit qui testatus est, unde nec quidem sine sanguine dedicatum est* (*Hebr.* IX). Quæ dedicatio sicut triplex fuit in Veteri Testamento, prima tabernaculi, secunda et tertia civitatis et templi; sic ultimam et plenam nostræ civitatis dedicationem duæ præcessise in Novo Testamento et præfigurasse noscuntur : prima in Purificatione, sive hypapante, Domini, quæ et apud nos festum luminum nominatur; quo nomine apud veteres, vocatam legimus dedicationem; secunda in missione Spiritus sancti, quando congregati in unum Apostoli Spiritu sancto leguntur baptizati (*Actor.* II). Et quia signis peregrinantes et militantes præcipue uti solent, recte peregrinanti et militanti civitati signa dantur. Quia quandiu *sumus in corpore, peregrinamur à Domino* (*II Cor.* VI), et quandiu *militia est hominis super terram* (*Job.* VII), visibilium signorum scala ad invisibilia necesse habemus uti, secundum quod Apostolus ait : *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur a creatura mundi* (*Rom.* I). Creatura, ait, mundi, non cœli; illa enim scala non indiget solium jam tenens. Filii autem Chore, qui Thau signatum habent in frontibus suis (*Ezech.* IX), qui vocatos se reputant ad cinerem et ad calvitium, qui ea quæ prima fronte apparent, visibilia scilicet, temporalia esse cognoscunt, et ad æterna et anteriora se extendunt, ut ait beatus Augustinus; tales, inquam, calvi et peregrini et advenæ super terram et peregrinantis civitatis cives signa suæ militiæ recognoscunt, et suæ civitatis cantaturi canticum; sic activæ vitæ psalterium assumunt, ut semper ad contemplativam transire contendant. Cujus finis est et satietas beata Trinitas unus Deus, qua sola fruentes efficiuntur beati. Quæ quia, dum peregrinamur a Domino, sicut est, a lippientibus videri non potest, voluit Dominus suæ civitati visibilem quamdam proponere Trinitatem, qua humana infirmitas in exsilio per ea quæ usu didicit confricata incalesceret, ut sic ad ea quæ non didicit tandem assurgens perveniret. Hæc intelligens discipulus ille quem dilexit Jesus, duas trinitates in suis scriptis proposuit, unam in cœlis, aliam testimonium dantem in terris, innuens quod frustra quis ad testimonia aspiraret, si insensibilis Trinitatis testimonium non haberet. De quo ita ait : *Tres sunt qui testimonium dant in terris; spiritus, aqua et sanguis : et hi tres unum sunt* (*I Joan.* V). Tria siquidem, ut ait beatus Augustinus, novimus de corpore Domini exisse, cum penderet in ligno : primum spiritum, juxta illud : *Inclinato capite, emisit spiritum* (*Joan.* X); deinde, quando latus ejus lancea perforatum est, sanguinem et aquam.

Hæc tria cum diversas habeant singula quæque substantias, non sunt unum. Sed si ea quæ his sunt significata attendimus, occurrit beata Trinitas unus Deus, Pater et Filius, et Spiritus sanctus, ut nomine Spiritus accipiamus significatum Deum Patrem, secundum illud : *Spiritus est Deus* (*Joan.* IV); nomine autem sanguinis Filium, secundum quod Verbum caro factum est; nomine vero aquæ Spiritum sanctum, sicut ait evangelista : *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum* (*Luc.* VII). Hæc Augustinus. Ad hanc igitur Trinitatem volens Dominus Jesus scipsum nobis parare viam, tria in his tribus instituit sacramenta, quibus interim anima lippiens mundaretur, et exerceretur; exercitata dilataretur, dilatata tandem caperet quod capere non poterat otiosa. In aqua quippe sacramentum baptismi instituit; in sanguine sacramentum altaris, dicens : *Hic calix novum testamentum est in sanguine meo* (*I Cor.* XI); in Spiritu sacramentum confirmationis, quod apostolis Spiritus sancti igne etiam visibiliter confirmans et corroborans, eumdem Spiritum aliis manum impositione tradentibus, signis diversarum linguarum Dominus voluit commendari, igne suæ præsentiæ sordes universas purificans, hominem innovat et immutat. Et licet hæc tria sacramenta unum non sint, una tamen est operatio Trinitatis in tribus, et in singulis trina. In baptismate spe talis apparui operatio Spiritus, per columbam; mysterium Eucharistiæ passione sua specialiter Filius consecravit; in confirmatione Pater specialiter visus est operari, qui, misso Spiritu apostolorum corda invisibili illustravit potentia. In confirmatione igitur Pater corroborat; in traditione Eucharistiæ Filius noctis illius tenebras, qua comedebantur carnes agni veteris, sapienter illustrat; in baptismate Spiritus sanctus igne suæ præsentiæ sordes uni-

versas purificans hominem innovat et immutat. Et quia inseparabilis est operatio Trinitatis, eadem tria in singulis tota Trinitas operatur. Tres itaque sunt, qui in tribus sacramentis operari probantur, et tres unum sunt: aliter enim tota Trinitas nobis eisdem substantiis commendatur. Spiritus enim qui orantes facit, et gemitibus inenarrabilibus interpellat pro nobis (*Rom.* VIII), orationis devotionem commendat; eleemosynam, quæ *aqua Dei* interpretatur, aquam manifeste designat. Confessionis et pœnitentiæ ruborem sanguis significando demonstrat. Et hæc sunt quæ testimonium dant in terra, quoniam his fructibus in terra homines cognoscuntur. Dant etiam exterius testimonia latentium intus virtutum; oratio scilicet humilitatis, abstinentia castitatis, eleemosyna charitatis. In quibus virtutibus quam expressim appareat vestigium Trinitatis, ex sequentibus manifeste liquebit. Interim extra portam veteris Jerusalem et terrenæ, et in Calvariæ loco, id est in vitæ novitate, filii Chore triplici prædictæ Trinitatis insigniti imagine ponant signaculum supra frontem, super cor, super brachium suum, velut in superliminari, et super utrumque postem, operis scilicet et cognitionis, ut corde credatur ad justitiam, fides per dilectionem operetur ad Dei gloriam (*Rom.* x); in fronte, id est in aperto, fiat confessio ad salutem (*ibid.*). Contempletur etiam in prima Trinitate unitatem trinæ significationis, in secunda unitatem trinæ operationis, in trina trinum effectum unius affectionis sive intentionis. Ad unum enim intentionem dirigere in tribus illis docet Dominus in Evangelio dicens: *Cum oras, intra in cubiculum* (*Matth.* VI), etc., manifeste ostendens, orationem, eleemosynam et jejunium ad illum referenda esse, qui videt in abscondito, dicens: *Qui videt in abscondito, reddet tibi* (*ibid.*). Quod si adhuc altius et subtilius hujus testimonii mysterium perscrutari placet, terminetur ad præsens hic sermo, ne, si fuerit nimis prolixus, fiat etiam tædiosus. Ille igitur semper Alpha et Ω sit nostri sermonis, qui initium est et finis universorum, et sine initio et fine permanet in sæcula sæculorum, Amen.

TRACTATUS II.

DE CARACTERE, TITULO ET TESTIMONIO, QUIBUS CIVES SUOS CHRISTUS INSIGNIRI VOLUIT.

Postquam primus homo de terra terrenus, terrenis civitatibus et habitatoribus terrena sapientibus mundum implevit, veniens novus homo de cœlo cœlestis, et cœlestem in terris civitatem volens ædificare, cives suos qui cœlestia saperent a terrenis civibus voluit sui characteris signo distingui, titulo prænotari, testimonio communiri. Signum fuit decalvatio, titulus filiatio, testimonium secretiori familiaritate probata amicitiæ certitudo. Signum siquidem et imago terreni fuit in terrenis crescere, multiplicari, dominari. Sic quippe protoplastis dictum est: *Crescite et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam; et dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis terræ, omnique reptili*

A *quod movetur in terra* (*Gen.* I). Novus autem homo signum novitatis suis sequacibus tribuens ait: *Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV). Et illud: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* (*Matth.* XVI). Illud etiam: *Qui reliquerit patrem aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* (*Matth.* XVII). Ecce quomodo calvus noster omnibus temporalibus suos vult decalvari, ut libera facie, et aperta fronte æterna desiderent, et sine impedimento oculos ad cœlum levent. Cives terreni *a fructu frumenti, vini et olei sui multiplicati sunt* (*Psal.* IV). Cohæredes Christi in spe singulariter constituti in

B pace in idipsum dormiunt et requiescunt (*ibid.*). Licet enim multi ex eis bonis temporalibus abundantes, minime decalvati, sed multis etiam superfluitatibus frontem opertam et oneratam habere videantur, tamen qui veri Christi concives sunt, sic utuntur illis, quasi jam non utantur, non ponentes spem in incerto divitiarum, nec in luxu deliciarum gaudentes, sed mortem habentes præ oculis, se eis jamjamque non dubitant cariturus. Nil quippe sic amorem mundi in homine mortificat, sicut meditatio mortis. Unde scriptum est: *Memorare novissima tua, et non peccabis* (*Eccli.* VII). Nihil enim certius morte, nihil incertius hora mortis. Hos in magni patrisfamilias domo ministros potius dixerim, quam

C filios vel amicos. Tales videntur fuisse patres Veteris Testamenti, qui signum acceperunt circumcisionis, non titulum filiationis, aut testimonium amicitiæ specialis. Cum enim dictum sit ad eos: *Ego Dominus Deus vester* (*Levit.* XXIII). *Ego Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob* (*Exod.* III), nunquam tamen legitur eis dictum: *Estote misericordes sicut et Pater vester cœlestis misericors est* (*Luc.* VI); aut: *Pater vester cœlestis dabit spiritum bonum petentibus se* (*Luc.* VI). Et cum testimonium acceperit Abraham divinum: *Nunc cognovi quod timeas Deum* (*Gen.* XXII), non tamen meruit audire quod dictum est apostolis: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*Joan.* XV). Filiorum titulus hic est: *Omnis qui natus est*

D *ex Deo, non peccat, quia generatio divina conservat eum, et malignus non tangit illum. In hoc manifesti sunt Filii Dei, et filii diaboli* (*I Joan.* V). Et illud: *Quod natum est ex Deo, vincit mundum* (*Joan.* III), ut sit titulus cœlestis generationis victoria tentationis: et, sicut qui filius est per naturam mundum cum suo principe triumphavit, sic mundi victores sunt, quotquot sunt filii adoptionis. Amici testimonium vox sponsi est, auditui amici dans gaudium et lætitiam, sive ad amicum directa, ut est illud: *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni* (*Cant.* II), sive de amico ad alios facta, sicut ait Dominus de Joanne: *Quid existis in desertum videre? Prophetam? Etiam dico vobis, et plusquam prophetam* (*Matth.* XI), etc. Hoc geminum amici

testimonium plenius postea prosequemur, si prius A ministrorum et filiorum testimonia sufficienter fuerint explanata. Quod enim inter signa et titulos et testimonia distinximus, inde est, quia non omnia testimonia, signa vel tituli dici possunt. Signa tamen et tituli aliqua testificando testimonia merito nuncupantur. Inde est etiam quod in Romana Ecclesia levitæ cardinales, velut quidam Dominicæ mensæ ministri in signis sigillorum suorum titulos non assignant, quod solis presbyteris cardinalibus velut filiis est concessum. Nam episcopi amicorum vice fungentes, quanto viciniores sponso, tanto vocem ejus familiarius audiunt, et de secretioris familiaritatis testimonio gratulantur. Singulis igitur a sponso pro meritis testimonium redditur; et ne testimonium istud nutare videatur, tota Trinitas ei B astipulatur. Tria sunt igitur, quæ ministris circa transitoria occupatis velut in terra testimonium dare noscuntur, spiritus, aqua et sanguis. Per hæc, si non sit tædiosum lectori, quæ sunt dicta repetere, eleemosynam, jejunium et orationem diximus designari.

Hæc testimonia Scripturæ sacræ Veteris atque Novæ testimoniis innumeris roborantur. Dicuntur enim et verba sacri eloquii testimonia, quia perhibent testimonium, mandata Dei vera esse, *justificata in semetipsa, desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum* (*Psal.* XVIII). Ne autem impossibilia crederentur, perhibent etiam testimonium multos ea servasse. Unde subditur : *Etenim servus tuus custodit ea* (*ibid.*). Et C ne infructuose ea servasse videretur, etiam de retributione non tacet, cum dicitur : *In custodiendis illis retributio multa* (*ibid.*). Et quia, sicut retributio obedientes, sic damnatio manet transgressores, recte etiam judicia nuncupantur. In istorum mandatorum sive judiciorum Dei testimoniis delectabatur Propheta, sicut in omnibus divitiis, dicens : *Adhæsi testimoniis tuis, Domine* (*Psal.* CXVIII). Et illud : *Testimonia tua meditatio mea est, et consilium meum justificationes tuæ* (*ibid.*). Nos quoque si hæc testimonia meditando diligentius perscrutemur, prædicta testimonia Scripturæ sacræ testimoniis innumeris commendantur. De jejunio et oratione ait Propheta : *Ego autem cum mihi molesti essent, induebam me cilicio. Humiliabam in jejunio animam meam, et oratio mea in sinu meo convertetur* (*Psal.* XXXIV). D De eleemosyna : *Mutuabitur peccator, et non solvet, justus autem miseretur et tribuet* (*Psal.* XXXVI). Et illud : *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi* (*Psal.* CXI). Joel quoque de jejunio et oratione sic ait : *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio et fletu et planctu* (*Joel* II). De eleemosyna : *Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam ; cum videris nudum operi eum* (*Isa.* LVIII). In Tobia quoque legitur : *Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna* (*Tob.* XII). Et illud : *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue ; si exiguum, etiam libenter illud impertire* (*Tob.* IV).

Hæc et alia, quæ in Veteri et Novo Testamento commendata leguntur, verba et exempla omnia ponere supersedemus, ne pariat copia congesta fastidium. Et tamen quæ Jesus legitur cœpisse facere et docere, non credidi omittenda. Ipse quippe salutem humani generis operaturus in medio terræ, post baptismum suum mox ab oratione et jejunio duxit incipiendum. Unde et legitur, quod eo baptizato et orante, et apertis super eum cœlis, ductus sit in desertum a spiritu, ubi cum jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit (*Matth.* III). Hæc usque ad passionem suam postea nunquam omittens, sic alternatis vicibus exercuit, ut non unum confunderetur ab altero ; sed noctem orationi deputans, diem jejunio, prædicationi et curationi, *pertransivit benefaciendo et curando oppressos a dæmonio* (*Act.* X). Nec solum exemplo nos ad hæc studuit invitare, sed etiam verbis commendare curavit, dicens : *Hoc genus non ejicitur, nisi in oratione et jejunio* (*Matth.* XVII). Dulcedo siquidem orationis et intimæ compunctionis affectio male dulces carnis affectiones, et immissiones per angelos malos (*Psal.* LXXVII) extundere consuevit. Jejunium vero exterius adhibitis tentationibus et occasionibus peccati obviando resistit. Eleemosyna jejunio et oratione mundatis, sanitatis gaudia et munera gratiarum acquirit, sicut ait Dominus : *Date et dabitur vobis. In ea quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis* (*Luc.* VI). Et Apostolus: *Qui parce seminat, parce et metet ; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet* (*II Cor.* IX). Tunc enim oratio ad Deum directa sine offendiculo penetrat cœlos, cum jejunio et eleemosyna velut duabus alis ab infimis evecta, jejunio velut sinistra adjuvatur, eleemosyna velut dextera et fortiori proficit et gubernatur. Ala jejunii tres pennas habet principales. Jejunandum est enim ab illicito actu, ab illecebroso motu, ab illiciente affectu. Tres quoque eleemosynæ pennæ sunt principales, ut subveniat quis proximo sermone, subveniat de suo, vel deserviendo ei, vel orando pro ipso. Hæc sunt, quæ primum testimonium dant in terra. Testimonium apud homines, testimonium cuique apud seipsum, et testimonium apud Deum. Apud homines testimonium justitiæ, cui innitebatur Pharisæus ille, cum diceret : *Deus gratias ago tibi ; quia non sum sicut cæteri homines raptores, injusti, adulteri. Jejuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ possideo* (*Luc.* XV). Superbus quippe et arrogans non justum se esse tantum, sed justiorem cæteris apparere gloriabatur ; et contentus testimonio hominum noluit attendere suum : cuique enim testimonium propriæ perhibent actiones prædictæ. Ut enim de cæteris taceam, attende quantum in abstinentiæ virtute profeceris, quæ omnium principium est, et fundamentum nutrixque virtutum, sine qua nullus ad reliquas est accessus. Ingredere et explora omnes conscientiæ tuæ recessus, quomodo se habeant interiora et exteriora tua, si forte necessaria, ne dicam superflua desint. Si

Severi super repetitione ipsius ecclesiæ perpetuum silentium imponentes.

Datum apud Pictavim per manum Raimundi de Capella, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, anno Dominicæ Incarnationis 1182, Kalendis Aprilis.

XXXI.

Epistola Henrici episcopi Albanensis ad universos Ecclesiæ prælatos. — Hortatur ad modestiam, humilitatem et pœnitentiam.

(Anno 1187.)

[MARTEN. *Ampl. Collect.*, I, 975, ex ms. Hemerodensi.]

Venerabilibus et in Domino sibi charissimis archiepiscopis, episcopis, cæterisque Ecclesiæ prælatis H. (3) Albanensis episcopus apostolicæ sedis legatus, per gloriam salutiferæ crucis ad perpetuæ lucis gaudia pervenire.

Publicani et peccatores violenter præripiunt regnum Dei, quod ab ipsis vim perpeti gratulantur, et qui duces esse debuerant, nec sequuntur. Propter quod personis potissimum ecclesiasticis attendendum, ne, quod Deus avertat, ex clericorum damnatione incipiant resarcire principes tenebrarum, quæ ex laicorum conversione sustinent detrimenta. Cavendum etiam ne mare dicat ut Sidon erubescat. Cavendum est ne subjugale mutum hominis voce loquens incipiat redarguere insipientiam prophetarum. Litteris itaque, dilectissimi, non modo inscribi frontibus signum Thau, signum Dominicæ passionis, sed et cordibus inprimi his præsertim diebus oportet. Atrum est atramentum, atrox atramentarium, quod a renibus ejus dependet, qui in lineo habitu singularis candoris, qualem fullo super terram facere nequeat, omnimodæ scilicet pietatis quam impœnitens nullus attingat signatum et insignitus advenit. Consideraverat atramentum hoc, altitudinem hanc, hanc nigredinem, qui dicebat: *Vidimus eum et non erat species ei neque decor* (*Isai.* LIII). Obsecro vos, dilectissimi, ne vos huic deformitati pigeat conformari. Æmulamini ejus humilitatem, qui pro vobis annorum induit infantilium paupertatem, ignominiam crucis subire non renuit, reputari inter mortuos non refugit. Deponite veterem hominem cum actibus suis, et exuvias veteris exuat Salvatoris ore prudentia commendata serpentis. Non competit huic tempori, non mœrori. Non plus calcaria quam altaria fulgeant, cum et illa forsitan oporteat ciliciis interim cooperiri. Idem quoque de sellis, de frenis, de phaleris notabilibus et inanem præferentibus fulgorem sentiendum. In vestibus suis deponant clerici, quæ etiam reges abjiciunt, quæ signatorum Christi universitas noscitur abdicare. Abjiciant varia, grisea, zebelinos, et pelliculas ejusmodi grandis pretii, sed coram Deo periculi grandioris, nec minoris in veritate dedecoris, dum ad imaginem Dei creatus homo pelliculis murium sese credit ornari. Audiatur Petrus saltem diebus istis, qui nullo tempore A debuit non audiri; audiatur, ut appetere viros pudeat, pudeat clericos quod eorum primus ad ipsorum gloriam, primus in contumeliam tonsuratur, etiam mulieribus interdixit. Non manicæ, non calceamenta eorum. Si vero etiam ministrantium eis quotidianis egeant consuturis, ne subtilitas lineæ ligandis eorum manibus et pedibus in vincula debeant graviora converti, vel ne videantur funiculos texere, unde ligatis pedibus suis et manibus in exteriores tenebras demergantur. Manicatas etiam cappas non dissimuletis abjicere, quæ ex cappis et tunicis habitu duplicato duplicitatem redarguunt animarum. Qui ex lino et lana contextam vestem prohibuit, si vidisset suo tempore vestes ex cappa et tunica fieri, non laudasset. Prima fuit in cœlo B generis humani transgressio, primam et ternam ex adversario jejunans Christus victoriam reportavit. Siquidem vicit mundum in appetibilibus suis, in concupiscentia carnis, in concupiscentia oculorum et superbia vitæ, de voluptate, de otiositate, de ambitione triumphans. Modo sibi et numerum laici in cibariis posuerunt, ut duorum ferculorum sint contenti, quod si vobis diceretur uno fore contentos, forsitan Germanicis aliquibus non placeret. Verumtamen si videtur sufficere quod ad numerum pertinet indicta frugalitas, vestrum erit imitatione dignum aliquid addere super deliciarum ineptiis declinandis. Et quidem mater vestra sacrosancta Romana Ecclesia statuit et decrevit (4) omnibus sextis feriis, et in Adventu Domini in cibo quadrage- C simali clericis simul et laicis jejunandum, feria quarta et Sabbato a carnibus et sagimine abstinendum, transgressores constitutionis hujus sacrorum reos canonum fore decernens. Sic ibi quoque et familiis suis a summo pontifice et fratribus suis in secunda feria eadem abstinentia carnium est injuncta, quod in vobis prælatos saltem majores voluntaria devotione deceat æmulari. Non competunt vina pigmentis delibuta, mœrori huic potissimum, cujus non expedit oblivisci. Nunquam negotiandum ut clericis, nunquam vilius comparandum quod venundari debeat pretio cariori. Propterea quod sacrilegium semper fuerat, nunc præsertim gravius exsecrandum, et negotiis tum ipsis deteriora viden- D tur jurgia clericorum, ut oporteat magis invicem supportare et donare vobis, ut et ipsis si quis adversus aliquem habet querelam. Insatiabilis est ardor ambitionis, nec hydropis avaritiæ ex divitiis refragatur adeptis. Quid gibbum gibbo camelus adjicit in variis dignitatibus et multitudine præbendarum. Non sunt ista quæ divinam erga hominem misericordiam provocant, sed iram potius mereantur. Ad negandum cœlestis regni per foramen acus introitum gibbus poterat abundare camelo. Itane studia vobis honestiora non suppetunt, ut nec in avibus ludere, nec venationibus pudeat occupari? Dum vobis sutatur cruce signatos ad humilitatem et pœnitentiam.

(3) Hanc epistolam scripsisse videtur Henricus occasione victoriæ a Saladino in Christianos reportatæ, atque adeo ut divinum numen placere valeant, hor-

(4) Decretum illud edidit Baronius ad annum 1187.

perfluitas criminum resecetur, ab hujusmodi vanitatibus abstinendum potius mementote. Aleas fugere Cato monuit, et gentibus, de quo vobis ad exemplum sufficiat militia Dei signatorum, quos hujusmodi ludos cernitis abdicasse. Sufficiat etiam in ecclesiis simplex cantus ad præsens et quæ minore .... gravitatem organa conquiescant. Exhibeamus quod legimus, ut in vocem flentium organa transeant, et in luctum cithara convertatur. Ignoscite mihi si dixero quod salubrius debeat quam suavius reputari A populis exterminata in ecclesiis licentia Janicalis resedit. Quid festivitati et fatuitati, vel potius ut apostolico vos sermone conveniam, quæ conventio Christi ad Belial? nec vos latet in nonnullis ecclesiis enormitates aliquando consuetas aliquatenus resecari, et in olosericis cappis quas offerunt qui baculos ferunt complacere. Quasi vero non de moribus quam de vestibus amplior sit causa Deo, quasi non seriis plus quam sericis delectetur. Verumtamen nec edictum super his et hujusmodi generale procedit, nec perenne proponitur edictum, sed quod nulli debet esse molestum.

XXXII.

Henrici Albani episcopi, legati apostolici, litteræ quibus convocat ad comitia præsules Germaniæ per portitorem ad deliberandum de bellis sacris adversus Saracenos, ad vindicandam crucem et loca Christi pedibus consecrata.

(LUDEWIG, *Reliquiæ mss.*, Francofurti et Lipsiæ 1720, in-8°, t. II, p. 449.)

Charissimis in Christo fratribus et amicis, venerabilibus Dei gratia archiepiscopis, episcopis, abbatibus, præpositis et aliis Ecclesiarum prælatis, et dilectis in Domino nobilibus viris, ducibus, comitibus, marchionibus et aliis principibus universis per regnum Teutonicum constitutis, ad quos litteræ istæ pervenerint, HENRICUS eadem gratia Albanus episcopus, apostolicæ sedis legatus, salutem in Domino.

Ex quo vox illa turturis, vox gemitus, vox doloris fines nostros lamentabilis nuper novitate rumoris aspersit, quis ad tantam stragem non ingemiscat populi Christiani? Quis terram illam sanctam quam redemptionis nostræ ipsi dedicaverunt pedes Domini, spurcitiis paganorum exponi non doleat? Quis Crucem salvificam captam non deploret, et conculcatam ab ethnicis et sanctuarium Domini profanatum? Heu, heu! ad auditum quemdam similem, cum fixuras clavorum crux ipsa susciperet, terra tremuit, sol expavit, petræ scissæ sunt, et aperta credimus monumenta. Cujus ergo vel saxeum pectus auditus iste non emolliat, cum sputis afficitur configitur, habetur contumeliis crux admirabilis, nostrorum curatio vulnerum, restitutio sanitatum, lignum dulce, signum vitæ, vexillum militiæ Christianæ? Fatemur, necesse est, quamvis quidem minora patimur, sed majora quam potuerimus vel timere. Verumtamen, quia universæ viæ Dei misericordia et veritas, eatenus nos dejicere non debemus, quin sperandum A nobis sit quod qui, peccatis exigentibus, populum Christianum, qui jam post concupiscentias suas oculos suos statuerat declinare in terram de judicio flagellavit, redemptionem nobis de misericordia sua reservavit. Quomodo namque asportari permitteret lignum Crucis ab ethnicis, nisi iterum crucifigendus ab eis?

Ecce videmus iteratum Redemptionis nostræ mysterium, dum pro nobis suo nunc nomini non pepercit vel cruci, qui quondam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Non enim abbreviata est manus Domini, nec brachium Domini infirmatum est, ut salvare non possit, sed operatur misericordiam suam inscrutabilis altitudo B Dei ut torpentem mundi devotionem sic excitet, atque per obsequium vestrum et aliorum quos ad hoc eligere dignatus fuerit, nobis salubriter et sibi gloriose de barbaræ nationis hostilitate triumphet. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, in quibus utinam milites Christi abjiciant opera tenebrarum, et ad vindicandam injuriam crucis indui non differant arma lucis, loricam fidei et salutis galeam assumentes. Malitia fuit, non militia, quod hactenus Christianorum cædibus et rapinis et execrabilibus intenti ignem inexstinguibilem et immortalium cruciatus vermium meruerunt. Felix eis abest militia, in qua et vincere gloria, sed magis mori lucrum. Ad hanc invitat nos hodie, qui amat animas nec propriæ pepercit injuriæ, ut neces- C sitatem fidelibus suis imponeret ad hanc militiam compellentem. Adest qui signaculum vitæ gementibus super tantis malis ad evasionem intolerabilis percussionis imponat, et quamvis multiplicia vasa interius exigentibus peccatis jam egressi teneantur percussiones, (5) solos nocebunt eos, qui divinitus oblatum sibi vitæ signaculum recusabunt. Inde est quod a serenissimo domino F. Romanorum imperatore et semper Augusto, et nobis pariter, qui de mandato sedis apostolicæ, pro eodem negotio, quantum, Domino cooperante facultas suppetit, laboramus, solemnis est curia constituta apud Moguntiam, ad quam Dominicæ, qua cantatur *Lætare, Jerusalem*, diem festum agant et conventum faciant omnes qui diligunt eam.

D Quoniam igitur eadem curia singulariter est Salvatori Domino deputata, sicut imperialis majestas sua potestate nos convocat, nosque ex parte Dei et ea quæ fungimus legationis auctoritate universitatem vestram ad eamdem curiam convocamus. Et ne quis vestrum legitima et certa necessitate præsentiam suam prædicto concilio Christianitatis exhibere dissimulet, injungimus firmiter et mandamus. Vos autem venerabiles episcopos in convocandis abbatibus et aliis prælatis qui sub vobis sunt, una cum præsentium portitore, qui forte omnes adire non poterit, fore præcipimus studiosos. Illud etiam universitati vestræ duximus nominandum, ut ad curiam Jesu Christi in ea gravitate et modestia

(5) Locus corruptus.

qua convenit, evectionum necessitate et omni curiositate et gloria temporali postposita, studeatis accelerare, igne tamen charitatis et obedientiæ ad exal- A tationem Christiani nominis unanimiter inflammari ut fidem quam lingua nostra loquitur, habitus, familia et conversatio fateatur.

DOMNI HENRICI
TRACTATUS
DE PEREGRINANTE CIVITATE DEI.

(Dom Tissier, *Biblioth. Patr. Cisterc.*, III, 1.)

PRÆFATIO AUCTORIS
AD CLARÆVALLENSES.

Charissimis ac spiritualibus filiis suis in Claravalle Domino servientibus, Henricus peccator monachus, supereffluentem Paracleti consolationem.

Ex ea qua me sentio vobis charitate devinctum, vestrum quem erga me geritis, metiri ac pensare libet affectum. Inde est quod sicut de exteriori vestro profectu quotidiana sollicitudine angor, sic filiali affectu vos paternis anxietatibus condolere, et pro meo statu versa vice sollicitis non dubito cogitationibus æstuare. Videns igitur ad præsens non posse satisfieri votis, ut præsentes vos habeam, et omnia quæ circa vos sunt, plenius præsens agnoscam, vestris saltem desideriis satisfacere, li et absens, cupio: et quæ circa me acta sunt, ex quo a vobis exivi, vel agantur hodie, volo vobis, prout possum melius, aperire. Postquam igitur summi Noe dispositione de arca sum disciplinæ regularis emissus, et imbrium ventorumque procellis expositus, nullam, ut verum fatear, requiem pes meus potuit invenire: et qui intra arcam consueverat stabilis permanere, cœpit extra positus inter labentia fluctuare. Diu ergo multumque in omnibus quærendo requiem fatigatus ipsisque vexationibus eruditus, tandemque in me reversus, talia mecum aio: *Revertar in domum meam, unde exivi* (*Luc.* XI). Quid mihi et mundanis? Quid mihi et transitoriis? Suos ista detineant amatores, suos occupent sectatores. Ego qui mea me tunica exspoliavi, quomodo iterum induam illam? Qui lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? (*Cant.* V.) Si spiritu ducor, utique non sum sub lege. Ubi enim, spiritus Domini, ibi libertas. *Non sum liber?* (*II Cor.* IX.) Non sum monachus? Si liberum est aliquibus a Deo recedere, mihi ad eum liberum non erit redire? Dum talia tacitus in corde volverem, et ad hæc B fortius animum obfirmarem, vocem subito dicentis audio: *Cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas. Cum autem senueris, alius te cinget, et ducet quo non vis* (*Joan.* XXI). Ad hanc vocem totus contremui, et divinæ sententiæ nexibus graviter me constrictum tandem confusus agnovi; et qui velut onagrum liberum me prius putabam (*Job* XXXIX), certo certius comperi, non esse in homine viam ejus, et quod nonnisi a Domino gressus hominis diriguntur (*Prov.* XX). Quis enim restitit ei, et pacem habuit? Ipse quasi peccatum ariolandi indicat non obedire, et quasi scelus idololatriæ non acquiescere (*I Reg.* XV). Hæc et alia multa attendens, et mente diligenter pertractans, cum talibus cogitationibus perturbarer, nec usquam jam exitus C appareret; totum tandem ad Dominum me converti, et ex intimis cordis medullis exclamans ad eum aio: *Nunquid mare sum ego, aut cetus, quia circumdedisti me carcere?* (*Job* VII.) *Abyssus vallavit me et pelagus cooperuit caput meum. Putas videbo templum sanctum tuum?* (*Jonas* II.) Putas ad illam meam, imo tuam Claramvallem, ab episcopalis sarcinæ vinculis absolutus aliquando redibo? Putas filiis meis dilectissimis, imo tuis redditus, cum eis tibi lætabundus cantabo: *Dirupisti, Domine, vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis?* (*Psal.* CX.) *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar* (*Psal.* CX), elongatus ab eis, sine quibus vivere mori mihi est, cum D quibus mori vivere mihi est? Quis mihi det eorum frui et recreari præsentia, quorum me confortent merita trepidantem, exempla provocent dormitantem; eorum humilitas reprimat præsumentem, virtus roboret vacillantem, hæsitantem confirment consilia, tristem spirituales lætificent consolatio-

nes? Hæc apud me frequentius versans, aures Domini mei Jesu lacrymis pulsare non cesso, illud propheticum mecum sæpius iterans : *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi* mei *ad Dominum Deum* meum, *donec misereatur* mei (*Psal.* CXXII); et cum patriarcha Jacob constanter affirmans : *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi* (*Genes.* XXXII). Ad hæc ipse, qui nunquam obliviscitur misereri, tandem me servum suum audire dignatus est clamantem, flentem respicere, pulsanti voluit aperire, revelans oculos cordis mei, ac gratiæ suæ luce perfundens, ad cognoscendum statum illius civitatis, quam Ezechiel, qui et ipse prius audierat : *Ecce data sunt super te vehicula* (*Ezech.* II), vergentem vidit ad austrum; quam Joannes descendentem vidit de cœlo (*Apoc.* XXI); quam propheta David in montibus sanctis ædificandam aspexit (*Psal.* LXXXVI). In hac fratres meos et filios Clarævallenses, quorum absentiam deplorabam, præsentes reperi; in hac omnes bonos in hoc mundo peregrinantes ascriptos cives inveni. Quid igitur restare aliud jam videtur, nisi ut post multos et varios fluctus superius descriptos, civitate tandem habitationis inventa, seminare agros, plantare vineas, et fructum nativitatis facere studeamus? (*Psal.* CVI.) Hoc a me melius fieri posse non credidi; quam si ea, quæ de civitate prædicta a Domino accepi, litteris commendando, agros studiorum meorum specialibus ac dilectissimis filiis meis Clarævallensibus demetendos dimittam, vel si sarculo opus esse cognoverint, a superfluis purgandis committam. Non vereor ab eis patris nuditatem ridendam, sed compatiendo, pallio illo quod utrumque sufficeret operire, velandam confido pariter et ornandam. Sed nec nudum scio eos judicaturos sermonem minus ornatum, qui fecundum approbant potius quam facundum. Persuasum quidem eis esse ab Apostolo, virtutem magis quam sermonem eorum qui inflati sunt (*I Cor.* IV) attendendam, et regnum Dei in virtute consistere sensuum, non in lepore verborum. Rogo ergo vos, fratres mei dilectissimi, ut cum in paternos labores intraveritis, non alienos eos, sed proprios judicantes, fruges vobis dicatas pia consideratione pensetis, et si tanta ubertas non fuerit, ut falce digna videatur, saltem spicas quæ occurrerint colligere et manufricare non contemnatis. Excuset sterilitatem agelli mei apud vos solis ardor, et ut Salomonis verbis utar : *Nolite me considerare, quod fuscus sim, quia decoloravit me sol* (*Cant.* I). Inde est quod nec illum saporem, quem aliquando apud vos habuit, retinet sermo meus, nec illum colorem, quem in me cernebatis, obtinet actus meus. Placeat soli justitiæ, qui non tam urere quam ungere consuevit, meritis et orationibus vestris, et verbis saporem, et operi pristinum reparare colorem. Tractavit beatus Augustinus (lib. *De civit. Dei*) mistim de utraque civitate, et peregrinante in terris, et regnante in cœlis; si tamen duæ dicendæ sint, cum non sint nisi una in quam se Propheta gratulabatur iturum, cum diceret : *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis, Jerusalem. Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum* (*Psal.* CXXI). Ecce et ædificari Propheta dixit eam in terris, et id ipsum participare in cœlis. In terris habet initium et profectum, ubi est *fuisse*, *esse* et *fore* : ubi *heri*, *hodie* et *cras* (*Hebr.* XIII). In cœlis habet consummationem, ubi *erit*, et *fuit* vicissitudinis obumbrationem non faciunt; sed *est* semper idem est: et quidquid ibi est, in eo quod ipsum est, immarcessibile est. De illa ergo parte civitatis Dei, quæ jam in cœlis coronata triumphat, peritioribus et spiritualibus, qui omnia judicant disserendum relinquo. Ego qui imperfectum meum non ignoro; et scire semper volo quod nesciam; ut si quid ignoro, ignorantia mea meum sit; de militante in terris civitate Dei tractare instituo, si quid in eodem tractatu acceptione dignum sit lectoris judicio derelinquens. Quem si repudiandum totum judicaverit, rogo ut prius legat, postea despiciat ne secundum beatum Hieronymum, ut tamen minus loquar, videatur minus recte, antequam legerit, ignorata damnare

DE PEREGRINANTE CIVITATE DEI.

TRACTATUS PRIMUS.

DE PRÆPARATIONE MATERIÆ CIVITATIS DEI.

Cupienti mihi toto desiderio verbo Domini parere dicentis : *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam* (*Joan.* VI), nihil ad hoc inpræsentiarum commodius occurrit, quam ut civitati Domini virtutum, cujus pars peregrinatur in terris, pars coronata triumphat in cœlis, aliquid obsequii mei studeam impertiri. Nam etsi aurum aut lapides pretiosos non sufficiam exhibere, si saltem pilos caprarum obtulerim (*Exod.* XXV), nonnihil in opus Domini inveniar contulisse. Et quia *laborantem agricolam oportet primum de fructibus suis percipere* (*II Tim.* II), expedire mihi visum est, primo in civitatis ipsius consideratione, diutius immorari, ut tali commoratione ejus tandem civis per Dei misericordiam merear inveniri. Dehinc ipsius statum studiosus describendo etiam alios ad habitationem ejus instanter provocare, ut nonnullos ei cives, si Dominus concesserit, inveniat collegisse. Sed ad hæc quis idoneus, nisi quem tu, Domine, dignum effeceris per tuam gratiam? Quia nullus est

dignus inventus, qui non ab ea indignus fuerit præventus. Fateor, Domine, fateor me indignum; scio me insufficientem; nec aliunde quidem quam de tua confisus gratia opus istud aggredior. De ipsa me confidere docet sola illa pietatis tuæ ineffabilis affluentia, qua præter merita mea, ad bona si qua feci, me semper præveniri, et in eis promoveri innumeris experimentis probavi. Ad te igitur nunc, Pater luminum, solito more confugio; te invoco, Deus meus, Deus veritas, in quo, et a quo, et per quem vera sunt, quæ vera sunt omnia; Deus sapientia, in quo, et a quo, et per quem sapiunt, quæ digne sapiunt omnia; Deus vera ac summa vita, in quo, et a quo, et per quem vivunt, quæ vere summeque vivunt omnia; fac me vera et recte sapiendo te vera et summa frui vita; a quo exire, est mori; in quem redire, reviviscere; in quo habitare, est vivere. Manendo in te, vivam ex te, et tu vita manens in me; ut fructum, qui maneat, afferam ex te, non ex me. Ex te fuit, quod prophetæ tuo David de tua revelatum est civitate, quodque mihi de eadem per eum revelatur. Quod si et aliis revelatum fuerit per me, non erit ex me, sed ex te. Jam ergo quid intus manens a te audierit, quid apud te viderit David, quid foris ad nos exiens eructaverit, audiamus. *Fundamenta ejus*, inquit, *in montibus sanctis* (*Psal.* LXVI). Hunc psalmum in nostri operis ponimus fundamento, ne a propheticæ et catholicæ regulæ rectitudine in aliquo deviemus. Hic igitur psalmus septem distinguitur versibus, quibus septiformis exprimitur nostræ civitatis profectus. In primo et secundo versu agitur de civitatis ipsius fundatione, et gloriosa portarum seu murorum consummatione. In tertio de communis asyli in medio civitatis collocatione. In quarto de civitatis populatione; in quinto de ejus informatione; in sexto de confirmatione; in septimo de consummatæ civitatis lætabunda dedicatione: et hæc omnia in ædificatione sine reædificatione Jerusalem in Veteri Testamento reperiuntur distincta. In ædificatione sub David, in reædificatione sub Esdra et Nehemia, fundamenta posita, muri ædificati, portæ cum seris et vectibus statutæ leguntur. Asylum vero commune præter civitates refugii, templum Jerosolymitanum omnibus creditur exstitisse; non ad quod congregaret impios quorumlibet impunitas delictorum, ob quam causam asylum Romuleum legitur institutum; sed in quo pro delictis universi satisfacientes impii a suis iniquitatibus mundarentur, juxta illud prophetæ, *Verte impium, et non erit* (*Prov.* IX). De populatione in Esdra sic legitur: *Postquam ædificatus est murus, et posui valvas* (*II Esdr.* VII), etc. *Deus dedit in corde meo, et congregavi optimates et magistratus, et vulgus, ut recenserem eos* (*Ibid.*). De informatione in Nehemiæ historia ita legitur: *Aperuit Esdras librum coram omni populo; super universum quippe populum eminebat, et cum aperuisset eum, stetit omnis populus. Et benedixit Esdras Domino Deo magno, et respondit omnis populus: Amen, amen, elevans manus suas et incurvati sunt; et adoraverunt Deum proni in terram. Porro levitæ silentium faciebant in populo ad audiendam legem; populus autem stabat in gradu suo. Et legerunt in libro legis Dei distincte et aperte ad intelligendum, et intellexerunt cum legeretur* (*II Esdr.* VIII). Et in sequentibus: *Vicesima quarta die mensis convenerunt filii Israel in jejunio et saccis; et humus super eos. Et separatum est semen filiorum Israel ab omni filio alienigena; et steterunt, et confitebantur peccata sua, et iniquitates patrum suorum. Et consurrexerunt ad standum; et legerunt in volumine legis Domini Dei sui, quater in die, et quater confitebantur, et adorabant Dominum Deum suum* (*II Esdr.* IX). De confirmatione ejusdem in sequentibus libris sic legitur: *Super omnibus his percutimus fœdus* (*Ibid.*), etc. Item: *Habitaverunt autem principes populi in Jerusalem; reliqua vero plebs misit sortem, ut tollerent unam partem de decem, qui habitaturi essent in Jerusalem civitate sancta, novem vero partes in civitatibus* (*II Esdr.* XI). Confirmationem autem hic dicimus, non solum qua populus Domino suo, sed et Dominus populo suo quarumdam immunitatum promissionibus obligatur, sicut sub Moyse factum legimus, ubi dicitur: *Audi Israel: Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus, et ambules in viis ejus, et custodias cæremonias illius et mandata atque judicia, et obedias ejus imperio. Et Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi, et custodias omnia præcepta illius; et faciat te excelsiorem cunctis gentibus quas creavit* (*Deuter.* XVI). Item: *Omnis locus quem calcaverit pes vester, vester erit. A deserto, et a Libano, et a flumine magno Euphrate usque ad mare occidentale erunt termini vestri* (*Deut.* XIII). Hæc Dominus non solum Israelis populo per Moysen promisisse, sed et patribus jurasse perhibetur, sicut est illud: *Per memetipsum juravi, dicit Dominus* (*Isai.* XLV; *Jerem.* XLIX). Tali privilegio se munitum quondam gloriabatur populus Judæorum. Sed longe digniori privilegio insignitus est populus Christianus; de quo, quod Dominus donaverit, suo loco dicemus. Dedicationem muri ac totius civitatis ab Esdra et Nehemia factam legimus in hunc modum: *In dedicatione autem muri Jerusalem requisierunt levitas de omnibus locis suis, ut adducerent eos in Jerusalem, et facerent dedicationem* (*II Esdr.* XII), etc. Hæc de historia Veteris Testamenti ponenda duximus, ut solide fundamento secure superædificemus. Pro hac igitur septiformi sancti Spiritus operatione Ecclesia septies laudem Domino dicit in die (*Psal.* CXVIII). Et sicut in ædificatione domus suæ sapientia columnas septem legitur excidisse, sic certis et distinctis anni temporibus Ecclesia septem prædicta solemniter commendando Deum noscitur collaudare, ut his divinæ laudis præconiis, velut septem suffulta inveniatur columnis. Hæc autem plenius explicanda singula singulis propositi psalmi versibus reservamus. Sed priusquam ad psalmi principium accedamus, de ipsius psalmi titulo aliquid dicendum esse videtur.

Titulus hic est [psalmus cantici filiis Chore (*Psal.* LXXXVI)]. Quid est autem illud, psalmum cantici filiis Chore convenire, nisi ut opere impleant, quod voce decantant, qui filii esse Chore, illius scilicet calvi (hoc enim Chore sonat), qui in Calvariæ loco suspensus est, non solum sacramento, sed et re sacramenti; non solum adoptione, sed etiam imitatione, seipsos decalvando, et superflua quæque resecando, contendunt? Tales plane filios Chore, mundos scilicet et rectos corde, ferventesque opere decet collaudatio, ut nec vita a voce, nec vox a cordis discrepet puritate; alioqui non erit speciosa laus in ore peccatoris (*Eccles.* XV). Aliud etiam ex hoc titulo attendendum quod, sicut titulus psalmum præcedit, sic fundationem civitatis, quæ in principio psalmi describitur, quædam præparatoria præcesserunt, ut impleretur illud Salomonis: *Præpara foris opus tuum, et diligenter exerce agrum tuum, ut postea ædifices domum tuam* (*Prov.* XXIV). Hoc quoque in Ecclesia, quæ ipsa civitas est, singulis annis et mystice figurari, et actu ipso cernimus repræsentari. Ipsa siquidem suæ fundationis in Christi Nativitate celebratura mysteria, ipsius Dominicæ Nativitatis venerandam memoriam prædicta consideratione quatuor consuevit Dominicalibus officiis prævenire.

Hujus rei si mysterium diligenter attendimus, invenimus quatuor ætatibus præparatum et prænuntiatum multifarie multisque modis Dominicum fuisse adventum: ab Abraham scilicet usque ad Moysen, a Moyse usque ad David, a David usque ad transmigrationem Babylonis, a transmigratione Babylonis usque ad Joannem. Nam duæ quæ præcesserunt ætates, velut infantia mundi et pueritia, minus aptæ, minusque habiles ad veritatis cognitionem inventæ sunt. Vel, si libet ab Abraham usque ad David secundum Evangelium unam computare ætatem (*Matth.* I), dicemus a Noe usque ad Christum quatuor præcessisse. Quæ autem in his ætatibus quatuor facta fuerit Domino suæ præparatio civitatis, plenius in sequentibus exponemus, cum cœperit libri materia plenior apparere. Interim ipsam materiam tantummodo prælibare sufficiat, ut nec nostro operi qualiscunque desit præparatio, qua lectoris animus excitatus ad intelligenda quæ sequuntur, et tenenda memoriter, præparetur. De omnibus igitur quæ quatuor prædictis ætatibus præparata noscuntur, unum ad præsens excerpimus, quod ad tituli prosecutionem sufficiet explicasse. Illis siquidem ætatibus sacra a Deo Scriptura noscitur præparata, quæ in totius civitatis constructione cæmenti locum obtineat, ad inæqualium coæquationem et dissidentium conglutinationem. Non enim in civitate Domini bitumen locum habet, quo Babylonii in suo opere usi sunt pro cæmento. Bitumen quippe quod naturaliter de terra oritur, astutia est naturalis, quæ prudentia carnis inimica est Deo. Prudentia vero spiritus, quæ de sacræ Scripturæ velut divini cæmenti compagine generatur, vita et pax. Et quia

A cæmentum de diversis rerum generibus conficitur, voluit Deus singulis prædictis ætatibus singula coadunare, quæ ad hujus cæmenti confectionem necessaria videbantur. Quæ autem sint illa, cæmentum quod manu pontificis sit in consecratione altaris, manifeste declarat. Illud autem ex aqua, et vino, et calce, et cineribus fieri solet. Non enim sal quod aquæ miscetur, inter hæc duximus numerandum, cum ipsum nonnisi aqua coagulata esse noscatur. Hæc ergo quomodo summus pontifex Deus diversis temporibus præparaverit, et præparata tandem suo operi adaptaverit, attendamus. Ab Abraham siquidem usque ad Moysen labentium actuum bonorum sive malorum historiam texendo velut aquas fluentes in uno Genesis libro, ac si in uno videtur loco con-

B gregasse. Inde est quod licet illæ actiones velut aquæ labentes cum sua ætate effluxerint, adhuc tamen sacræ Scripturæ cæmento per lectionis revolutionem in legentium memoria integræ permanere noscuntur. Et licet huic aquæ vinum spiritualis intelligentiæ permistum reperiatur; sequenti tamen ætati, a Moyse scilicet usque ad David, vinum spiritualiter attribuitur, in qua mordaces legis præceptiones et prohibitiones traditæ a Domino, susceptæ a populo, et ipsa sui novitate vini austeritatem importasse leguntur. A David autem usque ad transmigrationem Babylonis viri perfecti velut lapides vivi igne Spiritus sancti excocti, suis operibus futura præsignantes, et prophetico spiritu ventura prædi-

C centes, pluribus librorum monimentis firmitatem calcis Christianæ fidei paraverunt, qua calce formari et solidari in fide discipulos suos volebat Petrus apostolus, dicens: *Habetis firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco* (*II Petr.* I). A transmigratione Babylonis usque ad Joannem cineres sunt cribrati, cum Judaici populi reliquiæ multis tribulationum angustiis vexatæ, et suas miserias per Scripturæ seriem ad posteros transmittentes, non aliud innuisse videntur, quam nostræ ætatis fini similia esse præparata; adeo ut semper et præteritorum cinerum recordatione, et futurorum exspectatione humiles in prosperis, et fortes inveniamur in adversis. Cinis quippe, cum sit materia vilis, in

D cæmento tamen non vilem habet effectum, cum et illud durabilius et tenacius reddat. Hoc cæmento Dominus in suæ civitatis ædificatione usus, omnibus fere suis et dictis et factis illud studuit coaptare. Unde et dicebat: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit.* Et illud: *Scrutamini Scripturas; illæ enim testimonium perhibent de me* (*Joan.* V). Et quia longum esset retexere omnia, quæ in Evangelio de Veteri Testamento assumuntur, sive quæ in eo de ipsius nativitate, circumcisione, apparitione, hypapante, baptismate, prædicatione, morte, sepultura et resurrectione prænuntiata reperiuntur, illud ad præsens ponere sufficiat, ubi prædicta quatuor nominatim legitur expressisse, dicens: *Hæc sunt verba quæ locutus sum*

ad vos, cum adhuc essem vobiscum; quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, et prophetis, et psalmis de me. Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat pati Christum, et resurgere a mortuis tertia die, et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma (*Luc.* XXIV). Ecce hic manifeste totam Scripturam veterem in legem et prophetas, et psalmorum nomine agiographa distinguendo concludit. Habemus igitur vinum in lege, calcem in prophetis, cineres in agiographis, et singulis horum historiæ aquam permistam; imo per aquam historiæ singula hæc sibi invicem permista et conglutinata unum cæmentum efficere comprobantur. Et hæc forsitan est illa rota, quam vidit Ezechiel, quatuor habentem facies per quatuor partes ire.

De rota quatuor habente facies, et per quatuor partes ambulante.

Historia siquidem humanos actus more humano retexendo, faciem hominis manifeste prætendit. Lex vero Moysi præceptorum et prohibitionum jugo colla subditorum atterens, vituli colligati faciem repræsentat; prophetia comminationum et promissionum sublimiora contingens, perspicacitatem aquilæ imitatur. Agiographa duris invectionibus, et asperis increpationibus leonis rugitum exprimere manifeste noscuntur, qualia in psalmis, ut est illud: *Filii hominum usquequo gravi corde* (*Psal.* IV), in Daniele et Esdra expressa sæpius replicantur. Quod autem per quatuor partes hæc ire dicuntur, illud manifeste innuit quod historia ad sola respicit præterita, velut aqua prætereundo deficiens et defluens in abyssum. Secundum sensum vero spiritualem, tota ipsa Scriptura Veteris Testamenti futura prospiciens in anteriora se extendit, triplicem Christi prænuntians adventum; vel primum, qui occultus fuit et humilis, et jam nobis est præteritus; vel secundum, qui præsens quotidie a sanctis intimus sentitur et dulcis; vel tertium, qui manifestus et terribilis in fine temporum exspectatur. Hi tres adventus ita Scripturæ veteri inveniuntur inserti, ut nunc omnibus congruere, nunc singulos separatim tangere videatur. Quod manifeste cernimus in Threnis Jeremiæ, quos quadruplici distinguens alphabeto, unum ad ruinam terrenæ Jerusalem, reliqua ad triplicem Ecclesiæ casum direxisse videtur. Sicut enim terrena Jerusalem prius de gloria regni, postea de gloria sacerdotii, tertio de legalium cæremoniarum observantia legitur corruisse: et, sicut templum primo a Chaldæis destructum, secundo a Græcis profanatum, tertio a Romanis penitus invenitur deletum; sic spiritualis Jerusalem, quæ est Ecclesia, prius a sacerdotalis auctoritatis humilianda est gloria et dignitate, secundo a Christianæ religionis virtute, et sanctitatis simplicitate casura, secundum quod prophetans Apostolus: *In novissimis*, inquit, *diebus erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem abnegantes* (*II Tim.* III). Tertio ipsam pietatis est speciem relictura, et totius ecclesiastici ordinis formam etiam exteriorem rejectura. Quod forte ipsa Ecclesia in eo præfigurat, quod tribus diebus ante resurrectionem Domini ingloriam, indecoram et mœrentem se exhibet, eo quod communem omnium resurrectionem, et ultimum Christi adventum talia præventura indubitanter exspectet.

De tribus diebus præcedentibus Dominicam Resurrectionem, et de septem antiphonis solemnibus Adventus Domini.

Quod præfigurari manifeste dignoscitur in eo quod prædictis tribus diebus horæ canonicæ sine solito initio et fine dicuntur. Nam ex principio et fine in musica forma dijudicatur. Quod autem, *Dominus vobiscum, Oremus, et Kyrie eleison* supprimuntur, sanctitatis insinuat defectum. Nam quod *Gloria* omnino reticetur, quem hodie Ecclesia obtinet, gloriæ apicem innuit aliquando de medio tollendum. Non tamen subito hæc gloria abscondetur, sed paulatim processu temporis minuetur, sicut a Dominica in passione Domini in missa tantum, ubi specialiter gloria sacerdotalis refulget, incipit reticeri. Hæc etiam distinctio in prædictis Threnis reperitur, cum in secundo alphabeto pollutum regnum et dejecti principes, et omne cornu confractum deploratur; in tertio propheta se esse virum videntem paupertatem lamentatur; in quarto obscuratum aurum, et colorem optimum plangit esse mutatum. Quæ licet de ultimo Christi adventu specialiter dicta intelligantur, multa tamen in eisdem alphabetis ad primum et secundum specialius referuntur. Sicut autem in Ecclesia Domini resurrectio et ea quæ præcedunt, in preparationem ultimi adventus celebrantur, sic et ea quæ primum Christi præcesserunt adventum, in ipsius sunt facta præparationem, et ea quæ singulis annis de primo ejus adventu solemniter recoluntur, medii adventu præparatoria esse noscuntur. Quod in illis septem solemnibus apparuit antiphonis, quæ in præparatione Nativitatis Dominicæ decantantur: quarum primis quatuor, illorum Patrum qui prædictis quatuor ætatibus Scripturas ipsas ediderunt, clamores et desideria exprimuntur. Nam tribus quæ sequuntur, ipse triplex Christi adventus ab eisdem prædictis Patribus prævisus et desideratus innuitur. Quatuor etiam prædictis antiphonis quatuor secundi adventus præparatoria ostenduntur. Nam per primam excitantur corda torpentium ad surgendum, secundum illud: *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit* (*Matth.* XXV). Secunda excitatos admonet ad ornandum, quo sponsus suscipiendus est, locum, juxta illud quod sequitur in Evangelio: *Tunc surrexerunt omnes virgines illæ et ornaverunt lampades suas.* Tertia ad obviandum, secundum illud: *Exierunt obviam sponso et sponsæ.* Quarta ad intrandum, sicut dicitur: *Quæ paratæ erant,*

intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua (*ibid.*). Cujus januæ claviger est et clavis : cui vult claudens, ita ut nemo aperiat; cui vult et quando vult aperiens, ut nemo claudat : ille qui in quarta antiphona ad veniendum vocatur, et clavis David nominatur. Aliis enim quæ prædiximus, alias tres antiphonas facile lector diligens assignabit. Patet igitur, ea quæ primum Christi præcesserunt adventum, præparatoria tantum nostræ fuisse civitatis ; ipso vero Christi primo adventu civitatem ipsam fundatam atque munitam : nam per secundum ipsius adventum quotidie adunatur et informatur; tertio tandem adventu plene ab eo confirmanda, et lætantibus omnibus tam angelis quam hominibus dedicanda. Hæc enim primo Christi adventu præparata quodammodo videntur potius quam completa. Complebuntur autem, cum signis omnibus decedentibus res succedent, fides transibit in speciem, umbra in veritatem. Interim, dum durat umbra, sciens Christus signa esse necessaria, et ad res ipsas præparatoria, talia agere voluit, quæ et res essent præcedentium signorum, et signa rerum futurarum. Præsignavit enim fundationem civitatis suæ in sua nativitate, initiationem in circumcisione, adunationem in apparitione, informationem in sacramentorum institutione, confirmationem in passione, secundum illud Apostoli : *Ubi est testamentum, mors necesse est intercedat testatoris; testamentum enim in mortuis confirmatum est. Alioqui nondum valet, dum vivit qui testatus est, unde nec quidem sine sanguine dedicatum est* (*Hebr.* IX). Quæ dedicatio sicut triplex fuit in Veteri Testamento, prima tabernaculi, secunda et tertia civitatis et templi; sic ultimam et plenam nostræ civitatis dedicationem duæ præcessise in Novo Testamento et præfigurasse noscuntur : prima in Purificatione, sive hypapante, Domini, quæ et apud nos festum luminum nominatur; quo nomine apud veteres, vocatam legimus dedicationem; secunda in missione Spiritus sancti, quando congregati in unum Apostoli Spiritu sancto leguntur baptizati (*Actor.* II). Et quia signis peregrinantes et militantes præcipue uti solent, recte peregrinanti et militanti civitati signa dantur. Quia quandiu *sumus in corpore, peregrinamur à Domino* (*II Cor.* V), et quandiu *militia est hominis super terram* (*Job.* VII), visibilium signorum scala ad invisibilia necesse habemus uti, secundum quod Apostolus ait : *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur a creatura mundi* (*Rom.* I). Creatura, ait, mundi, non cœli; illa enim scala non indiget solium jam tenens. Filii autem Chore, qui Thau signatum habent in frontibus suis (*Ezech.* IX), qui vocatos se reputant ad cinerem et ad calvitium, qui ea quæ prima fronte apparent, visibilia scilicet, temporalia esse cognoscunt, et ad æterna et anteriora se extendunt, ut ait beatus Augustinus; tales, inquam, calvi et peregrini et advenæ super terram et peregrinantis civitatis cives signa suæ militiæ recognoscunt, et suæ civitatis cantaturi canticum ;

A sic activæ vitæ psalterium assumunt, ut semper ad contemplativam transire contendant. Cujus finis est et satietas beata Trinitas unus Deus, qua sola fruentes efficiuntur beati. Quæ quia, dum peregrinamur a Domino, sicut est, a lippientibus videri non potest, voluit Dominus suæ civitati visibilem quamdam proponere Trinitatem, qua humana infirmitas in exsilio per ea quæ usu didicit confricata incalesceret, ut sic ad ea quæ non didicit tandem assurgens perveniret. Hæc intelligens discipulus ille quem dilexit Jesus, duas trinitates in suis scriptis proposuit, unam in cœlis, aliam testimonium dantem in terris, innuens quod frustra quis ad testimonia aspiraret, si insensibilis Trinitatis testimonium non haberet. De quo ita ait : *Tres sunt qui testi-*
B *monium dant in terris ; spiritus, aqua et sanguis : et hi tres unum sunt* (*I Joan.* V). Tria siquidem, ut ait beatus Augustinus, novimus de corpore Domini exisse, cum penderet in ligno : primum spiritum, juxta illud : *Inclinato capite, emisit spiritum* (*Joan.* X); deinde, quando latus ejus lancea perforatum est, sanguinem et aquam.

Hæc tria cum diversas habeant singula quæque substantias, non sunt unum. Sed si ea quæ his sunt significata attendimus, occurrit beata Trinitas unus Deus, Pater et Filius, et Spiritus sanctus, ut nomine Spiritus accipiamus significatum Deum Patrem, secundum illud : *Spiritus est Deus* (*Joan.* IV); nomine autem sanguinis Filium, secundum quod Verbum caro factum est; nomine vero aquæ Spiritum
C sanctum, sicut ait evangelista : *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum* (*Luc.* VII). Hæc Augustinus. Ad hanc igitur Trinitatem volens Dominus Jesus seipsum nobis parare viam, tria in his tribus instituit sacramenta, quibus interim anima lippiens mundaretur, et exerceretur; exercitata dilataretur, dilatata tandem caperet quod capere non poterat otiosa. In aqua quippe sacramentum baptismi instituit; in sanguine sacramentum altaris, dicens : *Hic calix novum testamentum est in sanguine meo* (*I Cor.* XI); in Spiritu sacramentum confirmationis, quod apostolis Spiritus sancti igne etiam visibiliter confirmans et corroborans, eumdem Spiritum aliis manum imposi-
D tione tradentibus, signis diversarum linguarum Dominus voluit commendari, igne suæ præsentiæ sordes universas purificans, hominem innovat et immutat. Et licet hæc tria sacramenta unum non sint, una tamen est operatio Trinitatis in tribus, et in singulis trina. In baptismate spe talis apparuit operatio Spiritus, per columbam; mysterium Eucharistiæ passione sua specialiter Filius consecravit; in confirmatione Pater specialiter visus est operari, qui, misso Spiritu apostolorum corda invisibili illustravit potentia. In confirmatione igitur Pater corroborat; in traditione Eucharistiæ Filius noctis illius tenebras, qua comedebantur carnes agni veteris, sapienter illustrat; in baptismate Spiritus sanctus igne suæ præsentiæ sordes uni-

versas purificans hominem innovat et immutat. Et quia inseparabilis est operatio Trinitatis, eadem tria in singulis tota Trinitas operatur. Tres itaque sunt, qui in tribus sacramentis operari probantur, et tres unum sunt: aliter enim tota Trinitas nobis eisdem substantiis commendatur. Spiritus enim qui orantes facit, et gemitibus inenarrabilibus interpellat pro nobis (*Rom.* VIII), orationis devotionem commendat; eleemosynam, quæ *aqua Dei* interpretatur, aquam manifeste designat. Confessionis et pœnitentiæ ruborem sanguis significando demonstrat. Et hæc sunt quæ testimonium dant in terra, quoniam his fructibus in terra homines cognoscuntur. Dant etiam exterius testimonia latentium intus virtutum; oratio scilicet humilitatis, abstinentia castitatis, eleemosyna charitatis. In quibus virtutibus quam expressim appareat vestigium Trinitatis, ex sequentibus manifeste liquebit. Interim extra portam veteris Jerusalem et terrenæ, et in Calvariæ loco, id est in vitæ novitate, filii Chore triplici prædictæ Trinitatis insigniti imagine ponant signaculum supra frontem, super cor, super brachium suum, velut in superliminari, et super utrumque postem, operis scilicet et cognitionis, ut corde credatur ad justitiam, fides per dilectionem operetur ad Dei gloriam (*Rom.* X); in fronte, id est in aperto, fiat confessio ad salutem (*ibid.*). Contempletur etiam in prima Trinitate unitatem trinæ significationis, in secunda unitatem trinæ operationis, in trina trinum effectum unius affectionis sive intentionis. Ad unum enim intentionem dirigere in tribus illis docet Dominus in Evangelio dicens: *Cum oras, intra in cubiculum* (*Matth.* VI), etc., manifeste ostendens, orationem, eleemosynam et jejunium ad illum referenda esse, qui videt in abscondito, dicens: *Qui videt in abscondito, reddet tibi* (*ibid.*). Quod si adhuc altius et subtilius hujus testimonii mysterium perscrutari placet, terminetur ad præsens hic sermo, ne, si fuerit nimis prolixus, fiat etiam tædiosus. Ille igitur semper Alpha et Ω sit nostri sermonis, qui initium est et finis universorum, et sine initio et fine permanet in sæcula sæculorum, Amen.

TRACTATUS II.

DE CARACTERE, TITULO ET TESTIMONIO, QUIBUS CIVES SUOS CHRISTUS INSIGNIRI VOLUIT.

Postquam primus homo de terra terrenus, terrenis civitatibus et habitatoribus terrena sapientibus mundum implevit, veniens novus homo de cœlo cœlestis, et cœlestem in terris civitatem volens ædificare, cives suos qui cœlestia saperent a terrenis civibus voluit sui characteris signo distingui, titulo prænotari, testimonio communiri. Signum fuit decalvatio, titulus filiatio, testimonium secretiori familiaritate probata amicitiæ certitudo. Signum siquidem et imago terreni fuit in terrenis crescere, multiplicari, dominari. Sic quippe protoplastis dictum est: *Crescite et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam; et dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis terræ, omnique reptili* A *quod movetur in terra* (*Gen.* I). Novus autem homo signum novitatis suis sequacibus tribuens ait: *Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV). Et illud: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* (*Matth.* XVI). Illud etiam: *Qui reliquerit patrem aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* (*Matth.* XVII). Ecce quomodo calvus noster omnibus temporalibus suos vult decalvari, ut libera facie, et aperta fronte æterna desiderent, et sine impedimento oculos ad cœlum levent. Cives terreni *a fructu frumenti, vini et olei sui multiplicati sunt* (*Psal.* IV). Cohæredes Christi in spe singulariter constituti in B pace in idipsum dormiunt et requiescunt (*ibid.*). Licet enim multi ex eis bonis temporalibus abundantes, minime decalvati, sed multis etiam superfluitatibus frontem opertam et oneratam habere videantur, tamen qui veri Christi concives sunt, sic utuntur illis, quasi jam non utantur, non ponentes spem in incerto divitiarum, nec in luxu deliciarum gaudentes, sed mortem habentes præ oculis, se eis jamjamque non dubitant carituros. Nil quippe sic amorem mundi in homine mortificat, sicut meditatio mortis. Unde scriptum est: *Memorare novissima tua, et non peccabis* (*Eccli.* VII). Nihil enim certius morte, nihil incertius hora mortis. Hos in magni patrisfamilias domo ministros potius dixerim, quam C filios vel amicos. Tales videntur fuisse patres Veteris Testamenti, qui signum acceperunt circumcisionis, non titulum filiationis, aut testimonium amicitiæ specialis. Cum enim dictum sit ad eos: *Ego Dominus Deus vester* (*Levit.* XXIII). *Ego Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob* (*Exod.* III), nunquam tamen legitur eis dictum: *Estote misericordes sicut et Pater vester cœlestis misericors est* (*Luc.* VI); aut: *Pater vester cœlestis dabit spiritum bonum petentibus se* (*Luc.* VI). Et cum testimonium acceperit Abraham divinum: *Nunc cognovi quod timeas Deum* (*Gen.* XXII), non tamen meruit audire quod dictum est apostolis: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*Joan.* XV). Filiorum titulus hic est: *Omnis qui natus est* D *ex Deo, non peccat, quia generatio divina conservat eum, et malignus non tangit illum. In hoc manifesti sunt Filii Dei, et filii diaboli* (*I Joan.* V). Et illud: *Quod natum est ex Deo, vincit mundum* (*Joan.* III), ut sit titulus cœlestis generationis victoria tentationis: et, sicut qui filius est per naturam mundum cum suo principe triumphavit, sic mundi victores sunt, quotquot sunt filii adoptionis. Amici testimonium vox sponsi est, auditui amici dans gaudium et lætitiam, sive ad amicum directa, ut est illud: *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni* (*Cant.* II), sive de amico ad alios facta, sicut ait Dominus de Joanne: *Quid existis in desertum videre? Prophetam? Etiam dico vobis, et plusquam prophetam* (*Matth.* XI), etc. Hoc geminum amici

testimonium plenius postea prosequemur, si prius ministrorum et filiorum testimonia sufficienter fuerint explanata. Quod enim inter signa et titulos et testimonia distinximus, inde est, quia non omnia testimonia, signa vel tituli dici possunt. Signa tamen et tituli aliqua testificando testimonia merito nuncupantur. Inde est etiam quod in Romana Ecclesia levitæ cardinales, velut quidam Dominicæ mensæ ministri in signis sigillorum suorum titulos non assignant, quod solis presbyteris cardinalibus velut filiis est concessum. Nam episcopi amicorum vice fungentes, quanto viciniores sponso, tanto vocem ejus familiarius audiunt, et de secretioris familiaritatis testimonio gratulantur. Singulis igitur a sponso pro meritis testimonium redditur; et ne testimonium istud nutare videatur, tota Trinitas ei astipulatur. Tria sunt igitur, quæ ministris circa transitoria occupatis velut in terra testimonium dare noscuntur, spiritus, aqua et sanguis. Per hæc, si non sit tædiosum lectori, quæ sunt dicta repetere, eleemosynam, jejunium et orationem diximus designari.

Hæc testimonia Scripturæ sacræ Veteris atque Novæ testimoniis innumeris roborantur. Dicuntur enim et verba sacri eloquii testimonia, quia perhibent testimonium, mandata Dei vera esse, *justificata in semetipsa, desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum* (*Psal.* XVIII). Ne autem impossibilia crederentur, perhibent etiam testimonium multos ea servasse. Unde subditur: *Etenim servus tuus custodit ea* (*ibid.*). Et ne infructuose ea servasse videretur, etiam de retributione non tacet, cum dicitur: *In custodiendis illis retributio multa* (*ibid.*). Et quia, sicut retributio obedientes, sic damnatio manet transgressores, recte etiam judicia nuncupantur. In istorum mandatorum sive judiciorum Dei testimoniis delectabatur Propheta, sicut in omnibus divitiis, dicens: *Adhæsi testimoniis tuis, Domine* (*Psal.* CXVIII). Et illud: *Testimonia tua meditatio mea est, et consilium meum justificationes tuæ* (*ibid.*). Nos quoque si hæc testimonia meditando diligentius perscrutemur, prædicta testimonia Scripturæ sacræ testimoniis innumeris commendantur. De jejunio et oratione ait Propheta: *Ego autem cum mihi molesti essent, induebam me cilicio. Humiliabam in jejunio animam meam, et oratio mea in sinu meo convertetur* (*Psal.* XXXIV). De eleemosyna: *Mutuabitur peccator, et non solvet, justus autem miseretur et tribuet* (*Psal.* XXXVI). Et illud: *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi* (*Psal.* CXI). Joel quoque de jejunio et oratione sic ait: *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio et fletu et planctu* (*Joel* II). De eleemosyna: *Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam; cum videris nudum operi eum* (*Isa.* LVIII). In Tobia quoque legitur: *Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna* (*Tob.* XII). Et illud: *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum, etiam libenter illud impertire* (*Tob.* IV). Hæc et alia, quæ in Veteri et Novo Testamento commendata leguntur, verba et exempla omnia ponere supersedemus, ne pariat copia congesta fastidium. Et tamen quæ Jesus legitur cœpisse facere et docere, non credidi omittenda. Ipse quippe salutem humani generis operaturus in medio terræ, post baptismum suum mox ab oratione et jejunio duxit incipiendum. Unde et legitur, quod eo baptizato et orante, et apertis super eum cœlis, ductus sit in desertum a spiritu, ubi cum jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit (*Matth.* III). Hæc usque ad passionem suam postea nunquam omittens, sic alternatis vicibus exercuit, ut non unum confunderetur ab altero; sed noctem orationi deputans, diem jejunio, prædicationi et curationi, *pertransivit benefaciendo et curando oppressos a dæmonio* (*Act.* X). Nec solum exemplo nos ad hæc studuit invitare, sed etiam verbis commendare curavit, dicens: *Hoc genus non ejicitur, nisi in oratione et jejunio* (*Matth.* XVII). Dulcedo siquidem orationis et intimæ compunctionis affectio male dulces carnis affectiones, et immissiones per angelos malos (*Psal.* LXXVII) extundere consuevit. Jejunium vero exterius adhibitis tentationibus et occasionibus peccati obviando resistit. Eleemosyna jejunio et oratione mundatis, sanitatis gaudia et munera gratiarum acquirit, sicut ait Dominus: *Date et dabitur vobis. In ea quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis* (*Luc.* VI). Et Apostolus: *Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet* (*II Cor.* IX). Tunc enim oratio ad Deum directa sine offendiculo penetrat cœlos, cum jejunio et eleemosyna velut duabus alis ab infimis evecta, jejunio velut sinistra adjuvatur, eleemosyna velut dextera et fortiori proficit et gubernatur. Ala jejunii tres pennas habet principales. Jejunandum est enim ab illicito actu, ab illecebroso motu, ab illiciente affectu. Tres quoque eleemosynæ pennæ sunt principales, ut subveniat quis proximo sermone, subveniat de suo, vel deserviendo ei, vel orando pro ipso. Hæc sunt, quæ primum testimonium dant in terra. Testimonium apud homines, testimonium cuique apud seipsum, et testimonium apud Deum. Apud homines testimonium justitiæ, cui innitebatur Pharisæus ille, cum diceret: *Deus gratias ago tibi; quia non sum sicut cæteri homines raptores, injusti, adulteri. Jejuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ possideo* (*Luc.* XV). Superbus quippe et arrogans non justum se esse tantum, sed justiorem cæteris apparere gloriabatur; et contentus testimonio hominum noluit attendere suum: cuique enim testimonium propriæ perhibent actiones prædictæ. Ut enim de cæteris taceam, attende quantum in abstinentiæ virtute profeceris, quæ omnium principium est, et fundamentum nutrixque virtutum, sine qua nullus ad reliquas est accessus. Ingredere et explora omnes conscientiæ tuæ recessus, quomodo se habeant interiora et exteriora tua, si forte necessaria, ne dicam superflua desint. Si

idem vultus, iidem oculi, sermo non dispar, eadem mentis tranquillitas quæ fuerat, cum adessent. Hinc plane quam constans, quam firmus sis in proposito virtutis, luce tibi clarius apparebit. Apud Deum autem testimonium nobis hæc præbent fiduciæ, ut confidenter ad thronum gratiæ ejus accedamus, qui mandata ejus fortiter adimplemus. Unde scriptum est: *Fiducia magna apud Deum est eleemosyna* (*Tob.* IV). Et alibi : *In hoc cognoscimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quod diligimus fratres. Qui enim habens substantiam hujus mundi viderit fratrem suum necesse habere, et clauserit viscera sua ab eo, non est charitas Patris,* quæ vera vita est, *in eo* (*I Joan.* III). Sed hæc testimonia virtutum, quæ ad meritum dantur, quantumcunque firma videantur, signa tamen virtutum potius sunt, quam virtutes. Sunt enim bonis et malis communia; et ita a fatuis virginibus, imo et quandoque fortius quam a prudentioribus exercentur. Si enim hæreticorum jejunia, orationes, eleemosynæ, etiam religiosorum studiis comparentur, aut nulla, aut exigua, hæc illis collata videbuntur. Sed *si tradidero corpus meum, ita ut ardeat, et si distribuero omnes facultates meas in cibum pauperum, et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* (*I Cor.* XIII). Signum est igitur hæc prima et visibilis trinitas summæ Trinitatis, potius quam imago: quo primo quod sit, secundo quid non sit, potius quam quid sit, agnoscatur. Credere siquidem oportet accedentem ad Deum, primo *quia est, et requirentibus se remunerator* (*Hebr.* XI) est. Hac fide accedentium primo corda mundantur, secundum illud : *Fide mundans corda eorum* (*Act.* XV), ut mundatis cordibus ipsam intelligant veritatem, sicut scriptum est : *Nisi credideritis non intelligetis* (*Isai.* VII). Et : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* V). Primum igitur est, credendo quod inquirentibus se remunerator sit, inquirere quid non sit, tandem corde mundato intelligere quid sit.

Volens igitur veritatis Magister suos discipulos paulatim ad veritatis perducere intellectum, visibilis mundo apparens, visibilia proposuit suis civibus, et in eis materiam totius suæ civitatis instituit, et formam expressit : Ut Deum trinum atque unum tota ejusdem civitatis materia prædicaret, et forma commendaret, et civium non solum lingua loqueretur, sed etiam moribus vita fateretur, donec reparata in eis imagine Trinitatis, jam non jam exterius vagando quærerent, quam in seipsis interius possiderent. Inde est, quod imperfectos et adhuc visibilia sectantes videmus exteriora fortius operari, ac duriora sustinere perfectis, quoniam qui minoratur actu, percipiet sapientiam; nec debent filii sponsi lugere, quandiu cum ipsis est sponsus. Lugeant et circumeant civitatem, qui quærunt, et non inveniunt eum; et sint eis lacrymæ panes die ac nocte (*Psal.* XLI), dum eis quotidie dicitur : *Ubi est Deus tuus* (*ibid.*). Quærant, inquam, exterius bene ope-
A rando, sive diligentius exteriora rimando, quandiu interius vacare nec libet, nec licet. Studeant exterius ipsum imitando, jejunando, orando, eleemosynas erogando, quamdam sibi imprimere, licet longe dissimilem imaginem Trinitatis, nec in his tribus a simplicitate recedant unitatis, ut in uno oculorum dilectus vulneretur; ut et una intentio sit in tribus, et una virtus justitiæ sit ex tribus; imo ipsæ tres virtutes una sint justitiæ virtus, et secundum quod ait Apostolus : *Tres sunt, qui testimonium dant in terra, et tres unum sunt* (*Joan.* III). Talibus Psalmus competit, nondum psalmus cantici; quia non est cantare canticum Domini laboranti in gemitu suo, sedenti et flenti super flumina Babylonis, manducanti panem doloris in terra aliena. Non enim
B deest et talibus panis, licet canticum desit. Non enim deesse debet ministris, cum nec mercenariis desit, nec servis. Nam et mercenarii abundant panibus, et servo opus et disciplina et panis ministratur; ministris autem, qui jam de servis effecti sunt liberi, Dominus miseretur : et ne deficiant in via pro triduana exspectatione (quam forte signat illud triduum, quo Saulus nihil manducans aut bibens cæcus promissum Domini exspectavit (*Act.* IX), tripertitum panem apponere consuevit. Hunc panem Dominus in Propheta jam fastidire, et ad filiorum panem anhelare videbatur, cum diceret : *Quousque irasceris super orationem servi tui? Cibabis nos pane lacrymarum* (*Psal.* LXXIX). Conficitur autem aliquando hic panis ex lacrymis doloris concepti de
C recordatione præteritorum malorum, quales fuerunt lacrymæ Petri, quando recordatus sermonis Domini Jesu flevit amare (*Matth.* XXVI). Aliquando ex lacrymis pudoris, quales fuerunt Annæ, cum exprobrante sibi æmula sua, quod conclusisset Dominus vulvam ejus, fleret largiter (*I Reg.* I); sive Susannæ, cum accusata a sacerdotibus in cœlum suspiciens taceret et fleret (*Dan.* XIII). Aliquando timoris et tædii, quales fuerunt lacrymæ Eliæ fugientis a facie Jezabel, cum diceret : *Obsecro, Domine, tolle animam meam, neque enim melior sum, quam patres mei* (*III Reg.* XIX); vel ipsius Domini, qui cum cœpisset *pavere et tædere, factus est sudor ejus tanquam guttæ sanguinis decurrentis in terram* (*Luc.*
D XXII). Hoc igitur pane Dominus ipse cibari voluit, ne eum membra sua infirmiora sumere abhorrerent. Unde per Prophetam ait : *Cinerem tanquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam* (*Psal.* CI). Videtur autem plerisque hic panis ministrorum, licet minus suavis quam panis filiorum, largius eis apponi quam filiis suis; eo quod filiorum panis ex occultioribus et charioribus, ministrorum ex vilioribus et consuetis conficitur speciebus. Quanto autem adhuc remotiores a sponso, tanto dolendi de commissis, erubescendi pro neglectis, timendi de futuris, causa subest certior, et materia major. Sed jam tot fletibus satiati, ad filiorum canticum transeamus : quod titulus psalmi natalium thematum titulis insignire videtur. Titulus

quippe sequentis operis materiam, ac subjectæ rei dignitatem assolet declarare: quod satis titulus ille cruci superpositus declarat, de quo prophetatum longe ante fuerat. *Inscriptionem tituli ne corrumpas* (*Psal.* LXXIV). Hujus quippe tituli in se inscriptionem corrumpit, quisquis crucifixi sanguine redemptus, factus semel calvi filius, a moribus postea paternis degenerat, et operibus mortuis a nomine salutis, quod est Jesus, et a novitate vitæ, quod sonat Nazarenus, elongatus, etiam a gloria regni excluditur. De quibus scriptum est: *Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis* (*Psal.* XVII). Filii autem regni non claudicant; quia rectus Dominus Deus noster, et recti filii ejus, ac rectos decet collaudatio. Rectos quippe facit cognitio invisibilium et amor æternorum, sicut curvos et claudos cura et appetitus terrenorum. Qui ergo perfecte calvi, frontem libere erigunt ad æterna, paternæ similitudinis et regiæ libertatis titulis insigniti, sponso canticum nuptiale, canticum novum decantant dicentes: *Dominus regnavit, decorem induit* (*Psal.* XCII). Et illud: *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis* (*Psal.* CXV). His psalmus cantici merito dicitur convenire, qui non jam ex tristitia, vel ex necessitate operantur; sed *cantant in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini* (*Psal.* CXXXVII). Operantur non ex timore, quoniam timor pœnam habet, et timore pœnæ operari servorum potius est quam filiorum, qui ex amore et desiderio, sed non solius patris, imo potius paternæ hæreditatis. Istos primum, jam cœlum dixerim, in quo Pater, Verbum et Spiritus sanctus testimonium dare, et tres unum esse dicuntur. In his siquidem manifestius relucet imago Trinitatis in unitate, et unitatis in Trinitate, sicut solet in filiis propriis apparere effigies faciei paternæ. Sed ubi imago vel effigies, non ipsa solet esse expressior facies in rebus humanis, nec ipsa veritas, sed imago. Quærenda est ergo hæc imago in filiis; nam veritas reservatur amicis. Hanc igitur imaginem dixerim tres animæ jam spiritualis virtutes, castitatem scilicet, humilitatem et charitatem. Harum virtutum prædictas tres operationes, jejunium, orationem et eleemosynam, velut corpora aut quasi indumenta non immerito dixeris, cum et ipsæ virtutibus his vegetari et vivificari habeant, et nonnisi per eas ad oculos humanos prodeant, et eos sua oblectent venustate.

Hæ virtutes non aliud sunt quam quædam affectiones animæ, Spiritu sancto moderante et ordinante, ut sint ad quod esse debent, et quomodo esse debent. Affectus siquidem Amnon ad sororem, licet fuerit ad quod debuit, quia tamen non quomodo debuit, nec virtus, nec a Spiritu sancto fuit. Attendamus igitur quomodo in his virtutibus imago reluceat Trinitatis Castitas siquidem, quæ est amor incorruptionis, æternitatis nobis speciem repræ- A sentat. Quid enim æternitati incorruptione vicinius? De ipsa quippe sic legitur: *Incorruptio facit hominem proximum Deo* (*Sap* VIII). Humilitas quæ de vera propriæ infirmitatis cognitione procedit, summæ in nobis veritatis speciem præfert. In quo enim quis veritati vicinior esse potest, si verissima sui cognitione Deo attribuit, non solum quidquid boni habet, sed et bonum quod factus est; sibi omnia mala, non solum quæ sentit, sed et quæ fecit? Hinc oritur charitas; quia, dum per humilitatem homo sibi vilescit, nec jam in se, seu alia creatura, requiem extra Deum invenit, super omnia Deus ei dulcescit; et quanto magis creatura vilescit, tanto Creator suavius elucescit. Sed et in Creatore incipit creatura placere, quæ in seipsa debet non imme- B rito displicere. Quid autem hac charitate summæ bonitati similius, qua etiam inimici propter Deum, et amici in Deo, et Deus nonnisi propter seipsum diligitur? Per hanc quippe similes illi efficimur, qui sola bonitate sua *solem suum oriri facit super bonos et malos; et pluit super justos et injustos* (*Matth.* V). Sic sic Pater, Verbum et Spiritus sanctus, testimonium dant in cœlo; in homine scilicet talibus virtutum luminaribus illustrato, quod Filius sit Patris sui, qui in cœlis est. Nam et Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quod filii Dei, et Christi cohæredes sumus, et Spiritum adoptionis filiorum accepimus, clamantem in nobis: *Abba Pater* (*Marc.* XIV). Invenimus in nobis imaginem Tri- C nitatis: superest unitatem in Trinitate, et Trinitatem in unitate, aliqua in nobis similitudine, licet longe dissimili, reperire. Quid igitur sunt hæ tres virtutes, nisi tres, sicut diximus, moderatæ et ordinatæ affectiones? Quid autem sunt istæ affectiones in homine, nisi una hominis voluntas, quæ, cum tres harum affectionum habeat affectus in opere exterius, una tamen perseverat interius; tanto amplius una, quanto uni Deo propius conjuncta; tanto ab unitate remota, quanto in diversa divisa, secundum illud: *Sollicita es et turbaris erga plurima, cum unum sit necessarium?* (*Luc.* X.) Quam unitatem habere se gloriabatur Propheta, cum diceret: *Unam petii a Domino, hanc requiram* (*Psal.* XXVI). Aliter igitur voluntas hominis una est per naturam, aliter D per gratiam. In eo quod est per naturam, imaginem; in eo quod est per gratiam, Dei similitudinem repræsentat. Substantiva quippe quadam imagine divinitatem videtur imitari, in qua talis est creata, ut in ea æternaliter perseveret. Licet enim habuerit initium, cum tamen ignoret occasum, quid æternitati similius, quod non sit ipsa æternitas? Non enim rationali carent voluntate insani, infantes, vel etiam dormientes; licet usum discernendi non habeant. Quid rationali voluntate potentiæ divinæ similius, quæ ita libera creata est, ut nulla vi cogi possit, nulla necessitate mutari? Nemo enim non vult quod vult; aut vult, quod non vult.

Quod enim negavit Petrus, non necessitatis fuit sed voluntatis; quæ vim quam ipsa sibi intulit, non

ab alio quam a se pertulit; et qui dolens et coactus A Christum negavit, non tamen nisi volens (quia vitare volebat mortem), infirma quidem voluntate, sed tamen voluntate. Nam in quibus erat sana voluntas, occidi poterant, flecti non poterant. Vide, quam libera sit rationalis voluntas, sive in bono, sive in malo: quæ et apud inferos immobilis perseverat. Nam quod diabolus, et quilibet, cum eo damnatus apud inferos jam bonum velle non valet, non violenta vel aliena facit oppressio, sed sua ipsius in malo obstinata voluntas, sicut et quod angelus in cœlo malum velle non potest, non facit necessitas, sed firma in bono voluntas, et voluntaria firmitas. Libera est ergo ad utraque voluntas, sed hæc libertas in malo homine misera est et infirma; et licet a Dei imagine penitus non recedens, secun- B dum illud : *In imagine pertransit homo* (*Psal.* XXXVIII), multum tamen remota. Quamvis enim liberum sit ei velle; quia cum bona creata sit, secundum illud : *Et vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant valde bona* (*Gen.* I), quæ ex creatione posse non peccare, et posse peccare accepit; peccando meruit, ut quæ cum potuit noluit, per se nec velle possit, nec etiamsi velit, non peccare non possit. A qua miseria non liberatur, nisi gratia illius, qui dicit : *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis* (*Joan.* VIII). Cujus gratia reformatur in bonis imago peccato deformata, ut quæ in paradiso accepit posse non peccare, et posse non turbari, pro his interim accipiat, nec peccato, nec miseria superari. Licet C enim et peccet, et frustra et misere conturbetur, tamen jam ei non imputatur, quia jam *nihil damnationis est his, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant* (*Rom.* VIII). Tandem autem sic reformata ita confirmabitur et conformabitur divinæ libertati, ut nec peccare valeat, vel turbari. Est etiam in alio quodam rationalis hominis voluntas facta ad imaginem Dei et Creatoris sui (*Gen.* I). Sicut enim unus Deus omnia movet, omnia regit, et pro nutu suo ordinat et sic præest universis, ut sit totus in singulis; sic rationalis voluntas in toto corpore suo quasi in suo quodam mundo ubique tota, cum in se sit una, solo nutu singula movet membra, imperat sensibus, procreat appetitus, et in varios fere singulis momentis se commu- D tat affectus. Nunc enim se in fiduciam erigit, nunc in diffidentiam dejicit; nunc odio, nunc amore ducitur: nunc gaudio, nunc mœrore distrahitur; approbata et vehementer desiderata subito detestatur et ita toti compatitur, ut in singulis membris non tam membra quam ipsa pati videatur. Ecce quam similis est illi, de quo legitur : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis* (*Sap.* I). *Omnium est enim artifex, omnem habens virtutem, omnia prospiciens* (*Sap.* VII). Sed vide, quam deformis sit hæc imago quandiu voluntas humana a divina dissidet voluntate : *Posuisti*, inquit, *me contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis* (*Job* VII).

Et illud : *Quis restitit illi, et pacem habuit?* (*Ephes.* II.) Pacem quippe nullus habere potest, donec adversario illi consentiat, qui fieri voluit pax nostra, faciens utraque unum, dans pacem his qui longe et pacem his qui prope. Cum per hujus gratiam humana voluntas suscitata de pulvere, et detersa, ei consentiendo bonum velle incipit, tunc ad Altissimi gloriam bona voluntas ad pacem reconciliata redit; nec alteri ex hoc debetur gloria, nisi ei cujus sola hoc in converso operatur gratia. Cui consentiens Paulus dicebat : *Gratia Dei sum, id quod sum.* (*I Cor.* XV.) Hinc jam efficitur homo filius Dei per gratiam, secundum illud : *Voluntarie genuit nos verbo veritatis* (*Jac.* I). Qui prius carni consentiendo propria voluntate suus fuerat per naturam; vel diaboli, mala voluntate ei consentiendo. Bonum igitur volendo, non solum imago deformata per gratiam reformatur, sed et similitudo Dei prius amissa imagini superducitur, in eo minor imagine, quod per eam ovis sive drachma perdita reperitur, monas nonaginta novem additur (*Luc.* XV); possessio domino suo restituitur, et intantum ei assimilatur, ut idem volendo unus cum eo spiritus efficiatur, secundum illud : *Qui adhæret Deo, unus spiritus est* (*I Cor.* VI). Quæ similitudo plena erit, dum plene apparuerit, secundum illud : *Scimus, quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est* (*I Joan.* III). Interim quandiu ex parte cognoscimus, ex parte assimilamur, tanto vicinius similitudini accessuri, quanto mundiori corde clarius inspecturi. Sed hæc perfectio reservatur amicis, initiatur in ministris. Proficit paulatim in filiis, in ministris initiatur, sive potius præparatur per paupertatem spiritus et mansuetudinem. In filiis per esuriem justitiæ, et misericordiæ exsecutionem, proficit et prælibatur. Proficit per desiderii esuriem, prælibatur per misericordiæ consecutionem, quæ est prælibatio satietatis. In amicis perficitur per munditiam cordis et pacem, quæ se æterno vinculo complectuntur, ut ab invicem, cum perfectæ fuerint, nequeant separari. In altera siquidem, scilicet in munditia cordis, reparatur imago; in altera, id est parte, similitudo innovatur. Est autem imago in libertate, sicut dictum est, similitudo in rectitudine; libertas enim divinam imitatur potentiam cujus corruptio est superbia, corruptionis pœna infirmitas, reparatio humilitas, per quam munditia cordis acquiritur, secundum illud : *Asperges me hyssopo, et mundabor* (*Psal.* L). Unde bene Augustinus : Quid appetit superbia nisi potentiam? Quam si ad bene agendi facilitatem referamus, non invenit nisi anima perfecte Deo subdita, et ad ejus regimen summa charitate conversa. Ecce perfectio libertatis in præsenti est, liberum esse a servitute peccati, quæ est cordis munditia, in futuro plenius consummanda; dum ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei (*Rom.* VIII.) Hæc erit libertas gloriæ, nam secunda est gratiæ, prima naturæ.

Restat similitudinem in rectitudine, rectitudinem in pace reperire; *Rectum* quippe legitur *Deus hominem* fecisse, sed *ipse se miscuit quæstionibus infinitis* (*Eccle.* VII). Quandiu rectus fuit, nec zelus ei, nec scientia defuit, si enim alterutrum deesset, rectitudo utique claudicaret. Si enim vel sciret et nollet, vel vellet recte agere, et nesciret, quomodo rectus esset? Sciendo igitur rectitudo divinam sapientiam, bene volendo divinam bonitatem imitatur. Sciendo igitur et volendo bonum homo rectus efficitur, merito similis illi factus, de quo legitur: *Rectus Dominus Deus noster, et non est iniquitas in eo* (*Psal.* XCI). Hujus autem similitudinis sicut geminum diximus esse profectum, sic duplicem constat esse corruptionem. Corrumpitur enim scientia per curiositatem. Unde beatus Augustinus: B « Quid appetit curiositas, nisi scientiam, quæ non est vera, rerum æternarum, et eodem modo se semper habentium. » Corrumpitur etenim zelus per carnis voluptatem. Unde idem qui supra: « Quid appetit voluptas corporis, nisi quietem, quæ non est vera, nisi ubi nulla est indigentia, nulla corruptio? » Velle igitur scire, quæ semper variantur, et nunquam in eodem statu permanent, aut velle in carne delectari, cujus egestati et infirmitati totus mundus satisfacere nequit, quid aliud est, quam a rectitudine decidere, infinitis quæstionibus se miscere, et a veræ quietis stabilitate velut a divina similitudine in regionem dissimilitudinis misere recedere? Hæc est ergo rectitudinis corruptio, corruptionis C pœna, vana et misera conturbatio. Hinc enim est, quod frustra et misere conturbatur homo, et pertransit in imagine. Recte ait, pertransit, quia sola libertate contentus naturæ, veræ libertatis gloriam, quæ est liberum esse a peccato, contemnendo pertransit. Bene ait, frustra; quia non aliunde perturbatur homo, nisi quod per ignorantiam deceptus; vel appetendo quæ videntur bona, et non sunt vera bona; vel fugiendo mala, quæ non sunt vera mala; dum illa sequitur, et non assequitur; hæc fugit, et non effugit; in utroque vane et misere conturbatur. Hæc duo signanter videntur expressa in canone missæ, ubi dicimus: *Ut ope misericordiæ tuæ adjuti, et a peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi.* D

Ab hac gemina pœna et corruptione duplici homo ad rectitudinem reparatur, per illa duo quæ prædiximus, esuriem scilicet justitiæ, et misericordiæ executionem. Per hæc enim ad munditiam cordis, et ad prædictæ pacis portum ascenditur, ubi etsi homo turbari aliquando videatur, perturbatione tamen non frangitur, juxta illud Apostoli: *Quis nos separabit a charitate Christi?* (*Rom.* VIII.) Et illud: *Certus sum, quia neque mors, neque vita*, et cætera quæ sequuntur, *poterunt separare nos a charitate Christi* (*ibid.*). Hæc est pax illa, quæ exsuperat omnem sensum, quæ non est aliud quam fruitio summi boni, quæ est vera rectitudo, vera sapientia, vera bonitas. Quisquis ad hanc pacem pervenerit, A optimam cum Maria partem eligens (*Luc.* X), jam circa plurima occupari refugit; nec jam libet se diversis quæstionibus immiscere, quem uni summo bono delectat adhærere. Amicorum est istud, quibus dicitur: *Omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*Joan.* XV). Et illud: *Quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV). Ignis quippe est Deus, cui quisquis per charitatem adhæserit, ignis et ipse efficitur; nec solum illi simillimus, sed in igneam absorptus charitatem. *Beati igitur pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* V), et amici de filiis efficientur. Hæc ad tempus dicta sufficiant, pro testimonio, quod Pater, Verbum et Spiritus sanctus dant in cœlo, secundum tres proprios effectus operantes, nec ab unitatis simplicitate in aliquo recedentes. Jam de testimonio, quod in aureo amicorum reclinatorio, velut in secundo cœlo datur, quibus jam non in parabolis, sed palam de Patre a Verbo annuntiatur, aliqua dicenda essent, nisi quia tantam materiam angustiis hujus sermonis indignum est concludi; nec jejuni relinquendi sunt filii, quibus nondum suum assignavimus panem, cum trinum ministris dederimus, et filiorum copiosior et delectabilior debeat esse. Unde Dominus, non esse tollendum panem filiorum, et mittendum canibus aiebat (*Matth.* XV). In quo forte panem ministrorum non esse negandum canibus, innuebat. Unde et verbum mulierculæ approbavit dicentis, catellos edere de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Utinam et nos de filiorum mensa vel micas mereamur percipere, si panes integros ad plenum non sufficimus assignare. Parvuli enim sumus, et panes integros non solum frangere non sufficimus, sed et frangi ab aliis indigemus. Verum, si benedixerit Dominus et fregerit, benedictio explodet egestatem, et omnem tollet fractio difficultatis asperitatem. Rogemus igitur Patrem nostrum cœlestem, ut det filiis suis spiritum bonum, qui clamet: *Abba Pater* (*Gal.* IV), et quod filii sumus Dei, testimonium reddat spiritui nostro. Ex tali testimonio conscientia gloriatur, oleum in vasis dilatatur, anima in spe gloriæ filiorum Dei gaudio ineffabili delectatur, et forte illud gaudium panis est filiorum. Ad conficiendum hunc panem de seminibus, quæ ministri euntes et flentes in terram bonam miserunt, filii cum exsultatione manipulos suos tollunt, et de patientia fidei et spei gaudium colligunt; spe gaudentes, quia in tribulatione fuerunt patientes. Hoc igitur gaudium, quod velut quædam primitiæ spiritus, spei ut fiducialius agat, per Spiritum sanctum refunditur, panis est filiorum, quia *exspectatio justorum lætitia* (*Prov.* X). Sed nec a numero testimoniorum discrepat numerus panum, quia quodlibet spiritus divini testimonium causa est humano spiritui et materia gaudiorum, nec aliunde suos Dominus gaudere volebat, cum diceret: *In hoc nolite gaudere, quod dæmones vobis subjiciuntur; sed in eo gaudete, quia nomina*

vestra scripta sunt in cœlo (*Luc.* x). Quod non nisi ex testimonio spiritus sciri potest. Sit igitur primus filiorum panis gaudium de contemptu mundi; primum siquidem testimonium spiritus assignamus castitatem.

Est autem vera castitas animæ, nihil diligere, nisi Deum, aut propter Deum. Alia quævis dilectio spiritualis est animæ fornicatio. Hæc castitas datur ad meritum, et est haud dubium testimonium virtutis. Gaudium igitur quod de tali testimonio oritur, non immerito panem dixerim, panem cor hominis confirmantem; alioqui suspecta est omnis gratia, quam virtus non parturivit. Secundus est panis filiorum gaudium de contemptu sui. Cum enim quis contemni se videns quia vere contemptibilem se cognoscit, congaudet veritati; quid tali gaudio solidius, quid B magis corroborat animum, ut dum jam per contemptum mundi aspernatur dura, etiam per contemptum sui amplectatur abjecta? Hoc pane corroborati erant apostoli, cum irent, *gaudentes a conspectu concilii*, quod digni habiti essent, *pro nomine Jesu contumeliam pati* (*Act.* v). Tertium filiorum panem dicamus gaudium de dilectione proximi. Quandiu enim quis necdum accedit ad cor altum, non sufficit Deum diligere in se ipso. Si tamen perfecte diligit eum in proximo, non minus de ejus quam de proprio gaudet bono, et tot invenit causas gaudendi, quot de proximorum successibus occasiones occurrunt congaudendi. Quid hoc pane fortius, ad cujus suavissimum gustum invidiæ stimuli sopiuntur, iræ et indignationis æstus con- C quiescunt, edacis tristitiæ et suspicionum morsus consumuntur? Hunc panem subtractum sibi Propheta deplorabat, cum diceret: *Percussus sum ut fenum, et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum* (*Psal.* ci). His panibus anima confortata jam in spe gloriæ filiorum Dei, cum quadam rei certitudine delectatur, non jam fidei aut spei finibus contenta, sed testimonio conscientiæ confirmata, ut merito possit dicere cum Paulo: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* i). Hoc autem testimonio spes subnixa minime confundit, maxime cum tale testimonium fulcitur meritis prædictorum operum, donis prædictarum virtutum, præmiis prædictarum consola- D tionum, quibus Pater misericordiarum et Deus totius consolationis pascit et consolatur filios in omni tribulatione sua. Ipse igitur semper Alpha et Omega sit nostri sermonis, qui initium est et finis universorum, et sine initio et fine permanet in sæcula sæculorum. Amen

TRACTATUS III.

DE TESTIMONIO QUOD S. TRINITAS PERHIBET AMICIS: QUI HIC DISTINGUUNTUR A FILIIS, ET MINISTRIS.

Sumpta occasione ex eo quod filiis Chore psalmus cantici attribuitur, invenimus in magni Patrisfamilias domo non solum filios esse, sed ministros etiam et amicos: et sicut filiis psalmum cantici, sic ministris psalmum duximus assignandum. Sed et si canticum A psalmi amicis assignaverimus, non erit abs re, cum fuerit hujus disctinctionis ratio intellecta. Psalmus quippe cantici illis competit, qui ad hoc operantur, ut ad canticum gaudii spiritualis perveniant, timentes illam Apostoli comminationem: *Qui non laborat non manducet* (*II Thess.* iii). Et illud Salomonis: *Pigredo immittit soporem; et anima dissoluta esuriet* (*Prov.* xix). Sic et canticum psalmi illis videtur competere, qui de perceptis beneficiis spiritualium gaudiorum gratias exhibentes, quid retribuant Domino aliud non inveniunt, nisi ut calicem salutaris accipiant; et sicut Christi passiones abundant in eis, sic et consolatio per Christum in eis spiritualis abundet.

Hoc specialiter amicorum esse cognoscitur, qui jam non ex timore pœnæ sicut ministri; nec ex spe paternæ hæreditatis, sicut filii, sed ex sola charitate, delibuti unctione spiritus, operantur. De his aliqua dicere instituimus; ne eorum qui præcipui sunt in civitate Domini, et secundi cœli locum obtinent testimonium præteriisse non immerito arguamur. In his igitur Pater, Verbum, et Spiritus, testimonium luce clarius ferunt, ut jam revelata facie Domini gloriam speculentur, transformati in eamdem imaginem a claritate in claritatem, tanquam a Domini spiritu. His Apostoli verbis manifeste expressum est testimonium Trinitatis, ubi enim ait: *A claritate in claritatem* (*II Cor.* iii), illud videtur innuere, quod promissum legitur a Domino: *Venit hora, cum jam non in proverbiis loquar vobis; sed palam de Patre annuntiabo vobis* (*Joan.* xvi). Quid est enim aliud, Filium palam annuntiare de Patre, quam de claritate Verbi ad Patris claritatem accedere? Unde scriptum est: *Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (*Matth.* xi), sed hanc revelationem Filius facit per Spiritum, quem mittit nobis a Patre. Unde additur: *Tanquam a Domini Spiritu* (*ibid.*), ut tota Trinitas hujus testimonii revelationem operari in nobis ostendatur. Hoc testimonium aliud esse non arbitror, quam illum Trinitatis adventum, qui amicis promittitur in hunc modum: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*, etc. (*Joan.* xiv.) Quid tali testimonio firmius, cum Pater adveniens animam infirmam potenter corroborat, Filius insipientem sapienter illuminat, Spiritus sanctus tepidam vehementer inflammat? Hoc testimonium sibi subtractum deplorabat Propheta, cum diceret: *Dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum et ipsum non est mecum* (*Psal.* xxxvii); ad hoc nos invitare videtur Sapientia, ubi ait: *Disce ubi sit sapientia, ubi virtus, ubi lumen oculorum, et pax* (*Baruc.* iii). Amici specialiter est tale testimonium, qui jam rectus stare in amore invisibilium cum sponso sufficit, et de voce sponsi inæstimabili gaudio concepto, ex familiaritate secretioris affatus certior efficitur, se inter amicos a sponso reputari, secundum illud: *Vos autem dixi amicos; quia omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*Joan.* xv). Recte tales secundum

dixerim cœlum, nam tertium charissimorum potius A esse videtur. Charissimi autem merito intelliguntur, qui jam exuti a corpore, rapti sunt a Domino, ne malitia mutaret intellectum eorum, aut ne fictio deciperet animam ipsorum (*Sap.* IV) : et educti de medio iniquitatum jam feliciter experiuntur, quanta Dei gratia et misericordia sit in sanctos ejus, et respectus in electos illius. Talibus dicitur : *Inebriamini, charissimi* (*Cant.* V). Ebrietas enim est, quod sentiunt, in comparationem illius oblectationis, qua fruuntur amici. Unde et Paulus, qui inter præcipuos reputatus est amicos, cum ad tertium charissimorum cœlum raptus fuit, verba se audisse ineffabilia, quæ homini loqui non licet, protestatur (*II Cor.* XII). Mensuram quippe humanæ sobrietatis, quæ homo capere non potest, excedere comprobantur. Unde et B Paulus raptum se potius asserit divina miseratione, quam humana ductum ratione. Hujus tertii cœli incolæ testimonio nullo egent, qui nude universa et aperte vident. Eis siquidem fides jam transiit in speciem : nec jam creditur vel speratur, quod in re et veritate percipitur. In præsenti autem vita quandiu per fidem ambulatur, necessarium est etiam amicis testimonium, ubi et ignorantia et dubietas locum habet. Ignorantia autem, testimonii pellitur dilucidatione; dubietas, testium tollitur auctoritate. Habent igitur amici testimonium divinæ dilectionis ipsam præsentiam Trinitatis. Nam filiorum testimonium varia sunt Dei dona virtutum et gratiarum, quæ enumerans Apostolus ait : *Divisiones gratiarum* C *sunt : idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Alii enim datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii operationes virtutum*, et cætera, quæ sequuntur (*I Cor.* XII).

Ex his Dei donis testimonium a Spiritu sancto accipiunt suæ filiationis. Ex his enim arrhis et primitiis spiritus confidenter jam de paternæ hæreditatis perceptione præsumunt. Qui autem tam varia operatur in filiis, se ipsum unum et eumdem, et in se cætera omnia exhibet amicis; secundum quod eis in Evangelio ab eo promittitur, ubi dicitur : *Et manifestabo ei me ipsum* (*Joan.* XIV). Felix manifestatio, ubi Trinitas in unitate, et unitas in Trinitate cognoscitur; ubi trinus effectus Trinitatis in una operatione percipitur; et una operatio Trini- D tatis trini effectus testimonio comprobatur. Hoc testimonio homo sublevatur ad summa, rapitur ad divina, imo cœlum ipse, vel quod majus est, Deus et cœli Dominus efficitur, secundum illud : *Ego dixi, Dii estis* (*Psal.* LXXXV). Quid hoc testimonio beatius, quod fit, ut jam in imis nil libeat; sed nec in cœlis, præter cœli Dominum nihil sufficiat, secundum illud Prophetæ : *Quid mihi est in cœlo; et a te quid volui super terram?* (*Psal.* LXXII.) *Tibi dixit cor meum : Exquisivit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram* (*Psal*, XXVI). Et illud : *Unam petii a Domino, hanc requiram* (*ibid.*). Ecce unum petendo, unum quærendo et sitiendo, unus spiritus cum Deo factus Propheta illud feliciter meruit experiri

quod Dominus in Evangelio Patrem pro suis oravit dicens : *Ut sicut unum sumus, ita et ipsi in nobis unum sint* (*Joan.* XVII). Hoc testimonio raptim et alternatim in suo cœlo reficiuntur amici, quo in suo cœlo plenissime charissimi satiantur. De qua satietate Propheta Jerusalem cœlestem alloquens, ait : *Qui posuit fines tuos pacem, et adipe frumenti satiat te* (*Psal.* CXLVII). Fines siquidem pacem habet, quæ pacem obtinet sine fine. Nam finis ibi finem non habet, ubi finis æternitas est. Pax igitur supernæ Jerusalem, quia sine fine est, vicissitudine caret, continuatione gaudet. Econtrario in præsente vita, in qua tenetur animus ad providendum suo corpori, exterius exire; cum de cura tot necessitatum, velut de quadam sollicitudinum via ad se rediit vix apud se homo quid ei apponat, invenit. Unde et pulsare importune ad ostium amici compellitur, et vix tandem tres panes accipere vel commodatos meretur. Ubi diligenter advertendum est, quod commodatio vicissitudinem inducit; quod enim commodatur, ad tempus utendum conceditur, non ad permanendum datur. Continuatio igitur in patria, vicissitudo in via. Nec ea sola, sed eam comitatur indigentia, quam probat petitio tam instans, importuna. Ad cumulum autem mali additur etiam panum partitio, quæ trina ipsorum distinctionem, et scissionem probat, et imperfectionem. Superna vero Jerusalem neutrum habere probatur, quæ adipe frumenti satiatur. Ibi quippe adeps frumenti corticis prohibet transmutationem, puritatis innuit perfectionem. Satietas indigentiam omnem excludit : ita quod nec satietas parit fastidium, nec ulla indigentia ibi habet locum; sed indigentiam extundit plenitudo; et fastidium totius saporis pellitur delectamento. Seu nec scissura ibi aliqua invenitur, ubi post septimum præsentis vitæ septenarium ad illam monadem pervenitur, quæ summe et incommutabiliter una nec transmutationem nec vicissitudinis recipit obumbrationem. Quanto autem ad illud summe unum proximius acceditur, tanto omnis vicissitudo, omnis indigentia, omnis transmutatio alterationis et divisionis longius removetur. Hic servus pulsare, filius petere, et amicus panem suum quærere compellitur. Bene autem servo pulsare congruit, cui instanter operi manuum incumbere conditio servitutis indicit, secundum illud Salomonis : *Cibaria et virga et onus asino; panis et disciplina et opus servo* (*Eccli.* XXXIII). Filio petere convenit, orando Patrem, qui indignum judicat tollere panem filiorum, et mittere canibus. Sed nec petenti filio panem lapidem dare, nec pro pisce serpentem, nec pro ovo porrigere scorpionem consuevit. Scit enim Pater cœlestis, necessarium esse filio ovum humilitatis, de quo oritur pullus obedientiæ et subjectionis, ne a scorpio superbiæ vel vanis promissionibus, vel facie blanda, vel præmisso ambitioso apparatu deceptus, vel minis et terroribus, velut armatis posterioribus fractus superetur Scit etiam necessarium esse ei piscem castitatis

cui frigora et undæ tentationis non noceant, ne serpens ille lubricus, cujus fortitudo in lumbis, et virtus est in umbilico ventris, venenum carnalis voluptatis infundat. Sed et pane charitatis scit eum carere non posse, ne vel deficiat vel per avaritiam induratus, arido et duro corde permaneat, quia oblitus est comedere panem suum. Hunc panem amicus quærit et invenit. Nam licet pulsare et petere aliquando et ipse cogatur, quærere tamen et invenire amici est proprium, qui de amore accepta fiducia, occultandum nihil quod quærat ab amico confidit. Hoc enim ipse Dominus in amoris argumentum induxit, ubi ait : *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*Joan.* xv). Sed nec ea quæ audivit a Patre, sufficit ei nota facere amico, sed et sui ipsius visionem promittit, dicens : *Diligam eum, et manifestabo ei me ipsum.* (*Joan.* xiv). Speciale igitur testimonium dilectionis, visio dilectoris. Et hanc visionem panem dixerim amicorum, quibus nihil jam sapit, præter dilectum, quibus vivere Christus est, et mori lucrum. Sed quia hæc visio tripliciter variatur, etiam hunc panem tripliciter diximus distinguendum.

Primus percipitur et gustatur mentis dilatatione, secundus mentis sublevatione, tertius alienatione. Dilatatio solito latius, quia supra propriam scientiam se extendit, sed humanæ industriæ mensuram non excedit; sublevatio transcendit, a sensibus timor penitus non recedit; alienatione vero præsentium memoria menti excidit, et spiritus humanus quantum in præsenti vita fas est, totus in dilectum transit. Sed quia etiam circa invisibiles et creatas essentias solet humanus animus contemplando dilatari, sublevari, sive etiam alienari; illam solam contemplationem panem dicimus amicorum, qua in amore et cognitione summæ et creatricis essentiæ dilatatur et sublevatur animus supra mensuram propriæ conscientiæ, propriæque industriæ; vel etiam supra totius humanæ naturæ industriæque modum alienatur. Quod quia solis amicis conceditur, recte ad hoc convivium amicus invitatur, cum dicitur : *Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni* (*Cant.* ii). Illa, inquam, anima, quam candor castitatis formosam, quam gemitus humilitatis columbam, quam fecit vehementia charitatis amicam, ut a contemplatione totius visibilis et invisibilis creaturæ ad increatæ et invisibilis essentiæ visionem assurgat et properet, excitatur. Et quæ jam in illis tribus virtutibus perfecta est, in solo virtutum Domino glorietur, non solum edocta per prophetam, sed et cum ipso propheta audiens et intelligens, quoniam Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. In eo, inquam, solo gloriandum, a quo omne datum optimum, a quo omnia bona data, dona naturæ; a quo data meliora, charismata gratiæ; quæ enumerans Apostolus ait : *Alii datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ*, etc. (*I Cor.* xii), a quo denique data optima, virtutes scilicet venturi sæculi, quas etiam in præsenti sæculo gustari ait

A Apostolus, eo quod in præsenti sæculo exercentur in actu, gustantur in affectu, in futuro sæculo in solo erunt affectu et interminabili possidebuntur effectu. Eas interim actu ferventissimo exercere studeamus, et affectu degustare ardentissime desideremus, ut licet hic saturari non possimus, esurire saltem et sitire non desistamus. Esuriendo forte et sitiendo facilius quam scrutando vel disputando illius præsentiam merebimur, qui satiare in bonis amici desiderium consuevit, et cujus præsentia lætitia adimplere, et gloria cum apparuerit, amicum novit signare. Amicum siquidem cui apparet similem sibi reddit; et amatorem, imo imitatorem facit virtutum, Dominus ipse virtutum; ut sint saltem similes, qui pares esse non possunt : et sponsa quæ B sponso nequit æquiparari, intuendo et imitando studeat ei saltem assimilari, et fiat adolescentulis forma virtutum, quæ jam per amorem desponsari meruit Domino virtutum. Talis anima non suas, sed dilecti prædicat virtutes; nec jam de se vel in se, sed de dilecto et in dilecto gloriatur dicens : *Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus* (*Cant.* v). Ac si dicat : Quidquid candoris habeo, ab eo est qui solus est vere candidus, imo qui verus est candor; candor, inquam, lucis æternæ, qui quos illuminat, non solum candidos reddit actu, sed et lucidos intellectu. Sed quæ comparatio inter candidum et candorem? Non alia quam quæ inter illuminationem et lucem, rivulum et fontem.

C Unde et recte dicitur quod vestimentorum ejus candorem fullo super terram imitari non possit (*Marc.* ix). Sed etsi rubicunda videor, non mihi imputetur, sed ei cujus sanguis ornavit genas meas, qui non solum rubet per charitatem, sed et rubor, imo ignis est : ignis ungens, non consumens, qui quos leni attactu lambuerit, ardere et ipsos facit extra per opera pietatis, intus affectu compassionis, vel (quod suavius est), flamma devotionis. Unde etsi candida vobis videor castitate, si rubicunda charitate; totum me habere sentio et profiteor a dilecto, imo ab electo; quem diligendum elegi ex millibus, imo præ millibus, præ omnibus scilicet, quæ numero complectuntur. Ipse enim supra numerum est, omnia creans in numero, pondere, et mensura : D suæ autem sapientiæ non est numerus, et magnitudinis ejus non est finis. Hunc elegi, hunc dilexi, et *venerunt mihi omnia bona pariter cum eo*, imo ab eo (*Sap.* vii). Ab eo mihi lilium castitatis, ab eo rosa charitatis, ab eo mihi viola humilitatis. Tales flores mihi hortus ipse produxit, ipse mihi hortulanus decerpsit, legendos et eligendos ostendit. Primo autem violam docuit eligendam, primam eligens eam et ipse, ut sicut in ruina hominis prima fuerat superbia, ita in reparatione humilitas esset prima.

Ad salutem igitur hominum humilitatem eligens, merito a paucitate electorum humilis Jesus super numerositatem reproborum est electus. Electus ad imitandum, electus ad innitendum, electus ad diligendum. Ad diligendum factus est nobis sapientia, ad

imitandum factus est justitia, sanctificatio et redemptio ad innitendum. Sapientia in prædicatione, justitia in conversatione, sanctificatio et redemptio in passione. Ad imitandum factus est via, veritas ad innitendum, quia, juxta Salomonem, non est innitendum mendacio (*Prov.* x); ad diligendum vita; quoniam *qui eum non diligit, manet in morte* (*I Joan.* III). Imitandum se omnibus præbuit per humilitatem, fulcimentum se quibusdam præbuit ad castitatem, dicens : *Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum cœlorum : qui potest capere, capiat* (*Matth.* XIX). Ac si dicat: Qui non potest, confidat de me, et poterit per me quod non potest per se. *Nemo enim potest esse continens, nisi Deus det* (*Sap.* VIII). Diligendum se præ omnibus docuit dicens : *Qui diligit patrem suum aut matrem plusquam me, non est me dignus* (*Matth.* x). Et illud : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua, et ex totis viribus tuis* (*Matth.* XXII). In primo est dolor, in secundo labor, in tertio quies et finis laboris. Dolor confundit, labor affligit, amor innovat et immutat, et omnes præteritos labores in oblivionem adducit. Dolor siquidem confundit, quia cum primo anima ad imitandum Christi humilitatem per paupertatem, per patientiam, per obedientiam se accingit, vel naturæ infirmitate, vel naturæ vitio, vel pravæ consuetudinis usu præpedita, sæpius ad jam abdicata etiam invita relabitur. Unde et ad seipsam conturbata dolens et confusa cum Apostolo cogitur exclamare : *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* VII.) Verumtamen dolor talis mortem non operatur, sed potius spem salutis inducit, spem quæ non confundit, quia non mentitur Veritas, quæ dicit : *Tristitia vestra vertetur in gaudium* (*Joan.* XVI). Labor etiam affligit, quia cum diffisa de se soli dilecto inniti cœperit anima, jam propriæ infirmitatis oblita, supra humanam virtutem carnem affligere incipit, sciens quod carnis mortificatio vivificationem spiritus operatur, secundum illud dictum Apostoli : *Mortificatos quidem carne, vivificatos autem spiritu* (*I Petr.* III). Denique quod amor innovet, et laborum sit finis quies, et remuneratio, amicus novit, qui hanc tranquillitatis lætitiam experiri consuevit. In hoc igitur portu amicus constitutus nova semper amici testimonia quærit, eis cum Propheta delectatus plusquam *omnibus divitiis* (*Psal.* CXVIII). Unde etiam non confunditur, cum in conspectu spiritualium regum de his testimoniis fieri contingit sermonem. Amicus, inquam, de testimoniis Dei sine confusione loqui potest quem propria experientia ea quæ loquitur edocet, nec vita nec conscientia loquentem remordet. Hinc testimonia Dei credibilia facta sunt nimis; adeo ut alterius testimonio jam de se non credat, nec suo quidem, dicens cum Apostolo : *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. Qui autem judicat me, Dominus est* (*I Cor.* IV). Sed nec ipsius Domini testimoniis omnibus se credit, sciens Dominum aliquos aliquando commendare propter alios, non propter seipsos. Unde et quibusdam, quibus datus est sermo sapientiæ ad utilitatem, dicturis in finem: *Nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus,* responsurum se dicit : *Amen dico vobis, nescio vos* (*Matth.* VII). Sive igitur detur amico sermo sapientiæ, sive sermo scientiæ, sive prophetia, sive genera linguarum, si revelentur mysteria omnia, si detur etiam fides, quæ montes transferat, quomodocunque amicus amico arridere videatur, non se talibus omnibus testimoniis credit, nisi testimonium sentiat charitatis.

Hoc solum testimonium vox sponsi est, propter quam gaudio gaudet amicus, qui etsi ad vocem magistri, ad vocem domini, ad vocem fratris, ad vocem patris gaudeat, gaudio tamen gaudet specialiter ad vocem sponsi. Ut pater enim monet, ut dominus comminatur et terret, ut magister docet, ut frater congaudet, sicut sponsus cohæret. Ut frater complexatur, ut sponsus counitur, in utroque suavitas, in utroque dilectio, sed inter fratrem et sororem germanior, inter sponsum et sponsam ardentior. Ibi copula naturæ, hic gratiæ. Et naturæ quidem conformior, sed suavior et potentior est gratiæ, ita ut relictis homo patre et matre adhæreat sponsæ suæ. Inter fratrem et sororem complexus est unanimitatis, unum velle et unum nolle faciens inter duos, inter sponsum et sponsam cohærentia mutuæ permistionis, per quam sponsa liquefacta tota transit in sponsum, et in eamdem imaginem transformatur, ut sicut in carnali copula jam non sunt duo, sed una caro, ita in spirituali jam non duo, sed unus spiritus sint. Quam unitatem non unus tantum facit consensus geminæ voluntatis, sed una perfruitio et unus effectus geminæ dilectionis. Licet enim læva fratris sub capite sit sororis, et eamdem ejus dextera complexetur, non tamen ad singularem sponsi gratiam nisi sponsa assurgit, nec gaudio gaudet ad vocem sponsi, nisi vel sponsa, vel amicus sponsi; sed nec amicus semper. Non enim gaudium gaudii est ei, cum vox sponsi ad eum dirigitur propter sponsam; sed tunc solum gaudio gaudet; cum ad eum dirigitur, sicut ad propriam sponsam. Amicus enim est, cum sponsæ procurat profectus; sponsa, cum soli sponso vacans, omnes suos colligit et in sponsum tendit affectus, illud unum desiderans, illud unum in sponso requirens, ut ostendat ei seipsum.

Hæc de testimoniis divinis dicenda credidi, antequam ad fundamentorum tractatum accederem, ut ex talibus testimoniis facile quisque cognoscat, quem vel statum habeat, vel gradum teneat in civitate Domini virtutum. Quod si inter ministros se invenit, studeat inter filios computari : nam etiam *de lapidibus potens est Dominus Abrahæ filios suscitare* (*Luc.* III). Si autem ad filiorum se gradum pervenisse, per Spiritum clamantem, *Abba Pater* (*Rom.* VIII), cognoscit, etiam ad amicorum ascendere prærogativam contendat, ut sic supra firmam petram fundatus, soliditatem fundamentorum civitatis potius in seipso quam in nostris apicibus legat. Non enim amicos

acutius speculemur. Videtur siquidem civitas Domini hoc nomen inde traxisse, quod suus ei conditor in omnibus suis partibus, officiis et officinis proponitur speculandus. Quod Simeon in Spiritu cognoscens pro sua speculatione gratulabundus et laudans, ait : *Viderunt oculi mei salutare tuum : quod parasti ante faciem omnium populorum* (*Luc.* II). Bene dicitur Simeon in spiritu advenisse in templum. Videtur enim per spiritum cognovisse, illum quem videbat, suum, imo Domini esse salutare ad salutem præstandam paratum ante faciem omnium populorum, ut in ipsius visione consisteret jus salutis humanæ. Sicut enim quondam intuitu ænei serpentis a serpentium morsibus Judæi salvabantur; sic et hoc salutare ante omnium Christianorum faciem Simeon vidit esse paratum, ut in ipsius visione salus eorum consisteret. Hoc etiam cognoscens Psalmista aiebat : *Ostende faciem tuam, et salvi erimus* (*Psal.* LXXIX). Jacob autem viso Domino facie ad faciem salvam factam animam suam profitetur. Rem igitur sui nominis Sion speculando tenens, et nominis Jesu effectu participans speculando, salvari, et salva facta speculari suum Salutare non cessat : non sicut Roma nudum nomen trahens a Romulo, sed suo Salvatori, quantum ab eo conceditur, speculando inhærens. Sed quia in præsenti vita non est plena visio, nec salus in præsenti potest esse perfecta, neque enim perfectam salutem dixerim, quæ manente crepusculo minui valeat vel corrumpi; in ea autem civitate, quæ sursum est et libera est, sicut est visio manifesta, ita pax est, et salus perfecta. Unde merito Jerusalem dicitur, id est *visio pacis;* nostra autem civitas quæ adhuc militat et peregrinatur in terris, potius Sion quam Jerusalem debuit nominari, quia interim per speculum in ænigmate videt eum, quem post finem peregrinationis suæ facie ad faciem est visura. Speculetur igitur interim nostra Sion regem Salomonem, et si nondum in diademate gloriæ, saltem in diademate humanæ naturæ; ut quem jam invenit in fundamentis et muris suis, inveniat et in portis. Portas quippe nostræ civitatis diximus sacramenta salutis. Has portas jam penes se, sed tamen clausas habent, qui solo sacramentorum usu gaudent. Illis autem aperiuntur, quibus sacramentorum mysteria referantur. Qui vero reipsa mysteriorum et sacramentorum fruuntur, cum Propheta apertis sibi portis justitiæ ingressi in civitatem Domino confitentur. Usum sacramentorum et notitiam mysteriorum boni possunt habere et mali. Unde Apostolus : *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, et noverim mysteria omnia, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest* (*I Cor.* XIII). Rem autem mysteriorum et sacramentorum, soli boni percipiunt. Accedunt igitur ad portas, et apertas inveniunt etiam filii hujus sæculi: sed non nisi filii lucis, filii Dei, qui Spiritu Dei aguntur, in numero amicorum vel civium admittuntur. Unde Dominus in Evangelio : *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, ille fur est*

A *et latro* (*Joan.* X). Videntur igitur aliqui intrare per portas, qui non intrant per ostium. Plane ita est. Porta quidem ostio claudi solet, et aperto ostio porta patet.

Porta, sicut jam diximus, est visibile sacramentum, ostium hujus portæ Christus est, qui non solum institutor, sed etiam res est sacramenti. Sera hujus ostii occultum ipsius sacramenti mysterium. Clavis hujus seræ, sive ostiarius, non aliud est a Christo, quia spiritus Christi est. Christus igitur digito et clave spiritus sui nobis reserare dignetur seram istius mysterii, ut cognoscamus quomodo ipse sit ostium in qualibet portarum : quomodo sit res ipsa mysteriorum et sacramentorum. Videamus igitur hoc in sacramento baptismi, ubi manifestius et
B facilius apparebit. Visibile sacramentum baptismi porta est, per quam intrant boni et mali. Sed boni sicut cives, mali ut fures et latrones. Non enim intrant per ostium Christum, nec habent rem ipsius sacramenti. Quibus etiam occulti sera mysterii clave plerumque spiritus reseratur, secundum illud Apostoli : *Dominus enim illis revelavit* (*Philip.* III) ; tamen per ostiarium non introducuntur, quia rem mysterii Christum non assequuntur, et licet intrent per scientiam, non tamen per conscientiam. Intus quidem videntur esse per scientiam inflantem; sed non sunt intus per supervenientem scientiæ charitatem. Boni autem cum suscipiunt visibile sacramentum, etiamsi ignorent mysterium, tamen intrant
C per ostium Christum ; et ostium Christum, et rem habent tam mysterii, quam sacramenti. Christus siquidem res est utriusque. Res est sacramenti, quia salus est et sanctificatio, quæ per illud confertur. Pro salute namque et sanctificatione obtinenda recipitur, non pro elementi veneratione, quæ nulla est, nisi quæ ei ex verbi sanctificatione confertur. Accedente enim verbo ad elementum, fit non ipsa aqua, sed ex ipsa et verbo sacramentum. Christus igitur res est et causa baptismi ; quam qui non habet, procul dubio ex baptismo salutem non habet, quia ipse dicit, Salus populi ego sum ; et Propheta dicit : *Dic animæ meæ : Salus tua ego sum* (*Psal.* XXXIV). Quomodo etiam sit res mysterii, videamus.

Mysterium est occulta sanctificatio ipsius visibilis
D sacramenti ; quam diversam diversi assignaverunt. Ambrosius (*c.* 6, *ad. Rom.; Greg.*, *l.* I, *ep.* 41), quidem per aquam voluit intelligi, quod sicut aqua sordes corporis ac vestes abluit, ita baptismus maculas animæ, sordesque interiorum emundando extergit. Gregorius autem in tribus mersionibus personarum Trinitatem, et in una, ubi talis est consuetudo, divinitatis singularitatem voluit designari. Addidit etiam, nos qui tertio mergimur, etiam triduanæ sepulturæ sacramentum signare. Augustinus (*Serm. De myst. bapt. in Supplem.*) etiam baptismi ordinem duplici asserit mysterii significatione celebrari : « Recte, inquiens, mersi estis qui accepistis baptismum in nomine Trinitatis. Recte tertio mersi estis, qui accepistis baptismum in nomine Christi, qui die tertia

resurrexit a mortuis. » Ecce isti in trina mersione baptismi triduum Dominicæ sepulturæ asserunt designari. Secundum ergo baptismi mysterium est, ut sicut Christus in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus fuit, sic qui baptizantur in Christo, mundo mori et sepeliri debeant opere, verbo et affectu, ut possint dicere cum Apostolo : *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Gal.* II). Hoc mysterium volens Apostolus aperire, ait : *Consepulti estis Christo per baptismum in mortem* (*Rom.* VI). Et alibi : *Quotquot autem in Christo baptizati estis, Christum induistis* (*Gal.* III).

Quod si aliter illud triduum licet intelligere, possumus dicere, primam sepulturæ spiritualis diem, abrenuntiationem, quæ fit in baptismo, quando abrenuntiatur Satanæ, et omnibus pompis ejus ; quæ pompæ non sunt aliæ, quam mundi labentis vanitates; secundam, ejusdem abrenuntiationis ferventem et studiosam executionem; tertiam, quæ et verum sabbatum est, tranquillæ contemplationis quietem; cum etiam a bonis operibus vacatur, ut videatur Deus; cum minoratur quis actu, ut percipiat sapientiam; cum absconditur quis in abscondito faciei Dei a conturbatione hominum. Prima die moritur actus peccati, cum per gratiam baptismi submerguntur Ægyptii; secunda mortificatur sensus, cum non tam puniuntur peccata, quam amore et imitatione Christi mortificantur membra. Tunc enim, sicut scriptum est, maxime prodest pœna, cum non punit peccata; tertia peccati moritur et sepelitur affectus, cum spiritus humanus spiritui divino adhærens unus spiritus est, et ad vocem vel visionem dilecti anima liquefacta in ipsum transit dilectum. Ecce quomodo Christus et mysterii res est et sacramenti, cum et sacramentum salutem, quæ Christus est, conferat : et mysterium eamdem significet et ostendat. Ipse igitur ostium est per quod homo introducitur, ipse via per quam deducitur, ipse vita ad quam perducitur. Bene igitur ait : *Ego sum ostium : per me si quis introierit salvabitur* (*Joan.* X). Bene introductus et ingredietur ad me Verbum a me homine deductus, et egredietur a me Verbo ad me hominem reductus, et pascua inveniet pinguia in humanitate, uberiora in divinitate, uberrima autem ad patriam perductus post præsentem peregrinationem in utroque. Non immerito itaque Propheta nominationem civitatis portarum commendationi conjunxit, cum ipse sit illarum portarum ostium, qui præcipue civitati, quam Sion nominat, proponitur speculandus. Ipse siquidem eidem civitati, sicut ait Apostolus : *Factus est sapientia, justitia, sanctificatio, et redemptio* (*I Cor.* I). Redemptio est in baptismate, quo homo a servitute peccati redimitur, ut jam ei naturalis concupiscentia sine consensu ad damnationem non imputetur, secundum illud Apostoli : *Nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulat* (*Rom.* VIII) : id est qui carnis concupiscentiam non sequuntur Et alibi : *Si quod volo, id ago, jam non ego operor illud* (*Rom.* VII). In baptismate igitur redemptus recipit gratiam declinandi a malo, in manuum impositione gratiam operandi bonum. Ibi mundatur a peccatis, hic meritis virtutum proficiens habet fructum suum in sanctificationem. Ibi caput in oleo impinguatur hic bene oleo facies exhilaratur. Quod forte non incongrue illud significat, quod in baptismo chrismate in vertice, in confirmatione homo consignatur in fronte. In baptismo enim liberum arbitrium velut quoddam interioris hominis sublimissimum caput unctione Spiritus sancti perfunditur et impinguatur, ut quod ante baptismum liberum erat ad posse peccare, non autem liberum ad posse non peccare mortaliter, post baptismum liberum sit cooperante gratia ad non peccandum damnabiliter. Ante baptismum enim, ut ait Augustinus, premitur a concupiscentia, et vincitur, et habet infirmitatem ad malum, sed non habet gratiam ad bonum, et ideo potest peccare, et non potest non peccare, etiam damnabiliter. Post baptismum vero premitur a concupiscentia, sed non vincitur, et habet quidem infirmitatem ad malum, sed gratiam ad bonum, ut possit peccare propter libertatem et infirmitatem, et possit non peccare ad mortem, propter libertatem et gratiam adjuvantem : nondum tamen habet posse omnino non peccare, vel non posse peccare, propter infirmitatem nondum plene absorptam, et propter gratiam nondum perfecte consummatam. In baptismate igitur liberatur voluntas; et quia velle non sufficit, nisi adsit et posse, in confirmatione bene operandi indulgetur facultas, ut exhilarata facie homo decantare jam valeat : *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum* (*Psal.* CXVIII). Sed quia dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino, et corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit sensum hominis multa cogitantem, caligante interim oculo rationes sæpius a justitia deflectimur, dicentes bonum malum, et malum bonum, ponentes lucem tenebras, et tenebras lucem.

Contra hunc igitur morbum statutum est etiam antidotum Eucharistiæ sacramentum, per quod velut quamdam portam, quæ vere dici debet speciosa, Christum sapientiam speculamur. Hoc siquidem antidoto morbo ignorantiæ subvenitur, unde in fractione panis discipulorum oculi leguntur aperti. In eo namque, quod sub visibili specie invisibilem speciem latere credimus et confitemur, edocemur, non esse rerum species aut formas visibiles tantummodo attendendas; sed potius invisibilia, quæ causæ sunt visibilium quærenda esse et diligenda. Quæ enim videntur temporalia sunt, unde et parvipendenda : quæ autem non videntur æterna, unde et toto corde optanda et complectenda. De visibili quippe specie apud Danielem sic legitur : *Species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum* (*Dan.* XIII). Primo quidem similitudine veri boni species fallit aspectum, deinde concupiscentia subvertit affectum. Ecce ex ignorantia venit concupiscentia, per carnis concupiscentiam virtus spiritus exhauritur, ita ut

quod vult non faciat, sed quod non vult invitus sustineat, ut clamare cum Apostolo cogatur: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* VII.) Vere corpus mortis, quo vivente nec infirmitas perfecte absorbetur, nec ignorantia tollitur, sed ad concupiscentiam impellit infirmitas, et per ignorantiam impeditur libertas, ut nec ratio sine errore judicare, nec voluntas sine difficultate bonum possit appetere, nisi liberata gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Hæc gratia quotidie est necessaria, quia quotidianus est per ignorantiam et concupiscentiam humanæ infirmitatis defectus, et ideo quotidie dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* (*Luc.* II), et quotidie in humanæ salutis subsidium, in infirmitatis adjutorium, Eucharistiæ repetimus sacramentum. Cætera duo sacramenta baptismus et confirmatio, non repetuntur, quia ex quo semel solutus est homo a vinculo concupiscentiæ in baptismo, et infirmitatis in confirmatione, ut jam velle et posse habeat, nil restat, nisi ut noverit qua eat.

Hæc igitur via sacramento altaris quotidie magis ac magis ostenditur, et in usu quotidiano quanto frequentius, tanto certius aperitur. Non solum autem ad tenendam viam, et transeundum a visibilibus ad invisibilia, de speciebus et formis velut de accidentibus ad subsistentia, per hoc sacramentum luce sapientiæ illustramur, sed etiam reliqua duo, quæ per sacramenta baptismi et confirmationis conferri diximus, sacramenti altaris virtute conceduntur, sicut in illis et usu firmantur et augmentantur, quod non fit in illis. Quod etiam significari luce clarius constat in illis tribus substantiis, de quibus ipsum conficitur sacramentum, pane scilicet, vino, et aqua. In pane, qui hominem corroborat, designatur gratia, qua infirmitas roboratur: in vino quod lætificando inebriat, ostenditur gratia, quæ a concupiscentia visibilium affectuum homines alienat: in aqua, quæ oculos lavando clarificat, sapientiæ claritas exprimitur. Unde et per Isaiam dicitur: *Aqua sapientiæ salutaris potavit illum* (*Eccli.* XIV). Hæc sunt illa tria, quæ philosophi prudentiam, fortitudinem, temperantiam vocaverunt, et in eorum perfectione justitiam humanam constituerunt. Verum, quia de propriis viribus præsumentes, et suam volentes statuere justitiam, justitiæ Dei non fuere subjecti: ideo Dei ignorantes justitiam, evanuerunt in cogitationibus suis, se ex se et de se sapientes, fortes, temperatos, et justos fieri posse dicentes. Sed civitas Sion verius philosophando de suis portis aliter speculatur, aliter prædicando annuntiat dicens: *Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam: ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion* (*Psal.* LXXII). In porta siquidem orientali annuntiat, quia *nemo potest esse continens, nisi Deus det* (*Sap.* VIII). In aquilonari, *Fortitudo mea et laus mea Dominus* (*Psal.* CXVII). In australi, *Omnis sapientia a Domino Deo est* (*Eccli.* I). In occidentali, cum jam non solum

A homo exterior deficit, sed etiam interior portam mortis ferream horrescit, confitendo annuntiat, et annuntiando cum Propheta exclamat dicens: *In te Domine, speravi, non confundar in æternum; in tua justitia libera me* (*Psal.* XXX). Jam certe de justitia sua diffidens, et se coram se statuens, velut pannum menstruatæ omnem suam justitiam reputat, et ad merita se convertens, solius Christi, justitiæ memorans, eam Patris oculis repræsentat: nec aliud jam, quam misericordiæ oleum expostulans, sicut a planta pedis usque ad verticem non esse in se sanitatem profitetur, sic a planta pedis usque ad verticem non solum oleo visibili perungi, sed etiam interiorem hominem unctione misericordiæ totum perfundi credit et gloriatur. Talia in portis suis

B annuntiat, talia de portis speculando clarius intuetur. Sed quia intrare gestientibus tandiu circa portas morari tædiosum, forte videbitur, multa quæ de his portis dicenda occurrunt, legentibus relinquo speculanda, dans tantum occasionem sapienti, ut sapientior fiat.

Videat ergo lector et judicet si primam harum portarum in Esdra porta piscium præfiguraverit (*II Esdr.* III), propter illud quod dictum est Petro: *Faciam te fieri piscatorem hominum* (*Matth.* IV). Videat, si secunda debeat dici porta gregum, propter illud quod dictum est: *Populus ejus et oves pascuæ ejus, introite portas ejus in confessione* (*Psal.* XCIX). Nunquid non videntur velut quidam greges ad portam congregari, cum anhelando currit populus fe-

C stinans ab episcopo confirmari? Videat, si porta sterquilinii tertia dici possit, cum jam stercus peccati relinquitur, et corpusculum terræ velut stercus vilissimum commendatur. Videat, si quarta dici debeat porta judicialis, ad quam qui non digni accedunt, judicium sibi manducant et bibunt. Videat etiam, si his portis congrue possit aptari, et de altitudine earum speculando valeat comprehendi, quid sit latitudo, longitudo, sublimitas, et profundum. Videat si latitudo congruat temperantiæ coarctationi, secundum illud: *In tribulatione dilatasti mihi* (*Psal.* IV), si longitudo fortitudinis longanimitati, si sublimitas prudentiæ circumspectioni, si profundum justitiæ ancipiti et incertæ conclusioni, quia nescit

D homo, utrum amore dignus sit an odio (*Eccle.* IX), sed omnia inposterum reservantur incerta. Hæc de portis principalibus ad præsens dicta sufficiant. Nam sunt forte aliæ portæ secundariæ, quibus aliæ quinque quæ in Esdra nominantur (*Esdr.* III), non inconvenienter aptari possunt, sed hæc alias. Jam ergo cum propheta in civitatem intrantes, quid intus audierit quid viderit, ab ipso pariter et cum ipso audiamus.

TRACTATUS VII.

DE LIBERTATE, DOMINATIONE, ET GLORIA CIVITATIS DEI.

Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei (*Psal.* LXXXVI). Ex his quæ dicta sunt, civitatis Domini virtutum firmitatem, decorem et commoditatem Propheta

describente, imo per Prophetam Spiritu sancto revelante, manifeste jam comprehendisse videmur. Hæc enim in omni civitate, sicut superius dictum est, specialiter attendi, et præcipue assolent commendari. Unde et Propheta hæc volens ostendere, expressius in fundamentis expressit firmitatem, in muris pulchritudinem, commoditatem commendavit in portis. Quod quia satis jam ex præmissis videtur patuisse, superfluum duximus replicare. Sciens igitur Propheta, non in his solis etiam æternæ civitatis perfectionem felicitatis consistere, et ad metienda cœlestia ex terrenis, ad conspicienda invisibilia per visibilia, ad insolita per assueta nos volens deducere; post ea quæ prædiximus, illud quod summopere in civitate terrena solet desiderari, gloriam scilicet et dominationem, in civitate Domini prosequendo describit dicens : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.* Primo igitur quanti in civitate terrena apud suos cives sit hodie gloria et dominatio, ac quanti apud antiquos exstiterit, ipsa nos edoceat urbs Romana. De illa siquidem sic ait Augustinus (lib. v De civ. c. 12) : « Veteres primique Romani, sicut eorum docet historia, laudis erant avidi, pecuniæ liberales, gloriam ingentem, divitias honestas volebant. Hanc ardentissime dilexerunt, propter hanc vivere voluerunt, pro hac etiam mori non dubitaverunt : cæteras cupiditates ingenti gloriæ cupiditate presserunt. Ipsa denique patriam, quoniam servire videbatur inglorium, dominari et imperare gloriosum, prius omni studio liberam, domini esse concupierunt. Hinc est quod regalem dominationem non ferentes, annua imperia binosque consules sibi fecerunt; qui consules appellati sunt a consulendo. Expulso itaque rege Tarquinio, et consulibus institutis, civitas incredibilem adepta est libertatem; et tantum brevi crevit, quantum gloriæ cupido incesserat. Laudis ergo aviditas et cupiditas gloriæ multa illa miranda fecit atque gloriosa secundum hominum existimationem. » Cujus autem laudis avidi et gloriæ cupidi essent, in magnis illis et præclaris viris Marco Catone et Caio Cæsare, qui suo tempore ingenti virtute diversis moribus magni fuisse perhibentur, ostendit dicens primo in laudibus Cæsaris : « Ibi magnum imperium exercitus novum bellum exoptabat, ubi virtus enitescere posset, hoc laudis aviditas et gloriæ cupiditas faciebat. »

Deinde Catonem eos laudasse refert, qui ad gloriam, honorem, imperium, vera via, id est ipsa virtute nitebatur. Unde et verba Catonis ponens, ita dicit (*ibid.*) : « Nolite existimare majores nostros armis rempublicam ex parva magnam fecisse. Si ita esset, multo pulcherrimam eam nos haberemus. Quippe sociorum atque civium, præterea armorum atque equorum major copia nobis quam illis est. Sed alia fuere, quæ illos magnos fecere, quæ nobis nulla sunt. Domi industria, foris justum imperium, animus in consulendo liber, neque delicto, neque libidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam, avaritiam, publice egestatem, privatim opulentiam. Laudamus divitias, sequimur inertiam; inter bonos et malos discrimen nullum, omnia virtutis præmia ambitio possidet. Nec mirum, ubi vos separatim consilium sibi quisque capitis, ubi demum voluptatibus aut pecuniæ, aut gratiæ servitis. Eo fit, ut impetus fiat in vacuam Rempublicam. » Hæc Augustini verba, sive illorum quos loquentes inducit, posuimus, ut ex his manifeste detur intelligi, quantum Romani primo quidem libertatem, post etiam dominationem, laudem quoque et gloriam sibi quæsierunt. Sed primo magis ambitio quam avaritia animos eorum exercuit : quod tamen vitium propius virtuti erat. Sed et illi, qui nec ambitione, nec avaritia, sed per virtutem honorem quæsierunt, sicut Cato, nec dolis nec fallaciis, sed vera via nitendum esse judicaverunt, finem tamen virtutis honorem posuerunt. Unde et ædes Virtutis et Honoris conjunctissimas statuerunt. Hinc et de Catone dictum est, quominus petebat gloriam, eo illum magis sequebatur, quia semper virtutem gloria comitatur. Ex his breviter colligimus, Romanos primo gloriam libertatis, secundo gloriam dominationis, tertio gloriam laudis, tribus viis, quosdam scilicet ambitione, quosdam avaritia, quosdam vera via, id est per virtutem, quæsivisse. Sed illi hominibus servire ducentes inglorium, a servitute humana liberi esse voluerunt. Nostræ autem civitatis cives vera gaudentes libertate, qua libertate Christus nos liberavit, a servitute peccatorum, vitiorum et dæmonum, liberos se esse gloriantur. Nec enim filii sunt ancillæ, sed liberæ.

Et quia Spiritu Dei aguntur, filii sunt Dei. Quod si filii, et hæredes. Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi (*Rom.* VIII). Et cum liberi sint ex omnibus, omnium se servos propter Christum faciunt, subjecti omni humanæ creaturæ propter Deum, in hoc ipso illi soli servientes, cui servire regnare est. Est et alia gloria libertatis, qua non solum a supradictis, sed ab ipsorum etiam elementorum hujus mundi servitute cives nostræ civitatis liberos se esse gloriantur, ut jam non serviant in vetustate litteræ, sed in novitate spiritus consummentur. Non enim indigent doceri quæ sint elementa exordii sermonum Dei, sed intermittentes inchoationis Christi sermonem ad perfectionem feruntur, audientes ab Apostolo : *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba Pater* (*ibid.*). Ea quippe sunt elementa exordii sermonum Dei, rudimenta scilicet, et divini documenta timoris, quæ velut prima quædam elementa incohantibus proponuntur, qui lacte opus habent, non solido cibo, et adhuc sermonis justitiæ sunt expertes. Hæc Salomon filio proponebat, dicens : *Audi, fili mi, disciplinam Patris tui. Timor Domini principium sapientiæ* (*Prov.* I). *Time Dominum, et recede a malo. Timenti Dominum bene erit in extremis* (*Prov.* III). *Timor Domini expellit peccatum.* Et : *Sine timore Domini non poterit quis justificari* (*Eccli.* I). Hoc

timore quidam civium nostrorum serviunt, eo ipso jam liberi, quod voluntarie et libere et libenter sic serviunt, sperantes se per hanc servitutem proficere in libertatem gloriæ filiorum Dei. Quinimo jam et ipsi sunt liberi, licet quandiu sunt parvuli nihil distent a servo, cum sint Domini omnium, sed sub tutoribus et actoribus timoris et obedientiæ sunt usque ad præfinitum tempus a Patre. Ad quod cum per Patris gratiam pervenerint, sive qui jam Patris munere pervenerunt, non solum non serviunt prædictis elementis, sed quadam jam libertate spiritus in auras libertatis evadentes, etiam elementa figurarum, et sacramenta veterum omnium et novorum spiritus vivacitate transcendunt, nec jam onere figurarum premuntur, sed ad veritatis perfectionem feruntur. Sunt etiam et alia elementa, quæ tertio tangit Apostolus, arguens quosdam servientes infirmis et egenis elementis. Elementa, sive elementata, sunt quæcunque sensu corporeo percipi possunt; et ea merito infirma et egena dicuntur, quia humanam naturam nec a corruptione tueri, nec ipsius indigentiæ sufficere possunt. Qui autem in eis sanitatem aut satietatem quærunt, decepti et volentes vanitati serviunt: a qua servitute liberi sunt, qui serviunt non volentes, secundum Apostolum, subjecti interim vanitati, propter eum qui subjecit eos in spe. Subjecti, inquam, non servi, sed liberi tandem etiam a corruptione omnino liberandi. Hac de gloria libertatis ad præsens dicta sufficiant. De gloria quoque dominationis, quam gloriosa, quamque gloriose a viris gloriosis dicta sint, audiamus. Ait prophetarum eximius Isaias, imo per Isaiam Dominus, de gloria civitatis Sion: *Ecce in manibus meis descripsi te. Muri tui coram oculis meis semper. Venerunt structores tui, destruentes te et dissipantes a te exibunt. Leva in circuitu oculos tuos et vide; omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris, et circumdabis tibi eos quasi sponsa. Adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis meæ: Angustus mihi est locus, fac mihi spatium, ut habitem. Et dices in corde tuo: Quis genuit mihi istos? Ego sterilis et non pariens, transmigrata et captiva, et istos quis enutrivit? Ego destituta et desolata, et isti ubi erant? Hæc dicit Dominus Deus: Ecce levabo ad gentes manum meam, et ad populos exaltabo signum meum. Et afferent filios tuos in ulnis, et filias tuas super humeros portabunt. Et erunt reges nutritii tui, et reginæ nutrices tuæ; vultu in terram demisso adorabunt, et pulverem pedum tuorum lingent* (*Isai.* XLIX). In his verbis primo commendatur gloria libertatis, deinde dominationis. Ubi enim Dominus in manibus suis dicit se Sion descripsisse, nullius eam dominationi obnoxiam, nullius jugo depressam, nullius tributo ascriptam, sed sibi soli debere latriam ostendit. Licet enim suæ civitatis civibus dixerit: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo* (*Matth.* XXII); et Apostolus unus illorum structorum de quibus subjungitur: *Venerunt structores tui*

A (*Isai.* XLIX), eidem concinat, dicens: *Reddite omnibus debita: cui honorem, honorem; cui vectigal, vectigal; cui tributum, tributum* (*Rom.* XIII); tamen ab hujusmodi debitis liberos docet Dominus esse filios, dicens ad Petrum: *Reges gentium a quibus exigunt tributum: a filiis, an ab alienis?* Cui cum responsum esset a Petro, *ab alienis*, ait: *Ergo liberi sunt filii* (*Matth.* XVII). In hunc modum suæ civitatis cives velut filios Dei, et suos cohæredes a tributo Cæsaris liberos esse probat. Licet enim Cæsar universum mundum sub sua descriptione concluserit, et suam imaginem numismati suo impresserit; tamen *Domini est terra et plenitudo ejus; orbis terrarum et qui habitant in eo* (*Psal.* XXIII). Ejus quippe rectius dici debent omnia, qui *dixit et facta sunt, mandavit* B *et creata sunt* (*Psal.* XXXII) universa. Nam et quod Augustus hoc potuit, ex Dei ordinatione processit, quia *non est potestas nisi a Deo* (*Rom.* XIII). Cum ergo redduntur Cæsari, quæ sunt Cæsaris, Deo potius sua redduntur, ex cujus concessione sunt Cæsaris, cum tamen non tam ejus sint, quam esse dicantur sive putentur; et cum redduntur quæ Dei sunt Deo, etiam quæ Cæsari propter Deum redduntur, non tam Cæsari quam Deo exhibentur. Cui concinit prædictus structor, ubi ait: *Servi, obedite dominis carnalibus, sicut Christo; non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo; cum bona voluntate servientes, sicut Domino et non hominibus* (*Ephes.* VI). Ecce quomodo conveniunt descriptor C et structor. Quod si Cæsari, qui mundi descriptor tantum, non structor fuit, mundus obedivit, et suæ imaginis numisma recepit, quanto magis Christo suæ civitatis cives obedire, et ejus imagine insigniri debent ut liberi ab omni jugo ei soli serviant, qui in suis operibus velut in propriis manibus formam eis vitæ dedit et disciplinæ, et per apostolos et evangelistas suos, quasi per proprios structores, suam eis imaginem misericorditer impressit? Ipsi quippe merito structores ejus dicuntur, qui suis concivibus dicunt: *Imitatores nostri estote, sicut et nos Christi* (*I Cor.* IV). Ipsorum merita et exempla muri nostri sunt, qui coram oculis Domini semper esse dicuntur, quia eorum meritis ab eo protegimur D et munimur. Quod autem subjungitur: *Leva in circuitu oculos tuos, et vide; omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: et omnibus his velut ornamento vestieris, et circumdabis tibi eos, quasi sponsa* (*Isai.* XLIX), et cætera quæ sequuntur, omnia libertatis gloriam commendant; eo quod cives tam gratuito undique congregati, tam mirabiliter a Deo præordinati, dati, geniti, et enutriti, tamque multiplicati et magnificati, civitatem Sion glorificent et exornent; et quasi quædam vestimenta gloriæ similem eam faciant sponsæ, quæ, relicto patre et matre, et adhærens viro jam se in gloriam vindicat libertatis. Cætera quæ sequuntur quam manifeste exprimant gloriam dominationis, expositione non indiget, sed admiratione.

Quis enim non miretur, quis non delectetur audire, imo quis jam se vidisse non glorietur, a cunctis mundi partibus gentes ad Ecclesiam convolasse; filios Ecclesiæ in ulnis, et filias super humeros attulisse; reges nutritios, et reginas nutrices habuisse, vultu demisso in Ecclesia adorasse, et ad limina apostolorum et martyrum, aliorumque sanctorum intrantium et exeuntium pulverem labiis et lingua devotissime detersisse? Limina siquidem piscatorum reverenter deosculantur labia imperatorum. Ecce quanta est civitatis Sion gloria potentiæ ac dominationis, quæ non solum gentibus, sed etiam regibus et imperatoribus dominatur; imo servire ei reges et principes gloriantur; et ut plus aliquid dicatur, etiam dæmonia ei subjiciuntur, et potestatem a suo rege accipit calcandi super serpentes et scorpiones (*Luc.* x), quorum alii cauda pungunt, alii lingua, et super omnem inimici virtutem, quæ tota in his duobus, peccati scilicet suggestione et consummatione consistit. Dominatur etiam cæteris mundi visibilibus creaturis quibuslibet, de dono et gratia sui imperatoris, a quo audire meretur: *Terror vester et tremor sit super cuncta animantia terræ, et super omnes volucres cœli, cum universis quæ moventur in terra* (*Gen.* IX). Quod licet bonis et malis videatur esse commune, specialiter tamen bonorum est, qui non solum animantibus, sed ipsis etiam elementis potenti virtute leguntur imperasse; ita ut cœlum clausisse, solem fixisse, tempestuosum aerem et mare procellosum solo verbo serenasse inveniantur. Quibus specialiter a Paulo dicitur: *Omnia vestra sunt, sive Cephas, sive Paulus, sive Apollo; vos autem Christi* (*I Cor.* III). Merito quidem Christi esse debent, quibus Christus invisibilia omnia subjecit, et quos suæ civitatis cives conscripsit ad conregnandum, cum orbis Augusti dictus fuerit, qui eum non condidit, sed descripsit ad sibi serviendum. His de gloria dominationis breviter prælibatis, ad tractandum de laudis gloria transeamus. Eam siquidem beatus diffinit Augustinus, judicium hominum bene de hominibus opinantium. Et licet nostri cives de testimonio conscientiæ suæ potius quam de opinione hominum glorientur; tamen nec bonæ opinionis famam sibi deesse volunt, sed commendant se ad omnem conscientiam hominum, providentes bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus, testimonium habere volentes etiam ab his qui foris sunt, ut ex luce operum suorum non ipsi, sed Pater suus glorificetur, qui est in cœlis. Sciunt enim, quod laudando Patrem, nec ipsis laus deerit, sed secundum Salomonem dabitur eis de fructu manuum suarum, et laudabunt eos in portis opera eorum (*Prov.* XXXI). Fallacem siquidem gratiam et vanam pulchritudinem contemnunt, scientes quod mulier timens Dominum ipsa rectius laudabitur. Hanc laudis gloriam non vanam sed veram, non fallacem sive fugacem, sed stabilem, nolens Dominus suæ civitati deesse, multis eam labiorum monimentis inseri voluit, mittens

A ad eam depromendam prophetas, et sapientes, et Scribas; et, ne quid huic deesset gloriæ, gloriosos etiam reges David et Salomonem ad eam decantandam suo spiritu excitavit: quorum omnium, si dicta super hoc vellemus retexere, citius deficeret tempus, quam copia. Sed ut alios omittamus, sufficit tantum ad Salomonis laudes recurrere, quas, in typo civitatis nostræ de muliere forti legitur deprompsisse. Ibi quidem post multa, quæ in laudem ejus dicta inveniuntur, legitur: *Nobilis in portis vir ejus, cum sederit cum senatoribus terræ* (*Prov.* XXXI). Et illud, quod præmissum est: *Laudent eam in portis opera ejus* (*ibid.*). Aliæ siquidem sunt portæ, in quibus quæ apparent commendantur, aliæ in quibus non operum, sed conscientiæ testimonium requiri-
B tur ab illo qui cordium est inspector, qui ipsas justitias, cum ad judicandum sederit, judicabit; et ipsam Jerusalem scrutabitur lucernis, ubi justus vix salvabitur, et etiam prudentibus virginibus vix suum sufficit oleum, ut ex eo vel in modico fatuis virginibus valeant subvenire (*Matth.* XXV). In illis portis nostræ civitatis gloria manifestius apparebit. Ibi vir ipsius nobilitatis suæ gloriam revelabit. Surgent enim filii ejus, et beatissimam prædicabunt, et vir ejus laudabit eam (*Cant.* VI) dicens: *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas* (*Prov.* XXXI). In illis portis dabitur ei de fructu manuum suarum, quæ interim in aliis portis sine fructu laborare et operari videtur, et fructum non tam percipere, quam sperare, secundum illud:
C *Singulariter in spe constituisti me* (*Psal.* IV), juxta illorum opinionem qui in aliis portis dicturi sunt: *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem eorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est* (*Sap.* V). Portæ gloriæ erunt illæ, in quibus non solum a filiis, non solum a viro, sed et ab hostibus tam mirifice, tam gloriose civitas nostra laudabitur. Portæ vero justitiæ non incongrue dici possunt, in quibus interim ex operibus justitiæ collaudatur, de quibus in Psalmo legitur: *Aperite mihi portas justitiæ, et ingressus in eas confitebor Domino* (*Psal.* CXVII). Has justitiæ portas quatuor esse plurima doctorum scripta testantur. Prima est dolor compunctionis,
D secunda vox confessionis, tertia satisfactio operis, quarta est confessio laudis, vel gratiarum actionis. Hæ portæ diversis aperiuntur modis. Primo, cum per eas quid apud nos interius agatur, exterius hominibus aperitur. Revelatur siquidem vis doloris per lacrymas, victoria peccati per confessionis humiliationem; quia, sicut initium peccati superbia (*Eccli.* X), sic per humilitatem confessionis triumphatur de peccato; per satisfactionem operis ostenditur ardor fervoris, sicut de Maria Magdalena legitur (*homil.* XXXIII): « *Consideravit quod egerat, et noluit moderari quid ageret.* » Per gratiarum actionem apparet charitatis profectus, quæ quanto consummatior fuerit, tanto quietius et securius in Domino gloriatur.

Alter enim aperiuntur hæ portæ, cum vel ad prædicatoris vocem, vel per solam divinam inspirationem, corda peccatorum, quæ prius male in mundi concupiscentia obdurata, et cuilibet admonitioni clausa et obsecrata erant, ad pœnitentiam aperiuntur, et compunctionis dolore scinduntur; ita ut etiam digni pœnitentiæ fructus, qui sunt in confessione et satisfactione, remoto omni difficultatis repagulo subsequantur. Sic sibi Propheta portas justitiæ aperiri poscebat, ut ingressus in eas, id est ut ingressus eis confiteretur Domino, non in illis remanere volens, sed per eas ad hanc transire, de qua dicitur: *Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam* (*Psal.* CXVII). In illas enim peccatores intrant, in istam justificati a peccatis, quibus per Paulum dicitur: *Justificati a peccato, pacem habeamus ad Deum* (*Rom.* V); et qui cum Propheta dicunt Domino: *Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam* (*Psal.* LXX); quoniam *non est speciosa laus in ore peccatoris* (*Eccli.* XV). Ecce hæ sunt portæ justitiæ, per quas civitatis nostræ cives intrant ad gratiam, qui per quatuor præscriptas, quas principales diximus, intrant ad veniam. Bene autem illæ principales dicuntur, quæ ita sunt necessitatis, ut sine illis neque ad veniam, neque ad gratiam pertingatur; et ut duodecim, quas Ezechiel vidit in spiritu (*Ezech.* XLVI), portæ nostræ civitatis spiritualiter assignentur, sunt et quatuor portæ gloriæ, per quas ad patriam pervenitur, quarum tres merito duodecim apostolos dixerim, qui fidem sanctæ Trinitatis per quatuor mundi partes disseminaverunt, et mundo prima fidei rudimenta tradentes, doctrinæ Christianæ ei januæ exstiterunt. Sed et cum venerit Dominus judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem, creduntur portæ futuri ad Christum; portæ, inquam, claudendæ damnandis, aperiendæ salvandis. Per eas quidem quotquot ad fidem intraverunt, ad fidei præmium admittentur, ab eis judicandi; per eos Domino præsentandi, quorum uni a Domino dictum pro omnibus legitur: *Tibi dabo claves regni cœlorum; et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis* (*Matth.* XVI). Et illud: *Cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel* (*Matth.* XIX). Tunc suæ civitati in his portis nobilis apparebit vir ejus, cum gloriosus apparebit in sanctis suis, mirabilis in majestate sua. Tunc istarum portarum revelabitur gloria, quæ cum ad fidem intrantium frequentia premerentur, et comprimentium injuriis quassarentur, minime apparebat, quamvis nec tunc apostoli inglorii prorsus exstiterint. Neque enim mediocris erat gloria, quod in plateis ponebantur infirmi, et sola umbra Petri obumbrati ab incommodis omnibus sanabantur (*Act.* V). Nec solum Petri, sed et aliorum miracula si quis velit attendere, tantam gloriæ immensitatem nullus sufficiet admirari. Omitto alia gloriosa Dei dona, quibus ipse in eis voluit glorificari, quæ enumerans Apostolus dicit: *Alii datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum* (*I Cor.* XII), et cætera quæ sequuntur: quæ, si aliquis voluerit diligentius considerare, cogetur cum Apostolo exclamare: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei: quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus!* (*Rom.* XI.) Sed ne tanta altitudo gloriæ, et tanti spiritualium divitiarum thesauri jam finiendi sermonis angustia concludantur, melius alteri principio reservantur, ut ex novitate principii ad novitatem gloriæ corda legentium innoventur. Ipse autem semper Alpha et Omega sit nostri sermonis, qui initium est, etc.

TRACTATUS VIII.

DE GLORIA APOSTOLORUM.

De illa devotione et gloria, quæ apostolis quotidie a fidelibus exhibetur, aliquid jam dicendum videtur, quæ non solum præsentibus festiva gaudia de eis frequenter agentibus visu et auditu sufficienter est nota, sed etiam a patribus Veteris Testamenti per Spiritum prævisa, multifarie multisque modis prænuntiata est ab eis commendata. Ex quibus propheta David, ut cæterorum dicta omittamus, quæ longum esset retexere, in hanc vocem mirando legitur prorupisse: *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus; nimis confortatus est principatus eorum* (*Psal.* CXXXVIII). Quod cum etiam cæteris beatis assignet Gregorius dicens (*homil.* 27): « Ecce electi Dei carnem domant, spiritum roborant, dæmonibus imperant, virtutibus coruscant. Præsentia despiciunt, æternam patriam moribus et vita prædicant, eam moriendo diligunt, et ad eam per tormenta pertingunt. Occidi possunt, et flecti nequeunt, ita confortatus est principatus eorum: » specialiter tamen beatis congruit apostolis, qui præ cæteris sunt a Domino honorati, et potentiori principatu donati, sicut alibi idem Propheta ait: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii; constitues eos principes super omnem terram* (*Psal.* XLIV). Nunquid non nimis confortatus videtur principatus eorum, qui super omnem terram sunt principes constituti? Quis unquam terrenorum principum totam terram obtinuit, licet monarchiam dicantur aliqui tenuisse? Imo quis vel mediam ejus partem aut per se, aut per suos potuit peragrare? Beati vero apostoli ita sunt super omnem terram principes constituti, ut non solum jugum dominationis eorum nullus refugiat, quin potius nullus sit aut princeps aut subditus, qui non libenter ac gratanter ipsorum dominio devotus colla submittat, qui non eorum patrocinio gaudeat, qui non eorum suffragia reverenter exquirat. Nimis ergo potens ac fortis factus est principatus eorum. Satis potens est ille principatus, qui ita fortiter custodit atrium suum, ut in pace sint omnia quæ possidet, et de suis ab eo nullus possit aliquid violenter auferre; potentior vero, contra quem nullus

vel se vel sua possit defendere vel tueri; potentissimus vero, cui nec resistere potest creatura aliqua, nec nocere. Sed nimis ille confortatus est principatus, qui nec fine clauditur, nec infestatione aliqua molestatur. Sic confortandum principatum apostolorum sicque confortandas seras portarum nostrarum Propheta prævidens, mirando gloriabatur et gloriando mirabatur. Et, ne tantus principatus honore debito carere videretur, præmisit dicens: *Nimis honorati sunt amici tui, Deus* (*Psal.* CXXXVIII). Magnus quippe honor amico exhibetur, cum ad amici secreta consilia, et ad quælibet ejus arcana admittitur, sicut ait Dominus apostolis suis: *Vos autem dixi amicos, quia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*Joan.* XV). Et Propheta gratias agens Domino dicebat: *Incerta et occulta sapientiæ tuæ, manifestasti mihi* (*Psal* L). Major autem est honor, quando suo amico amicus communicando partitur; maximus, cum omnia sua illi committit, et omnibus eum præficit et præponit. Sic Pharao Joseph legitur honorasse (*Gen.* XLI), sic Nabuchodonosor Danielem (*Dan.* II), sic rex Assuerus Aman honorare volens, solium ejus posuit super omnes principes quos habebat, ita ut cuncti servi regis eum flectentes genua adorarent (*Esther* XI). Sed quia ille tanta abusus gloria diu in ea stare non potuit, illum permaximum vel nimium honorem dicere possumus, qui non momentaneus aut transitorius invenitur, cum eum quem suis omnibus præfecit, etiam adoptat in filium, et suum constituit hæredem. Sic Christus suos volens honorare amicos, cum factus ipse primogenitus in multis fratribus cohæredes habere voluerit, cæteris tamen fratribus et amicis beatos apostolos præferre voluit, quibus et specialiter dixit: « *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis, et ego dispono vobis regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo; et sedeatis super thronos, judicantes duodecim tribus Israel* (*Luc.* XXII). Breviter ista pertranseo, dans tantum occasionem sapienti, ut sapientior fiat. Sed forte minus sufficienter videbitur aliquibus assignatum, quod sub trium portarum numero duodenarium apostolorum diximus concludendum. Attendat ergo et aliud forte non contemnendum. Tribus siquidem modis apostoli in civitate Domini officium obtinent, et vicem portarum.

Primo siquidem nascenti Ecclesiæ portæ fuerunt ad fidem, quotidie proficienti portæ sunt ad justitiam fidei, tandem coronandæ ad justitiæ præmium portæ futuri. Quod non immerito in eo forte signatur, quod apostolicæ documenta doctrinæ tribus tantum scribendi modis distinguuntur: primo in Actibus apostolorum actuum et dictorum suorum historia texitur; secundo per epistolas nascentis Ecclesiæ commendantur virtutes, et vitia corriguntur; tertio quæ pœnæ maneant impios, et justos quæ præmia in Apocalypsi prophetatur. Ad idem quoque respicere videtur, quod triplex Principis apostolorum in Ecclesia festivitas celebratur: prima de cathedra, secunda de vinculis, tertia de triumpho. Audientes siquidem eum de persecutore, de mundo, de morte tam gloriose triumphasse, merito de tanta ejus virtute confidimus, ut quod nostris non possumus, tanti patroni meritis assequamur. Audientes autem eum duabus vinculatum catenis, diro carceri mancipatum, ad similia sustinenda pro justitia provocamur. Quid de apostolica dicam doctrina, quæ per Petri cathedram designatur, nisi quod toto orbe fide Christi repleto quatuor ipsius partes quatuor nihilominus pedibus suis cathedra ipsa concluserit? Quatuor siquidem modis coram regibus et principibus, populis et nationibus nomen Christi portando, verbo, moribus, miraculis, morte denique, ejus testimonium sunt confessi. His quatuor pedibus innitentes, talibus subnixam columnis, suam cathedram firmaverunt, sicut eis a Domino prædictum erat, testes ejus effecti in Jerusalem, et in Judæa, et usque ad ultimum terræ. Hæc est illa cathedra, in qua cum numerarentur, et nominarentur fortes David, primus absque nomine legitur sedens sapientissimus princeps inter tres, quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno (*II Reg.* XXIII). Ibi inter fortes David triginta nominantur, deinde tres fortiores, tandem tres fortissimi numerantur, quibus ipso David addito, in summa triginta et septem inveniuntur. In triginta fortibus bonorum conjugatorum exprimitur fortitudo, qui fortes in fide fortium operum multiplicatione, fidem in se Trinitatis vivere protestantur. Fides enim sine operibus mortua comprobatur. In tribus fortioribus fides continentium designatur, qui non solum luce bonorum ac fide non ficta sunt contenti; sed etiam cor purum et conscientiam bonam Domino exhibere contendunt: cor purum, ut nihil aliud, quam id quod diligendum est, diligatur; conscientiam bonam, per quam recte vivendo certa spe quod diligunt odoratur, quod et fide non ficta tenetur. Bona siquidem invisibilia, quæ fide non ficta tenemus, per spem bonæ conscientiæ odoramur, et per charitatem de corde puro gustamus (*I Tim.* I). His tribus, fide scilicet, spe et charitate, homo subnixus, easque inconcusse retinens non indiget Scripturis, nisi ad alios instruendos; ita ut multi per hæc tria sine codicibus in solitudine vixerint. Unde, sicut beatus ait Augustinus, jam in illis impletum esse videtur, quod dictum est: *Sive prophetiæ evacuabuntur; sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur* (*I Cor.* XIII); quibus tamen quasi machinis tanta fidei et spei et charitatis in eis surrexit instructio, ut perfectum aliquid tenentes, ea quæ sunt ex parte non quærant. Perfectum sane, quantum in hac vita potest. Ili adeo fortes fuisse dicuntur, ut inter cætera quæ fortiter egisse narrantur, etiam leones tres in diebus nivis percussisse ferantur. Quod non est aliud, quam quod de Daniele legitur quem in lacum missum leones minime nocere potuerunt (*Dan.* VI); quia iræ et tribulationis tempore, quod

est in die nivis et caliginis, vitia cum non solum A non subjugaverunt, sed ei potius divino sunt auxilio subjugata. Nam quod apud Danielem septem, hic tres tantum leones fuisse dicuntur, ita recte intelligitur, ut in septenario omnia vitiorum genera designentur, sicut septem dæmonia de Maria a Domino sunt ejecta, in tribus leonibus tria illa maxima, ex quibus cætera omnia oriuntur, superbia scilicet, luxuria et avaritia. Bene autem hæc tria leonum nomine exprimuntur; quia leo animal superbissimum, libidinosissimum, et voracissimum esse perhibetur. Merito igitur triginta fortibus tres isti fortiores dicuntur, quod et illos non latuit, qui Job tricesimum, Danieli fructum sexagesimum assignarunt. Sed quantumcunque Daniel fortem se B sentiat, nulla se ratione spirituali Noe audeat comparare; quia etsi docti juxta Danielem intelligendi, qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ futuri sunt in perpetuas æternitates, unde et eis solis fructus centesimus assignatur, quia frequenter doctoribus intelligere ex meritis subditorum conceditur, ad quod nec suis studiis, nec sua unquam contemplatione levantur. Merito igitur fortissimi David doctores intelliguntur, qui seipsos sibi abnegantes, omnibus omnia propter Christum fiunt, ut omnes lucrifaciant Christo, et omnia possint in eo, qui eos confortat Christus. Horum omnium primi et præcipui beati fuerunt apostoli, de quorum principe Petro dicitur, quod fuit in cathedra sapientissimus princeps inter tres. Nec ipsi sine causa, cum sint C duodecim, tres dicuntur, sed triplex in hoc doctorum officium innui nobis videtur. Primum est doctrinæ, secundum conversationis et vitæ spiritualis, tertium divinæ contemplationis. Hæc tria in illis tribus nobis sunt designata, quos Dominus seorsum ab aliis Apostolis assumens, secum duxit in montem et suam ei gloriam transfiguratus ostendit, Petrum loquor, Jacobum, et Joannem. In Petro doctrinæ gratiam specialiter expressam illud manifeste ostendit, quod ei soli dictum a Domino legitur: *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI). Et illud: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII). Illud quoque, quod vas de cœlo submissum ei est præostensum, et audire meruit a Domino, *Macta et manduca* (*Act.* X). In Jacob qui *luctator* interpreta- D tur spiritualis exercitii lucta intelligitur: quam sancti doctores non solum contra vitia luctando quotidie sentiunt, sed in ipsis spiritualibus exercitiis de hoc ad aliud transeundo sæpius experiuntur. Neque enim mediocri lucta est, sicut norunt, qui talia sunt experti, cum a dulcedine intimæ compunctionis, a sedulitate divinorum officiorum, a pervigili suorum circumspectione actuum, ad fraternæ compassionis curam et spiritualibus filiis debitam sollicitudinem ex pastoralis officii debito cogitur quis transire. Unde et talibus congruere videtur, quod dictum est: *Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima* (*Luc.* X). In Joanne qui supra pectus Domini in cœna recubuit, et cui revelata sunt secreta cœlestia, illud manifeste contemplationis genus exprimitur, quod specialiter doctoribus dari solet, ex divina tantum revelatione, potius quam ex humana meditatione aut investigatione. Tales fuerunt excessus Pauli, quos ipse commemorans, raptum hujusmodi hominem asserit, non deductum (*II Cor.* XII). Talis et illa Petri, cujus superius meminimus, de lintei visione; tales et Joannis revelationes, ex ipsa earum constat relatione fuisse. Licet autem singula horum trium in singulis trium prædictorum apostolorum emineant, tamen omnia ipsa tria plene atque perfecte in singulis eorum et omnium etiam cæterorum apostolorum fuisse credendum est. Recte igitur ipsi per tres fortissimos David intelliguntur, qui et fortes contra homines, et fortiores contra dæmones, fortissimi autem etiam contra Deum, orationibus iram ejus placando, et suis meritis ad misericordiam flectendo prævaluisse leguntur. Nec solum omnes in tribus, sed in ipso uno suo principe Petro omnes possunt intelligi, cum dicitur: « Sedens in cathedra, sapientissimus princeps inter tres. » Doctrina etenim apostolica, quæ et canonica dicitur, majori præ cæteris Romanorum scilicet pontificum atque doctorum non solum auctoritate, sed etiam sapientiæ luce præfulget. Unde nec nominatur sedens ille in cathedra, quia doctrina apostolica non ab eis, sed a Christo per Spiritum sanctum est eis inspirata: nec eorum, sed ejus potius est dicenda, qui eis, manens cum eis, repromisit dicens: *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, docebit vos omnem veritatem* (*Luc.* XXI); et alibi: *Cum steteritis ante reges et præsides, nolite præmeditari, qualiter respondeatis: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini* (*Matth.* X); et illud: *Dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri* (*Luc.* XXI). Quod et Paulus de se profitens ait: *Evangelium quod evangelizavi, non est a me, nec per hominem accepi illud, sed per revelationem Jesu Christi* (*Gal.* II).

Cathedra igitur Petri, Christi potius est, quam Petri; sed ascendens Christus ad regni solium, tribunal ei, sive thronum judiciariæ potestatis promisit, cathedram doctrinæ Christianæ commisit: et licet ab apostolicæ doctrinæ cathedra sacri succedentium Romanorum pontificum canones, et ecclesiasticorum doctorum sapientissima documenta non discrepent, nulla tamen ratione eidem cathedræ coæquantur, sed velut scabellum pedum cathedræ cohærentia, ei semper humiliter obsequuntur, et in medio eorum Petrus sedet, præsidens auctoritate sapientissimus divinæ revelationis illustratione, princeps gratiæ et magnificentiæ potestate. Audiamus, quid aliqui Romanorum, quidque præcipui doctorum ecclesiasticorum super hoc sentiendo professi sunt. Ait Gelasius papa (*in synod.* 70 episc.): « Sancta Romana Ecclesia post illas Veteris et Novi Testamenti Scripturas, quas regulariter suscipimus, etiam has suscipi non prohibet: sanctam synodum

(*ibid.*) De innovante : *Spiritum rectum innova in* A *visceribus meis* (*ibid.*). Restat porta australis, quam non immerito dixerim sacramentum altaris : ubi non jam oleum demulcens ægrotantem, sed panis confirmans et vinum lætificans triumphantem. Unde legitur in propheta : *Qui habitatis terram austri, cum panibus occurrite fugienti* (*Isa.* XXI). Fugere de civitate Domini virtutum disponit, quisquis ad carnis suavia, ad mundi prospera, non contra ea pugnaturus, sed eis abstractus et illectus accedit ; quod illis specialiter solet contingere, qui divini panis inedia afflicti, quia panes sanctificatos contingere non præsumunt, ad panes laicos se convertunt. Neque enim panes sanctificatos contingere permittuntur, nisi qui mundi fuerint, maxime a mulieribus, id est carnalibus deliciis. Qui igitur B terram austri inhabitant, quorum hortum auster frequenti perflat visitatione, ut educat panem de terra eorum, merito fugientibus cum panibus præcipiuntur occurrere ; ut pane vitæ et intellectus refocillati, manere in civitate, et locum suum studeant retinere. Merito igitur portam australem Eucharistiam dicimus, quæ specialiter carnis illecebris opponitur ; et cujus virtutem, qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis sæpius experiuntur (*Hebr.* XIII). Ipsa siquidem est altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo carnis deserviunt. Unde et extra castra Christus pati voluit, ut quisquis de castris Babylonicæ civitatis fugiens ad castra nostræ civitatis C vellet redire, passionem ejus portam haberet, et per eam in civitatem haberet regressum : si quis autem de nostra ad illam vellet transire, eamdem passionem inveniret obstaculum. Hæ sunt portæ civitatis Christi, de quibus dicit Propheta : *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob* (*Psal.* LXXXVI). Ubi Jacob, non Israel ponit, et tabernacula Jacob non Israel, dicit. Videtur nobis innuere, se de illis tabernaculis loqui, quæ mutanda, et finem habitura essent ; sic nomen Jacob in Israel est mutatum, ita quod nec vocari Jacob ultra deberet, dicente Domino : *Nequaquam vocaberis Jacob, sed Israel erit nomen tuum* (*Gen.* XXXII). Sicut autem Israel longe dignius et melius nomen, quam Jacob, secundum suam interpretationem esse cogno- D scitur, eo quod Jacob *luctator*, et Israel *videns Deum*, dicatur ; et longe melius sit Deum videndo quiescere, quam Deum quærendo luctari : sic incomparabiliter meliora et digniora sunt sacramenta præsentis Ecclesiæ, quam tabernaculum et cæremoniæ veteris Synagogæ. In illis enim umbra, in his veritas ; in his stabilitas, in illis antiquatio et vetustas. Unde Apostolus : *Holocautomata et pro peccato non tibi placuerunt ; tunc dixi : Ecce venio. Dicens, quia hostias, holocausta, et oblationes noluisti, tunc dixi : Ecce venio, ut facerem voluntatem tuam, Deus ; aufert primum, ut sequens statuat* (*Hebr.* X). Merito igitur diligere dicitur Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob, cum illa nec dilexisse dicatur. Unde nec ei placuisse Apostolus prophetæ consonans, et prophetam approbans asserit. Sacramenta vero Ecclesiæ adeo diligere cognoscitur, ut per sacramentum baptismatis velut per portam orientalem introducat ad patrem. O quantum diligendæ, quantum attollendæ, quantum venerandæ sunt a nobis hæ portæ, quas non ob aliud diligit et frequentat Rex gloriæ, nisi ut per eas intrantes omnes faciat gloriosos. Quisquis enim de luce ad illum vigilaverit assidentem eum foribus istis inveniet. Bene autem Sion nominatur, cujus portæ tantum a Domino diliguntur. Sion enim *speculatio* dicitur, quia jam non figurarum umbris, sed per sacramentorum veritatem velut per quasdam portas, adhuc tamen clausas, futuræ suæ beatitudinis gloriam speculatur. Sed quia ex portarum speculatione et civitatis nominatione magis ac magis cœpit nobis ejus notitia relucere, non est ipsius nominationis discussio in transitu percurrenda, nec jam finiendi sermonis angustiis coarctanda. Alterius igitur principio reservetur, quæ ad alicujus secreti speculationem nos invitare videtur. Ipse autem semper Alpha et Omega sit sermonis nostri ; qui universorum est principium et finis, et sine principio et fine manet in sæcula sæculorum. Amen.

TRACTATUS VI.

DE NOMINE CIVITATIS DEI.

Cum propheta mente excessisset Deo, volens sobrius nobis fieri, et quæ in excessu suo viderat, fideliter aperire : descriptis fundamentis, et commendatis portis civitatis Domini virtutum, quo nomine censeri eam audierit, postmodum non dicit. Sciens enim quod ex re nomen imponi soleat, et ex nomine res agnosci, cum a multis aliis prophetis qui de eadem gavisi sunt visione, diversis sit vocabulis nuncupata : ipse illud magis ponere voluit, quod proprietati intellexit civitatis potius convenire. Isaias siquidem hujus civitatis nomen exprimere volens, nec satis prout volebat, valens, dicebat : *Non vocaberis ultra derelicta ; et terra tua non vocabitur amplius desolata. Sed vocaberis voluntas mea in ea* (*Isa.* LXII). Et ibidem : *Vocabitur*, ait, *tibi nomen novum, quod os Domini nominavit* (*ibid*). Alii quoque prophetæ alia atque alia de nuncupatione istius civitatis scripsisse inveniuntur. David brevi volens uti compendio, Sion eam nominat, ut ad speculandam, et diligenter perscrutandam ipsius gloriam et virtutem audientes invitet. Unde et in alio Psalmo : *Circumdate Sion, et complectimini eam ; narrate in turribus ejus. Ponite corda vestra in virtute ejus* (*Psal.* XLVII). Circumdate perscrutando, complectimini desiderando, narrate collaudando. Et ne videatur sufficere, exteriora quoque, fundamenta scilicet, muros ac mœnia, turres ac portas intueri : *Ponite*, ait, *corda vestra in virtute ejus ;* ut non tam gloria civitatis, quam virtutis attendatur, quia fallax omnis gloria, quam virtus non parturivit. Nos igitur virtutem ac proprietatem hujus nominis attendentes, non quæ exterius videntur, sed quæ interius latent,

non posse inferre præjudicium, asseramus. » Sed ne, quæ dicta sunt de cathedra, æmuli cathedræ de sermonis prolixitate corrodant, cum multa adhuc de ea occurrant, alio ea principio reservamus, ut modica interim quiete relevati, ad ea quæ dicenda sunt alacriter accedamus. Ipse autem alpha et omega sit sermonis nostri, qui omnium princ. etc.

TRACTATUS IX.

DE CATHEDRA PETRI ITERUM.

Nec mirari debet aliquis, nec moveri, si circa civitatis nostræ portas diutius immoramur, vel si de portis tractaturi, de cathedra prolixius disputamus. Solent enim juxta portas plateæ inveniri, in quibus solent sapientibus cathedræ præparari, ut de ipsis secundum Salomonem foras fontes sapientiæ deriventur; et in plateis spiritualium aquarum rivuli dividantur (*Prov.* v). Sic quippe Job ad portam civitatis procedenti, sicut ipse testatur (*Job* xxix), in platea cathedra parabatur, ubi videntes eum juvenes abscondebantur, et senes assurgentes stabant, auris audiens beatificabat eum, et oculus videns testimonium reddebat ei. Non ergo mirum, si et nos inventa latiori planitie Scripturarum, circa portas gloriæ aliquantulum evagamur, et more ludentium in plateis de portis ad cathedram, de cathedra ad scabellum, de scabello ad tapetem pictum ex Ægypto saltum damus, ne forte improperari nobis possit a patribus illud Evangelicum : *Cantavimus vobis, et non saltastis* (*Matth.* xi). Cantatum siquidem nobis jucunde et mirabiliter est in libro Regum de fortibus David; et descripta nomina eorum simul et opera in typo apostolorum quibus dictum est : *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælo* (*Luc.* x). Nam quod primi eorum nomen non edicitur, illud forte significat, ut quisquis ad doctrinæ officium et cathedram pastoralem assumitur, nomen sibi facere non studeat, sed etsi nomen juxta nomen magnorum qui sunt in terra habuerit, in eo non gaudeat, sed in eo, si nomen suum scriptum in cœlo esse confidat, dicens cum Propheta Domino : *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (*Psal.* cxiii). Sic sic nomen Domini, non suum, sanctificari semper postulet et exoptet. Hinc est quod Romanus pontifex, qui Petri successor est in terris, quando instituitur, nomine pristino deposito, alicujus sanctorum prædecessorum suorum nomine insignitur, ut jam non communem hominum vitam aut conversationem ducat, sed mutatus in virum alterum non jam sit qui fuerat, et de numero sanctorum effectus, cum Apostolo dicat : *Vivo ego, jam non ego; vivit vero in me Christus* (*Galat.* ii). Sic quippe Petrus in signum sui principatus, solus inter alios a Domino nomen accepit, per quod non tam ipse, quam Christus agnosceretur : qui, cum petra dictus sit, a petra Petrum denominavit, dicens : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* xvi). Merito proinde Petrum præfiguravit ille primus fortium David; non solum in eo

A quod nomen ejus non ponitur, sed et in eo quod sedisse in cathedra, et sapientissimus fuisse inter tres, quasi tenerrimus ligni vermiculus, et octingentos occidisse uno impetu perhibetur (*II Reg.* xxiii). De cathedra autem Petri et sapientia satis jam dictum esse videtur.

Sed si adhuc alia de ea audire delectat, tres in Scripturis cathedras specialiter legimus commendatas, cathedram Moysi, cathedram Elisei, et cathedram Petri. De prima legitur : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi* (*Matth.* xxiii). De secunda, quod fecerit mulier Sunamitis Eliseo cœnaculum parvum, in quo constituit ei lectum, sellam, mensam et candelabrum (*IV Reg.* iv). De tertia : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo*
B *Ecclesiam meam; et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cælorum* (*Matth.* xvi). Cathedra igitur Moysi, doctrina fuit legis; sella Elisei, doctrina prophetica; cathedra Petri evangelica et apostolica est doctrina. Doctrina legis justitiam carnis imposuit, sicut Apostolus ait : *Non potest lex juxta conscientiam perfectum facere servientem; solummodo in cibis et potibus, et justitiis carnis usque ad tempus correptionis impositis* (*Hebr.* ix). Hæc justitia carnis erat in hostiis et muneribus, et variis baptismatibus : quæ, licet secundum conscientiam perfectum non possent facere servientem, secundum legis tamen justitiam justi dicti sunt multi, etiam coram Domino, incedentes in mandatis et justitiis legis sine querela. Sic enim
C de Elisabeth et viro ejus Zacharia etiam in Evangelio legitur (*Luc.* i). Doctrina prophetica justitiam non recte offerendi, sed recte operandi indixit. Unde Isaias : *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum dicit Dominus? plenus sum. Ne offeratis ultra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi. Neomenias, et Sabbata, et festivitates alias non feram. Manus vestræ sanguine plenæ sunt. Lavamini, mundi estote, quiescite agere perverse, discite bene facere. Quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam; et venite, et arguite me, dicit Dominus* (*Isai.* i). Ecce doctrina prophetica primo victimarum et holocaustorum, et cæremoniarum carnalium vanam spem et fallacem fiduciam tollit; secundo quiescendum a perverso opere
D præcipit; tertio bene agere discendum indicit; quarto quæ inter bona opera sint potentiora et saluti viciniora, edicit. Huic omnis concinit prophetia, hoc omnes prophetæ persuadere intendunt, ut declinent perversi a malo, et faciant quod bonum est. Hæc Elisei sella, quæ licet et inculta, et sermone obscuro velut ex rudi et impolita materia contexta videatur, solida tamen et firma, atque immobilis invenitur, juxta verbum Principis apostolorum dicentis : *Habetis firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco* (*II Petr.* i). Ecce cathedra Petri sellam Elisei aut cathedram Moysi non evertit, sed velut eis supereminens quasi firmissimis columnis innixa subsistit. De lege enim ait : *Non veni*

solvere legem, sed adimplere (*Matth.* v). De prophetis : *Incipiens*, ait, *a Moyse et prophetis, interpretabatur eis, quæ de illo scripta erant* (*Luc.* xxiv). Huic etiam concinit, quod Moyses et Elias cum Christo loquentes apparuerunt in monte. Inter hos igitur cathedra Petri medium obtinet locum, velut dignior et superior, et quæ illi merito sessori congruat, qui sapientissimus dicitur inter tres. Sicut enim cathedra Petri prædictis duabus constat esse superiorem, ita et Petrum in sapientia tanquam Christi vicarium, et primum fortium David, constat fuisse sublimiorem. Ejus siquidem sapientia non solum carnis justitiam, sicut Moyses, nec solum operis rectitudinem, sicut sermo propheticus, sed cordis munditiam requirendam, agnovit et docuit, dicens, sicut ex ore Veritatis didicerat, et acceperat prædicandum : *Mundate prius quod intus est calicis vel paropsidis; et quod exterius est, mundum erit* (*Matth.* xxiii). Et illud : *Non quod intrat in os, coinquinat hominem; sed quod exit*, et cætera. *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia* (*Matth.* xv), et cætera quæ sequuntur. Illud quoque : *Audistis, quia dictum est antiquis : Non occides* (*Matth.* v), et cætera. In his et aliis multis, quæ silva nobis evangelica et apostolica profert, docemur, non solum illicitos actus, sed etiam petulantes corporis motus, et irrationabiles cordis affectus cohibere. Merito igitur sapientissimus inter tres dicitur, qui perfectissimus inter eos quos prædiximus, perfectioris vitæ, et abundantioris justitiæ præcepta noscitur edidisse. Ut autem hujus sapientissimi cathedræ dignitas seu firmitas plenius innotescat, quot et quibus nitatur pedibus, intendamus.

Tres siquidem ipsius pedes Dominus in Evangelio videtur expressisse, ubi discipulis aiebat : *Nonne hæc scripta sunt in lege, et prophetis et psalmis de me* (*Luc.* xxiv) : ubi legem, prophetas et psalmos, de se dicit testimonium perhibere, ut scilicet oporteret eum pati et resurgere a mortuis die tertia, et prædicari Evangelium in omnes gentes (*ibid.*). Ibi legem, prophetas, et psalmos, Evangelio probat astipulari, et eis velut tribus stipitibus Evangelium niti. Quibus ut quartus stipes addatur, junguntur prædictis Scripturæ quæ hagiographæ nuncupantur; sicut sunt, liber Job, Salomonis, Daniel, et alii qui non minus manifeste quam cæteri Christum prænuntiando prophetant. Vel si inter hagiographa psalmos juxta Hieronymum computamus, possumus quartum pedem dicere, scripturam illam, quam idem Hieronymus apocrypham nominat, scilicet librum Sapientiæ, Jesu filii Sirach, Tobiæ, Judith, Machabæorum, in quibus nihilominus invenimus Christi et apostolorum tempora præsignata. In his omnibus Scripturis Veteris Testamenti si sensus spiritualis requiratur, ut eliciatur mysticus intellectus, invenietur non minus mirabiliter, quam decenter tenerrimus ille ligni vermiculus de quo statim post cathedram subinfertur. Quid enim vermiculo illi similius spirituali intellectu? Vermiculus

A siquidem ille ex aliquo ligni humore velut ex quadam occulta ipsius materia et accidentali calore secreta quadam vi naturæ exterius adhibita procreatur. Hic spiritualis intellectus ex duritia litteræ tracta similitudine quasi quodam humore reperto, et calore Spiritus sancti animum inspicientis inflammante pariter et illustrante, velut quodam sole aerem accendente extruditur. Hic velut tenerrimus ligni vermiculus quidam non violentia utens alicujus percussionis, sed vicem obtinens unctionis, litteræ duritiam occulta quadam et subtili examinatione inflectendo emollit; animum quoque inspicientis quadam vi voluntaria demulcendo compungit. Hunc vermiculum Paulus in cordibus auditorum suorum procreari volebat, cum diceret : *Littera occidit,* B *spiritus vivificat* (*II Cor.* iii). Petrus quoque id ipsum aliis verbis exprimit, dicens : *Omnis prophetia propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines* (*II Petr.* i). Ac si diceret : Si juxta propriam interpretationem verba prophetica accipitis, ligni, imo lapidis potius duritiam, quam intelligentiam capietis. Si autem Spiritu illo ducimini, quo fuerunt prophetæ inspirati, in eorum verbis Spiritum et vitam invenietis, et ex eis ipsi etiam vobis vitam comparabitis, ut more teredonis sermo Dei in vobis operetur, et si non cito gressu, jugi tamen conatu quidquid in vobis durum est emolliens, et in similem sui commutans qualitatem. Hoc igitur teredone C duce rimemur cætera, quæ in eadem littera subjunguntur, ut ex eis vitale aliquid ipsi percipientes tenerrimi illius vermiculi eximiam virtutem mox in nobis experiamur. Sequitur ergo, quod occiderit hic sapientissimus octingentos impetu uno (*II Reg.* xxiii). Quid, quæso, utilitatis ex littera ista, cum legitur, fidelibus provenit; qui non solum occidere, sed etiam sine causa irasci homini prohibentur? Sed veniens Spiritus Domini, qui ut hæc scriberentur inspiravit, et qui in corde scribentis velut tenerrimus vermiculus quidam reconditus etiam hoc litteræ sibi reconditorium præparabat, jam nobis in lucem prodeat, et omni duritia et obscuritate remota, quid in hoc facto voluerit præfigurari, declaret. D Primo siquidem salvo altiori mysterio, si corpoream hujus fortitudinem spirituali Petri comparemus virtuti, incomparabiliter Petri inveniemus virtutem excellere, qui non solum octingentos, sed etiam tria millia hominum uno sermonis sui impetu una die baptizatos mundo legitur occidisse. Sed et octingentos uno impetu occidit, cum in Simone omnes Simoniacos condemnavit, dicens : *Pecunia tua tecum sit in perditione* (*Act.* ii); *quoniam donum Dei existimas pecunia possideri* (*Act.* viii). Quasi diceret : Gratiam Spiritus sancti quæ septenario designatur, ad octonarii quæstum voluisti transferre, quæstum æstimans pietatem. Sed *non est tibi pars, neque sors in sermone isto. In felle enim amaritudinis, et obligatione iniquitatis video te esse* (*ibid.*),

dum octonarium rerum mundanarum, quæ per A quatuor mundi partes ex quatuor elementis subsistunt, multiplicare contendis, et gratiam septiformis Spiritus, quæ amaritudinem aut tædium nullum habet, venalem reputando contemnis. Octingentos quoque uno impetu sermo apostolicus occidit, cum hæreticos quosque ab Ecclesia condemnando præcidit. Sic Nicæna synodus in Ario Arianos omnes una sententia condemnavit, Constantinopolitana in Macedonio omnes Macedonianos, Ephesina Nestorianos in Nestorio, Chalcedonensis Eutychianos in Eutyche uno gladii spiritualis ictu peremit: quod hodie quoque per totum orbem Petri gladius facere non desistit, cum juxta prophetam carnes devorare non desinit (*Deut.* XXXII), carnalium hominum vitia vel corrigens, vel præcidens. Ecce hic B gladius carnalibus invenitur asperrimus, spiritualibus tenerrimus; sedentibus in cathedra, et eum de ipsa vibrantibus splendidissimus reperitur.

Hæc autem sunt, quæ sedentibus in cathedra spiritualiter præ cæteris congruunt, scilicet lumen discretionis, zelus rectitudinis et affectus pietatis. Secundum ista pro variis subditorum meritis gladium verbi Dei circa impios oportet variari. Unde beatus Benedictus, qui justorum omnium spiritu plenus fuisse legitur, qualis debeat esse pastor in Regula sua describens, ita ait (cap. 2): « Oportet eum esse doctum lege divina, ut sciat unde proferat nova et vetera. » Et in sequentibus: « Obedientes et mites ut in melius proficiant, obsecret. C Duros vero corde et improbos ut durius increpet et corripiat, admonemus. » Spiritus quoque sanctus in igne super apostolos apparens, hæc spiritualiter visus est figurasse. Ignis enim lucis habet splendorem, caloris suavitatem, urendi asperitatem. Eadem etiam in tribus animalium faciebus designata videntur, ut qui officium pastorum suscipiunt, et vice animalium Ecclesiæ murum trahunt, faciem leonis exhibeant perversis, faciem hominis simplicibus et mansuetis, faciem aquilæ spiritualibus et eruditis (*Ezech.* I). Sic Paulus faciem aquilæ assumens, sapientiam loquebatur inter perfectos; facie hominis utens lac potum parvulis propinabat; flebat cum flentibus, gaudebat cum gaudentibus (*Rom.* XII). Faciem vero leonis, quoties oportuit, D semper tamen coactus induens, Corinthium tradidit Satanæ in interitum carnis; in promptu habuit ulcisci omnem inobedientiam, et omnem altitudinem extollentem se adversus Christi scientiam dejicere non dubitavit. Sicque his faciebus vicissim, et absque confusione uti novit, ut nec plus habens de leone, minus habere voluerit de homine; vel plus habere volens de homine, minus habuerit de leone; vel utriusque horum deposita facie totus aquila voluerit apparere. Hac quoque discretione usus beatus papa Gregorius alios etiam uti docebat, dicens (homil. 32): « Compassionem quippe homini, rectitudinem vitiis debemus, ut in uno eodem homine et diligamus bonum quod factus est, et persequamur malum quod fecit, ne, dum culpas incaute remittimus, non jam per charitatem compati, sed per negligentiam condescendisse videamur, » id est non tam hominem homini, quam bovem exhibeamus. Sed si bovinum aliquid sanctis inesse dicere videamur, non eis bovinæ tarditatis vitium assignemus, sed quam sit aptum hoc animal divinis sacrificiis, attendamus. Hujus ergo animalis faciem soli Deo, non homini exhibemus, cum in ara cordis nos ipsos divinis oculis immolamus, et hanc faciem sibi in Canticis dilectus præcipit exhiberi, dicens: *Ostende mihi faciem tuam* (*Cant.* II). Ac si dicat: Hanc tuam reputo, quam tibi formas de tuo, quia in te materiam infirmitatis et culpæ causam invenis, unde merito compungaris; et hanc mihi soli ostendi volo, qui solus remedium infirmitatis conferre valeo, solus culpam abolere sufficio.

Nec videri debet contrarium huic sensui, quod sequitur: *Nam facies tua decora* (*ibid.*). Quanto enim est quæque anima sibi amplius indecora, tanto oculis sponsi speciosior apparet. Has facies beatus Benedictus prælatos subditis exhibere docebat, cum diceret (*Regul.*, cap. 28): « Si delinquenti fratri abbas adhibuit fomenta, si unguenta adhortationum, » quod est faciem hominis exhibere; « si medicamina divinarum Scripturarum » quod est faciem aquilæ, « si ad ultimum plagas virgarum, exustionem excommunicationis, » quod est faciem leonis; « exhibeat tandem quod majus est, suam et suorum orationem, » quod est bovis faciem adhibere. Et licet in hunc modum hæ facies exhibeantur proximo, specialiter tamen facies bovis orando, et facies aquilæ contemplando debentur Deo, facies leonis, et facies hominis proximo. Unde et hæ duæ, hominis scilicet et leonis non incongrue exprimuntur in illis duobus fortibus David, qui primo ipsorum fortium subnectuntur. Leonis siquidem faciem prima facie nobis Eleazarus et re et nomine repræsentat, in eo quod dicitur percussisse Philisthæos, donec obrigesceret manus ejus cum gladio (*II Reg.* XXIII). Quid est enim obrigescere manum cum gladio, nisi absque ulla remissione zelum justitiæ contra peccata et vitia inflexibiliter exercere, et velut in virga ferrea vel regendo subditos, vel motus illicitos comprimendo leonis insuperabili uti severitate? Sed ad hoc agendum opus est Dei adjutorio, quod Eleazarus sonat, nec tam de propria virtute, quam de Dei est auxilio confidendum, ut dicat qui hujusmodi est: *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo* (*Psal.* CXVII). Nihil enim, secundum apostolum, *nocere nobis poterit, si boni æmulatores fuerimus* (*I Petri* III). Sed caveat Eleazarus ne, dum leonis exercet severitatem, leonis incurrat austeritatem. Ista enim, si adsit, odibilem, illa si desit contemptibilem reddit. Unde in Ecclesiastico legitur: *Non sis quasi leo in domo tua, evertens domum tuam, et opprimens subditos tibi* (*Eccli.* IV). Econtrario legitur de Juda Machabæo: *Similis factus est leoni in operibus suis, et persecutus est iniquos*

perscrutans eos; et qui conturbabant populum suum succendit flammis. Et repulsi sunt inimici præ timore ejus, et exacerbabat reges multos, et lætificabat Jacob in operibus suis. Et directa est salus in manu ejus, et congregravit pereuntes (*I Machab.* III). Sic et de hoc Eleazaro dicitur, quod facta per eum salute magna, populus qui fugerat reversus est ad cæsorum spolia detrahenda. Ecce quantum prodest populo facies leonis in magistro. Sicut enim ubi non est gubernator, populus corruit; et, sicut væ terræ cujus est rex puer, et cui effeminati dominantur, sic dissipat impios rex sapiens, et curvat eos fornice. Roboam siquidem dominante, populus sub David congregatus dividitur (*III Reg.* XVI); Juda vel Eleazaro triumphante qui perierant congregantur; et qui fugerant, ad cæsorum detrahenda spolia revertuntur (*II Reg.* XXIII). Sequitur in fortibus David Eleazarum Semmaa, de quo legitur, quod cum fugisset populus a facie Philisthiim, stetit ille in medio agri lente pleni, et tuitus est eum, percussitque Philisthæos, et fecit Dominus salutem magnam (*ibid.*). Semmaa *iste audiens* interpretatur: in quo aperte faciem hominis intuemur, cum prælatum cernimus aures propitias subditis inclinare, clamorem pauperum efficaciter exaudire, vociferantem eripere de manu fortiorum, egenum et pauperem a diripientibus eum (*Psal.* XXXIV). Sed ne in hoc Semmaa, vel in porta undecima, propter undecim saga cilicina, et undecimum psalmum, qui sanctitatis defectum deplorat, diminutionem aliquam suspicemur, sub altero principio factum ejus subtiliter indagemus. Ipse autem semper alpha et omega sit sermonis nostri, qui universorum principium est et finis; et sine principio et fine permanet in sæcula sæculorum.

TRACTATUS X.

DE TRIBUS PRÆLATORUM ORDINIBUS, ET CLERI SUPRA POPULUM EXALTATIONE.

Ad portam undecimam accessuri, priusquam agrum lente plenum, quem Semmaa in ea tuetur, intremus, libet intueri in his tribus robustis fortium David, per quos prælatos diximus designari, tres distincte expressos ordines prælatorum: qui sicut hodie in Ecclesia distinguuntur, ita et apud ethnicos, apud Judæos, et in Novo Testamento a Domino invenimus distinctos. Apud gentiles quidem simplices sacerdotes templorum flamines, majores archiflamines, maximi protoflamines. In Veteri quoque Testamento summi sacerdotes in anno semel in Sancta sanctorum introibant. Minores sacerdotes quotidie tabernaculum intrantes sacrificia consummabant. Hi quoque levitæ velut minimi subserviendo ministrabant. In Novo autem Testamento Jacobus, Cephas et Joannes, qui secundum Apostolum columnæ erant aliorum, dextras dederunt Paulo (*Galat.* II). Dominus quoque Petrum, Jacobum et Joannem assumens duxit in montem excelsum, et ostendit illis gloriam suam (*Matth.* XVII). Istorum vice hodie in Ecclesia sunt primates et archiepiscopi instituti, vice aliorum apostolorum episcopi. Fuerunt etiam præter apostolos et alii septuaginta duo a Domino designati, et missi in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus: quibus specialiter dictum est ab eo: *Ecce ego mitto vos, sicut oves inter lupos* (*Matth.* X). Loco istorum sacerdotes hodie plebibus præferuntur, quos Semmaa iste proprie designare videtur, sicut et superiores ordines duo præmissi forte manifeste demonstrant. Primates et archiepiscopos primus sedens in cathedra, qui et sapientissimus asseritur; quia quanto sunt cæteris superiores, tanto et esse convenit sapientiores. Nam et aquila quæ aliis avibus dicitur præeminere, clarius etiam omnibus oculos noscitur infixos luci tenere. Episcopos Eleazarus, qui rigidissimus fuit, sicut et ille sapientissimus. Nam, sicut leo cæteris bestiis fortitudine noscitur præeminere, sic episcopos rigidiores minoribus sacerdotibus, et constantiores convenit apparere. Minoribus quippe, quibus dictum est: *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos* (*Luc.* X), pietas specialiter congruit, et mansuetudo, ut nulla seditiosarum plebium inquietudine, nulla improbitate ad rancorem vel odium provocentur; sed, sicut agni mansuetissimi luporum rabiem sustinentes, illum qui sicut ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se obmutuit (*Isai.* LIII), infatigabiliter imitentur. Attendant subtiliter factum Semmaa, in quo quid eis agendum sit, plenius edocentur. Ipse siquidem agrum lente plenum a Philisthæis tuitus esse perhibetur. Quis iste ager est, nisi vita terrena, cujus agri Cain primo, deinde Esau factus est agricola? Econtra Abel pastor ovium, Jacob vir simplex habitans in tabernaculo (*Gen.* IV; *Gen.* XXV). Bene in Abel, qui primus obtulit et oblatus est sacrificium Deo; et in Jacob, qui primus unxit lapidem, et erexit in titulum, fundens oleum desuper, nostrum est sacerdotium præfiguratum, quod his duobus sacramentis, incorruptibilis scilicet hostiæ immolatione, et sacri chrismatis delibutione specialiter noscitur institutum. Specialius tamen in Jacob, qui etiam decimas offerendo, et in duorum hædorum morte, tanquam in gemina carnis, scilicet et spiritus petulantiæ mortificatione, et proprii nominis alteratione, ea quæ hodie in Ecclesia obtinent, velut historialiter noscitur expressisse. In Cain vero et Esau terrenus est populus recte præfiguratus, quorum primus invidia et odii fraterni scelere tabefactus a facie Domini est ejectus; alter, dum venatur in agro, domi est supplantatus a fratre, et oppido lassus de agro reversus libenter primogenita dedit pro rufa lenticulæ coctione.

Non mirentur sacerdotes, cum vident hodie laicos invidiæ stimulis agitari; timeant autem laici, qui tales se sentiunt, a facie Domini se cum Cain expelli. Sed et si se a lumine divinæ sapientiæ experiuntur ejectos, non tamen ad laqueum desperationis recurrant, sed Deo humiliter subjecti ab

iniquitate declinare contendant. Non autem conturbentur et doleant cum sint priores natu, si clerum sibi conspiciunt præeminere; sic quippe futurum Dominus præordinavit, et præordinatum in Jacob et Esau præsignavit. Isaac siquidem, cum benediceret Jacob, Domino inspirante, sic ait: *Det tibi Deus de rore cœli et de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini et olei, et serviant tibi populi, et adorent te tribus. Esto dominus fratrum tuorum, et incurventur ante te filii matris tuæ. Qui maledixerit tibi, maledictus erit, et qui benedixerit benedictionibus repleatur* (*Gen.* XXVII). Econtrario dictum est Esau: *In pinguedine terræ et in rore cœli desuper erit benedictio tua. Vives in gladio, et fratri tuo servies* (*ibid.*). Ecce quam manifeste statum utriusque, cleri scilicet et populi Christiani Spiritus sanctus in his verbis expressit. Clero siquidem non solum rorem cœli, sicut quidam blasphemant, sed et de pinguedine terræ abundantiam pleniorem concessit. Servitutem etiam populorum, adorationem tribuum, et dominationem fratrum suorum, et incurvationem expressit: in quibus omnibus, non latriam, quæ soli Deo debetur, sed duliam intelligimus, quæ et angelis et sanctis hominibus, sanctorumque quibuslibet successoribus exhibetur. Popularibus autem cleri servitutem indixit, et vivendum ei gladio, et in pinguedine terræ benedicendum prædixit. Nam, etsi ei rorem cœli concessit, non tamen roris cœli abundantiam, et ipsum rorem, non in se habituros, sed desuper a clero, et post terræ pinguedinem percepturos prædixit. Sed non solum quid sit per Isaac a Domino prædictum, sed et quid inter ipsos fratres actum sit attendamus. Esau siquidem primogenita fratri libens primo, et ea parvipendens leviter concessit. Sed postmodum concessisse se dolens ad persecutionis tyrannidem se convertit. Sic et Constantinus Romano pontifici regni insignia, coronam scilicet et purpuram regalem devotus primo obtulit, quod in vestibus Esau valde bonis Jacob a matre concessis præfiguratum fuit; sed et in successoribus suis eidem postmodum exsilia intulit, mortem etiam comminatus, injurias multas inflixit, sed tandem Esau Jacob patientia et longanimitate devictus, divinæ sententiæ quamvis invitus acquievit; et conductum ei atque defensionem, potius tamen ex simulatione quam ex devotione, obtulit: quam et Jacob sapienter, et provide recusavit, dicens: *Nosti, quod parvulos habeam teneros, et oves fetas, quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur omnes una die* (*Gen.* XXXIII). Quæ omnia apud sacræ Scripturæ gnaros expositione non indigent sed tantum rememoratione. Illud autem potissimum videtur attendendum, quo jure, quibusve ex causis minor natu primogenito sit prælatus; et prima quidem facie jus in evidenti esse videtur, quod Jacob lentem quam coxerat, non antea fratri instanter petenti concessit, donec ille primogenita sponte cessit. Sic et clerus eodem etiam jure populis est prælatus, cum A carnis et sanguinis opera velut rufam lenticulæ coctionem, licet gustum suavem, tamen visui nocivam a se abjiciens, populis cedendo concessit. Illi vero velut animales, et quæ sunt Spiritus Dei minime percipientes, eadem carnis opera velut summum aliquid retinentes, maluerunt carnalibus et sæcularibus implicari, quam Deo militando in spiritu ambulare. Clerus vero verbum apostolicum libenter amplectens, illud scilicet: *Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis* (*Galat.* V); illud etiam non surda aure audiens: *Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini.* Et: *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt* (*Rom.* VIII). Et: *Qui in deliciis est vivens mortuus est* (*I Tim.* V). Spiritu facta carnis mortificare, ut viveret, prælegit. Juste igitur B sicut spiritus carni, sic spiritualiter viventes carnaliter sapientibus præferuntur. Ecce primogenita, quæ lentis non comestio, sed concupiscentia Esau abstulit, Jacob ejusdem lentis despectus contulit, et primatum clerus ex continentiæ castitate promeruit, quam carnalis concupiscentiæ suavitate, velut quadam rufa lentis decoctione pluris duxit. Est et alia hujus præposterationis causa, pius scilicet nostri Jacob dolus, qui carnem peccati velut quamdam hædi pellem assumens, in similitudinem carnis peccati venire voluit, tentatus per omnia pro similitudine absque peccato (*Hebr.* IV). Hunc pietatis dolum, matre gratia operante, Judæorum populus, velut pater cæcus ignorans benedictionem quam Isaac Jacob verbo dederat, opere C in Christo nesciens adimplevit. *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* II). Hujus ergo nostri veri Jacob merito, qui non tam ungendo lapidem, quam seipsum unctum lapidem exhibendo, unctus oleo lætitiæ præ consortibus suis (*Psal.* XLIV), coronatus et oblatus in cruce verus nobis rex factus est et sacerdos, illi etiam qui sacerdotio funguntur ei, genus electum, regale sacerdotium, juste dicti sunt et effecti (*I Petr.* II), benedictionem paternam velut filii spiritualis Aaron jure hæreditario possidentes

Sed inter hæc meminerit noster Semmaa tuendum sibi esse, non gloriandum potestate quam accepit in ædificationem, non in destructionem. Sciat D tuendum sibi traditum agrum lente plenum, potius quam demetendum, prohibitum sibi lentis esum, carnalium scilicet operum delectationem, agri sibi commissam defensionem. Studeat igitur spiritualis Semmaa carnalem populum velut agrum lente plenum tueri, saltem a criminalibus peccatis, si non a concupiscenda uxore proximi, saltem ab adulteranda, si non a re ejus concupiscenda, saltem a rapienda; si non ab odio, saltem ab homicidio. Tueatur pauperes ab injuriis divitum, divites a laqueis dæmonum, docens eos non superbe sapere, nec sperare in incerto divitiarum, dicens eis, quia *qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et laqueum diaboli* (*I Tim.* VI). Caveat autem idem Semmaa, ne solam vocem Jacob retinendo, manus Esau

non tam simulare, quam habere dolis et fallaciis, velut pilorum asperitate et subtilitate versutus inveniatur. Nam et tales aliquos sacerdotes futuros Spiritus sanctus ex illo facto videtur innuisse, et Dominus hoc ipsum in Scribis et Pharisæis arguens: *Super cathedram*, inquit *Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi: quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite* (*Matth.* XXIII). In quibus verbis quid aliud dicere videtur, nisi, *vox quidem vox Jacob est; sed manus manus sunt Esau?* (*Gen.* XXVII.) Verumtamen propter sacerdotii reverentiam, cathedræ deferatur, voci obediatur. Timeant tamen sacerdotes, ne qui propter vocem Jacob, et propter lentis contemptum benedictionem meruerunt; propter manus Esau et lentis concupiscentiam cum presbyteris Babylonicis mortis maledictionem incurrant. Primus siquidem illorum pro fraudulentis et iniquis judiciis condemnatus audivit. *Nunc venerunt peccata tua, quæ operabaris prius, judicans judicia injusta, innocentes opprimens, et dimittens noxios* (*Dan.* XIII). Unde et damnationis suæ sententiam accepit, Spiritu sancto per os Danielis dictante atque dicente ei: *Cum ilice pereas.* Ilex siquidem jugem retinet foliorum virorem; fructum autem profert porcis potius, quam humanis usibus aptum. Quid est autem viror foliorum, nisi integritas et sanorum vigor verborum? Quid vero fructus porcorum nisi opera carnis, quæ enumerans Apostolus post flagitiosa etiam facinora, subintulit, dicens: *Veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, invidiæ, homicidia?* (*Galat.* V.) Quid est etiam dicere, *cum ilice pereas*, nisi quod subjungit Apostolus: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur?* (*Ibid.*) Secundus denique de flagitio velut de lentis edulio condemnatus audivit. *Species decepit te, et concupiscentia subvertit cor tuum* (*Dan.* XIII). Unde et per sententiam subjunctum est: *In lentem comminuet te angelus* (*Dan.* XIII). Merito qui lentem aliis concesserat, et carnalibus ille cebris velut quibusdam minimis spiritualia et cœlestia velut summa prætulerat, ad minuta rediens in eis comminuitur, ut jam nonnisi ima sapiat, et ad capienda cœlestia non assurgat. Hæc de tribus robustissimis David ad præsens dicta sufficere possent; si non aquam Bethlehemiticam cum David sitiremus, nec videatur posse satisfieri siti nostræ, nisi eadem nobis aqua non bibenda, sed libanda Domino offeratur. Quod horum trium robustissimorum mysterio tunc juxta litteram factum fuit, et postmodum a spiritualibus spiritualis David fortissimis spiritualiter noscitur esse factum. Apostoli siquidem et eorum successores quos per tres fortissimos David diximus intelligendos, de cisterna legis Mosaicæ, quæ alibi piscina dicta est, quinque porticus habens, aquam spiritualis intelligentiæ non minus fortiter, quam subtiliter elicuerunt, et juxta Salomonem fortiter prementes legis ubera (*Prov.* XXX), non solum lac moralis scientiæ, sed etiam butyrum sensus allegorici expresserunt. Tanto autem fortius id ab eis factum

A apparet, quanto ab inimicis David Scribis et Pharisæis, qui carnaliter legem intelligebant, eadem cisterna studiosius obsessa cingebatur, et observata diligentius claudebatur. Irruperunt siquidem apostoli castra inimicorum, cum, sicut in apostolorum Actibus legitur, congregati principes et seniores et Scribæ in Jerusalem, et Annas princeps sacerdotum, et Caiphas, et Joannes, et Alexander, et quotquot erant de genere sacerdotali, statuerunt in medio Petrum et Joannem, interrogantes eos: *In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos? Tunc Petrus repletus Spiritu sancto dixit ad eos: Principes populi et seniores audite: In nomine Jesu Christi Nazareni quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus.*
B *Hic est lapis qui reprobatus est a vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli* (*Act.* IV). *Deus autem qui prænuntiavit per os omnium prophetarum pati Christum suum, implevit sic. Moyses quidem dixit: Prophetam vobis suscitabit Deus de filiis vestris; tanquam me ipsum audietis. Et omnis anima quæ non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe. Et omnes prophetæ a Samuel et deinceps, annuntiaverunt dies istos. Vos estis filii prophetarum, et testamenti, quod disposuit Deus ad patres nostros dicens ad Abraham: In semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ* (*Act.* III). Paulus quoque per medias acies inimicorum transiens, et fiducialiter Jesum eis annuntians, ait: *Annuntiamus vobis eam quæ ad*
C *patres nostros facta est repromissionem, quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Jesum, sicut et in psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu; ego hodie genui te. Alias quoque dicit: Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem* (*Act.* XIII). Quibus contradicentibus Judæis, et repletis zelo, Paulus et Barnabas constanter dixerunt: *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: Sed quoniam repellitis illud, ecce convertimur ad gentes* (*ibid.*). Ecce aqua spiritualis intelligentiæ Judæis ablata, gentili populo ab apostolis oblata, et in eis ipsi David, qui de gentili populo mediante Ruth ex Moab duxit originem; quæ et ipsa nobis aquam spiritualiter intellecta propinat; sed nos ad alia tendentes, quod cœpimus, breviter prosequa-
D mur. Sane quod David aquam desideratam non bibendam sed libandam Domino dignum duxit, in nobis sine dubio signat, quod noster David Christus aquam quam prædiximus, non quæsivit sibi ad humanæ infirmitatis, quam susceperat, remedium; sed in divinæ naturæ, quæ seipsam ad hominem inclinaverat, argumentum.

Quod enim est fidei nostræ certius argumentum, quam quod ea quæ a Christo facta pro nobis credimus, a prophetis prædicta longe ante cognoscimus, et in Veteri Testamento, velut in cisterna Bethlehemitica aquam limpidissimam reconditam invenimus? Sic quippe Isaias ait: *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum; et sciemus quia dii estis vos* (*Isai.* XLI). Nos quoque si aquam spiritualis scientiæ deside-

rando sitimus, non eam ad præsentis vitæ fallacem et fugacem gloriam requiramus; sed ad placandum nobis Deum, et ad imbuendos proximos eam a Domino, sicut ait Jacobus, postulemus; et totum ei in nobis, quidquid adepti fuerimus ascribamus, dicentes cum Apostolo: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (*II Cor.* III). Sanguis autem judicata est a David aqua ista; quia, sicut vita carnis in sanguine est, sic vita animæ in sapientiæ calore consistit. Quod autem juxta portam Bethlehemiticam cisterna hæc fuisse describitur, non aliud esse videtur, quam Vetus Testamentum, in quo veteres historiæ velut aquæ nubium esse, quod non tam cisterna vel puteus, quam fons puteus, et porta aperta civitatis nostræ Bethlehem ab ipsius civitatis incolis comprobatur. Hanc portam convenientissime beatam Mariam dixerim, de qua in Bethlehem Judæ natus est Christus, velut fons ascendens de terra, irrigans universam superficiem terræ; et fluvius egrediens de loco voluptatis ad irrigandum paradisum (*Gen.* II); qui in quatuor Evangelia, quasi in quatuor capita divisus, orbem universum fecundat. De hac nobis nostræ civitatis duodecima porta grandis nobis est sermo, et tanto interpretabilior ad dicendum, quanto auditores avidiores fore confidimus ad audiendum. Quanto autem est hæc materia dignior; tanto novum ei principium assignari dignius esse cognoscitur, ut ad tantam materiam corda legentium quiete modica relevata ardentius præparentur. Ipse autem semper Alpha et Ω sit sermonis nostri, qui, etc.

TRACTATUS XI.

DE PORTA DUODECIMA CIVITATIS DEI, B. VIRGINE DEIPARA.

De gloriosissima Domini Dei nostri incorrupta matre et Virgine tractaturi, gloriosissimum filium ejus Dominum nostrum suppliciter exoramus, ut quæ Scripturis sacris de ea gloriose inseri voluit, nobis revelare dignetur; et ea nos de ipsa loqui doceat, quæ et si non ejus congruant dignitati, nostræ saltem indignitati conveniant, nostræ satisfaciant devotioni, et vel parvulorum sufficiant lectioni. Igitur quam multifarie, quamque multis modis olim Deus loquens patribus in prophetis eam magnifice commendare voluerit, quidam attendens, in hanc vocem metro ludens erupit:

Multa de te sunt prophetæ locuti præsagia;
Non ignari singulari te ditandam gratia.
Nam qui nasci atque pasci, tua carne voluit,
Nec Scripturis nec figuris tuas laudes tacuit.

Prius autem quam ad ea quæ a prophetis et patribus de ipsa dicta et figurata dicuntur, accedamus; attendendum diligentius, et dicendum esse videtur quod hæc duodecima nostræ civitatis porta, de qua tractare habemus, præmissarum portarum prima sit et suprema. Prima ordine, dignitate suprema. Ab ipsa quidem cæteræ portæ habuerunt initium, in ipsa obtinent fulcimentum, per ipsam recipiunt complementum. Ipsa quidem in eminentiori parte civi- A tatis sita, aliis ministrat lucem, gloriæ dignitatem confert, affert consummationem. Ex ipsa namque sacramenta nobis omnia profluxerunt, gratiarum omnium charismata et exempla virtutum non minus delectabiliter effulserunt. Denique ipsis etiam apostolis primo per eam velut per orientalem portam nostræ redemptionis primordia patuerunt. A quo enim melius, quæ de nostri Redemptoris infantia scripturi et prædicaturi erant in universo mundo, ac fidelius potuerunt addiscere, quam ab ea quæ omnia viderat et audierat, et manibus suis tractaverat, firmiter conservaverat conferens in corde suo? (*Luc.* II.) Unde eis nisi per eam innotuit, angelicum illud *Ave* mundo tam suave? Unde tota ipsius angelicæ salutationis series, cujus singula B verba, velut cujusdam divinæ epistolæ per angelum allatæ, sed Spiritu sancto dictante, oracula sunt divina? Unde ipsius responsio Virginis, et ipsius angeli, qualiter quæ dicta erant ab eo fieri deberent, instructio, et conceptus Elizabeth tam prænuntiatio angelica facta ad Zachariam, quam annuntiatio edita ad Mariam? Unde Mariæ ascensio ad montana, et ad salutationem ejus propheticum Elizabeth responsum, et ipsius Mariæ canticum non magis propheticum quam profundum? Unde tandem Domini nostri stupenda et veneranda, ipsisque cœlestibus miranda nativitas, pannorum involutio, reclinatio in præsepium, angustia diversorii, angelica apparitio ad pastores, evangelizatio magni gaudii C quod foret omni populo, hymni angelici decantatio gloriosa? Hæc omnia Maria conservans et conferens in corde suo, portam se clausam usque ad octavam Circumcisionis diem mundo exhibuit: quæ jam Spiritu sancto reserata Filio Dei patuerat, et non soli Gabrieli, sed etiam multitudini cœlestis exercitus patefacta luce clarius resplendebat. Hæc etiam octavo filii sui die mundo cœpit sensim aperiri, ne si subito totam se aperiret, oculis minus sanis non tam lucem fulgore, quam cæcitatem inferret. Ea igitur die nomen illud suave auribus, dulce ori, in corde jubilum, quod sola et prima ab angelo didicerat, filio suo imponens, velut stella matutina solis noviter orientis mundo lumen invexit. Nonne per hujus nominis impositionem dicere ad singulos, D dicere ad omnes tibi videtur: *Non est aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat salvos fieri?* (*Act.* IV.) In quo *qui benedicendus est, benedicetur in Domino. Amen* (*Isai.* LXV). Hoc siquidem nomen efficax invenitur, non solum ad obtinendam salutem, sed etiam ad promerendam benedictionem; non solum salvat, sed etiam sanctificat; salvat a pondere peccatorum, salvat ab insidiis tentationum, salvat a temporalium periculis varietatum. *In* hoc namque *nomine omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium et infernorum* (*Philip.* II). Flectitur virtus infernalium nequitiarum, ne tentando noceant; flectitur elatio et cupiditas hominum terrenorum, ne peccato consentiant; flectitur etiam virtus cœlestium spirituum ad hujus nominis invocationem, ut subveniendo periclitantibus

condescendant. Sic sic cultores hujus nominis salvantur et liberantur a malo. In hoc etiam nomine benedicuntur, promoventur et confirmantur in bono, secundum quod orat sacerdos in canone missæ, ut oblationem suam benedictam, ascriptam ratam, Deus facere dignetur. Benedictam ad sanctificationem, ascriptam ad perfectionem, ratam ad confirmationem. Sic quippe fieri solet in concessionibus principum, sive institutionibus testatorum. Primo namque apud principem vel precibus, vel alio modo, rei alicujus concessio nuda obtinetur: dehinc ut concessio redigatur in scripturam ad perfectionem elaboratur: tandem, ut scriptura sigillo principis ad confirmationem roboretur. In hunc etiam modum ut benedictio Domini sit plena, primo fecundanda sanctificat, dehinc perficiendo multiplicat, tandem corroborando confirmat. Sed hoc non nisi in Domini nomine alicujus benedictio operatur. Legitur Job benedixisse Dominum, sed nomen Domini collaudando, dicens: *Sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum* (*Job* I). Legitur Dominus benedixisse Abrahæ, sed suum ei nomen revelando et commendando, dicens: *Ego Deus Omnipotens, ambula coram me, et esto perfectus* (*Gen.* XVII). Legitur Isaac benedixisse Jacob filio suo, sed in nomine Domini, dicens: *Det tibi Deus de rore cœli*, etc. (*Gen.* XXVII). Hæc triplex benedictio in Scripturis frequenter reperitur. Prima, qua Deum benedicimus dicentes: *Sit nomen Domini benedictum;* et hanc signat principium episcopalis benedictionis, quæ primo fit in pectore, quia primo benedicendus est Deus pro jam acceptis donis quæ intra sunt, ut dicamus cum Propheta: *Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus* (*Psal.* CII). Secundo petenda et exspectanda de ipsius benedictione et adjutorio gratiæ, quæ nondum habemus. Absque ipsius namque adjutorio nihil boni facere possumus: et hoc non solum corde credere, sed et in facie Ecclesiæ confiteri debemus, secundum illud: *Corde creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem* (*II Rom.* X). Hoc ostenditur in eo quod episcopus signo crucis faciem suam muniens, confitendo clara voce dicit: *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* Tertio ipsum populum signans, benedictionem suam in invocatione sanctæ Trinitatis concludit. Prima harum benedictio dici potest Domino attributa, secunda a Domino retributa, tertia in populo distributa. Attribuenda siquidem est nomini ejus gratia et benedictio pro donis suis, ut dicamus ex affectu et devotione: *Benedictus Deus in donis suis.* Benedicendus etiam in omnibus operibus suis, juxta illud Prophetæ: *Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua* (*Psal.* CXLIV). Et illud quod in eodem psalmo legitur: *Fidelis Dominus in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis* (*ibid.*). Benedicendus quoque in majestate sua. Quem ordinem videtur servasse propheta, ubi ait: *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus: et benedictum nomen majestatis ejus in æternum* (*Psal.* LXXI). Nam pro donis suis eum benedicendo præmiserat: *Sit nomen ejus benedictum, ante solem permanet nomen ejus; et benedicentur in ipso omnes tribus terræ* (*ibid.*). Retribuitur autem sic benedicentibus Deum larga Dei benedictio: aliquando in affluentia temporalium; aliquando in exteriorum eminentia gratiarum; aliquando in spiritualium largitione virtutum: et hanc ultimam cæteris præferendam commendasse videtur Apostolus, ubi ait: *Benedictus Deus, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus* (*Ephes.* I). Nam cæteræ benedictiones communiter dantur et bonis et malis: imo frequentius malis quam bonis. Sed non est invidiose aut avare occultanda aut retinenda a bonis, quia qui abscondit frumenta, maledicetur a populis; sed sicut gratis accepta, et ita et gratis danda, pie est distribuenda. Distribuitur autem in minores a majori benedictio spiritualis, aut imprecando eis bona quæ nondum habent, sicut est illud, quod dictum est Rebeccæ a parentibus: *Crescas in mille millia; et possideat semen tuum portas inimicorum suorum* (*Gen.* XXIV). Aut congratulando eis pro bonis quæ jam habent, sicut illud Raguelis ad Tobiam: *Benedictio sit tibi, fili mi, quia boni et optimi viri filius es* (*Tob.* VII). Aut prophetando, sicut fuit benedictio Moysi ad Joseph dicentis: *De benedictione Domini terra ejus, de pomis cœli, et rore, atque abysso subjacente. De pomis fructuum solis ac lunæ, de vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum, et de frugibus terræ, et de plenitudine ejus* (*Deut.* XXXIII). In quibus verbis salvo altiori mysterio prædicta triplex benedictio invenitur expressa. De pomis enim et rore cœli, et abysso subjacente procedit benedictio, cum ex intimo cordis affectu homo pro gratuitis beneficiis Deum benedicit, dicens cum Propheta: *Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi. Misit de cœlo et liberavit me. Misit Deus misericordiam suam, et veritatem suam* (*Psal.* LVI); et per hæc quasi cœli poma dulcissima liberavit me. De pomis fructuum solis et lunæ homo a Deo benedicitur, cum donis spiritualibus et temporalibus bonis ab eo cumulatur. De vertice autem montium antiquorum, sive de pomis collium æternorum, ad terram frugibus plenam descendit benedictio, cum de sublimitate vitæ sive doctrinæ doctorum orthodoxorum subditi debriantur; vel meritis et orationibus spiritualium virorum sola æterna quærentium, inferiores quique ac debiles adjuvantur. Latent tamen sublimiora quædam in his verbis mysteria, quæ si subtiliter enucleentur, portæ de qua loquimur, dignitatem et gloriam plenius reserabunt. Joseph siquidem Dominum nostrum Jesum Christum, non solum nomine, sed et fratrum venditione, et Ægypti dominatione, et occultorum prophetica interpretatione aperte præfigurasse, nemo qui dubitet. Terra autem ejus caro est intemeratæ beatæ Virginis Mariæ, de qua Christi caro processit, de sola Domini benedictione sancti Spiritus operatione concepta, cujus benedictionis mysteria Moyses in Spiritu

mirabiliter prævidens, mirabilius sub tanto verborum involucro prænuntiare curavit, dicens : *De pomis et rore cœli, et abysso subjacente*, etc.

Ros cœli gratia est Spiritus sancti. Quædam velut abyssi subjacentis exhalatio vis est humanæ naturæ, et animalis sensuum vegetatio. His duobus caro Virginis fecundata velut terra bona et optima, pomum non ligni scientiæ boni et mali, sed ligni vitæ ex se non interdicendum, sed omnibus exponendum, produxit. Hujus fecundæ generationis, scilicet incarnationis Christi mysterium, in prima cœli et abyssi creatione Deus mox figuravit, et velut quædam poma odorantia viris spiritualibus præparavit. Nec contentus est hæc poma sola amicis reponere, sed et Christi mysteria et Ecclesiæ, velut poma fructuum solis et lunæ eis voluit revelare. Quid enim aliud sensisse videtur Propheta, qui ait : *Elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo*, nisi quod elevato Christo ad dexteram Patris, velut sole justitiæ in meridie constituto, et status Ecclesiæ confirmatus, et Christianæ religionis ordo sit solidatus? Quid ille qui ait : *Sol et luna steterunt in habitaculo suo* (*Habac.* III), nisi justitia et pace se invicem osculantibus, Christum et Ecclesiam post multas hæreses in unitate fidei mansionis suæ habitaculum posuisse? Sed et ipse Moyses non alia videtur poma odorasse, nisi Christi et Ecclesiæ fructus eximios, velut solis et lunæ poma suave olentia commendando. Hujus etiam pomis ad cumulum benedictionis adduntur vertex antiquorum montium, et poma collium æternorum, fruges denique terræ et plenitudo ejus. Montes antiqui patriarchæ et prophetæ merito sunt intelligendi; montes pro virtutis humanæ et divinæ revelationis sublimitate; antiqui, pro factorum et dictorum suorum irrefragabili et summa auctoritate. Omnium autem patriarchalium promissionum et visionum, omniumque propheticarum locutionum et revelationum eminentior vertex Christi fuit humanitas : et summa eorum intentio, quæ de Christi nativitate, baptismo, prædicatione, sepultura, resurrectione, et gloriosa ad cœlum ascensione, in spiritu prævidebant, verbis prænuntiare, figuris et ænigmatibus præsignare. Ad hunc verticem Moyses ipse ascendere cupiens, volens videre, quomodo rubus arderet et non combureretur, repressam præsumptionem suam humiliter confitetur, ubi audisse se dicit : *Ne appropies huc. Solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est* (*Exod.* III). Quod ergo plene videre non potuit, plebeios multos manifeste visuros prævidit, et hanc eis benedictionem invidit, sine invidia tamen; ad amplectendam tantam benedictionis dulcedinem omnes his verbis posteros invitavit. Sed et poma collium æternorum, si non prægustasse, tamen odorasse videtur; quæ non solum odoranda, sed etiam degustanda prævidit benedictis, vel quando audituri sunt : *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum* (*Matth.* XXV); vos enim *estis qui permansistis mecum in tentationibus meis; et ego disposui vobis* A *regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo* (*Luc.* XXII); vel cum etiam in præsenti ascendente homine ad cor altum, ut exaltetur Deus, jam Christum secundum carnem non cognoscit; sed Christum Dei verbum et Dei sapientiam, Deo consubstantialem et coæternum, adhærendo æterno factus jam ex parte æternus, et secundum Apostolum fruendo Deo unus spiritus factus, ut velut collis æternus poma non immerito proferat incorrupta. Sed ne noster Joseph tantum in cœlestibus et montanis pasci, et non nisi in montanis cubare videatur, etiam fruges terræ, qui sunt quilibet fructus digni pœnitentiæ, et eos qui pleniores sunt, fructus justitiæ, dicitur acceptare. Possent etiam et aliter verba ista exponi; sed quia ad alia festinaB mus, breviter ea tangendo potius quam exponendo percurrimus. Moyses igitur Jesum nostrum in Joseph benedicens (*Gen.* XLIX), et ipsius præconia benedicendo prædicens, primo capitis unguentum prosequitur, dehinc quomodo sit in membra diffusum, etiam usque in oram vestimenti descendisse describit. Capiti igitur unguentorum copiam cœlitus infusam præ consortibus suis prospiciens, in pomis cœli cœlicum castitatis ipsius odorem et incorruptum cœlibatus ipsius notat candorem; in rore fecundissimæ charitatis ejus suavitatem; in abysso subjacente subjectam et mitissimam ipsius humilitatem. His unguentis optimis caput nostrum in ipso suo exortu fragrasse, et ea a capite in membra defluxisse, satis ostensum est, cum de fundamentis antea tractaretur. Sed quæ C in capite fuerunt poma cœli, in membris poma solis et lunæ dicuntur; quia quæ consortes habuerunt per gratiam et industriam, Christus habuit per naturam. Merito ergo solis et lunæ poma nominantur, quæ sub solis et lunæ instabilitate mutabiliter obtinentur. Nam Christi virtutes supra solem et lunam invariabiliter constitisse firmiter asseruntur; et ne hæc poma tam nova, tamque insolita, immatura forte aut marcescibilia viderentur; de vertice montium antiquorum, et de vertice collium æternorum fuisse proponuntur. Vertex autem montium antiquorum fuit ad Patres antiquitus de Christo facta repromissio, Unde Apostolus : *Abrahæ dictæ sunt promissiones, et semini ejus* (*Gal.* III). Omnium illarum D promissionum summam, et velut verticem fuisse illam, quæ de Christo facta est, probatur, cum subditur : *Non ait et seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, et semini tuo, qui est Christus* (*ibid.*). Hanc autem promissionem testamentum vocat Apostolus, confirmatum a Deo per legem et prophetas. Non enim ex lege promissio, sed ad promissionis confirmationem et cooperationem propter transgressiones velut pædagogus posita est, ordinata per angelos, signa multa et magna operantes ad ejus confirmationem. Non solum autem per angelos, sed etiam prophetarum dictis prædictæ promissionis confirmatum est testimonium. Ipsi enim promissionem de Christo factam intelligentes, et velut jam impletam in spiritu prævidentes, præterita et futura

præsentialiter contuendo, quamdam æternitatis speciem sunt adepti, secundum illud Isaiæ : *Ventura annuntiate nobis; et dicemus, quia dii estis vos* (*Isa.* XLI). Hi igitur, quot nobis in Scripturis suis de Christi adventu monumenta reliquerunt, tot quasi poma fragrantissima, quasi colles æterni protulerunt; et Christo reservanda, ac si poma in figurarum et ænigmatum calathis recondita concluserunt. Sciebant enim secundum Salomonem, omnia poma nova et vetera Christo esse servanda. Vetera ut in eo implerentur, per eum aperirentur, ab eo distribuerentur, secundum illud : *Dedit dona hominibus* (*Psal.* LXVII); nova vero, ut ea semper bona crearet, sanctificaret, vivificaret, benediceret ac præstaret. Nova sunt, de quibus ait Apostolus Dominum dixisse per Prophetam : *Ecce consummabo super domum Israel testamentum novum, dando legem meam in mentibus eorum, et non docebit unusquisque proximum suum dicens : Cognosce Dominum. Omnes enim scient me, a majore usque ad minorem* (*Hebr.* VIII). Dicendo, ait Apostolus : *Novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est* (*Hebr.* VIII). *Translato siquidem sacerdotio, necesse erat, ut et legis translatio fieret : et reprobato præcedenti mandato propter infirmitatem ejus, et inutilitatem, quod nihil ad perfectum adduxit, introductio fieret melioris, quod jurejurando stare promitteretur in æternum* (*Hebr.* VII), dicente Propheta : *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX). Ea igitur quæ ad sacerdotium novum et testamentum spectant, secundum ordinem Melchisedech, semper bona sunt; et, sicut sacerdotium æternum, ita et ipsa immutabiliter bona a Deo creata, quando secundum virtutem vitæ insolubilis ab eo sunt instituta; sanctificata, quando per Christi mortem facta sunt ad propitiandum efficacia; vivificata, quia Christi resurrectione non solum ad accipiendam vitæ indissolubilis virtutem, sed etiam ad dandam, a Deo sunt benedicta. Unde dicitur in Canone : *Benedicis, et præstas nobis*, id est quæ in se sunt benedicta, ut habeant; benedicis, ut conferant nobis vitam. Ne autem unguento capitis sola proximiora membra perfusa viderentur, etiam simplicium et plebeiorum hominum pii actus ac devoti affectus ad nostri Joseph benedictionem, velut fructus humiles et de locis planioribus et inferioribus procedentes pertinere dicuntur. Sed quia hi fructus ante adventum Christi in eis qui eum futurum exspectabant semipleni inveniebantur; in terræ plenitudine, illi qui post adventum ejus a credentibus in eum populis plenius sunt exhibiti, denotantur.

Totius igitur multiformis hujus benedictionis, velut cœlestis cujusdam unguenti ex variis speciebus a cœlesti pigmentario confecti, plenitudo ad nos est per beatam Virginem, quasi per quamdam portam luce clariorem transfusa : unde et ab angelo dicta est in mulieribus benedicta; non solum quia Evæ maledictio per eam est in benedictionem conversa;

A sed quod etiam ea mediante spiritualium a Deo accipere meruimus benedictionem, et benedicendi minoribus, per Jesum accepimus potestatem, donec tandem in fine omni cœlesti benedictione et gratia repleti, solum jam Dominum laudare et benedicere habeamus, dicentes : *Benedictus qui venit in nomine Domini* (*Psal.* CXVII); et cum Elizabeth ad Mariam : *Benedictus fructus ventris tui* (*Luc.* I). Exaltabitur siquidem Dominus solus in die illa; et velut in Resurrectionis octava completa generali Circumcisione, ut jam neque nubant, neque nubantur, sed penitus tollatur de medio membri genitalis officium, quod per abscissionem præputii Abrahæ ostensum est, interim castigandum, ex tunc nomen Jesu quam sit super omne nomen benedictum, adorandum atque
B laudandum, luce clarius omnibus apparebit : tunc vere hoc nomen oleum effusum erit, quo primo per Gabrielem archangelum Mariæ infusum, clausum apud eum septem diebus permansit, et die octava per eam non tam effusum quam revelatum fuit; quia pauca adhuc erant vasa, quæ tantam olei plenitudinem capere sufficerent, et nondum venerat hora illa, qua mortuo viro vasa vacua non pauca mutuo inveniret, quibus oleum infusum, usque ad effusionem excresceret. Usque hodie hoc oleum vasis vacuis infundere Maria non cessat, et nominis hujus suavitatem inexpertis divinitus revelatam velut lactis dulcedinem ex uberibus maternis instillat. Et licet hoc oleo perfusæ adolescentulæ nimis eum diligere dicantur et nomen ejus oleum fateantur effu-
C sum, interim tamen, dum peregrinamur a Domino, infusum potius fatendum est, quam effusum; et currere dicendæ sunt adolescentulæ potius in odore, quam in unguenti exinaniti et consummatæ charitatis ardore (*Cant.* I); nec stabit hoc oleum, donec vasa deficiant, et conscientiarum ostiis apertis quæque virgo sapiens de hoc se oleo a suo redimat creditore; et de cætero ad victum et vitam tanta olei sufficiat plenitudo. Hoc nobis, o beata Maria prime de utero tuo, postea de ore profluxit, et quem pariendo prima mundo perdito salutem edidisti, prima etiam nominando ejusdem salutis gratiam prodidisti. Tu Salvatori mundi intranti mundum porta exstitisti; tu accedentibus pastoribus ad eum porta pa-
D tuisti. Per te magi cum muneribus stella præduce et portam ostendente ad eum intraverunt. Per te usque hodie fideles omnes ad eum accedentes, te portam, te mediatricem, te magistram habere gloriantur. Tu siquidem introducis ad fidem, testimonium fidei perhibendo; tu mediatrix es ad veniam pro peccatis credentium filium interpellando; tu magistra ad inveniendam gratiam, exempla vitæ et disciplinæ omnibus ostendendo. Tu tuum porta mihi digneris esse ad Filium, interim Incarnationis ejus et civitatis suæ peregrinantis mysteria revelando, tandem ad civitatem regnantem et triumphantem in cœlis post Liæ lippitudinem accedenti, non Rachelis, sed tuam et filii tui pulchritudinem sine speculo et ænigmate revelata facie ostendendo (*II Cor.* III). Sed

ecce dum ad portam duodecimam jam per eam intraturi in civitatem Domini pervenisse videmur, ipsius portæ gloria, decore et dignitate stupefacti, solitum sermonis modum excessimus, a lectore veniam postulantes, si uno adhuc sermone a civitatis ingressu portæ hujus gloriam speculando eum paululum retardamus. Nihil enim gloriosius in tota civitate postmodum apparebit, præter eum, qui ipsius portæ et civitatis fundamentum est et fundator, initium et finis, conditor et dominator. Ipse autem semper Alpha et Ω sit nostri sermonis, etc.

TRACTATUS XII.

DE GLORIA PORTÆ DUODECIMÆ VIRGINIS MARIÆ.

De portæ duodecimæ gloria locuturi, et gloriosa quæ de ea dicta sunt ad memoriam reducturi: primo Moysen, qui primus de ea scripturus calceamenta detraxit, in medium adducamus; deinde per ordinem alios qui de ea scripserunt, diligenter quid quisque pro suo officio, pro loco et tempore ad ipsius portæ consummationem decoris obtulerit, attendentes. Primus itaque Moyses velut calamum mensuræ ad metiendum virgam accepit, et obtulit ad portæ spatia designanda; secundus Josue solem jam declinantem stare fecit ad ipsam designationem plenius consummandam, et clarius agnoscendam. De libro quoque Judicum Gedeon aream obtulit ad ædificandum, et vellus ad exsiccandum solum areæ ante purgandum (*Paralip.* XXIX). De libro Regum David lapides, aurum, argentum, ferri, æris, lignorumque immensam copiam obtulisse probatur. Salomon thronum eburneum obtulit ad quiescendum (*III Reg.* X). Ezechias aquam piscinæ superioris per aquæ ductum avertit subter, et influere fecit in piscinam urbis interiorem, in quiescentium sive operantium usum (*II Paralip.* XXXII). Isaias florem singularis decoris depinxit, qui cæteris omnibus cælaturis in portæ ornatu emineret (*Isai.* XI). Jeremias agrum figuli, in quo necessaria omnia congregarentur, et congregata portæ usui aptarentur, triginta emit argenteis; emptum ad hoc offerens, sicut constituit ei Dominus (*Jer.* XXXII). Ezechiel quatuor rotas plenas oculis in circuitu ipsarum quatuor paratas et volubiles vidit ad quævis necessaria ferenda et transferenda (*Ezech.* I). Omittimus alios brevitatis causa, duodecim scilicet prophetas, Danielem et alios, qui inter agiographa computantur, qui omnes officiosissime in opus hujus portæ quod habere potuerunt melius, obtulerunt. Nos quoque pro modulo nostro portæ hujus gloriam, ne dicam attolere, sed saltem a longe prospicere cupientes, ea quæ breviter tangendo posuimus, brevius exponendo auxiliante Domino percurramus. Quid igitur per virgam Moysi (*Exod.* III) melius intelligimus, quam beatam virginem Mariam, fide rectam, flexibilem humilitate, integram virginitate, de qua legitur: *Egredietur virga de radice Jesse?* (*Isai.* XI.) De hac egressus est ille serpens, qui exaltatus in cruce læsis a serpente antiquo suæ visionis medicinam paravit: qui tandem, morte superata, velut cauda mortalitatis constricta, per re-

A surrectionem suam naturam humanam multis miseriis et corruptionibus distortam in virgæ rectitudinem reparavit. Per hanc virgam diversis sunt plagis afflicti Ægyptii. Per hanc onus illud Ægypti completum est, quod legitur in Isaia: *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et movebuntur simulacra Ægypti, et cor ejus tabescet in medio ipsius* (*Isai.* XIX). Per hanc filii Israel ab Ægyptiis liberati mare sicco vestigio transierunt. Per hanc aquæ maris divisæ, aquæ mara dulcoratæ, aquæ de silice reperiuntur excussæ. Ad tactum siquidem hujus virgæ tentationum impetus dividuntur, cum parvuli tenentur cogitatus, et ad petram Christum alliduntur. Aquæ etiam sacri eloquii dulcorantur, cum in manu hominis involutus liber in
B ore comedentis efficitur mel dulce. Aquæ quoque de silice producuntur, cum Christo respiciente induratum quemlibet in peccato, compunctionis lacrymæ proferuntur, juxta illud propheticum: *Flabit spiritus ejus, et fluent aquæ* (*Psal.* CXLVII). Hac virga folia et nuces ex se mirabiliter proferente sacerdotium est Aaron confirmatum, et virgæ pastoralis mysterium præsignatum. Merito a Moyse intra arcam testamenti cum manna et tabulis est hæc virgula collocata, præsignante Spiritu sancto manna divinæ bonitatis, et doctrinæ spiritualis scientiam, disciplinæ virgula mediante, nobis à Domino ministranda: quæ tria Propheta desiderando petere videbatur, cum diceret: *Bonitatem, et disciplinam et scientiam doce me* (*Psal.* CXVIII).

C Virgæ quoque pastoralis forma eadem repræsentat, cum monemur, virgæ aculeo velut disciplinæ correctione pungere pigritantes, doctrinæ suavitate velut uncino superiori retrahere fugientes, sive attrahere recusantes, benignitate denique compassionis humanæ sustentare vel sublevare, velut quodam baculo, corruentes. Hujus virgæ mysterium in diversis sacræ Scripturæ locis nobis est multipliciter commendatum. Nam et Esther virgæ aureæ summitatem osculans legitur confortata (*Esther.* XV); et Dominus in virga ferrea subditos recturus promittitur (*Psal.* II), et virga directionis virga regni ejus describitur (*Psal.* XLIV). Virgam quoque virtutis ejus ex Sion legimus emittendam (*Psal.* CIX); quæ, ut
D breviter tangendo potius quam exponendo, perstringamus: virga aurea, Christi est rectitudo naturæ; virga ferrea, rectitudo vitæ; virga directionis, rectitudo doctrinæ; virga virtutis, rectitudo potentiæ, qua licet libere et manifeste uti potuisset; voluit tamen eam sub humilitate humanæ infirmitatis abscondere, donec ad judicium veniens, eos qui ad ejus correctionem corrigi noluerunt, nec ipsius rectitudini conformari, non solum virga potentiæ feriat, sed etiam extremæ sententiæ malleo rectissime conterat et confundat. Ne tamen penitus ignoraretur, et incognita minus timeretur, partim eam miraculis mundo innotuit: inferno per sui exspoliationem, plenius mundo per suam resurrectionem, plenissime et manifestissime eam ostensurus, cum

apparente *ex Sion specie decoris ejus, manifeste veniet Deus noster, et non silebit. Ignis in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempestas valida* (*Psal.* XLIX). Interim virga doctrinæ ejus dirigit ignorantes; rectitudo vitæ ejus, quæ velut virga ferrea inflexibilis fuit ad culpam, corrigit et provocat reluctantes. Rectitudo naturæ, licet pro regali progenie, sive pro eo quod talis tamque recta est assumpta, qualisquamque recta a recto Deo in primo homine est creata, virga aurea dici possit; tamen specialiter pro animæ incorruptione virga aurea rectius appellatur. Ea siquidem, sicut virga urnæ aureæ in arca fœderis fuit juncta; sic in una Christi persona fuit divinitati conjuncta. Nam quod apud Jeremiam virga ollæ testeæ conjungitur (*Jer.* I), illud innuere videtur, quod in eadem persona caro spiritui est conjuncta, et velut testa ferro absque omni carnalis concupiscentiæ repugnantia est subjecta. Sed, sicut virga ferrea conterit et comminuit reluctantes, ita virga aurea contritos et humiliatos erigit ad spem vitæ, et ad gratiam reparat obsequentes. Bene autem quam David ferream dixit (*Psal.* II), Jeremias videre se asserit vigilantem; quia Christus nec in aliquo flexus, nec unquam obdormisse, nec vel in modico dormitasse invenitur ad culpam; sed, sicut vigil et sanctus apud Danielem jubet arborem præcidendam (*Dan.* IV), sic et apud Jeremiam virga vigilans ollam succensam, et apud David virga ferrea vas figuli confringere perhibetur.

Virga quoque aurea, sed et ferrea beata Dei Genitrix dici potest. Aurea, vel quia atavis edita regibus, vel quia aurea virga primæ matris Evæ florens rosa processit; vel quia gratia plena et inter mulieres benedicta mediante benedicto fructu ventris sui, in carne filii sui est divinitati conjuncta, ita ut illud quod dictum est ei ab angelo: *Dominus tecum* (*Luc.* I), sicut est omnibus fidelibus commune, ita ei fuerit speciale. In aliis enim Deus dicitur esse per gratiam, ei autem ita divinitatis suæ infudit essentiam, ut ex ea etiam humanam sibi univerit naturam. Ei ergo merito antonomatisce dicitur, *Dominus tecum* (*Luc.* I), in qua non solum fuit per gratiam, sed ipsius etiam divinitatis plenitudo, sicut ait beatus Apostolus, corporaliter habitavit (*Coloss.* II). Unde et ex ea tanquam sponsus processisse legitur de thalamo suo (*Psal.* XVIII), nam et prius fuisse in ea per gratiam, sicut et in cæteris, imo eam singulari præ cæteris gratia ditatam testatus fuerat Angelus dicens, *Ave gratia plena* (*Luc.* I). Ac si diceret, *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas* (*Prov.* XXXI). Ipsa siquidem maturior Sara, sapientior Rebecca, Lia fecundior, Rachele gratior, devotior Anna, castior quam Susanna. Ipsa gratiæ plenitudinem, quam aliæ divisim habuerunt, totaliter creditur accepisse, et absque interpolatione continuo possedisse. Vel gratia plena dicta est, quia charitatis munere, sine qua omnis gratia fallax et vana est pulchritudo; sine qua nihil est, quod possit prodesse, ita repleta fuit, ut in hac perfectione nec primam similem visa sit, nec habere sequentem.

Hujus aureæ virgæ summitatem Ecclesia velut altera Esther in altari quotidie osculatur (*Esther.* XV), et osculando promeretur, ut Aman in Antichristo adversus populum sanctorum non diu prævaleat; et ut Mardochæus, imo in Mardochæo Petrus, vel in Petro Ecclesiæ Romanæ pontifex patruelis ejus, qui solus ante Aman genua non curvabit, honore regio dignus inveniatur. Vel si summitatem virgæ aureæ libet intelligere consummationem regni sæcularis, et finem regiæ potestatis: tantam opinari possumus circa finem sæculi, Antichristo sublato de medio, unitatem fore inter sæcularem et ecclesiasticam potestatem; ut se videantur invicem osculari, et non tam Assuerus quam Mardochæus dominetur in regno, quod mox Christus traditurus est Deo et Patri. Virgam quoque ferream dicimus beatam Mariam, non ferream in miserendo, sed ferream in sustentando; non in subveniendo ferream, sed in subvehendo. Non enim est baculus arundineus tantum, imo plus quam ligneus, quia quantum ferrum ligno præeminet in fortitudine, tantum beata Maria supra omnem humanum modum virtute est induta ex alto, Spiritu sancto superveniente in eam, id est supra solitum veniendi in homines modum in eam descendente, et virtute ei Altissimi obumbrante. Libenter has virgas, quas a vero Jacob in canalibus Scripturarum invenio positas, diutius immorando conspicio, ut in earum contemplatione sensus spirituales concipiam; ne si forte carnaliter concupiscendo concipiam, concupiscentia ipsa cum conceperit, pariat peccatum; et Gabaonitæ mei non tam mihi aquam compunctionis comportent (*Josue* IX), quam vetustatis opera ingerendo lumbos meos repleant illusionibus; et efficiantur non solum nomine, sed et re illusores. O quoties a Gabaonitis imaginationum mearum memini mihi illusum: et ore Domini non interrogato de cibariis eorum suscepisse, ita ut contemplationis lumine velut quodam mihi sole justitiæ occumbente, continuis vix tandem precibus obtinerem, ut staret sol contra Gabaon; et si non proficeret lumen contemplationis, saltem non deficeret calor devotionis: maneretque dilectus meus mecum, magis precum assiduitate coactus, quam puritate affectuum oblectatus. Heu tunc ovium mearum serotini erant conceptus. Nam qui primi temporis fuerant, Jacob cooperante (*Genes.* XXX), vario et diverso colore mysticorum sensuum apparebant respersi. Tunc quippe in lumine Domini lumen videns, aspiciebam non solum prædictas virgas, sed et populeas virides, et amygdalinas, et ex platanis positas in prædictis canalibus, et tanta varietate oblectatus, in ipsis virgis Noe, Daniel, et Job, contemplabar exempla. In Noe velut in platano exaltata juxta aquam in plateis, doctrinæ rectitudinem admirabar. In Job velut in amygdalo facili decidentium florum et fructuum ubertate gaudente, fidei rectitudine delectabar. In Daniele velut in populo viridi, intelligentiæ

rectitudine jucundabar. Accedebat etiam, ne similitudo satietatis mater aliquod fastidium generaret, varietas amplior : cum et in decorticatis et spoliatis tunica sollicitudinis sæcularis apparebat candor castitatis; in hac quæ decorticata non fuerat, viror humilitatis; in omnibus lenis teneritudo charitatis, sive ad compassionem proximi, sive ad puriorem dilectionem Dei. Et has mihi omnes virgarum varietates illa una regalis virgula de radice Jesse egressa pariebat, quam David astantem a dextris Regis circumdatam vidit varietate (*Psalm.* XLIV) Salomon ascendentem sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris (*Cant.* III); Moyses ut rubi virgulam ardere et non comburi (*Exod.* III). Ipsa siquidem merito a dextris Regis visa est astare, quæ de tota massa corruptæ et incurvatæ in Eva humanæ naturæ prima et sola infaustum nomen Evæ in suave illud *Ave* convertere potuit et mutare. Ipsa namque sinistram, quam Eva elegerat, omnino deserens, totam se convertit in dexteram : et spretis terrenis et carnalibus deliciis imagine terreni deposita, cœlestia et æterna eligendo imagine cœlestis se induit; et Dei in se similitudinem, quam primus homo rectus a recto Deo factus in rectitudine acceperat, Spiritu sancto eamdem rectitudinem in ea reparante, et spiritum rectum innovante plenissime in ea, reformavit. Recta ergo astare dicta est, quæ tam recta effecta est : et a dextris Regis, quæ Regi facta est tam proxima, quam conformis. In vestitu quoque deaurato, quia lumine sapientiæ velut auri irradiata fulgore; unde et amicta sole visa est a Joanne lunam habens sub pedibus suis (*Apoc.* XII). Lunam siquidem humanæ rationis, substramentum habuit naturalis affectionis, quia humani affectus in ea non casu aut impetu ferebantur; sed illustratæ rationis moderamine regebantur. Et hoc quidem deorsum in transitu præsentis vitæ, velut luna in nocte. Sursum vero in dextera contemplationis velut in die amicta erat sole, quæ alibi in ipso sole posita fuisse describitur; quia non solum luce sapientiæ usa est ut vestimento, sed ei unita, posita et fundata velut in fundamento. Vel posita in sole dici potest; quia sicut in horologio gnomonem facimus prominere, ut quasi in solem porrectus solaris cursus horas designet diurnas; sic divina sapientia beatam Virginem velut virgam rectissimam humano generi gnomonem constituit; ut per eam quantum a lumine sapientiæ defluxerit, humana natura cognosceret, et in ea viam redeundi ad primum punctum suæ originis inveniret. Duodecim siquidem sunt horæ diei, ad quarum decimam consummandam sol sapientiæ divinæ humanam naturam instituit, ut novem ordinibus angelorum perlustratis, velut decima tandem hora homine illustrato, mediante Spiritu sancto semper ad Patrem velut ad suum rediret principium; duodenarii in eo complens perfectionem, ita in eo manens, ut nullus sit excessus; ita exiens ab eo, ut nullus recessus; ita ad eum rediens, ut nullus fiat accessus. Ab hac tanti luminis claritate homo cum in tanto honore constitutus esset, veniente sibi pede superbiæ expulsus est, et non potuit stare : et comparatus jumentis insipientibus de die divinæ claritatis dejectus est in profundissimam noctem humanæ cæcitatis.

Per hanc noctem transierunt omnes bestiæ silvæ, et ab Adam usque ad Mariam tenebræ permanserunt super faciem abyssi, donec tandem adveniente temporis plenitudine sol divinæ sapientiæ qui in suo candore ab homine videri non poterat, beatæ Mariæ velut cuidam humani horologii se junxit gnomoni; et umbram carnis quam a sua natura non habebat, de nostro accepit gnomone; ut qui in suo fulgore a nobis videri non poterat, saltem in nostræ infirmitatis umbra caperetur; et juxta Prophetam, in tali viveremus umbra; sive secundum Salomonem, in diu desiderati umbra sederemus (*Cant.* II). Et ista est dies, quam nascendo de beata Virgine fecit Dominus, horis eam duodecim mirabiliter percurrendo consummans, et in nostro nobis eas gnomone designans. Primam siquidem hujus diei horam habuimus in Christi annuntiatione, secundam in ejus nativitate, tertiam in circumcisione, quartam in apparitione, quintam in ejus oblatione, sextam in fuga ejus in Ægyptum, septimam in baptismate, octavam in apostolorum vocatione, nonam in transfiguratione, decimam in novi Paschæ institutione, undecimam in passione, duodecimam in inferni spoliatione. In hac duodecima hora visus est sol Christus occubuisse, et sepultus ad locum suum, id est ad terram, de qua carnem sumpserat, rediisse. Unde expavescens sol iste visibilis, etiam ipse non dando lumen suum visus est occidisse. Unde ait quidam sapiens : « Non erat mirum apud superos tenebras esse, cum sol descendisset ad inferos (S. MAXIMUS *hom.* II *in festo Paschæ*). His duodecim horis consummatus est dies justitiæ, succedens diei culpæ, præcedens diem gloriæ, de quibus diebus videtur scriptum. *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos* (*Ose* VI). Nam de tertia, id est de die gloriæ, videtur Salomon præmisso de die justitiæ. *Oritur sol et occidit, et ad locum suum revertitur*, subjecisse. *Ibique renascens gyrat per meridiem, et flectitur ad aquilonem* (*Eccle.* I). Renatus siquidem sol Christus in resurrectione consummata die virtutis, habitantibus in regione umbræ mortis initiavit diem æternitatis; imo errantibus in die mortalitatis illuxit dies æternitatis. Hujus diei prima fuit hora resurrectionis, a qua cœpit sol Christus reverti decem lineis per gradus quos descenderat. Primam lineam implevit in homine, per dies quadraginta apparens discipulis, et loquens de regno Dei. Novem lineas in novem implevit ordinibus angelorum, sicque a die ascensionis usque ad diem pentecostes decem gyrando diebus ad summum creditur meridiem pervenisse. Inde tandem ad aquilonem flectetur, cum veniens ad judicium, illum qui latera aquilonis elegit primo prorsus dejiciet : postea propriam aream purgans, et paleas tradens igni

inexstinguibili, grana in horrea congregabit, et tradens regnum Deo et Patri, eidem per omnia æqualis luce clarius apparebit. Interim *judica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie* (*Cant.* I), et qui de meridie tua radios tuos apostolis expandens, variis eos linguis ditasti, assistentis a dextris tuis reginæ varios nobis ornatus ostendens, sive in varietate virgarum, sive in multiplicitate stellarum. Nam et post cætera quæ prædicta sunt, visa est etiam habere in capite coronam stellarum duodecim (*Apoc.* XII). Hanc coronam credo esse gloriam et honorem, quo beata Virgo coronatur et honoratur in præsenti Ecclesia, in qua duodenis festivitatibus tanquam stellis totidem, tam in se quam in filio suo, colitur et glorificatur. Harum prima est Virginis ipsius nativitas, secunda filii annuntiatio, tertia ejusdem ortus, quarta circumcisio, quinta ejus per stellam declaratio; quæ, etsi in hac festivitate tantum apparuisse describitur, tamen nulli aliarum sua stella deesse cognoscitur, per quam salutis humanæ gradus aliquis declaratur; sexta, festum purificationis, septima, octava et nona triduum passionis, decima resurrectionis, undecima ascensionis, duodecima propriæ assumptionis. Vel si moraliter libet has stellas intelligere, dicamus eas duodecim virtutes, quas fructus Spiritus Apostolus enumerat, dicens: *Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas* (*Galat.* V). Harum virtutum merita sibi Virgo accumulans, earumdem præmiis velut stellis totidem creditur a Deo coronata. Per castitatem siquidem abdicavit illicita desideria; per continentiam abnegavit sibi superflua; per modestiam moderata et etiam necessaria; per fidem respectum habuit potius ad æterna, quam ad præsentia bona; per mansuetudinem se exhibuit socialem; per benignitatem liberalem; per bonitatem servavit in obsequiis simplicitatem, secundum illud. *Qui tribuit in simplicitate* (*Rom.* XII). Per longanimitatem perseverantiam, patientiam persecutionibus exhibuit, ne frangeretur; pacem, ne turbaretur; gaudium, ne accediaretur; per charitatem ad ultimum quæ est vinculum perfectionis, prædictas colligavit et consummavit virtutes (sicut solent auro in corona pretiosi lapides colligari), cavens ne privato aliquo amore coronæ claritas fuscaretur. Vel sic, casta fuit affectu, continens ab actu. Est enim continens actu, qui non est castus affectu. Et est castus affectu, qui non continet ab actu: qualis credendus est fuisse Abraham. Modesta victu et habitu, fidelis sine ruga simulationis; mansueta, ne inaccessibilis; benigna, ne inexorabilis; bona, ne implacabilis; longanimis, ne inconstans et variabilis: patiens, ne irascibilis; pacifica, ne perturbabilis. His decem virtutibus coronæ circulus consummatur: et forte ipse est denarius qui laborantibus in vinea moralis actionis, consummato opere pro mercede datur. Sicut enim denarius Regis præfert imaginem, sic

A pax quæ decimo constituitur loco hominem Filium Dei facit, et paternam imaginem in Filio repræsentat, juxta illud Evangelicum: *Beati pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur* (*Matth.* V). Alibi quoque in Evangelio quæ sit ista pax edocetur, cum dicitur: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* XI). Ecce hanc requiem parit humilitas; imo non aliud est hæc pax, quam ipsa humilitas.

Quid enim nocere potest bono æmulatori; quid perturbare hominem vilia de se sentientem, vilitate gaudentem, de illatis injuriis et contumeliis gloriantem? Sic quippe humilitatis magister contumeliis et tormentis interrogatus, nec contumeliis turbari, nec tormento potuit superari. Bonus denarius B humilitatis, qui dum totum quod est summo attribuit largitori, non solum decimam, sed et primitias bonorum suorum summo exhibet sacerdoti, coronæ denarii principium unicus fini, ut in unum coeant alpha et omega. Coronæ cum principium obtineat castitas, quæ per incorruptionem proximum Deo facit hominem, et similem; et finem concludet humilitas, quæ est castitas animæ; per quam cum solus Deus glorificandus cognoscitur, bona voluntas hominis ad pacem componitur; et non solum imago Dei, sed et similitudo in homine reparatur. Hæc corona gratia Dei operante et gratiæ Dei homine cooperante, in præsenti vita perficitur; et secundum prophetam corona gloriæ nominatur (*Isa.* LXI). Quæ vero sequuntur, gaudium scilicet et charitas, C velut duo hemisphæria sphæræ prædicti circuli superaddita, diadema regni perficiunt; ipsa tamen in præsenti vita non solum non perfici, sed et dimidiari vix possunt. Unde et factum esse dicitur silentium in cœlo, quasi media hora (*Apocal.* VIII).

Propheta dies illos vocat dimidios, in quibus dum adhuc orditur, succiditur. Hæc igitur in summitate sibi cohærentia, ut circulo coeant, deorsum a se invicem disparantur, tenentque singula quæque locum sortita decenter. Gaudium siquidem a læva protensum in dexteram, suo hemisphærio cognitionem prætendit veritatis; charitas suo hemisphærio a tergo tendens in faciem, cæteris omnibus supereminet: et præcellens cætera quasi spiritus principa- D lis confirmat et consolidat in amore virtutis. Huic in summitate cohæret gaudium, quod parit notitia veritatis, quoniam sursum et ibi anima adhærens Christo unus spiritus est; amor ipse notitia est, et una et summa ibi virtus est, amare quod videas, et videre quod ames. Sic quippe per charitatem anima unitur verbo, sicut corona unitur illi, de quo tota pendere cernitur, lapidi, ut merito dicatur corona de lapide pretioso; non quod sit tota de substantia lapidis; sed quod de plenitudine pretiosissimi lapidis Christi, quidquid pretiositatis aut pulchritudinis habet, credenda sit accepisse. A Christo siquidem emanat ad animam, quidquid percipit gaudii de notitia veritatis, quidquid meriti de amore virtutis. Ab ipso siquidem est gaudium, quod in-

funditur homini de contemplatione invisibilis et creatæ essentiæ : quod cœnum temporalium bonorum pertransiens, parit contemptum mundi. Ab ipso etiam velut ineffabile gaudium emanat, quod infunditur homini de contemplatione invisibilis et increatæ essentiæ, quod dexteram amplexans parit in homine contemptum sui. Hoc ipsum in eo notatur, quod arca propitiatorio, propitiatorium alis cherubim tegebatur. Et sicut ex contemplatione invisibilium creaturarum visibilium amor obducitur; sic ex contemplatione creatricis essentiæ amor sui spiritus et creatorum omnium temperatur. Felix anima, cui temporalia bona velut lævam dilecti pro pulvinari habenti sub capite, lætitia spiritualis de veritatis contemplatione concepta, contemptum omnium temporalium parit; et per contemptum omnium otium parat, quærendi studium reparat; et ad vacandum et videndum quam suavis est Dominus, incessanter invitat. Hæc tam feriata, tamque occupata inquisitio, hemisphærium gaudii spiritualis a suis terris initiat, secundum illud Prophetæ : *Lætetur cor quærentium Dominum* (*Psal.* CIV). Hinc anima perfecta lectuli otio, et nocturni silentii opportunitate captata, quærendo circumeundo ad superiora conscendit, donec se ipsam pertransiens transeat in dilectum; et fruendo eo invenisse se quod quæsierat, glorietur; et tenere fortius statuat, ne avolans elabatur. Si autem vocem dilecti audierit dicentis sibi : *Averte oculos tuos a me, quia ipsi me faciunt avolare* (*Cant.* VI), paret humiliter, licet invita; dexteram tamen gestiens retinere, tota interim in gratiarum actione versatur : gustatæ abundantiæ memoriam suaviter eructans, secundum illud. *Cogitatio hominis confitebitur tibi; et reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi* (*Psal.* LXXV). Cogitatio siquidem in summo sola soli Domino confitetur; deorsum recordatio diem festum agere dicitur, cum multis gratias agendo delectatur. Non est hoc gaudium de vanitate, non de concupiscentia oculorum, nec de vitæ superbia; quo gaudio dictus est gaudere mundus a Domino, ubi ait. *Mundus gaudebit, vos autem contristabimini :* sed illud, de quo subjungitur, *tristitia vestra vertetur in gaudium* (*Joan.* XVI). Et illud, de quo ait Propheta : *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo* (*Psal.* IV). Et alibi *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exsultatione; portantes manipulos suos* (*Psal.* CXXV). Tales manipulos exsultationis, quales prædiximus, de agro piæ actionis profert laboriosum exercitium studii spiritualis. Unde Apostolus : *Disciplina quæ ad præsens est, non videtur gaudii, sed mœroris; postea vero exercitatis per eam pacatissimum fructum afferet* (*Hebr.* XII). Audivimus fructus gaudii ; quæramus fructus charitatis. Charitatis hemisphærium a dorso dictum est protendi in faciem. Dorso siquidem onera imponi, atteri etiam flagellis dorsum solet. Unde Propheta : *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores* (*Psal.* CXXVIII). Usque ad tales fabricatores

A extendit se charitas per compassionem, multo amplius compatiens persecutoribus, quam patiens a persecutoribus : quod manifestissime apparet in S. Stephano, ut omittamus illam incomparabilem Christi charitatem, qua pro suis persecutoribus exoravit dicens : *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII). Non contentus orare, addidit et excusare. Stephanus suis lapidatoribus orando compatiens, aspera invectione eos redarguendo, zelum suæ compassionis manifestat, dicens. *Incircumcisi cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis* (*Act.* VII). Sive ergo arguat, sive obsecret charitas, officium compassionis exsequi comprobatur. Quanto autem per compassionem amplius in imis velut a posterioribus affligitur, tanto

B defæcatior et purior ad summa dilatatur, et summo angulari lapidi Christo, qui vere factus est in caput anguli, vicinius coaptatur. Ubi quia terrena inhabitatio sensum multa cogitantem moram facere diutinam non permittit, descendendo in faciem carnis se extendit, dum per congratulationem illis qui se ad anteriora extendere contendunt humiliter congratulando consentit, a dorso flens cum flentibus, a facie cum gaudentibus gaudens. In hunc igitur modum virtutum omnium regina charitas, et soror ejus lætitia spiritualis, in summo residentes mutuis complexibus uniuntur, ineffabilia et dulciora super mel et favum oscula permiscentes; ita quod non jam duo dicendæ sint, sed una perfruitio sum-

C mi boni; quæ vere finis præcepti, finis legis, finis totius consummationis, finis laboris et portus quietis. Quod si moraliter hanc coronam libet interpretari; melius hoc in locum illum servamus, ubi portæ istius faciem coronis aureis curabimus adornare.

In his omnibus varietatibus ab illa Trinitatis simplicitate, quæ in fundamento ostensa est, nequaquam receditur; cum ubique una Trinitas et trina unitas expressa reperitur. Ecce enim, ut cætera prosequamur, habemus in virgula fumi myrrham castitatis, cujus actus est mortificatio; thus humilitatis, cujus actus oratio; habemus ignem charitatis : quo succensæ prædictæ species subtilissimum, suavissimum, ac purissimum emittunt fumum, quo

D et sordes purificentur et olfacientes delectentur, et intuentes illuminentur. In rubi quoque virgula habemus per ruborem pudorem castitatis, per aculeos humilitatem continuæ pœnalitatis, per ignem non consumentem suavissimum ardorem charitatis. Hoc igne succensa B. Virgo Maria civitatem nostram velut porta lucis purificare, jucundare; illuminare, fumo [*forte* flamma] excellentissimæ suæ opinionis non cessat; meritis purificans, beneficiis jucundans, exemplis eam illuminans et inflammans. Et hæc dicta sint pro virga mensuræ et solis statione, quæ Moyses (*Exod.* IV) et Josue ad portæ nostræ gloriam et decorem dicti sunt obtulisse (*Josue* X). Quæ duo in Cantico suo notasse videtur Habacuc, ubi ait : *Stetit et mensus est terram* (*Habac.* III) Ubi enim

Christus sol noster moriendo dimensus est metas humanæ mortalitatis, ibi vere stetisse et maxillas Leviathan hamo divinitatis sub esca carnis abscondito perforando, diabolum ejecisse et leonem rugientem leo de tribu Juda probatur superasse. Stat etiam nobis idem sol in hac porta; quia qui in contemplatione divinitatis suæ diu stare non possumus, opponente se mole corporis quod corrumpitur et animam aggravat, in suæ humanitatis humilitate suaviter requiescimus; et in ipsius factis et verbis velut in solis radiis lucis candorem et devotionis calorem reperimus, spectantes illud Salomonis : *Dilectus meus candidus et rubicundus* (*Cant.* v). Et in hac solis visione subtilius nos ipsos metimur, cum ex operum ejus comparatione, seu verborum indagatione, quantum ad eum profecerimus, sive quam longe adhuc ab eo distemus agnoscimus. Coarctat nos angustia jamjam finiendi sermonis, et cætera quæ sequuntur breviter transeunda indicit.

Quid igitur vellus Gedeonis (*Judic.* vi) aliud intelligimus, quam beatam Mariam, quæ humanæ naturæ velut ovi centesimæ, quæ errando perierat, tandem ad tegumentum et ornatum data esse cognoscitur? In hanc ros divinæ gratiæ cum tanta plenitudine placido se infudit illapsu, ut merito gratia plena dicta sit ab angelo et de ejus plenitudine tota humanæ naturæ area, quæ usque ad illud tempus sicca et absque humore charitatis arida persliterat, invenitur perfusa. Quidquid enim spiritualis gratiæ Ecclesia in toto orbe diffusa in membris suis majoribus sive minoribus percipit, totum sibi de hujus velleris fecunditate provenire, et suæ capacitatis concham expresso vellere rore compleri, humiliter recognoscit. Et sic quidem velut hæreditati suæ pluviam hanc voluntariam segregavit ille, qui sicut pluvia in vellus descendit, et suo descensu vellus ab omni humore carnalis concupiscentiæ lavit, purgavit, et desiccavit; ut aream tali humore madidam siccitate velleris detergeret et mundaret, portans in se iniquitates omnium nostrum et afflictus propter scelera nostra. Quod si propositæ Trinitatis libet in his investigare vestigium, habemus in vellere, quod cum de carne trahat originem, nullam tamen carnis habet sensibilitatem, humanæ castimoniæ venustatem. In area, in qua omni asperitate in planitiem versa quælibet altitudo detumuit, humanæ humilitatis æqualitatem. In pluvia divinæ charitatis dulcissimam suavitatem; quæ humanæ castitati et humilitati confert initium, profectum et consummationem. Non autem venit hæc pluvia super montes Gelboe, super quos pluit potius Dominus laqueos, ignem, sulphur, et spiritum procellarum (*II Reg.* ii). Eadem in auro et argento et lapidibus præparatis a David, facile diligens lector inveniet. Quibus si æs, ferrum, et ligna cedrina jungantur; non erit absonum in ære, quod cæteris metallis est durabilius, eam intelligere, quæ non excidit, charitatem; in ferro quod durius, eam quæ nulla liquatur mollitie castitatem in ligno cedrino patientissimam humilitatis et insuperabilem lenitatem. Nam quod dicit Isaias : *Pro ære afferam aurum, pro ferro argentum, pro lignis æs, et pro lapidibus ferrum* (*Isa.* lx), congrue intelligi possunt in ære, ferro et lignis, prædictæ virtutes, cum sint in solo actu; pro quibus dantur a Deo illæ quæ sunt in affectu. Nec illud Salomonis incongrue huic sensui aptari potest, quod de beata Virgine in persona dicitur angelorum : *Quia faciemus sorori nostræ, in die qua alloquenda est? Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea; si ostium est compingamus illud tabulis cedrinis* (*Cant.* viii). Murus siquidem fuit, quando per humilitatem suæ celavit excellentiam sanctitatis. Sed quia vera humilitas nunquam novit esse otiosa, habuit etiam hic murus propugnacula argentea, cum se ipsam per charitatem exercuit in operibus pietatis, et claritate enituit perpetuæ castitatis. Facta est etiam ostium, quæ prius murus fuerat; cum superveniente in eam Spiritu sancto, et virtute Altissimi ei obumbrante, quæ prius absconderat per humilitatem conservans et conferens in corde suo, iis qui scire ea digni inventi sunt, revelavit per charitatem. Compactum quoque fuit hoc ostium tabulis cedrinis; quia et tabularum planitiem in humilitatis habuit æqualitate, et cedri naturam incorruptibilem retinuit in virginitatis integritate. Bene autem dictum est : *Compingamus*, quia virtutes istæ ex quo versæ in habitum transierint in affectum cordis, tanta invicem inveniuntur unitate compactæ, ut non jam aliud sit humilitas vel castitas, quam charitas, et in uno charitatis præcepto præcepta omnia cætera consummentur. Non autem sic est de illis quæ sunt in actu, cum modo unam, modo aliam oporteat exerceri, et pro loco, pro persona, pro tempore, opus ipsum oporteat variari. Intermittendus etiam aliquando est earum actus, ut latius se extendat, secundum illud : *Qui minoratur actu, percipiet sapientiam* (*Eccli.* xxxviii). Hac quoque nos ratione inducti, paululum quiescendum ducimus a labore scriptitandi, ut, quiete modica recreati, quæ supersunt facilius explicemus. Invitat nos etiam ad pausandum thronus ille eburneus, qui primo describendus occurrit : de quo legitur quia non est factum tale opus in universis regnis (*III Reg.* x). Petimus autem veniam a lectore quod, juxta promissum, non omnia prædicta sub uno sermone conclusimus, quoniam spiritum ducem sequimur, et quocunque ducit ille, illuc et sequi necesse est rotam nostræ investigationis. Ut enim verum fatear, stante illo, stat ista; eunte illo, et ista; et cum elevato pariter elevatur. Ipse autem semper alpha et omega, etc.

TRACTATUS XIII.

DIGRESSIO, QUA LAMENTATUR AUCTOR JERUSALEM AB INFIDELIBUS CAPTAM.

Cum gloriosa quæ gloriose de civitate Domini a David prævisa et a multis regibus et prophetis prædicta et præfigurata noscuntur, tanto jam cla-

rius, quanto vicinius speculamur; et duodecimæ A portæ limina attingentes per eam intrare contendimus, subito ejusdem portæ gloria et decore, ac splendoris insoliti fulgore nimio percussi stupemus, totque varietatum admiratione illecti libenter gressum figimus, et cum regina Saba præ nimio stupore non habentes ultra spiritum exclamamus : *Media pars* per prophetas *nuntiata non fuerat* (*III Reg.* x) : incomparabiliter majus est quod videtur quam rumor qui auditur, nec jam cum Propheta dicere sufficit : *Sicut audivimus, sic vidimus* (*Psal.* XLVII); sed longe ampliora quam audivimus de civitate Domini jam videmus. Sed heu heu, dum ordimur, succidimur; et cum ad requiem ingredi festinamus, repente ventus vehemens irruit a regione deserti, B quo civitas nostra tota concutitur; columnæ et turres ipsæ contremiscunt, fundamenta ipsa nutare videntur. Portæ gloriæ non tam clausæ, quam obstructæ reperiuntur. Ipsa denique porta lucis, cujus gloriam paulo ante tam delectabiliter speculabamur; illa, inquam, orientalis porta, per quam civitatem suam illustrare consueverat oriens ex alto, radios suæ lucis abscondit; et sublato de civitate Domini lumine gloriæ, condensatis tenebris mœroris atque tristitiæ, conquiescit gaudium tympani, dulcedo citharæ conticescit, ita ut versa videatur in luctum cithara nostra, organum nostrum in vocem flentium. Risus quo tota civitas jam nobis intrantibus arridebat : heu, heu! ecce dolore miscetur, et gaudii nostri non solum extrema, sed ipsa etiam primor- C dia luctus occupat. Jam non portas civitatis nostræ occupat laudatio; jam non recte dicitur civitas exsultans, urbs frequens, clamoris plena, nisi forte illius clamoris, qui in Rama auditus est, ploratus et ululatus Rachelis plorantis filios suos (*Matth.* II), sive Noemi dicentis : *Nolite me vocare Noemi, id est pulchram, sed vocate me mara, id est amaram; quia amaritudine replevit me Dominus* (*Ruth.* I). Quæ hodie alia debet esse vox Ecclesiæ, nisi ut Rachelis, quæ ovis interpretatur, amissa fecunditate, offuscata Noemi venustate, ruinas suas deplorans quadrupliciter eas cum Jeremia describat? Scribat autem stylo ferreo in ungue adamantino, ne facile deleri, ne cito transire valeat, quasi momentaneus dolor ejus; sed semper suam descriptionem habens D præ oculis, a lacrymis eis non parcat etiamsi præ fletu palpebræ contumescant, et ipsi oculi caligine obtegantur, donec Dominus, qui ad præsens oblitus misereri videtur, in ira sua misericordiæ recordetur. Primo igitur terrenæ Jerusalem ruinam deploret, licet eam spiritualis Jerusalem ruina præcesserit; nec terrenæ ulla nocuisset adversitas, nisi prius dominata fuisset iniquitas Jerusalem spirituali. Verum, quia fides hodie mortua videtur, nec est jam qui fidei oculos apertos habens rerum sperandarum et non apparentium argumentum requirat, magis ea quæ videntur nostri temporis homines movent, quam ea quæ non videntur; plusque doleant, subtractis iis quæ habentur, quam iis quæ tantum sperantur sublatis, licet ea quæ videntur et habentur transitoria sint; ea quæ non videntur et sperantur, æterna (*II Cor.* IV). Temporalem igitur visibilis Jerusalem casum in persona Ecclesiæ deploremus qui membra Ecclesiæ digni habiti sumus; et patienti uni Ecclesiæ membro compati et condolere, imo ipsam vim doloris non minus quam ipsum quod patitur membrum, sentire, si vera sumus membra, debemus.

Legimus in Veteri Testamento, templum ab Antiocho profanatum, altare aureum, et candelabrum luminis, mensam propositionis, et libatoria, et phialas, et mortariola aurea, velum et coronas, et ornamentum aureum, quod in facie templi erat, et universa vasa templi ab eo comminuta. Quid etiam ad hæc homines duræ cervicis, Judæi scilicet, egerint vel dixerint, audiamus : *Factus est*, ait Scriptura, *planctus magnus in Israel; ingemuerunt principes et seniores; juvenes et virgines infirmati sunt, et speciositas mulierum immutata est. Omnis maritus sumpsit lamentum : et quæ sedebant in toro maritali lugebant; et commota est terra super habitantes in ea, et universa domus Jacob induit confusionem* (*I Machab.* I). Quid etiam Mathathias, videns mala quæ fiebant ab Anthiocho in populo, quid, inquam, dixerit, audiamus. *Væ mihi*, ait. *Ut quid natus sum videre contritionem populi mei, et contritionem civitatis sanctæ, et sedere illic, cum datur in manibus inimicorum? Sancta in manu extraneorum facta sunt, templum ejus sicut homo ignobilis. Vasa gloriæ ejus captiva abducta sunt; trucidati sunt senes ejus in plateis; et juvenes ejus ceciderunt in gladio inimicorum. Quæ gens non hæreditavit regnum ejus, et non obtinuit spolia ejus? Omnis compositio ejus ablata est. Quæ erat libera, facta est ancilla. Et ecce sancta nostra, et pulchritudo nostra, et claritas nostra desolata est, et coinquinaverunt eam gentes. Quo ergo nobis adhuc vivere? Et scidit vestimenta sua Mathathias, et filii ejus, et operuerunt se ciliciis, et planxerunt valde* (*I Machab.* II). Si carnales illi homines sola carnalia sapientes, et carnales cæremonias venerantes, ad sanctorum suorum profanationem adeo inconsolabiliter doluerunt, quid facturi sunt Christiani, qui non in vetustate litteræ serviunt, sed in novitate spiritus ambulant (*Rom.* VII); qui non ad servitutem tam multarum, tamque importabilium cæremoniarum, sed ad libertatem gratiæ sunt vocati; qui non spiritum servitutis in timore, sed spiritum adoptionis, in quo *Abba Pater* exclament (*Rom.* VIII), acceperunt? Ad quos faciens Dominus verbum abbrevians et consummans super terram, pro omnibus illis veteribus et deprimentibus legis mandatis, unum charitatis mandatum novum instituit, quod observatores suos ab omni alleviaret onere, et a carnalis concupiscentiæ vetustate suaviter innovaret; pro variorum etiam sacrificiorum nidore unam constituit hostiam incruentam, cujus idem ipse voluit auctor esse et consecrator, seipsum pro suis hostiam Deo offerens in odorem suavitatis

(*Ephes.* v). Nec discrepare voluit hostiam a mandato, cum charitatem illam qua nemo majorem habet (*Joan.* xv), seipsum offerendo in se nobis primus exhibuit; et eamdem sibi a nobis per idem sacrificium voluit exhiberi. Quid enim aliud nobis protendit et prædicat sacrificium illud, nisi ut toto corde, tota virtute diligamus eum, qui adeo nos dilexit, ut mori voluerit pro peccatis nostris, non solum exemplum et memoriam relinquens suæ passionis, sed etiam remedium adhibens nostræ infirmitatis? Non enim sacramento illo provocamur tantummodo ad imitationem, sed etiam emundamur ad sanctificationem. Hæc sunt Christianorum Sancta sanctorum; hæc nulla vetustate deleri, nulla temporum varietate mutari, nulla possunt profanatione hostium inquinari. Sed voluit divini consilii inscrutabilis altitudo, quædam visibilia sancta Christianis conferre, quæ visibilium sectatores, qui ad invisibilia Sancta sanctorum non conscenderunt, visibiliter intuentes, scalam sibi ad invisibilia facerent; habentes ea argumentum ad fidem, incitamentum ad dilectionem, signum ad recordationem, causam ad venerationem, remedium ad sanctificationem; securum tandem et commune omnibus auxilium contra omnem tribulationem. Sancta hæc intelligit, quisquis se intelligit crucem Domini et sepulcrum. Hæc non solum ultima hac ætate sunt Christianis exhibita, sed præcedentibus ætatibus multifarie multisque modis a patriarchis prævisa sunt et prophetata. E quibus unus Isaias sic ait: *Erit sepulcrum ejus gloriosum* (*Isa.* xi). Et alibi: *Locum*, ait, *pedum meorum glorificabo* (*Isai.* lx). De cruce quoque Domini Habacuc ait: *Cornua in manibus ejus. Ibi abscondita est fortitudo ejus: ante faciem ejus ibit mors* (*Habac*, iii). Et David propheta: *Foderunt manus meas et pedes meos* (*Psal.* xxi). Jeremias quoque in persona Judæorum: *Mittamus*, ait, *lignum in panem ejus* (*Jer.* xi). Liquet plane, in quanta veneratione habeant Christiani, quæ tam longe ante admirando et venerando ipsi etiam præviderunt et prædixerunt Judæi. Hæc sancta mei temporis homines mecum nostris diebus conculcata deplorant. Si suorum sanctorum momentaneam violationem tam irremediabilibus lacrymis deplanxerunt Judæi; nobis quæ consolatio potest esse, qui hæc nostra sancta, non tantum violata, sed etiam captiva videmus?

Ecce arca fœderis Domini, arca testamenti novi, crux scilicet Christi, gloria populi Christiani, medicina peccatorum, curatio vulnerum, restitutio sanitatum, captiva ducta est in Damascum. Arca, inquam, nostra, quæ non solum virgam, tabulas testamenti, et manna uno in loco contineat, spatioque brevi concludat: sed quæ quatuor brachiis quatuor terrarum partes comprehendens, toto orbe terrarum suis cultoribus virga sit ad correctionem, liber ad eruditionem, manna ad consolationem. Per eam siquidem corriguntur perversi, erudiuntur erronei, obedientes et docti consolantur, habentes urnam auream spiritualis intelligentiæ, per quam quæ sit latitudo crucis, longitudo, sublimitas, et profundum, cum omnibus sanctis comprehendant. Nec solum arca secretorum, sed et communis omnium est scala peccatorum: per quam Christus rex cœlorum ad se traxit omnia. Duo hujus scalæ latera duo sunt crucis ligna, quæ sunt contemptus voluptatis, et contemptus vanitatis. Per hæc contumeliis et tormento interrogatus contumelias amplectens, omnes suos contemnere docuit gloriæ vanitatem; tormento non cedens, carnalem quamlibet abdicari voluit voluptatem. Quid hac perfectione felicius, qua fit, ut homo nec abjecta timens, nec aspera, imo pro Christo talia pati desiderans, angelica jam fruens ubertate sperare desierit et timere? Nec enim sperat prospera, qui contumeliis gaudet, nec formidat adversa, quem vel delectat adversitas vel exercet. Heu, hæc omnia nobis tecum sunt o bona crux, sublata! imo, ut verius loquar, his tuis virtutibus jamdudum a nobis remotis, tuis fructibus jejuni, tua etiam cohabitatione facti sumus indigni. Neque enim dignum fuit, ut esses nobis sicut umbraculum in vinea, aut sicut tugurium in cucumerario; quæ cum fieri soleant in pomorum custodiam, sublatis pomis ea pariter desolantur. Quis mihi det tecum sublatum fuisse de medio? Quis cum illis novis martyribus defensoribus tuis animam pro te dedisse, corpus tuis obsequiis impendisse? O terque quaterque beati, qui te sequendo, te tuendo, maluerunt succumbere, quam sine te in bonis ducere dies suos! Nunquid non in his videtur venisse Christus iterum crucifigi? venit plane denuo crucifigendus ab ethnicis, qui semel crucifixus fuerat a Judæis. Et hoc forte in prima præsignatum fuera passione. Sibi enim hora tertia crucifixus legitur linguis Judæorum, hora sexta manibus ethnicorum. Videtur igitur nostræ diei sexta jam incœpta hora, in qua sit passio Domini consummanda; et Filius iterato, clamans: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me* (*Psal.* xxi), pro sua reverentia exaudiri mereatur, ut denuo aperiantur monumenta, scindantur lapides (*Matth.* xxvii), et multi eorum qui in peccato obdormierant, suscitentur. Nunquid non sic necesse erat, fidem Christianam morte testatoris confirmatam, et jam ubique terrarum non solum sine operibus mortuam jacentem, sed etiam mortuis operibus putridam et fetentem, iterata ejus passione a morte resuscitari? Sic plane decipiendus erat draco ille antiquus, qui formatus est ut illudatur ei, qui cum absorbuisset fluvium, et non miraretur, jam in os suum Jordanem etiam influxisse gaudebat. Sic sic Leviathan hamo denuo fuerat capiendus ut qui prius esca Dominicæ carnis deceptus, ferro divinitatis fuit illaqueatus, nunc quoque esca Dominicæ crucis, humanæ scilicet propitiationis illectus, ferro divinæ sententiæ suas tandem maxillas perforatas sentiret, nec solum quos absorbuerat evomeret, sed et illos amitteret, quos ad deglutiendum paraverat et perdendum. Di-

vina quippe justitia erat, ut Christiani, qui, relicto Christo, sponte se diabolo peccando subjecerant, puniendi eidem etiam traderentur.

Sed hæc Dei justitia, velut quædam virga ferrea, incurvata videtur et inflexa; cum sævienti adversario in crucem Domini, imo in ipsum crucis consecratorem, occulto ejus judicio potestas est concessa; ut quam juste in Christianos acceperat potestatem, mereatur amittere, cum accepta in Christum abutitur potestate. In eum siquidem per ministros suos iterum debacchatur, cum et nomen ejus ignominiose ab ethnicis blasphematur, et gloriosum sepulcrum ejus, proh dolor! turpissime conculcatur, conspuitur, exprobratur, et lignum salutiferæ crucis, quod in corpore ejus dedicatum est, et ex membris ejus tanquam margaritis ornatum, non solum captivatur, subsannatur, et omnium inimicorum spurcitiis dehonestatur, sed etiam tandem Machometo offertur, ut de Christi ignominia Machometus glorificetur; et non solum de Christianis, sed et de Christo triumphasse Machometus a suis inique prædicetur. Non enim hæc acta sunt, quia Machometus potuit, sed quia Christus voluit, volens dare Christianis occasionem zelandi Domini sui gloriam, vindicandi Patris injuriam et hæreditatem propriam vendicandi. Ecce enim tempus acceptabile, quo probati manifesti fiant; quo probet Dominus, qui sint ejus; qui sint ei fideles, qui perfidi; qui filii alieni, qui proprii. Fideles siquidem milites suum regem sequentur, pro suo se rege hostibus incunctanter objicient, malentes pro eo fortiter occumbere, quam segniter fugiendo vitam sibi conferre, ignominiam suo regi inferre. Si sic pro rege mortali actitant Christiani, quanto fideliores esse debent cœlesti et immortali? E contrario filii alieni mendaces probabuntur, solo se nomine tanto patri, non re filios exhibentes. Filii siquidem alieni, juxta Prophetam: *Inveterati sunt, et claudicaverunt a semitis suis* (*Psal.* XVII). Vetus namque Adam de terra terrenus, novus autem de cœlo cœlestis (*I Cor.* XV). Novus autem temporalibus æterna docuit præponenda; vetus æternis derelictis carnalia et terrena elegit. Hujus falsi Christiani imitatores effecti, Christi novitate relicta veterem hominem induerunt; sicque inveterati, et Christo mentientes, facti sunt filii alieni. Unde et claudicaverunt a semitis suis (*Psal.* XVII), in exsecutione mandatorum Dei debiles, in explendis desideriis carnalibus et sæcularibus fortes. Proh dolor! patres carnis filii reverentur, et pro patris injuria vindicanda, et angusta hæreditate tuenda, decertant usque ad mortem; nec verbis, nec verberibus cedunt. Filii autem patris spiritualis facti omnino degeneres, sicut nec patris vices dolere, sic nec paterna hæreditate digni esse probantur. O vere beati, qui nunc veri esse filii inveniuntur, qui nunc Dominum suum non negant, patrem non erubescunt, cum tam vehementem plagam ejus conspiciunt, ut vere beatus sit, qui scandalizatus non fuerit in eo. Sed quantacunque sit materia scandali, veri tamen A filii nequaquam scandalizantur, nec verenda patris irrident; sed retrorsum incedunt, et facies habentes aversas pallio piæ interpretationis operiunt, attendentes se patri dedisse causam hujus ebrietatis (*Gen.* IX). Nostra siquidem crimina, nostra scelera inebriaverunt eum absinthio, ita ut post longam dormitionem, post diutinam simulationem, post morosam exspectationem nostræ correctionis, tandem evigilasse videatur quasi potens crapulatus a vino (*Psal.* LXXVII), quasi virga vigilans, quæ ollam terrenæ cupiditatis a diabolo vehementer accensam conterat et evertat. Sed non terrentur filii virga patris, scientes quia *quos diligit Dominus castigat flagellat autem omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII). Illam potius formidolosam Domini comminaB tionem verentur, qua ait: *Recessit zelus meus a te, ultra non irascar tibi* (*Ezech.* XVI). In eo autem probant veri filii virgam esse patris, non malleum judicis, si virgam sequatur correctio, correctionem consolatio comitetur. Gratias tibi, bone Jesu, qui tria hæc circa filios tuos non desinis operari. Hoc quippe privilegio gaudent filii tui, hanc de patris tui promissione indubitatam tenent securitatem. Ait enim per prophetam David: *Si dereliquerint filii mei legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint; si justitias meas profanaverint, et mandata mea non custodierint; visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in* C *veritate mea; neque profanabo testamentum meum, et quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita* (*Psal.* LXXXVIII). Et ne de nuda promissione aliquis hæsitaret, etiam juramento firmatur, cum dicitur: *Semel juravi in Sancto meo, si David mentiar, semen ejus in æternum manebit; et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum. Ubi sunt* ergo nunc *misericordiæ tuæ antiquæ, Domine, sicut jurasti David in veritate tua?* (*ibid.*) Nunquid attendis opprobrium servorum tuorum, quod in sinu Christi tui reponitur, multarum gentium exprobrantium, non solum commutationem, sed et diminutionem, imo evacuationem Christi tui? Et si, Domine, repulisti et despexisti populum tuum, et pro peccatis eorum distulisti Christum tuum, D nunquid etiam abstulisti? Nunquid evertisti testamentum servi tui, cum profanatum cernatur sanctuarium ejus in terra? *Exaltasti dexteram deprimentium eum, lætificasti omnes inimicos ejus. Avertisti adjutorium gladii ejus, et non es auxiliatus ei in bello. Destruxisti eum* (*ibid.*) in membris suis, nunquid absque eorum emundatione? Absit, Domine, absit, ut in ira misericordiæ non recorderis, et tam duram castigationem filiorum emendatio et emundatio non sequatur, emundationem consolatio non comitetur. Verbera patris exhibuisti filiis, ne, quæso, obliviscaris exhibere etiam ubera matris. Fac, obsecro, pater misericordiarum et Deus totius consolationis, fac filios tuos et de verbere tuo proficere, et de tua citius consolatione

gaudere. Fac plenius quod jam facere incœpisti; consumma, Deus, hoc quod jam cœpisti operari in nobis. Ecce, te operante, salutem in medio terræ videmus jam perditissimos homines emundari, currere ad confessionem, pœnitentiam agere, satisfacere pro præteritis peccatis, de futuris quærere et promittere emendationem. Nec mediocri, ut assolent, contenti pœnitentia, undique convolant ad perfectionem, mittentes manum ad fortia, crucem sibi bajulant, et relictis omnibus sequuntur Christum. Nec solum infimæ personæ aut mediocres hoc attentant, summæ etiam crucem sibi affigunt, imo cruci se gloriantur affigi.

Hoc Romanum imperatorem, hoc filium ejus suave ducere, hoc fere omnes Germaniæ principes fecisse videmus, et testamur, dicentes cum Apostolo: *Quod vidimus et audivimus, et manus nostræ tractaverunt de verbo* (*II Tim.* II) crucis, hoc testamur et annuntiamus omnibus qui sunt ista audituri. O bone Deus, quanti fuerint ibi clamores in cœlum dati, quot gemitus, quot suspiria educta de profundo, quot effusæ lacrymæ, quanto lacrymarum imbre terra illa perfusa, tu solus, Domine, nosti, qui solus talia operari potuisti, educens denuo aquam de petra, et deducens tanquam flumina aquas! (*Psal.* LXXVII.) Videres ibi iterum crucem exaltatam omnia trahere ad seipsam, et evacuato jam crucis scandalo, non jam crucis captivationem deplangi, sed crucis gloriam prædicari; et fere omnes majores pariter et minores cruce de manu nostra suscepta in sola jam cruce gloriari. Quid de illustribus, et nunc vere gloriosis Franciæ et Angliæ regibus dicam? quid de utriusque regni principibus, ubi paucissimi relicti sunt, qui non cœlestis regis vexilliferi sunt effecti? Vexilliferi plane sunt dicendi, qui prius opus tam arduum, tam laudabile sunt aggressi. Unde et de eis merito dici potest, quod in laudibus beati Stephani dictum legitur; si quid inter martyres distat, maximos illos esse, qui primi exstitisse noscuntur, eis tamen specialiter cedit ad gloriam, quorum æmulatio cæteros provocavit, et qui in odore unguentorum suorum alios post se trahentes currere faciunt ad salutem (*Cant.* I). Quid plura? Omnis natio, omnis conditio, omnis ætas, eorum exemplo ad similia animatur. Granum quippe sinapis efferbuisse videtur ad trituram; et unde antiquus hostis scandalizasse fideles præsumebat, inde messis uberior cernitur surrexisse; inde fides mortua ferventior noscitur revixisse. Tanto autem gloriosior, et amplioris meriti probatur esse hæc fides apud Deum, quanto ei nulla humana ratio præbet experimentum. Non enim nunc, sicut initio nascentis Ecclesiæ, *cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt* (*Matth.* XI); sed nullis talibus signis jam apparentibus, ita ut vere dici possit, *signa nostra non vidimus, jam non est propheta* (*Psal.* LXXIII); et illud: *Non egredieris, Deus, in virtutibus nostris* (*Psal.* LIX); nunc potissimum qui scandalizati non fuerunt, non solum beati,
A sed et beatissimi sunt dicendi. Est tamen cernere, si quis oculos fidei habeat revelatos, signa nova tanto gratiora, quanto uberiora; tanto digniora, quanto animæ immortalis potius quam corporis perituri saluti efficaciora. Nam cæci qui prius erant ad veritatem, claudi ad bonam operationem, leprosi ad virtutem, surdi ad spiritus suggestionem, mortui ad charitatem; non ad manus Christi, non ad fimbriæ tactum, non ad vivifici ligni præsentiam, sed ad solam ipsius umbram recipiunt sanitatem. Ecce qui præsentem non verebantur, in solius umbra nominis gloriantur. Quid hoc est miraculi, fratres, quid nisi impleri cernimus his diebus, quod longe ante prophetatum audivimus? *Innova signa, et immuta mirabilia. Glorifica manum, et brachium*
B *dextrum. Extolle adversarium, et affige inimicum* (*Eccli.* XXXVI). Ecce, sicut diximus, signa vetera videamus innovata, antiqua mirabilia immutata, manum dextram et brachium Domini glorificata. Ad sinistram enim videbantur spectare sanitates, quæ ad præsentis vitæ subsidium conferebantur. Nam in dextera ejus longiturnitas vitæ, in sinistra illius divitiæ et gloria. Dexteræ igitur excelsi est hæc gloriosa mutatio (*Psal.* LXXVI), qua de flagitiosissimis castos, de ferocissimis mansuetos, de superbissimis humiles, de tenacissimis liberales, de regibus et principibus mundi contemptores, martyres effectos cernimus de tyrannis. Nunquid enim non veri sunt martyres qui, se ac sua suosque minime attendentes, desolationem exsilii diutinam non verentur;
C non aeris inclementiam, non procellosi maris instabilitatem, non confusionem sonitus ejus ac fluctuum, non innumera viæ ac solitudinis pericula, nec famis ac sitis inediam, non ipsam denique mortem; sepultura etiam carere non formidant. Hoc solum est, quo maxime molestantur, quod in hostes Christi ruere, quod adversum se provocare adversarios protrahuntur; non minus ad coronam justitiæ, si occubuerint, quam ad palmam victoriæ, si superaverint, aspirantes. Nunquid non sola dextera Domini facit tantam virtutem, qua, spretis temporalibus, tanto desiderio sola quærantur et amentur æterna? Ecce dextera Domini gaudent amplexari, qui de sola læva temporalium bonorum
D quam habebant sub capite, gloriari solebant. Læva hæc extulit adversarium, sed ecce dextera affligit inimicum. Elatus siquidem est et elevatus pro transitoria et momentanea prosperitate animus Salahadini, qui Christianis præ omnibus gentilibus studuit adversari.

Sed unde hic adversarius est elatus, inde, operante gratia, antiquus et iniquus humani generis affligitur inimicus. Salahadinus siquidem Christianis adversatur, ut jura eorum possideat; sed diabolus iniquo eos odio per Salahadinum et alia membra sua persequens, nomen Christi penitus delere festinat. Tanto igitur acrius affligitur, quanto ei nunc dominandi Christianis potestas aufertur, et innumera ei captivitatis vasa eripiuntur. Renuntiatur

atrocissimo prædoni a populis diversarum linguarum et nationum; et vix jam inter Christianos reperitur, qui non tyrannicis legibus reluctetur. Fremit igitur exspoliati hostis impius furor, et novum quærit lucrum, quia perdidisse se jus sentit antiquum. Pœnitet eum jam, ni fallor, hujus suæ adinventionis, deprehensum in laqueo quem tetendit. Credebat sic acephalos posse fieri Christianos, si sepulcro et cruce Domini profanatis, et in manus hostium datis, jam ad illud commune omnium peccatorum asylum confugere, ad illud ultimum sceleratissimorum remedium transire non valerent. Sed ecce hac spe sua frustratus, et in contrarium cessisse deplangens, nunquid non cum suis satellitibus stupendo tibi dicere videtur? O crux fallens gaudia nostra, et parturiens damna nostra, cur te exhibuimus Pilato, cur tradidimus Salahadino? Quoties tuam ignominiam, tuam procuravimus perditionem, toties tuam gloriam, nostram autem sensimus læsionem. Quot ei suscitavimus impugnatores, tot semper invenit robustissimos defensores. Judæus etiam nobis suadentibus sepelivit, sed effodiente Helena Constantinus eam mirabiliter exaltavit. Cosdroe nostro eam auxilio captivavit; sed Heraclius ampliori eam gloria sublimavit. Gentilis noster populus totam terram illam nobis semper exosam aliquando nobis cooperantibus occupavit; sed Carolus ab Occidente veniens in manu forti et brachio extento eam ab hostibus liberavit; sed expulsis iterum Christianis, denuo per quosdam Occidentales, multo nostris pauciores multoque inferiores, nostri victi sunt et expulsi. Quid igitur nunc nobis sperandum est, quid agendum? Similia plane exspectanda nunc essent, nisi quod jam advenisse hora nostra videtur. Hora, inquam, illa, de qua crucifixus prædixit, tantam futuram esse tribulationem, quanta non fuit, ex quo gentes esse cœperunt. Ubi etiam prophetiam Danielis inducens, *Cum videritis*, inquit, *abominationem desolationis stantem in loco sancto, qui legit intelligat* (*Matth.* XXIV). Nos igitur hoc intelligentes, desolationem istam, quam in loco sancto esse fecimus, stare ibidem diutius faciamus; et si forte convenerint Christiani, ut suorum subveniant desolationi, paremus eis offendicula, struamus impedimenta, laqueos eis tendamus. Inter eos lites et jurgia seminemus. Viderentur ad præsens nostra vincula, nostrum dominium evasisse, sed ad consueta facile relabentur, nec repulsam apud eos diutius patiemur, cum hinc cis carnales delicias, affectus amicorum, natalis soli dulcedinem, bonorum affluentiam, vitæ suavitatem proponemus: inde viarum periculis, transitus difficultate, penuria victualium, caloris et hiemis acerbitate, et innumerorum hostium deterrebimus atrocitate.

Eia ergo commilitones mei, quid agimus, quid moramur? Circumeamus terram et perambulemus eam, dividamus nobis regiones et regna, ubique spargamus scandala, dissensiones concitemus et bella. Illi circa Germaniam versentur, illi circa Galliam, illi circa Angliam, quique ad illos pertinent, quos melius noverunt, quibus sæpius illuserunt, circa quos corrumpendos amplius profecerunt. Heu! heu! talia ab inimicis crucis dicta, imo etiam facta, ipsis jam rerum experimentis edocemur. Jam enim servos crucis, qui se cruci dedicaverant, qui se non nisi Christo militaturos devoverant, ad vomitum rediise videmus, et contra tam recens votum arma corripuisse dolemus. Jam crux adversus crucem dimicat, crucifixus crucifixum impugnat. Qui sola jam cœlestia sapere videbantur, ecce insatiabiliter terrenis inhiare probantur. Turbaverant et moverant eos sicut ebrios injuriæ Christo illatæ ab ethnicis; sed ecce graviores inferuntur a filiis, ab inimicis Christi crux est tanquam ab incredulis captivata; sed ab amicis et credulis crux est impiissime abnegata. Nunquid non denuo tibi Christus dicere videtur? *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem, utique. Nunc vero homo pacis meæ in quo sperabam, qui edebat panes meos, ampliavit adversum me supplantationem* (*Psal.* LIV). Nunquid non ampliasse videntur amici, nunquid non amplius nocuisse, quam ipsi inimici? Nunquid non super dolorem vulnerum Christi addentes, apposuisse etiam iniquitatem super iniquitatem convincuntur? Proh dolor, plangebamus Christum nuper in Oriente passum in membris suis; sed nunc in Occidente detestabilius patitur a membris suis. Contra naturæ ordinem armantur membra adversus membra, impugnant se invicem, se collidunt. Heu, heu, heu! Domine Deus, quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? Videbatur tua virtute, tua potestate, in aurum commutatus, in aurum obrizum, splendidum, et ignitum. O quantum rutilabat hoc aurum, quantis mundum irradiabat fulgoribus, ita ut aurea rediisse sæcula viderentur, cum quocunque te verteres, vexilliferos crucis conspiceres, Christi martyres invenires, quibus nec deesset aliquid ad virtutis perfectionem, nec aliud jam optarent, quam palmam victoriæ, vel de gloriosa morte immarcessibilis coronæ splendorem. Heu, heu! aureus iste color conversus est in pallorem, et cœleste aurum versum est in aurichalcum. Utinam non in scoriam convertatur, ut ad nihil jam inveniatur utile, nisi ut projiciatur foras, et ab hominibus conculcetur! O strenuissimi Christi milites, bene currebatis, quis vos fascinavit? Nunquid parum est vobis, molestos esse hominibus nisi molesti sitis et Deo vestro? Ecce Deo, angelis, et hominibus spectaculum facti estis; ab omnibus judicandi, ab omnibus irridendi, et ostentui habendi, nisi quæ tam fortiter cœpistis fortius consummetis. Alioqui arguit vos Dominus per Jeremiam prophetam dicens. *Vocavi amicos meos, et ipsi deceperunt me* (*Thren.* I). Vos quippe ut speciales amicos vocaverat Dominus ad cœnam agni, et invitati ab amico amicabiliter annuistis. Quid amicum, imo quid vos ipsos decipitis? Vocavit vos hora cœnæ dicens: *Ecce parata sunt omnia* (*Luc.* XIV), et excusationes frivolas

quæritis? Si non negare vos dicitis, sed differre; A nescitis quia, hora cœnæ transacta, oneri amico futuri estis, potius quam honori? Cur dicitis amico vestro: *Vade et revertere, et cras dabo tibi* (*Prov.* III), cum statim dare possitis? Nolite, quæso, osculo Dominum vestrum prodere, nolite locum sortiri cum Juda proditore. Plus enim peccavit Judas Dominum suum tradendo, quam Pilatus occidendo. Ita et incomparabiliter nunc Salahadino eritis deteriores, si ejus, quem Salahadinus ut hostem persequitur, vos qui pro amico spopondistis, non solum mendaces inventi fueritis, sed etiam proditores. Nec blandimini vobis dicentes: Tutius est proprium tueri patrimonium quam quærere alienum. Judæ potius exspectetis finem, si Judæ eligitis sortem. B Judas siquidem, quia noluit benedictionem, talem meruit maledictionem: *Fiant dies ejus pauci, et episcopatum ejus accipiat alter. Fiant filii ejus orphani, et uxor ejus vidua. Nutantes transferantur filii ejus et mendicent; et ejiciantur de tabernaculis suis. Scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus, et diripiant alieni labores ejus. Non sit illi adjutor, nec sit qui misereatur pupillis ejus. Fiant nati ejus in interitum, in generatione una deleatur nomen ejus* (*Psal.* CVIII). Justum est ut in generatione una nomen eorum deleatur, per quos nomen Dei ubique blasphematur. Justum est ut fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet; qui quem percussum a Deo et humiliatum viderunt, super dolorem vulnerum suorum C addentes, etiam de cordium suorum domiciliis expulerunt. Dignum plane est ut qui uxorum et natorum affectum amori Christi prætulerunt, sine filiis et uxoribus facti a filio hominis coram suo Patre negentur. Dignum prorsus ut fiant dies eorum pauci, et officia seu dignitates eorum alii accipiant, qui gloria dignitatum illecti paucitatem dierum æternitati temporum prætulerunt. Talia cum Juda Judæ imitatores exspectent; et si Judæ nomen abhorrent, abhorreant potius opera, et tam horrendam Judæ maledictionem declinent. Reddant sine mora Domino suo, quæ tam spontanee, tam devote voverunt, nec apostasiæ suæ ullam quæritent palliationem, scientes quoniam Deus non irridetur, nec est sapientia, nec consilium, nec fortitudo D contra Dominum. Eo igitur operante et sermonem hunc confirmante, quisquis ab hoc voto suo apostataverit, datus in opprobrium sempiternum, sit anathema, maran atha.

TRACTATUS XIV.

DE SIGNIFICATIONE SEPTUAGESIMÆ, ET DE HIS IN QUÆ EA LEGUNTUR.

Videtur ordo ecclesiasticorum officiorum ordini humanæ conditionis congruere; et eorum quæ in Ecclesia geruntur, in ipsis protoplastis et eorum successoribus figuram præcessisse. Quod enim initio anni Septuagesimam, dehinc Sexagesimam, Quinquagesimam quoque et Quadragesimam consuevit Ecclesia solenniter celebrare, quatuor primis ætatibus convenire videtur. In quibus autem conveniant, vel quid ex istis aut illis significationis elici possit, subtili indagatione inquirendum est; et primo de Septuagesima videamus. Hæc siquidem cum prima ætate convenit, quia quando Adam de paradiso ad hujus exsilii mutabilitatem ejectus est, de soliditate octonarii ad septenarii mutabilitatem videtur descendisse. Sicut enim per octonarium, qui quadratus et solidus est numerus, soliditas stabilitatis ostenditur, ita per septenarium, quo præsens tempus volvitur, instabilitas vitæ præsentis designatur. Merito ergo septuagesima præponitur, et ea quæ de protoplastorum exclusione a paradiso scripta sunt, legendo in Ecclesia replicantur, ut dum ex his homo cognoscit unde, quo devenerit, quo etiam ei redeundum sit, per hoc admoneatur. Legitur enim in initio Septuagesimæ liber Genesis; in quo et paradisi felicitas, et præsentis vitæ mutabilitas seu mortalitas manifeste exprimitur. Non solum legitur, sed et ut cordibus humanis utilius imprimatur, etiam cantando tragœdia eadem deploratur. Et hæc quidem in nocte; ut ea quæ prolixiorem habent noctis obscuritatem noctis lucubratiuncula elucescant, et humanæ ignorantiæ nox illustretur, et cæcitas pulsetur. Die vero jam facta, verba Novi Testamenti proponuntur, et ea quæ prædictis Veteris Testamenti verbis conveniant, ut per diem tempus gratiæ, per noctem tempus culpæ transgressionis et pœnæ intelligamus; et quanta inter ipsa sit distantia seu convenientia, ex utriusque Testamenti verbis addiscamus, ut in ore duorum vel trium firmum sit omne verbum. Ex ipso Veteri Testamento missa initiatur, dehinc Apostolus introducitur, tertio Evangelium cum qua decet reverentia pronuntiatur. Et quia magnum est ad quod probandum testes introducuntur, magnos etiam esse convenit, qui ad tantum testimonium admittantur. Primo igitur ille in testimonium producitur, cui a Deo testimonium perhibetur, quod invenerit hominem secundum cor suum. Cui tam potestas regia, quam prophetica dignitas suffragatur: et ne qui primus producitur, et in tanto totius conventu Ecclesiæ loquendi exordium facit, in aliquo aures audientium offendat, venit in psalterio decachordo psallens, et dulcisona miscens carmina, universa assistentium corda dulci ad se pertrahit melodia. Regia igitur auctoritate fultus, et prophetici sermonis firmitate subnixus, velut lucerna ardens in caliginoso loco, et totius dubietatis propulsans caliginem, testimonium perhibet veritati, dicens: *Circumdederunt me gemitus mortis*, etc. (*Psal.* XVII). Videor mihi in his verbis David velut Janum alterum intueri, et quasi uno versiculo præcedentia et subsequentia prophetica circumspectione complecti. Vox enim ista et Adæ de paradiso exeunti, et Cain super terram vaganti, et Lamech bigamiam introducenti, et Nembrod robusto venatori, sed et Noe inter undas fluctuanti, Abrahæ quoque in Ægypto peregrinanti, Moysi

nihilominus in deserto æstuanti inter populares A murmurationes : cuilibet quoque in qualibet præcedentium ætatum de Adæ progenie venienti, videtur signanter congruere. Quam proprie autem Christo et Christiano cuilibet conveniat, superfluum est edocere. Merito igitur David in Ecclesia fidelium primus introducitur; usque ad quem vox præcedentium ætatum protrahitur, et cui clarius lux subsequentis gratiæ aperitur. Ei autem et templum construendum ostenditur, et regnum in Salomone firmandum promittitur; sed et regnum Christi et Ecclesiæ ex eo propagandum, et in æternum præparandum juratur. Sequitur Paulus apostolus, cujus laus non ab homine, nec per hominem, sed a Deo depromitur, ubi dicitur : *Vas electionis mihi est iste, ut portet nomen meum coram regibus et gentibus* B (*Act.* IX). Merito ergo ipse pro sui reverentia exauditur, cui ab ipso Deo suo nomini testificandi, et suum testimonium portandi officium specialiter committitur. Tandem Evangelium subjungitur, quod testimonium ab homine non accipit; cui si testimonium perhibeat etiam ille qui dedit, testimonium ejus verum est, quia non solus perhibet, sed et Pater, qui misit illum.

Ecce qui et quales testes introducantur audivimus, nunc in quo conveniant, inquiramus. Et primo in quo novi seu nova cum veteribus, deinde in quo ipsa sibi nova conveniant attendamus. In quo Evangelium Septuagesimæ cum prima ætate, seu cum ipsius nocturna Genesis lectione congruat, C beatus Gregorius ostendit dicens (*Homil.* X) : *Quis patrisfamilias similitudinem rectius tenet, quam Conditor noster, qui regit quos condidit, et electos suos sic in hoc mundo possidet, quasi subjectos dominus in domo? Qui habet vineam, universam scilicet Ecclesiam, quæ ab Abel justo usque ad ultimum electum qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit. Hic itaque Paterfamilias ad excolendam vineam suam, mane, hora tertia, sexta, nona, et undecima, operarios conducit; quia a mundi initio usque in finem ad erudiendam plebem fidelium prædicatores congregare non desistit.*

Nos quoque ipsius vestigiis humiliter inhærentes, subjungimus, eumdem Patremfamilias ad ejusdem culturam vineæ sicut diversis temporibus, sic ob D diversas causas exiisse. Primo enim exiit ad plantandum, secundo ad putandum, tertio ad fodiendum, quarto ad stercorandum, quinto ad propagandum, sexto ad sepiendum, septimo quando torcular exstruxit in ea, exiit ad vindemiandum; et ut Ruth Moabitidi spicæ aliquæ colligendæ remaneant, hæc studioso lectori cuique ætati assignanda relinquimus. Nos vero unde aut quo exiisse Deus, qui ubique est, aut quomodo exiisse, qui semper idem est, dicendus sit, inquiramus. Ante mundi quippe constitutionem in se ipso Deus occultus manebat, cum nec esset, cui innotesceret, nec unde innotesceret, appareret. Quod videtur Joannes evangelista intelligendo quoquomodo comprehendisse, ubi ait : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum* (*Joan.* I) ; ac si diceret : Verbum erat in Patre, velut ab eo genitum; et erat apud Patrem, velut in eo occultum. Volens etiam ostendere, unde, aut quo exierit, subjungit : *Omnia per ipsum facta sunt* (*ibid.*). Creans ergo invisibilia, fecit quibus appareret; creans autem visibilia, fecit unde appareret. *Invisibilia enim Dei a creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur* (*Rom.* I.). Manens ergo in se veritas incommutabilis, in sui nuditate et puritate prout est, videri non potuit, unde quodammodo a suæ fulgore claritatis et lucis inaccessibilitate exiens, et quasi quadam creaturarum veste se induens, primam hanc sibi vestem, ut videri posset, assumpsit. Hoc quidem primo mane factum esse dicitur, quando solem justitiæ necdum illuxisse, nec luciferum ortum fuisse in cordibus humanis, manifestum est. Homines namque magis tenebras quam lucem diligentes, relicto Creatore ad solam creaturarum pulchritudinem, velut ad solum divini habitus fulgorem, oculos aperuerunt; et relicto Conditore, rerum conditarum amori infeliciter inhæserunt. Quod intuens Conditor, et rebus conditis consulere misericorditer volens, secundam etiam sibi texuit vestem, sacræ videlicet Scripturæ mirabilem connexionem, per quam se veritas non solum oculis videntium, sed et auribus ingereret auditorum; et hanc sibi vestem variis temporibus diversarum obsequio personarum contexuit, multifarie multisque modis loquens patribus in prophetis; nec solum prophetas, sed et sapientes et Scribas ad hoc ipse se misisse testatur (*Matth.* XXIII). Sed et hæc sicut et alia homines sibi diviserunt vestimenta sua, ipsius Scripturæ sensum in diversa trahentes, et uniformem ipsius connexionem in partes varias scindentes, nec ex ea Dei notitiam requirentes, sed de ipsius scientia gloriari volentes. Sicque dicentes se sapientes, stulti facti sunt; et *evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum* (*Rom.* I). Unde nec sic profecisse sufficienter se videns, tertiam etiam sibi vestem aptavit, carnem videlicet immaculatam, quam ex intemerata Virgine assumpsit ineffabiliter, miro et incomprehensibili circa humanæ infirmitatis medicinam usus consilio, ut talis ei habitu appareret, in quo non aliud quam ipse vel videri vel amari valeret, et ab ea nec dividi, nec separari posset. Tanta enim in hac assumptione humanæ et divinæ naturæ facta est unio, ut ex quo semel unitæ sunt, neutra ab altera potuerit separari. In hac naturæ meæ veste eum securus intueor, nullam jam oculorum vel petulantiam vel reverberationem formidans. Creaturarum siquidem pulchritudo intuentis oculos alliciens, a Creatoris cognitione potius retardabat, quam ad ipsius dilectionem pertraheret. Scripturarum quoque obscuritas potius legentium oculos reverberare, quam in Dei cognitione illuminare consueverat. Jam vero Deum hominem factum quis non libenter, quis non patienter aspiciat, cum se divinitas corporaliter hu-

manis obtutibus ingerat, et se quodammodo tam A miraculis quam exemplis, tam verbis quam factis palpabilem præbeat? O mira divini consilii et incomprehensibilis altitudo! homo factus est Deus, ut dum eum visibiliter cognoscimus, per hunc invisibilium amore rapiamur. Et in hoc quidem habitu circa undecimam ad conducendos operarios in vineam exiit. Videns enim tempus vindemiæ advenisse, vestem sibi huic operi congruam adaptavit, quam et secundum prophetam totam ex ipsa vindemia inquinavit. Sed quanto sordidior ex hac veste apparuit, tanto formosior in stola sua postmodum et clarior effulsit (*Isa.* LXIII).

Comparetur, si placet, primæ diei horæ hæc Septuagesima, primæ mundi ætati hoc tempus gratiæ, operationi naturæ... et in quo conveniant, aut B a se differant, videamus. Qui in undecima veniunt, cum non nisi una hora laborent primi tamen mercedem recipiunt : nec solum primi, sed et tantam quantam et illi qui prima hora venerunt, et portaverunt pondus diei et æstus; non hoc ex merito laborantis, sed ex gratia et beneplacito conducentis. Item qui mane venerunt, cum non solum diutius, sed etiam fortius laborasse dicantur; minus tamen mercedis recepisse videntur cum qui undecima veniunt, vindemiando degustant, quod illi tantum ordinaverant, et quodammodo in labores eorum, ipsis illorum fruentes laboribus introeunt. Multi enim reges voluerunt videre quæ nos videmus et non viderunt; et audire quæ audimus, et non audie- C runt. Gratias tibi, Domine Jesu, qui huic nos vindemiæ, et hanc nobis vindemiam reservasti, omnia poma nova nobis proponens et vetera, faciens nobis convivium pinguium medullatorum, vindemiæ pinguium, convivium vindemiæ defæcatæ. Cum ergo tot sint nobis in hoc tempore gratiæ beneficia cumulata, quid sibi vult, quod Ecclesia more solito *Gloria in excelsis Deo* hoc tempore non decantat, cum hæc ultima ætas præ cæteris omnibus majores Deo laudes offerre, et abundantius gloriam ipsius attollere teneatur? Sed attendendum, quod sicut dies qua paterfamilias in vineam exisse dicitur, diversis horis et diversis ætatibus corpus nostræ mortalitatis distinguitur; sic et Septuagesimæ, Sexagesimæ, Quinquagesimæ, et Quadragesimæ distinc- D tionibus variatur; et cum tempus Quadragesimæ intra parasceven finiatur, Septuagesima usque ad Sabbatum in Albis protenditur, ubi geminum *Alleluia* decantatur; nihilque jam finita Septuagesima nisi Paschæ restat octava, quæ clausum Pascha nominatur, ut sicut exigente culpa octonarius in septenarium descendisse dicitur, sic operante gratia septenarius in octonarium redire videatur. Merito igitur Quadragesimæ fini *Gloria in excelsis et Alleluia* reservantur, quando primum Pascha Sabbato sancto inchoatur, secundum cum lætitia exspectatur, et etiam in præsenti aliquando prægustatur. Quod ergo tertia, sexta, nonaque inter primam et undecimam horam signant, hoc inter initium e finem Septuagesimæ, Sexagesima, Quinquagesima, et Quadragesima designant : et quantum undecima clarior est et calidior quam prima, tantum finis Septuagesimæ festivior et uberior, quam ipsius initium esse dignoscitur. Quod intuens Salomon in spiritu, et hunc Ecclesiæ ordinatum progressum admirans, aiebat : *Quæ est ista quæ progreditur, sicut aurora consurgens; pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?* (*Cant.* VI.) Progreditur de Septuagesima ad Sexagesimam, unde quasi aurora consurgit ad Quinquagesimam. Ibi ut luna decorata eligitur, ut in Quadragesima soli assimiletur; tandemque sole clarior et candidior facta terribilis hostibus appareat, et ut castrorum acies contra eos ab angelis ordinetur. Et ut hæc ad morum ædificationem, salvo altiori mysterio, applicemus; illum Septuagesimam initiare dicamus, qui vitæ præsentis mutabilitate, et humani status instabilitate admonitus, ad se tandem de regione dissimilitudinis rediens, peccatorum sordibus firmiter renuntiare proponit. Sed quia quicunque pie volunt vivere in Christo, persecutionem patiuntur; et qui ad servitutem Dei accedit, ad tentationem animam suam præparare monetur, transeundum est ei ad sexagesimam laboris, ne diuturna quies vitiis alimenta ministret; et semen boni propositi simul exortæ spinæ voluptatum et deliciarum suffocent. Sic filii Israel primo in Ægypto luto et latere fatigati, tandem ad se redeuntes ex Ægypto exire disposuerunt. Exeuntes autem insequentes Ægyptii protinus persenserunt, qui et eos inter Magdali et maris angustias concluserunt. Verum illi diviso mari sicco illud vestigio transierunt, videntes submersos Ægyptios Quinquagesimam in littore festivis gaudiis celebrarunt.

Ægyptii sunt consueta et quasi in habitum versa peccata carnalia, quæ volentes a se recedere importune insequi et retinere contendunt, et inter multas et magnas contradictionum angustias concludunt; quibus, si ex toto corde ad Deum clamaverint, mare eis Rubrum dividendo transmeabile facit. Mare enim Rubrum amaritudo est pœnitentiæ, et rubor confusionis, qui ex peccatorum confessione et insueta ciborum et vestium asperitate procedens, noviter conversis importabilis et intransmeabilis primo videri solet. Sed cognoscit Dominus qui sunt ejus, et parvulos lactentes suos ultra quam ferre possint tentari non sinens, facit cum tentatione proventum, ut ea quæ impedimento esse videbantur, pro muro incipiant esse a dextris et a sinistris. A dextris enim muniunt, cum in die bonorum non immemor est quis malorum quæ sustinuit. A sinistris, cum in die malorum non immemor est bonorum quæ gustavit. Sic sic mittens Deus misericordiam suam et veritatem suam, fluctuantem animam de medio catulorum leonum eripuit, deducens eam in nube diei, et in luce stellarum nocte : et eam per noctem in columna ignis, et per diem in columna nubis præcedens. Hunc maris Rubri transitum, et

talium persecutorum defectum desiderare videbatur Propheta, cum diceret : *Vide humilitatem meam, et laborem meum ; et dimitte universa delicta mea* (*Psal.* xxiv). Humilitatem, quam ex peccatorum recordatione, et laborem, quem ex satisfactionis dolore sustineo; delicta quæ fugientem de Ægypto ad te, insequi non desistunt. Merito igitur sic liberata anima a servitute peccatorum, quasi ab Ægyptiorum jugo jam mari transmisso et inimicis capitalibus submersis, jam etiam ad carnales motus edomandos accingitur, et rebelles artus in servitutem redigere festinans, Quinquagesimam celebrando consummat. Sic igitur in Ægypto post multas Pharaonis contradictiones formato proposito a malo declinandi, et multiplicibus Ægypti plagis Septuagesimæ mutabilitate probata, Sexagesimæque laborioso certamine peccatis actualibus finitis, sed et peccatorum motibus sensuum maceratione repressis, imo ipsis jam sensibus Quinquagesimæ studiis edomitis, quid jam superest, nisi ut elongans homo effugiat et maneat in solitudine; ubi Quadragesimam cum filiis Israel faciens in planitie, cibo cum eisdem cœlesti reficiatur; sive cum Moyse in monte ab omni prorsus humana sustentatione abstinens, tabulas divino inscriptas digito accipere mereatur?

Hæc ad præsens, ni fallor, sufficere possunt, ad cognoscendum, in quo cum veteribus nova conveniant. Nunc vero in quibus ipsa inter se nova concinant, attendamus. Sic enim in testium productione, non solum qui sint testes, sed et in quo conveniant testimonia ipsa, naturalis ratio edocet inquirendum. Ait igitur apostolorum eximius beatus Paulus : *Nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium?* (*I Cor.* ix). Sicut Dominus in Evangelio operarios vineæ ad denarium, sic Apostolus currentes in stadio ad bravium, contendentes in agone ad coronam invitat. Fidelis sermo, et omni acceptione dignus. Primum est currere, secundum pugnare, tertium est vineam excolere. Prius exercendus est homo in stadio bonæ actionis, secundo probandus in camino tribulationis, tandem componitur animus in renovatione interioris hominis; qui tanto amplius innovatur, quanto exterior de die in diem per prædicta exercitia corrumpitur. Primo igitur curritur per obedientiam, secundo pugnatur per patientiam, tandem introducitur homo in cellam vinariam. Currentes autem tria solent impedire, pondus, casus, stadii longitudo, sive incertitudo. Si ergo juxta Apostolum sic currere quis cupit, ut comprehendat, exoneretur primo ab omni sollicitudine et amore inferiorum, ut sic exoneratus ad bravium possit festinare. Festinans autem toto studio præcipitium caveat, ut absque interpolatione cursum valeat continuare. Continuationis quoque usus instantia, aliquem sibi certum præfigat terminum, ne si in incertum currit, longitudine tandem lassatus careat perseverantia. Hæc sunt, quæ in obedientiæ stadio cursitantibus maxime sunt necessaria, festinantia, instantia, perseverantia. Festi-

A nantia, ne sint pigri; instantia, ne molles et dissoluti; perseverantia, ne irremunerati. Perseverantibus enim, non incipientibus præmium repromittitur, et omnis laus in fine claudi perhibetur. Pugnantibus simili modo tria necessaria esse solent : Ars qua se et ab hoste tueri, et hostem deludere sciant; virtus, per quam ictus adversarii fortiter sustinere, et ipsum fortius possint debilitare; sobrietas, ne gravati crapula aut ebrietate, cum ventum fuerit ad pugnam, risum potius moveant inimicis, quam triumphum de hoste reportent. Hæc tria videtur Apostolus expressisse, ubi ait : *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide* (*I Petr.* v). Sciens adversarium nostrum B fortem esse, leonem nominavit. *Leo enim fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum* (*Prov.* xxx); sciens etiam esse callidum, asseruit circuire; sciens tandem malitiosum, ait velle nos devorare. Contra talem igitur armare nos et animare volens, fortes esse in fide docuit, ut fortis fortem valeat alligare. Vigilare etiam admonuit, ut callidi hostis versutias vigili solertia deprehendat, ut sic ars artem deludat. Tandem sobrios esse præcipit, ut, dum nos malitia ejus jejunos et inedia affectos invenit, non sit unde suam ingluviem de nobis satiare possit.

Attendendum est autem, et diligenter advertendum quod, cum hæc, quæ prædiximus, currentibus C et pugnantibus constet esse necessaria, duo tantum nominavit Apostolus, dicens : *Sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum* (*I Cor.* ix), etc., quoniam, etsi cætera desint, hæc duo aliquando sufficere cognoscuntur. Videmus etiam pigros et minus instantes, sola perseverantia obtinere, minus etiam fortes et astutos sola abstinentia adversarium superare. Unde ait : *Qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet* (*ibid.*). Quod autem subjungit, patres nostros omnes sub nube fuisse, et cætera quæ sequuntur, mittit nos ad vetera, ut probet per ea præfigurata nova, et nova rem esse veterum, sicut et vetera umbram fuisse novorum. Quod enim illis nubes fecit contra æstum, hoc nobis facit exercitium D bonorum operum contra carnalium ardorem desideriorum; et quod illis divisio maris, hoc nobis moderata probatio tribulationis : et, sicut per illa duo sub Moyse illi baptizati perhibentur, ita per hæc nos sub spiritu timoris abluimur et emundamur; sicque corde mundo ad spiritualem escam comedendam, et spiritualem potum bibendum transimus, ministrante nobis petra Christo, secundum illud Prophetæ : *Cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos* (*Psal.* lxxx). Christus enim Dei virtus et Dei sapientia capacioribus cibus est, quem qui edunt, adhuc esurient; minus capacibus potus, quem qui bibunt, adhuc sitient. Hæc de Apostoli verbis sufficere posse videntur, nisi quia adhuc de bravio et corona aliquid restat di-

cendum. Currentibus siquidem in stadio obedientiæ per bonorum studium operum, pro bravio solet dari quædam securitatis audacia, et bonæ conscientiæ jucunda confidentia, quæ non est aliud, nisi unde gloriatur Apostolus, dicens: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* I). Pugnantibus quoque in agone reposita est corona justitiæ, quæ est divinæ lætitia consolationis; quam qui lugent, ad beatitudinem solent accipere, juxta illud Prophetæ: *Secundum multitudinem dolorum meorum, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam* (*Psalm.* XCIII). Et illud Apostoli: *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per illum abundat consolatio nostra* (*II Cor.* I); et multa alia in hunc modum. His de Apostoli lectione breviter prælibatis, jam ad vineam evangelicam accedamus, et, juxta Apostoli consilium, instar boni agricolæ de vineæ nostræ fructu primi percipiamus. Pater siquidem familias quilibet justus et ad perfectionem tendens. Cujus familia sunt exterioris hominis sensus, et interioris affectus. Istis præsidere sic debet homo, sicut paterfamilias in domo, ut cum dixerit uni: Vade, vadat; et cum alii: Veni, veniat (*Matth.* VIII). Hujus vinea est propria conscientia, quæ tandiu inculta et sine fructu manet, quandiu neglecta et incomposita jacet. Hujus vineæ vitis virtus est; cujus sunt palmites universæ cujusque virtutis executiones. Tales palmites velut quosdam botros sensus pariunt spirituales. Ipsi sunt, qui si subtilis investigationis et studiosæ retractationis torculari, mediante coclea districtæ examinationis, fortiter fuerint expressi, elicitur vinum suavissimæ affectionis, vinum quod lætificet cor hominis (*Psal.* CIII), quod utres veteres disrumpat, et novos custodiat imbuendo. Tales fructus in libro Sapientiæ exprimuntur, ubi dicitur: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris; et flores mei fructus honoris et honestatis* (*Eccli.* XXIV). Cum fructificasse se dicit odorem, qui nonnisi ex flore procedit, et flores fructus esse asserit, innuit nequaquam sine fructu esse, cujus jam vinea floruit; quantumque delectent fructus, si tantum flores solo odore reficiunt, ostendere intendit.

Attendendum sane, quanta sit vini suavitas in gustando, si tanta est floris virtus in odorando, ut ad solam fragrantiam ejus quæque venenata diffugiant. Non viles, non contemptibiles, non quales quales fructus ex tali vite colliguntur, qui honoris esse et honestatis asseruntur. Honoris, quia ex talibus ille honorificatur, cui soli honor et gloria (*I Tim.* I); a quo exeunt, omnia gratiarum, actionum et laudum præconia reverti debent, ut iterum fluant. Merito, inquam, dator talium fructuum ex eis honoratur, per quem etiam qui recepit, honestatur. Non vera honestas est, quæ Dei gratiæ non imputatur; nec Dei digna laus est, quam honestas non comitatur. Illa enim transitoria est, ista adulatoria judicatur. In operibus autem sapientiæ honestas esse legitur sine defectione (*Sap.* X). Unde et labores illius complesse dicitur, quem in laboribus legitur honestasse. Honestas igitur ad gratiam, honor refertur ad gloriam. Tales sunt fructuum hujus vitis effectus. Qui sint etiam ipsi fructus, subjungitur, ubi ait: *Ego mater pulchræ dilectionis et timoris et agnitionis, et sanctæ spei* (*Eccli.* XXIV). Dilectio et agnitio fructus sunt, timor et spes horum fructuum flores. Sicut enim dilectio custodia legum est, et finis præcepti charitas esse dicitur; sic initium sapientiæ timor Domini (*Psal.* CX) perhibetur: et sicut fructus florem explodere, sic perfecta charitas timorem foras mittere consuevit; sic et agnitio spem. *Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII). Per patientiam igitur quod non videmus sperando exspectare, est per florem spei ad visionis fructum tendere. Vide, si non merito hi flores fructus dicuntur, cum sic floruisse jam quodammodo fructificasse videatur. Attende etiam quam recte fructus honoris et honestatis esse referuntur. Pulchra siquidem dilectio est, cum id solum amatur, quod amandum est, et taliter diligitur, qualiter diligendum est. Amon namque etsi Thamar sororem suam dilexit, quam debuit, non tamen dilexit, ut debuit. Vides ergo, ni fallor, quantam pulchra dilectio homini conferat honestatem, quantum Deo attribuat honorem, per quam et Deus super omnia diligitur, cætera propter Deum, aut in Deo tantummodo diliguntur. Tantum, fateor, delectabiles vini sunt vitis hujus fructus, quod a proposito longe digressi sumus. Nunc igitur ad seriem lectionis Evangelicæ revertamur.

Dicitur paterfamilias primo mane exiisse, cum scilicet ab activa vita, quasi de domo propria, et quasi de terra et de cognatione sua exiens quis ad contemplativam transferre se satagit: cui tunc primum mane illucescit, quando in principio vigiliarum suarum primo ei veritas clarius elucescit. Tunc quasi quidam operarii in vineam conducti mittuntur dolor et confessio. Hi primi in vinea conscientiæ operantur; dolor evellendo et dissipando noxia, dicens: Quem fructum habui in quibus nunc erubesco? Ædificando etiam et plantando utilia, dicens: Usquequo piger dormio? Confessio autem fodiendo et operando occulta; quoniam justus in principio sermonis accusator est sui. Dehinc circa horam tertiam, cum jam veritas plenius innotuerit, mittuntur zelus et circumspectio. Hi putare et stercorare noverunt, zelus superflua amputando; circumspectio tam naturæ quam culpæ vilitatem, velut quasdam sordes coram oculis statuendo. Circa sextam autem et nonam horam, cum jam sol in summo est, mittuntur ad propagandum et sepiendum meditatio et oratio. Illa enim mentem virtutes propagando dilatat; ista, ut propagata proficiant, ei qui solus incrementum dat, supplicando commendat. Circa undecimam tandem, cum jam carnalis concupiscentiæ ardor tepescere cœperit, increpandi sunt et invitandi affectus et intellectus ad vindemiandum.

Isti siquidem in labores aliorum introeunt, et quod alii laborando odorant, degustando percipiunt; affectus fructum pulchræ dilectionis; intellectus autem fructum agnitionis. Alii siquidem arant, in spe et timore suam salutem operantur, et tantum flores decerpere, et ex eis suavitatem odoris haurire videntur. Isti jam in re constituti, sapientiæ vino meracissimo debriantur. Unde et merito una hora fecisse dicuntur; quia in hujus centesimi fructus sapore suavi, vix quasi dimidia hora morari licet. Unde et a quodam eleganter dicitur: *Tarda hora, et parva mora*. Alii autem pondus diei sustinuisse dicuntur; quia ibi labor et afflictio spiritus, hic vero consummatio et finis laboris. Ad eumdem tamen gustum et ipsi licet sero perveniunt, cum pro tanta dulcedine omnia interiora hominis Dominum benedicunt. Bene autem in vespera reddi dicitur, quod sero percipitur. De qua vespera legitur in Job: *Si dormiero* somno contemplationis, *dicam, quando consurgam* ad exercitium actionis: *et rursus exspectabo vesperam* (*Job.* VII) quietæ contemplationis. Hic est fructus centesimus, ad quem post tricesimum et sexagesimum tandem sero pertingitur, qui merito denario comparatur. In denario enim imago regis exprimitur: ad quem per gratiam contemplationis reditur, cum imago et illa similitudo ad quam homo conditus est, per dilectionem et cognitionem in eo reparantur. Imago enim in agnitione veritatis, similitudo in amore virtutis consistit. Procurator qui hunc denarium distribuit, spiritus discretionis est: qui quid cuique conveniat, et a quo quod mereatur accipiat, subtiliter attendit. Hic cum multi sint vocati, paucos esse electos deprehendit (*Matth.* XX); quia, cum multa sint in præsenti necessaria, in futuro unum sufficere recognoscit. Hoc unum in vesperam diei differtur, et velut denarius in vinea laborantibus, seu bravium in stadio currentibus, vel corona in agone certantibus, usque ad finem Septuagesimæ reservatur.

TRACTATUS XV.

DE SIGNIFICATIONE SEXAGESIMÆ, ET DE IIS QUÆ IN EA LEGUNTUR.

Explicito itaque officio intrantis Septuagesimæ, jam ad subsequentis Sexagesimæ officium accedamus. Quam, quia laborem doloremque tribulationum et tentationum significare diximus, merito in initio ipsius psalmus proponitur, in quo quasi a somno Dominus excitatur; qui inter tot et tanta suorum flagella obdormisse videtur. Quæ flagella multipliciter exprimuntur, cum eodem psalmo sic dicitur: *Dedisti nos tanquam oves escarum, et in gentibus dispersisti nos. Vendidisti populum tuum sine pretio, posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem et derisum his qui in circuitu nostro sunt. Posuisti nos in similitudinem gentibus, commotionem capitis in populis* (*Psal.* XLIII). Ubi dicitur, *dedisti nos tanquam oves escarum*, exprimitur carnis afflictio; oves enim escarum nonnisi ad mortem reservantur. Ubi ait, *vendidisti populum tuum sine pretio*, ipsius conditionis offuscationem ostendit: quia, cum liber homo venditur, servituti addicitur. In eo autem quod subjungitur, *posuisti nos opprobrium vicinis nostris*, etc., ostendit se non solum damna personæ, sed et famæ detrimenta gravia pertulisse; et non solum tormentis, sed et contumeliis interrogatum esse. Merito tentatis psalmus iste proponitur, ut tot et tantarum tribulationum comparatione in suis tribulationibus tentatus se quisque consoletur: et ne quis apud se tacitus respondeat, merito illos talia pertulisse, qui semper rebelles et increduli perstiterunt; statim beatus Paulus apostolus inducitur, qui non solum illis, sed etiam omnibus plus laborasse, asseratur. Hic qualiter sexagesimæ labores in seipso pertulerit, ostendere volens, sex nobis tribulationes in sua non solum lectione, sed et tribulatione proponit, illud forsitan, ut in Job subtiliter attendens: *In sex tribulationibus liberabo te et in septima non tanget te malum* (*Job.* V). Præter senarii namque mysterium, secundum quod labori et tribulationi aptari solet, etiam sex tribulationum sunt species, quibus sancti in præsenti quotidie atteruntur. Prima est, quæ irrogatur ab hoste, quam Apostolus exprimit, ubi ait: *In carceribus, in plagis* (*II Cor.* XI); ubi etiam quinquies quadragenas una minus se a Judæis accepisse, ter virgis cæsum, semel lapidatum esse, testatur. Altera, quæ infertur ab eventu fortunæ, vel ut magis canonice dicamus a vitæ hujus mutabilitate; quam subjungit Apostolus, ubi ait: *Ter naufragium feci, nocte et die in profundo maris fui. Periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere*, etc. (*ibid.*). Alia quo seipsos sponte justi affligunt, quæ ab Apostolo designatur, ubi ait: *In laboribus et ærumnis, in jejuniis multis* (*ibid.*). Et quia non solum exterius crucem portant, per carnis afflictionem; sed etiam interius per mentis compassionem, subjungit: *Præterea quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* (*ibid.*) Quarta, quam ingerit infirmitas naturæ: quæ signanter ostenditur in fame et siti, in frigore et nuditate, et in frequenti morte. Unde et ait: *Quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor* (*ibid.*). Quintam exhibet probatio castigationis divinæ, quæ præcipue per falsos fratres exerceri solet, sive per iniquos prælatos, quos ad corrigendum et probandum populum suum permittit Dominus aliquando regnare. Qui per Damasci præpositum signanter exprimuntur: ubi civitatem, ut innocentem Paulum comprehenderet, custodisse narratur. Sexta tandem est, quam molestissimam boni sustinent ex stimulo carnalis concupiscentiæ; quæ ideo forsitan ultima ponitur, ubi ait: *Datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet* (*ibid.*); quia novissime cum morte destruitur; et tunc primo fit sermo, qui scriptus est: *Ubi est mors stimulus tuus?* (*Cor.* XV.) His sex tribulationibus justi in præsenti purgantur, probantur, et

liberantur. Purgantur ad veniam, probantur ad gratiam, liberantur ad gloriam, ut gloriari merito possint, et dicere cum Propheta: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis* (*Psal.* CXV), sperans et confidens quod in septima non tangat me malum tremendæ damnationis. Quod autem in principio lectionis apostolicæ dicitur : *Sustinetis, si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit* (*II Cor.* XI), si diligenter advertatur, illis quæ in psalmo expressimus, consonare videtur. Jam ergo ad lectionem evangelicam accedentes, in quo etiam prædictis concinat, videamus.

Primo igitur attendendum est quod quando fit vox de firmamento, stare etiam ipsa cherubim et alas suas submittere perhibentur (*Ezech.* I). Duo cherubim sermonem propheticum et verbum apostolicum, quæ præcesserunt, non immerito intelligimus, eo quod plenitudinem scientiæ continere, et omnem humanam scientiam excedere videntur. Quod si ipsi apostoli et prophetæ a voce divini tonitrui formidant, et facta voce super firmamentum, quod capitibus cherubim supereminet, alas conatuum suorum humiliter submittunt; quid agere debet humana infirmitas, ubi per seipsam loquitur veritas? Quid est enim aliud Dominum Jesum, Dei virtutem et Dei sapientiam, verbum suis discipulis explanare, quam vocem de firmamento dare? Firmamentum siquidem divinitas ejus est : Unde vox toties datur, quoties divina hominibus propalantur. Ad hanc vocem stant cherubim, nec est ulterius quo procedant, quia et amicus sponsi stat, et gaudio gaudet propter vocem sponsi. Tacente autem sponso expandunt cherubim alas, et inquisitionum suarum scrutinia superextendentes deficiunt, scrutantes scrutinio, exclamantes cum Propheta : *Memor fui Dei, et delectatus sum, et defecit spiritus meus* (*Psal.* LXXVI). Unde et a firmamento oculos demittentes, mutuis vultibus in propitiatorium respicere provocantur. Propitiatorium siquidem est assuetus humanæ locutionis modus, quo Christus in Evangelio uti voluit, quo licet humanæ infirmitati se contemperare, et condescendere videatur, sub ipso tamen in Evangelii arca secreta cœlestia recondere, et recondita servare comprobatur. Ibi enim sunt tabulæ præceptorum, ibi virga comminationum, ibi in divinæ sapientiæ urna quasi quoddam manna est dulcedo promissionum. Quæ tria Apostolus ad Hebræos scribens eis noluit revelare, ne daret sanctum canibus, dicens : *De quibus non est modo dicendum per singula* (*Hebr.* IX). Alio tamen tempore Romanis scribens, ea disserendo aperuit, ubi ait : *Non enim erubesco Evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti. Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem. Revelatur etiam ira Dei in eo super omnem impietatem et injustitiam hominum, eorum qui veritatem Dei in injustitia detinent. Ira enim et indignatio, tribulatio et angustia in omnem animam hominis

A operantis malum. Gloria autem et honor et pax omni operanti bonum* (*Rom.* II). Virtus ad præcepta refertur, in eo quod non modica virtus sit in eis exerceri, nec nisi divina virtute valeant adimpleri. Unde Propheta : *In voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus* (*Psal.* XXX). Justitia ad promissa secundum illud Apostoli : *Cursum consummavi, fidem servavi : de reliquo reposita est mihi corona justitiæ*, etc. (*II Tim.* IV). Revelatur etiam ira Dei de cœlo, ubi non jam pœna temporalis, sed æterna damnatio intentatur, non jam dentem pro dente, oculum pro oculo, mortem corporis pro morte corporali, sed corpus et animam mittere in gehennam, Evangelium suis transgressoribus comminatur. Quod autem ait justitiam revelari ex fide in fidem, ideo B dictum videtur quia sicut fides præcedentium ex subsequentium exhibitione comprobatur, ita etiam ex perceptione præsentium munerum firma est exspectatio futurorum. Vel ex fide promittentis, in fidem credentis. Non enim est diffidentiæ locus, ubi non tam verax quam veritas; nec tam potens quam omnipotens est, qui repromittit Deus. Quod autem hæc quæ prædiximus, in doctrina Evangelica velut in quadam testimonii arca concludantur, ostendit Dominus apostolis, requirentibus quæ esset hæc parabola, dicens : *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei; cæteris autem in parabolis* (*Luc.* VIII). Ac si diceret : Vobis datum est propius ad arcam accedere, et Evangelii arcana cognoscere, et C velut in sancta sanctorum ingressum habere, cæteris a longe velamento interposito manentibus, et faciem vestri Moysi cornutam stupentibus, et præ fulgore nimio non valentibus sustinere.

Studeamus igitur et nos propius accedere, et quæ dicuntur utilius intelligere, et intellecta in arca memoriæ firmiter retinere. Ait ergo : *Semen est verbum Dei* (*ibid.*). Quid enim aliud verbum Dei, sive comminando terreat, sive promittendo demulceat, intendit, nisi ut præcepta Dei, velut quoddam semen, homo per consensum recipiat, per diligentis studii attentionem retineat, per bonorum operum exsecutionem foveat, per contemptum mundi et compunctionem vigere contendat? *Esto*, D ait, *consentiens adversario tuo, dum es cum illo in via* (*Matth.* V). Adversatur nobis verbum Dei, quandiu a nobis illud repellimus. Cum vero ei consentimus, velut terra semen recipimus. Sed cavendum est ne idem semen juxta viam cadat : via enim est cor, per quod indifferenter boni et mali transeunt cogitatus, quod nulla lege disciplinæ constringitur, nulla timoris sepe clauditur, sed mala quadam libertate utens, vaga curiositate ubique circumfertur. Quod, quæso, semen cor tale retinere potest, quod quasi quædam strata a dæmonibus conculcatum, eorum suggestionibus resistere non potest? Sed et si vaga curiositas studio lectionis et sui circumspectione fuerit superata, et semen verbi Dei firmiter retentum fuerit, nondum

tamen securum oportet esse agricolam; cum exstirpandæ restent spinæ deliciarum, et divitiarum sollicitudines; quæ si subortæ libere excreverint, semen retentum penitus suffocatur. Opponatur igitur carnis concupiscentiæ, vigiliarum et jejuniorum maceratio: et velut quidam prophetæ sarculus universas carnis tentationes exstirpet. Sed nec sic quidem adhuc quiescat agricola, cum adhuc supersit ei vitæ superbia debellanda. Hæc nisi contemptu mundi et cumpunctionis fuerit humiliatione depressa, terram cordis petrosam reddit et aridam; ut licet jam semen radicatum videatur, veniente tamen æstu tentationis sine mora siccetur. Hæc sunt tres turmæ, quas Chaldæi accedentibus ad Deum opponunt (*Job.* I) : et nisi et ipsi cum Jacob tres quas prædiximus turmas eis opposuerint (*Gen.* XXXII), facile ab eis devincuntur. Qui autem inter tot tentationes divino fultus auxilio fortiter dimicaverit, fructum tandem centesimum de suo semine percipiet. Sed hæc forte Quinquagesimæ seu Quadragesimæ, quæ sequuntur, melius reservantur. Sexagesimæ interim sexagesimæ fructus sufficiat; et dum sibi turmæ prædictæ invicem adversantur, et modo istæ, modo illæ ab aliis separantur, tribulatio patientiam in homine operetur: per quam dum homo sibi dominari discit, id ipsum quod est, possidere incipit. Verum quia de arca testimonii aliqua breviter tetigimus, et ei evangelicam doctrinam comparandam diximus; ad relevandum præsentis sexagesimæ tædium, quæ de eadem supersunt materia, suppleamus.

Lecto igitur Evangelio velut arca sanctificationis in medio constituta, quid restat, nisi ut sacerdos jam propius accedens desuper propitiatorio et medio duorum cherubim, ipsum sibi loquentem Dominum audiat; et accedens ad cor altum, etiam supra cherubim exaltatum Deum videat, sicque ipsis jam spirituum cœlestium cœtibus admistus, gratias Deo semper et ubique agere desiderans, unanimi cum eisdem voce concinat dicens: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth?* etc. Non solum enim usque ad cherubim, sed omnem prorsus creaturam transcendere oportet eum qui ad Deum accedere festinat, ut et ipsum etiam Christum jam non secundum carnem agnoscens, Deo adhærendo non solum duo sint in carne una, sed unus cum eo spiritus efficiatur; non, inquam, duo dicendi sunt, sed una caro, ubi corpus Ecclesiæ suo capiti connitur; ubi ima summis sociantur, terrena cœlestibus junguntur. Quid hoc spectaculo jucundius? quid hoc pane suavius? quid tali refectione melius quæritur? quid fructuosius invenitur? Bonum est hanc arcam, hoc altare, frequenti investigatione circuire; et hostiam vociferationis in eo immolando, cum Psalmista vociferando proclamare. *Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ* (*Psal.* CXXXI). Dicitur enim hæc arca, arca sanctificationis, arca testimonii, arca testamenti, arca fœderis: Fœderis, propter reconciliationem; testimonii, propter fidei incorruptionem; sanctificationis, propter munditiæ puritatem. Dicitur autem hæc arca ex omni parte auro circumtecta fuisse (*Hebr.* IX), quia doctrina evangelica undique veritatis fulgore resplendet. Et licet quatuor angulis distincta inveniatur; tanta tamen concordiæ unitas, et veritatis soliditas invenitur, ut non tam duo parietes in unum convenire, quam utraque unum fieri videantur. Quod si hos angulos libet diligentius explorare, possumus per duos parietes intelligere evangelicæ censuræ rigorem, et lenitatem dispensationis. Quæ quomodo in unum angulum coeant, inspecto subtilius Evangelio, manifeste liquebit. Ait enim ex severitatis rigore: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum* (*Matth.* XIX). Alibi ex misericordiæ dispensatione: *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI): Et, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis* (*Luc.* XVI). Sed et ex misericordiæ lenitate, *Dimittite, et dimittemini* (*Luc.* VI). Et hi quidem parietes a parte orientali et meridiana arcam muniunt. Cum enim oriri nobis Sol justitiæ incipit, tunc omni sunt districtionis rigore præcepta evangelica observanda. Cum autem nos ad summam perfectionem provexerit; moderanda est actio, ut contemplatio dilatetur, et arcu jam contrito, et scuto armisque cæteris confractis, vacandum est jam et videndum quoniam suavis est Dominus. Nam *qui minoratur actu, percipiet sapientiam* (*Eccli.* XXXVIII). Vides, ni fallor, quomodo rigor et dispensatio in unius concordiæ angulum indiscrete conveniant.

Cum igitur orientalem et meridianam plagam teneant decreta mandatorum, occidentalem et aquilonarem obtinent sancita sacramentorum. Quorum cum quædam sint necessitatis, quædam dignitatis, sive utilitatis: quædam imponuntur, quædam suadeantur; quæ necessitatis sunt, occidenti peccatorum obviant; quæ autem utilitatis, diabolicis aquilonis flatibus opponuntur. Inde est quod versus aquilonem Evangelium legitur, ut inde voce divini tonitrui veritatis inimici formidantes diffugiant. Sed et isti duo parietes unam compagem efficiunt, cum ad salutem humanam efficaciter sibi cooperentur, et unam Dei et hominum reconciliationem operentur. Quod autem quatuor angulos, et in quatuor angulis quatuor annulos arca habuisse describitur, compendii gratia, et ad vitandum fastidium lectoris studio distinguendum relinquo. Illud tamen prætereundum non est, quod sicut in angulis concors designatur unio, ita in annulis consummata perfectio. Sicut enim annulus rotundus est, et unum medium punctum æqualiter circumfertur; sic evangelicæ doctrinæ perfectio nusquam ab unius et simplicis veritatis definitione longius evagatur. Habet igitur in iis quæ varie dicere videtur summam concordiam; habet in iis quæ præcipit, perfectionis summam. Non sic lex Moysi, quæ neminem ad perfectum adduxit;

et cujus munera et hostiæ non potuerunt juxta conscientiam perfectum facere servientem. Evangelica vero sacramenta perfecte sanant, et præcepta perfecte justificant. Ut enim cætera omittam, dicitur de sacramento baptismatis: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* (*Marc.* XVI). Dicitur etiam de præceptis: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis* (*Joan.* XV). Et forte annuli ideo quatuor esse dicuntur; quia utrique homini, exteriori scilicet et interiori, sacramenta perfectam salutem, et præcepta perfectam afferunt justificationem. Sunt autem in annulis duo vectes, quibus vel ad ima deponitur, vel ad summa levatur. Hi sunt devotio et discretio; quorum specialiter devotio ad sacramenta, discretio respicit ad præcepta. Hos vectes infra hos annulos concludi volebat Apostolus, cum diceret: *Pax Dei quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras* (*Philip* IV). Quasi diceret: Pax reconciliationis Dei et hominum quam sacramenta et præcepta evangelica operantur; quæ sua perfectione exsuperat omnem angelicum et humanum sensum, ita ut hujus quasi annuli finis creaturæ sensu comprehendi non possit, concludat tamen et custodiat corda et intelligentiam vestram, ut corda ad devotionem, intelligentiam referas ad discretionem. Hi vectes se invicem juvant, quia et ex discretionis intelligentia crescit devotio, et ex devotionis dilatatione proficit intelligentia. His etiam seu deponitur, seu elevatur arca; quia cum ista inferioribus implicantur, quodammodo animalia stare et rotæ pariter super terram videntur. Cum autem ad superiora desideranda per devotionem, seu investiganda per discretionem animalia elevantur, elevantur pariter et rotæ evangelicæ sapientiæ; quæ pro rotunditate suæ perfectionis, sive pro agilitate suæ subtilitatis rotæ non immerito comparatur. Vides quomodo vetera veteribus concinunt, et nova nihilominus prænuntiare probantur, ut merito nova et vetera dilecto reservata dicantur. Quod autem annuli in Moyse (*Exod.* XXV), hoc rotæ in Ezechiele (*Ezech.* I); quod in hoc animalia, in illo vectes præfigurant. Quod vero et hæc et illa, hoc nobis Evangelii gratia repræsentat.

Quod in arca quatuor anguli, hoc in rota quatuor facies, hoc in Evangelio quatuor, quas prædiximus, signant distinctiones. Circa hanc arcam quatuor turmæ castra metabantur: et prima turma ad orientem, secunda ad meridiem, tertia ad occidentem, quarta ad aquilonem erat (*Num.* II). Nec elevabatur arca, donec turma orientalis et meridiana proficiscerentur Tunc elevata et procedente arca, proficiscebantur et aliæ. Quid sibi volunt ista, nisi quod etiam videmus hodie in Ecclesia actitari? Primo accedens sacerdos ad altare, vertit se ad orientem; quasi invitaturus illam, quæ in oriente est; ut quæ retro sunt oblita, in anteriora se extendat. Dehinc vertit se ad meridiem, ut et turmam meridianam provocet ad surgendum. Tunc elevata jam arca convertit se ad occidentem, et occidentalem turmam officiose salutans admonet, ut sequatur, dicens: *Oremus.* Et ne pigri forte, ut assolet, inveniantur; iterum lecto evangelio velut arca jam longius procedente, eadem repetit iterando. Dehinc ad aquilonem se vertens, aquilonarem turmam magis silentio suo, quam clangoribus invitat ad sequendum. Quæ omnia diligentius investigata, non modicum præstant suavitatis saporem. Oritur siquidem nobis sol, quoties veritatis fulgor cordis nostri oculis cœperit irradiare. In tali oriente commoratur turma spiritualium desideriorum. Meridies est, ubi prædictus sol ad altiora conscendens vehementer incaluerit. Et ibi turma est spiritualium gaudiorum. His duabus turmis præcedentibus, et affectionibus spei et gaudii jam in anteriora extentis, nihil amplius restat, nisi ut exsurgat jam Deus in requiem suam, cum arca sanctificationis suæ. Tunc enim exsurgit, cum ad superiora nos elevat, et arcana evangelicæ sapientiæ nobis revelat, introducens nos in cubiculum suum, non jam in specie peregrini per viam nobis Scripturas interpretans, sed revelatis oculis infra domum conscientiæ per fractionem panis se nobis manifestans. Sic elevata arca, doloris affectiones velut quædam occidentalis turma subsequantur; et easdem affectiones timoris velut aquilonaris turma comitentur; ut jam de præteritis nil libeat, nisi ut ante commissa defleantur, et ex præteritorum recordatione etiam futura timeantur. Hic autem timor potius tacita inspectione, quam clamosis vocibus in anima excitatur. Vel si magis placet, in oriente dicantur esse constantes in virtute, in meridie perfecti in charitate; ad quos se sacerdos primo convertere debet, ut tam eorum exemplis provocetur, quam orationibus fulciatur. Post istos arca elevatur, cum spiritualibus spiritualia comparantur. Sed etsi in consideratione istorum mente excedat Deo, necesse est tamen ut et minoribus sobrius fiat, ut postquam dies verbum eructavit, etiam ad illos qui in occidente sunt se convertens, velut nox nocti indicet scientiam. In occidente autem sunt, qui volentes alicui serviunt peccato; in aquilone, qui licet nolentes, adhuc tamen vinciuntur a peccato. Illi a longe sequantur arcam, nec præcedentibus se immiscere præsumant, donec ipsius sacerdotis precibus et sacramenti virtute liberati a peccato, servi autem facti Deo, Christo incorporari mereantur; habentes fructum suum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. Et pro talibus tacite cum quadam timoris reverentia et verecundiæ rubore a suo mediatore Deus exorandus est; qui per prophetam loquens, siluisse, et patientem fuisse, et tales sustinendo laborasse se asserit. His omnibus velut quibusdam præparatoriis consummatis, sacerdos jam bonis actionibus velut quibusdam justitiæ indumentis, et rationabilibus speculationibus velut quibusdam auri et gemmarum splendoribus adornatus, cum Petro et Jacobo et Joanne in montem excelsum, et seorsum a turbis

inferiorum cogitationum constitutum Christum ducem sequatur (*Matth.* XVII); ut quem cum Moyse et Elia loquentem audivit, transfiguratum jam videat, et præ faciei ejus fulgore et vestium candore stupefactus, ab omni humana elatione corruat, sicque in nubem inductus, et Patris vocem audiens, tacite potius et reverenter ineffabilia verba apud se conservare, et in corde suo conferre, quam aliis referre studeat. Attende Scripturarum pulcherrimam connexionem, et totius suavitatis mirabilem earumdem concentum. Quod enim per arcam inter duo cherubim, in Veteri Testamento significari diximus, hoc per Evangelium inter Psalmistam et Apostolum: hoc etiam per Christum inter Moysen et Eliam, in Novo Testamento monstratur. Et quod in tabernaculo veteri nubes arcam operiens, hoc in Ecclesia fumus incensi altare circumvolvens, hoc et in anima perfecta nubes lucida obumbrando designant. Si tamen juxta religionis et sanctitatis incrementa velis inter has nubes distinguere; adverte, primam fuisse caliginosam, secundam odoriferam, tertiam lucidam esse. In Veteri igitur Testamento nubes ignorantiæ populo illi cæco occultabat veritatem. Unde etiam nisi quando recedebat nubes, non procedebat arca, quia tantum cæremoniarum crescebat religio, quantum Moysi a Deo, et per Moysen populo ministrabatur. In Ecclesia autem vapor nebulæ de thure consurgere consuevit, qui præsentes suo assolet odore refovere. Quem fumum prævidens Propheta ait: *Et domus repleta est fumo* (*Isa.* VI). Quid aliud hunc fumum dixerimus, nisi cujusdam bonæ spei vaporem, per quam velut in odore unguentorum homines ad Ecclesiam pertrahuntur? Quidam enim spe veniæ impetrandæ ad Ecclesiam accedunt, et hi bona spe refoventur; quidam spe obtinendæ gratiæ, et hi sanctæ spei participes fiunt; quidam ad promerendam æternam gloriam, et hi beatæ spei exspectatione lætantur. Et ideo forsitan in missa tribus vicibus incensum exhibetur, quia et spem bonam afferunt incipientes, sanctam proficientes, perfecti beatam. Et quantumcunque varia sunt sperantium vota, tamen omnia sacerdos, quasi intra unum vasculum in memoriam humanitatis Christi colligit: facta ejus et dicta velut quosdam carbones in ipso vasculo recondens, et in ipsis suam suorumque totam spem constituens, dicit cum Propheta Domino: *Introibo in potentias Domini*; *Domine, memorabor justitiæ tuæ solius* (*Psal.* LXX). Quid est intrantem solius justitiæ Dei memorari, nisi in ipso suo introitu ad altare memoriam Christi operum, velut quoddam thuribulum aureum in manu discretionis apprehendere, et per ipsum se et suos Deo Patri commendare? Tandem nubes spei transit in nubem rei; nubes fumosa in nubem lucidam, quæ non tam obnubilat quam obumbrat; obnubilat tamen in humana, illuminat ad divina, obumbrat contra adversa. Quæ est hæc nubes, nisi divina speculatio et quædam divinæ præsentiæ non jam in spe, sed in re ipsa fruitio? Quæ tandiu recte nubes

A vocatur, quandiu non sicut est, sed per speculum et ænigma sentitur. Licet enim Christus intra domum in fractione panis agnoscatur a discipulis, et in monte coram eis transfiguretur; quamvis etiam facies ejus sicut sol appareat, tamen non sicut est cernitur, qui incomparabiliter solis candorem excedit, velut qui candor est lucis æternæ, et emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera, et ideo nihil inquinatum incurrit in illam. His breviter occasione Sexagesimæ perstrictis, jam ad Quinquagesimæ cantica accedamus, quæ sic incipiunt.

TRACTATUS XVI.

DE QUINQUAGESIMA, ET DE IIS QUÆ IN EA LEGUNTUR IN ECCLESIA.

Esto mihi in Deum protectorem, et in locum re-
B *fugii, ut salvum me facias, quoniam firmamentum meum, et refugium meum es tu, et propter nomen tuum dux mihi eris, et enutries me* (*Psal.* XXX). Merito Quinquagesimam celebraturi ducem et enutritorem nostrum requirimus; velut qui desertum intrantes nec viam scimus, nec alimenta habemus. Desertum enim terra est invia et inaquosa. In tanta ergo solitudinis vastitate quis locus canticis, quæ causa lætitiæ esse potest? Illa utique, quæ filiis Israel videntibus Ægyptios mortuos super littus maris; et manum magnam, quam exercuerat Dominus contra eos. Tunc enim *cecinit Moyses et filii Israel carmen hoc Domino, et dixerunt: Cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est*, etc., quæ
C sequuntur, usque *Extendisti manum tuam, et devoravit eos terra. Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti* (*Exod.* XV). Maria quoque prophetes soror Aaron, et omnes mulieres post eam, cum tympanis et choris eadem præcinebant. Ecce quem illi ducem se habuisse gloriabantur, nos non solum ducem, sed et nutritorem habituros in Quinquagesima nostra confidimus. Quinquagesima siquidem, sicut dictum est, quinquepertitam sensuum continentiam designat, per quam decalogus legis adimpletur, et sic Quinquagesima a nobis consummatur. Ad hanc post exitum de Ægypto et maris Rubri transitum, et mortalium peccatorum defectum, nos convertimus; ne tamen recidivum patiamur, etiam a licitis abstinere, et sensus subjicere servituti non negligamus.
D Quod multis contigisse cognovimus, qui usque ad Quinquagesimam venientes, quia ultra progredi noluerunt, ad Ægyptias tenebras infeliciter redierunt. Nos igitur, qui huc usque venimus, cum quinque prudentibus virginibus procedentes, sponso occurrere studeamus, ut ei omnium sensuum cohortatione, velut quadam virginitatis incorruptione placeamus. Bene autem virginitas deserto comparatur, quia sicut eremus terra est deserta inaquosa, sic corpus humanum a ciborum deliciis alienum, imo etiam ab ipsis necessariis jejunum, vita quoque humana liti et contentioni et omni avaritiæ et iniquitati invia, potus etiam ac luxus lavacri et unguenti, et totius superfluæ humectationis renuntiatione inaquosa, desertum procul dubio esse videtur.

Quis autem hujus deserti asperitatem sustinere, quis tantæ vastitatis devia perlustrare possit, nisi Deum ducem et nutritorem habuerit? Ideo forsitan fatuæ virgines a sponso non admittuntur; quia de sua virginitate et operum integritate confisæ, sibi potius quam sponso innituntur. Felices vero, quæ in hac parte prudentes inventæ sunt, ut cum magnificis operibus lampades earum resplendeant; nunquam tamen de illo splendore confisæ, oleo semper muniri, et vasa sua implere studuerunt (*Matth.* xxv). Ad quod dicendum beatus Paulus mox introducitur, dicens : *Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam*, etc. (*I Cor.* xiii). In Quinquagesima quinquepertitæ sensuum continentiæ, velut in quadam vasta et aspera corporeæ macerationis solitudine, volens viam Apostolus ostendere, et errantibus per eam doctrinæ suæ velut cujusdam nubis ducatum præbere; quod Dominus in Evangelio virginibus oleum prodesse, hoc itinerantibus in solitudine charitatem, ostendit. Nec immerito charitatem oleo comparavit; quoniam, sicut unguentum sanare, decorare et mulcere consuevit, sic in donis Spiritus quædam expediunt, quædam exornant, quædam delectant. Hæc igitur volens Apostolus distinguere et distincte exprimere, ait : *Si linguis hominum loquar et angelorum.* Lingua angelorum est sermo sapientiæ; lingua hominum sermo scientiæ. In illa sonus, in ista tinnitus; illa æri, ista cymbalo comparatur. Et hæc quidem dona Spiritus illum cui dantur exornant; et sunt forsitan illæ divisiones ministrationum, quas in eadem Epistola prædixit Apostolus (*I Cor.* xii). Ministrationes, quia ministrantur pro manifestatione spiritus ad utilitatem; divisiones, quia divisim sunt ministrandæ, ut sapientiam loquentes inter perfectos, spiritualibus spiritualia apparemus, et quasi dies diei verbum eructemus; parvulis vero lac potum propinantes, doceamus hominem scientiam, et velut nox nocti scientiam indicemus (*Psal.* xviii). Deinde subjecit : *Si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia et omnem scientiam, et habuero omnem fidem, ita ut montes transferam.* Quantum hæc suum possessorem delectent, nulli ignotum est, nisi qui deliciarum spiritus penitus expers est. Et hæc forsitan gratiarum divisiones nominat Apostolus, vel quia gratis dantur vel, quia gratiæ suavitatis infusione demulcent. Sequitur :

Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam. Ista quantum expediant, quantum sanativa sint, norunt, qui misericordiis pauperum peccata sua redimentes, misericordiam consecuti sunt, et qui exterioris hominis maceratione interioris hominis innovationem sunt adepti. Et hæc forsitan dicuntur divisiones operationum; quia, cum cætera in anima sola esse possint, hæc in sola operatione consistunt. Sed quisquis hæc absque charitate habet, nec verum ei esse conferunt, nec ad verum ei esse prosunt. Sicut enim corpus vitam ab anima, sic ista a charitate suum esse sortiuntur, ut nec esse quidem sine charitate dicenda sint. Sequitur :

Charitas patiens est, benigna est. Commendavit Apostolus charitatem, ex iis quæ habet communia bonis et malis; hic autem commendare incipit ex iis quæ propria habet in solis bonis. Volens autem ipsius bona diffusius enumerare, primo omnia sub quadam binarii summa colligit; postea ipsum binarium subdividendo distinguit. Ait ergo : *Charitas patiens est, benigna est.* Patiens, ad tolerandum mala aliena; benigna, ad retribuendum bona. Et quia etiam aliquo modo hæc mali habere se simulant exterius in actu, ostendit hæc potius habenda interius in affectu, dicens : *Non æmulatur*, non dolet de alterius felicitate; et si doleat, quod non habet; non dolet, quod alter habet; sed quodammodo in eo habere se gaudet. Unde nec perperam agit, quod procul dubio faceret, si verbo, vel facto, vel aliquomodo studeret illum habitis carere, vel saltem ne videretur aut crederetur habere. Ita enim quidam invidi, sibi credentes imminui, quod de aliis laudabiliter cognoverunt prædicari, etiamsi habitis eos carere non velint; habere tamen aut credere nolunt, aut credi ab aliis non volunt. Unde et omnia perverse interpretari volunt, et perperam interpretando pervertunt. Charitas autem non solum bonis non invidet alienis, sed nec extollitur suis. Unde *non inflatur*, ait. Non enim sibi ascribit, quod habet; sed eum potius laudat, a quo habet, dicens : *Quid habes, quod non accepisti? Et si accepisti, quare gloriaris, quasi non acceperis?* (*I Cor.* iv.) Non solum sibi non imputat, quæ habet; sed nec ab aliis sibi imputari sustinet; quia *non est ambitiosa.* Sicut enim non vult inaniter intra se gloriari, ita nec ambitiose aut jactanter extra se. Non enim quærit quæ sua sunt; nec quærit exterius mendicando, quæ melius intus possidet, veritati inhærendo. Quidam enim a veritate recedentes, quia intus ea veraciter non retinent, ubi sunt; exterius ea inaniter quærere incipiunt, ubi non sunt. Charitas autem semper veritati inhærens, sicut nec quærit quæ sua non sunt, ita nec illis unquam carere potest, quæ sua sunt. Est enim fons proprius, cui non communicat alienus. Fons est jugiter fluens per benevolentiam, non tamen perfluens per jactantiam; et, sicut crater tornatilis communem se omnibus exhibet et æqualem, nunquam tamen indiget poculis, nec invidet aliis quæ non habet, aut quærit ab aliis, quæ plenius in se habet. Audivimus quomodo scaturiat vera benignitas; audivimus et quo saliat patientiæ vena. *Non irritatur*, ait; quo altius potest patientiæ vena prosilire; sed quid divinius potest esse in homine, quam quod injuriis provocatus non irritetur; contumeliis et tormento interrogatus non solum æquanimiter sustineat, sed et calcando aut gloriando despiciat? Sic quippe Apostolus : *Non solum autem, sed et gloriamur*, ait, *in tribulationibus* (*Rom.* v). Sed et apostoli *ibant gaudentes a conspectu concilii; quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contume-*

liam pati (*Act.* v). Sed unde hoc illis? Quia *charitas non cogitat malum*, non cogitat eos qui inferunt, malo animo inferre; sed vel nescire quid faciant, vel præceptum eis esse a Domino, ut maledicant David. Inde est, quod *nec gaudet* charitas *super iniquitate :* non gaudet, quod qui inique mala innocenti infert, damnetur; sed congaudet veritati, a qua, ut talia fiant, juste disponitur: et ideo *omnia suffert;* quia *omnia credit* a Deo disponi; *omnia sperat* remunerari. Unde et ea longanimiter exspectando sustinet. Ecce commendata est charitas ex superexcellenti potentiæ suæ virtute. Commendatur etiam ex sua perpetuitate. Unde ait : *Charitas nunquam excidit*. Cum enim aliæ virtutes quæ modo in fide et spe consistunt, succedente re spei aut fidei, evacuabuntur; tunc plenius charitas consummabitur. Manentibus igitur interim fide et spe, velut quibusdam mancipiis charitatis, quæ ubi sunt sine charitate non prosunt; ubi autem charitati serviunt, velut rami ex radice proficiunt, patet radicem incomparabiliter ramis esse majorem, a qua rami et habent quod sunt, et præcisi ab ea nec quidem sunt. Radix vero absque ramis in integritate sua permanet; nec portatur a ramis, sed portat; nec confertur ei aliquid ab eis, sed ab ea est, quidquid in illis profertur. Ecce ne erremus in solitudine in inaquoso, et viam civitatis habitaculi non invenientes (*Psal.* cvi), esuriamus et sitiamus, et sic Deum protectorem et domum refugii non habentes (*Psal.* xxx), anima nostra in nobis deficiat; excellentiorem charitatis viam; quam teneamus, nobis Apostolus demonstravit.

Et forsitan secus hanc viam mendicat cæcus ille, quem Dominus in Evangelio illuminat (*Luc.* xviii). Quid est enim cæcum Jesum videre, sequi et magnificare, nisi viam prius incognitam invenire? O bone Jesu, quanta lux, quantum gaudium, quanta securitas oritur noviter conversis, cum eis primo incipis apparere, cum eis lætitia salutaris infunditur, cum dulcescere eis cœperit nomen Jesus : et ad hujus nominis dulcedinem male dulces affectiones cœperint amaricari, et amaræ in dulcedinem convertentur, ut jam cum magna jucunditate libeat decantare : *Populus gentium qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis* (*Isa.* ix). Procul dubio hæc lux, hæc dulcedo de Christi humanitate concepta, lignum illud est, quod aquas in eremo commutavit in dulces et potabiles fecit. Tres illæ dietæ triplicem proficientium statum demonstrant. Solent enim post conversionem, cum proficere cœperint incipientes, ex rerum novitate in quemdam mentis stuporem venire : et, sicut norunt qui experti sunt, cum assueta coguntur relinquere, et insuetis insistere, turbantur et moventur sicut ebrius, et omnis eorum sapientia devoratur (*Psal.* cvi). Unde et ex tali turbationis stupore, anima nimio tremore concutitur, et quasi jamjamque casura, sola formidine undique circumvallatur; tandemque hoc terrore purgata, cognoscere et dolere incipit defectum, quem pa-

A titur. Hæc tria manifeste expressisse videtur Propheta, ubi ait : *Ipsi videntes, sic admirati sunt, turbati sunt, et commoti sunt, tremor apprehendit eos. Ibi dolores ut parturientis* (*Psal.* xlvii). Ecce primam ponit dietam admirationis, secundam tremoris, tertiam doloris. Hi sunt illi tres dies, quibus beatus Paulus prostratus a Domino in via, et cæcatus, perseveravit non videns, et nihil comedens aut bibens (*Act.* ix). Post istos tres dies, jam fere deficiente homine mittitur Ananias, qui interpretatur ovis, qui non est alius quam magni consilii angelus; qui quasi ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se obmutuit (*Isa.* liii). Hæc ovis post illos tres dies, lac suæ humanitatis parvulis suis propinavit, et amaritudinem contritionis velut B mara, in lactis commutat dulcedinem. Quod ergo hic per ovem, hoc ibi per lignum intelligitur, et quod hic ovis, ibi lignum operatur. Non est hoc lignum scientiæ boni et mali, sed scientiæ solius boni; lignum vitæ, lignum quod plantatum est secus decursus aquarum (*Psal.* i), quod ad humorem humanæ devotionis mittet ramos suos, et non timebit cum venerit æstus. O lignum dulce, dulces clavos, dulce pondus sustinens, nunquam tui memoria recedat de ore meo; semper devotionis tuæ dulcedo vigeat in affectu meo; et sic dulces factæ sunt mihi aquæ mara, et sapientiæ lacrymæ contritionis, quantumcunque prius amaræ exstiterint. Ideo hæc hodie duodecim discipulis proponuntur; et quia nihil horum intelligentes, adhuc extra viam sunt, cæcus filium C David invocans illuminatur (*Luc.* xviii); et jam viam cum eo carpens, sequens eum, et gaudens comitatur. Per hanc viam venitur in Helim, ubi non jam secreto duodecim discipulis passio Domini revelatur; sed patentes, et limpidissimi fontes duodecim cum septuaginta palmis inveniuntur. Hoc fit, cum Christus suos jam in via comitatur, et miro modo eos delectans, quæ in lege et prophetis et psalmis scripta sunt, interpretatur : et licet oculi eorum quandiu extra domum et in via sunt, teneantur; ardore tamen et sapore talis colloquii velut quibusdam fluentis delectabilibus debriantur. Merito autem palmæ cum fontibus fuisse leguntur, quia tunc primo victor animus triumphi gloria coronatur; D et de testimonio conscientiæ fructus suavissimi, velut quidam dactyli degustantur, cum, unctione spiritus revelante, ad intelligentiam Scripturarum animus dilatatur. Et hoc totum merito in Helim fieri dicitur, qui aries interpretatur; quia hæc omnia præbet aries ille, qui cornibus suæ crucis licet peccatorum vepribus ad horam hæsisse visus fuerit, tamen peccatorum vincula disrupisse et consumpsisse cognoscitur, et sanguinis sui victoriosa effusione, suavissimum nobis cibum et potum parasse, a nullo jam fideli ignoratur. Et recte fontes duodecim, palmæ septuaginta fuisse dicuntur; quia duodecim fuerunt apostoli, qui doctrinam fidei, et fidem Trinitatis, per quatuor mundi partes disseminaverunt. Septem quoque sunt, quæ septem Ecclesiis in Apo-

calypsi pro Decalogi impletione (*Apoc.* I), quæ est peccati victoria, promittuntur. Bene ergo duodenarius doctrinæ, septenarius victoriæ assignatur, quia talia in Helim ab ariete percipiunt. Merito ad peregrini verba per viam inardescunt; sed meminisse debent, non esse remanendum in via, sed priusquam nox et innumera noctis pericula superveniant, ad hospitii domum properandum. Ad hanc domum procul dubio pervenitur, cum de Quinquagesima ad Quadragesimam proficiendo transitur.

TRACTATUS XVII.

DE QUADRAGESIMA, ET DE IIS QUÆ IN EA LEGUNTUR IN ECCLESIA.

Quadragesimam siquidem celebrare, est prævaricatores ad cor redire, et subtili examinatione intima cordis secreta discutere, et inordinatas ac perversas affectiones moderando et ordinando, prava et indirecta et aspera in vias planas facere : quod est Decalogum legis quatuor faciebus, seu quatuor pennis spiritualium animalium adimplere. Quatuor enim animalium facies quatuor sunt inordinatæ, et ordinatæ sanctorum affectiones, quibus ad Deum tendunt, et ab eo discernuntur. Quatuor pennæ, quatuor principales virtutes quibus ad Deum volant et ab eo diriguntur.

Quid est autem taliter de Quinquagesima in Quadragesimam transire, nisi de Helim ad desertum Sin, quod *amphora* interpretatur, venire? Amphoram quippe invenimus, sed vacuam; domum intramus, sed solitariam, cum ad interiora nostra rimanda et subtilius cognoscenda intenti, reperimus prima facie cor pravum et imperscrutabile, velut quamdam terram inhabitabilem et inviam, terram sitis, et imaginem mortis; terram in qua non ambulavit vir, nec habitavit homo. Merito igitur desertum tale lustraturi, talem amphoram exploraturi, et domum hujusmodi intraturi, Dominum ad intrandum nobiscum cogimus, dicentes et sæpius inculcantes : *Mane nobiscum, Domine, quoniam advesperascit* (*Luc.* XXIV). O quam multos Quinquagesimam devote celebrare, membra sua frequenter mortificare, corpus castigare, et in servitutem redigere (*I Cor.* IX), sensus circumcidere, et universos exterioris hominis motus componere novimus; qui usque hodie interioris hominis sui faciem negligentes, sunt quasi myricæ in deserto; et si quando forte cor suum intraverint, nonnisi siccitatem et terram salsuginis invenientes, statim ad consueta relabuntur. Hi, quia Dominum invocando intrare secum et manere non cogunt, non tam vesperam quam noctem patientes, dierum videre longitudinem non merentur. Qui vero Quinquagesimam celebrando cor suum omni custodia servare et fructus vitæ qui ex tali vite procedunt degustare intendunt, de Domini auxilio et gratia confidentes, et quasi jam certi de ipsius promissione, gloriando decantant : *Invocavit me, et exaudiam eum; cum i, so·sum in tribulatione*, etc. (*Psal.* XC). Invocare enim intus vocare est, et illi soli vere Deum invocant, qui interioris hominis oculos mundantes, Deum videre, et eum qui spiritus est, in spiritu et veritate adorare (*Joan.* IV) desiderant. Talibus, id est mundis oculis, in bonæ conscientiæ hospitio revelata se facie Deus in fractione panis ostendit. Quod similiter per manna filiis Israel in deserto Sin primo missum, credo præfiguratum. Quid est enim manna, nisi suavitas divinæ cognitionis, quæ similæ habet cum melle dulcedinem devotionis, et cum semine coriandri candorem intelligentiæ spiritualis? Quæ bene manna dicitur; quia non tam potest exprimi quam mirari quid sit. Et hoc siquidem in deserto Sin primo colligitur, non quod et ab illis qui domandis et subjugandis exterioribus sensibus intendunt, divinæ cogitationis dulcedo non gustetur; sed non ad satietatem, nec ad diuturnitatem. Eis enim tarda est hora illa, et brevis mora. Mundis autem cordibus, et ad satietatem datur: quod sperabat Propheta, cum diceret: *Satiabor cum appruerit gloria tua* (*Psal.* XVI); et ad diuturnitatem, quod expertus fuerat idem, cum diceret : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam* (*Psal.* XCIII). Neque enim debent vel possunt divinis carere consolationibus, qui omnes a se humanas prorsus abdicaverunt. Ideo et in Quadragesima præter cursum et morem aliorum temporum, nova quotidie officia decantantur, ut de quotidiano introitu, de quotidiana Veteris Testamenti et Evangelii lectione, velut quoddam manna insolitæ dulcedinis colligatur. Neque enim debet unius diei manna in alterum reservari, ut vel de Domini gratia quis dubitando diffidat, vel de propria industria hoc manna se inventurum confidat. Alioquin computrescere illud potius, et vermibus fœtidis scaturire incipiet. Putrescit enim, et vermibus scaturire videtur quod dulce et vividum prius sentiebatur, cum sermo Domini vivus et efficax, qui penetrabilior omni gladio ancipiti per gratiæ infusionem sentitur (*Hebr.* IV), humana calliditate præsumptus fastidiri incipit, et velut vermibus quibusdam quæstionibus scaturire.

Quot enim quæstiones moveri, tot quasi vermes videntur oriri. Quod autem Sabbato non colligebatur, minime intelligendum est quod Sabbatum otii spiritualis careat manna divinæ consolationis, in quo maxime illud manna abundare solet; sed quod in colligendo jam labor non est, ubi quod desideratur in promptu est; nec laboratur in figura, ubi præsens est veritas; aut anxie umbra requiritur, ubi res cum delectatione tenetur. Quod forte etiam in eo signatur, quod quintæ feriæ Quadragesimæ nullum proprium officium assignatur. Ea enim die non solum forma sacramentorum, sed ipsum Christi corpus primo est discipulis traditum, nec indiget ea dies aliis adminiculis, quæ ipsius irradiata est fulgore veritatis, ne superfluis videretur Ecclesia laborare impendiis, si solem facibus juvare conaretur. Hoc manna videtur Dominus Quadragesimam intrantem per Prophetam promittere, ut in prædicto versiculo

talium persecutorum defectum desiderare videbatur Propheta, cum diceret : *Vide humilitatem meam, et laborem meum ; et dimitte universa delicta mea* (*Psal.* XXIV). Humilitatem, quam ex peccatorum recordatione, et laborem, quem ex satisfactionis dolore sustineo; delicta quæ fugientem de Ægypto ad te, insequi non desistunt. Merito igitur sic liberata anima a servitute peccatorum, quasi ab Ægyptiorum jugo jam mari transmisso et inimicis capitalibus submersis, jam etiam ad carnales motus edomandos accingitur, et rebelles artus in servitutem redigere festinans, Quinquagesimam celebrando consummat. Sic igitur in Ægypto post multas Pharaonis contradictiones formato proposito a malo declinandi, et multiplicibus Ægypti plagis Septuagesimæ mutabilitate probata, Sexagesimæque laborioso certamine peccatis actualibus finitis, sed et peccatorum motibus sensuum maceratione repressis, imo ipsis jam sensibus Quinquagesimæ studiis edomitis, quid jam superest, nisi ut elongans homo effugiat et maneat in solitudine; ubi Quadragesimam cum filiis Israel faciens in planitie, cibo cum eisdem cœlesti reficiatur; sive cum Moyse in monte ab omni prorsus humana sustentatione abstinens, tabulas divino inscriptas digito accipere mereatur?

Hæc ad præsens, ni fallor, sufficere possunt, ad cognoscendum, in quo cum veteribus nova conveniant. Nunc vero in quibus ipsa inter se nova concinant, attendamus. Sic enim in testium productione, non solum qui sint testes, sed et in quo conveniant testimonia ipsa, naturalis ratio edocet inquirendum. Ait igitur apostolorum eximius beatus Paulus : *Nescitis quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium?* (*I Cor.* IX). Sicut Dominus in Evangelio operarios vineæ ad denarium, sic Apostolus currentes in stadio ad bravium, contendentes in agone ad coronam invitat. Fidelis sermo, et omni acceptione dignus. Primum est currere, secundum pugnare, tertium est vineam excolere. Prius exercendus est homo in stadio bonæ actionis, secundo probandus in camino tribulationis, tandem componitur animus in renovatione interioris hominis; qui tanto amplius innovatur, quanto exterior de die in diem per prædicta exercitia corrumpitur. Primo igitur curritur per obedientiam, secundo pugnatur per patientiam, tandem introducitur homo in cellam vinariam. Currentes autem tria solent impedire, pondus, casus, stadii longitudo, sive incertitudo. Si ergo juxta Apostolum sic currere quis cupit, ut comprehendat, exoneretur primo ab omni sollicitudine et amore inferiorum, ut sic exoneratus ad bravium possit festinare. Festinans autem toto studio præcipitium caveat, ut absque interpolatione cursum valeat continuare. Continuationis quoque usus instantia, aliquem sibi certum præfigat terminum, ne si in incertum currit, longitudine tandem lassatus careat perseverantia. Hæc sunt, quæ in *obedientiæ stadio* cursitantibus maxime sunt necessaria, *festinantia, instantia*, perseverantia. Festi-

A nantia, ne sint pigri; instantia, ne molles et dissoluti; perseverantia, ne irremunerati. Perseverantibus enim, non incipientibus præmium repromittitur, et omnis laus in fine claudi perhibetur. Pugnantibus simili modo tria necessaria esse solent : Ars qua se et ab hoste tueri, et hostem deludere sciant; virtus, per quam ictus adversarii fortiter sustinere, et ipsum fortius possint debilitare; sobrietas, ne gravati crapula aut ebrietate, cum ventum fuerit ad pugnam, risum potius moveant inimicis, quam triumphum de hoste reportent. Hæc tria videtur Apostolus expressisse, ubi ait : *Sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide* (*I Petr.* V). Sciens adversarium nostrum fortem esse, leonem nominavit. *Leo enim fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum* (*Prov.* XXX); sciens etiam esse callidum, asseruit circuire; sciens tandem malitiosum, ait velle nos devorare. Contra talem igitur armare nos et animare volens, fortes esse in fide docuit, ut fortis fortem valeat alligare. Vigilare etiam admonuit, ut callidi hostis versutias vigili solertia deprehendat, ut sic ars artem deludat. Tandem sobrios esse præcipit, ut, dum nos malitia ejus jejunos et inedia affectos invenit, non sit unde suam ingluviem de nobis satiare possit.

B

Attendendum est autem, et diligenter advertendum quod, cum hæc, quæ prædiximus, currentibus et pugnantibus constet esse necessaria, duo tantum nominavit Apostolus, dicens : *Sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum* (*I Cor.* IX), etc., quoniam, etsi cætera desint, hæc duo aliquando sufficere cognoscuntur. Videmus etiam pigros et minus instantes, sola perseverantia obtinere, minus etiam fortes et astutos sola abstinentia adversarium superare. Unde ait : *Qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet* (*ibid.*). Quod autem subjungit, patres nostros omnes sub nube fuisse, et cætera quæ sequuntur, mittit nos ad vetera, ut probet per ea præfigurata nova, et nova rem esse veterum, sicut et vetera umbram fuisse novorum. Quod enim illis nubes fecit contra æstum, hoc nobis facit exercitium bonorum operum contra carnalium ardorem desideriorum; et quod illis divisio maris, hoc nobis moderata probatio tribulationis : et, sicut per illa duo sub Moyse illi baptizati perhibentur, ita per hæc nos sub spiritu timoris abluimur et emundamur; sicque corde mundo ad spiritualem escam comedendam, et spiritualem potum bibendum transimus, ministrante nobis petra Christo, secundum illud Prophetæ : *Cibavit eos ex adipe frumenti, et de petra melle saturavit eos* (*Psal.* LXXX). Christus enim Dei virtus et Dei sapientia capacioribus cibus est, quem qui edunt, adhuc esuriunt; minus capacibus potus, quem qui bibunt, adhuc sitient. Hæc de Apostoli verbis sufficere posse videntur, nisi quia adhuc de bravio et corona aliquid restat di-

C

D

vinea bonæ conscientiæ colliguntur; hoc manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Qui autem accipit, non in vano animam suam accepit, non in vacuum cucurrit, nec in vacuum gratiam Dei recepit (*ibid*).

Attendenda est etiam in his verbis Apostoli quædam interioris hominis virtutum distinctio. Aliter enim habentur virtutes in via, aliter habebuntur in patria. In via cum labore et interpolatione, in patria sine difficultate et mutabilitate. Has idem Apostolus virtutes futuri sæculi nominat; et eas etiam in præsenti haberi potius quam gustari asserit. Primo igitur virtutes viæ ponit, dicens : *In castitate, in scientia, in longanimitate*. Vera castitas animæ est super omnem creaturam Verbo adhærere, secundum illud : *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te. Mihi autem adhærere Deo bonum est* (*Psal.* LXXII). Fornicatur quippe a Deo, qui amori alicujus rei adhæret propter seipsam; non propter, sed præter Deum. Sed ad hujus felicis castitatis custodiam necessaria est scientia, ut qui hujusmodi est, sciat reprobare malum et eligere bonum (*Isa.* VII). Si existimando dicat bonum malum, et malum bonum; procul dubio nesciens inter ea eligere, a prædicta excidet castitate, approbando potius quam reprobando verum malum, et verum bonum fastidiendo potius quam eligendo; sicque a summo bono ad minus bonum decidendo; et quia scienti bonum et non facienti, peccatum est illi, necessaria est etiam longanimitas, nequando pusillanimitate superatus judicet se homo, in eo quod discernendo probat. Ad hæc obtinenda, quærendum est animæ spirituali Verbum Deus, cui consentiendo ad correctionem castificetur, quo illuminata ad cogitationem scientia impleatur, cui innitens, ad virtutem longanimis efficiatur. Volens autem Apostolus etiam futuri sæculi virtutes distinguendo subjungere præmittit, dicens : *In suavitate, in Spiritu sancto* (*II Cor.* VI). Est enim suavitas vitæ præsentis, de qua legitur, quod *non invenitur* sapientia *in terra suaviter viventium* (*Job.* XXVIII). Talis enim suavitas muscarum morientium, solet potius exterminare suavitatem unguenti spiritualis. Suavitas autem quæ est in Spiritu sancto, velut unctio docens de omnibus, sanat omnem languorem, omne tædium et amaritudinem omnem explodit. In quibus autem, vel potius in quo consistat ista suavitas exprimendo subdividit, dicens : *In charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei*. Charitas non ficta nec facta, ipse Spiritus sanctus est. Ipse nostræ in nobis charitatis est auctor, ipse factor, vel potius, fictor, qui solus novit figmentum nostrum.

Vel ideo merito ficta dicitur charitas nostra, quæ habetur in via; quia videmus nunc per speculum in ænigmate, et potius umbra est illius charitatis, quæ erit in patria, quam veritas. Quæ igitur erit in patria, desiderari potest et prægustari in via, nullatenus possideri. Sic et verbum veritatis, imo Verbum veritas in via sub peregrini specie videtur et auditur, in patria cognoscetur sicuti est; ibi etiam virtute Dei, imo virtute Deo fruentes beati sunt; non jam de virtute in virtutem ascendentes, sed uni summæ et incommutabili virtuti inhærentes; ejus participatione incorruptibiles facti et impassibiles. Una igitur et summa ibi virtus Deus est; ipse virtus, ipse veritas, ipse via, ipse omnia, et in omnibus Deus. Ipse virtus ad potentiam, ipse veritas ad notitiam, ipse vita ad lætitiam; et cum illic in beata vita, omnes beati Spiritus apparente gloria Domini satientur, hic interim cum difficultate et raptim eadem tantummodo prægustantur. Hic enim virtus in infirmitate perficitur. Hic de virtute in virtutem ascenditur, donec Deus deorum in Sion videatur. Hic Jacob luctatur cum angelo, et post longam luctam vix tandem benedictionem meretur. Ex quo contra Deum et hominem fortis effectus, et etiam Israelis nomine insignitus tunc a se ipso deficere, et in se cœpit et didicit infirmari. Quanto enim quis amplius dilecto suo inniti cœperit, tanto humanæ virtutis pede destitutus, et velut claudicare se sentit. Sed quanto exterior homo corrumpitur, tanto interior de die in diem renovatur, et magis ac magis virtute ex alto induitur. In hunc modum secundum Apostolum ministrum Dei homo se exhibet : primo in tribulationibus per multam patientiam : dehinc in suavitate spirituali per exuberantem fervoris et devotionis fragrantiam. Sed plerumque contingit, ut quos adversitas non dejicit, nec prosperitas elevat, frequens tamen rerum alternatio, et alterna vicissitudo perturbet. Unde et in Ezechiele rex Babylonis sedens in bivio sagittas commiscere legitur (*Ezech.* XXI); ut quos nec timore nocturno, nec sagitta volante in die nocere potest, saltem tentationum perplexione concutiat; quia et perplexi nervi Leviathan perhibentur. Hoc cognoscens Apostolus, cui Satanæ astutiæ ignotæ non erant, etiam contra hoc præmunire et præmonere nos volens, subjungit, dicens : *Per arma justitiæ a dextris et a sinistris*.

Hæc vicissitudinum alternatio ipsi Domino nostro non defuit, ubi nunc a pueris et populo Hebræorum : *Hosanna, Benedictus qui venit in nomine Domini* (*Matth.* XXI), nunc : *Crucifige, crucifige; et sanguis ejus super nos et super filios nostros* (*ibid.* XXVII), ab eisdem audivit. Ipse etiam Paulus nunc ad tertium cœlum raptus (*II Cor.* XII), nunc carnis stimulo colaphizatus tertio Dominum rogat, ut ab eo discedat, et minime exauditur. Alibi quoque nunc mente excedit Deo, nunc sobrius factus hominibus gaudet cum gaudentibus, et flet cum flentibus, infirmatur cum infirmantibus, et uritur pro scandalizatis; vinculis etiam coercetur, sed verbum Domini in eo minime alligatur; quin potius sapientiam loquitur inter perfectos. Aliquando quæ retro sunt oblitus, et in sola anteriora se extendens, dicit : *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Galat.* II). Sed nec sic quidem securus est, nec acquiescit altum sapere, sed timet; sciens quod

rex Babylonis, licet secundum Ezechielem (*Cap.* XXI) Sabbatorum otium non imitetur, et quasi frustra consuluisse oraculum exta perscrutando se ostendit, ipse tamen recordabitur iniquitates ad capiendum. Sed in his omnibus Christi milites superant, propter et per eum qui eos dilexit, et munivit armis justitiæ a dextris et a sinistris. Quæ autem sint hæc arma justitiæ, sive quæ dextera, sive quæ sinistra, psalmus prædictus sive inductus Apostolo per omnia concinens innuit, dicens : *Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis. Scuto circumdabit te veritas ejus ; non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in die. Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis* (*Psal.* XC). Ubi enim ait Apostolus : *In suavitate, in Spiritu sancto,* ibi Propheta dicit : *Scapulis suis obumbrabit tibi.* Quid enim scapulis Deum obumbrare homini, nisi suavitate Spiritus et infusione gratiæ justum quemlibet a tentationum æstu protegere, quasi in abscondito faciei suæ a conturbatione hominum abscondere? Unde et in alio psalmo idem Propheta gloriatur dicens : *Obumbrasti super caput meum in die belli* (*Psal.* CXXXIX). Et quia in scapulis onera portari solent, recte in scapulis Dei patientiæ ejus et longanimitatis benignitas designatur, qua parvulos suos exspectans fovet et sustinet secundum illud : *Expandit alas suas, et assumpsit eos, atque portavit in humeris suis* (*Deut.* XXXII) ; et illud Isaiæ *Pueri eorum in humeris portabuntur* (*Isa.* LXVI), donec excrescentes in virum perfectum jam non solum portari non indigeant, sed et alios portare sufficiant. Pennæ quoque talibus scapulis subnectuntur, quia quos longanimiter portat, etiam plumis spiritualium consolationum calefacit et informat, velut gallina refovens pullos suos sub alas, et velut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans (*Deut.* XXXII). Sed ne sub his pennis sperando, et latitando, homo securitate torperet, et semper crederet quiescendum, ubi Apostolus mittit nos ad arma justitiæ, Propheta concludendo, et de pugna nos admonet dicens : *Scuto circumdabit te veritas ejus.* Homo quippe post intimam divinæ gratiæ consolationem, ad suam rediens infirmitatem, quam longe a veritate existat, et quantum bona transitoria a veris distent bonis ipsa rerum experientia verius edocetur ; et hac veritatis cognitione velut quodam scuto in superioribus lato, in inferioribus angusto circumdatus, communitur ad transitoria despicienda, velut ea quæ non vere sunt et angusta sunt : et desideranda æterna, quæ vere sunt. Sic Petrus post angelicam visionem, et eductionem de carcere, et portæ ferreæ ultroneam apertionem, ad se tandem reversus dicit : *Nunc scio vere* (*Act.* XII). Alibi quoque post visionem lintei, in quo erant universa quadrupedia et serpentia, idem Petrus ad se reversus ait : *In veritate comperi* (*Act.* X). Ecce ibi se vere scire, hic in veritate comperisse se testatur, quæ prius ignorasse non creditur ; sed divina revelatione certificatus, divinæ

A veritatis scuto circumdatus esse ostenditur. Volens etiam propheta ostendere adversus quæ scutum istud muniat, universa tentamenta quadruplici distinctione comprehendit dicens : *Non timebis a timore nocturno.* In quo recte concupiscentia carnis intelligitur quia, secundum Apostolum (*I Tim.* V), qui in deliciis est, vivens mortuus est. Sicut enim mors sensus carnis a præsentibus alienat, sic sopor carnalis voluptatis sensus animæ ab æternorum cognitione infatuat. Unde qui dormiunt, nocte dormiunt, et qui ebrii sunt nocte ebrii sunt ; et ipsi fortissimi Israel accincti sunt gladio super femur suum, propter timores nocturnos. Sequitur : *A sagitta volante in die,* et per hanc non immerito superbiam vitæ accipimus, quæ maxime in die mun-

B danæ prosperitatis solet obrepere. Quem diem Propheta non desiderasse fatetur. In *negotio* vero *perambulante in tenebris,* quod tertio loco ponitur, manifeste avaritiæ negotiatio, seu oculorum petulantia exprimitur, quæ nulla acquisitorum abundantia satiatur, quia, secundum Salomonem, *non satiatur oculus visu* (*Eccl.* I), et hæc quidem a sinistris nos impugnant. Sed si scuto veritatis circumdamur, cadunt a latere nostro mille ; et ne a dextris inermes esse videremur, subjunxit : *Et decem millia a dextris tuis.* Et forte non immerito per decem millia quæ prædixerat, ab incursu et dæmonio meridiano intelligi voluit. Dæmonium namque meridianum non incongrue a Patribus interpretatum est, cum angelus

C Satanæ transfigurat se in angelum lucis. Cum enim ad perversa et manifeste mala hominem inclinare non potest, ad callida se vertit argumenta ; et velut recta suadens, ad altiora se quærenda, fortiora se scrutanda, sive etiam quædam occulta ei revelando, plus sapere quam oporteat sapere, persuadet. Et hæc tentatio recte meridiana dicitur, quando homo lucis nimietate offenditur, tantoque perniciosius nocet, tardiusque cavetur, quanto difficilius deprehenditur et discernitur rarius. Et licet tantum inter hanc et alias distet tentationes, quantum inter mille et decem millia, quantumque inter lævam et dexteram ; tamen sicut scuto veritatis muniti mille superamus ad sinistram ; sic gladium spiritus, quod est verbum Dei dexterâ tenentes, etiam

D decem millia fugamus a dextra. Vivus enim Dei sermo et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus (*Hebr.* IV), et quantumcunque spirituales et subtilissimas dæmonum tentationes dividens et discernens. Et forte hæc tentatio meridiani incursus in sequentibus ejusdem psalmi per aspidem designatur. Sicut enim aspis obturans aures suas ne vocem incantantium audiat ; sic qui ista lucis transfiguratione ac boni simulatione decepti sunt, contra omnia saniora consilia et monita obsurdescunt. Nam reliquæ forte tentationes in cæteris animalibus exprimuntur, ut in leone superbia vitæ, in dracone concupiscentia carnis, in basilisco qui visu nocet, oculorum concupiscentia intelligitur ; quæ

si recte ita possunt intelligi, curioso lectori relinquimus.

Satis jam, nisi fallor, dictum est, in quibus Propheta et Apostolus conveniant: quomodo duo hæc cherubim vultus mutuos ad se ipsa habeant. Nunc jam dicendum videtur, quomodo versis vultibus in propitiatorium evangelicæ lectionis respiciant. Sed ne repetendo ea quæ vel in Psalmo vel in Apostolo dicta sunt, lectorem oneremus aut paginam, ea breviter colligendo invenire in Evangelio studeamus. Volens siquidem Dominus Jesus incipere prius facere quam docere, secundum quod in Propheta et Apostolo supra dictum est, primo a patientia cœpit; et primitus in patientia illarum tribulationum, quas sancti sibi imponunt, exerceri voluit, ut suo nos exemplo doceret, non facile posse per patientiam superare alios, qui sibi ipsi non didicerit imperare, secundum illud: *Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo expugnatore urbium* (*Prov.* XVI). Hoc siquidem postea verbo docturus erat, et evangelizando dicturus: *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc.* XXI); quia secundum beatum Gregorium, quando nobis ipsis dominari discimus, incipimus possidere quod sumus. Hæc complere volens Dominus primo sibi solitudinis ac penuriæ necessitatem, vastitatis eremi, horrorem jejunii ac famis cruciatum imposuit. Hæc enim volentibus ad Deum redire, maxime in principio necessaria esse sciebat; primo ut fugiens homo, et declinans omnem commoditatem peccati, et temporalium affluentiam, elongans maneat in solitudine; ne forte ipsa commoditate facilius recidivum incurrat; dehinc, ut non solum non habeat quod delectet, sed etiam sit aliquid in promptu quod horreat, ut terrenis affectibus ipso horrore mitigatis, sive etiam effugatis, libentius ac facilius cœlestia requirat. Sic Psalmista cum elongasse fugiendo se dixisset, statim subjunxit: *Exspectabam* (*Psal.* LIV); quasi diceret: Ipsius solitudinis squalore et vastitatis horrore provocatus, ad exspectandam et expetendam consolationem divinam protinus me converti. Tandem etiam jejunio corporali affligendus est hostis, et corpus in servitutem spiritus redigendum, ut quanto exterior homo corrumpitur, tanto interior renovetur. Et hæc dicta sint, pro eo quod dictus est Dominus Jesus ductus esse in desertum a suo spiritu, et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriisse. Sequitur: *Et accedens tentator* (*Matth.* IV); ac si diceretur: Prædicta a suo sibi spiritu imposuit; quæ sequuntur, ab alieno sustinuit. Notissimæ sunt, et a Patribus subtilissime disputatæ, tres illæ tentationes quæ a tentatore Domino factæ exprimuntur. Sed quomodo prædictis conveniant, ostendendum esse videtur. Ubi ergo dicenti sibi tentatori: *Dic ut lapides isti panes fiant* (*ibid.*), verbum sacræ Scripturæ velut scutum veritatis opposuisse legitur, draconem conculcasse videtur. Antiqua siquidem fraude serpens antiquus, qua circa protoplastos usus est in para-

A diso, Dominum aggressus est in deserto. Videns enim carnem homini proximam, imo individuam esse, primo quæ carni placerent, et carnem oblectarent, proposuit; et carnis eos concupiscentia decipiendo prostravit. Ita et nunc Dominum esurire conspiciens; ipsam ejus famem volens sibi assumere adjutricem, ab appetitu carnis, ne dicam concupiscentia, eum tentare cœpit, dicens: *Dic ut isti lapides panes fiant.* Ecce quam sit aptus pœnitentiæ locus desertum, manifeste apparet. Quia enim in deserto nec pomum invenit, quod placeret, nec aliud comestibile, quod famem propulsaret, ad lapides, qui deesse non poterant, se convertit, non sicut prius dicens in paradiso, *eritis sicut dii* (*Gen.* III), callidiore usus astutia facito inquiens sicut Deus.

B Ac si diceret: Si vere Deus es, potes; et si potes, debes vitam corporis, etsi non oblectare, saltem cibo necessario sustentare. Sed deprehensa est ab esuriente hæc tanta fraus in deserto, quam advertere non potuerunt felices, et absque ulla necessitate, protoplasti etiam in paradiso. Gratias tibi, Domine Jesu, quia sicut per te ipsum semel draconem superasti, sic quotidie per tuos superare non cessas. Jam enim velut tanti capitis membrum quilibet parvulorum tuorum oculos habens in capite, tuo exemplo provocatus, tuo magisterio eruditus, tuo adjutorio confortatus, ejusdem draconis nequitiam, et astutiam cognoscit, conatum parvipendit. Sic sic obstetricante manu tua, de caverna fraudis, in qua usque ad te latuerat, eductus est coluber
C tortuosus. Videns ergo se nihil proficere sub specie draconis, ad pellem se convertit leonis dicens: *Hæc omnia*, scilicet regna mundi, et gloriam eorum, *tibi dabo, si cadens adoraveris me* (*Matth.* IV). Ecce sicut leo regem bestiarum se reputat, sic iste regnorum terræ se dominum superbe credit: quæ tam facile se daturum, si adoratus fuerit, repromittit. Sed solo uno verbo facile reprobatus conculcatur et leo. Et leonem gentium vicit leo de tribu Juda, agnus draconem, columba basiliscum. Nam in hac secunda tentatione, non solum leonis arrogantiam, sed etiam in oculis basilisci insatiabilis aviditatis avaritiam intueor, ut in ostensione regnorum oculorum concupiscentia, in gloria eorum vitæ superbia exprimatur. Nam illud quod sequitur,
D statuisse illum supra pinnaculum templi, et dixisse: *Si filius Dei es, mitte te deorsum, quia scriptum est: Angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te*, etc. (*Matth.* IV); forte non incongrue ad aspidem et ad incursum et dæmonium meridianum referri potest. Ubi quasi in angelum lucis se transfigurans, etiam testimonio Scripturæ sacræ, quæ sibi a Domino opposita fuerat, quod suaserat persuadere intendit. Verum Dominus a Scriptura sacra recedendum non esse nos docet; et pravum Satanæ de Scriptura sensum alterius Scripturæ oppositione refellit, dicens: *Non tentabis Dominum Deum tuum* (*ibid.*). Ac si diceret: Deum tentare velle convinceret, si de ejus gratia et promissione

confisus, supra hominem absque ulla necessitate vel utilitate præsumerem. Sequitur :

Tunc reliquit eum diabolus (*ibid.*). Quem enim aliquo istorum quatuor modorum non seducit; procul dubio illæsum confusus derelinquit. *Et ecce accesserunt angeli, et ministraverunt ei* (*ibid.*). Ubi in Apostolo post enumeratas varias tribulationum molestias, subinfertur :*In suavitate, in Spiritu sancto* (*II Cor.* VI), et multiplex deinceps distinguitur varietas gratiarum. Hic in Evangelio legitur : *Et accesserunt angeli, et ministraverunt ei.* Angelico namque ministerio manna divinæ consolationis in præsentis exsilii deserto lugentibus et peregrinis, ac corde contritis, velut illis qui hæreditatem capiunt salutis, ministratur. Sed istud divinæ suavitatis manna aliquando tentationem præcedit, aliquando comitatur, aliquando sequitur. Præcessit enim in Elia, cui dictum est : *Comede, grandis enim tibi restat via* (*III Reg.* XIX), et cum comedisset, in fortitudine ipsius cibi quadraginta diebus et quadraginta noctibus, absque omni cibo ambulando laboravit. Danieli in ipsa tribulatione oblatum est prandium, cum esset in lacu in medio leonum angelico ministerio per Habacuc prophetam allatum (*Daniel* XIV). Dominus vero noster, qui pro nobis tentandus advenerat, illud quod gravius est elegit, ut peracto jejunio, et devictis variis tribulationum tentamentis, tandem angelico ministerio frueretur, ut merito de eo dici posset : *Patientiam Job audistis, et finem Domini vidistis* (*Jac.* V). Patientia siquidem Job multis præventa est beneficiis, sed multiplicioribus remunerata. Unde ad solam patientiam ejus considerandam, non ad ipsius patientiæ finem mittimur. Domini vero finem intueri monemur, *qui proposito sibi gaudio* regnorum mundi, et gloriæ eorum, *sustinuit crucem confusione contempta* (*Hebr.* XII). Hic quoque spreto corporali cibo, angelicas delicias usque in finem æquanimiter exspectavit. His dictis de officio Dominicæ, quæ prima Quadragesimæ dicitur, ut quousque ab initio Septuagesimæ processum sit, plenius cognoscatur, breviter quædam supradicta epilogari oportet, ut quæ de Septuagesimæ fine dicenda sunt, eis quæ de ejus principio jam dicta sunt, convenientius coaptentur.

TRACTATUS XVIII.

RECAPITULATIO PRÆDICTORUM, DE SEPTUAGESIMA, ETC.

Duas quippe Septuagesimas historialiter Scripturæ sacræ commemorant : primam videlicet temporum vel ætatum, quæ ab Adam usque ad finem mundi protenditur, secundam annorum, quam filii Israel septuaginta annis in Babylonica captivitate peregerunt. In harum repræsentationem, et spiritualium cujuslibet animæ sanctæ profectuum significationem, Ecclesia duas celebrare Septuagesimas consuevit : unam hebdomadarum, quæ septem disterminatur Dominicis; quarum ultima seu septima, et quasi terminus, est Dominica qua cantatur, *Lætare, Jerusalem* ; alteram dierum, quæ finem habet et terminum in Sabbato, cum geminum *Alleluia* decantatur. Harum prima vitæ activæ profectum designat ; quæ in hac vita habet suam perfectionem, et ad consummationis finem proficiendo perducitur ; ut completa hebdomada copulæ Liæ, tandem ad optatas Rachelis nuptias pertingatur. Secunda contemplativæ vitæ quietem significat ; quæ non tam septimanis quam diebus numeratur imo nec diebus nec horis integris, quin potius horis dimidiis percipitur. Hæc non nisi finito primo Pascha et initiato secundo connumeratur. Sed quia mistim istæ sibi duæ vitæ, atque vicissim subserviunt, et alternatim sibi invicem succedunt, ut nunc Lia Racheli, nunc Rachel Liæ suum Jacob invideat, et nunc altera alteri nimia præripiat aviditate ; bene etiam istæ duæ Septuagesimæ sic in Ecclesia celebrantur, ita sibi invicem connectuntur, ut non tam duæ quam una videatur, et duas esse a paucissimis cognoscatur. Sed hoc sacramentum Ecclesiam Romanam latere non potuit; quæ in universali Ecclesia frequentandum instituit. Et septimam primæ Septuagesimæ Dominicam, per quam activæ vitæ consummationem significari diximus, rosæ aureæ gestatione insignivit. Sed ipsius rosæ mysterium minime parvipendendum, melius illi diei reservatur enucleandum, cui specialiter cognoscitur adaptatum. Interim de aliis Dominicis, quæ illam præcedunt, quod Dominus ministraverit disseramus, ne quæ retro sunt obliti, in anteriora nos extendentes, ordinem præposteremus. Primo igitur mundo renuntiantes, et de Ægypto vitæ instabilis et tenebrosæ exeuntes, fructus carnis velut septem illas Ægypti spicas tenues et uredine percussas abdicavimus, et fructus spiritus velut septem alias plenas atque formosas, in uno charitatis culmo amplectentes, sicque Decalogum spiritualiter intelligere et adimplere proponentes, Septuagesimam initiavimus. Secundo peccatis mortalibus plene renuntiare volentes, et in hoc angustias non modicas, et amaritudines ex ipsorum peccatorum consuetudine, et velut quorumdam Ægyptiorum persecutione sustinentes, miraculoso tandem Dei auxilio ipsius amaritudinis ruborem et dolorem, velut quoddam mare Rubrum, non sine multo labore transivimus ; et sic senario activæ vitæ decalogum adimplere studentes, Sexagesimam celebrare contendimus. Tertio non solum peccatis resistere, sed ipsis etiam corporeis sensibus imperare volentes, et sic voluntaria quinque sensuum mortificatione Decalogum adimplere curantes, Quinquagesimam jam mari transmisso celebrantes, exsultavimus. Et licet errantes in solitudine, in inaquoso, civitatem habitaculi non invenerimus; tamen per Mara transeuntes, et dulcoratæ aquæ haustu suavi delectati, tandem in Helim pervenimus, ubi palmas victoriæ jam nostrum ipsorum facti victores invenimus : et

et cujus munera et hostiæ non potuerunt juxta conscientiam perfectum facere servientem. Evangelica vero sacramenta perfecte sanant, et præcepta perfecte justificant. Ut enim cætera omittam, dicitur de sacramento baptismatis: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit* (*Marc.* XVI). Dicitur etiam de præceptis: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis* (*Joan.* XV). Et forte annuli ideo quatuor esse dicuntur; quia utrique homini, exteriori scilicet et interiori, sacramenta perfectam salutem, et præcepta perfectam afferunt justificationem. Sunt autem in annulis duo vectes, quibus vel ad ima deponitur, vel ad summa levatur. Hi sunt devotio et discretio; quorum specialiter devotio ad sacramenta, discretio respicit ad præcepta. Hos vectes infra hos annulos concludi volebat Apostolus, cum diceret: *Pax Dei quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras* (*Philip* IV) Quasi diceret: Pax reconciliationis Dei et hominum quam sacramenta et præcepta evangelica operantur; quæ sua perfectione exsuperat omnem angelicum et humanum sensum, ita ut hujus quasi annuli finis creaturæ sensu comprehendi non possit, concludat tamen et custodiat corda et intelligentiam vestram, ut corda ad devotionem, intelligentiam referas ad discretionem. Hi vectes se invicem juvant, quia et ex discretionis intelligentia crescit devotio, et ex devotionis dilatatione proficit intelligentia. His etiam seu deponitur, seu elevatur arca; quia cum ista inferioribus implicantur, quodammodo animalia stare et rotæ pariter super terram videntur. Cum autem ad superiora desideranda per devotionem, seu investiganda per discretionem animalia elevantur, elevantur pariter et rotæ evangelicæ sapientiæ; quæ pro rotunditate suæ perfectionis, sive pro agilitate suæ subtilitatis rotæ non immerito comparatur. Vides quomodo vetera veteribus concinunt, et nova nihilominus prænuntiare probantur, ut merito nova et vetera dilecto reservata dicantur. Quod autem annuli in Moyse (*Exod.* XXV), hoc rotæ in Ezechiele (*Ezech.* I); quod in hoc animalia, in illo vectes præfigurant. Quod vero et hæc et illa, hoc nobis Evangelii gratia repræsentat.

Quod in arca quatuor anguli, hoc in rota quatuor facies, hoc in Evangelio quatuor, quas prædiximus, signant distinctiones. Circa hanc arcam quatuor turmæ castra metabantur: et prima turma ad orientem, secunda ad meridiem, tertia ad occidentem, quarta ad aquilonem erat (*Num.* II). Nec elevabatur arca, donec turma orientalis et meridiana proficiscerentur Tunc elevata et procedente arca, proficiscebantur et aliæ. Quid sibi volunt ista, nisi quod etiam videmus hodie in Ecclesia actitari? Primo accedens sacerdos ad altare, vertit se ad orientem; quasi invitaturus illam, quæ in oriente est; ut quæ retro sunt oblita, in anteriora se extendat. Dehinc vertit se ad meridiem, ut et turmam meridianam provocet ad surgendum. Tunc elevata jam

A arca convertit se ad occidentem, et occidentalem turmam officiose salutans admonet, ut sequatur, dicens: *Oremus.* Et ne pigri forte, ut assolet, inveniantur; iterum lecto evangelio velut arca jam longius procedente, eadem repetit iterando. Dehinc ad aquilonem se vertens, aquilonarem turmam magis silentio suo, quam clangoribus invitat ad sequendum. Quæ omnia diligentius investigata, non modicum præstant suavitatis saporem. Oritur siquidem nobis sol, quoties veritatis fulgor cordis nostri oculis cœperit irradiare. In tali oriente commoratur turma spiritualium desideriorum. Meridies est, ubi prædictus sol ad altiora conscendens vehementer incaluerit. Et ibi turma est spiritualium gaudiorum. His duabus turmis præcedentibus, et affectionibus

B spei et gaudii jam in anteriora extentis, nihil amplius restat, nisi ut exsurgat jam Deus in requiem suam, cum arca sanctificationis suæ. Tunc enim exsurgit, cum ad superiora nos elevat, et arcana evangelicæ sapientiæ nobis revelat, introducens nos in cubiculum suum, non jam in specie peregrini per viam nobis Scripturas interpretans, sed revelatis oculis infra domum conscientiæ per fractionem panis se nobis manifestans. Sic elevata arca, doloris affectiones velut quædam occidentalis turma subsequantur; et easdem affectiones timoris velut aquilonaris turma comitentur; ut jam de præteritis nil libeat, nisi ut ante commissa defleantur, et ex præteritorum recordatione etiam futura timeantur. Hic

C autem timor potius tacita inspectione, quam clamosis vocibus in anima excitatur. Vel si magis placet, in oriente dicantur esse constantes in virtute, in meridie perfecti in charitate; ad quos se sacerdos primo convertere debet, ut tam eorum exemplis provocetur, quam orationibus fulciatur. Post istos arca elevatur, cum spiritualibus spiritualia comparantur. Sed etsi in consideratione istorum mente excedat Deo, necesse est tamen ut et minoribus sobrius fiat, ut postquam dies verbum eructavit, etiam ad illos qui in occidente sunt se convertens, velut nox nocti indicet scientiam. In occidente autem sunt, qui volentes alicui serviunt peccato; in aquilone, qui licet nolentes, adhuc tamen vinciuntur a peccato. Hi a longe sequantur arcam, nec

D præcedentibus se immiscere præsumant, donec ipsius sacerdotis precibus et sacramenti virtute liberati a peccato, servi autem facti Deo, Christo incorporari mereantur; habentes fructum suum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. Et pro talibus tacite cum quadam timoris reverentia et verecundiæ rubore a suo mediatore Deus exorandus est; qui per prophetam loquens, siluisse, et patientem fuisse, et tales sustinendo laborasse se asserit. His omnibus velut quibusdam præparatoriis consummatis, sacerdos jam bonis actionibus velut quibusdam justitiæ indumentis, et rationabilibus speculationibus velut quibusdam auri et gemmarum splendoribus adornatus, cum Petro et Jacobo et Joanne in montem excelsum, et seorsum a turbis

inferiorum cogitationum constitutum Christum ducem sequatur (*Matth.* XVII); ut quem cum Moyse et Elia loquentem audivit, transfiguratum jam videat, et præ faciei ejus fulgore et vestium candore stupefactus, ab omni humana elatione corruat, sicque in nubem inductus, et Patris vocem audiens, tacite potius et reverenter ineffabilia verba apud se conservare, et in corde suo conferre, quam aliis referre studeat. Attende Scripturarum pulcherrimam connexionem, et totius suavitatis mirabilem earumdem concentum. Quod enim per arcam inter duo cherubim, in Veteri Testamento significari diximus, hoc per Evangelium inter Psalmistam et Apostolum: hoc etiam per Christum inter Moysen et Eliam, in Novo Testamento monstratur. Et quod in tabernaculo veteri nubes arcam operiens, hoc in Ecclesia fumus incensi altare circumvolvens, hoc et in anima perfecta nubes lucida obumbrando designant. Si tamen juxta religionis et sanctitatis incrementa velis inter has nubes distinguere; adverte, primam fuisse caliginosam, secundam odoriferam, tertiam lucidam esse. In Veteri igitur Testamento nubes ignorantiæ populo illi cæco occultabat veritatem. Unde etiam nisi quando recedebat nubes, non procedebat arca, quia tantum cæremoniarum crescebat religio, quantum Moysi a Deo, et per Moysen populo ministrabatur. In Ecclesia autem vapor nebulæ de thure consurgere consuevit, qui præsentes suo assolet odore refovere. Quem fumum prævidens Propheta ait: *Et domus repleta est fumo* (*Isa.* VI). Quid aliud hunc fumum dixerimus, nisi cujusdam bonæ spei vaporem, per quam velut in odore unguentorum homines ad Ecclesiam pertrahuntur? Quidam enim spe veniæ impetrandæ ad Ecclesiam accedunt, et hi bona spe refoventur; quidam spe obtinendæ gratiæ, et hi sanctæ spei participes fiunt; quidam ad promerendam æternam gloriam, et hi beatæ spei exspectatione lætantur. Et ideo forsitan in missa tribus vicibus incensum exhibetur, quia et spem bonam afferunt incipientes, sanctam proficientes, perfecti beatam. Et quantumcunque varia sunt sperantium vota, tamen omnia sacerdos, quasi intra unum vasculum in memoriam humanitatis Christi colligit: facta ejus et dicta velut quosdam carbones in ipso vasculo recondens, et in ipsis suam suorumque totam spem constituens, dicit cum Propheta Domino: *Introibo in potentias Domini*; *Domine, memorabor justitiæ tuæ solius* (*Psal.* LXX). Quid est intrantem solius justitiæ Dei memorari, nisi in ipso suo introitu ad altare memoriam Christi operum, velut quoddam thuribulum aureum in manu discretionis apprehendere, et per ipsum se et suos Deo Patri commendare? Tandem nubes spei transit in nubem rei; nubes fumosa in nubem lucidam, quæ non tam obnubilat quam obumbrat; obnubilat tamen in humana, illuminat ad divina, obumbrat contra adversa. Quæ est hæc nubes, nisi divina speculatio et quædam divinæ præsentiæ non jam in spe, sed in re ipsa fruitio? Quæ tandiu recte nubes vocatur, quandiu non sicut est, sed per speculum et ænigma sentitur. Licet enim Christus intra domum in fractione panis agnoscatur a discipulis, et in monte coram eis transfiguretur; quamvis etiam facies ejus sicut sol appareat, tamen non sicut est cernitur, qui incomparabiliter solis candorem excedit, velut qui candor est lucis æternæ, et emanatio quædam claritatis omnipotentis Dei sincera, et ideo nihil inquinatum incurrit in illam. His breviter occasione Sexagesimæ perstrictis, jam ad Quinquagesimæ cantica accedamus, quæ sic incipiunt.

TRACTATUS XVI.

DE QUINQUAGESIMA, ET DE IIS QUÆ IN EA LEGUNTUR IN ECCLESIA.

Esto mihi in Deum protectorem, et in locum refugii, ut salvum me facias, quoniam firmamentum meum, et refugium meum es tu, et propter nomen tuum dux mihi eris, et enutries me (*Psal.* XXX). Merito Quinquagesimam celebraturi ducem et enutritorem nostrum requirimus; velut qui desertum intrantes nec viam scimus, nec alimenta habemus. Desertum enim terra est invia et inaquosa. In tanta ergo solitudinis vastitate quis locus canticis, quæ causa lætitiæ esse potest? Illa utique, quæ filiis Israel videntibus Ægyptios mortuos super littus maris; et manum magnam, quam exercuerat Dominus contra eos. Tunc enim *cecinit Moyses et filii Israel carmen hoc Domino, et dixerunt: Cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est*, etc., quæ sequuntur, usque *Extendisti manum tuam, et devoravit eos terra. Dux fuisti in misericordia tua populo quem redemisti* (*Exod.* LV). Maria quoque prophetes soror Aaron, et omnes mulieres post eam, cum tympanis et choris eadem præcinebant. Ecce quem illi ducem se habuisse gloriabantur, nos non solum ducem, sed et nutritorem habituros in Quinquagesima nostra confidimus. Quinquagesima siquidem, sicut dictum est, quinquepertitam sensuum continentiam designat, per quam decalogus legis adimpletur, et sic Quinquagesima a nobis consummatur. Ad hanc post exitum de Ægypto et maris Rubri transitum, et mortalium peccatorum defectum, nos convertimus; ne tamen recidivum patiamur, etiam a licitis abstinere, et sensus subjicere servituti non negligamus. Quod multis contigisse cognovimus, qui usque ad Quinquagesimam venientes, quia ultra progredi noluerunt, ad Ægyptias tenebras infeliciter redierunt. Nos igitur, qui huc usque venimus, cum quinque prudentibus virginibus procedentes, sponso occurrere studeamus, ut ei omnium sensuum cohortatione, velut quadam virginitatis incorruptione placeamus. Bene autem virginitas deserto comparatur, quia sicut eremus terra est deserta inaquosa, sic corpus humanum a ciborum deliciis alienum, imo etiam ab ipsis necessariis jejunum, vita quoque humana liti et contentioni et omni avaritiæ et iniquitati invia, potus etiam ac luxus lavacri et unguenti, et totius superfluæ humectationis renuntiatione inaquosa, desertum procul dubio esse videtur.

quam signis delectabilibus commendatur : quæ omnia suis in locis prout Deus ministraverit plenius A exprimentur. Primum igitur de primo prosequimur.

videbat quam quod audierat de eadem civitate Domini; cum, inquam, hæc et similia dixisset, atque de eadem civitate magna relaturum præseferret, ac lectoris animum in spem erigeret mira et insolita audiendi, mox digreditur ad lamentandam terrenam Jerusalem ab infidelibus, illo tempore, quo scribebat, captam; sequentem autem tractatum ab officio Septuagesimæ exorditur, nulla monitione præmissa, qua connexionem hujus et sequentium cum præcedentibus ostendat; nulla amplius portarum, aut gloriæ civitatis Domini mentione facta. Ideoque videntur hic et sequentes tractatus jam ante ab auctore fuisse perducti usque ad illum locum ubi nos cum illo hic desimus. Sciendum quoque est nullum in Claravallensi codice manuscripto esse titulum, nisi initio totius operis, quo auctor se satis declarat, et suum propositum manifestat : singulis autem sermonibus nos apposuisse titulos, et tractatus maluisse appellare quam sermones ; ne sermonis nomine arbitraretur quis esse conciones in templo habitas et pronuntiatas, cum solum scripserit auctor, non autem pronuntiaverit ea quæ hic scripsit; ideo etiam nonnunquam suum lectorem monet, non auditorem. Singulis tractatibus usque ad 12 huncfinem imposuit. « Ipse autem sit Alpha et O. sermonis nostri, etc.; » et cum non scripserit Alpha et Omega, ut nunc passim scribitur et legitur, sic etiam edidimus, maxime cum erudite ostendat Estius cum aliis quos laudat, non Omega, sed solum O legendum et scribendum, ut antiqui semper legerunt. Conciones hujus auctoris, quas Ciaconius et alii dicunt illum coram pontificibus habuisse, reperire non potuimus, et an exstent ignoramus.

ANNO DOMINI MCLXXXVIII

BALDUINUS

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPUS

NOTITIA

D. Bertr. Tissier, Biblioth. Patrum Cisterc., Bonofonte, 1662, fol. V, p. 1.

Venerabilis Balduinus, cognomento Devonius, natione Anglus, Oxoniæ humili loco natus, a Bartholomæo Oxoniensi præsule magistris traditur, litteris imbuendus. Qui cum progressum non mediocrem in artibus liberalibus atque in theologia fecisset, ejusdem Ecclesiæ archidiaconatu ornatus est : verum religiosæ vitæ studio incensus, in cœnobio Fordensi ordinis Cisterciensis monachi habitum induit, deinde ejusdem loci abbas eligitur : post in Vigorniensem episcopatum, ac demum in Cantuariensem archiepiscopatum evehitur anno æræ Christianæ 1184. *Pallio et legatia Angliæ honoratur a Lucio III. In congregatione procerum facunda oratione adversus Saracenos arma simul et commeatus Christianis persuasit : crucis et ipse tesseram assumpsit, et quosdam ex abbatibus Cisterciensibus sibi socios adjunxit. Œneum nobilem virum, olim a S. Thoma excommunicatum, exhumari et in mare abjici jussit. Paci inter Galliæ et Angliæ reges firmandæ arbiter cum quibusdam aliis prælatis designatus est. In Syriam tandem trajecit, et Saracenos ingenti clade prostravit. In eadem regione moriens, pecuniam quam congregaverat, in usum sacræ militiæ distribuendam legavit. Hæc noster Angelus Manrique in Annalibus, ex auctoribus Vitæ ejusdem. Multa scripsit quæ ab Arsfeldio, Vitæ ejus præcipuo scriptore, Pitsæo, eodem Manrique, et aliis recensemus.*

Scripsit adhuc abbas ad Bartholomæum, episcopum Oxoniensem :

De corpore et sanguine Domini, librum unum. Magnum, et profundum novi verique. *Manuscriptum Oxoniæ in collegio Lincolniensi. Et existimo, idem opus esse quod habetur manuscriptum Cantabrigiæ, in collegio Sancti Benedicti, sub his titulis :*

De sacramento altaris; vel De inæstimabili sacramento veteris, et novi Testamenti, manuscript. etiam Lovanii in collegio Societatis Jesu.

De sacramentis Ecclesiæ, librum unum : Reverenda nomina Magistri.

De commendatione fidei, librum unum : Omnia fœdera societatis humanæ.

De orthodoxis dogmatibus, librum unum : Doctrina sanctorum conciliorum.

De sectis hæreticorum, libros duos : Mysterium fidei Christianæ.

De unitate charitatis, librum unum : Institutio vitæ communis.

De amore, librum unum : Fortis est, ut mors, dilectio.

De sacerdotio Joannis Hircani, librum unum : Genus magni Herodis.

De eruditione Giraldi, librum unum : Opus tuum, archidiacone, quod.

Sermonum triginta trium, librum unum : Candidiores nive, nitidiores.

Super historiis Regum, libros quatuor.

Contra Henricum Wintoniensem, librum unum.

De commendatione virginitatis, librum unum.

De angeli nuntio, librum unum.

liam pati (*Act.* v). Sed unde hoc illis? Quia *charitas non cogitat malum*, non cogitat eos qui inferunt, malo animo inferre; sed vel nescire quid faciant, vel præceptum eis esse a Domino, ut maledicant David. Inde est, quod *nec gaudet* charitas *super iniquitate*: non gaudet, quod qui inique mala innocenti infert, damnetur; sed congaudet veritati, a qua, ut talia fiant, juste disponitur: et ideo *omnia suffert*; quia *omnia credit* a Deo disponi; *omnia sperat* remunerari. Unde et ea longanimiter exspectando sustinet. Ecce commendata est charitas ex superexcellenti potentiæ suæ virtute. Commendatur etiam ex sua perpetuitate. Unde ait: *Charitas nunquam excidit*. Cum enim aliæ virtutes quæ modo in fide et spe consistunt, succedente re spei aut fidei, evacuabuntur; tunc plenius charitas consummabitur. Manentibus igitur interim fide et spe, velut quibusdam mancipiis charitatis, quæ ubi sunt sine charitate non prosunt; ubi autem charitati serviunt, velut rami ex radice proficiunt, patet radicem incomparabiliter ramis esse majorem, a qua rami et habent quod sunt, et præcisi ab ea nec quidem sunt. Radix vero absque ramis in integritate sua permanet; nec portatur a ramis, sed portat; nec confertur ei aliquid ab eis, sed ab ea est, quidquid in illis profertur. Ecce ne erremus in solitudine in inaquoso, et viam civitatis habitaculi non invenientes (*Psal.* CVI), esuriamus et sitiamus, et sic Deum protectorem et domum refugii non habentes (*Psal.* XXX), anima nostra in nobis deficiat; excellentiorem charitatis viam, quam teneamus, nobis Apostolus demonstravit.

Et forsitan secus hanc viam mendicat cæcus ille, quem Dominus in Evangelio illuminat (*Luc.* XVIII). Quid est enim cæcum Jesum videre, sequi et magnificare, nisi viam prius incognitam invenire? O bone Jesu, quanta lux, quantum gaudium, quanta securitas oritur noviter conversis, cum eis primo incipis apparere, cum eis lætitia salutaris infunditur, cum dulcescere eis cœperit nomen Jesus: et ad hujus nominis dulcedinem male dulces affectiones cœperint amaricari, et amaræ in dulcedinem convertentur, ut jam cum magna jucunditate libeat decantare: *Populus gentium qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis* (*Isa.* IX). Procul dubio hæc lux, hæc dulcedo de Christi humanitate concepta, lignum illud est, quod aquas in eremo commutavit in dulces et potabiles fecit. Tres illæ dietæ triplicem proficientium statum demonstrant. Solent enim post conversionem, cum proficere cœperint incipientes, ex rerum novitate in quemdam mentis stuporem venire: et, sicut norunt qui experti sunt, cum assueta coguntur relinquere, et insuetis insistere, turbantur et moventur sicut ebrius, et omnis eorum sapientia devoratur (*Psal.* CVI). Unde et ex tali turbationis stupore, anima nimio tremore concutitur, et quasi jamjamque casura, sola formidine undique circumvallatur; tandemque hoc terrore purgata, cognoscere et dolere incipit defectum, quem patitur. Hæc tria manifeste expressisse videtur Propheta, ubi ait: *Ipsi videntes, sic admirati sunt, turbati sunt, et commoti sunt, tremor apprehendit eos. Ibi dolores ut parturientis* (*Psal.* XLVII). Ecce primam ponit dietam admirationis, secundam tremoris, tertiam doloris. Hi sunt illi tres dies, quibus beatus Paulus prostratus a Domino in via, et cæcatus, perseveravit non videns, et nihil comedens aut bibens (*Act.* IX). Post istos tres dies, jam fere deficiente homine mittitur Ananias, qui interpretatur ovis, qui non est alius quam magni consilii angelus; qui quasi ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se obmutuit (*Isa.* LIII). Hæc ovis post illos tres dies, lac suæ humanitatis parvulis suis propinavit, et amaritudinem contritionis velut mara, in lactis commutat dulcedinem. Quod ergo hic per ovem, hoc ibi per lignum intelligitur, et quod hic ovis, ibi lignum operatur. Non est hoc lignum scientiæ boni et mali, sed scientiæ solius boni; lignum vitæ, lignum quod plantatum est secus decursus aquarum (*Psal.* I), quod ad humorem humanæ devotionis mittet ramos suos, et non timebit cum venerit æstus. O lignum dulce, dulces clavos, dulce pondus sustinens, nunquam tui memoria recedat de ore meo; semper devotionis tuæ dulcedo vigeat in affectu meo; et sic dulces factæ sunt mihi aquæ mara, et sapientiæ lacrymæ contritionis, quantumcunque prius amaræ exstiterint. Ideo hæc hodie duodecim discipulis proponuntur; et quia nihil horum intelligentes, adhuc extra viam sunt, cæcus filium David invocans illuminatur (*Luc.* XVIII); et jam viam cum eo carpens, sequens eum, et gaudens comitatur. Per hanc viam venitur in Helim, ubi non jam secreto duodecim discipulis passio Domini revelatur; sed patentes, et limpidissimi fontes duodecim cum septuaginta palmis inveniuntur. Hoc fit, cum Christus suos jam in via comitatur, et miro modo eos delectans, quæ in lege et prophetis et psalmis scripta sunt, interpretatur: et licet oculi eorum quandiu extra domum et in via sunt, teneantur; ardore tamen et sapore talis colloquii velut quibusdam fluentis delectabilibus debriantur. Merito autem palmæ cum fontibus fuisse leguntur, quia tunc primo victor animus triumphi gloria coronatur; et de testimonio conscientiæ fructus suavissimi, velut quidam dactyli degustantur, cum, unctione spiritus revelante, ad intelligentiam Scripturarum animus dilatatur. Et hoc totum merito in Helim fieri dicitur, qui aries interpretatur; quia hæc omnia præbet aries ille, qui cornibus suæ crucis licet peccatorum vepribus ad horam hæsisse visus fuerit, tamen peccatorum vincula disrupisse et consumpsisse cognoscitur, et sanguinis sui victoriosa effusione, suavissimum nobis cibum et potum parasse, a nullo jam fideli ignoratur. Et recte fontes duodecim, palmæ septuaginta fuisse dicuntur; quia duodecim fuerunt apostoli, qui doctrinam fidei, et fidem Trinitatis, per quatuor mundi partes disseminaverunt. Septem quoque sunt, quæ septem Ecclesiis in Apo-

calypsi pro Decalogi impletione (*Apoc.* I), quæ est peccati victoria, promittuntur. Bene ergo duodenarius doctrinæ, septenarius victoriæ assignatur, quia talia in Helim ab ariete percipiunt. Merito ad peregrini verba per viam inardescunt; sed meminisse debent, non esse remanendum in via, sed priusquam nox et innumera noctis pericula superveniant, ad hospitii domum properandum. Ad hanc domum procul dubio pervenitur, cum de Quinquagesima ad Quadragesimam proficiendo transitur.

TRACTATUS XVII.

DE QUADRAGESIMA, ET DE IIS QUÆ IN EA LEGUNTUR IN ECCLESIA.

Quadragesimam siquidem celebrare, est prævaricatores ad cor redire, et subtili examinatione intima cordis secreta discutere, et inordinatas ac perversas affectiones moderando et ordinando, prava et indirecta et aspera in vias planas facere : quod est Decalogum legis quatuor faciebus, seu quatuor pennis spiritualium animalium adimplere. Quatuor enim animalium facies quatuor sunt inordinatæ, et ordinatæ sanctorum affectiones, quibus ad Deum tendunt, et ab eo discernuntur. Quatuor pennæ, quatuor principales virtutes quibus ad Deum volant et ab eo diriguntur.

Quid est autem taliter de Quinquagesima in Quadragesimam transire, nisi de Helim ad desertum Sin, quod *amphora* interpretatur, venire? Amphoram quippe invenimus, sed vacuam; domum intramus, sed solitariam, cum ad interiora nostra rimanda et subtilius cognoscenda intenti, reperimus prima facie cor pravum et imperscrutabile, velut quamdam terram inhabitabilem et inviam, terram sitis, et imaginem mortis; terram in qua non ambulavit vir, nec habitavit homo. Merito igitur desertum tale lustraturi, talem amphoram exploraturi, et domum hujusmodi intraturi, Dominum ad intrandum nobiscum cogimus, dicentes et sæpius inculcantes : *Mane nobiscum, Domine, quoniam advesperascit* (*Luc.* XXIV). O quam multos Quinquagesimam devote celebrare, membra sua frequenter mortificare, corpus castigare, et in servitutem redigere (*I Cor.* IX), sensus circumcidere, et universos exterioris hominis motus componere novimus; qui usque hodie interioris hominis sui faciem negligentes, sunt quasi myricæ in deserto; et si quando forte cor suum intraverint, nonnisi siccitatem et terram salsuginis invenientes, statim ad consueta relabuntur. Hi, quia Dominum invocando intrare secum et manere non cogunt, non tam vesperam quam noctem patientes, dierum videre longitudinem non merentur. Qui vero Quinquagesimam celebrando cor suum omni custodia servare et fructus vitæ qui ex tali vite procedunt degustare intendunt, de Domini auxilio et gratia confidentes, et quasi jam certi de ipsius promissione, gloriando decantant : *Invocavit me, et exaudiam eum; cum ipso sum in tribulatione*, etc. (*Psal.* XC). Invocare enim intus vocare est, et illi soli vere Deum invocant, qui interioris hominis oculos mundantes, Deum videre, et eum qui spiritus est, in spiritu et veritate adorare (*Joan.* IV) desiderant. Talibus, id est mundis oculis, in bonæ conscientiæ hospitio revelata se facie Deus in fractione panis ostendit. Quod similiter per manna filiis Israel in deserto Sin primo missum, credo præfiguratum. Quid est enim manna, nisi suavitas divinæ cognitionis, quæ similæ habet cum melle dulcedinem devotionis, et cum semine coriandri candorem intelligentiæ spiritualis? Quæ bene manna dicitur; quia non tam potest exprimi quam mirari quid sit. Et hoc siquidem in deserto Sin primo colligitur, non quod et ab illis qui domandis et subjugandis exterioribus sensibus intendunt, divinæ cogitationis dulcedo non gustetur; sed non ad satietatem, nec ad diuturnitatem. Eis enim tarda est hora illa, et brevis mora. Mundis autem cordibus, et ad satietatem datur: quod sperabat Propheta, cum diceret: *Satiabor cum apparuerit gloria tua* (*Psal.* XVI); et ad diuturnitatem, quod expertus fuerat idem, cum diceret : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam* (*Psal.* XCIII). Neque enim debent vel possunt divinis carere consolationibus, qui omnes a se humanas prorsus abdicaverunt. Ideo et in Quadragesima præter cursum et morem aliorum temporum, nova quotidie officia decantantur, ut de quotidiano introitu, de quotidiana Veteris Testamenti et Evangelii lectione, velut quoddam manna insolitæ dulcedinis colligatur. Neque enim debet unius diei manna in alterum reservari, ut vel de Domini gratia quis dubitando diffidat, vel de propria industria hoc manna se inventurum confidat. Alioquin computrescere illud potius, et vermibus fœtidis scaturire incipiet. Putrescit enim, et vermibus scaturire videtur quod dulce et vividum prius sentiebatur, cum sermo Domini vivus et efficax, qui penetrabilior omni gladio ancipiti per gratiæ infusionem sentitur (*Hebr.* IV), humana calliditate præsumptus fastidiri incipit, et velut vermibus quibusdam quæstionibus scaturire.

Quot enim quæstiones moveri, tot quasi vermes videntur oriri. Quod autem Sabbato non colligebatur, minime intelligendum est quod Sabbatum otii spiritualis careat manna divinæ consolationis, in quo maxime illud manna abundare solet; sed quod in colligendo jam labor non est, ubi quod desideratur in promptu est; nec laboratur in figura, ubi præsens est veritas; aut anxie umbra requiritur, ubi res cum delectatione tenetur. Quod forte etiam in eo signatur, quod quintæ feriæ Quadragesimæ nullum proprium officium assignatur. Ea enim die non solum forma sacramentorum, sed ipsum Christi corpus primo est discipulis traditum, nec indiget ea dies aliis adminiculis, quæ ipsius irradiata est fulgore veritatis, ne superfluis videretur Ecclesia laborare impendiis, si solem facibus juvare conaretur. Hoc manna videtur Dominus Quadragesimam intrantem per Prophetam promittere, ut in prædicto versiculo

subjungitur : *Glorificabo eum; longitudine dierum adimplebo eum, et ostendam illi salutare meum* (*Psal.* xc). Glorificat enim quem facit de testimonio conscientiæ gloriari; et ne hujus testimonii gaudium momentaneum videretur, longitudinem etiam dierum repromittit; quod non solum in æternitate, sed et in præsenti consuevit exhibere, cum inclinatis umbris et exspirante nocte ignorantiæ, aspirare incipit dies gratiæ, non jam hiemalis, pluvialis et brevis; sed dies æstiva, lucida et prolixa. Unde, ne dies longiores, sed minus salubres et intolerabiles viderentur, subjungitur : *Ostendam illi salutare meum.* Talis visionis manna desiderabat Propheta, cum diceret : *Redde mihi lætitiam salutaris tui* (*Psal.* L). Ecce quam magna sunt et quam jucunda quæ promittuntur. Sed diligenter tamen pensanda sunt quæ promittuntur : *Cum ipso sum in tribulatione, et eripiam eum* (*Psal.* xc). Per multas enim tribulationes oportet introire in regnum (*Act.* xiv); nec coronabitur quis nisi legitime certaverit (*II Tim.* ii); et disciplina, secundum Apostolum, non videtur in principio esse gaudii, sed mœroris; postea autem exercitatis per eam fructus pacatissimos affert (*Hebr.* xii). His concinens apostolica lectio subinfertur, dicens : *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis* (*II Cor.* vi). Gratia illa est, de qua in Epistola ad Hebræos ait idem Apostolus : *Tanquam filiis offert se vobis Deus* (*Hebr.* xii). Ubi quam paternam gratiam Deum filiis offerre intelligi voluerit, ex præmissis ostendit, dicens : *Recogitate eum qui talem sustinuit*, etc., *flagellat omnem filium quem recipit* (*ibid*). Hæc est gratia patris ad filium, ut quem diligit flagellet, et in filio flagellato et castigato sive probato, quasi pater sibi complaceat. Hanc disciplinam patris quidam non gratiam, sed iram existimant, et quibus possunt modis declinant; vel si declinare non possunt, murmurando recalcitrant, facti filii alieni, qui confitentur Domino cum benefecerit eis (*Psal.* xlviii); sed mendaces tempore tentationis comprobantur, qui in prosperis credere videbantur. Quidam eam patienter recipiunt, et forti devotione percurrunt, sed quia exterioribus dediti, intimæ consolationis gratiam non requirunt, quasi in incertum, et velut in vacuum currunt. Tanquam enim vas vacuum, sed signatum invenitur, quisquis velut virgo fatua exterius affligitur, interius oleum in vase non reponens, lampadis suæ defectum experitur (*Matth.* xxv). Ille autem non in vacuum hanc gratiam recipit, qui de tribulatione proficiens, ex sententia cum Propheta dicere meretur : *In tribulatione dilatasti mihi* (*Psal.* iv). Et : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam* (*Psal.* xciii). Et cum Apostolo : *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra* (*II Cor.* i). Et illud : *Benedictus Deus qui consolatur nos in omni tribulatione nostra* (*ibid*). Hanc etiam Dominus consolationem in Evangelio lugentibus repromittit; ad hanc requirendam Apostolus A nos hortatur, ac si diceret : Ad eam hortari vos possum, dare eam non possum; sed mitto vos ad illum qui ait : *Clamavit ad me, et exaudiam eum : cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum* (*Psal.* xc). Ipse enim qui ait hoc per Psalmistam, ipse per alium prophetam dixit : *Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te* (*Isa.* xlix). Exaudivi deficientem a te, clamantem ad me, adjuvi laborantem te, levantem oculos non in montes, sed ad me, adjutorem in opportunitatibus, in tribulatione. Utcunque conanti et proficienti necessarium est, ut exaudiatur ad impetrandam veniam, ut adjuvetur ad inveniendam gratiam.

Ad hoc dicitur quadragesimale tempus esse acceptabile, et dies esse salutis (*II Cor.* vi); B acceptabile peccatoribus, ad obtinendam veniam peccatorum, ad destruendum regnum vitiorum; dies salutis, ad promerendam gratiam meritorum, ad percipiendam gloriam præmiorum; quoniam gratiam et gloriam dabit Dominus (*Psal.* lxxxiii). Qui ergo talia quærunt, nemini ullam offensionem præbeant, nemini fiant lapis offensionis, aut petra scandali (*I Petr.* ii); non fiant offendiculum infirmis exemplo suo, non fortioribus scandalum, altiora se quærendo, vel fortiora præsumendo. Caveant scandalizare pusillos, caveant impedire robustos; ut secundum beatum Benedictum fortes habeant quod cupiunt, et infirmi non refugiant, ne vituperetur ministerium nostrum (*II Cor.* vi). Et quia non sufficit declinare a C malo, vituperationem a proximo declinare, famam ad proximum custodire; conscientiam puram Deo nos exhibere admonet Apostolus, dicens : *Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros* (*ibid.*). Si non possumus aliis temporalia ministrare, possumus nosmetipsos sacrificium Deo offerre, secundum illud : *In me sunt Deus, vota tua* (*Psal.* lv). Et : *Apud me oratio Deo vitæ meæ* (*Psal.* xli). Et illud : *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Vota Domino meo reddam* (*Psal.* cxv). Bibimus autem hunc calicem, vel cum ipsi nobis membra mortificando dura imponimus, vel cum ab aliis irrogatas injurias æquanimiter sustinemus. Hæc volens Apostolus distinguere, primo ponit, quæ inferuntur ab aliis, quæ sunt D necessitatis victus et vestitus, angustiæ timoris et solitudinis, plagæ, carceres, seditiones contra nos motæ. Bene horum patientia dicitur multa, quia multæ tribulationes justorum. Unde : *Ostendisti mihi tribulationes multas et malas* (*Psal.* lxx). Dehinc quæ ipsi nobis imponimus, voluntarie Domino sacrificantes : quæ sunt labores manuum, jejunia, vigiliæ. Et quia corporis exercitatio ad modicum utilis est, ne in ea spei nostræ anchoram collocemus, ad interioris hominis renovationem per exterius exercitium faciendam, post prædictos labores mittit nos Apostolus, dicens : *In castitate*, quæ est cordis, sicut continentia carnis, *in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu sancto, in verbo veritatis, in virtute Dei* (*II Cor.* vi). Hi sunt fructus Spiritus, qui de

minatorius, quo Deus mortem interminatus est. Tunc mulier quasi adhuc dubia nondum omnino impulsa ut caderet, sed nutabunda, similisque parieti inclinato, et maceriæ depulsæ (*Psal.* LXI), adhuc inter comminationem Dei et suggestionem diaboli quid crederet, nescia: interim respexit lignum, de quo agebatur; viditque quod bonum esset ad vescendum, pulchrum oculis, et aspectu delectabile (*Gen.* III). Blandiente aspectu ligni, valuit hoc totum quasi ad testimonium, pro parte, accusatoris. Nullum enim signum mortis apparuit in ligno, unde putaretur accusator falsum dixisse, vel Deus non falsum dixisse. Accessit ad hoc quod mulier naturaliter vitam amabat, quem serpens repromittebat; et mortem æque non amabat, quam Deus intentabat. Usum quoque vitæ experta, et mortis inexperta, magis sequebatur, quo eam trahebant amor et experientia; et sic tandem victa extendit ad iniquitatem manum suam. Sic seducta est, et primum ad dubitationem, et a dubitatione ad infidelitatem perducta, ut falsum crederet, quod Deus prædixerat, sic persuasa est, ut a concupiscentia incipiens, et ad consensum perveniens, præsumeret, quod Deus interdixerat.

Interea superba ratio pro tribunali sedens, mulierem a metu mortis absolvit; nec Deum in sermonibus justificavit, sed superbo judicio falsi condemnavit: et sic mulier honorem fidei, quem verbis Dei exhibere debuit, ad gloriam tentatoris transtulit, illi credens, Deoque non credens. Superba voluntas superbæ rationi assidebat: quæ honorem obedientiæ Deo subtraxit, et per inobedientiam tentatori se sponte subdidit. Corrupta est itaque in muliere ratio per superbiam; quia de fide sermonis Dei dubitavit. Nam nefas est de verbis Dei dubitare, et impium est sermonibus ejus non acquiescere. Homo enim per judicium rationis et libertatem voluntatis ad imaginem et similitudinem Dei conditus, naturali æquitate in iis debet subditus esse Deo, ut semper velit illi subesse, a quo cœpit esse; humilians rationem ante eum, ut credat omnibus verbis ejus; sic voluntatem, ut obediat omnibus præceptis ejus. Pietas siquidem fidei rationem humiliat in homine, obedientia voluntatem. Superbia humanæ rationis, quæ pietatem detrectat, et sub fide humiliari nescit, cæcitas cordis est damnabilis, Deo odibilis, dum non acquiescit credere, quod non sufficit comprehendere. Cum Dominus illuminasset cæcum natum, non credentes Pharisæi magis excæcati sunt, et obscurati sunt oculi eorum ne viderent. At Dominus novitatem miraculi tanti contra eos intentans, dixit: *Ego in judicium veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, et videntes cæci fiant* (*Joan.* IX). Ut qui non vident per superbiam, videant per humilitatis gratiam; et qui vident per superbiam, non videant per substractam gratiam. Sed in sequentibus addit: *Si cæci essetis, peccatum non haberetis; sed quia dicitis quia videmus, peccatum vestrum manet* (*ibid.*). Bona cæcitas est, in seipso magna non videre, et quæ scire non licet, pie ignorare. Propterea in cœlestibus mysteriis et divinis sacramentis omnis impia dubitatio a corde nostro procul pellenda est; omnis curiosa inquisitio compescenda est, ut fides, quæ habet veritatis conscientiam, habet etiam piam ignorantiam. Incomprehensibilis enim est Dei sapientia: intra angustias humanæ rationis coarctari non potest. In hoc ergo sacramento tota humana ratio sub pietate fidei humilianda est. Ita enim oportuit, et ordo nostræ reparationis hoc exigebat, ut imago Dei, quæ per superbiam rationis deformata est, in ipso sacramento redemptionis nostræ per humilitatem rationis debeat reformari. Homo itaque rationem suam totam Deo humilians, de hoc sacramento id credat, quod Dominus instituit credendum, dicens: *Hoc est corpus meum* (*Matth.* XXVI). Credat hoc firmiter, credat indubitanter, confiteatur fideliter. Si videtur impossibile juxta humanam rationem, si incredibile secundum humanam sapientiam, semper verum et certum maneat in conscientia fidei, propter divini sermonis reverentiam. Credat homo magis Deo quam sibi; credat se Deo, ne Deus non se credat illi. Credat spiritum suum Deo, ut sit creditus cum Deo spiritus ejus (*Psal.* LXXVII). Credat rationem suam Deo, et abneget semetipsum, et sicut audit a Deo, ita judicet, illum sequens, qui dicit: *Ego sicut audio, judico* (*Joan.* V). Christus itaque exemplum geminæ utilitatis in se nobis exhibuit, in humilitate judicii et humilitate voluntatis. De humilitate judicii scriptum est: *Ego sicut audio judico.* Et per prophetam dicit: *In humilitate judicium ejus sublatum est* (*Isa.* LIII). De humilitate voluntatis dicit: *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me* (*Joan.* VI). Christus a se non est, nec a se operatur, sed a Patre, sicut dicit: *Ego a me non possum facere quidquam* (*Joan.* V). Sicut Filius a Patre est, ita a Patre habet judicare et velle operari; in his tamen Patris æqualis. Discat hinc homo, qui a se non est, sed a Deo factus est, nil a se judicare, sed a Deo; nil a se velle, nil a se operari, in iis maxime quæ ad salutem operantur, vel cooperantur.

Sacrificium hoc, de quo nunc agitur, non solum sacramentum est ad sanctificationem, sed exemplum in se continet ad imitationem. Sacramentum per mysterium fidei, exemplum ad formam vivendi. Sacramentum ad humilitatem voluntatis. Illis quidem prodest sacramentum, qui imitantur exemplum. Qui non imitantur exemplum, nec illis prodest sacramentum. Forma autem vivendi non solum hoc sacrificio præscripta est; sed in figura hujus sacrificii dudum præmonstrata fuit. In lege enim Moysi decima die septimi mensis solemnis hostia jubetur offerri, cujus caro crematur extra castra, et sanguis infertur in Sancta (*Levit.* XVI). Nam ut Apostolus ait: *Quorum animalium sanguis infertur in sancta, horum corpora cremantur extra castra* (*Hebr.* XIII). Dies autem afflictionis dies est propitiationis de peccato. Quomodo dies afflictionis dies

rex Babylonis, licet secundum Ezechielem (*Cap.* XXI) Sabbatorum otium non imitetur, et quasi frustra consuluisse oraculum exta perscrutando se ostendit, ipse tamen recordabitur iniquitates ad capiendum. Sed in his omnibus Christi milites superant, propter et per eum qui eos dilexit, et munivit armis justitiæ a dextris et a sinistris. Quæ autem sint hæc arma justitiæ, sive quæ dextera, sive quæ sinistra, psalmus prædictus sive inductus Apostolo per omnia concinens innuit, dicens : *Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis. Scuto circumdabit te veritas ejus ; non timebis a timore nocturno, a sagitta volante in die. Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis* (*Psal.* XC). Ubi enim ait Apostolus : *In suavitate, in Spiritu sancto*, ibi Propheta dicit : *Scapulis suis obumbrabit tibi.* Quid enim scapulis Deum obumbrare homini, nisi suavitate Spiritus et infusione gratiæ justum quemlibet a tentationum æstu protegere, quasi in abscondito faciei suæ a conturbatione hominum abscondere? Unde et in alio psalmo idem Propheta gloriatur dicens : *Obumbrasti super caput meum in die belli* (*Psal.* CXXXIX). Et quia in scapulis onera portari solent, recte in scapulis Dei patientiæ ejus et longanimitatis benignitas designatur, qua parvulos suos exspectans fovet et sustinet secundum illud : *Expandit alas suas, et assumpsit eos, atque portavit in humeris suis* (*Deut.* XXXII) ; et illud Isaiæ *Pueri eorum in humeris portabuntur* (*Isa.* LXVI), donec excrescentes in virum perfectum jam non solum portari non indigeant, sed et alios portare sufficiant. Pennæ quoque talibus scapulis subnectuntur, quia quos longanimiter portat, etiam plumis spiritualium consolationum calefacit et informat, velut gallina refovens pullos suos sub alas, et velut aquila provocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans (*Deut.* XXXII). Sed ne sub his pennis sperando, et latitando, homo securitate torperet, et semper crederet quiescendum, ubi Apostolus mittit nos ad arma justitiæ, Propheta concludendo, et de pugna nos admonet dicens : *Scuto circumdabit te veritas ejus.* Homo quippe post intimam divinæ gratiæ consolationem, ad suam rediens infirmitatem, quam longe a veritate existat, et quantum bona transitoria a veris distent bonis ipsa rerum experientia verius edocetur ; et hac veritatis cognitione velut quodam scuto in superioribus lato, in inferioribus angusto circumdatus, communitur ad transitoria despicienda, velut ea quæ non vere sunt et angusta sunt : et desideranda æterna, quæ vere sunt. Sic Petrus post angelicam visionem, et eductionem de carcere, et portæ ferreæ ultroneam apertionem, ad se tandem reversus dicit : *Nunc scio vere* (*Act.* XII). Alibi quoque post visionem lintei, in quo erant universa quadrupedia et serpentia, idem Petrus ad se reversus ait : *In veritate comperi* (*Act.* X). Ecce ibi se vere scire, hic in veritate comperisse se testatur, quæ prius ignorasse non creditur ; sed divina revelatione certificatus, divinæ

A veritatis scuto circumdatus esse ostenditur. Volens etiam propheta ostendere adversus quæ scutum istud muniat, universa tentamenta quadruplici distinctione comprehendit dicens : *Non timebis a timore nocturno.* In quo recte concupiscentia carnis intelligitur quia, secundum Apostolum (*I Tim.* V), qui in deliciis est, vivens mortuus est. Sicut enim mors sensus carnis a præsentibus alienat, sic sopor carnalis voluptatis sensus animæ ab æternorum cognitione infatuat. Unde qui dormiunt, nocte dormiunt, et qui ebrii sunt nocte ebrii sunt ; et ipsi fortissimi Israel accincti sunt gladio super femur suum, propter timores nocturnos. Sequitur : *A sagitta volante in die*, et per hanc non immerito superbiam vitæ accipimus, quæ maxime in die mundanæ prosperitatis solet obrepere. Quem diem Propheta non desiderasse fatetur. In *negotio* vero *perambulante in tenebris*, quod tertio loco ponitur, manifeste avaritiæ negotiatio, seu oculorum petulantia exprimitur, quæ nulla acquisitorum abundantia satiatur, quia, secundum Salomonem, *non satiatur oculus visu* (*Eccl.* I), et hæc quidem a sinistris nos impugnant. Sed si scuto veritatis circumdamur, cadunt a latere nostro mille ; et ne a dextris inermes esse videremur, subjunxit : *Et decem millia a dextris tuis.* Et forte non immerito per decem millia quæ prædixerat, ab incursu et dæmonio meridiano intelligi voluit. Dæmonium namque meridianum non incongrue a Patribus interpretatum est, cum angelus Satanæ transfigurat se in angelum lucis. Cum enim ad perversa et manifeste mala hominem inclinare non potest, ad callida se vertit argumenta ; et velut recta suadens, ad altiora se quærenda, fortiora se scrutanda, sive etiam quædam occulta ei revelando, plus sapere quam oporteat sapere, persuadet. Et hæc tentatio recte meridiana dicitur, quando homo lucis nimietate offenditur, tantoque perniciosius nocet, tardiusque cavetur, quanto difficilius deprehenditur et discernitur rarius. Et licet tantum inter hanc et alias distet tentationes, quantum inter mille et decem millia, quantumque inter lævam et dexteram ; tamen sicut scuto veritatis muniti mille superamus ad sinistram ; sic gladium spiritus, quod est verbum Dei dextera tenentes, etiam decem millia fugamus a dextra. Vivus enim Dei sermo et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus (*Hebr.* IV), et quantumcunque spirituales et subtilissimas dæmonum tentationes dividens et discernens. Et forte hæc tentatio meridiani incursus in sequentibus ejusdem psalmi per aspidem designatur. Sicut enim aspis obturans aures suas ne vocem incantantium audiat ; sic qui ista lucis transfiguratione ac boni simulatione decepti sunt, contra omnia saniora consilia et monita obsurdescunt. Nam reliquæ forte tentationes in cæteris animalibus exprimuntur, ut in leone superbia vitæ, in dracone concupiscentia carnis, in basilisco qui visu nocet, oculorum concupiscentia intelligitur ; quæ

si recte ita possunt intelligi, curioso lectori relinquimus.

Satis jam, nisi fallor, dictum est, in quibus Propheta et Apostolus conveniant : quomodo duo hæc cherubim vultus mutuos ad se ipsa habeant. Nunc jam dicendum videtur, quomodo versis vultibus in propitiatorium evangelicæ lectionis respiciant. Sed ne repetendo ea quæ vel in Psalmo vel in Apostolo dicta sunt, lectorem oneremus aut paginam, ea breviter colligendo invenire in Evangelio studeamus. Volens siquidem Dominus Jesus incipere prius facere quam docere, secundum quod in Propheta et Apostolo supra dictum est, primo a patientia cœpit ; et primitus in patientia illarum tribulationum, quas sancti sibi imponunt, exerceri voluit, ut suo nos exemplo doceret, non facile posse per patien- B tiam superare alios, qui sibi ipsi non didicerit imperare, secundum illud : *Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo expugnatore urbium* (*Prov.* XVI). Hoc siquidem postea verbo docturus erat, et evangelizando dicturus : *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc.* XXI); quia secundum beatum Gregorium, quando nobis ipsis dominari discimus, incipimus possidere quod sumus. Hæc complere volens Dominus primo sibi solitudinis ac penuriæ necessitatem, vastitatis eremi, horrorem jejunii ac famis cruciatum imposuit. Hæc enim volentibus ad Deum redire, maxime in principio necessaria esse sciebat; primo ut fugiens homo, et declinans omnem commoditatem peccati, et C temporalium affluentiam, elongans maneat in solitudine ; ne forte ipsa commoditate facilius recidivum incurrat; dehinc, ut non solum non habeat quod delectet, sed etiam sit aliquid in promptu quod horreat, ut terrenis affectibus ipso horrore mitigatis, sive etiam effugatis, libentius ac facilius cœlestia requirat. Sic Psalmista cum elongasse fugiendo se dixisset, statim subjunxit : *Exspectabam* (*Psal.* LIV); quasi diceret : Ipsius solitudinis squalore et vastitatis horrore provocatus, ad exspectandam et expetendam consolationem divinam protinus me converti. Tandem etiam jejunio corporali affligendus est hostis, et corpus in servitutem spiritus redigendum, ut quanto exterior homo corrumpitur, tanto interior renovetur. Et hæc dicta sint, pro eo quod D dictus est Dominus Jesus ductus esse in desertum a suo spiritu, et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriisse. Sequitur : *Et accedens tentator* (*Matth.* IV); ac si diceretur : Prædicta a suo sibi spiritu imposuit; quæ sequuntur, ab alieno sustinuit. Notissimæ sunt, et a Patribus subtilissime disputatæ, tres illæ tentationes quæ a tentatore Domino factæ exprimuntur. Sed quomodo prædictis conveniant, ostendendum esse videtur. Ubi ergo dicenti sibi tentatori : *Dic ut lapides isti panes fiant* (*ibid.*), verbum sacræ Scripturæ velut scutum veritatis opposuisse legitur, draconem conculcasse videtur. Antiqua siquidem fraude serpens antiquus, qua circa protoplastos usus est in para-

A diso, Dominum aggressus est in deserto. Videns enim carnem homini proximam, imo individuam esse, primo quæ carni placerent, et carnem oblectarent, proposuit ; et carnis eos concupiscentia decipiendo prostravit. Ita et nunc Dominum esurire conspiciens; ipsam ejus famem volens sibi assumere adjutricem, ab appetitu carnis, ne dicam concupiscentia, eum tentare cœpit, dicens : *Dic ut isti lapides panes fiant.* Ecce quam sit aptus pœnitentiæ locus desertum, manifeste apparet. Quia enim in deserto nec pomum invenit, quod placeret, nec aliud comestibile, quod famem propulsaret, ad lapides, qui deesse non poterant, se convertit, non sicut prius dicens in paradiso, *eritis sicut dii* (*Gen.* III), callidiore usus astutia facito inquiens sicut Deus.

B Ac si diceret : Si vere Deus es, potes; et si potes, debes vitam corporis, etsi non oblectare, saltem cibo necessario sustentare. Sed deprehensa est ab esuriente hæc tanta fraus in deserto, quam advertere non potuerunt felices, et absque ulla necessitate, protoplasti etiam in paradiso. Gratias tibi, Domine Jesu, quia sicut per te ipsum semel draconem superasti, sic quotidie per tuos superare non cessas. Jam enim velut tanti capitis membrum quilibet parvulorum tuorum oculos habens in capite, tuo exemplo provocatus, tuo magisterio eruditus, tuo adjutorio confortatus, ejusdem draconis nequitiam, et astutiam cognoscit, conatum parvipendit. Sic sic obstetricante manu tua, de caverna fraudis, in qua usque ad te latuerat, eductus est coluber C tortuosus. Videns ergo se nihil proficere sub specie draconis, ad pellem se convertit leonis dicens : *Hæc omnia*, scilicet regna mundi, et gloriam eorum, *tibi dabo, si cadens adoraveris me* (*Matth.* IV). Ecce sicut leo regem bestiarum se reputat, sic iste regnorum terræ se dominum superbe credit : quæ tam facile se daturum, si adoratus fuerit, repromittit. Sed solo uno verbo facile reprobatus conculcatur et leo. Et leonem gentium vicit leo de tribu Juda, agnus draconem, columba basiliscum. Nam in hac secunda tentatione, non solum leonis arrogantiam, sed etiam in oculis basilisci insatiabilis aviditatis avaritiam intueor, ut in ostensione regnorum oculorum concupiscentia, in gloria eorum D vitæ superbia exprimatur. Nam illud quod sequitur, statuisse illum supra pinnaculum templi, et dixisse : *Si filius Dei es, mitte te deorsum, quia scriptum est : Angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te*, etc. (*Matth.* IV); forte non incongrue ad aspidem et ad incursum et dæmonium meridianum referri potest. Ubi quasi in angelum lucis se transfigurans, etiam testimonio Scripturæ sacræ, quæ sibi a Domino opposita fuerat, quod suaserat persuadere intendit. Verum Dominus a Scriptura sacra recedendum non esse nos docet ; et pravum Satanæ de Scriptura sensum alterius Scripturæ oppositione refellit, dicens : *Non tentabis Dominum Deum tuum* (*ibid.*). Ac si diceret : Deum tentare velle convincerer, si de ejus gratia et promissione

confisus, supra hominem absque ulla necessitate vel utilitate præsumerem. Sequitur :

Tunc reliquit eum diabolus (*ibid.*). Quem enim aliquo istorum quatuor modorum non seducit; procul dubio illæsum confusus derelinquit. *Et ecce accesserunt angeli, et ministraverunt ei* (*ibid.*). Ubi in Apostolo post enumeratas varias tribulationum molestias, subinfertur :*In suavitate, in Spiritu sancto (II Cor.* VI), et multiplex deinceps distinguitur varietas gratiarum. Hic in Evangelio legitur : *Et accesserunt angeli, et ministraverunt ei.* Angelico namque ministerio manna divinæ consolationis in præsentis exsilii deserto lugentibus et peregrinis, ac corde contritis, velut illis qui hæreditatem capiunt salutis, ministratur. Sed istud divinæ suavitatis manna aliquando tentationem præcedit, aliquando comitatur, aliquando sequitur. Præcessit enim in Elia, cui dictum est : *Comede, grandis enim tibi restat via* (*III Reg.* XIX), et cum comedisset, in fortitudine ipsius cibi quadraginta diebus et quadraginta noctibus, absque omni cibo ambulando laboravit. Danieli in ipsa tribulatione oblatum est prandium, cum esset in lacu in medio leonum angelico ministerio per Habacuc prophetam allatum (*Daniel* XIV). Dominus vero noster, qui pro nobis tentandus advenerat, illud quod gravius est elegit, ut peracto jejunio, et devictis variis tribulationum tentamentis, tandem angelico ministerio frueretur, ut merito de eo dici posset : *Patientiam Job audistis, et finem Domini vidistis* (*Jac.* V). Patientia siquidem Job multis præventa est beneficiis, sed multiplicioribus remunerata. Unde ad solam patientiam ejus considerandam, non ad ipsius patientiæ finem mittimur. Domini vero finem intueri monemur, *qui proposito sibi gaudio* regnorum mundi, et gloriæ eorum, *sustinuit crucem confusione contempta* (*Hebr.* XII). Hic quoque spreto corporali cibo, angelicas delicias usque in finem æquanimiter exspectavit. His dictis de officio Dominicæ, quæ prima Quadragesimæ dicitur, ut quousque ab initio Septuagesimæ processum sit, plenius cognoscatur, breviter quædam supradicta epilogari oportet, ut quæ de Septuagesimæ fine dicenda sunt, eis quæ de ejus principio jam dicta sunt, convenientius coaptentur.

TRACTATUS XVIII.

RECAPITULATIO PRÆDICTORUM, DE SEPTUAGESIMA, ETC.

Duas quippe Septuagesimas historialiter Scripturæ sacræ commemorant : primam videlicet temporum vel ætatum, quæ ab Adam usque ad finem mundi protenditur, secundam annorum, quam filii Israel septuaginta annis in Babylonica captivitate peregerunt. In harum repræsentationem, et spiritualium cujuslibet animæ sanctæ profectuum significationem, Ecclesia duas celebrare Septuagesimas consuevit : unam hebdomadarum, quæ septem disterminatur Dominicis; quarum ultima seu septima, et quasi terminus, est Dominica qua cantatur, *Lætare, Jerusalem* ; alteram dierum, quæ finem habet et terminum in Sabbato, cum geminum *Alleluia* decantatur. Harum prima vitæ activæ profectum designat ; quæ in hac vita habet suam perfectionem, et ad consummationis finem proficiendo perducitur ; ut completa hebdomada copulæ Liæ, tandem ad optatas Rachelis nuptias pertingatur. Secunda contemplativæ vitæ quietem significat ; quæ non tam septimanis quam diebus numeratur, imo nec diebus nec horis integris, quin potius horis dimidiis percipitur. Hæc non nisi finito primo Pascha et initiato secundo connumeratur. Sed quia mistim istæ sibi duæ vitæ, atque vicissim subserviunt, et alternatim sibi invicem succedunt, ut nunc Lia Racheli, nunc Rachel Liæ suum Jacob invideat, et nunc altera alteri nimia præripiat aviditate ; bene etiam istæ duæ Septuagesimæ sic in Ecclesia celebrantur, ita sibi invicem connectuntur, ut non tam duæ quam una videatur, et duas esse a paucissimis cognoscatur. Sed hoc sacramentum Ecclesiam Romanam latere non potuit; quæ in universali Ecclesia frequentandum instituit. Et septimam primæ Septuagesimæ Dominicam, per quam activæ vitæ consummationem significari diximus, rosæ aureæ gestatione insignivit. Sed ipsius rosæ mysterium minime parvipendendum, melius illi dici reservatur enucleandum, cui specialiter cognoscitur adaptatum. Interim de aliis Dominicis, quæ illam præcedunt, quod Dominus ministraverit disseramus, ne quæ retro sunt obliti, in anteriora nos extendentes, ordinem præposteremus. Primo igitur mundo renuntiantes, et de Ægypto vitæ instabilis et tenebrosæ exeuntes, fructus carnis velut septem illas Ægypti spicas tenues et uredine percussas abdicavimus, et fructus spiritus velut septem alias plenas atque formosas, in uno charitatis culmo amplectentes, sicque Decalogum spiritualiter intelligere et adimplere proponentes, Septuagesimam initiavimus. Secundo peccatis mortalibus plene renuntiare volentes, et in hoc angustias non modicas,et amaritudines ex ipsorum peccatorum consuetudine, et velut quorumdam Ægyptiorum persecutione sustinentes, miraculoso tandem Dei auxilio ipsius amaritudinis ruborem et dolorem, velut quoddam mare Rubrum, non sine multo labore transivimus ; et sic senario activæ vitæ decalogum adimplere studentes, Sexagesimam celebrare contendimus. Tertio non solum peccatis resistere, sed ipsis etiam corporeis sensibus imperare volentes,et sic voluntaria quinque sensuum mortificatione Decalogum adimplere curantes, Quinquagesimam jam mari transmisso celebrantes, exsultavimus. Et licet errantes in solitudine, in inaquoso, civitatem habitaculi non invenerimus; tamen per Mara transeuntes, et dulcoratæ aquæ haustu suavi delectati, tandem in Helim pervenimus, ubi palmas victoriæ jam nostrum ipsorum facti victores invenimus : et

ipsius victoriæ fructus percepimus dulciores. Sed A nec ibi diutius morari valentes, eo quod nec fontes duodecim, nec palmæ septuaginta, ad satietatem sufficerent, pertransire volentes eos qui circumeunt civitatem, transivimus in desertum Sin, ubi subtilius conscientiæ amphoram perscrutantes, de exterioribus ad interiora, de visibilibus ad invisibilia, de sensu carnis ad spiritum jam spirituales facti pervenimus; et spiritu in desertum spirituale ducti, quatuor virtutum pennis Decalogum transvolantes, Quadragesimam cum Domino initiare, et manna cœleste degustare meruimus.

Bene autem hæc in Sin, quod amphora dicitur, fieri incipiunt; ubi civitatem interioris hominis intrare volentibus occurrit homo amphoram aquæ bajulans: qui et cœnaculum grande stratum, ubi B Pascha paretur, ostendit (*Luc.* XXII). Quærentibus enim Deum primo occurrit homo Deus, ut per hominem Deum ascendant ad Verbum Deum; et per Verbum Deum homines dii efficiantur, secundum illud ipsius Verbi verbum: *Si illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est*, etc. (*Joan.* X.) Homo igitur iste, cui vult et quando vult, et quomodo vult, occurrit, et succurrit, et præcurrit. Occurrit quærentibus, succurrit deficientibus, hæsitantes præcurrit, et trepidantes, priusquam invocetur, dicens, ecce adsum. Mariæ adhuc trepidanti, et corpus mortuum quærenti, præcurrens apparuit; non tamen amphoram aquæ bajulans, sed sicut hortulanus (*Joan.* XX); significans quod plura adhuc in ea C evellenda et disrumpenda restarent, quæ hortulani ope, vel opera indigerent. Euntibus in Emmaus tristantibus et pene deficientibus succurrens apparuit, sed sicut peregrinus (*Luc.* XXIV), non aquæ amphoram bajulans. Omnes hi adhuc exterioribus dediti, foris eum inveniunt, foras deosculantur, et exteriora dona ab eo percipiunt. Solis intra cubiculum intrare conantibus, et jam lectuli secretum, et Sabbati otium quærentibus, quod est velle celebrare Pascha, occurrit amphoram aquæ bajulans. Sed quia divisiones aquarum apud eum sunt, et divisiones gratiarum ex diversis ipsius fontibus emanant, non unam semper aquam continere credenda est amphora ipsius, sed quam cuique noverit esse necessariam, pro sua voluntate propinat. Alii aquam D refectionis, alii aquam salientem in vitam æternam, alii aquam Siloe, quæ fluit cum silentio; alii aquam egredientem de templo, alii aquam fontis patentis in ablutione domus David et menstruatæ, alii aquam fontis signati, alii aquas fontis et putei, quæ fluunt impetu de Libano. Omitto aquam cisternæ, et fluenta putei viventis, quæ foras derivantur, et dividuntur in plateis; sed et aquas Jordanis, quæ Naaman septies mersum in eis mundant a lepra (*IV Reg.* V). Aquas quoque Mara, aquas Helim, quæ sunt lacrymæ pœnitentium et baptisatorum: quæ omnes extra sunt, et ante spiritualem Quadragesimam percipi solent. Earum autem quas prædiximus, noster Moyses, qui ex aqua dicitur, quia de Spiritu sancto conceptus, quando vult, amphoram suam implet, et sicut vult singulis exhibet, dividens singulis prout vult. Et quia longum esset de omnibus disserere, illius ipsius aquam ardenter sitiamus, quam qui biberit, non sitiet in æternum. Ipsa est aqua charitatis, de qua ait evangelista, quam *accepturi erant credentes in eum* (*Joan.* VII). Hanc nobis quam Dominus in humana conversatione velut in vase fictili exhibuit, et quotidie proficientibus exhibere non cessat; suam eis infundens charitatem, ad suam eos invitans intuendam, et imitandam conversationem, dicens: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio* (*Cant.* VIII). Si hujus aquæ effectus et proprietates libet inquirere, invenimus eam mundativam, refrigerativam, speculativam. De primo legitur: *Lavabis me et super nivem dealbabor* (*Psal.* L). Et illud: *Lavamini, mundi estote* (*Isa.* I). De secundo: *Mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma* (*Luc.* XVI). De tertio: *Super aquam refectionis educavit me* (*Psal.* XXII). De quarto: *Movebatur aqua, et sanabatur unus* (*Joan.* V). De quinto: *Lacrymis meis stratum meum rigabo* (*Psal.* VI). Et Salomon exstruxisse legitur piscinas aquarum, ut irrigaret silvam lignorum germinantium (*Eccle.* II). De sexto: *Aquæ Jordanis sanctificatæ sunt* (*Ecclesia*). De septimo Salomon: *Sicut in aquis resplendent vultus prospicientium, ita corda hominum manifesta sunt prudentibus* (*Prov.* XXVII). Et in Cantico canticorum: *Oculi tui sicut columbæ super rivos aquarum; quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluenta plenissima* (*Cant.* V). Columbæ enim in aquarum rivulis non solum suos vultus, sed et accipitris speculantur, ut a longe visum levius effugiant. Omnes istos effectus et proprietates, in charitatis aqua facile diligens lector reperiet. Ipsa siquidem est fons vivus, cui non communicat alienus. Ipsa aqua viva, quam Dominus Samaritanæ promittit (*Joan.* IV). Imo aqua viva, de qua dicit Apostolus: *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo* (*Coloss.* III). Hæc vita mortificat et vivificat; mortificat mundo, quia valida est ut mors; vivificat Deo, quia *qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo* (*I Joan.* IV). Hæc quia quatuor præceptis concluditur, illis scilicet: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua; et proximum tuum tanquam te ipsum* (*Deut.* VI; *Matth.* XXII); et in ipsis quatuor tota lex pendet et prophetæ (*Luc.* XXIII), merito quadragesimali tempore figuratur, ut ille solus recte Quadragesimam dicatur celebrare, qui charitatem dictis et operibus studuerit ostendere. Sic enim infra geminam, quam prædiximus Septuagesimam, Quadragesima concluditur; sic activæ et contemplativæ vitæ pennis charitas proficiens, et proficiendo se in anteriora extendens, in finem dilatatur,

Unde et ferculi Salomonis, ascensus purpureus, reclinatorium aureum, media charitate constrata describuntur (*Cant.* III). Quod ibi per ferculum, in Evangelio per cœnaculum grande stratum (*Luc.* XXII) reor significari. Ferculum enim sive cœnaculum, cor est divina contemplatione sublimatum et illustratum; quod ascensum habet purpureum laboriosæ actionis, et grande est multiplicitate boni operis; quod ex cœlestis desiderii charitate, velut quodam excellentiori et eminentiori ornamento consternitur, ut tandem in reclinatorio aureo divinæ sapientiæ suaviter repausetur. Sic igitur Quadragesima inter duas Septuagesimas medium locum tenet; sic per charitatem inter activam vitam et contemplativam quasi inter medios cleros dormiens, per activam exercetur sub se, per contemplativam elevatur supra se. Per exercitium boni operis elevatur ab imis, per studium contemplationis commoratur in summis; et quanto charitas dilatatur in opere, tanto postmodum suavius delectatur in contemplatione. Ex fructu enim boni operis charitas promeretur, unde per gustum contemplationis postea remuneratur. Est igitur charitatis meritum patientia laboris, et tribulationis præmium cognitio veritatis. Si quis igitur aspirat ad præmium, prius procuret meritum. Si quem delectat complexus veritatis, prius eum exerceat via laboris. Si quis suaves fructus desiderat percipere charitatis, non abhorreat asperitatem corticis, nec refugiat amaritudinem radicis; quoniam *justus ut palma florebit, et sicut cedrus Libani multiplicabitur* (*Psal.* XCI). Si cui igitur libet ex sententia dicere : *Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus* (*Cant.* VII), sciat a radice incipiendum esse; quoniam juxta Apostolum, rami et cætera quæ in arbore sunt, radicem non portant, sed portantur a radice (*Rom.* I).

Quærendum igitur nobis est, quæ sit hæc radix, a qua stipes, rami, fructusque procedunt. Tria siquidem sunt præcepta charitatis, dilectio Dei, dilectio proximi, et dilectio sui. Ubi enim dicitur : *Diliges proximum tuum sicut te ipsum* (*Matth.* XXII), ostenditur quod primo debeat homo recte diligere seipsum. Non enim recte diligit se, qui diligit iniquitatem; sed procul dubio secundum Prophetam, odit animam suam (*Psal.* X). Ut ergo recte se diligat, oportet quod perfecto odio oderit vitia sua, deponens : *Omnem malitiam et omnem dolum, et simulationem, et invidiam, et omnes detractiones* (*I Petr.* II); et si quid est aliud, quod charitati adversetur. Hoc primum mandatum, scilicet dilectio sui, primum non dignitate, sed ordine, non incongrue radix intelligitur charitatis; ex qua prodeunt stipes fraternæ dilectionis, qui in multiplices ramos bonorum operum dilatatur; fructus divinæ dilectionis, qui tandem post multas tribulationes et ascensiones in valle lacrymarum dispositas, per cognitionem veritatis a mundicordibus suavissime degustantur.

Et notandum quod hæc ita sibi connexa sunt, ut nec fructus sit sine stipite, nec stipes vivat sine radice. Vitam autem radici vel stipiti neque qui plantat tribuit, neque qui rigat; sed solus incrementum dans Deus (*I Cor.* III). Sic nec amor Dei verus in homine est, sine amore proximi; nec amor proximi purus sine amore sui; sed nec amor sui rectus, nisi aliquo Dei amore et cognitione vivificetur, et quasi animetur. Cognitio enim veritatis quasi quædam est anima charitatis, ut quantum cognoscitur veritas, tantum ametur, et quantum proficit quis in amore, tantum dilatetur in cognitione; quia amor ipse notitia est. Veritatem autem primo cognoscit homo in seipso per humilitatem; deinde in proximo per compassionem; tandem in ipsius natura veritatis per revelationem. Ecce quomodo ubique charitas veritatis cognitione animatur et vivificatur. Ut enim homo recte se diligat, necesse est ut sine fallacia se cognoscat. Ut proximum veraciter diligat, necesse est ut cognoscendo ejus infirmitatem, et compatiendo condescendat. Ut Deum pure diligat, necesse est ut naturæ Dei puritatem mundo corde, quantum in hac vita fieri potest, videat et cognoscat. His finibus concluduntur, et consummantur prædictæ Quadragesimæ et Septuagesimæ cursus, ut spiritualis Quadragesimæ finis sit et consummatio in Dei dilectione, finis Septuagesimæ, quam contemplativam vitam diximus, sit in Dei cognitione. Nam proximi dilectio in ea forte parte Quadragesimæ commendatur, quæ dicitur, *Dominica in passione*, ut tunc merito accingat se homo ad diligendum proximum in Christo, cum audire et considerare cœperit, quanta fecit et passus sit Christus pro eo. Tempore autem reliquo spiritualis Quadragesimæ quod præcedit, manifeste ostenditur homini quo ordine procedere et proficere debeat in amore et cognitione sui. Primo igitur convenit homini scire quid sit ex culpa; deinde quid sit ex gratia; tertio quid sit ex natura. Primum quidem initio Quadragesimæ convenire videtur, secundum tertiæ Dominicæ; nam secunda Dominica, Dominica vacans appellatur, et proprio officio a prima institutione Quadragesimæ vacasse invenitur. Tertium vero quartæ Dominicæ, quæ media Quadragesimæ dicitur, manifeste congruit, in qua *Lætare Jerusalem* decantatur (6), et spiritalis gaudium libertatis tam verbis

(6) Huc usque progressus est Henricus cardinalis Albanensis, qui manum ultimam operi huic non apposuit, ut ex ultimis verbis aperte constat. Nimirum negotiis pro sancta Ecclesia susceptis, et legationibus diversis a sede apostolica sibi injunctis præpeditus, et tandem morte præventus, quod mente conceperat, scripto mandare nequivit. Videntur etiam quædam deesse, et forsan multa, post tractatum 13. Cum enim initio illius tractatus dixisset se jam limina civitatis Domini attingere, et per duodecimam portam mox in eam ingressurum, splendore ac gloria ejusdem portæ, et fulgore nimio percussum stupere, et cum regina Saba præ stupore exanimem esse : et incomparabiliter majus esse quod

quam signis delectabilibus commendatur : quæ omnia suis in locis prout Deus ministraverit plenius A exprimentur. Primum igitur de primo prosequimur.

videbat quam quod audierat de eadem civitate Domini ; cum, inquam, hæc et similia dixisset, atque de eadem civitate magna relaturum præseferret, ac lectoris animum in spem erigeret mira et insolita audiendi, mox digreditur ad lamentandam terrenam Jerusalem ab infidelibus, *illo* tempore, quo scribebat, captam ; sequentem autem tractatum ab officio Septuagesimæ exorditur, nulla monitione præmissa, qua connexionem hujus et sequentium cum præcedentibus ostendat ; nulla amplius portarum, aut gloriæ civitatis Domini mentione facta. Ideoque videntur hic et sequentes tractatus jam ante ab auctore fuisse perducti usque ad illum locum ubi nos cum illo hic desimus. Sciendum quoque est nullum in Claravallensi codice manuscripto esse titulum, nisi initio totius operis, quo auctor se satis declarat, et suum propositum manifestat : singulis autem sermonibus nos apposuisse titulos, et tractatus maluisse appellare quam sermones ; ne sermonis nomine arbitraretur quis esse conciones in templo habitas et pronuntiatas, cum solum scripserit auctor, non autem pronuntiaverit ea quæ hic scripsit ; ideo etiam nonnunquam suum lectorem monet, non auditorem. Singulis tractatibus usque ad 12 hunc finem imposuit. « Ipse autem sit Alpha et O. sermonis nostri, etc. ; » et cum non scripserit Alpha et Omega, ut nunc passim scribitur et legitur, sic etiam edidimus, maxime cum erudite ostendat Estius cum aliis quos laudat, non Omega, sed solum O legendum et scribendum, ut antiqui semper legerunt. Conciones huius auctoris, quas Ciaconius et alii dicunt illum coram pontificibus habuisse, reperire non potuimus, et an exstent ignoramus.

ANNO DOMINI MCLXXXVIII

BALDUINUS

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPUS

NOTITIA

D. Bertr. Tissier, Biblioth. Patrum Cisterc., Bonofonte, 1662, fol. V, p. 1.

Venerabilis Balduinus, cognomento Devonius, natione Anglus, Oxoniæ humili loco natus, a Bartholomæo Oxoniensi præsule magistris traditur, litteris imbuendus. Qui cum progressum non mediocrem in artibus liberalibus atque in theologia fecisset, ejusdem Ecclesiæ archidiaconatu ornatus est : verum religiosæ vitæ studio incensus, in cœnobio Fordensi ordinis Cisterciensis monachi habitum induit, deinde ejusdem loci abbas eligitur : post in Vigorniensem episcopatum, ac demum in Cantuariensem archiepiscopatum evehitur anno eræ Christianæ 1184. *Pallio et legatia Angliæ honoratur a Lucio III. In congregatione procerum facunda oratione adversus Saracenos arma simul et commeatus Christianis persuasit : crucis et ipse tesseram assumpsit, et quosdam ex abbatibus Cisterciensibus sibi socios adjunxit. Œneum nobilem virum, olim a S. Thoma excommunicatum, exhumari et in mare abjici jussit. Paci inter Galliæ et Angliæ reges firmandæ arbiter cum quibusdam aliis prælatis designatus est. In Syriam tandem trajecit, et Saracenos ingenti clade prostravit. In eadem regione moriens, pecuniam quam congregaverat, in usum sacræ militiæ distribuendam legavit. Hæc noster Angelus Manrique in Annalibus, ex auctoribus Vitæ ejusdem. Multa scripsit quæ ab Arsfeldio, Vitæ ejus præcipuo scriptore, Pitsæo, eodem Manrique, et aliis recensemus.*

Scripsit adhuc abbas ad Bartholomæum, episcopum Oxoniensem :

De corpore et sanguine Domini, librum unum. Magnum, et profundum novi verique. *Manuscriptum Oxoniæ in collegio Lincolniensi. Et existimo, idem opus esse quod habetur manuscriptum Cantabrigiæ, in collegio Sancti Benedicti, sub his titulis :*

De sacramento altaris ; vel De inæstimabili sacramento veteris, et novi Testamenti, manuscript. etiam Lovanii in collegio Societatis Jesu.

De sacramentis Ecclesiæ, librum unum : Reverenda nomina Magistri.
De commendatione fidei, librum unum : Omnia fœdera societatis humanæ.
De orthodoxis dogmatibus, librum unum : Doctrina sanctorum conciliorum.
De sectis hæreticorum, libros duos : Mysterium fidei Christianæ.
De unitate charitatis, librum unum : Institutio vitæ communis.
De amore, librum unum : Fortis est, ut mors, dilectio.
De sacerdotio Joannis Hircani, librum unum : Genus magni Herodis.
De eruditione Giraldi, librum unum : Opus tuum, archidiacone, quod.
Sermonum triginta trium, librum unum : Candidiores nive, nitidiores.
Super historiis Regum, libros quatuor.
Contra Henricum Wintoniensem, librum unum.
De commendatione virginitatis, librum unum.
De angeli nuntio, librum unum.

De cruce, librum unum.
De mythologia, librum unum.
Carmen devotionis, librum unum.
Epistolarum librum unum. Et alia multa.

Hactenus scripta, quæ sola Balduinum insignem virum, vel si cuncta alia defecissent, facile nobis probant. Præcipua sunt quæ primo loco referuntur, et quæ nunc in lucem edimus: scilicet Sermones, seu potius tractatus diversi, quorum primus hoc habet initium, Sacramentum Dominici corporis et sanguinis. *Sequitur liber De commendatione fidei; demum opus De corpore et sanguine Domini, quod Bartholomæo Oxoniensi Mecænati suo nuncupavit. Falluntur autem qui quasi diversorum opusculorum principia ponunt verba,* Magnum et profundum, etc., *et ista* Reverenda nomina, etc., *cum hæc sint verba præfationis, illa autem initium libri seu tractatus præfationem sequentis. Habentur autem hæc opuscula in Claravallensi bibliotheca, excepto illo quod est De commendatione fidei, quod in Longi-pontana cum aliis habetur, eleganti charactere exaratum.*

BALDUINI
CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI
TRACTATUS DIVERSI.

TRACTATUS PRIMUS.
DE SANCTISSIMO SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

Sacramentum Dominici corporis et sanguinis pro A sua dignitate et reverentia dignum est a dignis digne tractari, digne confici, digne percipi, digneque dispensari. Magna et inæstimabilis est dignitas hujus sacramenti; et quis poterit ad eam? Magna est supra omnem modum intelligentiæ nostræ, supra omnem mensuram capacitatis nostræ. Magnum est utique pretium mundi, pretium sine pretio, pretium impretiabile, quod nulla æstimatione taxari potest. *Magnum*, inquit Apostolus, *pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria* (*I Tim.* III). Sacramentum hoc sacrificium est veritatis: nil in eo fictum, nil in eo simulatum, nil fucatum, nil magicis præstigiis adumbratum, sed vera sinceritas, et sincera veritas: veritas in eo quod patet, veritas in eo quod latet. Patet visibilis et vera species panis (1). Ante consecrationem quidem est ibi vera substantia panis: sed in consecratione potenti virtute verborum transsubstantiatur et mutatur in veram carnem Christi; post consecrationem totus Christus sub specie visibili absconditus est, qui posuit tenebras latibulum suum. Ad quem propheta loquitur dicens: *Vere Deus absconditus tu es, rex Israel Salvator* (*Isa.* XLV). Absconditus fuit Christus ab initio in sinu Patris; absconditus fuit post idem in forma servi, quam assumpsit; absconditus est et nunc in sacramento, quod ipse instituit. Absconditum in sinu Patris fides invenit; absconditum in homine fides nihilominus invenit, invenit et ipsa fides in sacramento absconditum. Magna virtus fidei magnam habet familiaritatis gratiam apud Deum. Ubi ubi invenerit, accessum habet ad eum, et quodam domestico familiaritatis ausu ipsa penetralia ipsumque cubiculum irrumpit. Non arcendam se putat ab iis qui custodiunt atrium, non ab ostiariis, non a cubiculariis: secura ingreditur, et mysteriis consiliorum Dei confidenter, sed reverenter, sese adjungit. Et quid mirum, si Deus consilia sua fidei fidelium suorum committit? Nonne reges et principes populorum fidelibus suis consiliorum suorum B mysterium communicant? Fidelis est Deus et absque iniquitate (*Deut.* XXXII); et fideles amici sine iniquitate, qui fidem sibi servant et in fide serviunt. Omnia opera ejus in fide (*Psal.* XXXII); et absque fide impossibile est ei placere aliquid (*Hebr.* XI). Tentat autem Deus fideles et electos suos, ut inveniat eos dignos se. Tentat et fidem eorum, tentat et spem, tentat et dilectionem. Sed de fide nunc agitur, quæ multis modis a Deo tentatur, et in hoc sacramento maxime ad probationem exercetur. Decrevit Deus æterno consilio in morte unigeniti Filii sui mundum salvare, et in mundum Salvatorem et salutem mittere, nec aliam salutem quam ipsum Salvatorem. Quod decrevit, hoc et promisit, et consi

(1) *Adde*, latet verum corpus et sanguis Christi.

lium suum fidelibus suis revelavit. Acquievit fides A sanctorum, crediderunt, exspectaverunt promissionis impletionem. Deus autem distulit Christum suum. Quare distulerit, secreti sui conscius est, ipse novit. Interim autem exercebatur fides justorum. Quod promisit Deus, hoc ad probationem fidei multis modis voluit adumbrare, et variis rerum significationibus et sacrificiorum figurari. Verus enim illa legalium sacrificiorum solemnitas per legem instituta, et a prophetis approbata, quædam fuit factæ promissionis quasi rememoratio, et futuræ completionis mystica significatio; ut res mirabiliter promissa, et mirabiliter post futura, testimonium habens a lege et prophetis, in jugi sacrificiorum frequentatione a memoria nunquam excideret. In his quippe futurorum signis fides exercebatur ad divini honoris B obsequium; ne otio languens, a fervore suæ devotionis tepesceret, et a spe suæ exspectationis oblivionis accessione deficeret.

Et si fidelis quispiam secum tractaret quid sibi volunt hæc, pietas devotionis semper haberet certum quod in conscientia fidei maneret occultum. Et hæc quidem sic erant, donec umbra cederet, veritas succederet. Venit enim qui venturus erat, venit Sanctus Israel, factus est homo, in terra visus est, cum hominibus conversatus est (*Baruch* III). Notas fecit mundo vias vitæ, et impleta dispensatione pro qua venerat, ascendit in cœlum, ubi et nunc est, ad dexteram Dei sedens. Antequam in cœlum ascenderet, ne discipuli, cæterive fideles post futuri de C ipsius auxilio subtracta oculis eorum corporali præsentia, diffiderent vel desperarent, consolatus est eos, dicens : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). Ergo nobiscum est noster Jesus. Cur nostrum non dixerim, qui nobis est? Filius enim datus est nobis. Nonnihil juris sibi vindicabat in hoc Jesu, qui ait : *Ego autem in Domino gaudebo; et exsultabo in Deo Jesu meo* (*Habac.* III). Hic noster Jesus, cum quo Deus omnia nobis donavit, non sustinet nobis abesse; in tantum nos amat, sicut ipse qui est Patris sapientia ait : *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum* (*Prov.* VIII). Nobiscum fuit in carne positus, antequam moreretur pro nobis; nobiscum fuit et in morte, quantum ad præsentiam corporis de terra nondum sublati; no- D biscum post mortem in multis argumentis discipulis apparens ; nobiscum est etiam nunc usque ad consummationem sæculi, donec simus nos cum illo; quia semper cum Domino erimus. Ecce quantum nos amat Jesus. Neque mors, neque vita potest eum separare a nobis in charitate qua nos diligit. Propterea neque mors neque vita debet nos separare a charitate ipsius. Quis enim diligendus est. si ille non est? Imo quis ita nobis diligendus est, ut ille? Nam, ut cætera taceam, si non simus ingrati et maligni, hoc sufficere debet, quod ipse diligit nos. Nil autem magis debetur amanti quam vicissitudo amoris ; et qui amat vult amari ; et hoc justissime quidem. At qui amari vult, et amare non vult; mirum,

si vel suo judicio absolvitur, ne iniquus sit. Vero autem judicio, qui amantem non amat, et ipse indignus est amari. Qui vero Jesum non amat, suo magno periculo hoc facit, dignus exsecratione et maledictione Apostoli dicentis. *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema, Maranatha* (*I Cor.* XVI). Econtra idem precatur dicens : *Gratia cum omnibus qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum in incorruptione* (*Ephes.* VI). Jesus quidem prior dilexit nos; et ne non diligatur a nobis, semper est nobiscum usque ad consummationem sæculi. *Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob* (*Psal.* XLV). Ex quo Deus Jacob supplantatoris et luctatoris susceptor noster factus est, nostram carnem suscipiens, Dominus virtutum nobiscum est; sicut ipse de justo ait : *Cum ipso sum in tribulatione* (*Psal.* XC) : et justus ad eum. *Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es* (*Psal.* XXII). Nobiscum est Emmanuel adversus eos qui tribulant nos, et qui gratulantur malis nostris. Nobiscum est in necessitatis articulo, in protectionis auxilio, in omni consolationis et subvectionis beneficio. Et his quidem modis fuit cum antiquis justis, nunc autem nobiscum per Incarnationis mysterium in communis naturæ consortio. Nec hoc fine dilectionis contentus est Jesus, ut tantum nobiscum sit. Arctiori complexu nos stringit, et mirabiliter unit per communionis sacramentum, ut sit in nobis, et nos in ipso, sicut ait : *Qui manducat carnem meam, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo* (*Joan.* VI). Christus autem qui manet in nobis, vivit in nabis, juxta quod Apostolus ait : *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus* (*Galat.* II). Quod si Christus vivit in nobis, et spiritus Dei habitat in nobis; et juxta eumdem Apostolum, *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Si autem Christus in nobis est, corpus quidem mortuum est peccato; spiritus vero vivit propter justitiam. Si autem spiritus ejus, qui vivificavit Christum a mortuis, habitat in nobis; qui suscitavit Jesum Christum a mortuis vivificabit et mortalia corpora nostra, propter inhabitantem spiritum ejus in nobis* (*Rom.* VIII). Et ipse Dominus ait : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam* (*Joan.* VI).

In hoc itaque sacramento vita nostra abscondita est cum Christo in Deo. Hic abscondita est vita æterna, et salus vera, quæ antiquis promissa est, et nobis data est : quæ revelabitur in nobis, cum venerit Deus glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt. Magnificavit Dominus facere nobiscum quod antiquis promisit, ex magna parte jam nobis exhibuit. Exhibita est nobis in hoc sacramento veritas antiqui consilii, de quo propheta dicit : *Domine, consilium tuum antiquum fiat verum.* Hæc est veritas promissionum Dei, veritas signorum, veritas sacrificiorum, veritas umbrarum et figurarum.

Denique hæc est ipsa veritas Christus, qui dicit :

Ego sum veritas (*Joan.* IV). Hanc veritatem ignoravit Pilatus dicens : *Quid est veritas, et exivit foras* (*Joan.* XVIII). Qui exivit foras, foris maneat; et infidelis si discedit, discedat. At nos ne foris maneamus, ne sit portio nostra cum infidelibus, intremus in sanctuarium Dei, apud quem non est impossibile omne verbum, cujus sermo omnipotens est, et semper verax est, cui semper subest, cum voluerit, posse. Sufficit nobis ad fidei hujus testimonium, Christum, qui est Dei virtus et Dei sapientia, discipulis suis dixisse ; *Accipite; hoc est corpus meum* (*Matth.* XXVI). Si humana sapientia in corde nostro remurmurat, murmurationem ejus fidei pietas compescat. Exhibeamus honorem verbis Dei in humilitate fidei; deferamus tam venerabili sacramento, tamque excellenti gratiæ omnem reverentiam, in munditia manuum et puritate vitæ. Hoc enim pignus dilectionis suæ benignissimus Jesus nobis reliquit, cum veniret hora ejus, ut transiret ex hoc mundo ad Patrem; volensque probare fidem et charitatem suorum, quasi quemdam locum certaminis in hoc sacramento posuit, in quo exerceantur, quos probari voluit.

In primis fides divina et humana ratio compugnant, et hoc agitur inter eas, ut altera alteri oculum eruat, nec est finis hujus pugnæ extra alterius excæcationem. Habet enim humana ratio oculum suum, habet fides suum. Oculus quidem rationis lippus est, et sæpe visibilia et prope posita videre non potest. Oculus autem fidei acutus est : quo invisibilia Dei intellecta conspiciuntur. Circa virtutem hujus sacramenti mens hebet, oculus rationis caligat, omnis sensus corporis obtunditur. Manus curiosa et in contrectatione sedula, nulla sua diligentia explorare potest, nisi ea quæ hujusmodi panis esse solent. Experientia gustus, et oculorum intenta contemplatio, per saporem et colorem, superscriptionem et formam, cæterasque circumstantias, cogitationi suggerunt, quia panis est, et non caro. Ratio consulta respondet quod carnalibus cogitationibus persuasum habet, et corporeis sensibus exploratum. Oculus enim humanæ rationis invisibilia Dei comprehendere non potest, nisi collyrio gratiæ inungatur, veroque lumine illustretur, de quo scriptum est : *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos* (*Psal.* XVII). *Si oculus tuus*, inquit Dominus, *scandalizat te, erue eum, et projice abs te* (*Matth.* XVIII). Hoc de oculo humanæ rationis non inconvenienter intelligitur, qui pietati fidei sæpe scandalum est, sed, cum scandalizat, eruendus est. Melius est enim unum oculum sanæ fidei habentem ingredi ad vitam, quam duos oculos habentem, alterum fidei, alterum humanæ rationis, mitti in gehennam. Quasi duos nempe oculos habet, qui humana sapientia ducitur et fidem ex ea tantum parte recipit, ubi humanis rationibus consentanea esse videtur. Fides autem nostra majus testimonium habet, quam ab humana ratione. Subnixa est divina auctoritate, quæ quidem summa ratio est, omnem humanam rationem incomparabiliter superans. Nec certius habendum est, quod humana ratio cordi suggerit, quam quod spiritus Dei, qui suggerit omnem veritatem, et occulta inspiratione submittit. Revelat enim aurem cordis, lenique susurrio simplicitatem pietatis, et mysterium fidei loquitur, et cum simplicibus sermocinatio ejus. Et qui est ex Deo, verba Dei audit. Non caro et sanguis, non carnalis sapientia, et animalis sensus, revelavit Petro mysterium fidei, sed Pater cœlestis, qui est in cœlis. Subnixa est ergo fides nostra veritate, principium habens ab ipso veraci Deo, cui dictum est : *Principium verborum tuorum veritas* (*Psal.* CXVIII). Non enim fallit Deus, quia summa veritas est; non fallitur, quia summa sapientia est; non infirmatur, quia summa virtus est. Quidquid dixerit vel prædixerit, hoc et fiet. Cui tam promptum est facere, quam dicere, ut fiat. Sicut tractavit, sic erit; omne consilium ejus stabit. Et si ipse decreverit, quis poterit infirmare? Subnixa ergo debet esse fides nostra certitudine : non enim conjecturis errat, non ambigit, quasi de re dubia; non hæsitat, quasi de re incerta; non titubat, non vacillat, non fluctuat, : sed stat supra firmam petram; supra fundamentum, quod nemo revocare potest, quod est Christus Jesus. Si fides est scientia salutis, cur non credatur habere certitudinem? *Scio*, inquit Job, *quod Redemptor meus vivit* (*Job* XIX). *Scio*, inquit Martha, *quia quæcunque poposceris a Deo, dabit tibi Deus* (*Joan.* XI). Et de fratre loquens, *Scio*, inquit, *quia resurget in novissimo die* (*ibid.*). *Scio*, inquit Apostolus, *cui credidi, et certus sum* (*II Tim.* II). Idem de Abraham loquens, ait : *Non hæsitavit diffidentia, sed fide confortatus est, dans gloriam Deo, sciens quod quæcunque promisit Deus, potens est et facere* (*Rom.* IV). Ergone conscientia fidei certitudinem non habet? Quis hoc dixerit, nisi qui non credit, vel qui tepide credit? Fides autem cum subnixa sit summa auctoritate, veritate, certitudine; auctoritate excludit fictionem, veritate errorem, certitudine dubitationem. Qui autem impie dubitat, proximus est infideli. A dubitatione enim cœpisse videtur peccatum infidelitatis, et crimen apostasiæ in homine. Cum enim accederet tentator ad mulierem, a quæstione dubitationis bajula sic exorsus est : *Cur præcepit vobis Deus ne comederetis?* etc. (*Genes.* III.) Ut quæstio animum mulieris pulsavit, quasi afflata sibilo, et inflata veneno serpentis, tumuit, et hæsit; et mox ad dubitationem cor inclinavit, dicens : *Ne forte moriamur* (*ibid.*). Dubitationem mente conceptam verbo dubitationis expressit, et sermonem, quem Deus dixerat, in dubium revocavit, et in corde mulieris quasi causa quædam actitata est. Superba ratio mulieris, quasi judex sedebat pro tribunali, vel in cathedra pestilentiæ. Sermo quem dixerat Deus quasi reus adducitur in medium, accusator accedit, sermonem reum mendacii defert, dicens : *Nequaquam moriemini* (*ibid.*). Perinde est, ac si diceret : Falsus est sermo com-

minatorius, quo Deus mortem interminatus est. A Tunc mulier quasi adhuc dubia nondum omnino impulsa ut caderet, sed nutabunda, similisque parieti inclinato, et maceriæ depulsæ (*Psal.* LXI), adhuc inter comminationem Dei et suggestionem diaboli quid crederet, nescia: interim respexit lignum, de quo agebatur; viditque quod bonum esset ad vescendum, pulchrum oculis, et aspectu delectabile (*Gen.* III). Blandiente aspectu ligni, valuit hoc totum quasi ad testimonium, pro parte, accusatoris. Nullum enim signum mortis apparuit in ligno, unde putaretur accusator falsum dixisse, vel Deus non falsum dixisse. Accessit ad hoc quod mulier naturaliter vitam amabat, quem serpens repromittebat; et mortem æque non amabat, quam Deus intentabat. Usum quoque vitæ experta, et mortis inexperta, magis sequebatur, quo eam trahebant amor B et experientia; et sic tandem victa extendit ad iniquitatem manum suam. Sic seducta est, et primum ad dubitationem, et a dubitatione ad infidelitatem perducta, ut falsum crederet, quod Deus prædixerat, sic persuasa est, ut a concupiscentia incipiens, et ad consensum perveniens, præsumeret, quod Deus interdixerat.

Interea superba ratio pro tribunali sedens, mulierem a metu mortis absolvit; nec Deum in sermonibus justificavit, sed superbo judicio falsi condemnavit: et sic mulier honorem fidei, quem verbis Dei exhibere debuit, ad gloriam tentatoris transtulit, illi credens, Deoque non credens. Superba voluntas C superbæ rationi assidebat: quæ honorem obedientiæ Deo subtraxit, et per inobedientiam tentatori se sponte subdidit. Corrupta est itaque in muliere ratio per superbiam; quia de fide sermonis Dei dubitavit. Nam nefas est de verbis Dei dubitare, et impium est sermonibus ejus non acquiescere. Homo enim per judicium rationis et libertatem voluntatis ad imaginem et similitudinem Dei conditus, naturali æquitate in iis debet subditus esse Deo, ut semper velit illi subesse, a quo cœpit esse; humilians rationem ante eum, ut credat omnibus verbis ejus; sic voluntatem, ut obediat omnibus præceptis ejus. Pietas siquidem fidei rationem humiliat in homine, obedientia voluntatem. Superbia humanæ rationis, quæ pietatem detrectat, et sub fide humiliari nescit, D cæcitas cordis est damnabilis, Deo odibilis, dum non acquiescit credere, quod non sufficit comprehendere. Cum Dominus illuminasset cæcum natum, non credentes Pharisæi magis excæcati sunt, et obscurati sunt oculi eorum ne viderent. At Dominus novitatem miraculi tanti contra eos intentans, dixit: *Ego in judicium veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, et videntes cæci fiant* (*Joan.* IX). Ut qui non vident per superbiam, videant per humilitatis gratiam; et qui vident per superbiam, non videant per substractam gratiam. Sed in sequentibus addit: *Si cæci essetis, peccatum non haberetis; sed quia dicitis quia videmus, peccatum vestrum manet* (*ibid.*). Bona cæcitas est, in seipso magna non videre, et quæ scire non licet, pie ignorare. Propterea in cœlestibus mysteriis et divinis sacramentis omnis impia dubitatio a corde nostro procul pellenda est; omnis curiosa inquisitio compescenda est, ut fides, quæ habet veritatis conscientiam, habet etiam piam ignorantiam. Incomprehensibilis enim est Dei sapientia: intra angustias humanæ rationis coarctari non potest. In hoc ergo sacramento tota humana ratio sub pietate fidei humilianda est. Ita enim oportuit, et ordo nostræ reparationis hoc exigebat, ut imago Dei, quæ per superbiam rationis deformata est, in ipso sacramento redemptionis nostræ per humilitatem rationis debeat reformari. Homo itaque rationem suam totam Deo humilians, de hoc sacramento id credat, quod Dominus instituit credendum, dicens: *Hoc est corpus meum* (*Matth.* XXVI). Credat hoc firmiter, credat indubitanter, confiteatur fideliter. Si videtur impossibile juxta humanam rationem, si incredibile secundum humanam sapientiam, semper verum et certum maneat in conscientia fidei, propter divini sermonis reverentiam. Credat homo magis Deo quam sibi; credat se Deo, ne Deus non se credat illi. Credat spiritum suum Deo, ut sit creditus cum Deo spiritus ejus (*Psal.* LXXVII). Credat rationem suam Deo, et abneget semetipsum, et sicut audit a Deo, ita judicet, illum sequens, qui dicit: *Ego sicut audio, judico* (*Joan.* V). Christus itaque exemplum geminæ utilitatis in se nobis exhibuit, in humilitate judicii et humilitate voluntatis. De humilitate judicii scriptum est: *Ego sicut audio judico*. Et per prophetam dicit: *In humilitate judicium ejus sublatum est* (*Isa.* LIII). De humilitate voluntatis dicit: *Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me* (*Joan.* VI). Christus a se non est, nec a se operatur, sed a Patre, sicut dicit: *Ego a me non possum facere quidquam* (*Joan.* V). Sicut Filius a Patre est, ita a Patre habet judicare et velle operari; in his tamen Patris æqualis. Discat hinc homo, qui a se non est, sed a Deo factus est, nil a se judicare, sed a Deo; nil a se velle, nil a se operari, in iis maxime quæ ad salutem operantur, vel cooperantur.

Sacrificium hoc, de quo nunc agitur, non solum sacramentum est ad sanctificationem, sed exemplum in se continet ad imitationem. Sacramentum per mysterium fidei, exemplum ad formam vivendi. Sacramentum ad humilitatem voluntatis. Illis quidem prodest sacramentum, qui imitantur exemplum. Qui non imitantur exemplum, nec illis prodest sacramentum. Forma autem vivendi non solum hoc sacrificio præscripta est; sed in figura hujus sacrificii dudum præmonstrata fuit. In lege enim Moysi decima die septimi mensis solemnis hostia jubetur offerri, cujus caro crematur extra castra, et sanguis infertur in Sancta (*Levit.* XVI). Nam ut Apostolus ait: *Quorum animalium sanguis infertur in sancta, horum corpora cremantur extra castra* (*Hebr.* XIII). Dies autem afflictionis dies est propitiationis de peccato. Quomodo dies afflictionis dies

propitiationis est? Nunquid afflictio propitiatio est? Aut quomodo afflictio propitiatio non est, si omnis anima, quæ non afflicta fuerit die illa, peritura est? Melius est utique, hac die affligi, quam perire de populo suo. *Quorum animalium sanguis infertur in sancta, horum corpora cremantur extra castra*. Qui enim noluerint hic per disciplinam affligi, horum animæ non poterunt in cœlum recipi. Tunc quippe sanguis in sancta infertur, cum anima in cœlum suscipitur. Animam vero per sanguinem significari, frequens est in sancta Scriptura; et rationem hujus significationis ipsa Scriptura non reticet, dicens: *Anima omnis carnis in sanguine est* (*Levit.* XVII). Hinc Dominus ad speculatorem domus Israel, qui iniquo iniquitatem suam non annuntiat, per sanguinem animam significans, dicit: *Sanguinem ejus de manu tua requiram* (*Ezech.* III). A necessitate Christianæ disciplinæ nemo excipitur, nemo excusatur; nulla conditio, nullus sexus, nulla provectior ætas, nullus ordo, nulla dignitas, nulla potestas. Omnis enim anima peribit, quæ non affligitur die hac. Consonat huic quod in psalmo scriptum est: *Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, et pereatis de via justa* (*Psal.* II). Periturus certe est qui disciplinam non apprehendit. Hinc Apostolus ait: *Si extra disciplinam estis, ergo adulteri estis* (*Hebr.* XI); non Christi estis, sed diaboli, qui adulter est, et sponsus non est. Per disciplinam autem compatimur Christo, sicut per pœnitentiam compatimur proximo. Compassio autem misericordiæ semper benevola est, etsi per inopiam rei familiaris non semper benefica; ideoque in sola voluntate nonnunquam consistit. Nam ab operibus misericordiæ excusatur, cui facultas non suppetit. At compassio disciplinæ non nuda voluntate æstimanda est; sed reipsa et afflictionis experientia a professoribus Christiani nominis pro Christo suscipienda est. Nam quia in multis offendimus omnes (*Jac.* III), sicut nemo immunis est a culpa, ita nemo potest liber esse a pœna; sed omnis qui offendit per culpam, debet pœnam. At qui pœnam debet, et non solvit, quasi qui dolos versat, debitum inficiatur.

Et, sicut in civilibus judiciis, ut cognitores litium diffiniunt, lis quandoque per inficiationem crescit in duplum, ita et in divinis judiciis fit, nisi quod ii qui a Deo judicandi, non in duplum judicandi sunt, sed pœnas dabunt in interitu æternas, a facie Domini, et a gloria majestatis ejus. Dissimulatio autem pœnitentiæ, quasi quædam inficiatio est pœnæ. Deus quidem peccata hominis dissimulat propter pœnitentiam, sed homo pœnitentiam dissimulat. Ex altera dissimulatione simultas nascitur, et processu temporis perpetuæ inimicitiæ sub pallio latentis odii inchoantur, et ita perseverant. Debitores sumus Christo, qui commune negotium omnium gerens, solvit pro nobis, sicut ipse dicit: *Quæ non rapui, tunc exsolvebam* (*Psal.* LXVIII). Qualia solverit pro nobis, talia exigit a nobis; et quis poterit ea extorquere? Quædam magna summa passionum Deo debebatur pro liberatione generis humani. Et ut ait Beatus Augustinus, singuli debemus conferre ad hanc summam, donec collatione facta compleatur, Deoque solvatur. Possessores agrorum vel prædiorum inferre solent in rempublicam vel fiscum certam pensionem, singuli pro quantitate possessionis suæ. Ita et nos inferre debemus quasi in quamdam rempublicam debitum canonem passionum, unusquisque majorem vel minorem, pro modo virium suarum, et pro congruentia ætatis, dignitatis et ordinis. Quid enim justius, quam ut homo patiatur pro Christo, pro quo passus est Christus? Hinc Apostolus ait: *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea* (*Coloss.* I). *Debitores ergo sumus, non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini* (*Rom.* VIII). Ecce intentata est sententia mortis in eos qui secundum carnem vivunt, sed nondum lata, adhuc per pœnitentiam et disciplinam declinari potest. At cum fuerit lata, non per appellationem poterit suspendi occulta arte, vel tergiversatione vitari poterit, vel eludi. Christo autem pro nobis passo, non solum timori, sed et pudori nobis esse debet, si delicate vivamus, curam carnis in desideriis perficiamus. Nam si Dominus, et talis Dominus, in cruce pendeat, et pro servo pendeat, at servus malus plagisque dignus in deliciis agat, nonne confusione dignum est, nonne ridiculum est? Si Christus in cruce dicit: *Sitio* (*Joan.* XIX), et corda nostra gravantur quotidie crapula et ebrietate, nonne turpe est, nonne probrosum est? Ut vulgo dici solet, non ex æquo partitus est ludus iste. Passio certe Christi nec ludus est, nec ludo similis. At nos vitam nostram ludo similem æstimamus, et artem quamdam ad ludendum compositam. Adhuc in mundo versamur, quasi in campo certaminis, ubi Christus Dominus noster occisus est. Quisquis ex hoc campo exierit, non habens in se nec plagam, nec tumorem, inglorius reputabitur. Et nos quidem livore ipsius sanati sumus (*Isa.* LIII). Domino pro nobis in acie occiso, si illæsi evadimus, si sani et integri corpore, nonne rei proditionis judicamur, reique mortis Christi? Rei mortis Christi fuerunt, et auctores mortis, et qui morti consenserunt et ministri qui crucifixerunt. Reus quoque mortis Christi quodammodo est, qui virtutem mortis ejus in se, male vivendo, evacuat.

Quamvis enim non egerit, ut mortuus sit, id tamen agit, ut quoad ipsum gratis mortuus sit. Mors enim Christi illi salutem non operatur, nec crux Salvatoris illi proficit, qui crucem non bajulans, se ipsum perdit. Si crux Christi, quæ nobis portanda imponitur, voluptati adversatur, et voluptas cruci, quomodo excusari poterunt voluptatis amatores, ut non judicentur crucis persecutores? De qualibus Apostolus dicit: *Inimicos crucis Christi, quorum finis interitus est; quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt* (*Philipp.* III). Qui, ut dictum est, rei mortis Christi sunt, non si-

cut auctores, vel fautores, vel ministri mortis Christi; sed, sicut mortis contemptores, qui sacramentum dispensationis in se evacuant, consilium Altissimi irritantes; qui cœlesti benedictione et ineffabili gratia indignos se faciunt, qui in deliciis agentes, mysterium crucis irrident; qui Filium Dei conculcant, et sanguinem testamenti pollutum ducunt, in quo sanctificati sunt, et Spiritui gratiæ contumeliam faciunt. Vita carnalis Dei injuria est, crucis exprobratio, et in totius Trinitatis contumeliam redundat. Injuria est Patris, quod Filius conculcatur; injuria Filii, quod sanguis ejus quasi polluitur; injuria Spiritus sancti, quod gratia contemnitur. Vos, o sacerdotes Domini, attendite a voluptatibus carnis, a vana sæculi conversatione. Honorificate ministerium vestrum, qui lucetis sicut luminaria in B medio mundi. Sectamini justitiam, *apprehendite disciplinam* (*Psal.* II) : *empti enim estis pretio magno; glorificate et portate Deum in corpore vestro* (*I Cor.* VI), circumferentes mortificationem Jesu. In omnibus exhibete vos, sicut Dei ministros, portantes stigmata Jesu in corpore vestro, et characterem militiæ ejus, in abstinentia et continentia, in castitate et sobrietate, in patientia et humilitate, et in omni sanctimonia et sanctificatione (*II Cor.* VI), ut omnes qui vos viderint, cognoscant cujus sitis, et compleatur sermo propheticus in vobis : *Vos sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri* (*Isa.* LXI). Et iterum : *Omnes qui viderint eos, cognoscent illos; quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus* (*ibid.*). C Benedicite, sacerdotes Domini, Domino (*Dan.* III); benedicite illi, qui benedixit vobis omni benedictione spirituali in cœlestibus, qui benedixit domui Aaron. Sanctificetur Deus in vobis, ut in vobis talis appareat, qualis est, sanctus et impollutus, et incontaminatus (*Hebr.* VII). Non blasphemetur nomen ejus propter vos; non vituperetur ministerium vestrum propter vos. Talis sit conversatio vestra in medio nationis pravæ et perversæ, ut qui vos viderint, dicant : Vere isti sunt sacerdotes Domini, vere isti sunt ministri Dei nostri, vere isti sunt discipuli Jesu Christi, apostolorum vicarii; vere isti sunt semen, cui benedixit Dominus. Attendite dignitatem sacerdotii, quod vobis contraditum est conficiendum, dispensandum. Manus vestræ, quibus tam venerabile D sacrificium tractare datur, mundæ sint ab omni inquinamento sordidorum munerum, ne pars vestra sit cum iis, *in quorum manibus iniquitates, dextera eorum repleta est muneribus* (*Psal.* XXV). Lotis manibus accedentes ad altare, accedite cum eo, qui ait : *Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine* (*ibid.*). Os vestrum mundum conservetur, ad gustandum quam suavis est Dominus (*Psal.* XXXIII); ad percipiendam eucharistiam, panem scilicet vivum qui de cœlo descendit (*Joan.* VI). Non decet os sacerdotis perjurio pollui, non

A falso testimonio, non mendacio, non turpiloquio aut vaniloquio, non verbis scurrilibus, ad rem non pertinentibus fœdari, non opprobriis et detractionibus super inimicos dilatari. In ore sacerdotis sint gratiarum actiones, et vox laudis, orationes, postulationes et obsecrationes. Omnis sermo malus ex eo non procedat, sed sermo bonus, qui gratiam ædificationis præstet auditoribus, et fiat quod Dominus loquitur, dicens : *Laude mea infrenabo te, ne intereas* (*Isa.* XLVIII). Hinc quidam laude infrenatus, dicit : *Benedicam Dominum in omni tempore; semper laus ejus in ore meo* (*Psal.* XXXIII). Laude Dei infrenandum est os, ne per effrenatam loquendi licentiam ad inhonesta et turpia relaxetur. Immundum et commune non debet esse os, quod sacro convivio contingi debet. Fratres dilectissimi, firmissime teneamus et indubitanter credamus quod de hac sacra communione, ipsius Dei et sanctorum Patrum auctoritas nobis credendum præscribit. In hoc sacramento continetur virtus reparationis nostræ, pretium redemptionis nostræ; veritas occulta ad exercitium fidei nostræ, disciplina Christi repræsentatur ad exemplum vitæ nostræ. Unde cum hoc sacrificium Dominus institueret, et discipulis traderet, dixit : *Hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* XXII). Facite quod facio, offerte quod offero; sic vivite, ut ego doceo. Vivendi et moriendi formam hinc accipite, quam meo exemplo vobis trado. Efficit hoc sacramentum nobis, ut vivat Christus in nobis, et nos in ipso. Efficit in nobis ut, sicut mortuus est Christus pro nobis, ita et nos moriamur pro Christo. Quicunque autem moriuntur in Christo, aut pro Christo, cum pietate dormitionem, et optimam habent repositam gratiam (*II Machab.* XII). Gloria resurrectionis illius repromittitur et reservatur, cujus reparatio salutaris est hujus sacramenti digna perceptio, cujus virtute *reformabit Deus corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ* (*Philipp.* III). Quid dignum retribuemus Domino, pro tanta gratia nobis collata? Pro tanto honore quid recompensabimus ei? An ipse nos diligat, frustra quæritur, qui in signum inæstimabilis dilectionis, in se nobis præbet panem vitæ æternæ, et calicem salutis perpetuæ. Justum est itaque, ut inquantum permittit humana infirmitas, digne et reverenter accipiamus tam præclarum donum Dei, tam eximium beneficium, ut custodiamus illud, sicut pupillam oculi; imo plusquam pupillam oculi, sicut vitam nostram, sicut spem et rem resurrectionis et gloriæ nostræ. Quidquid per negligentiam, contra reverentiam tanti sacramenti hactenus peccavimus, exactiore et propensiore diligentia in posterum emendemus; et damna prioris temporis, et anteactæ vitæ, honestiore proposito, et maturiore consilio compensemus, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.

TRACTATUS SECUNDUS,

DE CORRUPTIS MORIBUS CLERI ET POPULI.

Ecce quam periculosa sunt tempora nostra, quam corrupti et abominabiles facti filii hominum in studiis suis. Repleta est terra iniquitate : et, sicut in diebus Noe *omnis caro corruperat viam suam* (*Gen.* VI), ita et nunc. Et tunc antequam venirent aquæ diluvii super terram, in reprobis moribus hominum spiritnale diluvium præcessit, et figurabatur in hominum culpa, qualis futura erat judicii pœna. Inundaverunt enim torrentes iniquitatis ; et qui erant in diluvio aquarum multarum ad Deum non approximabant : propterea *abyssi operuerunt eos, et descenderunt in profundum quasi lapis* (*Exod.* XV). Et dum abyssus peccatorum invocaret abyssum judiciorum Dei, et clamor introivit in aures Domini Dei Sabaoth, *rupti sunt fontes abyssi magnæ, et cataractæ cœli apertæ sunt* (*Gen.* VII), et delevit Dominus carnem de superficie terræ, posuitque arcum fœderis in nubibus, ut non ultra timeat sibi homo ab aquis diluvii, timeat tamen : arcum enim suum tetendit Deus, et paravit illum, dans metuentibus se signum, ut fugiant a facie arcus (*Psal.* LIX). In recordatione transacti judicii, futuri terror immittitur, et cum ipso arcu, quem Deus in nubibus posuit, in variis coloribus apparet signum terroris ; judicium aquæ et judicium ignis. A judicio aquæ nos absolvit ; sed *terribilis est exspectatio judicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios* (*Hebr.* X). Ecce jam nunc in moribus hominum futuri judicii figura præcessit. Ignis enim cupiditatis et libidinis et malignitatis accensus in medio populorum, et late depopulatur habitatores terræ, quasi jam vicina sit mundi conflagratio. Quæ, cum venerit, configurabitur pœna culpæ. Qualis enim nunc est culpa, talis erit et pœna. Vita enim malorum ignis est ; et pœna malorum ignis erit. Vita quoque justorum ignis est, et sic ignis erit gloria eorum. Ardent nunc justi igne divini amoris : quem Dominus ignem venit mittere in terram, sed et quam vult ut ardeat ! (*Luc.* XII). Ignis enim est in Sion, et caminus ignis erit in Jerusalem (*Isa.* XXXI). Ardebunt justi in futuro, sed sicut seraphim ardebunt et fulgebunt sicut sol in conspectu Domini, et lucebunt in splendoribus sanctorum. Hæc erit gloria eorum, qui sicut lucernæ lucentes et ardentes per charitatem, sibi intus ardent, et ad exemplum aliis foris lucent. Mali quoque in futuro ardebunt, sed dissimiliter : de quibus Propheta ad Dominum loquitur : *Pone eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui* (*Psal.* XX). Ardent jam nunc, de quibus dicitur : *Omnes adulterantes, quasi clibanus corda eorum* (*Ose.* VII). Et de malis per Psalmistam dicitur : *Supercecidit ignis, et non viderunt solem* (*Psal.* LVII). Ignis nempe quo ardent, non illuminat, sed excæcat, in tantum ut solem videre non permittat. Unde et ipsi in novissimis præ angustia spiritus intra semet gementes, dicturi sunt : *Lumen justitiæ non illuxit nobis ; et sol intelligentiæ non ortus est nobis* (*Sap.* V). Signa quoque, quæ diem judicii præventura sunt, præsentibus moribus nostris configurabuntur ; et qualia visibiliter futura sunt, talia spiritualiter in nobis jam apparent. Scriptum est : *Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem ; antequam veniat dies Domini magnus et terribilis* (*Joel.* II). Quod in firmamento sunt sol et luna, hoc in Ecclesia Dei sunt ordo rectorum et vita subditorum ; ecclesiastica quoque auctoritas, et sæcularis potestas. Luna sole inferior est, et a se non lucet, sed a sole. Sic et vita subditorum inferior est, quam vita prælatorum, per quos accendi debent et illuminari. Ad eos quippe dictum est : *Vos estis lux mundi* (*Matth.* V). In iis autem rectoribus, qui ignorant et errant, qui cæci sunt, et duces cæcorum, sol convertitur in tenebras ; ideoque in vita subditorum luna convertitur in sanguinem ; in sanguinem videlicet corruptionis et crudelitatis. Ecce enim refrigescit charitas multorum, et abundat iniquitas. Ascendit sanguis de lacu usque ad frenos equorum (*Apoc.* XIV), usque ad rectores populorum, et sanguis sanguinem tetigit (*Ose.* IV). Non inveniunt laici in nobis quod debeant imitari ; inveniunt quod volunt persequi. Persequuntur nos calumniis, persequuntur injuriis, persequuntur nos damnis, declarationibus, opprobriis ; tandem persequuntur et gladiis. Nuper enim furor persequentium in capite nos vulneravit ; qui Christi Domini beatissimum Thomam præsulem nostrum, ob insignem ecclesiasticæ libertatis defensionem usque ad mortem persecuti sunt. Et si verum est, quod causa rei fama sparsit, et multorum conscientia metuit, vita nostra indisciplinata tanti mali seminarium fuit, tantique odii fomitem ministravit. Non enim existimavit nos homo, sicut ministros Dei, et dispensatores mysteriorum Dei, sed judicium Dei portabit, quicunque est ille. Indigni forte videbamur antiquis privilegiis, quæ per indulgentiam Romanorum pontificum, et antiquorum regum nobilium pro pace et libertate clericorum indulta sunt. Adsit reverentia vero, nos certe indigni eramus, secundum vitæ meritum omnino indigni eramus. Verumtamen in quocunque sacerdote sanctum est semper sacerdotale ministerium, et honorabile sacerdotii sacramentum.

Veniat nunc nobis in mentem illius temporis, quo Doeg Idumæus gladio percussit octoginta quinque sacerdotes vestitos ephod (*I Reg.* XXII). Rememoramini pristinos dies, et sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, qui occisus est inter templum et altare

(*Matth.* XXIII). Habent et nostra tempora sacrilegæ crudelitatis nonnulla insignia; sed multorum scelerum magnitudo unius operis comparatione absolvitur. Novit Deus, quanta malignatus est inimicus in sancto. Omnis nequitia nostri temporis, etsi multa nunc abundet, ab uno facto justificata est. Unum quidem factum est; sed in uno facto multa sunt crimina. Artificiosa enim malignitas, et in summi exitium ingeniosa, ut perfectæ nequitiæ nihil deesset, totum negotium iniquitatis in extrema malitia consummavit. Si autem inordinata et indisciplinata conversatio nostra huic tanto malo occasionem præstitisse probabili opinione putanda est, quid consilii superest, nisi ut clamemus ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri? Miserator est enim, et multum misericors. Quid salubrius, quidve honestius, nisi ut vitam nostram ad ordinem revocemus et disciplinam, et in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, ut qui nos persequuntur, et detrectant de nobis, tanquam de malefactoribus, videntes bonam conversationem nostram, ædificentur et ipsi ex nostro exemplo ad pœnitentiam? Si enim ipsum lumen tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? (*Matth.* VI.) Si nos ad hoc constituti in Ecclesia Dei, ut vita nostra aliis luceat in operibus bonis, adhuc in tenebrarum operibus ambulamus: quid mirum, si subditi nostri nescientes et non intelligentes in tenebris ambulant, cæci, et nostro exemplo magis excæcati? Nonne sanguis eorum de manibus nostris requiretur? Nonne beatissimus ille martyr, qui pro nobis animam suam posuit, deponet contra nos querimoniam? Nonne vox sanguinis ejus de terra clamabit contra nos; et ante tribunal districti judicis rei erimus omnes nos? Nonne pro culpa nostra mortuus est? Nonne per culpam nostram mortuus est? Quæ si causam mortis non dedit, at occasionem præstitit. Si peccare perseveremus, sicut existimare licet, non erit hic amplius patronus ad justitiam, sed accusator vel testis ad vindictam, non intercessor ad veniam. In malis quæ justo judicio Dei patimur non est cui jure succenseamus, nisi nobismetipsis. Ipsi graviora meruimus, et nondum meritis nostris condigna sustinemus. Nobis merito imputandum est, et in periculum nostrum redundat, quod sæcularis potestas ecclesiastica judicia sibi vindicat, quod ecclesiastica auctoritate non regitur: quod consilio Ecclesiæ non utitur vel nititur, sed renititur: quod gladius A Petri obtunditur, quod claves Petri non reputantur; quod sacramenta Ecclesiæ contemnuntur, quod sanctum et terribile nomen Dei sub perjurii contemptu in vanum assumitur, quod sacrosanctis Ecclesiis debita reverentia non defertur, quod ecclesiasticis personis debitus honor non exhibetur, quod sanctæ religionis honorabile nomen in contemptum adducitur. Hæc omnia, et in id genus plurima a nobis requirenda sunt, quia nostris peccatis imputanda sunt. Viæ enim nostræ et iniquitates nostræ fecerunt hæc nobis. Potens est autem Deus de manibus persequentium sponsam suam quam sibi zelat, cum voluerit, liberare. Ad modicum iratus est, ipsi vero adjuvimus in malum. Hoc agere videtur illa potestas, ut Ecclesiam habeat subjectam, ne sit et ipsa sub- B jecta. Sed quid dicit Scriptura? *Et erit*, inquit, *sicut somnium visionis nocturnæ multitudo gentium dimicantium contra Ariel* (*Isa.* XXIX). Stupor et mirabilia facta sunt hodie super terram. Perverso enim ordine rerum luna supra solem exaltata est, et non stat in ordine suo. Sed quid dicit Scriptura? *Elevatus est sol, et luna stetit in ordine suo.* Elevetur sol, et revocetur in locum suum, redeat vita sacerdotum ad ordinem suum: sit ordinata, sit disciplinata; et tunc stabit luna in ordine suo. Et tunc erit vita subditorum ordinata et disciplinata; suisque finibus contenta. Quid magis decet ordinatos quam ordinate vivere? Quanta enim abusio est, et rerum et nominum; si qui ordinati dicuntur, inordinati inveniantur? Cum dicat propheta, luna sta- C bit in ordine suo, significat lunam, quæ sole inferior est, ordinem habere. Nam et in vita subditorum ordo disciplinæ requiritur, quanto magis in vita rectorum? Ad hos quippe pertinet omnia ordinate agere, et aliorum mores suo judicio ordinare. Thronus enim Dei sunt, in quibus Deus sedet, et judicia sua discernit: de quo throno Pater loquens de Filio, ait. *Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo* (*Psal.* LXXXVIII). Et additur: *Et sicut luna perfecta in æternum* (*ibid.*). Hoc ordine consummabit Deus gloriam justorum. Thronus Dei in prælatis et perfectis erit sicut sol, luna longe splendidior, longe superior: et luna in subditis minusque nunc perfectis, tunc erit in æternum, sed perfecta in ordine D suo. Ad quam gloriam nos perducat, unumquemque in ordine suo, Deus, qui est super omnia benedictus in sæcula. Amen.

TRACTATUS TERTIUS,

DE DILECTIONE DEI.

In illud: *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis*, etc. (*Matth.* XXII.)

Movere nos potest, et non immerito movere debet quid sibi velit hæc verborum exaggeratio, hæc inculcatio tam diligens, tam exquisita, tam exacta, tam propensa, et in uno mandato. Unum est enim mandatum, et non plura. De quo scriptum est: *Hoc est primum, et maximum mandatum* (*Matth.* XXII). Cum dictum sit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, quasi hoc parum sit, additur, *et ex*

debet. Nam quantumcunque profecerit, plus debet. Vehemens itaque desiderium aliquo modo non habet modum, cum non possit esse nimium. Cum in cæteris rebus impatientia soleat culpari, in exspectatione tantæ promissionis laudabilis est vehemens impatientia dilationis. Eum enim qui plus amat et qui plus desiderat, dilationis impatientia magis cruciat. Spes enim quæ differtur, affligit animam. Hinc sponsa desiderium suum meritis et precibus sanctarum animarum, et cœlestium virtutum Deo commendari desiderans, dicit : *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum, ut annuntietis ei, quia amore langueo* (*Cant.* v). Psalmista quoque, quasi patienter non ferens dilationem, ait : *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum; quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* (*Psal.* XLI.) Paulus quoque simili desiderio quasi impatienter æstuans, ait : *Coarctor e duobus; desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, multo est melius : permanere autem in carne, necessarium propter vos* (*Philipp.* I). Verumtamen hic ipse Paulus, qui nunc ita impatiens est, ut malit mori quam dilatione suspendi, alio in loco dicit : *Per patientiam exspectamus* (*Rom.* VIII). Unde ostenditur sancti et vehementis desiderii miro modo patiens impatientia, quia justi in exspectatione longanimes cruciantur, et non murmurant; et dum tormentum tolerant infatigabiles, spem inconcussam servant, quælibet adversa fortiter tolerant. Hæc affectio sancti desiderii significari potest nomine animæ, cum dicitur : *Diliges ex tota anima tua* (*Deut.* VI). Nec immerito. Anima enim spiritus est, et Spiritu sancto afflata semper desiderat et suspirat, donec in illo respiret, ad quod spirat. Unde in desideriis sanctorum exprimendis animæ mentio sæpissime fieri solet. Hinc Propheta dicit : *Sitivit in te anima mea* (*Psal.* LXII). Et iterum dicit : *Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini* (*Psal.* LXXXIII). Et alius propheta dicit : *Nomen tuum Domine, et memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desiderabit te in nocte, sed et spiritus meus in præcordiis meis* (*Isa.* XXVI).

Quod ex omnibus viribus diligendus est Deus in judiciis suis.

In judiciis suis diligendus est tibi Deus ex omni virtute tua. De judiciis Dei judicium est difficile : *Judicia enim Dei abyssus multa* (*Psal.* XXXV). Verumtamen constat, aliud esse judicium, de quo Propheta dicit ad Dominum : *Aspice in me, et miserere mei, secundum judicium diligentium nomen tuum* (*Psal.* CXVIII); et aliud esse illud judicium, de quo idem Propheta dicit : *Non intres in judicium cum servo tuo* (*Psal.* CXLII). In illo judicio quo jam damnati sunt, qui in inferno positi sunt, nullus amat Deum; sed nec ibi quisquam amat se ipsum. In præsenti autem vita exercet Deus judicia sua, sive in reprobis, sive in electis, diversis modis. Nam in eis misericordiam et iram suam nunc occultat mirabiliter, nunc manifestat, ut quæ ira est, videatur misericordia; et quæ vere est misericordia, videatur esse ira. Hinc Propheta ait : *Quis sapiens et custodiet hæc; et intelliget misericordias Domini?* (*Psal.* CVI.) Et de ira ad Deum ait : *Quis novit potestatem iræ tuæ?* (*Psal.* LXXXVIII.) Deus enim occulto judicio quosdam malos suæ voluntati permittit, et dimittit eos secundum desideria cordis eorum, ut eant in adinventionibus suis. Inimicos suos exaltat et honorificat, et quotidie bona eorum bonis cumulat; nec eos cum hominibus flagellat. Hoc agens, apponit iniquitatem super iniquitatem eorum, ut qui in sordibus sunt, sordescant adhuc, donec compleatur iniquitas eorum. In hoc autem judicio abscondit Deus iram suam, quasi sub specie misericordiæ, iis qui misericordiam ejus in judicium convertunt; ut prosperitas eorum fiat perditio eorum ; ut in iis justissime pereant, pro quibus Deum non amant. Hinc scriptum est : *Prosperitas stultorum perdet illos* (*Prov.* I). Stulti autem in perditione sua lætantur; ignorantes quid cogitet super illos terribilis in consiliis super filios hominum, non intelligentes profundas Dei cogitationes, de quibus scriptum est : *Quam magnificata sunt opera tua, Domine, nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Vir insipiens non cognoscet ; stultus non intelliget hæc* (*Psal.* XCI). Sed quid super eos cogitet Altissimus, tunc intelligent, cum exorti fuerint peccatores sicut fenum; et apparuerint omnes qui operantur iniquitatem, ut intereant in sæculum sæculi. Hic est enim finis illius occulti judicii, quo Deus iram suam abscondit iis qui in laboribus hominum non sunt, et cum hominibus non flagellantur. Sunt autem alii mali, qui a Deo hic flagellantur ; quos tamen flagella non purgant, quia per impatientiam blasphemant aut murmurant, et castigati reverentiam non exhibent, non recipientes disciplinam. Hi quia in judiciis Dei Deum non amant, per impatientiam judicii judicium sibi aggravant, de suppliciis ad supplicia perducendi. Boni vero cum a Deo flagellantur, alii in flagellis Deum amant ; alii ipsa flagella propter Deum amant. Hi in flagellis, illi de flagellis Deum glorificant et laudant. Illi in tribulatione patientes Deum in judiciis amant; illi in tribulatione gaudentes, judicia Dei quasi quædam beneficia gratanter acceptant, et in eis exsultant. De qualibus scriptum est : *Et exsultent filiæ Judæ propter judicia tua, Domine* (*Psal.* XCVI). Filiæ vero inde rectissime intelliguntur animæ Deo confitentes, quæ in adversis semper Deum glorificant, et sese accusant, dicentes : *Omnia quæ fecisti nobis, Domine, in vero judicio fecisti, quia peccavimus tibi, et mandatis tuis non obedivimus. Sed da gloriam nomini tuo, et fac nobiscum secundum multitudinem misericordiæ tuæ* (*Dan.* III). Sunt alii, qui judicia Dei in tantum amant, ut non exspectata disciplina patris ipsi se judicent et puniant, et de quotidianis peccatis, quibus carere non potest humana infirmitas, quotidie vindictam expetant. De qualibus Apostolus dicit : *Si nosmetipsos dijudicare-*

mus, non utique judicaremur (*I Cor.* XI). Qui autem se ipsum judicat, et quasi reum punit, ipse simul et reus est, et judex, et minister judicis. Justus judex, quia reum persequitur; et quia reus est ipse, juste patitur; et dum se juste persequitur, odit animam suam, et in vitam æternam custodit eam. In judiciis suis probat Deus, et erudit electos suos ad patientiam, et exercet ad passionum tolerantiam, et confortat per spem. *Tribulatio enim patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem. Spes autem non confundit* (*Rom.* V). Propter quod Propheta ad Deum dicit : *In judiciis tuis supersperavi* (*Psal.* CXVIII); significans in judiciis Dei patienter toleratis vel amatis, non qualemcunque spem, sed firmiorem et certiorem, et abundantioris gloriæ fiduciam constitutam esse. Spei autem certitudo et gloriæ magnitudo pondus tribulationis relevant ut æquanimiter tolerari possit, vel etiam amari. Nam ut Apostolus ait : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII). Et iterum dicit : *Id quod in præsenti momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operabitur in nobis* (*II Cor.* IV, 17). Judicia vero Dei quam digna sint amari, novit, qui ait ad Dominum : *Judicia tua jucunda* (*Psal.* CXVIII). Et iterum dicit : *Judicia Domini vera justificata in semetipsa ; desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum ; et dulciora super mel et favum* (*Psal.* XVIII). Quibus verbis ostenditur, omnem jucunditatem in possessione auri et argenti, omnemque dulcedinem vitæ præsentis, quamvis melli favoque similem, minorem esse illa delectatione, qua animæ Deum super omnia desideranti dulcescunt judicia Dei, cui minus est omne quod patitur; quæ omne gaudium existimat, cum in varias inciderit tentationes. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! Magna quidem, nec dici potest, quam magna. Dulcis es enim in judiciis tuis; sed nondum illi, qui dicit : *A judiciis tuis timui.*

Quod tota mente diligendus est Deus in præceptis suis.

Mens est, quod in homine principatur, summum et præcipuum locum tenens. Sicut enim paterfamilias in domo ad arbitrium suum omnia dispensat, ministeria ordinat, ministris imperat, de omnibus judicat, volens in omnibus et ab omnibus sibi serviri, sibique obediri; sic vigor mentis omnes motus et sensus corporis et spiritus ad arbitrium suum regere habet : ordinare, judicare, et sollicite agere, ut in omnibus sibi obediatur. Sed sicut mens omnibus quæ sub ea sunt se novit esse prælatam : ita meminisse debet, necessitate obediendi se Deo fore astrictam Obedientiam sane, quam ab inferiore exigit, suo superiori æquissimo jure impendit. Væ autem homini, qui Deo non obedierit. Pœna enim inobedientiæ erit illi prævalens ipsa mors. Mors autem sicut terribilis est, ita et odibilis; et quoniam inobedientiæ cohæret, ipsa quoque inobedientia æque digna est odio, sicut et ipsa mors. Per peccatum enim inobedientiæ in hunc mundum intravit mors. Quod si inobedientia æque odibilis est ut mors, quia ex ea procedit mors, cur non obedientia æque diligenda est ut vita, quia ex ea procedit vita et in ea perseverat vita? Obedientia enim Deo obsequitur, et voluntati ejus; et vita est in voluntate ejus. Charitas autem Dei et obedientia individuo nexu sese complectuntur, et ab invicem non disjunguntur. Nam quod charitas sine obedientia non sit, Dominus ostendit dicens : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit* (*Joan.* XIV), hoc est præcepta mea custodiet, et in custodiendis illis mihi obediet. Ostendit quoque, obedientiam sine charitate non esse, cum dicit : *Qui non diligit me, sermones meos non servat* (*ibid.*). Si ergo qui diligit, obedit; et qui non diligit, non obedit, consequens est ut nec sit charitas sine obedientia, nec sine charitate sit obedientia. Obedientia per charitatem in mandato Deum respicit, charitas per mandatum obedientiam ad Deum dirigit. Deus per mandatum voluntatem suam exponit; charitas mandatum obedientiæ imponit Qui autem vere Deum diligit, et mandatum ejus diligit. Sicut enim non potest quis Deum diligere, et voluntatem ejus non diligere, sic nec ipsum diligere potest, nisi diligat et mandata ejus, in quibus voluntas ejus manifestatur et cognoscitur. Proinde amori Dei semper conjungitur amor voluntatis ejus, et amor mandatorum ejus; adhuc autem et amor obedientiæ. Nam qui mandatum Dei amat et voluntatem ejus, obedientiam amat. Hoc enim vult Deus, quod mandat fieri; et, cum mandat fieri, voluntas ejus est ut obediatur ei. Propterea qui voluntatem Dei, qua fieri mandat, amat, juberi amat. Sed nemo diligit juberi, nisi diligat et obedire. Si ergo obedientia ad Deum non est sine charitate, id est amore Dei, et si amor Dei non est sine amore voluntatis ejus quam fieri mandat, hoc est non est sine amore mandati, nec amor mandati sine amore obedientiæ, quid consequens est, nisi ut obedientia ad Deum non sit sine amore obedientiæ, nec sine amore divini mandati, cui obedientia debetur?

Videamus adhuc an ita sit, et primum attendamus iis quæ nobis insinuantur ex verbis Psalmistæ de dilectione mandatorum Dei. *Meditabor*, inquit, *in mandatis tuis, quæ dilexi. Et levavi manus meas ad mandata tua quæ dilexi : Et exercebor in justificationibus tuis* (*Psal.* CXVIII). Tribus modis ostendit mandata Dei a se diligi; meditatione, manuum elevatione, id est operatione, nec non et exercitatione. Meditatione diligenda sunt mandata Dei, secundum illud : *Quæ præcepit tibi Dominus, hæc cogita semper* (*Eccli.* III). In meditatione enim dulcescunt mandata Dei, considerantibus quam salutaria sunt, quam honesta, quam fidelia; quomodo *confirmata in sæculum sæculi, facta in veritate et æquitate* (*Psal.* CX). Sed aliis dulcia sunt et suavia in medi-

tatione, sed in actione gravia videntur et amara, quia ipsi pigri sunt ad operandum. Quam pigritiam a se removet, qui dicit : *Et levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi* (*Psal.* CXVIII). Sunt et nonnulli, qui meditatione et actione videntur amare mandata Dei, et in his delectari, sed in exercitatione pusillanimes inveniuntur, minusque constantes : quod a se removet, qui dicit : *Et exercebor in justificationibus tuis* (*ibid.*). Est quædam exercitatio in faciendis mandatis Dei, vel etiam meditandis ; sed hoc loco ea exercitatio intelligitur, quæ renititur contra aliquam difficultatem vel tentationis, vel persecutionis, vel adversitatis, quæ nos a justitia mandatorum Dei retrahere quoquomodo nititur. Amor itaque mandatorum Dei consummatur in amore meditationis, et actionis, et exercitationis. Amor autem obedientiæ ex amore mandatorum procedit ; et qui mandata non amant, nec obedientiam amant. Quid ergo dicemus? Nonne multi sunt, qui mandata servant, qui nollent jubere ; sed magis cuperent mandata aboleri ? Nonne multi sunt, qui non fornicantur, qui non furantur, qui inimicos non persequuntur ; desiderantes Deum non mandasse, hæc non fieri ? Cupiunt quidem multi, Deum super his nihil mandasse ; verumtamen quia mandavit hæc non fieri, abstinent ab his, timentes eum qui mandavit, ne puniat, si ipsi fecerint, quæ prohibuit. Qui ejusmodi sunt, mandata Dei servare, et Deo obedire, nec tamen obedientiam amare videntur. Quod si ita est, non omnes qui obediunt, obedientiam amant ; nec omnes qui mandata Dei custodiunt, ipsa diligunt. Quomodo ergo obedientia individua comes est charitatis ? Et quomodo verum est : *Qui non diligit me, sermones meos non servat ?* (*Joan.* XIV.)

Sed considerandum est quod obedientiam ab obedientia distinguunt intentio et affectio. Secundum intentionem enim est vera obedientia, est et simulata. Vera est, quæ in veritate, hoc est in Deo, spem retributionis constituit. Simulata est, quæ Deo obsequi fingit, et per cupiditatem extra veritatem spem sui laboris ponit. Secundum affectionem est coacta obedientia ; est et voluntaria. Hanc timor extorquet ; illam violentus amor perurget. Si affectio et intentio mistim considerentur, est quædam obedientia coacta et vera, illa scilicet quæ timore Dei exhibetur et in Deum dirigitur : et hujusmodi obedientia in aliquo plus timoris habet, et minus amoris ; in alio plus amoris, minusque timoris. Semper autem de utroque aliquid habet. Sicut enim sine timore nunquam est coacta, sic sine dilectione nunquam est vera. Est quædam obedientia coacta et simulata, quæ solo metu exhibetur, et ad Deum non dirigitur. Est quædam obedientia voluntaria et simulata, ut est hypocritarum. Est quædam obedientia voluntaria et vera, quæ de charitate procedit, et per charitatem ad Deum tendit. Hanc requirit Deus, hanc diligit, hanc suo præcepto et exemplo commendat ; hanc sicut amat, ita et re-

A munerat. Coacta autem obedientia, quæ et vera est, etsi libertatem charitatis non habeat, secundum affectionem timoris, per quem trahitur, quo non vult ; habet tamen aliquid de libertate charitatis per intentionem, qua se dirigit quo vult. Sicut enim nolens sentit affectionem, ita volens dirigit intentionem. Propterea non usquequaque improbanda est hujusmodi obedientia, sed aliquatenus est approbanda. Nam quod metu pœnæ a peccato compescitur, pœnam declinat quam metuit, quia peccatum cui pœna debetur non committit. Quod intentionem ad Deum dirigit, aliquid promeretur a Deo, cui spem suam committit. Dum timore Dei a peccato compescitur, timori Dei reverentiam exhibet, et quodammodo timorem suum Deo consecrat, B et in ipso Deum honorat. Obedientia vero quæ voluntaria est et vera, æquissimo jure Deo exibenda est. Sic enim decet rationalem creaturam suo Creatori subjici, ut velit illa, quæ ille vult, et quia ille vult ; adhuc autem, ut velit illa, etiam illum velle, quæ vult. Dicam apertius : Si volo quod Deus vult, et non quia Deus vult, nondum voluntas mea, quia tantum mea est, in Dei voluntate formatur. Si autem volo quod Deus vult, et quia Deus vult, habet voluntas mea principium a Deo et causam, ut bona sit ; maxime autem, si volo, etiam illum velle, quod vult. Si autem velim, eum non velle, quod vult, quamvis velim quod ille, et quia ille ; nondum tota voluntate volo illud, quod volo eum non velle, ut et mihi liceat non velle. Verbi gratia : C si inimicum diligo, quia Deus hoc præcipit et vult ; aliquomodo placet mihi, quod et Deo placet, et quia illi placet ; verumtamen non usquequaque placet, quia inimicum nondum libere diligo ; sed vim mihi facio, in me divisus, ex parte volens, quia bonum est, et mercede dignum, inimicum diligere : ex parte autem nolens ; quia difficile est acceptam injuriam non recolere, et animum ab omni murmuratione compescere. Et quamvis dispositum habeam vindictam nullo modo expetere, quamvis etiam cor paratum habeam indigenti vel poscenti beneficium præstare, tamen si adhuc corde mussitante et submurmurante velim Deum non præcipere, et non velle inimicum diligi, nondum plene et perfecte D volo, quod Deus præcepit ; sed tantum deest perfectæ obedientiæ, quantum perfectæ charitati. Ut perfecta sit charitas, et obedientia perfecta, quidquid dignoscitur Deo placere, ut ab homine fiat, debet homini placere ut ipse faciat ; et hac causa placere, quia illi placet ; et hoc fine, ut ipse illi placeat. Unus est enim finis obedientiæ et charitatis placere Deo ; sed in iis quæ placent Deo. Hoc autem addidi, quia mali volunt placere Deo ; sed in iis quæ placent sibi, displicent autem Deo. Propterea multi qui non diligunt Deum, credunt se diligere Deum, attendentes, quia volunt placere Deo ; attendentes etiam beneficia et promissa, in quibus placet illis Deus, non autem attendentes, in quibus volunt placere Deo, et in quibus illis displicet Deus. Non enim

æstimant charitatem ex virtute obedientiæ, sed ex opinione suæ sapientiæ. Obedientia autem comes charitatis sicut propriæ voluntati renititur, ita Dei voluntate semper nititur. In illa summa et principali justitiæ norma, et æquitatis forma, hoc est in voluntate Dei, formatur voluntas rationalis creaturæ ut et ipsa sit, et non immerito dicatur voluntas Dei, quia secundum præventionem gratiæ a Deo incipit, et secundum directionem intentionis ad Deum tendit. Sicut enim non habet homo posse bonum a se, sed ab illo, qui dicit : *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* xv); sic velle bonum non habet, nisi ab illo, qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate (*Philipp.* II). Et, sicut virtus Dei dicitur, non solum quæ in Deo est, et Deus est, sed illa etiam quæ a Deo homini datur, et in homine est; sic voluntas Dei dicitur et illa, quæ in Deo est, et Deus est; et illa quæ in homine, non tamen ab homine, sed a Deo est. Adhuc autem voluntas Dei dicitur, quam per hominem vult fieri ut quodcunque opus justitiæ, sive misericordiæ. Est ergo voluntas Dei, et quæ mandat, et cui mandat, et quam mandat fieri. Penes primam auctoritas est, apud secundam ministerium est, apud tertiam amoris experimentum est. Obedientia itaque tota in dilectione Dei constituitur; quia a voluntate Dei per voluntatem Dei ad voluntatem Dei tendit, et ad voluntatem Dei redit. Voluntas enim Dei in Deo per voluntatem Dei in homine operatur voluntatem Dei in mandato, propter voluntatem Dei in Deo. Ergo voluntas Dei in Deo principium est et finis obedientiæ. Qui enim in charitate obedit, quasi ad finem ad illum suspirat, qui ab initio inspirat; in quo inspiratus et suspirans a labore quem fingit in præcepto sine fine respirat.

TRACTATUS QUARTUS,

DE DUPLICI RESURRECTIONE, QUÆ PER OBEDIENTIÆ PERSEVERANTIAM OBTINETUR.

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum ; cantabo et psallam in gloria mea. Exsurge psalterium et cithara ; exsurgam diluculo (*Psal.* CVII).

Obedientia quid possit, quid valeat, quo tendat, quo perveniat, quis finis ejus, et quis fructus ejus, gloria Dominicæ resurrectionis demonstrat. Fructus obedientiæ resurrectio est, et vita per obedientiam Christi, qui est resurrectio et vita. Christus semel mortuus est, et semel resurrexit. Simplæ morti simpla congruit resurrectio. At nobis una resurrectio sufficere non potest. Ita sumus ad ima prostrati debito geminæ mortis, ita sumus prostrati, ut una resurrectione beati esse non possimus. Gemina nobis necessaria est resurrectio, prima et secunda. *Beatus, qui habet partem in resurrectione prima* (*Apoc.* XX). Prima resurrectio partis est, animæ, magis quam corporis, et tamen aliquomodo corporis, et quia imperfecta est, ex parte est. Imperfectioni autem semper aliquid deest. Cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. Secunda resurrectio absolutam habitura est perfectionem; cui omnino nihil deerit. Hæ duæ resurrectiones ex verbis Domini distinguuntur, dicentis : *Venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei, et qui audierint, vivent* (*Joan.* v). Vita præsens æternitati comparata, quasi hora est. Mortui sunt, qui a Deo, qui vita est animæ, per inobedientiam separati sunt. Et quoniam in hora quæ nunc est, spatium pœnitentiæ indulgetur, qui obediendo vocem divinam audient, vivent de morte resuscitati ad beatam vitam. Nam de secunda resurrectione subjungitur : *Venit hora, quando mortui qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei* (*ibid.*). Erit hæc hora quando *Dominus in voce archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo* (*I Thess.* IV), et *dabit voci suæ vocem virtutis* (*Psal.* LXVII). Tunc *procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii* (*Joan.* v). Erit in futuro resurrectio vitæ, sed bonorum, qui resuscitandi sunt in vitam æternam, et resurrectio judicii malorum, qui partem non habent in resurrectione prima, quia in hora quæ nunc est, non resurgunt, ut se judicent. Neque enim resurgunt impii in judicio, neque peccatores in concilio justorum (*Psal.* I). Impii sunt, qui non credunt; et qui non credit, jam judicatus est. Peccatores, etsi credunt, quia perdite vivunt, non habent partem in resurrectione prima, quia non resurgunt in consilio justorum.

Quod est, inquis, consilium justorum ? Audi Prophetam ad Dominum dicentem : *Consilium meum justificationes tuæ* (*Psal.* CXVIII). Causa nostra in arcto posita est. Judicari nos necesse est. Judicium declinare nullatenus possumus, aut hic judicandi sumus, sed a nobis, et ideo mitius; aut in futuro, sed a Deo, et irato, et ob hoc gravius. Sed quid dicit Apostolus ? *Si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur* (*I Cor.* XI). Neque enim judicat Dominus bis in idipsum. Resurrectio itaque vitæ secunda resurrectio est. Resurrectio vero judicii, nec prima videtur, nec secunda. Non prima, quia nulla sequitur. Non secunda; quia nulla præcessit. Utriusque resurrectionis nostræ, et primæ et secundæ, Christi resurrectio causa est et forma, exemplum et sacramentum. Fide enim et imitatione resurrectionis Christi, reformati sumus, justificati sumus, sanctificati sumus, a morte resuscitati sumus, ut peccatis mortui justitiæ vivamus, in novi-

tate vitæ ambulantes, et adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri. In resurrectione enim secunda reformabit Christus corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Prima resurrectio ab obedientia incipit, et perseverantia consummatur. Secunda a gloria incipit, et æternitate stabilitur. Qui perseveravit in obedientia usque in finem, perseverabit in gloria sine fine. Perseverantia enim quodammodo similis est æternitati. Sicut enim æternitas est quasi quædam perseverantia gloriæ, sic perseverantia quasi quædam æternitas est obedientiæ. *Qui* enim *perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x). Perseverantia vero laus est et consummatio, et quasi virtus omnium virtutum. Charitas multum laudata, multumque laudanda cæterarum virtutum vita est et virtus: at ipsius charitatis virtus est patientia, et ipsius patientiæ virtus est perseverantia. Charitas sine patientia vera charitas non est, sed simulata. Simulata vero charitas in prosperis fingit, in adversis cedit. Patientia sine perseverantia inconstans est, et infirma; in adversis incipit, sed tempore deficit, et longa fatigatione succumbit. Perseverantia vero nec fingit, nec cedit, nec deficit, nec succumbit. Cæteræ virtutes omnes quasi in stadio currunt; sed tenor perseverantiæ unus accipit bravium. Obedientia perseverans in finem, in prima resurrectione experitur quid possit in merito; in secunda experietur, quid valeat in præmio. In prima tendit quo perveniat; in secunda pervenit quo ante tendebat.

De obedientia Christi.

Hunc ordinem obedientiæ et perseverantiæ et gloriæ, Christus ipse docuit. Nam, cum esset in sinu Patris, sciens ipse, et nos scire volens, quam bona sit obedientia, et obedientiæ perseverantia, cogitavit et destinavit in corde suo obedientiæ jugo se subdere, et habitum humilitatis assumere, et sacco se induere, et sicut in jejunio animam suam operire, et vestimentum suum cilicium ponere, et in opprobrium se dare, et obedientiam promittere, et in obedientia usque ad mortem perseverare. Quæ cogitavit, hæc et fecit. Et sicut Abraham egressus est de terra sua, et de cognatione sua, et de domo Patris sui, in terram, quam pollicitus est ei Deus (*Gen.* xii), egressus est autem ut voci Dei obediret; sic Filius Dei a summo cœlo egressus est, et de domo Patris sui, in terram quam pollicitus est ei Pater, dicens: *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* ii). In mundum veniens tunica indutus est inconsutili, desuper contexta per totum, quam dedit ei mater sua, quam manu sapientiæ texuit in digito Dei, quam Pater ei aptavit; sed et mater cooperata est, mulier fortis, quæ manum suam misit ad fortia, et digiti ejus apprehenderunt fusum. Quæsivit lanam et linum, ut de exquisita materia opus fieret singulare, novo modo, novo artificio, novum indumentum, quale non potest homo facere super terram. Indutus Jesus habitu assumpto, quasi succinctus ad omnem obedientiam, quasi strenuus et devotus ad omnem humilitatis obsequelam, Patri loquitur dicens: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum* (*Psal.* cvii). Cor suum dicit esse paratum; nec edicit, ad quid sit paratum, ut sermo, quamvis congeminatus, videatur imperfectus. Sed sermonis congeminatio, obedientiæ est confirmatio, et sermonis imperfectio perfectæ obedientiæ est ostensio. Obediendi autem professus cor meum, quod absolute testatur esse paratum, ad omnia ostendit non imparatum. Tanquam diceret: Pater, jube quod vis. Si vis me quidquam agere, *paratum cor meum* (*Psal.* lvi); si vis me quidquam pati, *paratum cor meum* (*ibid.*); si vis me flagellari, *ecce ego in flagella paratus sum* (*Psal.* xxxvii); si vis ut custodiam mandata tua, *paratus sum, et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua* (*Psal.* cxviii). Non sic Petrus, cum diceret: *Paratus sum, sive in carcerem, sive in mortem ire* (*Luc.* xxii). Christus autem qui petra in obedientia firmior quam Petrus, factus est obediens Patri usque ad mortem. *Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus; non commovebitur donec despiciat inimicos suos* (*Psal.* cxi). Post obedientiæ professionem manifestat Jesus nobis gloriam suam, dicens: *Cantabo et psallam in gloria mea; exsurge psalterium et cithara* (*Psal.* cvii). Psalterium et cithara sunt gaudium et exsultatio de resurrectione gloriæ. Canticum et psalmus, laus et gratiarum actio, pro eadem gloria. Cantabit Christus in gloria sua. Hic est, de quo Apostolus ait: *Christus est Dei virtus, et Dei sapientia* (*I Cor.* i). Dei vero sapientia de Patre loquitur, dicens: *Antequam quidquam faceret, eram cum eo cuncta componens; delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore* (*Prov.* viii). O quale spectaculum! quam dulce et ineffabile gaudium! videre in cœlo Filium Dei coram Patre ludentem, et audire cantantem; ubi cantant et astra matutina, et jubilant omnes filii Dei. Quis fidelis in spe tam beatissimæ visionis manibus non plaudat, corde non tripudiet, in voce exsultationis non jubilet? Cantat Jesus in gloria. Sed cui cantat, aut quid cantat. Cantat Patri, cantat et angelis, cantabit et nobis? Patri cantat sempiterna laudum præconia, psalmos triumphales, et psalmos præconiales, et canticum novum, Canticum canticorum, quod nemo potest cantare, nisi solus Jesus. *Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me* (*Psal.* xxix). Cantabit et illud: *Convertisti planctum meum in gaudium mihi; conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia, ut cantet tibi gloria mea, et non compungar; Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi* (*ibid.*). Angelis cantabit: *Lætare, Jerusalem, et diem festum agite omnes, qui diligitis eam* (*Isa.* lxvi). Magnus ille angelus sicut fulgur de cœlo cadens ruinam magnam fecit; cujus cauda traxit tertiam partem stellarum (*Apoc.* xii). Christus autem resurgens ex mortuis implebit ruinas, ædificabit muros Jerusalem, numerum civium implebit; unde angelis gaudium et exsultatio.

Nam si gaudium est eis super uno peccatore pœnitentiam agente (*Luc.* xv), quanto magis de millibus millium, qui eis associandi sunt, et similes eis futuri sunt? *Currus enim Dei decem millibus multiplex, millia lætantium* (*Psal.* LXVII). Cantabit Jesus tandem, et nobis cantabit carmen lætitiæ, carmen delectabile, dicens: *Venite, benedicti Patr's mei, percipite regnum paratum vobis ab origine mundi* (*Matth.* xxv). Erit vox ista in auribus audientium, quasi carmen musicum, quod dulci suavique sono canitur. O si nobis detur audire vocem istam! o si aures nostras demulceat! o si ad nos perveniat! o si pertineat! ne alieni esse mereamur ab auditione tam bona. Convalescat interim in cordibus nostris vox invitantis Jesu. Invitatorium jam nunc nobis cantat, dicens: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* (*Luc.* IX). Invitat nos auctor vitæ ad vitam, de labore vocat ad requiem, assidue clamans: *Venite ad me, omnes, qui laboratis et onerati estis; et ego reficiam vos* (*Matth.* XI). Qui audierint hanc vocem, etiamsi mortui fuerint, vivent. Potuit vox tua semel dicta: *Lazare, veni foras* (*Joan.* XI), mortuum terra defessum, et quatriduanum statim suscitare. Væ iis, qui quatriduano mortuo surdiores inveniuntur, dum Dominus ad nos clamat: *Venite ad me omnes qui laboratis*, et cætera. Clamemus ad invicem, mutuis exemplis cohortantes: *Venite, exsultemus Domino; venite, adoremus et procidamus ante Deum; ploremus coram Domino, qui fecit nos* (*Psal.* XCIV): et qui audit, dicat: Veni. Jesu cantante, nos pariter cantemus in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini.

De spirituali creatura.

Christus resurgens ex mortuis, psalterium et citharam suscitat. Suscitat sibi, suscitat et nobis. Unde nobis psalterium et cithara, nisi suscitaret? Quidquid enim in nobis a nobis est, lamentatione dignum est, materia luctus et mœroris. Nam a diebus prævaricationis Adæ cithara nostra versa est in luctum, deficit gaudium in corde nostro; miseriæ nostræ lamentum convenit, et non canticum. Sicut filii transmigrationis in medio Babylonis suspendimus organa nostra (*Psal.* CXXXVI). Secundum conditionem primæ nativitatis vox hominis hæc est: *Vadam ad portas inferi* (*Isa.* XXXVIII). At si consurgimus in Christo, mox in prima resurrectione gloria nobis datur; psalterium et cithara suscitantur. In cithara plures chordæ suo disponuntur ordine, et arte citharœdorum ita sibi coaptantur et contemperantur ut sonante cithara, in diversis sonis una sit concordia, una dulcis consonantia, una suavis harmonia. Et si qua forte raucius sonat chorda, et singulariter strepit, aliarum pacem turbans, et consonantiam interturbans, mox ingenio et plectro citharizantis artificiose intorquetur, ut acutius vel remissius sonet, donec ad pacem redeat, et reconcilietur aliis, a quibus antea discordabat. Id enim semper procurat citharizantis industria, ne quid absonum vel dissonum audiatur, quod auditum possit offendere. Ita fit in

A moribus nostris singulorum singulis. Sunt enim in nobis sicut cordæ in cithara sensus corporis et sensus cordis. Sunt sensus cordis, et motus, et usus eorum, sicut membra corporis et motus vel officia eorum. Sunt in corde variæ cogitationes, et affectiones, et intentiones, varia consilia, variaque judicia, varia vota, varia desideria. Hæc sunt, quæ in nobis consonant vel dissonant, dissentiunt vel consentiunt, discordant vel concordant. In diluculo resurrectionis nostræ, hoc est in initio conversionis nostræ de vana sæculi conversatione, incipiunt hæc omnia in nobis ordinari, et componi, legibus sanctæ obedientiæ, et exercitatione quotidianæ disciplinæ, et magisterio rationis. Et si quid inordinatum vel disciplinatum subito erumpit, aut pro memoria priB scæ consuetudinis, aut pro conditione humanæ infirmitatis, mox plectro pœnitentiæ et disciplinæ ad rectitudinem inflectitur, ut omnia in nobis sint composita, tranquilla et pacifica; et uni rationi cuncta obediant, donec in obedientia carnis spiritui subjectæ, sicut in spirituali cithara, sit spiritualis harmonia, et spiritualis lætitia, pax scilicet et gaudium in Spiritu sancto. Hæc læta consonantia, consonaque lætitia, vox est citharœdorum citharizantium in citharis suis. Qui alienæ paci studet, in se pacem non habens, nondum in cithara sua citharizat, quamvis in aliena cithara citharizare videatur. Qui sibi non convenit, cui conveniet? Qui sibi dissidet, et a se dissentit, a se semper discordat, et sibi semper contrarius est: cui poterit concordare? Qui semper C turbulentus est, et inquietus, sicut fervor maris, quod nunquam requiescit, cui poterit esse pacificus? *Non est pax impiis, dicit Dominus* (*Isa.* XLVIII). Propterea in hac cithara non citharizat omnis impius. Sed vox exsultationis et salutis in tabernaculis justorum est ista exsultatio, quibus dicitur: *Exsultate justi in Domino* (*Psal.* XXXII); et: *Confitemini in cithara* (*ibid.*): *in cithara et voce psalmi* (*Psal.* XCVII). Quid sibi vult ista congeminatio? Anne est una cithara in moribus nostris singulorum singulis, et altera in alternis moribus alterius ad alterum? Nempe, sicut in cithara sunt plures chordæ, non autem omnes chordæ unum sonum habent, sed plures soni per consonandi concordiam quasi in unum sonum coaleD scunt, ita quasi una cithara multi nos sumus, singuli autem alteri ad alterum, sicut chorda ad chordam. Et quoties sanctæ æmulationis studio alter alteri imitabilem se præbet, vel in omni charitatis et humilitatis obsequio amabilem se exhibet, sicut in sonanti cithara chorda chordæ respondet. Nec in organo lætitia jucundior quævis gratissima modulatio, quam in collegio sanctæ congregationis grata jucundaque societas: quæ in Christo et pro Christo mutuis studiis vicissim sese contemperat, et ad pacem servandam per humilitatem et patientiam alternis moribus in omnibus sese coaptat; ubi non inflatur superbia, non tabescit invidia, non excandescit ira, non litigat discordia, non murmurat impatientia; ubi sinistra suspicio non disceptat, et omnis turpitudo non nomi-

natur in ea. Ecce, inquit Propheta: *Quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum!* (*Psal.* CXXXII.) Falluntur plane, et omnino falluntur, qui majorem æstimant delectationem in mundi vanitate, quam in Christi veritate. *Exsultent*, inquit Dominus, *et lætentur, qui volunt justitiam meam* (*Psal.* XXXIV). Quisquis experitur, non hoc negabit; sed dicet homo, utique est fructus justo (*Psal.* LVII). Non tota justorum retributio in futurum differtur, pro mandatis Dei custodiendis, sed *in custodiendis illis retributio multa. Justitiæ enim Domini rectæ, lætificantes corda* (*Psal.* XVIII); et: *Delectationes in dextera ejus usque in finem* (*Psal.* XV). Dextera ejus munifica est et liberalis, delectationes distribuit, quales mundus non novit, et dat quam mundus dare non potest pacem; sed iis, qui non diligunt mundum. Ecce jam in præsenti, ecce jam in evidenti ex parte apparet, quam bonum sit, et quam jucundum, quam utile, et quam salubre, quam suave, et quam dulce, habitare fratres in unum (*Psal.* CXXXII). Sed ii, quos amor Christi in unum congregavit, mutuo sese diligunt, et vicissim sibi obediunt, si mutuis exemplis et cohortationibus ad Deum diligendum quotidie se accendunt; si humero uno Deo serviunt, et labio electo sempiternas laudes ei unanimiter concinunt; si omnes idem volunt, et idem nolunt; si omnes idem sentiunt, et idipsum sapiunt; habentes cor unum et animam unam, nonne in hac spirituali cithara omnes Deo jubilant, sibique jubilant? Et *beatus populus, qui scit jubilationem* (*Psal.* LXXXVIII).

De spirituali psalterio.

In diluculo resurrectionis nostræ non solum citharam suscitat nobis Christus, sed et psalterium: et prius psalterium; quamvis de cithara, quod dicendum mihi videbatur, nunc prius dixerim: *Exsurge*, inquit, *psalterum et cithara.* (*Psal.* LVI). Ut ater Augustinus asserit, psalterium a superiori sonat, cithara ab inferiori. Cithara, ut præostensum est, læta concordia est, vel ad nos ipsos, vel ad fratres nostros. Psalterium est pax et concordia ad Deum, et in Deo De qua pace Apostolus ait: *Justificati igitur per fidem, pacem habeamus ad Deum* (*Rom.* V). Per peccatum inobedientiæ cœpit homo discordare a Deo, et a seipso. Et justo quidem Dei judicio non invenit pacem in seipso, qui noluit pacem habere cum Deo. Hinc scriptum est: *Posuisti me contrarium tibi: et factus sum mihimetipsi gravis* (*Job* VII). Homo igitur divisus est in se, qui Deo noluit esse conjunctus. Inobedientia enim hominem a Deo separat, et mors est animæ. Sed in prima resurrectione hæc mors absorpta est in victoria. Per obedientiam enim anima vitæ redditur, Deoque conjungitur. Obtinet itaque anima medium quemdam locum inter Deum, cui conjungitur supra se; et carnem, cui conjungitur infra se. Altera conjunctio vi solvi potest, voluntate non potest; altera voluntate potest, vi non potest. Anima exire de corpore, nec si velit, potest, nisi vi doloris vehementioris contorta. Anima Deo perfectius conjuncta, nulla vi, nulla

A violentia, nulla doloris vehementia separari potest. *Quis nos*, inquit Apostolus, *separabit a charitate Christi? Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei* (*Rom.* VIII). Poterant hæc omnia, vel unum aliquod ex his animam Pauli a corpore separare; sed non omnia hæc a charitate Dei. Videte, fratres charissimi, æmulatores Dei, quam firma sit, quam indissolubilis ista conjunctio ad omnes causas, excepta sola ipsius animæ voluntate. Nam qui adhæret Deo, unus spiritus est (*II Cor.* VI). Scriptum est, quia anima Jonathæ conglutinata est animæ David; et dilexit eum Jonathas

B quasi animam suam. Nam exspoliavit se Jonathas tunica qua erat indutus, et dedit eam David, et reliqua vestimenta sua, usque ad gladium et arcum suum, et usque ad balteum (*I Reg.* XVIII). Si Christus est verus David, cur Jonathas amicus David non intelligitur verus Christi æmulator, qui omnia relinquens propter Deum, vestimenta sua ei dat, cui se probavit? Signum fœderis est hoc initi cum David. An Christus fœdus inire non novit? Nonne ipse de quibusdam per prophetam dicit: *Dabo opus eorum in veritate: et fœdus perpetuum feriam eis!* (*Isa.* LXI). Conglutinata est anima Jonathæ animæ David. Quonam glutino, nisi glutino dilectionis? Charitatis glutino conglutinatur anima justi Deo, ut inseparabiliter adhæreat illi. Hinc Psalmista ait:

C *Mihi autem adhærere Deo bonum est* (*Psal.* LXXII). Intuens autem idem ipse unam conjunctionem animæ et corporis, et alteram animæ et Dei, de hac dicit: *Adhæsit pavimento anima mea* (*Psal.* CXIII). De illa ad Deum dicit: *Adhæsit anima mea post te* (*Psal.* LXII). Caro pavimentum est luteæ domus, quam nos inhabitamus, qui terrenum habemus fundamentum. Huic fundamento anima adhæret per affectionem, et si nimis adhæreat, mortua est illi subjecta, et a Deo longius separata, ut jam medium locum non teneat, sed novissimum, quasi jam in terra defossa, et sub pavimento sepulta. Unde cum Propheta diceret: *Adhæsit pavimento anima mea*, subintulit: *Vivifica me secundum verbum tuum*

D (*Psal.* CXVIII). Tunc autem vivificatur, si non carni, sed Deo subjiciatur; ut a justo vere dicatur: *Adhæsit anima mea post te.* Adhæsit post te, præponendo sibi te, postponendo tibi se, ut te diligat plusquam se; nec te tantum diligendo propter se, sed se magis diligendo propter te, Domine Deus salutis meæ.

Hic velim orare, ut trahas me post te, ut sic adhæreat anima mea post te. Hæc conjunctio animæ et Dei illa alia conjunctione longe arctior est, et constrictior, et quasi longe interior. In anima enim Deus est, et anima in Deo est: anima quoque in carne est, sed caro in anima non est. Anima vero et in carne est, et in carne vivit, et in carne sentit. Caro vero nec in anima est, nec in ea vivit, nec in ea sentit, quamvis ab ea accipiat, ut

et vivat, et sentiat. Anima carnem vivificat, præstans ei motum et sensum. Motum quidem ad aliquid agendum, sibique ministrandum in voluntatibus suis ministerio corporis perficiendis; sensum vero, quo vel delectationes vel passiones suas pœnaliter vel delectabiliter sentire possit. Habent enim quinque sensus corporis, singuli secundum suam proprietatem, cognitionem rerum sensibilium, et usum earum cum experientia delectationis vel pœnæ. Utraque autem, caro scilicet et anima, proprias habet passiones vel delectationes, quas in se cum delectatione vel pœna sentit; vicissim alternis bonis vel malis compatiuntur vel condelectantur. Ex his enim quæ caro anxie patitur, anima miserabiliter tabescit; in iis quæ carnem suavius delectant, lætius hilarescit. Veruntamen illicitas carnis delectationes anima honesti æmula sæpe per delectationis affectionem sentit, et ab eisdem per rationis moderationem dissentit, miroque modo quodammodo vult, aut velle appetit, quod plene non vult, quia non consentit, mirabiliter et ineffabiliter dum caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, quasi in se divisa voluntatem spiritus desiderat compleri, et voluntatem carnis æque appetit compleri, in se tristis et anxia, dum voluntatem carnis perfici gestit, et a consentiendi conniventia sese cohibet. In tantum enim carnem amat, ut vicem ejus doleat, ægre sustinens voluntatem ejus non impleri, quam ipsa vult non adimpleri. Anima vero per amorem obedientiæ Deo mirabiliter unita, in ipso et ab ipso vivit et sentit, et ex sensibus corporis sibi notis quasi similitudinem trahens, per gratiam intimæ inspirationis spiritualiter Deum, quem in se sentit, tangit per fidem odoratur per spem, gustat per charitatem, audit per obedientiam, videt per contemplationem.

De tactu spirituali.

Tactus fidei est. Fides enim comprehendit. Hinc in Evangelio, cum mulier quæ fluxum sanguinis patiebatur, se sanandam crederet, si vel fimbriam vestimentorum Jesu tangeret, cumque credens tangeret, et tactum fidei forte nesciens figuraret, Dominus ait: *Quis me tetigit?* (*Luc.* VIII.) Cumque discipuli quasi mirarentur, quod se tactum diceret, qui a turbis comprimeretur, subjunxit, dicens: *Tetigit me aliquis* (*ibid.*). Et cum a mortuis resurrexisset, ad Mariam ait: *Noli me tangere. Nundum enim ascendi ad Patrem meum* (*Joan.* XX). Spiritualem tactum non prohibuit, sed magis corporalem, ne ejus occasione spiritualis tactus impediretur, si Maria hominem tangeret, et tactui corporali nimis credula Jesum æqualem Patri non crederet. Nondum enim in corde ejus usque ad Patris æqualitatem Jesus ascenderat, quem æqualem Patri nondum credebat. Si enim in corde ejus ad Patrem tunc ascendisset; procul dubio Maria Jesum manu fidei jam tunc tetigisset. Sed quia futurum erat, ut spiritualiter tangeret Maria Jesum, prohibitus est tactus, quo poterat fides infirmari vel impediri. Nec tangendi

A licentia est omnino inhibita, sed in tempus visibilis vel spiritualis ascensionis est dilata, ut se sciret Maria tunc vere Jesum tangere, cum inciperet divinitatem ejus in æqualitate Patris manu fidei contingere. Tactus enim fidei non solum humanitatem in Christo apprehendit, sed plenam ejus divinitatem pia contrectatione comprehendit. Non insuetum habebat Maria tangere Jesum, nec alicujus criminis nuper in Christum commissi sibi conscia erat, ut prohibendam se crederet a tam familiari accessu. Nec eo modo Mariæ dicitur: *Noli me tangere*, quo dicitur quibusdam: *Nolite tangere christos meos* (*Psal.* CIV). Aliud est enim malignitatis studium, aliud devotionis obsequium. In peccatrice Maria nos peccatores utrobique consolationem
B accipimus, et cum permittitur tangere Jesum, et cum prohibetur tangere eum. Non desperemus de venia. Multum quidem peccavimus, et in multis offendimus omnes (*Jac.* III). Peccavit Maria, et tamen Jesum tangere permittitur, et in gratiam familiaritatis admittitur. Ecce hic erigitur spes nostra. Non est nobis datum, Christum in carne vidisse, non manibus contrectasse, non tamen desperemus. Thomæ enim dictum est: *Beati qui non viderunt, et crediderunt* (*Joan.* XX). Mariæ quoque dicitur: *Noli me tangere*. Ecce et hic erigitur spes nostra, et abundat consolatio nostra. Contrectatio Thomæ indulta valet ad dubitationem depellendam, et ad fidem resurrectionis astruendam. Contrectatio Mariæ
C interdicta aliquo modo nos consolatur, quibus Jesum tangere non datur. Isti indulgetur, tanquam necessaria nondum credenti; illi interdicitur, tanquam non necessaria jam credenti. Credebat enim Maria jam tunc resurrectionem, sed gloriam Jesu in æqualitate Patris per admirabilem ascensionem mundo propalandam nondum credebat. Deducenda ergo erat de fide in fidem. Propter quod et ascensionis gloria jam ei prædicitur, ut quæ fuerat patratæ resurrectionis conscia, et futuræ ascensionis fieret præscia. Non ergo requiritur a Maria corporalis tactus, quo tangat pedes Jesu, quos tamen alicujus mysterii causa tangere permissa est, cum mulieribus diceret Jesus: *Avete* (*Matth.* XXVIII), sed spiritualis ab ea tactus requiritur, quo tangat caput
D ejus, incomprehensibilem scilicet divinitatem, in qua per omnia Patri est æqualis. Liquet ex prædictis, spiritualem tactum ad fidem pertinere: et hic est unus de quinque sensibus, quibus anima Deo copulata, Deum sentit. Quinque enim modis anima sentit Deum, et quinque sentitur a Deo. Ex quinque et quinque modis, quia ex decem cordis aptatur decachordum psalterium: *Psalterium jucundum cum cithara* (*Psal.* LXXX), additur: Christus resurgens ex mortuis secum ea suscitat, dicens: *Exsurge, psalterium et cithara* (*Psal.* CVII), *exsurgam diluculo* (*Psal.* LVI). Tangendo sentit anima Deum, ut dictum est, manu fidei, tangendo sentit Deus animam manu multiformis gratiæ, tangit tanquam ad lacrymosam pœnitentiam, et tumorem superbiæ

quasi montem humiliat. Hinc scriptum est : *Tange montes et fumigabunt* (*Psal.* CXLIII). In corde contrito A et humiliato est vapor suavissimus Domino, et fumus oculis amarus lacrymam compunctionis extorquens tangit locum lepræ ad emundationem. Tangit et demulcet caput per multimodam consolationem, tangit oculos ad illuminationem, tangit genas per ruboris suffusionem, tangit collum, ut sit sicut monilia; tangit ubera, ne sint sine lacte arentia; manum suam mittit per foramen, ut contremiscat venter ejus. Denique sponsus sponsam quasi maritali licentia totam tangit, miscet colloquia, jungit oscula, stringit amplexus. Verumtamen tactus ejus castissimus est, et tangendo castificat; et quam tangit, totam integram, inviolatam, intactamque conservat. Sponsus enim est, zelo zelans sponsam B sibi fide sponsatam, sicut scriptum est : *Sponsabo te mihi in sempiternum; et sponsabo te in justitia et judicio, et in misericordia, et in miserationibus; et sponsabo te mihi in fide* (*Ose.* II).

De spirituali odoratu.

Per odoratum quoque anima sentit Deum, et sentitur a Deo. Odoratur autem suavitatem, per spem et exspectationem Dei. Hoc est enim spes ad promissionis completionem, quod flos ad fructum. In flore enim odor est spes et exspectatio fructus; per spem autem exspectamus promissiones Dei, quæ sicut unguenta fragrant, et suave redolent : quorum odorem ad nostram consolationem attrahimus inter pressuras vitæ præsentis; quorum etiam odore tra- C himur ad perseverandum infatigabiliter usque in finem, ne a proposito cœpti itineris deficiendo retrahamur. Hinc sponsa ad sponsum dicit: *Trahe me post te : in odorem unguentorum tuorum curremus* (*Cant.* I). Odoratur etiam sponsa virtutes sponsi, tanquam unguenta pretiosa. Odoratur autem per spem imitationis. Provocata enim exemplo sponsi, spem habet vestigia ejus aliquo modo sequi; nec præsumit aliquo modo sequi per se, quasi a se, sed odorem notitiæ ejus sentiens, adjuvari sperat, et dicit : *Trahe me post te, in odorem unguentorum tuorum curremus.* Quod si hostia viva Deo placens offertur in odorem suavitatis; si thus devotionis, vel incensum puræ orationis, in thuribulo cordis carbonibus charitatis inceuditur, si fumus aromatum in conspectu D Dei ascendit, tunc adoratur odorem suavissimum, devotionem animæ sancto desiderio in se æstuantis sentiens, a qua et ipse sentitur.

De spirituali gustu.

Per dilectionem vero, quasi per gustum, sentit et sentitur. Christus enim dicit : *Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei* (*Joan.* IV). Et quæ sit voluntas Patris, alio loco ostendens, ait : *Hæc est autem voluntas ejus qui misit me, Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo* (*Joan.* V). Hinc apparet, quod amore salutis nostræ pascitur et reficitur Deus : cujus amore pascitur et reficitur anima, gustans quam suavis est Deus.

De auditu spirituali.

Per auditum sentit Deus, et sentitur, quando audit et auditur. Auditur autem per obedientiam: quod si obediatur, orationes, et postulationes, et supplicationes, vota et desideria audit et exaudit. Dicit homo Deo : *Verba mea auribus percipe, Domine* (*Psal.* V). Et Deus ad nos dicit : *Inclinate aurem vestram in verba oris mei* (*Psal.* LXXVII). Qui enim audientem audit, non audientem non exaudit. Hinc scriptum est : *Qui obturat aurem suam, ne audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis* (*Prov.* XXVIII).

De visu spirituali.

Per visum sentit, et sentitur Deus. De justis enim dicitur : *Oculi Domini super justos* (*Psal.* XXXIII). Et justus dicit : *Oculi mei semper ad Dominum* (*Psal.* XXIV). Mali autem Deum non vident, in tenebris ambulantes : de quibus scriptum est : *Non proposuerunt Deum ante conspectum suum* (*Psal.* LIII). Oculi autem Domini in omni loco contemplantur bonos et malos. Sed pio blandoque aspectu super justos respiciunt; ad malos autem dicit : *Oculi mei super vos in malum, et non in bonum* (*Amos* IX). Sicut superius demonstratum est, ex sensibus corporis, et ex sensibus animæ, sibi invicem concordantibus per obedientiam carnis spiritui subjectæ, spiritualis cithara aptatur; ex quinque vero sensibus spiritualibus, quibus anima Deum sentit, Deoque consentit, et ex quinque modis, quibus spiritualiter Deus animam sentit, aptatur quasi ex decem cordis spirituale psalterium decachordum : in quo Deus quinque superiores chordas tangens, animæ psallit; anima vero quinque inferiores tangens, Deo psallit, Deum delectans, et delectata in Deo. Tangit Deus psalterium, cum gratiam inspirat : spiritus enim est, et ubi vult spirat, et vocem ejus audit anima (*Joan.* III); et ut chorda inferior superiori chordæ respondeat, gratia præventa gratiam refert, tangens tangentem, odorans odorantem, gustans gustantem, audiens et contemplans audientem et contemplantem. Deus autem prævenit et præcinit, et ad concordes modulos quasi psaltes psalterium trahit, dicens : *Sonet vox tua in auribus meis; quia vox tua dulcis* (*Cant.* II). Deus enim operatur velle et perficere (*Philipp.* II); et interius animam movet, ut credat, ut speret, ut diligat, ut obediat, ut quem diligit semper videat, sentientem sentiens, hoc est voluntati Dei semper consentiens. Non ergo frustra, non sine causa, Psalmista quinquies monet esse psallendum, cum dicit : *Psallite Deo nostro, psallite; psallite regi nostro, psallite; quoniam rex omnis terræ Deus, psallite sapienter* (*Psal.* XLVI). Aliqua causa subest, quare in fine adjungit, *sapienter. Initium sapientiæ timor Domini* (*Psal.* CX); sapienter autem psallit, qui in Domino exsultat, et tamen ruinæ periculum semper formidat. *Beatus enim qui semper est pavidus* (*Prov.* XXVIII). Hinc Propheta dicit : *Lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum* (*Psal.* LXXXV). Et iterum : *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore* (*Psal.* II). Licet ergo anima

Deum sentiat per timorem, a prædictis tamen quinque sensibus spiritualibus timor separandus non est: singulis enim adjunctus est, et totam spiritualem consonantiam temperat et servat, ne per securitatis remissionem in discordiæ periculum relabatur. Ut ad suum principium sermo recurrat, vox Christi obedientiam profitentis, et obsequentiam Deo Patri deferentis, hæc est: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum* (*Psal.* CVII). Potest in hac congeminatione gemina obedientia demonstrari; altera secundum animam Deo subjectam, altera secundum carnem usque ad ignominiam crucis humiliatam. Vox autem Christi de resurrectionis gloria exsultantis, hæc est, quæ sequitur: *Cantabo et psallam in gloria mea; exsurge psalterium et cithara* (*ibid.*). Habuit Christus geminam gloriam, geminamque lætitiam; alteram de gloria animæ, quæ est psalterium, in quo psallit; alteram de gloria carnis, quæ est cithara, in qua cantat, Deo confitens in decachordo psalterio cum cantico in cithara. Nobis autem cum Christo resurgentibus hæc prima vox secundum primam resurrectionem nostram et secundam aptari potest. Vox est enim pœnitentis ad obedientiam redeuntis, et obedientiam promittentis: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.* Paratum ad bona facienda, paratum ad mala toleranda; paratum ad inchoandum, paratum ad perseverandum; paratum ad obedientiam animæ, tibi, Deus, serviturum; paratum ad obedientiam carnis spiritui subjiciendæ. Obedienti autem, Deoque servienti, pro gemina obedientia gemina infunditur lætitia; altera de obedientia et pace carnis ad spiritum, et hæc dicitur cithara; altera de pace et obedientia spiritus ad Deum, et hæc dicitur psalterium. In his spiritualibus organis homo per pœnitentiam justificatus a Deo, et de morte in vitam resuscitatus, cantat et psallit, sed in gloria. *Cantabo*, inquit, *et psallam in gloria mea.* Habet prima resurrectio gloriam suam, gloriam carnis et gloriam animæ. Consulamus Apostolum de utraque gloria. De præsenti enim gloria carnis dicit: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Galat.* VI). Iterum: *Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor* (*II Cor.* XI). De gloria vero animæ dicit: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* I). Iterum: *Gloriamur in spe adoptionis filiorum Dei* (*Rom.* V). Habebit autem secunda resurrectio gloriam suam, gloriam animæ in visione Dei, quando videbit Deum in gloria sua, et gloriam carnis in incorruptione sua, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem (*I Cor.* XV); habebunt singuli sancti geminam stolam, et stolati et candidati tenentes psalterium et citharam, cantabunt et psallent in gloria sua sempiternas laudes Deo concinentes; et replebitur gaudio os eorum, et lingua eorum exsultatione, ad laudem et honorem Domini nostri Jesu Christi, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

TRACTATUS QUINTUS,

DE REQUIE QUAM SIBI ET NOBIS CHRISTUS QUÆSIVIT ET PARAVIT.

In illud Eccle. XXIV: *In omnibus requiem quæsivi, et in hæreditate Domini,* etc.

Sapientia Dei, in qua instaurata et restaurata sunt omnia, in Ecclesiastico introducitur loquens, et commemorans quædam opera virtutis suæ, miranda quidem et stupenda; et consequenter subjungit, dicens: *In his omnibus requiem quæsivi.* Christus Dei virtus est, et Dei sapientia. Deus autem quædam summa pax est, summaque quies, utpote idem, semperque immutabilis et invariabilis; *apud quem non est transmutatio* (*Jac.* I), quia non mutatur ab eo quod fuit; *nec vicissitudinis obumbratio* (*ibid.*), quia non mutabitur ab eo quod est. Vicissitudo quippe mutabilis status est rei mutabilis, et in Deum omnino non cadit. Non enim vicissim variis passionibus afficitur, nec alternis permutationibus obnoxius invenitur; sed, sicut semper est, quod est, sic semper est, ut semel est. Semper itaque stabilis et quietus est; nec necesse habet quietem sibi quærere in se, qui non potest discordare a se. Iterum dicit: *In omnibus requiem quæsivi.* Cui ergo requiem quæsivit? sibi, an nobis, an magis sibi et nobis? Ita plane est. In omnibus quæ ab initio operatus est propter nos, requiem sibi quæsivit, in nobis, et in se nobis. In omnibus enim, quæ propter hominem creavit, condidit, vel fecit, hoc agebat, ut hominem glorificet in se, vel se glorificet in homine; et requiem multimodis quæsitam in alterutro habeant, Deus per omnia homini placens, et homo in nullo displicens Deo. Si cursum temporis cogitemus ab initio, invenitur Deus nunc operans, et non laborans; nunc laborans et non operans; nunc laborando operans, et operando laborans. In creatione mundi operatur Deus, et non laborat, dieque septima requiescit, non a labore, sed ab opere: in qua re homini exemplum proposuit, ante peccatum sine labore operandi, et postmodum quiescendi. Propter quod hominem in paradiso posuit, ut operaretur et custodiret illum. Post peccatum vero in perversis hominum moribus laborat Deus, et non operatur. Non enim iniquitatis auctor est, sed detestator. Hinc contra quorumdam malorum opera, quamvis etiam ad ipsius venerationem pertinere videantur, apud Isaiam dicit: *Laboravi sustinens* (*Isa.* I). Et alio loco apud eumdem

prophetam : *Servire me fecisti in peccatis tuis, et præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis* (*Isa.* XLIII). In adventu vero suo in mundum, operatur Deus et laborat. Operatur autem salutem in medio terræ, et laborat usque ad mortem; per quam et ipsius laboribus, et nostris pariter finis imponitur. Est ergo labor sustinendi peccata nostra; est et labor patiendi propter peccata nostra. A labore sustinendi requiescit Deus, cum impletur in nobis, quod per prophetam præcipitur : *Quiescite agere perverse* (*Isa.* I). In conversione enim nostra incipimus sub potenti manu Dei humiliari et quieti esse ad Dominum et ad sermones ejus contremiscere. Unde et ipse requiescit in nobis, sicut ipse testatur, dicens : *Super quem requiescit Spiritus meus, nisi super humilem et quietum, et trementem sermones meos?* (*Isa.* LXVI.) Et nos in ipso requiescimus, sicut ipse iterum dicit : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* XI). A labore patiendi requiescit Deus, sicut ipse dicit : *In pace in idipsum dormiam et requiescam* (*Psal.* IV). Et nos quoque a laboribus nostris post mortem requiescemus : *Beati enim mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus* (*Apoc.* XIV). In omnibus itaque requiem quæsivi. Ac si diceret : In omnibus operibus meis requiem mihi quæsivi; mihi quidem in omnibus, et in me omnibus, quantum in me est : *Vult enim Deus omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* (*I Tim.* II); at non in omnibus requiem invenit, cum tamen omnibus dicat : *Venite ad me, omnes qui laboratis, et onerati estis* (*Matth.* XI). In illis autem requiem invenit, qui ad hæreditatem Domini pertinere præsciti sunt. Unde et subdit : *Et in hæreditate Domini morabor. Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus; populus, quem elegit in hæreditatem sibi* (*Psal.* XXXII). Hæc est hæreditas, de qua scriptum est : *Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi. Hæc requies mea in sæculum sæculi* (*Psal.* CXXXI). Hanc autem hæreditatem dedit Pater, ipso postulante, cui dicit : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ* (*Psal.* II). Filii autem postulatio fuit manuum elevatio in cruce, et oratio illa, de qua scriptum est : *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo; elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum* (*Psal.* CXL.). Hanc ergo hæreditatem acquisivit sibi Filius in sanguine suo, Patre ita mandante ac præcipiente. Propter quod nunc dicit : *Tunc præcepit et dixit mihi Creator omnium.* Tunc, temporis est, et non æternitatis. Ac si diceret : Cum venit plenitudo temporis, ut acquirerem, hæreditatem in qua morarer, exspectatus et desideratus dixi : *Ecce venio* (*Psal.* XXXIX). *Tunc præcepit, et dixit mihi Creator omnium.* Præcepit quasi servo, quasi minori secundum humanitatem; dixit quasi Filio, quasi æquali secundum divinitatem. Quid autem præceperit, aut quid dixerit, non manifeste exprimitur, sed ex sequentibus

A perpenditur, sicut et in alio loco dicitur : *Manda Deus virtuti tuæ* (*Psal.* LXVII), non exprimit quid a Deo Patre virtuti suæ, id est Christo, mandari voluerit; sed intelligitur ex eo quod sequitur, ut confirmetur quod operatus est in nobis. Et in alio loco scriptum est : *Ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt* (*Psal.* CXLVIII). Quid dixerit, et quid mandaverit, ex adjunctis ostenditur : quod tamen manifeste non exprimitur. Sic et in hoc loco intelligimus, Deum Patrem Creatorem omnium Christo præcepisse, et dixisse, ut secundum hominem crearetur. Unde et apud Isaiam dicitur : *Et justitia oriatur simul, ego Dominus creavi illum* (*Isa.* XLV). Et Filius hoc loco Patrem Creatorem omnium commemorans, ad intimandam nobis præcepti formam, B de ipso dicit : *Qui creavit me requievit in tabernaculo meo.* Quasi diceret : Creator omnium mihi præcipiendo, me creavit, et in me requievit. De quo et dicit : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (*Matth.* III). Tabernaculum autem suum dicit assumptam humanitatem, in qua fortiter militavit, et aerias potestates debellavit : in quo tabernaculo et Pater requievit. Deus enim erat in Christo, mundum reconcilians sibi. Requievit autem Pater in Filio, ut initium quæsitæ quietis constitueret, et postmodum quæsitam requiem per mysterium Incarnationis consummaret. Quomodo autem paranda sit requies Filio ab ipso Filio in hæreditate sua, ostendit cum dicit : *Et dixit mihi : In Jacob inhabita, et in* C *Israel hæreditare, et in electis meis mitte radices.* Tria sibi a Patre dicta et injuncta Filius ostendit. Ad quæ tria, si cui magis sic placet, potest referri, quod præmissum est : *Tunc præcepit, et dixit mihi.* Facta enim interpositione de Incarnatione sua, nunc tandem quæ præceperit, Pater, vel dixerit ei, subjungit. Et quamvis superius utrumque dixerit, præcepit scilicet et dixit; propter interpositionem tamen repetit *et dixit*, ut exprimat, quæ sibi dicta sunt, vel præcepta, ad parandam sibi requiem in hæreditate sua.

Sunt itaque tria, fides, spes, charitas, quibus corda electorum præparantur, ut requiescat in eis Christus. Ad hæc tria ordine pulcherrimo pertinent tria, quæ hic distinguuntur : *Inhabita, hæreditare,* D *mitte radices. Inhabita* autem ad fidem pertinet, juxta Apostolum dicentem : *Det vobis secundum divitias gloriæ suæ virtutem corroborari per spiritum ejus in interiori homine, et habitare Christum per fidem in cordibus vestris* (*Ephes.* III). *Hæreditare* autem ad spem pertinet. Repromissa enim hæreditas nondum videtur, nondum in re habetur, sed solo spe obtinetur. Christus autem hæreditas justorum est, et per spem interim hæreditatur, ad quem Pater dicit : *In Israel hæreditare*, hoc est, esto tu hæreditas Israel. Et addit : *In electis meis mitte radices*, quod ad charitatem pertinet. Hinc Apostolus ait : *In charitate radicati* (*ibid.*). His tribus virtutibus parat sibi requiem Deus in hæreditate sua, et in populo, quem elegit in hæreditatem sibi (*Psal.*

a victrice concupiscentia sic victus est, et sic cæcus, ut eam diligat, consequens est ut concupiscentiam spiritus, quæ e regione est, odio habeat. Odit enim justitiam, odit justitiæ consentire, odit justitiam vel concupiscere, odit malum non concupiscere, odit malæ concupiscentiæ non consentire, odit non peccare, odit peccata relinquere, odit pœnitere, odit veritatem redarguentem, odit sapientiam utilia suadentem, odit disciplinam pacis, odit gratiam Dei, paulominus ipsum Deum odit; imo processu iniquitatis etiam ipsum gratis odit, in deteriora semper cadens donec incidat in peccatum irremissibile, quod non remittetur, nec in hoc sæculo, nec in futuro. Victrix et dominatrix concupiscentia mala subditum suum de peccato in peccatum sic præcipitat, ut de amore sui perducat ad odium Dei; donec claudat super eum puteus os suum. Hujus autem tanti mali aliter causa est delectatio peccati, aliter concupiscentia peccati. Hæc causa est propter quam, illa vero per quam. Illa incipit, ista perficit; illa per illicitas rerum species a bono abstrahit, et ad malum illicit, hæc abstractum et illectum capit et claudit: illa consensum peccati causaliter præcedit, ista succedit.

De corpore et anima veteris hominis.

Sicut in uno homine corpus et anima discernuntur; corpus vero carnem et ossa, et in ossibus medullas habere cernitur; anima autem arbitrium movendi corporis tenere creditur: sic in unius peccati compositione vetus homo noster qui non absurde homo peccati, vel filius perditionis dici potest, concupiscentiam habet pro carne peccati, juxta quod Apostolus dicit: *Caro concupiscit adversus spiritum* (*Galat.* v). Consensum vero, in quod est robur peccati, sicut in osse robur corporis pro osse habet, delectationem vero pro medulla. Id vero pro anima habet, quod in mente superexcellit et summum est, et præsidet ei quod appetit, et ei consentit, ei quoque quod delectatur, cui placere aut displicere possunt appetitus et consensus et delectatio: sine cujus conniventia nec appetitus usque ad consensum perducitur, nec ad operandum corpus movetur, nec ex motu opus perficitur, in quo affectata delectatio quæritur. Cum vero quod menti omnibus præsidenti omnia placent, et in omnibus delectatur, non in solo opere delectatio sentitur; sed præter delectationem operis est delectatio mentis, et in appetitu et consensu, sed tunc in appetitu, cum in consensu. Nam, cum non libet consentire, aut omnino non libet, aut minus libet, appetere. Cum autem libet consentire, libet et perficere. Cui hæc omnia libent, in his omnibus delectatur. Delectatio vero quæ est in appetitu, quamvis ad ipsum appetitum magis pertinere videatur quam ad consensum, id est magis ad pinguedinem carnis, quam ad medullam ossis, tamen ad consensum ea ratione pertinere dignoscitur, quod sine consensu non omnino placet ipse appetitus. Propterea inter medullas inveniuntur cum delectatione operis delectatio appetitus, et delectatio consensus, et omnis delectatio mentis, cujus motu totum disponitur, in quo male delectatur. Has autem medullas in tam obstrusis ossibus altius reconditas quis aut cujus gladius dividere potest, nisi illius, qui potest ossa peccatorum conterere, et cornua confringere? Hic nempe est, qui superbos humiliat usque ad cinerem et favillam, *qui nebulam sicut cinerem spargit; qui mittit crystallum suam sicut buccellas, qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulcris* (*Psal.* LXVII). Ille nimirum, qui mortuos suscitare potest, solus ille prævalet omnes noxias delectationes in amaritudinem pœnitentiæ convertere, ut totum displiceat quod male placebat, donec corpus peccati medullitus consumatur.

Et discretor cogitationum et intentionum cordis; et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: ad quem nobis sermo (*Hebr.* IV).

Novit Dominus cogitationes et intentiones cordis nostri, haud dubium quin sibi omnes, nobis vero illas novit, quas per gratiam discretionis nos discernere facit, quales sint. Spiritus autem qui est in homine, non totum novit quod est in homine, et de cogitationibus suis, quas consentiens vel non consentiens sentit, non semper ut in re est, ita sentit. Et quas ante oculos mentis cernit, oculis caligantibus subtiliter non discernit. Sæpe enim a propria cogitatione, vel ab homine, vel a tentatore, sub specie pietatis ingeritur, quod præmium virtutis ante oculos Dei non meretur. Sunt enim quædam verarum virtutum similitudines, et similiter vitiorum, quæ oculis cordis illudunt, et quasi quibusdam præstigiis aciem mentis ita perstringunt, ut sæpe species boni apparere videatur in re non bona, et item species mali in re non mala: quæ est pars miseriæ et ignorantiæ nostræ, multum nobis dolenda, multumque timenda. Scriptum est enim: *Sunt viæ, quæ videntur homini rectæ, quarum finis ad inferna deducit* (*Prov.* XIV, 16). Pro quo vitando periculo beatus Joannes nos admonet dicens: *Probate spiritus, si ex Deo sunt* (*I Joan.* IV). Quis autem probare potest, si ex Deo sunt spiritus, nisi a Deo data sit ei discretio spirituum, ut spirituales cogitationes, affectiones, et intentiones, subtiliter et vero judicio examinare queat? Discretio vero mater omnium virtutum, et ipsa singulis necessaria est, sive in regimine alienæ vitæ, sive in directione vel correctione propriæ. Quam quidem nullus sermo sensibus nostris intimare potest, nisi Ille vivus et efficax, qui discretor est cogitationum et intentionum cordis. Hic autem sermo totam vitam nostram secundum certam formam instituit, et ad certum finem dirigit. Quo instituente, in omnibus quæ facienda disponimus, Deum semper cogitare debemus, ut fiat secundum ipsum, et nihilominus propter ipsum. Quæris quomodo secundum ipsum, quomodo propter ipsum? Audi utrumque. Omnis actio nostra dirigenda ad finem promissionum Dei. Non licet nobis aliud facere, quam quod præcipit, aut permittit, aut con-

præparatur, et post laborem, quem Deus finxit in præcepto, merito obedientiæ obtinetur. Dicitur ergo ei, ut requiem inveniat : *In Jacob inhabita*, in populo scilicet, quem dilexi : *Jacob* enim *dilexi*, *Esau autem odio habui* (*Malach.* I). Ac si diceretur ei : Inter bonos sit conversatio tua, et cum justis sit habitatio tua Inter malos enim non est requies, sicut de quibusdam scriptum est : *Commisti sunt inter gentes, et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum, et factum est illis in scandalum* (*Psal.* CV).

Ergo malorum societas fugienda est, animo semper, sed non corpore semper : semper morum dissimilitudine, sed non semper corporali separatione. Sæpe enim dum communiter habitant boni et mali, mali fiunt emendatiores, vel boni meliores et purgatiores. Nascitur lilium inter spinas, et justus inter malos sicut lilium germinat, et compungitur in spinis, et tribulationem patitur a malis, sicut Jacob ab Esau, innocens a nocente, justus ab injusto; ipse tamen, quantum in ipso est, cum omnibus pacem habet, ut dicere possit : *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus* (*Psal.* CXIX). Lima pernecessaria in officina fabrorum, eradens rubiginem ferri ut elimatius splendeat ; sic et malus socius in conversatione communi, etsi sibi noceat, et aliis nocere intendat, quos persequitur elimat et purgat. Quid ergo? Justus qui dicit : *Habitavi cum habitantibus Cedar* (*ibid.*), an et hic Jacob inhabitat? Inhabitat quidem, et si non corpore, animo tamen. Ambulat enim simpliciter, sicut Jacob (*Gen.* XXV). Erat enim Jacob vir simplex, et nihilominus prudens, adeoque prudens, ut supplantaret Esau, emens primogenita ejus, et secundo supplantaret, ei benedictionem præripiens (*Gen.* XXVII). Nec injuste. Nam benedictio ei de jure debebatur, et Esau primogenita contempsit, abiit enim parvipendens, cum primogenita vendidisset; et cum prænascens ad hæreditatem festinaret in initio, in fine benedictione caruit (*Prov.* XX). *Cupiens* enim *hæreditare benedictionem, reprobatus est* (*Hebr.* XII). Non enim invenit locum pœnitentiæ, quanquam cum lacrymis inquisisset eam. Quisquis ergo in omnibus simpliciter agit, ne cuiquam noceat, et in omnibus prudenter, ne sibi noceatur, neve a quoquam supplantetur, neve suo jure defraudetur, ipse est Jacob, qui jus fraternæ societatis, quantum in se est, illæsum servat et illibatum. Pacifica ergo conversatio in medio fratrum nobis commendatur ; quæ bonis quidem inter malos minus est dulcis, sed sæpe magis utilis. Bonis autem inter bonos, et utilis est, et prædulcis. Nihil enim in humana conversatione melius dilectione mutua; nihil dulcius societate sancta. Amare et amari dulce est commercium, fons vitæ, delectamentum et beatitudinis præmium. Quomodo enim non dulcis est habitatio bona et jucunda, ubi Deus habitat, ubi et requiescit? *Deus enim in loco sancto suo : Deus qui inhabitare facit unius moris in domo* (*Psal.* LXVII). Unitas socialis vitæ figura est et significatio quædam illius supernæ societatis, ubi per amoris communionem, quæ propria sunt singulorum inveniuntur communia omnium. Hic nempe meritum, illic præmium ; hic figura, illic veritas, nec tamen figura hæc sine veritate ; hic requies inchoatur, illic perficitur. Perfecta enim requies inveniri non potest in loco afflictionis hujus, in loco peregrinationis hujus. Extra hæreditatem nostram non est nobis plena requies. Additur ergo : *In Israel hæreditare.* Jacob ipse est Israel, et ipse est hæreditas Domini; et Dominus est hæreditas illius. Quicunque justus supplantat Esau, malignum scilicet, qui odit fratrem suum, ut ad nihilum redigatur in conspectu ejus malignus, ipse est Jacob. Qui vero contra Deum fortis est, viriliter agens, et Deum sustinens ; qui Deum semper videt in timore suo, in desiderio suo, in spe sua, in intentione sua, ipse est Israel. Jacob autem, sicut Israel, ipse est hæreditas Domini. Nam de Israel scriptum est : *Opus manuum mearum hæreditas mea Israel* (*Isa.* XIX). Et de Jacob : *Elegit nobis hæreditatem suam, speciem Jacob quem dilexit* (*Psal.* XLVI). Nobis, inquit, elegit; quia nobis prodest quod elegit, sed suam hæreditatem elegit. Quam hæreditatem, nisi speciem Jacob, quam dilexit? Hæc est autem species Jacob, forma scilicet fidei et justitiæ, quam exhibuit Jacob omnibus proponendam, et omnibus imitandam : qui habitare consensit in Ægypto ad tempus ubi nec mortuus remanere voluit, sed transferri ad terram, quam in promissione acceperat (*Gen.* XLVII) : præmonstrans hæreditatem non esse quærendam in Ægypto, hoc est in mundo, nec in hac vita ; sed cum dederit Deus dilectis suis somnum (*Psal.* CXXVI). Hæreditas autem Israel non alia est, nisi illa de qua Propheta dicit : *Portio mea, Domine* (*Psal.* CXVIII). Et iterum : *Dominus pars hæreditatis meæ* (*Psal.* XV). Esau autem, et qui in ipso figurantur amatores mundi, propter edulium vilissimæ voluptatis, et propter unam escam, semel scilicet, et cito finiendam, jus hæreditarium contemnunt et perdunt. De qualibus scriptum est : *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem* (*Psal.* CV). At Jacob edulium contempsit, et jus primitivorum prudenter acquisivit, unde et benedictionem hæreditavit. Hæc enim hæreditas dilectione Dei acquiritur. Extra hanc hæreditatem requies frustra quæritur. Propterea quærenti eam dicitur : *In Israel hæreditare*, hoc est, stude, satage, ut hæréditeris in Israel, non in Ægypto, non inter gentes quæ ignorant Deum, sed in populo Israel. Sola ergo hæreditas Israel requiem quærentibus est quærenda, et perseveranter. Nam *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X). Unde et additur : *In electis meis mitte radices.* Sicut cupiditas est radix omnium malorum, sic et charitas radix est omnium bonorum. De illa dicitur : *Vidi stultum firma radice, et maledixi pulchritudini ejus statim* (*Job* V). Stultus est, qui æternis temporalia præponit. Hic firmam habet radicem, sed secundum suam, sibique similium, reputationem. Confidit enim in virtute sua, et in multitudine

divitiarum suarum gloriatur (*Psal.* XLVIII). Et: *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt* (*Psal.* CXLIII). Statim, inquit, maledixi pulchritudini ejus. Huic concordat Psalmista, dicens: *Deus destruet te in finem, et evellet te de tabernaculo tuo, et radicem tuam de terra viventium* (*Psal.* LI). Ne ergo dilectio Dei per inconstantiam animi relabatur in cupiditatem sæculi; et ne dilectio proximi aliquibus injuriis exagitata recidere possit in odium vel contemptum proximi, dilectori Dei et proximi recte dicitur: In electis meis mitte radices: quibus verbis monetur in utraque dilectione inconvulsis radicibus stare, et usque ad finem perseverare, ut aliquando dicere valeat: *Et radicavi in populo honorificato.* Populus enim justorum tribus modis, et quasi tribus nominibus significatur: *In Jacob, in Israel, in electis meis.* Jacob enim est secundum simplicem prudentiam, in qua simpliciter ambulat, et omnia molimina supplantat, ne supplantatus jus suum perdat. Israel vero est, cum tam fortis est, ut Deum sustineat; vel tam beatus, ut videat. Electus autem est, quia cum nondum diligeret, prior est dilectus. Dilectus autem est, et electus ad requiem sibi præparatam, quæ in tempore suo ei dabitur, et triplici felicitate consummabitur, hoc est communione beatissimæ societatis, visione ipsius divinæ majestatis, stabilitate interminabilis æternitatis. Hinc scriptum est: *In terra sua duplicia possidebunt, lætitia sempiterna erit eis* (*Isa.* LXI). Primæ felicitati congruit dilectio proximi, secundæ dilectio Dei, tertiæ tenor perseverandi, id est usque in finem diligendi. Diligamus ergo proximum, vel in Deo, si bonus est; vel propter Deum, si malus est. Diligamus eum, ut sic inhabitemus in Jacob, id est ut permaneamus in communione justorum, et longe semper efficiamur a communione malorum; ne unquam simus de illis, nec tunc etiam cum vivimus inter illos, vel cum illis. Hujus inhabitationis in Jacob lex est dilectio proximi, per quam servatur inter justos unitas fraternitatis, ut perveniatur ad communionem supernæ societatis. Diligamus Deum toto corde et tota anima, ut hæreditemur in Israel, ne aliam quæramus hæreditatem, quam ipsius Dei visionem, qui *jurarit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis* (*Luc.* I). Perseveremus autem in dilectione Dei et proximi usque in finem, ut requies nostra in regno Dei perpetuetur sine fine.

De triplici inquietudine.

Cogitemus hoc loco triplicem inquietudinem, quæ impedit optatam requiem: quæ nos crebra molestiarum experientia pene indesinenter de se cogitare compellit. Inquietamur enim a malitia temporis, hoc est, totius hujus mutabilitatis: a malitia cordis, hoc est propriæ cupiditatis; a malitia super malitiam, secunda super primam, et adhuc tertia super secundam. *Sufficit diei malitia sua* (*Matth.* VI). Sufficere quidem posset malitia temporis, ut satis miseri essemus; sed aliena perversitas, et propria iniquitas, supra modum nos aggravant, ut satis super-

A que miseri simus. Quid dico, miseri? Imo miseris inferiores, et omnino miserrimi. Quo declinabo a miseria mea tam multa, tam magna? Quo me vertam, ut requiem inveniam? In omnibus enim requiem quæsivi; sed ubique quæsitam nusquam inveni. O requies, ubi es, et ubi te inveniam! Scio, quia non inveniam te, nisi tu venias ad me. Domine Deus, tu solus es requies animarum, et non est pax nobis a tota miseria ista, nisi per te, et in te. Ego quidem, ut invenirem requiem in te, ad hæreditatem tuam ubi tu requiescis, me verti, et dixi: *In hæreditate Domini morabor.* Hoc dixi mentis proposito, cordis desiderio professionis voto; da mihi nunc, ut dicere queam: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Fac in me tabernaculum tuum, et requiesce in me,
B ut requiescam in te. Hæc est enim requies tua, operatio requiei nostræ. Operare ergo in me, ut ante omnia et super omnia diligam te; ut nihil cupiam extra te, nihil nisi te, vel propter te: et erit mihi pax, et erit mihi requies in corde meo, a cupiditate mala, a malitia cordis mei, a curis tam multis, tam malis, tam acerbis, quæ cor meum devorant, sicut aves morsu amarissimo. O quam beatum me dicerem, imo et corde sentirem, si solo tui desiderio accensus, æstuans et suspirans cum Propheta dicere possem. Ecce, *quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram?* (*Psal.* LXXII.) Si hoc dicere possem, cur non statim gratulabundus adjungerem: Abite, abite, vanissimæ curæ meæ, et perturbationes meæ: vane enim conturbatur omnis homo?
C Abite sollicitudines meæ, et date locum paci et requiei meæ; quia *Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum* (*ibid.*). Domine Deus, requies animarum, si dederis mihi requiem a cupiditate mala, quæ radix est omnium malorum, quid mihi nocere poterit perversitas aliena, cum non dominetur iniquitas propria? Si dixerit Esau: Occidam fratrem meum; si persecutus fuerit Jacob, et relictis patre et matre et patria compulerit eum in baculo transire Jordanem istum, et a solo Deo panem ad manducandum, et vestimentum quo operiatur, petere et sperare, et procul a finibus suis tot annorum circulis exsulare et servire, quid potest contra Jacob? quia tu adjutor fortis, o Deus Jacob. Conforta me,
D Domine, in dilectione tua, et in dilectione proximi, quem propter te diligendum instituisti. Conforta, quæso, ut propter te diligere valeam etiam me odientes, etsi inimicus mihi fuerit etiam frater meus, ita ut eum valde timeam, illum tamen nullatenus odio habeam, sed iratum muneribus placare satagam, et pro malis bona retribuam, ut de irato placatum habeam, et apud eum gratiam inveniam, et ad me diligendum obsequiis pertraham, et de inimico amicum faciam, nunquam vincendus a malo, sed vincens in bono malum. Si convalescat, Domine, tam fortis dilectio in me, per te omnis malitia hominis deinceps non inquietabit me. At malitia temporis quando cessabit? quandiu durabit? Dum obnoxii sumus tempori, et subjecti huic mutabilitati,

est rex? Isti fles concupiscibilis, desiderabilis et amabilis, si aurem inclinaveris, si te humiliaveris, et tanto magis, quanto major fueris. Quanto magis te humilias, tanto magis Dominum magnificas. Unde quæ præ cæteris tanto creditur humilior, quanto dignior, quæ singulariter dicit : *Magnificat anima mea Dominum* (*Luc.* I), plus magnificavit, quæ plus magnificata est, et sublimior effecta est, ut singulariter dicere possit : *Quia fecit mihi magna, qui potens est* (*ibid.*), plus magnificata plus Deum magnificavit, quia plus se humiliavit, humilitatis suæ ipsa sibi testis est, humiliter dicens : *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ* (*ibid.*). Testis et Elisabeth, quæ Dei matre veniente ad se pariter miratur suam felicitatem, et illius dignitatem, et in tanta dignitate humilitatem. Semper enim mirabilis est in dignitate magna humilitas magna, in potentia magna humilitas magna; in sapientia, eloquentia, virtute, humilitas magna. Denique in omnibus magnis humilitas magna parilis est dimensio, quæ faciem componit, et omnia conformat et coaptat, ut omnibus omnia congruant.

De gratia decoris.

Gratiam hujus venustatis adornat gratia coloris, candoris pariter et ruboris. Color pudor est. Est autem geminus pudor, pudor pudicus, et pudor verecundus. Pudicitia et verecundia lilium candens et rosa rubens. Pudicitia suo candore faciem afficit, verecundia suo rubore genas perfundit. Verecundia custos est pudicitiæ, et decus pariter et ornamentum ejus. Habent autem singuli sensus et mentis et corporis suam pudicitiam, suamque verecundiam. Est enim pudicitia oculorum, est et verecundia eorum ; est pudicitia aurium et verecundia earum ; et in aliis sensibus pudicitiæ comes solet esse verecundia. Pudicitia autem omnium sensuum ex eorum incorruptione æstimatur. Hinc Apostolus ait: *Timeo ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, et excidant a simplicitate, quæ est in Christo Jesu* (*II Cor.* XI). Sancta verecundia est, quæ turpia sunt erubescere ; sancta pudicitia, immaculatum se custodire. Vide quam castos habebat oculos, qui dicebat : *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine* (*Job* XXXI). At qui viderit mulierem, ad concupiscendam eam, quid nisi oculum habet impudicum? Impudicus autem oculus impudicæ mentis est nuntius. Corruptio sensuum impudicitiæ est contubernium. Integritas sensuum castitatis est signaculum. Hujus autem virginis tanta fuit integritas, et mentis et corporis castitas, ut tota virgo fuerit, tota impolluta, tota immaculata, nullo sensu corrupta, nullo sensu contaminata. Totum erubuit quod turpe est, totum reprobavit quod malum est, totum voluit quod pudicum est, totum devovit quod inhonestum est. Hæc est enim plena virginitas, in omnibus sensibus illibata integritas. Omnis delibatio integritatis, quædam defloratio est virginitatis. Hic est luculentus color, castitatis candore et verecundiæ rubore permistus, in facie hujus virginis resplendens, et gratiam pulchritudinis adaugens. Luculente ergo colorata est, pudica pariter et pudibunda, ut in ea impleatur, quod scriptum est : *Gratia super gratiam, mulier sancta et pudorata* (*Eccli.* XXVI). Gratia plena. Accedit ad gratiam, quod hilariter affecta est, facies ejus exhilarata est in oleo exsultationis, quia tota devotione plena charitatis fervore, sese Deo obtulit in odorem suavitatis. Præ omnibus filiabus Sion, quæ exsultant in Rege suo, exsultavit spiritus ejus in Deo salutari suo. Vide quam decora facies, quam gratia parilitatis formavit, gratia candoris et ruboris illustravit, hilaritatis gratia lætificavit. Nec sola facie pulchra est, sed tota pulchra, sicut testatur, cui placuit, dicens : *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te* (*Cant.* IV). Ecce quam plena gratia decoris.

De gratia favoris.

Nec impar ei gratia favoris. Ab omnibus enim amatur, laudatur, honoratur, prima post Deum hominum et angelorum amor, laus, et decus. Laudes ejus pronuntiat omnis Ecclesia sanctorum : *Viderunt filiæ Sion, et beatissimam prædicaverunt : Reginæ et concubinæ laudaverunt eam* (*Cant.* VI). Hanc autem tanti favoris gratiam ipsa non tacet, cum dicit : *Beatam me dicent omnes generationes* (*Luc.* I).

De gratia honoris.

Honoris gratia quanta ei collata sit, non est nostræ facultatis edicere. Nam, cum omnia in ea laude sint digna, et quæ propria habet et quæ communia, speciali laude utraque eam commendant. Communia enim singulariter habet, quia superexcellenter præ cæteris habet, quæ cum cæteris habet. Et singulariter est quod sola non est. Casta est, humilis est, suavis et benigna. Sunt et aliæ similium virtutum, sed non similiter, non æqualiter. Omnibus excellit : et in omnibus domina mundi, et cœli regina, hominum et angelorum, mater Dei et filia, soror et sponsa, amica et proxima. Mater per fecunditatem virginitatis, filia per gratiam adoptionis, soror per gratiam communionis, sponsa per fidem desponsationis, amica per vicissitudinem dilectionis, proxima per vicinitatem similitudinis : omnibus pulchrior, omnibus amabilior, superspeciosa, supergratiosa, supergloriosa. *Dominus tecum.* Quid singularis gloriæ habet, quod dictum est : *Dominus tecum*, cum Gedeoni ab angelo dictum sit : *Dominus tecum sit, virorum fortissime?* (*Jud.* VI.) Et Psalmista dicit : *Dominus virtutum nobiscum* (*Psal.* XLVI). Et Christus nobis dicit : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). Et de Christo Isaias dicit : *Et vocabitur nomen ejus Emmanuel, hoc est nobiscum Deus* (*Isai.* VII). Sed hoc dicturus præmisit : *Ecce virgo concipiet et pariet filium; et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (*ibid.*). Quomodo enim ad nos veniret, ut esset nobiscum, nisi quia ad Virginem venit, quam et præ-

venit, ut cum ea esset, et in ea, et ex ea, et sit per eam in nobis : cum sit susceptor noster Deus Jacob? Ad hoc enim nostram naturam ex ea suscepit Deus Jacob, ut nobiscum sit semper, dicens : *Deliciæ meæ, esse cum filiis hominum* (*Prov.* VIII). Si autem deliciæ Dei sunt esse cum filiis hominum, quantæ putas deliciæ ejus sunt esse cum unica sua, quam præelegit in ministerium tantarum deliciarum? Quod ergo nobiscum est, communicans naturæ nostræ, et communicator gratiæ suæ, ut simus filii et hæredes Dei, fratres autem et cohæredes Jesu Christi, hoc tam magnum donum, tam magnum bonum illi singulariter dictum est : *Dominus tecum*. Hujus tantæ dispensationis ministra et cooperatrix effecta, salutem mundi, nobis dedit. Sed, quia sola non potuit, sed ministerium præbuit, sed effectum mediatricis exhibuit, sed mediatorem, qui hoc posset, in medium produxit, recte dicitur : *Dominus tecum*. Opus quiddam magnificum factura es, salus mundi per te procuranda est, sceptrum exactoris superandum est, sicut in die Madian. Sed supra omnem humanam virtutem et sapientiam est, ad quod electa es; sed Dominus tecum, cui non est impossibile omne verbum. Sic ad Gedeonem, cum liberaturus esset filios Israel de Madian, dicitur : *Dominus tecum, virorum fortissime* (*Judic.* VI); ubi et fortitudo commemoratur, et fortitudine opus erat, Deo fortitudinem dante, qui est adjutor fortis. In hoc quoque opere salutis nostræ, quod a plenissima gratia inchoatur, et in plenissima gratia consummatur, plenitudo gratiæ commemoratur; et auctori gratiæ laus ascribitur, qui Virgine cooperante auctor operis ostenditur.

Benedictio Virginis.

Post Deum auctorem tanti beneficii prima laus Virgini debetur, ut ab omnibus merito benedicatur. Propter quod ei ab angelo dicitur : *Benedicta tu in mulieribus* (*Luc.* I). Et ad eam Elizabeth : *Benedicta tu inter mulieres* (*ibid.*). Eva per superbiam et inobedientiæ culpam sententiam maledictionis in se excepit, et nos per eam maledictioni obnoxii sumus. Superbiæ enim maledictio debetur, *quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*I Petr.* V). Hinc scriptum est : *Initium omnis peccati superbia. Qui autem tenuerit eam, adimplebitur maledictis* (*Eccli.* X). Maria autem sese humiliavit, et benedictionem meruit. Attendamus, ut possumus, quantum se humiliavit, et quam benedicta fuerit. Est quædam humilitas sub præcepto, est quædam sub consilio, quædam sub exemplo, quædam sub proposito vel voto, quædam sub maledicto. Præceptum imponit necessitatem, consilium excitat liberam voluntatem, exemplum provocat ad æmulationem, sanctum propositum sive votum cumulat devotionem, maledictum adducit confusionem. Humilitas sub consilio major est, quæ est sub præcepto. Præcipimur aliena non rapere, monemur propria relinquere. Hoc majus bonum, illud tamen magis

A necessarium. Illud communius, hoc restrictius. Humilitas sub exemplo, sine præcepto et sine consilio, a typho superbiæ et fastu arrogantiæ longius videtur abesse. Magnæ enim humilitatis indicium est, nullo cogente, nullo suadente, recte agentem sibi præferre; nec dedignari quidquid dignum fuerit imitatione. Sæpe autem sine præcepto, consilio, et exemplo, occulto mentis instinctu aliquid boni percipitur, et in propositum sive votum assumitur, quæ est mira humilitas. Magnæ siquidem virtutis est, communi libertati renuntiare, et sanctæ necessitati sese subdere. Nonnunquam vero quod Deo dignoscitur esse acceptum, apud homines invenitur probrosum, et maledictioni obnoxium. Propterea quidam timore confusionis victi, sæpe perfectionis
B studium quod appetunt, erubescunt, et dum linguas hominum metuunt, bona fugiunt quæ concupiscunt. Quidam vero justitiam et sanctitatem sic probant, et sic zelant, ut hominum maledictiones et opprobria contemnant; gloriosum reputantes pro nomine Jesu contumeliam pati; et majores divitias æstimant thesauris Ægypti improperium Christi. Hæc pars humilitatis quanto maledictiones hominum propter Deum minus veretur, tanto abundantiorem benedictionis gratiam apud Deum meretur. Hanc humilitatis partem nec Christus prætermisit : qui omnem justitiam implere volens, factus est pro nobis maledictum, sicut scriptum est : *Maledictus omnis qui pendet in ligno* (*Deut.* XXI; *Gal.* III). Quomodo
C autem factus sit maledictum, ostendit, qui dicit : *Ab hominibus quidem reprobatus, a Deo autem electus* (*I Petr.* II). Cui et illud concordat : *Maledicent illi, et tu benedices* (*Psal.* CVIII). Æstimemus, ex his quæ dicta sunt, qualis fuerit humilitas hujus Virginis, quæ virginitatem suam sine legis præcepto sub legis maledicto consecravit, quia maledicta reputabatur, quæ non reliquisset semen in Israel. Si Deus in initio quibus benedixit, his et dixit : *Crescite et multiplicamini* (*Gen.* I), dans eis gratiam fecunditatis pro benedictione; quomodo ab hac benedictione aliena non est, quæ fecunditatis expers est? Si fecunditas benedictio est, quomodo sterilitas maledictio non est? Quid virginitate sterilius, quid infecundius, quid infructuosius? Nihil omnino.
D Sed ante virginem fecundam. Nam virginitate fecunda nihil fructuosius. Sanctimonia autem virginitatis supra legem est, quam nulla lex in præceptum redegit, sed evangelica perfectio in consilio formavit, Domino dicente : *Qui potest capere, capiat* (*Matth.* XIX); et Apostolo : *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do* (*I Cor.* VII). Hujus itaque virginis propositum nullum præcessit legis præceptum; nullum ut quibusdam videtur, de lege consilium, nullum ex lege exemplum quod de mulieribus magis accipiendum quam de viris. Nam Elias et Jeremias et Daniel virginitatis castimoniam servasse æstimantur. In mulieribus vero, vel ante legem, vel sub lege, exemplum servatæ virginitatis, Deoque dicatæ, non oc-

currit. Nam quod filia Jephte duorum mensium inducias ad deplorandam virginitatem suam impetravit (*Judic.* XI), varie interpretari potest. Quo enim animo id fecerit, Scriptura non loquitur. Nam, si causa deploratæ virginitatis hæc fuit, quod quasi sterilis sine fructu non esset semen relictura in Israel, a proposito sanctæ virginitatis longe est hæc mentis cogitatio, et lacrymarum profusio. Verumtamen altum quid, quidquid illud sit, quod novit inspector cordis, cogitasse videtur, quæ patri suo dixerit: *Pater mi, si aperuisti os tuum ad Deum, fac mihi quodcunque pollicitus es, concessa tibi ultione atque vindicta de hostibus tuis* (*ibid.*). Unde autem nostræ virgini, ut vel credere posset, virginitatem Deo placituram, quæ tam obnoxia esset maledictioni, quam proxima sterilitati? At apud Isaiam legisse poterat: *Non dicat eunuchus: Ecce ego lignum aridum, quia hæc dicit Dominus eunuchis: Dabo eis in domo mea, et in muris meis locum et nomen melius a filiis et filiabus* (*Isai.* LVI). Poterat et illud: *Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (*Isai.* VII).

Cum honor nominis, quod melius est filiis et filiabus, eunuchis, id est virginibus repromissus sit, cum Salvator mundi de virgine nasciturus prænuntiatus sit, eodem spiritu, qui prophetam hæc dicentem inspiravit, suggerentem cogitare potuit virgo divinitus inspirata virginitatem Deo admodum gratam, admodum caram existere; cui honor Deum concipiendi in virgine paritura servatus sit. Quæ quidem sive prophetæ oraculo de merito virginitatis instructa, sive divino instinctu tantum inde interius edocta, virginitatem adamavit, virginitatem amplexa in odorem suavissimum Domino obtulit, et consecravit, et maledictionis opprobrium contempsit. Sed virginitate hactenus sterili fecunditatem accepit, pro maledictione contempta gratiam benedictionis invenit. Erat aliis pro maledictione iniquitas in conceptu, dolor in partu, et in quibusdam sterilitas sine fructu. Hæc autem sine peccato concepit, sine dolore peperit, de virginitate fructum protulit. Et qualem fructum? Fructum utique singularem, fructum pretiosiorem toto fructu conjugii. Quisnam est fructus conjugii, nisi tota Adæ posteritas, tota hæc filiorum hominum numerositas? Nam qui de fornicatione nati sunt, de primis parentibus conjugio copulatis propagati sunt. Totus autem fructus carnalis permistionis prædamnatus est, utpote de mala arbore natus, et de vitiosa radice corruptus; mala siquidem arbor malos fructus facit (*Matth.* VII; *Luc.* VI). Quænam, inquis, est mala arbor? Concupiscentia utique mala, concupiscentia carnis, quam sane trahunt, quicunque secundum legem carnis generantur, quicunque ex traduce peccati propagantur. Hæc est autem originale malum in nobis, malorum seminarium, et totius massæ corruptæ fermentum, et communis damnationis initium et complementum. Huic originali malo tam noxio, tam mortifero, remediari oportuit per originale bonum, de statu primæ conditionis, post primam prævaricationem et vitiosam nascendi legem, in nascentibus adhuc reservatum. Deus enim sententiam suam adversus hominem peccatorem sic temperavit, ut natura vitio corrupta ex parte malum sentiret, quod meruit; et ex parte bonum recoleret, quod habuit. Propter peccatum itaque inobedientiæ, legem inobedientiæ, hoc est vitium concupiscentiæ, nascentibus invexit vitiosa propagatio; et tamen aliquam incorruptionis integritatem in nascentibus retinet primitiva conditio. Omnes enim virgines nascuntur, et virginitas de utero egressa ætatum incrementa comitatur, et floridæ incorruptionis gratiam retinet usque ad corruptelam carnis, quæ motum concupiscentiæ non restringit, et integritatis nomen exstinguit, et vernantis virginitatis florem corrumpit. Verumtamen, quod in commistione perdit maris feminæque complexio, hoc in partu restituit nativitatis origo. Virginitas autem omnium nascentium communis integritas, virtutis nomen et laudem in his potissimum habet, qui cum integritate carnis servant castitatem mentis. Virginitas autem carnis sine castitate mentis, etsi non habeat ipsa in se criminis vituperium, non habet tamen veræ virtutis præconium. Virginitas autem hujus benedictæ mulieris singularem habet virtutis laudem, quia singularem obtinet benedictionis gratiam, cui merito dictum sit: *Benedicta tu in mulieribus.* Benedicta plane, primo quidem immunitate communis maledictionis, deinde absolutione justæ criminationis, postremo, quod maximum est, aversione debitæ damnationis. Cæteras quippe mulieres generalis maledictio, tam parientes quam steriles involvit, cui per gratiam hæc exempta, in hoc quamdam partem benedictionis obtinuit, quod generali incommodo sola caruit, et immunis exstitit. Hæc est, quam diximus, immunitas generalis maledictionis. Poterat vir peccator peccatum adversus mulierem causari, et dicere: Per te, o mulier maledicta, et merito maledicenda, et ego maledictus sum; per te sum de paradiso ejectus, per te hæc et hæc bona perdidi; per te hæc et hæc mala reperi; væ tibi, quia per te factum est, væ mihi! Ad hæc non poterat omnis mulier unum respondere verbum, ad hæc non poterat nisi confusione confundi et conturbatione perturbari. Hinc totum genus mulierum potuit esse exosum, et publica exprobratione dignissimum. Et sic quidem erat ante hujus virginis partum. Nunc autem longe aliter est. Habet enim mulier nunc quid respondeat; habet in beata virgine, quod huic exprobrationi opponat. Hæc est, quam diximus, absolutio justæ criminationis. A qua quidem criminatione et hæc virgo libera exstitit, et suo merito cæteras absolvit. Quæ quoniam Salvatorem mundi edidit, qui mortem destruxit, et debitam nobis damnationem avertit, totum ei post Deum debemus, quod a maledicto liberati sumus; quod omni benedictione spirituali in cœlestibus benedicti sumus, ut sicut ipsa est semper apud Deum benedicta, sic a nobis sit semper benedicenda.

carnalem, et vitam spiritualem. Pertingit et iste A gladius usque ad divisionem animæ seorsum, et usque ad divisionem spiritus similiter seorsum : sed de divisione animæ plus occurrit dicendum. Anima simplex quædam natura est, et indivisibilis secundum essentiam, unicuique corpori in unitate personæ unita, sola soli, una uni, ideoque recte dicitur unica unici. Verumtamen hæc anima, cum secundum Deum diligit, quem propter Deum diligendum cognoscit; per affectum charitatis illi se unit, quem in charitate subjungit; et per affectiones amoris in se divisa, non solum in corpore, cui personaliter unita est, vivit : sed quodam modo vitam et sensum extra se dividit, ad illos, quibus se per amorem jungit. Propterea, non solum propria bona vel mala sentit; sed ad sentienda quæ aliena sunt, B congratulando vel compatiendo se impertit. Propterea gladius spiritus non solum per dolorem propriæ passionis, sed et per compassionem alieni doloris incidit. Et fieri potest, ut acerbior sit quam patientis, dolor compatientis. Sæpe enim in languore filii plus cruciatur mater condolens, quam filius dolens. Facit hoc amor, qui alienum dolorem in se transfert; et sese cum augmento doloris, ut plus condoleat, quam alter doleat, qui nonnunquam desiderat solus dolere, ne alter doleat. In passione autem condolendi, anima condolentis quodam modo dividitur a se, et in se. Nam, cum patitur, qui amatur, ut dolorem ejus sibi faciat communem, se illi indulget, et se transfundit extra se; C et per obsequium compassionis se illi unit, ut vicem ejus doleat; et quodam modo præstat, ut ejus sit, cui se per affectum condolendi infudit, tanquam vivens apud illum, cujus sentit cruciatum. Unde senex Simeon, cum prophetasset de Christo, et dixisset : *Ecce hic positus est in ruinam et resurrectionem multorum in Israel, et in signum, cui contradicetur* (*Luc.* II) : mox ad B. Virginem loquens, subintulit, dicens : *Et tuam ipsius animam gladius pertransibit* (*ibid.*). Hoc est, sic tuam animam, quasi sit ipsius, pertransibit gladius. Potest etiam sic intelligi : Tuam ipsius animam, hoc est, tuam propriam animam pertransibit gladius. Juxta quem modum loquendi, sicut quidam sancti doctores utuntur, Apostolus ait : *Cum metu et tremore vestram* D *ipsorum salutem operamini* (*Philipp.* II), id est propriam salutem. Mater quippe Dei, quæ plus omnibus dilexit, sicut et plus omnibus dilecta, ita morienti filio compassa est, quasi vere passa. Nam secundum magnitudinem amoris ejus, ita et dolor ejus. Nam, cum filium diligeret plusquam se, vulnera quæ ipse accepit in corpore, intimo sensu doloris pertulit ipsa in mente : cui et ipsa passio Christi pro martyrio fuit. Nam caro Christi quodam modo caro ejus fuit, hoc est caro de carne ejus, quam a Christo susceptam de se plus amavit in Christo, quam suam in se. Quæ quanto plus amavit, tanto et plus doluit; plus passa in mente quam martyr in corpore. Proinde gloriosi martyrii singulari privilegio præfulget. Cæteri nempe martyres martyrio propriæ mortis consummati sunt. At hæc carnem de carne sua pro salute mundi passuram ministravit, et in passione Christi, et de passione, ita animam ejus vis doloris obtinuit, ut quasi in Christo martyrio consummata, summam post Christum martyrii gloriam meruisse credatur.

Item de divisione spiritus et animæ Mariæ.

Est et aliud considerandum hoc loco, tanquam pertinens ad divisionem animæ et spiritus. Mater quippe Dei cum ex morte unigeniti filii sui salutem mundi proventuram esse cognosceret, mortem ejus et voluit et doluit. Voluit quidem, propter suam pariterque nostram salutem; doluit tamen, quia mater erat, mater infirmitatis Christi, et ipsa infirma. Inter tristitiam ergo animæ et gaudium spiritus, qui exsultavit in Deo salutari suo, gladius spiritus divisit : ille scilicet gladius, qui divisit inter patrem et filium, inter fratrem et fratrem, inter sponsum et sponsam, inter amicum et amicum, inter animam et spiritum, inter animam et animam, inter spiritum et spiritum, inter amorem et amorem, inter odium et odium, inter amorem et odium, inter pacem et pacem, inter bellum et bellum, inter pacem et bellum. *Non veni*, inquit Dominus, *mittere pacem sed gladium* (*Matth.* X). Quis potest cognoscere omnes divisiones animæ et spiritus, quas amantes charitate vulnerati in se non possunt non sentire, et præ multitudine non valent dinumerare ? Multiplex quippe est divisio animæ et spiritus, et sicut multipliciter sermo Dei cor tangit, ita multipliciter ad divisionem animæ et spiritus pertingit.

De divisione spiritus seorsum.

Licet ex iis quæ dicta sunt de divisione animæ seorsum, perpendi possit, quæ sit divisio spiritus seorsum; de ipsa tamen divisione spiritus, ut occasio detur sapienti, et sapientior fiat, aliquid perstringere libet. Spiritus est Deus; et qui adhæret Deo, unus spiritus est (*I Cor.* VI). Spiritus vero hominis, cum totum quod in se divisum est et sparsum colligere et adunare non possit, nisi uni et simplici Deo se jungat, ad Deum tamen se dividit, cum se diversis modis conjungit, et in conjungendo diversis modis quærit, ut arctius jungat, et jungatur. Et ad hæc quis idoneus ? Omnes excessus pavoris, admirationis, stuporis, meditationis et contemplationis quis dinumerat ? Stimulos compunctionum, gaudia devotionum, modulos jubilationum, tractus suspiriorum, singultus gemituum, æstus desideriorum, intentiones orationum, quis dinumerat ? Qui dies sæculi et pluviæ guttas dinumerat, solus ille est. Hæc comprehendere potest, et dinumerare. Mens enim quæ in dilectione Dei figitur, innumerabilibus amoris passionibus subjicitur, et innumerabilibus modis afficitur; et dum vicissitudines affectionum mirabiliter alternat, constanter tamen et immobiliter amat; et dum se multiformiter va-

bilior, dulcior, firmior, ferventior; cujus vim omnis amoris comparatio nec excedere potest, nec æquare, sed nec ad plenum exprimere. Non dedignatur tamen Christus aquilæ comparari vel gallinæ, in qua re commendatur miranda Christi charitas, mirandaque humilitas, utriusque admiranda suavitas. Pater est, cum dicit: *Amodo voca me, Pater meus, dux virginitatis meæ tu es* (*Jer.* III). Et illud: *Patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis* (*ibid.*). Maternæ pietatis visceribus abundantior, cum dicit. *Quemadmodum mater consolatur filios suos; ita et ego consolabor vos* (*Isa.* LXI). Frater est, cum dicit: *Hortus conclusus soror mea* (*Cant.* IV). Item: *Ite ad fratres meos* (*Matth.* XXVIII). Amicus est, cum dicit: *Tota pulchra es, amica mea* (*Cant* IV); et cum de illo dicitur: *Talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus* (*Cant.* V). Sponsus est, cum dicit: *Gaudebit sponsus super sponsam, et gaudebit super te Deus tuus* (*Isa.* LXII). Et nunc frater et sponsus est, cum dicit: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa.* Cum sororem nominat, communionem indicat et naturæ et gratiæ. Hoc est enim commercium amoris. Accepit naturam, et communicavit gratiam. Cum sponsam nominat, indicat fidem desponsationis, et sacramentum indissolubilis conjunctionis. Sed quæ soror dicitur et sponsa, cur vulnerasse dicitur cor fratris et sponsi? An et amor sua vulnera habet? Habet utique. Sunt enim quædam vulnera salutifera, quædam mortifera. Quæ autem magis mortifera, quam quæ pertulit ipse auctor mortis, vulneratus telo livoris et gladio doloris? De quo scriptum est: *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum* (*Psal.* LXXXVIII). Nec solus ille sic vulneratus est; sed per eum ceciderunt vulnerati multi. De his enim scriptum est: *Sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius* (*Psal.* LXXXVII). Salutifera autem sunt vulnera, quibus vulnerata est sponsa, vulnus amoris et vulnus doloris; et multo magis salutifera vulnera sponsi, vulnus item amoris, et vulnus doloris. De doloris vulnere dicit sponsa: *Percusserunt me, et vulneraverunt me* (*Cant.* V). De amoris vulnere eadem dicit: *Vulnerata charitate ego sum.* Et si licet in re tam sacra tam reverenda, eximii poetæ opinionem in medium adducere, ut veritati serviat, testis est ipse, quia amoris vulnus est, dicens:

At regina gravi jamdudum saucia cura,
Vulnus alit venis, et cæco carpitur igni.
VIRG.

In Daniele quoque de duobus senibus judicibus scriptum est: *Erant autem ambo vulnerati amore ejus* (*Dan.* XIII), Susannæ videlicet. At hæc de amore non sancto. Sanctus vero amor ad vulnerandum longe est efficacior, longeque validior. Attendamus ergo, quomodo sponsus cor suum a sorore et sponsa vulneratum dicit; nec semel dicit, sed secundo, ingeminans: *Vulnerasti cor meum, soror* A *mea sponsa, vulnerasti cor meum.* Nempe propter nimiam charitatem, qua nos dilexit, cum essemus mortui peccatis, vitam nobis desideravit, et sibi mortem. Hinc ejus vulnera in cruce suspensi; hinc peccatorum nostrorum vulnera sunt sanata; hinc nobis salus est ministrata. Desiderium ergo nostræ salutis, et pro nostra salute desiderium propriæ mortis, duo vulnera sunt, alterum amoris, alterum doloris: imo utrumque amoris. Utrumque enim desiderium de amore processit, quo præventa est sponsa, ut sic diligentem prædilecta diligeret; et in omni veritate sancti amoris, sanctique timoris immaculatam se illi conservaret. Nunc dicitur ipsa in uno oculorum et in uno crine colli cor sponsi vulnerasse; quasi illorum pulchritudine illectus sit B ille ad amorem, qui fœdam amavit, ut pulchram faceret; sed in horum pulchritudine apparet, quod electa est ipsa per amorem. Ad hoc enim dirigebatur intentio amoris, ut pulchra fieret, quæ intantum diligebatur, antequam pulchra fieret; ut præ amoris magnitudine cor suum vulneratum dicat, intuitu eorum, quibus pulchra fieret. Mutuis quippe vulneribus sponsus et sponsa sese vulnerant; sed sponsus non nisi vulneratus vulnerat; sponsa vero et non vulnerata vulnerat. Sed quid sibi vult, quod in tota pulchritudine sponsæ, quæ tota pulchra dicitur, non vulneratur, nisi in uno oculorum, et in uno crine colli? Qui totam amat, et totam laudat, genas et labia, ubera et juncturam femorum, cæteraque omnia, cur non in genis et labiis, cæte- C risque sua pulchritudine mirandis; sed quasi amore captus, unius oculi et unius crinis pulchritudine vulneratur? An in his aliqua singularis gratia pulchritudinis prælucet, quæ præ cæteris illi placet? Profecto sic est. Ante omnia illi placent, propter quæ omnia illi placent. Quænam sunt illa? Puritas sancti amoris et puritas sancti timoris. Hæc in uno oculorum, illa in uno crine colli intelligitur. In Zacharia propheta de amphora vel impietate, quæ est cupiditas vel amor mundi, dicitur; *Hæc est oculus eorum in universa terra* (*Zach.* V). Hic autem oculus terram respicit, et non cœlum; mundum, non Deum; transitoria et non æterna; visibilia et non invisibilia: nec enim potest. Impurus est enim et obscurus. At amor Dei cum perfectus est, et di- D visus non est, oculus est simplex, purus, sua pulchritudine conspicuus, qui mira subtilitate conspicuus contemplatur, non ea quæ videntur, sed quæ non videntur. Hic est aspectus Rachelis quæ decora facie describitur, et venusto aspectu (*Gen.* XXIX). Hic est oculus, quo videt Maria optimam partem, quam elegit, quæ non auferetur ab ea (*Luc.* XI). Hic oculus solus non est, sed unus oculorum est. Vere unus, quia uni intentus unum amat, unum curat. Est et alius oculus sponsæ, quo non jam pulchritudinem sponsi contemplatur; sed in se descendens, magis nolens quam volens, se videt egenam et miseram, multis necessitatibus et infirmitatibus expositam, non solum a suis, sed et alienis, tan-

ut adsit delectatio. Quid igitur magis intimum est in peccatis, vel quæ magis peccati medulla dicenda quam delectatio, quæ in omni peccato maxime quæritur, etiam ubi non invenitur? Ut de peccato ad justitiam convertamus sermonem, quæ magis dicenda est medulla justitiæ, quam ipsius justitiæ intima pinguedo, id est intima delectatio?

De triplici pinguedine bonorum.

Si cogitemus corpora animalium, et quæ in eis pinguia sunt, apparebit quædam pinguedo exterior ipsi carni adhærens, deinde alia pinguedo interior, et vitalibus adhærens, quæ adeps dici solet. Deinde alia pinguedo ossa replens, quæ tota est pinguedo, et hæc est medulla. Anima quoque justi in ipsis justitiæ primordiis quamdam in se pinguedinem habet, inquantum legi Dei condelectatur, sed quasi carni adhærentem, quia prisca carnis consuetudine prægravata, ad perfectionem justitiæ nondum libere aspirat. Cum vero ascensis quibusdam justitiæ gradibus, profectum suum jam provecta sentire incipit, interiori pinguedine, quæ vitalibus adhæreat, repleri desiderat, sicut ostendit, qui dicit: *Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea* (*Psal.* LXII). Desiderat nimirum adipe repleri, et sic interius plenissime impinguari, ut holocaustum ejus pingue fiat, donec perfectione justitiæ consummata, et ejus amore plenissime delectata, tandem quasi medullitus impinguata dicere possit: *Holocausta medullata offeram tibi* (*Psal.* LXV), etc. Sunt justi, qui hoc mundo sic utuntur, ut in rebus illicitis et inconcessis malint carere quam habere; in rebus vero licitis malint habere, quam carere, ut quibuscunque concessis secundum indulgentiam utantur, uxores habentes et possessiones, cæteraque humanæ infirmitati concessa, quibus citra salutis periculum uti licet, si uti libet. Sunt alii, qui perfectionis studio omnibus rebus etiam concessis renuntiant, quantum humana patitur infirmitas; qui juxta consilium Apostoli alimenta habentes, et quibus tegantur, his contenti sunt (*I Tim.* VI); qui in bonis spiritualibus tanto sunt pinguiores, quanto in bonis sæculi propter Deum inveniuntur tenuiores. Justitia ergo pinguedinem habet exterius, et interius adipem vel medullam; tanto autem interius, quanto profundius, quantoque perfectius. Potest enim juxta alterius considerationis rationem delectatio justitiæ medulla dici, non solum in justitia perfectorum, verum etiam in justitia incipientium et proficientium. Nulla enim justitia tam mediocris est, vel tam exigua, quæ non habeat aliquantulam fortitudinem pro mensura suæ mediocritatis sibi adjunctam, et in fortitudine delectationem, sicut in osse medullam.

De triplici pinguedine malorum.

Iniquitas quoque suam habet pinguedinem, et adipem, et medullam: in iis, qui amore pariter et abundantia rerum temporalium incrassantur, et in superbiam elati recalcitrant, Deo minus obedientes, et crescente iniquitate, intemperato usu ipsarum, quibus superabundant, et delicata consuetudine magis incrassantur. Deinde etiam majori superbia per usum vitiorum ipso iniquitatis amore impinguantur; tandem superba sui æstimatione usque ad manifestum Dei contemptum quasi plenissima præsumptionis pinguedine dilatantur, et intumescunt, ut derelinquant Deum factorem suum, et recedant a Deo salutari suo, sicut scriptum est: *Incrassatus est dilectus, et recalcitravit, incrassatus, impinguatus, dilatatus* (*Deut.* XXXII). Et iterum: *Adipem suum concluserunt: os eorum locutum est superbiam* (*Psal.* XVI). Et rursum: *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum; transierunt in affectum cordis. Cogitaverunt, et locuti sunt nequitiam; iniquitatem in excelsum locuti sunt* (*Psal.* LXXII). Sic iniquitas quasi a superficie cordis incipiens, paulatim et blande intrat ad interiora ejus, donec medulla iniquitatis fiat sicut oleum in ossibus ejus. Est enim in anima, quod malum appetit, est et in ea, quod consentit, ut fiat id quod appetitur; est in ea, quod membra corporis movet sicut arma iniquitatis ad iniquitatem, ad perficiendum opus juxta desiderium appetentis et consentientis. Est in eadem anima, quod delectatur ipso opere quod appetitur, et cui consentitur, et in quod ipsa se movet, adeo ut et corpus suum moveat in obsequium ministerii, ut expleatur quo delectetur. Nam hæc omnia ad delectationem. Est præterea in ipsa anima, quod his omnibus præsideat, et cui placeant, primum appetitus, deinde consensus, deinde motus in opus, ad ultimum in opere delectatio. Cum autem hæc quatuor, appetitus scilicet et consensus, motus in opus, et ex motu opus, simul placent, causam cur placeant, et finem, habent delectationem, quæ in opere quæritur et expetitur. Quinque itaque res sunt, appetitus, consensus, motus in opus, et ex motu opus, et operis delectatio. Sed quatuor ex his in anima inveniuntur, appetitus scilicet et consensus, et motus in opus, et operis delectatio. Ipsum autem opus non in anima est, sed vi et voluntate animæ voluntarie moventis corpus per ministerium corporis exterius agitur propter delectationem, quæ in ipso opere quæritur, vel ex ipso. Ex ipso autem dico, propter opus quodcunque, quod forte non delectat, quod tamen agitur propter aliud quod delectet. Cum autem tria hæc, appetitus scilicet, et consensus, et motus in opus, simul placeant propter opus, aut propter delectationem operis; adverti potest, delectationem non soli operi adjunctam esse, sed tribus præmissis, quæ placent propter ipsam operis delectationem. Appetitus ergo suam habet delectationem, cum placet ipsam appetere.

Quod appetitus mali non sit in hominis potestate.

Sæpe appetunt isti, quod omnino nolunt, et a quo omnino dissentiunt; et appetitum mali omnino sentiunt, sed non consentiunt. Et quem retinere datur ne procedat, non valent compescere ne surgat, nec imperare ut quiescat. Appetitus enim mali in hominis potestate non est, ita scilicet, ut ad arbitrium ejus quiescens non surgat, vel surgens

tuorum, et in uno crine colli tui (*Cant.* IV). Et ante et post, utrobique videt sponsus, quasi circumspiciens sponsam, quod sibi placet; et utrobique unitas commendatur; in uno scilicet oculorum, et in uno crine colli. Unus autem crinis quomodo componatur, attende. In vertice ubi summitas capitis est, capilli in diversa se vertunt, et alii descendunt ad frontem, alii ad occiduam capitis partem; alii hinc inde ad aures et tempora. Et in mulieribus quæ comam nutrire solent, capilli compti, et ad pulchram æqualitatem decenter depexi, a vertice usque ad frontem discriminantur; et hinc inde per aures ad collum et humeros reducuntur, ubi in unum crinem colligun tur. Unus quippe crinis ex multis capillis colligitur, et in uno nodo constringitur, ne capilli sine lege soluti, et vagi et sparsi, huc illucque defluant, et defluendo dedeceant. Hac arte se comunt et componunt, quæ cogitant quæ hujus mundi sunt, sollicitæ quomodo placeant spectantibus. Sponsæ quoque Christi ut oculis ejus placeat, curam capillorum suorum non negligit. Non enim qualicunque crine delectatur. Nam scriptum est : *Confringet Deus capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis* (*Psal.* LXVII). Et Isaias : *Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, et Dominus crinem earum nudabit* (*Isa.* III). Et post pauca, pro crispante crine calvitium interminatur. Et Apostolus : *Non in tortis crinibus* (*I Tim.* II). At econtra religio et sanctificatio Nazareorum, et fortitudo Samsonis in capillis est. Subtiles igitur cogitationes sanctarum intentionum et affectionum, de vertice mentis, hoc est de cognitione Dei, in quatuor partes dividuntur, et pectine discretionis discriminantur. Aliæ sunt de bonis æternis, quæ ad frontem descendunt; aliæ de malis æternis, quæ retro respiciunt; aliæ de bonis

A vel malis temporalibus, quæ ad dexteram et ad sinistram hinc inde se dividunt. Hi capilli oculis sponsi placere probantur, quia dicit : *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis* (*Isa.* I). Et item scribitur : *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum; et auferet se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu* (*Sap.* I). Qui securitatem electis suis præstat dicens : *Capillus de capite vestro non peribit* (*Luc.* XXI). Omnes capilli eorum illi numerati sunt, quia cogitatio eorum apud Altissimum. Omnes autem capilli sponsæ ad collum, ubi est jugum obedientiæ, rediguntur, et in unum crinem nodo timoris constringuntur; quia in omnibus obedientia semper in timore Dei cogitanda est, sicut scriptum est : *Quæ præcipit Deus, hæc cogita semper* (*Eccli.* III). Et item :
B *Deum time, et mandata ejus observa, hoc est omnis homo* (*Eccle.* XII). Unus itaque crinis in collo, unitas est concordium cogitationum in jugo obedientiæ, quas timor Dei in unum colligit, et indissolubiliter constringit. Hic est timor sanctus permanens in sæculum sæculi; non quem charitas foras mittit, sed qui humilitatem servat, et charitatem confirmat. Hic timor quod sparsum est colligit, quod dissipatum est unit, quod malum est expellit; quæ bona sunt nutrit, et nutrita custodit. Hic denique cor mundum et immaculatum facit, et omni custodia servare satagit. Prima custodia est, ne quid mali in opus exeat; secunda, ne sermo malus ex ore procedat; tertia, ne quid mali in corde remaneat, unde aspectus sponsi offendi debeat. Hinc cor sponsi
C vulneratur, hinc sponsa laudatur, quia mulier timens Deum ipsa laudabitur. Sancti igitur nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum. Amen.

TRACTATUS NONUS.

DE BEATITUDINIBUS EVANGELICIS.

Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, etc. (*Matth.* V).

Promissiones Dei variæ sunt et differentes, secundum merita justorum, et justificationes eorum. Singulis enim justificationibus sua competit retributio; et unaquæque virtus propriam habet laudem, propriamque mercedem, secundum dignitatem ordinis sui, et qualitatem generis sui. Videant pauperes et lætentur. Videant, quæ sit pars eorum, qualis hæreditas; non terrena, non caduca, sed incontaminata, immarcessibilis, conservata in cœlis. Videant et lætentur, *quoniam ipsorum est regnum cœlorum*. Ipsorum plane est, habendum et communicandum; hoc est, ut sibi habeant, et secum alios recipiant, secundum hoc, quod scriptum est : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula* (*Luc.* XVI). Recipiuntur hic pauperes in domibus reficiendi ad mensam eorum, sicut mendici et egeni, ut ex abundantia divitum inopia pauperum suppleatur. In regno

D cœlorum a pauperibus recipiendi sunt divites, ut ex abundantia pauperum egestas divitum suppleatur. Non enim sufficit eis justitia sua ad obtinendum regnum cœlorum. Paupertas via est in cœlum. Hanc pro Christo alii amant, æmulatores paupertatis Christi; et istorum est regnum cœlorum. Alii non amant, sed patienter tolerant, et purgantur in camino paupertatis, ut probati ingrediantur in regnum cœlorum. Alii vero nec paupertatem sibi amant, nec tolerant, quibus non deest, ut egeant; sed pro Christo pauperes amant, facile tribuunt, communicant, et non sperant in incerto divitiarum, sed thesaurizant sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam; et hi merito paupertatis intraturi sunt in regnum cœlorum; sed a pauperibus recipiendi, et pro consolatione pauperum felici commercio vicissitudinem recepturi. Sed, si omnes boni ingressuri sunt regnum cœlorum, tum

hi qui paupertatem amant, tum hi qui tolerant, tum etiam hi qui consolantur eam: quid sibi vult, quod regnum omnibus communicandum, iis solis repromittitur, qui voluntariam amplectuntur paupertatem: si soli tales pauperes spiritu judicantur? Ad hæc facit differentiam, quod non dicitur de eis: *Intrabunt in regnum cœlorum* (*Matth.* xxv); sed quod amplius videtur: *Ipsorum est regnum cœlorum.* Nam, cum omnes benedicti a Deo benedicendi percepturi sint regnum cœlorum, quod eis paratum est ab origine mundi, de omnibus quidem creditur, quod intrabunt in regnum cœlorum, de quibusdam tamen specialiter dicitur: *Talium est regnum cœlorum* (*Matth.* xix). Est et aliud, quod nos movere possit. Nam cum cæteræ promissiones in hac serie evangelicæ distributionis in futurum differantur, hæc tamen promissio nulla dilatione suspenditur, sed quasi jam exhibita monstratur; ut magis videatur præsentis beneficii adeptio, quam futuræ retributionis exspectatio. Et de his qui persecutionem patiuntur propter justitiam, similis forma subjungitur. Nam et horum et illorum regnum cœlorum esse pronuntiatur; quasi jam nunc reddita sit merces sine mora, sine impedimento, sine dilatione. At mites nondum dicuntur possidere terram: sed dicitur, *quia possidebunt terram;* et *misericordes misericordiam consequentur;* et *qui lugent consolabuntur;* et *qui esuriunt justitiam, saturabuntur;* et *pacifici filii Dei vocabuntur;* et *mundi corde Deum videbunt* (*Matth.* v); sed hæc omnia in futuro. Hujus autem diversitatis aliqua ratio quærenda videtur. Forte istæ duæ justificationes, prima scilicet et ultima, quarum merces non differtur, perfectorum sunt, qui in camino paupertatis, vel igne persecutionis examinantur, sicut examinatur argentum, et excoquuntur ad purum, qui ædificant super fundamentum aurum et argentum et lapides pretiosos; et hinc exeuntes, nec ligna, nec fenum, nec stipulam secum portant, quæ in illis ardeant; sed mox ut hinc exierint, ad cœlum convolant, non dilati a regno, *quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Sine his autem virtutibus, quibus purgantur, quæ infirma sunt cæterarum virtutum, (universæ enim justitiæ nostræ sicut pannus menstruatæ (*Isa.* LXIV), quicunque boni inveniuntur, ex aliqua parte ædificare videntur super fundamentum, ligna, fenum, stipulam, quæ necesse est, ut in illis ardeant, salvandis quidem, sic tamen quasi per ignem. Nam et qui mundo corde sunt, quibus promittitur visio Dei, indigent tamen adhuc purgari. Quis enim gloriabitur castum se habere cor?

De justificationibus martyrii.

Duo genera martyrii, alterum in carne, alterum in spiritu. His duabus justificationibus consummari videntur, cæterarumque virtutum perfectio, cum ad consummationem pervenerint, his merito ascribenda est; quia ex his perficiuntur; cum necesse sit, omnes justos vel in carne, vel in spiritu, pro Christo pati, ut perfectionis gloriam assequantur. Pauperes autem spiritu qui sint, plenius intelligitur, si spiritus a spiritu discernatur. Occasionem facilioris intelligentiæ dat nobis Propheta, qui dicit: *Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabuntur* (*Psal.* xxxiii); et Apostolus, qui dicit: *Non accepimus spiritum hujus mundi: sed Spiritum, qui a Deo est* (*I Cor.* ii). Spiritus hujus mundi non incongrue intelligitur princeps hujus mundi, de quo et in alio loco idem Apostolus dicit: *Cum mortui essetis delictis et peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum sæculum mundi hujus, secundum principem potestatis aeris hujus, spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ* (*Ephes.* ii). Hoc spiritu hujus mundi cum afflatur spiritus hominis mox et inflatur, et assimilatus ei a quo afflatur, potest et ipse dici spiritus hujus mundi, cum concupiscit ea quæ mundi sunt. Hic autem spiritus superbus est, et vanus, præsumptuosus, ambitiosus, alta semper sapiens, et humilia contemnens. At qui Spiritu Dei aguntur, quanto magis eo afflantur, tanto minus inflantur, et tanto magis humiliantur; sicut pauperes spiritu, non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Virtus itaque pauperum spiritu ex defectu spiritus et abundantia spiritus æstimanda est. Quanto enim minus habet quis de spiritu suo, tanto magis abundat in eo Spiritus Dei; et quo amplius a spiritu suo deficit, eo abundantius secundum Spiritum Dei proficit. Unde si quæratur, secundum quem spiritum pronuntientur pauperes spiritu, rectius videtur intelligi, secundum Spiritum Dei, qui pauperes facit et ditat, humiliat et sublevat. Nam quos facit pauperiores, hos facit et ditiores; et quos humiliores, hos facit sublimiores, non secundum altum elationis, sed secundum culmen perfectionis. Si cui tamen videtur quasi per privationem dici: *Beati pauperes spiritu* (*Matth.* v), quasi minus habentes de spiritu, vel quasi deficientes a spiritu, suo videlicet, vel hujus mundi, sicut pauperes rebus dicuntur, qui substantiam rerum non habent: hoc sanæ doctrinæ non adversatur, sed per interpretationem cum superiori sententia ad eamdem fere redit intelligentiam. Verumtamen, prior sententia præferenda videtur, quia humiles spiritu et pauperes spiritu, secundum eamdem rationem dici convenientius æstimantur. Humiles autem spiritu secundum habitum dicuntur, et non secundum privationem, hoc est secundum spiritum quem habent, et non secundum spiritum, quo carent. Quod autem ii, qui secundum Spiritum Dei proficiunt, a suo spiritu deficiant, ostendit Propheta, qui ad Deum loquitur, dicens: *Auferes spiritum eorum et deficient, et in pulverem suum revertentur. Emittes Spiritum tuum, et creabuntur* (*Psal.* ciii). Auster vices suas non peragit, dum a flatu suo aquilo non quiescit. Hic in sua lenitate non sibilat, dum in spiritu vehementi aquilo perdurat. Propter quod scriptum est: *Surge, aquilo, et veni, auster* (*Cant.* iv).

De spiritu hominis.

Spiritus autem hominis tribus modis tumescit et grandescit in se; et æque tribus modis deficit et detumescit a se. Tumescit opinione vana, spe vana, cupiditate

vana, tribus his omnibus vanis. Tumor enim et inflatio vanitas est, et qui tumet inanis est et vacuus, tam plenus nihilo, quam plenus superbiæ vento.

De opinione falsa.

Tribus modis homo tumescit opinione vana, hoc est opinione falsa. De superbia enim spiritus sui sibi credens, nunc de Deo falsa confingit, nunc de se ipso superbe sentit, nunc adversus proximum incertæ suspicionis, vel malæ cogitationis locum invenit. De Deo quidem falsa opinio periculosissime admittitur. Nam quæ Dei sunt occulta et arcana, ex incerto humanæ opinionis ventilare non licet; nec aliud de Deo credere, quam ipse de se dignatus est revelare. Ipse enim sibi testis est, secretorum suorum conscios eatenus habere voluit, quatenus fidei conscientia se extendit, quæ de testimoniis Scripturarum astruitur, et earum ratione subnixa, immobiliter statuitur et stabilitur. Scriptura enim sancta divinitus inspirata est. In ea scripta est nobis forma fidei; quidquid ultra quæritur, non invenitur. Omnis humana adinventio, quæ pietati fidei, formæque præscriptæ obviat, præsumptioni spiritus deputanda est. Nam spiritus præsumptionem sive inflationem sola curare potest humilitas fidei, quæ exsufflat, quidquid inspiravit spiritus superbiæ, qui Deo semper adversatur, cui et Deus semper resistit, humilibus dans gratiam suam. Hæc autem humilitas fidei primas partes vendicat in virtute pauperum spiritu. Hæc dignam reverentiam verbis Dei exhibet; illis credula, illisque contenta. Quisquis perfecte hanc habet, non sibi credit, sed spiritum suum Deo credit, ut sit creditus cum Deo spiritus ejus. Sed et Deus se illi credit, committens illi tanquam fideli suo mysteria consilii sui; et spiritus hominis Spiritu Dei per inspiratam gratiam informatur, ut fidelis sit credendo fideli Deo, qui fidelis est in omnibus verbis suis. Et dum de corde nostro omnes erroris impietates per Spiritum Dei eliminantur, nihilque falsum vel indignum de Deo creditur, Spiritus sanctus reddit testimonium spiritui nostro, ut spiritus noster in hac parte nil in se retineat de se, sed sibi renuntians seque abnegans, deficiat a se, ne quid opinari præsumat de Deo, quasi a se. Omnis enim opinio hominis de Deo, sicut pia est, si a Deo est; ita pia non est, si ab homine est. Bonus itaque defectus spiritus est, cum a sua opinione deficiens, nil circa Deum audet, cui non testimonium perhibeat in verbis Dei Spiritus Dei. Dicat ergo pauper spiritu, quoties meminerit Dei, et in hac meditatione delectatus fuerit: *Memor fui Dei, et delectatus sum: et defecit spiritus meus* (*Psal.* LXXVI).

De opinione vana.

De se superbe sentit homo, cum bona quæ habet, vel habere videtur, sibi tribuit; et magnus in oculis suis, sese opinatur plus esse quam sit, et plus posse quam possit. Nihilominus de se superbe sentit, cum malis quæ patitur, indignum se judicat, vel cum mala, quæ facit, dissimulat, vel excusat, A vel etiam laudans, laudanda putat. Contra proximum superba opinione tumescit, cum mala proximi in ira, sicut ex ira, gravius accusat, vel damnat, vel bona ejus ex invidia diminuendo extenuat. Tumor autem spiritus in judicio sui, vel proximi, sicut malus, ita defectus spiritus ab utroque tumore, laudabilis est; et ad illos pertinet, qui per humilitatem spiritus Deo placent, et sibi displicent.

De spe vana.

Spe vana tumescit spiritus hominis, cum de justitia sua nimis securus, supra merita sua in exspectatione supernæ retributionis spem extendit. A præsumptione spei in exspectatione supernæ retributionis spiritus hominis deficere debet; non per B vehementiam extremæ desperationis, nec per pusillanimitatem molestissimæ trepidationis, sed per moderationem spe misti temperatique timoris. Spes enim sine timore, vanæ securitatis est, timor sine spe, perversæ desolationis est. Qui autem timore tristitiæ absorptus est, ut de salute desperet, ut se dignum pœna, et indignum misericordia judicet, et dicat: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear* (*Gen.* IV); de hoc quæri potest, si superbus est, qualis sit superbia ejus, quæ mentem non videtur in altum erigere, sed per nimiam dejectionem ad ima detrudere. Hoc autem auget quæstionem, ne dicatur superbus, quod, sicut scriptum est: *Initium omnis peccati superbia est* (*Eccli.* X). Et C de pusillanimitate spiritus similis quæstio suboritur, de qua Propheta dicit: *Exspectabam eum, qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus, et tempestate* (*Psal.* LIV). Nam, cum desperatio vel pusillanimitas spiritus corruptio humilitatis esse videatur, nimiaque dejectio et immoderata depressio, mirum est, si quod elationi contrarium esse videtur, ad superbiam pertineat; vel si non pertinet, mirum æque videtur, quomodo initium omnis peccati superbia dicatur. Sed, quoniam nostri propositi non est hoc loco quæstiones ventilare, aliis relinquimus requirendum, utrum talis desperatio vel pusillanimitas spiritus ad superbiæ peccatum pertineat, an tantum ad superbiæ pœnam. Nos autem ad pauperes spiritu accedamus, ad quos nec superbi pertinent, D nec spiritu pusillanimes, nec desperati; sed distinguendi sunt a superbis pusillanimes spiritu et desperati.

De spe vana atque superbia.

Spe vana æque superbit et tumet, qui in se confidit, hoc est in virtute sua, vel sapientia, vel in eloquentia, vel in terrena substantia, vel in fama, vel in nobilitate sua, vel in hominum gratia, vel in quacunque causa: præterquam in solo Deo, qui solus liberare potest in tempore tribulationis; qui non relinquit sperantes in se, ad quem Propheta dicit: *Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te* (*Psal.* LXXXIII). Et iterum: *Domine, spes mea a juventute mea* (*Psal.* LXX). Et iterum: *Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est* (*Psal.* LXI). Spes autem, cum humiliter in Deo ponitur, non confundit; quia Deus ve-

ritas est et neminem fallit. *Maledictus autem, qui confidit in homine, et qui ponit carnem brachium suum* (*Jer.* XVII). Homo autem interdum cum potest liberare, non vult; interdum cum vult, non potest. Deus autem, sicut semper potest, ita et vult semper salvare sperantes in ipso, et non in se, nec superbe præsumentes de ipso, nec de se. Propheta dicit: *Qui confidunt in virtute sua, et multitudine divitiarum suarum gloriantur; frater non redimet* (*Psal.* XLVIII). Ecce a gratia redemptionis alieni sunt, qui in se confidunt, et de se præsumunt.

De mala vel bona securitate.

Sunt nonnulli vana spe securi, qui adjiciunt peccatum super peccatum dicentes: *Miserationes Domini multæ sunt* (*Psal.* XXI): qui de Dei misericordia sibi blandientes, et quasi in ea spem ponentes, tanto sunt superbiores, quanto securiores. Vera autem securitas timor Domini est. Hic nempe timor magis securum facit, quam tumidum: quo carentes et misericordiam Dei sibi pollicentes ipsi se decipiunt, ut confundantur ab exspectatione sua. Non enim secure peccantibus, sed Deum timentibus, et peccare cessantibus, misericordia repromittitur. Consulamus Scripturarum testimonia super hæc. Propheta dicit: *Secundum altitudinem cœli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se* (*Psal.* CII). Et: *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se* (*ibid.*). Et in alio loco: *Prope timentes eum salutare ipsius* (*Psal.* LXXXIV). Et beatissima mater misericordiæ. *Misericordia*, inquit, *ejus a progenie in progenies, timentibus eum* (*Luc.* I). Ecce quomodo conjunguntur timor Dei et misericordia Dei, ut sperari non debeat misericordia Dei sine timore Dei. Sicut enim periculosus est timor sine spe mittens in desperationem, sic perniciosa est spes sine timore pertrahens ad obstinationem. Propter quod in lege scriptum est: *Non accipies loco pignoris inferiorem et superiorem molam* (*Deut.* XXIV). Superior quippe mola spes est, et inferior timor. Inter has commolitur, quidquid salubriter manditur. Altera autem sine altera inutilis est; et cum loco pignoris accipitur, altera per se nec danti nec accipienti valet. Pignus autem pro securitate accipitur, quia securum facit. Pignus autem quale sit, Apostolus docet dicens: *Qui unxit nos Deus, et signavit nos, et dedit pignus spiritus in cordibus nostris* (*II Cor.* I). Hoc ad Corinthios. Ad Ephesios autem sic: *Signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ* (*Ephes.* I). Pignus ergo Spiritus sanctus est, qui nobis veram securitatem præstat in conjunctione timoris et sanctæ spei. Nam sine timore vana est securitas, sine spe nulla est securitas; in his vero simul vera est securitas. Timor ergo Dei spem comprimere debet, ut detumescat a præsumptione sua; ne inanescat in vanitate sua, et confundatur ab exspectatione sua. Consequens enim est, ut spiritus hominis orando et sperando in Deum proficiat; sic autem præsumptione spei in se a se deficiat, ut dicere possit cum

A Propheta: *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum. Effundo in conspectu ejus orationem meam, et tribulationem meam ante ipsum pronuntio. In deficiendo ex me spiritum meum* (*Psal.* CXLI). Et illud: *Velociter exaudi me, Domine; defecit spiritus meus* (*Psal.* CXLII). Dilatio exauditionis Deo non conceditur, sed velociter exaudire postulatur, cum in timore Dei spiritus hominis deficit; ut omnino non speret in se, non in virtute sua, non in sapientia, non in arte vel calliditate sua, non in omni facultate sua; sed in solo Deo et in eis quæ Dei sunt, quia Dei sunt. In bonis enim nostris, quia a Deo sunt, ut puta in fide et in operibus justitiæ et misericordiæ, ita spes ponenda est post Deum, ut tota fiducia nostra a nobis abstra- B hatur, quamvis nostra sint bona; et in eum projiciatur, cujus ipsa sunt dona. Nam qui de donis Dei fiduciam in Deo ponendam ad se trahit, Deo injuriam facit. Et quoniam auxilium inde solet invocari, unde et sperari, qui a se sperat auxilium, magis se ipsum invocat, quam Deum. Propterea nondum dicere potest: *Velociter exaudi me, Domine, defecit spiritus meus.*

De cupiditate vel superbia.

Cupiditate vana grandescit animus duobus modis, amore scilicet utendi vel habendi quæ possidentur, vel desiderio possidendi quæ non habentur. Ipsum autem desiderium amor quidam est. Nam desiderare est quodam modo amare. Cupiditas au- C tem est amor mundi, sicut charitas est amor Dei. Cupiditas quærit quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi: quærit autem sic. Nunc per amorem terrenæ possessionis, nunc per amorem lubricæ fluxæque voluptatis, nunc per amorem dominationis, nunc per amorem ambitiosi honoris, nunc per amorem admirationis, favoris et laudis. Hæc sunt quæ cupiditas contra Deum superbe et insatiabiliter quærit. Hæc sunt quæ charitas propter Deum nobiliter, et ut ita dixerim, suo superbiendi modo contemnit. Habet enim charitas, si fas est dicere, superbiam suam, qua ipsam superbiam, et quidquid contra Deum superbum est, nobiliter contemnit. Hinc ad apostolos dictum est: *Fortitudinem gentium comedetis, et in gloria eorum super-* D *bietis* (*Isai.* LXI). Deum propter contemnenda contemnere, et plus quam Deum contemnenda diligere, vilis est superbia, et confusione digna. Gloriam autem mundi propter Deum contemnere, nobilis est superbia. Nobilior autem, si ipsa confusio propter Christum inconfusibiliter contemnatur, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta (*Hebr.* XII). Melius est enim dignitates et honores in hoc mundo erubescere, quam crucem Christi, quam paupertatem Christi, quam humilitatem Christi. *Qui erubuerit*, inquit, *me et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, et sanctorum angelorum* (*Luc.* IX). *Non est servus major Domino suo* (*Joan.* XIII). Quæ non erubuit Christus pro nobis, non sunt erubescenda pro

Christo a nobis. Qui pudore retinetur ab imitatione vel æmulatione humilitatis Christi, nonnihil adhuc de suo spiritu habet.

Vanus est enim hujusmodi pudor, et quantum ab humilitate recedit, tantum et superbiæ accedit. Sancta autem paupertas magis æstimanda est ex humilitate animi, quam ex tenuitate patrimonii. Pauperes spiritu magis dicendi sunt, qui non habent magnum sensum, quam qui habent exiguum censum. Nam qui superbe sentiunt, etsi rebus inopes sunt, ad pauperes spiritu minus pertinent, quam illi, qui sic habent, ut sint quasi non habentes. Sancta itaque paupertas mundum et quæ mundi sunt contemnens, habitis et habendis et desiderio habendi renuntians, et ab omni præsumptione spiritus sese temperans, Deo sic accepta est, ut dicat : *Beati sunt pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* v). Deo sic amabilis est et chara, ut qui pauper est, Deo pro se sollicito gloriari possit, et dicere : *Ego autem mendicus sum et pauper; Dominus sollicitus est mei* (*Psal.* xxxix). Si omnes honores divitum conferantur, quid hunc honorem æquare potest? Quis divitum præsumere audeat, ut dicat, ego plenus sum et opulentus, Dominus sollicitus est mei? Dives sufficit ipse sibi, nec indigere sibi videtur, ut Dominus sui sollicitudinem gerat. Vox pauperis et gloria pauperis hæc est : *Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me, quoniam inops et pauper sum ego* (*Psal.* LXXXV). Si accesserit pauper quispiam ad hominem prædivitem et præpotentem, et dicat : Inclina aurem tuam, et exaudi me, quis circumstantium hoc patienter ferat? Nonne ab omnibus exploditur et exsibilatur? Nonne ab ipso potente superbo oculo respicitur et despicitur? Nonne de ipsa domo contumeliose extrudi et deturbari jubetur? Quis audeat dicere ad Dominum suum : Inclina aurem tuam? Quis hoc audeat ad Dominum dominantium? Quis nisi pauper, et pauper spiritu? Ejus nempe vox est : *Lætifica animam servi tui : quoniam ad te, Domine, animam meam levavi* (*ibid.*). Si saperet quæ sunt super terram, et non quæ sursum sunt, non diceret, ad te, Domine, animam meam levavi. Pauperes ergo spiritu qui in imis cor suum non humiliant, sed ad cœlestia desiderant, suspirant et æstuant; hi animam suam ad Deum levant. Ibi cum Christo abscondita est vita eorum, ibi est oculus et amor eorum, ibi cor et thesaurus eorum. O felicem paupertatem, non solum in regno cœlorum, sed ipso regno cœlorum munerandam! O felicem paupertatem, quamvis mundo despicabilem, Deo tamen honorabilem! *Parcet* enim *pauperi et inopi, et animas pauperum salvas faciet; et honorabile nomen eorum coram illo* (*Psal.* LXI). O infelices divitias, perpetua egestate mutandas! O miseram felicitatem æterna calamitate compensandam! Dives sepultus in inferno, et pauper in sinu Abrahæ requiescens (*Luc.* XVI), causam pauperis et divitis certa diffinitione decidunt. Cruciatur dives ardens et sitiens, et non accipit consolationem a paupere, quia pauperi non fecit consolationem, quia recepit bona in vita sua. Verumtamen ne desperent divites; attendant, quia Abraham dives fuit, in cujus sinu Lazarus requievit. Sic autem attendant ad Abraham, ut divitias habeant sicut Abraham, habeant ex justis causis, habeant ad usus licitos, habeant ad gratiam hospitalitatis exhibendam, sicut Abraham. Denique habeant non sibi retinendas, sed pauperibus communicandas, a quibus recipiantur in æterna tabernacula. Salus enim divitum gloria est pauperum. *Beati enim pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* v). *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* (*ibid.*).

Promissiones Dei variæ sunt et differentes, secundum merita justorum, et justificationes eorum. Singulis enim justificationibus sua competit retributio, et unaquæque virtus propriam habet laudem, propriamque mercedem, secundum dignitatem ordinis sui, et qualitatem generis sui. Mitibus terra possidenda promittitur. Virtus mitium mansuetudo est, ut verum sit quod Propheta dicit : *Mansueti autem hæreditabunt terram* (*Psal.* XXXVI). Si beati sunt mites, beati utique sunt et mansueti. Audiant hoc mansueti, et lætentur (*Psal.* XXXIII). Audiant, quia nunc sunt, vel futuri sunt beati; audiant, et unde beati. *Quoniam ipsi possidebunt terram.* Sunt, qui pugnant et litigant pro terra, homines immites premunt et mitibus imperant. Cur non isti beati, quoniam possident terram? Imo quomodo beati, si devorabit eos terra? O terra, terra, terra, quanta vanitate diligeris a filiis hominum, qui sumpti sunt de terra, consumendi sunt a terra; et ipsi quid sunt, nisi terra? *Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem* (*Psal.* IV) hujus mundi, ubi non est nisi concupiscentia oculorum, et superbia vitæ? Scitote quique terrigenæ, et filii hominum, quia non est nobis manens hæreditas in terra, nisi gleba nostri corporis, quæ est terra de terra! Quid vult ergo sibi ista promissio : *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram?* Quid sibi vult, quod mitibus Deus terram promittit, cum aliis regnum cœlorum promittat? *Beati* enim *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* v). Quid terram promittit, qui terram monet contemnere? Nonne omnibus justis cœlum repromittitur, et peccatoribus pœnitentiam agentibus? Propter quod scriptum est : *Agite pœnitentiam, appropinquabit enim regnum cœlorum* (*Matth.* III). Nonne omnibus qui ad dexteram collocandi sunt, dicetur in fine : *Venite, benedicti Patris mei, possidete regnum, quod paratum est vobis ab origine mundi?* (*Matth.* XXV.) Nunquid igitur virtus mitium hujus mediocritatis est, meritique tam tenuis, ut merces ei in terra constituatur? At laudem ejus, quanta sit, audiamus mansuetudinis discendæ exemplum Dominus in seipso proponit dicens : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* (*Matth.* XI). Et ubi requiescat Spiritus ejus ostendit dicens : *Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem et quietum, et trementem sermones meos?* (*Isa.*

venit, ut cum ea esset, et in ea, et ex ea, et sit per eam in nobis : cum sit susceptor noster Deus Jacob? Ad hoc enim nostram naturam ex ea suscepit Deus Jacob, ut nobiscum sit semper, dicens : *Deliciæ meæ, esse cum filiis hominum* (*Prov.* VIII). Si autem deliciæ Dei sunt esse cum filiis hominum, quantæ putas deliciæ ejus sunt esse cum unica sua, quam præelegit in ministerium tantarum deliciarum? Quod ergo nobiscum est, communicans naturæ nostræ, et communicator gratiæ suæ, ut simus filii et hæredes Dei, fratres autem et cohæredes Jesu Christi, hoc tam magnum donum, tam magnum bonum illi singulariter dictum est : *Dominus tecum*. Hujus tantæ dispensationis ministra et cooperatrix effecta, salutem mundi, nobis dedit. Sed, quia sola non potuit, sed ministerium præbuit, sed effectum mediatricis exhibuit, sed mediatorem, qui hoc posset, in medium produxit, recte dicitur : *Dominus tecum*. Opus quiddam magnificum factura es, salus mundi per te procuranda est, sceptrum exactoris superandum est, sicut in die Madian. Sed supra omnem humanam virtutem et sapientiam est, ad quod electa es; sed Dominus tecum, cui non est impossibile omne verbum. Sic ad Gedeonem, cum liberaturus esset filios Israel de Madian, dicitur : *Dominus tecum, virorum fortissime* (*Judic.* VI); ubi et fortitudo commemoratur, et fortitudine opus erat, Deo fortitudinem dante, qui est adjutor fortis. In hoc quoque opere salutis nostræ, quod a plenissima gratia inchoatur, et in plenissima gratia consummatur, plenitudo gratiæ commemoratur; et auctori gratiæ laus ascribitur, qui Virgine cooperante auctor operis ostenditur.

Benedictio Virginis.

Post Deum auctorem tanti beneficii prima laus Virgini debetur, ut ab omnibus merito benedicatur. Propter quod ei ab angelo dicitur : *Benedicta tu in mulieribus* (*Luc.* I). Et ad eam Elizabeth : *Benedicta tu inter mulieres* (*ibid.*). Eva per superbiam et inobedientiæ culpam sententiam maledictionis in se excepit, et nos per eam maledictioni obnoxii sumus. Superbiæ enim maledictio debetur, *quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*I Petr.* V). Hinc scriptum est : *Initium omnis peccati superbia. Qui autem tenuerit eam, adimplebitur maledictis* (*Eccli.* X). Maria autem sese humiliavit, et benedictionem meruit. Attendamus, ut possumus, quantum se humiliavit, et quam benedicta fuerit. Est quædam humilitas sub præcepto, est quædam sub consilio, quædam sub exemplo, quædam sub proposito vel voto, quædam sub maledicto. Præceptum imponit necessitatem, consilium excitat liberam voluntatem, exemplum provocat ad æmulationem, sanctum propositum sive votum cumulat devotionem, maledictum adducit confusionem. Humilitas sub consilio major est, quæ est sub præcepto. Præcipimur aliena non rapere, monemur propria relinquere. Hoc majus bonum, illud tamen magis

A necessarium. Illud communius, hoc restrictius. Humilitas sub exemplo, sine præcepto et sine consilio, a typho superbiæ et fastu arrogantiæ longius videtur abesse. Magnæ enim humilitatis indicium est, nullo cogente, nullo suadente, recte agentem sibi præferre; nec dedignari quidquid dignum fuerit imitatione. Sæpe autem sine præcepto, consilio, et exemplo, occulto mentis instinctu aliquid boni percipitur, et in propositum sive votum assumitur, quæ est mira humilitas. Magnæ siquidem virtutis est, communi libertati renuntiare, et sanctæ necessitati sese subdere. Nonnunquam vero quod Deo dignoscitur esse acceptum, apud homines invenitur probrosum, et maledictioni obnoxium. Propterea quidam timore confusionis victi, sæpe perfectionis

B studium quod appetunt, erubescunt, et dum linguas hominum metuunt, bona fugiunt quæ concupiscunt. Quidam vero justitiam et sanctitatem sic probant, et sic zelant, ut hominum maledictiones et opprobria contemnant; gloriosum reputantes pro nomine Jesu contumeliam pati; et majores divitias æstimant thesauris Ægypti improperium Christi. Hæc pars humilitatis quanto maledictiones hominum propter Deum minus veretur, tanto abundantiorem benedictionis gratiam apud Deum meretur. Hanc humilitatis partem nec Christus prætermisit : qui omnem justitiam implere volens, factus est pro nobis maledictum, sicut scriptum est : *Maledictus omnis qui pendet in ligno* (*Deut.* XXI; *Gal.* III). Quomodo

C autem factus sit maledictum, ostendit, qui dicit : *Ab hominibus quidem reprobatus, a Deo autem electus* (*I Petr.* II). Cui et illud concordat : *Maledicent illi, et tu benedices* (*Psal.* CVIII). Æstimemus, ex his quæ dicta sunt, qualis fuerit humilitas hujus Virginis, quæ virginitatem suam sine legis præcepto sub legis maledicto consecravit, quia maledicta reputabatur, quæ non reliquisset semen in Israel. Si Deus in initio quibus benedixit, his et dixit : *Crescite et multiplicamini* (*Gen.* I), dans eis gratiam fecunditatis pro benedictione; quomodo ab hac benedictione aliena non est, quæ fecunditatis expers est? Si fecunditas benedictio est, quomodo sterilitas maledictio non est? Quid virginitate sterilius, quid infecundius, quid infructuosius? Nihil omnino.

D Sed ante virginem fecundam. Nam virginitate fecunda nihil fructuosius. Sanctimonia autem virginitatis supra legem est, quam nulla lex in præceptum redegit, sed evangelica perfectio in consilio formavit, Domino dicente : *Qui potest capere, capiat* (*Matth.* XIX); et Apostolo : *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do* (*I Cor.* VII). Hujus itaque virginis propositum nullum præcessit legis præceptum; nullum ut quibusdam videtur, de lege consilium, nullum ex lege exemplum quod de mulieribus magis accipiendum quam de viris. Nam Elias et Jeremias et Daniel virginitatis castimoniam servasse æstimantur. In mulieribus vero, vel ante legem, vel sub lege, exemplum servatæ virginitatis, Deoque dicatæ, non oc-

vel carnem, et membra perurget ad obsequium suum in ministerio pietatis et salutis, in operibus justitiæ et misericordiæ, in omnibus adimplendis, exsequendis, et perferendis, quæ auctoritas rationis ipsa voluntate consentiente vel facienda vel toleranda decreverit.

Quod si membra secundum carnem movere se cœperint, voluntas rationi consentanea sua libertate utens obsistit, ne promoveantur, imperatque eis, ut in se conquiescant, et pacem habeant; et jam incipit terra possideri; quia animus humilis est et quietus, mitis et mansuetus, consentiens se a ratione possideri, ut terram possideat, et in ea potestatem habeat. Hæc possessio terræ quasi quædam merces est mansuetudinis. Et qui secundum dictum modum mansueti sunt, incipiunt paci sibique restitui, et in pace sua beatificari, quia pax hominibus bonæ voluntatis. Homo quidem primum a ratione discordans, et quasi a se recedens, cœpit possessione terræ suæ destitui, et in se exsulare, quasi extra se, et quasi in terra aliena, et in terra oblivionis, in regione dissimilitudinis. Post prævaricationem rediens ad cor, invenit se apud se; et ne careat se, ipse sibi redditur, et quasi in Jubileo anno possessio ei restituitur, ut requiescat sub vite sua, et sub ficulnea, et in pace terram possideat, quia mitis est. *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* (*Matth.* XXVI). Hæc terra promissionis, terra quondam Chanaan, quam pollicitus est Deus Abrahæ, dum adhuc degeret in terra Chaldeorum, in terra aliena, ubi non cantatur canticum Domini, nec hymnus de canticis Sion. Hæc est terra sancta, ubi secundum spiritualessensus et affectus habitat semen Abrahæ templum Domini, quo adoratur et colitur Deus: propter quod Apostolus dicit : *An nescitis, quia corpora vestra templum sunt Spiritus sancti?* (*I Cor.* VI.) Et iterum : *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* III). Hæc terra nondum plene possidetur, quia nondum plena mansuetudo in nostra voluntate invenitur. In nonnullis enim rationi reluctamur; et caro nobis in nonnullis reluctatur. Qualia facimus contra rationem, talia sentimus per carnem. Verumtamen voluntas ex parte rationi subjecta, ex parte habet sibi carnem subjectam; et ex parte tamen contradicentem et oblatrantem. Sic sunt enim indisciplinati motus in corde vel in corpore nostro. sicut latratus canis, qui molestus est viatoribus magis latratu quam morsu. Latratus quidem molesti sunt, et suspecti, sed morsus noxii : et latratus valent ad custodiam et cautelam; nam interdum pro nobis latrant, et non semper contra nos; Deo ita dispensante, ut caute ambulemus, ut ad vigilandum excitemur, ne unquam per securitatem obdormiamus in morte. Quod si canes latrant circa domum, nunquid non ideo in pace possidetur domus? Et si contradictio aliqua est in carne nostra, non solum rationi, sed et nostræ voluntati contraria, nunquid non ideo possidemus terram? Imo possidemus, nondum omnino ut volumus, sed ut pro tempore possumus. Et in regno patris latrunculi inveniuntur, sed deprehensi aut suspenduntur, aut aliis suppliciis addicuntur, ut per judicium et justitiam sua pace regnum stabiliatur. Sine justitia enim non est pax in regno, non est pax in domo, non est pax in corde nostro, non est pax in carne nostra, non est pax in terra nostra. Justi enim hæreditabunt terram. Si in justitia possidetur terra, possidetur et in pace; nec sine justitia possidetur in pace. Propter quod scriptum est : *Justitia et pax osculatæ sunt* (*Psal.* LXXXIV). Hæc terra quæ nondum plane possidetur, et tamen aliquo modo possidetur, tunc plane possidebitur, cum tota corruptione carnis per gloriam resurrectionis absumpta in nullo reluctabitur vel voluntas rationi, vel caro voluntati. Erit hoc, cum totum semen Chanaan de terra exterminabitur, cum omnis maledictio Chanaan a nobis auferetur. Maledictus est enim Chanaan, et servituti subjectus; sed ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Et tunc mansueti hæreditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis. Et qui nunc sperant in Domino, et faciunt bonitatem, tunc inhabitabunt eam, et pascentur in divitiis ejus. Terra nimirum prædives erit et opulenta, fluens lacte et melle, utpote aliena ab omni malo pro mercede prioris obedientiæ. Virtus siquidem mansuetudinis hominis ad seipsum, ex patientia constat et obedientia, tum voluntatis ad rationem, tum carnis ad voluntatem. Ratio enim mansuetæ voluntati, et hæc mansuetæ et edomitæ carni, nunc quædam dura imponit toleranda, et est ibi virtus patientiæ; quia patienter tolerantur; nunc aliqua bona facienda injungit, et est ibi virtus obedientiæ, quia humiliter efficiuntur. Erit ergo lac consolationis per immunitatem mali merces patientiæ, eritque mel per plenitudinem omnis boni merces obedientiæ.

De mansuetudine hominis ad proximum. Beati mites quoniam ipsi hæreditabunt terram (*Matth.* V).

Mitibus terra promittitur, terra certe promissionis. Terra autem promissionis per significationem quatuor modis accipienda videtur. Primum quidem quoad universitatem fidelium terra promissionis est multitudo fidelium, in justitia fidei et obedientiæ, in qua Abraham placuit Deo, per totum mundum collecta, et in sinu Abrahæ in fine colligenda. Hinc Abrahæ, juxta Apostolum, repromissum est ut hæres esset mundi (*Rom.* IV), quia multarum gentium Pater futurus. Secundum propriam spem singulorum terra promissionis est in singulis terra cordis et corporis sui, unicuique in possessionem data, per mansuetudinem in pace possidenda. Tertio quoque promissionis terra est terra viventium, ubi societas est beatorum, ubi nemo moritur, ubi est Jerusalem illa, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum : non pertransibit per eam incircumcisus et immundus : Chananæi non habitant ibi; hinc exclusi sunt maligni spiritus, non

est eis pars neque sors in terra sanctorum. Possessio hujus terræ mansuetis promittitur, quia beatæ societatis participatio mansuetudine acquiritur. Omnis quippe sancta societas pace stabilitur; pax vero sine mansuetudine non retinetur. Sicut enim jumentum inquietum in junctura non trahit, sed turbat; sic immansuetus in congregatione bonorum pacem turbat, fœdus amicitiæ rumpit, vincula societatis solvit, proximo detrahit, adversus proximum opprobrium accipit; nunc pugnat, nunc litigat, nunc murmurat, nunc in disceptationibus cogitationum et suspicionibus de aliis judicat, sicut juvencus indomitus et cervicosus jugum detrectat; mens ejus præceps ad iram, oculus ad invidiam, lingua ad contumeliam; nec socialiter vivit, sæpe a communione societatis studii sui singularitate se disjungit; sibi perniciosus, aliis inquietus, negotium communis salutis suo exemplo non adjuvat, sed unitatem dissipat; et sicut pravus socius communiter impedit commune opus. Virtus autem mansuetudinis sicut ab omnibus his malis semper est aliena, ita paci familiaris semper est, et amica. Hujus autem virtutis proprium est, injuriam nec inferre nec referre; hoc est, non gratis nocere, nec vindictam expetere, hoc est, nec inimicum esse, nec ultorem. Ambo autem, et inimicus et ultor, inimici Dei sunt: quos destruet ipse, ut ex ore infantium et lactentium perficiat laudem propter inimicos suos (*Psal.* VIII). Qui sunt lactentes et infantes, nisi parvi, humiles, simplices, mites, mansueti, patientes, et non vincentes in malo bonum, sed vincentes in bono malum? Infans verba non promit, lactens lac sugit. Audi tamen infantem loquentem: *Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me* (*Psal.* XXXVIII). Si maledicitur, non maledicit; si percutitur, non comminatur. Mutus est enim ad injuriam, et dicit: *Factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones* (*Psal.* XXXVII). Lactentibus vero dicitur: *Deponentes omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et omnes detractiones; sicut modo geniti infantes rationabiles lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem* (*I Petr.* II). In his enim beneplacitum est Domino, et exaltabit mansuetos in salutem. Nonne recte terra viventium est, ubi beatissima societas electorum promittitur mansuetis; qui in præsenti societate bonorum per innocentiam et patientiam socialiter vivunt, servantes unitatem in vinculo pacis? Digna merces mansuetis quieta hujus possessio terræ, ubi beata societas pace firmatur, quæ sine mansuetudine non retinetur. Propter quod Propheta ad Deum dicit: *Fiat pax in virtute tua* (*Psal.* CXXI). Quam virtutem, Domine, quam rectius dixerim, quam eam, cujus exemplum in teipso proponis, dicens: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde?* (*Matth.* XI). In mansuetudine itaque fit pax, et retinetur pax, ut in patientia primo possideamus animas nostras, mox transferendi ad regnum pacis, ubi quies æterna præparata est quie-

A tis, et abundantia in turribus tuis, Domine, tanquam in parvulis et humilibus. Si copiam lactis et mellis quærimus, acceleremus gressus nostros ad terram hanc. Audivimus enim quod regio ista lactis sit et mellis abundans, utpote aliena ab omni malo pro mercede prioris innocentiæ, et plena omni bono pro mercede prioris patientiæ. Mansuetudo nempe hominis ad proximum ex innocentia constat et patientia; eritque merces patientiæ sicut mel, per omnem abundantiam boni.

De mansuetudine hominis ad Deum.

Si juxta quartum modum terra promissionis in Christo, qui est finis promissionum, intelligimus, quærentibus quomodo semen Chanaan habitaverit

B in terra illa, difficile videbitur respondere. Nam quem locum inveniet maledictio, ubi habitat gratiæ plenitudo? Christus enim ex Maria virgine de Spiritu sancto conceptus, a peccatoribus segregatus, excelsior cœlis factus, sicut plenus fuit omni gratia, ita liber ab omni culpa. At tamen pius investigator sibi forte fideliter satisfacere possit, si secum non contendat, sed pie attendat unitatem capitis et corporis Christi, et mortalitatis nostræ conditionem in Christo? Nam quia caput nostrum esse voluit, ut dilectis altius commendaret charitatem, qua nos arctius tanquam membra sibi conjunxit, propter unitatem ineffabilem nos in se transfigurans, causam nostram agit apud Patrem, et dicit: *Quare*

C *me dereliquisti? Longe a salute mea verba delictorum meorum* (*Psal.* XXI). Tanquam sua dicit nostra delicta, et nobis imputanda, sed ab illo nobis non reputanda. Nostra quidem erant, et ab ipso aliena, qui non habuit conscientiam propriæ iniquitatis, et compassionem sensit alienæ calamitatis, ut nos reconciliaret Deo; qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in illo. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est: *Maledictus homo, qui pendet in ligno* (*Deut.* XXI; *Galat.* III). Maledictio autem jam finem accepit, quia *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI). Tenemus ergo terram promissionis, non terram a Dan

D usque Bersabee, non a flumine magno Euphrate usque ad fluvium Ægypti; non a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Sed promissiones Abrahæ dictas intelligimus in Christo esse completas, cum Propheta dicente: *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi. Funes ceciderunt mihi in præclaris; etenim hæreditas mea præclara est mihi. Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum* (*Psal.* XV). In Christo ergo est hæreditas nostra, et portio nostra, et secundum dispensationem naturæ pro nobis susceptæ, ibi est terra promissionis; terra, de qua dictum est: *Benedixisti, Domine, terram tuam* (*Psal.* LXXXIV): et de qua iterum scriptum est: *Ut inhabitet gloria in terra nostra,*

misericordia et veritas obviaverunt sibi (*Psal.* LXXXIV). Ut mansuetis Dominus daret terram hanc, ipse qui sedet super cherubim, venit mansuetus, sedens super asinum omni obedientia et patientia mansuetum: in quo Deus posuit et proposuit nobis exemplum mansuetudinis; ut in obedientia et patientia Christum sessorem et nos portemus, mansueti mansuetum. O confusio nobis, o pudor! Subjugale mutum corripit insipientiam nostram; et magister mansuetudinis asinus nobis constituitur, ut ab animali stolido sapientiam doceamur ipsi stolidiores. Væ nobis, quia sic aberravimus, quia sic infatuati sumus in insipientia nostra. Et unde hoc homini, nisi quia in honore positus non intellexit: *comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis?* (*Psal.* XLVIII.) Utinam hoc exemplo salubriter confundamur, ne de nobis dicatur: *Cognovit bos possessorem suum: et asinus præsepe domini sui. Israel autem me non cognovit!* (*Isa.* I.) Exhibeamus ergo nos mansuetos Deo; tam suscipiens mansuetos Dominus, nos sub jugo et sub onere suo sibi mansuescere per obedientiam et per patientiam et præcipit et consulit. In his autem duabus virtutibus, obedientia videlicet et patientia, mansuetudo exhibetur, illa quæ est ad Deum. Obedientia implet quæ nobis mandantur facienda; patientia sustinet quæ a Deo imponuntur nobis toleranda. Obedientia non recalcitrat, patientia non murmurat. Obedientia assistit in præceptis; patientia persistit in judiciis. Obedientia jugum est sine jugo, quia servitutem eximit, et libertatem restituit. Patientia onus est sine onere; non enim onerat, sed relevat. Quidquid enim grave est impatientibus, per patientiam relevatur: in qua quasi in spirituali vehiculo omnia onera facilius portantur. Et sicut numerositas plumarum et pennarum avem quasi onerat, et tamen in altum levat; sic patientia tribulationem sursum erigit, non deorsum premit. Qui autem sub jugo et onere Christi mansuescunt, Deum mansuetum habent etiam in ira sua, qua hic corripit delinquentes, ne gravius judicentur. Hinc scriptum est: *Supervenit mansuetudo, et corripiemur* (*Psal.* LXXXIX).

Per has itaque virtutes, obedientiam dico et patientiam, mansuetus sessor Christus a mansuetis portatur et sustinetur. Qua mercede? *Sustinentes autem Dominum, ipsi hæreditabunt terram* (*Psal.* XXXVI). Terram utique lacte et melle manantem; ubi Christus Deus et homo videbitur in gloria sua: dulciter et jucunde in gloria glorificatæ humanitatis; dulcius et jucundius, in gloria gloriosæ divinitatis. Hanc tunc gloriam speculantes lacte et melle redundabunt; fluent enim rivi et lactis et mellis usque ad eos. Nam quomodo pervenirent ad eos, nisi fluerent? Quidquid eos delectabit in contemplata specie divinitatis, summæ pulchritudinis, summæque dulcedinis, dulce erit sicut mel. Tunc unicuique dicetur: *Mel invenisti, comede quod satis est* (*Prov.* XXV). Ibi enim plena erit satietas, cum de torrente voluptatis

A replebuntur vasa misericordiæ; cum servo dicetur: *Intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV), ut gaudio circumfusus, quocunque se vertat, in gaudio se inveniat, et gaudium circa se inveniat, et dicat: *Hæreditas mea super mel et favum* (*Eccli.* XXIV). Tunc bonum erit ei mel, qui multum comederit, et contemplator majestatis non opprimetur a gloria. Interim vero non est bonum ei qui multum comedit; quia scrutator majestatis opprimetur a gloria. *Satiabor*, ait Propheta, *cum apparuerit gloria tua* (*Psal.* XVI). Sed unde satiabuntur, qui satiandi sunt? Si melle saturabuntur, unde fluet mel? *De petra*, inquit, *melle satiavit eos* (*Psal.* LXXX). *Petra autem erat Christus* (*I Cor.* X). Mel, ut aiunt, colligitur de floribus cœlesti rore perfusis, propter quod secundum quosB dam dicuntur roscida mella, quasi de rore cadente collecta. Hinc et poeta dixit:

Protinus aerii mellis cœlestia dona,
(VIRGILIUS, *Georg.* IV, 1.)

sive dulcescat ros in floribus, sive flores ex rore, sive vicissim. Utinam nos flores simus, de illis quibus dicitur: *Florete flores* (*Eccli.* XXXIX); et de quibus dicitur: *Fulcite me floribus* (*Cant.* II), Et dulcescat in nobis, et nos in illo, ros Hermon, qui descendit in montem Sion, et conficiatur in nobis mel, quale invenitur in terra promissionis; quo nunc prægustato, et post plenius prægustando, gustantes et videntes, quoniam suavis est Dominus, experti dicamus: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti* C *timentibus te, perfecisti eis qui sperant in te* (*Psal.* XXX). Non solum mel abundat in terra promissionis, abundat et lac. Habet autem lac sementinam carnis originem, quo mater parvulos consolatur et alit ad vitam, qui sine lacte non haberent vitam. Ad hoc autem *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I), ut potemur a lacte, et satiemur ab uberibus consolationis ejus. Propter quod dicitur: *Quemadmodum mater consolatur filios suos; ita ego consolabor vos; et in Jerusalem consolabimini* (*Isai.* LXVI). In illa nempe Jerusalem cœlesti, ubi est visio pacis, ibi est lac consolationis. Quidquid enim delectabit manifestata gloria hominis Dei in Deo, blandietur intuentibus, et erit sicut lac, unde alantur ad vitam, et sine quo non haberent vitam illam, de qua dicit ad D Patrem, ipse qui est vita. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII).

Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur (*Matth.* V).

Sapientia Dei, et sapientia hujus mundi, circa rerum æstimationem judicia sua variant, et momenta rerum ad unius stateræ momentum non ponderant. Sapientia enim mundi ea magni æstimat, quæ sapientia Dei abjicienda et contemnenda reputat. Mundi quoque sapientia suo judicio reprobat, quæ Dei sapientia pretiosa et magna judicat. Dei sapientia dicit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V). Mundi sapientia dicit: Beati divites, quia nunc dominantur in orbe terrarum. Sapientia Dei dicit: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram* (*ibid.*).

Mundi sapientia dicit: Beati bellatores et immites, quoniam ipsi possident terram. Sapientia Dei dicit: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*ibid.*). Sapientia mundi dicit: Beati qui rident, quoniam ipsi jam nunc consolantur. Sapientia mundi divitias et risum et gaudium præsentis vitæ probat et laudat et amat, quia præsentem afferunt consolationem; paupertatem et luctum odit et damnat, quia præsentem desolationem habent. Dei sapientia vitæ præsentis gaudia vana judicat et noxia, utpote vitiorum nutrimenta et impedimenta salutis. Paupertatem vero et luctum commendat et amat, tanquam purgatoria vitiorum, et interminabilis præparativa felicitatis. Sapientia Dei et sapientia hujus mundi sic suis judiciis sese impugnant, ut vicissim sese judicent, et ab invicem judicentur. Sapientia enim hujus mundi stulta est apud Deum; sapientia quoque Dei stulta est apud mundum. Verbum enim crucis pereuntibus stultitia est. Verbum autem paupertatis et luctus secundum quemdam modum verbum crucis est. Nam paupertas, sive luctus, quædam crux est. Sapientia autem Dei justificata est a filiis suis, et filiis lucis. Filii autem hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua. Propterea filii sæculi et filii lucis vicissim sese stultos reputant et insanos. Illi enim respiciunt ad vanitates et insanias falsas; hi stultitiam prædicationis, per quam decrevit Deus salvos facere credentes, pro luce amant, quam animalis homo non percipit: stultitia enim illi est, et non potest intelligere. Hæc autem altercatio inter Dei sapientiam, et eam quæ est hujus mundi, in cordibus multorum ipsius fidei fundamenta concutit, et in tantum invalescit, ut si fieri potest, moveantur etiam electi. Hinc unus justorum dicit: *Mei autem pene moti sunt pedes; pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns* (*Psal.* LXXVIII). At cum intelligit in novissimis eorum, admiratur et dicit: *Quomodo facti sunt in desolationem! subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam* (*ibid.*). Judicio Salomonis risus condemnatur, et luctus convivio antefertur. *Risum*, inquit, *reputavi errorem; et gaudio dixi: Quid frustra deciperis?* (*Eccle.* II.) Et iterum: *Melius est ire ad domum luctus quam ad domum convivii* (*Eccle.* VII). Hæc Salomon: ecce plusquam Salomon hic qui dicit: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V). Luctum et luctum vanitas veritasque distinguit. Sunt qui lugent non lugenda, et ideo ipsi lugendi, quia vane lugent, sicut et vane credunt. Sunt qui pie et salubriter lugent, beati futuri, quod sic lugent, sicut ipse Dominus discipulis loquens ait: *Amen amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit; vos autem contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium* (*Joan.* XV). Et Psalmista: *Euntes ibant et flebant mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos* (*Psal.* CXXV). Hoc pio luctu quasi imbre gratiæ cœlestis rigantur semina nostra, ut compluta uberius surgant ad messem. Hæc est plu- via voluntaria, quam segregavit Deus hæreditati suæ. In hac valle lacrymarum, in qua nati sumus, copiosa nobis suppetit causa lugendi, ubi totum quod occurrit, aut quod intra nos est, aut extra nos est, vix aliud est, quam lugendi materia. Adeo toti miseri sumus, in miseria nati, in miseria usque modo educati, in miseria deinceps victuri, in miseria demum morituri. Intus miseria pleni, foris miseria circumdati. Hinc quidam. *Repleta est*, inquit, *malis anima mea* (*Psal.* LXXXVII). Et: *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus* (*Psal.* XXXIX). Quid possumus inter hæc mala, nisi gemere, plangere, et dolere mala, quæ indesinenter sentimus; et desiderare bona, quæ nondum sentimus? Aut si modicum quid boni forte sentimus, hoc ipsum nos admonet miseriæ nostræ, quod raro, quod tenuiter, quod non plene sentimus. Unde nobis hæc miseria tam multa, tam magna, nisi quia peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus? Viæ autem nostræ et iniquitates nostræ fecerunt hæc nobis.

De prima causa lugendi.

Prima ergo lugendi causa est de malis commissis, et de bonis omissis. Mala quæ commisimus quis dinumeret? *Multiplicatæ sunt*, inquit, *iniquitates meæ super capillos capitis mei* (*Psal.* XXXIX). Bona quæ perdidimus quis dinumeret? *Cogitavi*, ait, *dies antiquos, et annos æternos in mente habui* (*Psal.* LXXVI). Nam et hos et illos perdidimus, dies scilicet antiquos, in quibus conditus fuit Adam bonus et beatus a Deo, ut posset nunquam mori, et annos æternos, quibus donandus erat, si non peccasset, ut nunquam posset mori. Hæc quidem nos in Adam. At nos in nobis quanta bona præripimus nobis! Quanta bona potuimus facere, et non fecimus! Quot curricula temporum inaniter consumpsimus! Quam innumerabiles dies nobis male aut nihil agentibus fluxerunt, et in decursum labiles nos secum traxerunt! O ubi estis, fontes aquarum, ubi nunc estis, fontes lacrymarum, ut lugere queam damna vitæ meæ, et damna pariter innocentiæ meæ? Utinam aperiantur cataractæ cœli desuper! utinam dirumpantur fontes abyssi magnæ, et inundet diluvium aquarum multarum super terram cordis mei, ut dispereant qui habitant in ea, et proni in malum omnes sensus mei ab adolescentia mea! Et ecce defecerunt in vanitate dies mei, et anni mei cum festinatione. Et quis consolabitur me, nisi qui contristatur sicut et ego, unus et ipse pœnitens, qui dicit: *Laboravi in gemitu meo?* (*Psal.* VI.) Nam dum in his quæ mundi sunt gauderem ludens et ridens, et variis successibus applaudens, dum id agerem, ne gemerem vel laborarem, sicut nunc expertus didici, vere tunc laboravi in gemitu meo. Nam quæ labore et gemitu commutanda sunt, vera æstimatione quod valent hic sunt. Hæc enim vere sunt, quod illis sunt, quibus obsunt. Hæc nempe sera nox est, sero gementium: *Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles* (*Sap.* V). Vulgo dici solet, parientis gemitus risus annotinus

Dum ego ambularem ubi volebam, agens quo gemerem, non tamen ut gemerem, sed magis ne gemerem, væ mihi, laboravi in gemitu meo. Nam quod cogitavi et volui, hoc labor est ante me. Tunc concepi dolorem et peperi iniquitatem: propter quod lavabo lectum doloris mei, in quo æger jacui, et immundus secundum immunditiam mulieris parturientis. Lectus doloris caro infirma, delectatio mala, conscientia mala, qui mihi lavandus est per secreta noctis silentia, ubi Deus videt in abscondito, et per singula delicta. Et quia divisam gero conscientiam, tum de malis quæ feci, tum de bonis, si quæ feci; lectum conscientiæ lavans, in quo æger laboro, stratum conscientiæ ubi mihi stravi, ut ibi requiescerem, lacrymis meis rigabo. Lavabo maculas vitæ meæ, rigabo sterilitatem animæ meæ, si forte velut area compluta germinet. Nam innocentia pro parte malorum quæ non feci, et conscientia mea pro parte bonorum quæ feci, utraque mihi facta est infructuosa, per mala quæ feci. Ubi mihi sternere, ubi requiescere volo, ibi dolendi materiam, et lacrymandi causam invenio. Nam per ea quibus corruptus non sum: Quid dico, ubi corruptus non sum? Ubi enim incorruptus sum? Nam incorrupta mea sæpe sic existimo, ut magis ex his corrumpar. Quæ dum cogito, apud memet, dico non sum sicut cæteri hominum, sicut ille vel ille; quia talis ego, et non ille. Et dum superius de me judico, sæpe ambiguus sum, an plus dolere debeam incorrupta, quæ sic elevant, an peccata mea, quæ meticulose cogitata me humiliant

De secunda causa lugendi.

Cum peccata lugens lugeo, et de remedio pœnitentiæ consolationem quæro, adest et alia lugendi causa de tentationibus immissis, licet non admissis, quæ me undique circumvallant et circumcingunt, ut non appareat, ubi exitus pateat. Nam millia tentationum insurgunt in me; aliæ supra me, aliæ intra me, aliæ circa me, et omnes contra me; et cum una dereliquerit, mox alia apprehendit: et dum una cedit, altera succedit; et non est pax spiritui meo in medio earum. Nam quod video, quod audio, quod ago, quod cogito, quod volo, quod placet, quod displicet, denique totum quod vivo, tentatio mihi est, sicut scriptum est: *Tentatio est vita hominis super terram* (*Job* VII). Inter has autem tentationes tam multas, tam malas, tam importunas, tam perplexas et inextricabiles, quibus me expedire non possum, sæpe vita ipsa mihi tædio est, et dum consolationem quæro, magis eam invenio in sanctorum infirmitate, quam in propria virtute. Audio enim Paulum in medio tentationum ita coarctatum, ut clamare compellatur: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* VII.) O quanta consolatio Deo dispensante infirmitati nostræ provisa est! Nam infirmitates sanctorum interdum nos plus confortant, quam virtutes eorum. Virtutes desiderium accendunt, infirmitates spem erigunt. Cum Paulus, cui dictum est: *Virtus in infirmitate perficitur* (*II Cor.* XII). Ipse de se dicat, *Cum infirmor, tunc fortior sum* (*ibid.*). Possum et ego dicere: Cum Paulus infirmatur, ego fortior sum. Infirmitas ergo Pauli adjuvat me apud me, ut virtus ejus adjuvet me apud Deum, ut eripiat me a tentatione, animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu.

De tertia lugendi causa.

Præter mala, quæ nostram vitam maculant, et mala quæ nos ad culpam tentant, urgent nos alia, quæ culpam purgant. Alia recte dixerim, quia alia sunt genera tentationum, quibus resistitur non consentiendo, alia genera passionum et tribulationum, quibus exercemur tolerando. Et quamvis in eisdem rebus plerumque tentemur ad culpam, et exerceamur ad pœnam, aliud tamen est, quod timemus in tentatione, aliud quod dolemus in tribulatione. Hic culpa in causa est, illic pœna. Habent autem et hæc mala, quibus scilicet tribulamur, tædia sua et lacrymas suas. Testis et Elias, qui projecit se subter umbram unius juniperi, et petivit animæ suæ, ut moreretur, dicens: *Sufficit mihi, tolle animam meam* (*III Reg.* x). Testis et Paulus, qui et ipse dicit: *Supra modum gravati sumus, ita ut tæderet etiam vivere* (*II Cor.* I). Testis et Jonas, qui dicit: *Irascor usque ad mortem* (*Jon.* IV). Et de tædiis sic dictum sit. Nam de gemitu vel lacrymis probat, qui dicit: *Omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc. Non tantum illa, sed et nos ipsi primitias spiritus habentes, et ipsi intra nos gemimus* (*Rom.* VIII). Et Psalmista: *A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus, propter iniquitatem corripuisti hominem* (*Psal.* XXXVIII). Et de lacrymis adjungit: *Exaudi orationem meam, Domine, et deprecationem meam; auribus percipe lacrymas meas* (*ibid.*). Si autem hæ lacrymæ omnium justorum sunt, quomodo contrarium non est: *Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati?* (*Act.* V.) Et quod Paulus dicit: *In tribulatione gaudentes* (*Rom.* XII); et quod Jacobus: *Omne gaudium existimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis?* (*Jac.* I.) Sed qui infirmi sunt, in tribulationibus dolent, qui autem perfecti sunt, etiam de tribulationibus gaudent, quod virtutis est; et tamen dolent, quod infirmitatis est. Neque enim nulla est infirmitas perfectorum. Nam virtus eorum in infirmitate perficitur (*II Cor.* XII). Miro siquidem modo Deus sanctos suos de infirmitate confortat, et de virtute humiliat. Hinc justus ait: *Quia cinerem tanquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam* (*Psal.* CI). Ac si diceret: Memoria infirmitatis et conditionis meæ, qua me memini cinerem et pulverem, panis mihi est et refectio mea, confortans et roborans me; potus spiritualis lætitiæ, quod me lætificat, non sine amaritudine est, quia gaudium dolore temperatum est. Si autem esset virtus sine infirmitate, esset et gaudium sine mœrore. Nunc autem et infirmitas profecit ad virtutem, et hoc est, *cinerem tanquam panem manducabam:* et virtus humilitatis per infirmitatem, et

hi qui paupertatem amant, tum hi qui tolerant, tum etiam hi qui consolantur eam: quid sibi vult, quod regnum omnibus communicandum, iis solis repromittitur, qui voluntariam amplectuntur paupertatem: si soli tales pauperes spiritu judicantur? Ad hæc facit differentiam, quod non dicitur de eis: *Intrabunt in regnum cœlorum* (*Matth.* xxv); sed quod amplius videtur: *Ipsorum est regnum cœlorum.* Nam, cum omnes benedicti a Deo benedicendi percepturi sint regnum cœlorum, quod eis paratum est ab origine mundi, de omnibus quidem creditur, quod intrabunt in regnum cœlorum, de quibusdam tamen specialiter dicitur: *Talium est regnum cœlorum* (*Matth.* xix). Est et aliud, quod nos movere possit. Nam cum cæteræ promissiones in hac serie evangelicæ distributionis in futurum differantur, hæc tamen promissio nulla dilatione suspenditur, sed quasi jam exhibita monstratur; ut magis videatur præsentis beneficii adeptio, quam futuræ retributionis exspectatio. Et de his qui persecutionem patiuntur propter justitiam, similis forma subjungitur. Nam et horum et illorum regnum cœlorum esse pronuntiatur; quasi jam nunc reddita sit merces sine mora, sine impedimento, sine dilatione. At mites nondum dicuntur possidere terram: sed dicitur, *quia possidebunt terram;* et *misericordes misericordiam consequentur;* et *qui lugent consolabuntur;* et *qui esuriunt justitiam, saturabuntur;* et *pacifici filii Dei vocabuntur;* et *mundi corde Deum videbunt* (*Matth.* v); sed hæc omnia in futuro. Hujus autem diversitatis aliqua ratio quærenda videtur. Forte istæ duæ justificationes, prima scilicet et ultima, quarum merces non differtur, perfectorum sunt, qui in camino paupertatis, vel igne persecutionis examinantur, sicut examinatur argentum, et excoquuntur ad purum, qui ædificant super fundamentum aurum et argentum et lapides pretiosos; et hinc exeuntes, nec ligna, nec fenum, nec stipulam secum portant, quæ in illis ardeant; sed mox ut hinc exierint, ad cœlum convolant, non dilati a regno, *quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Sine his autem virtutibus, quibus purgantur, quæ infirma sunt cæterarum virtutum, (universæ enim justitiæ nostræ sicut pannus menstruatæ (*Isa.* LXIV), quicunque boni inveniuntur, ex aliqua parte ædificare videntur super fundamentum, ligna, fenum, stipulam, quæ necesse est, ut in illis ardeant, salvandis quidem, sic tamen quasi per ignem. Nam et qui mundo corde sunt, quibus promittitur visio Dei, indigent tamen adhuc purgari. Quis enim gloriabitur castum se habere cor?

De justificationibus martyrii.

Duo genera martyrii, alterum in carne, alterum in spiritu. His duabus justificationibus consummari videntur, cæterarumque virtutum perfectio, cum ad consummationem pervenerint, his merito ascribenda est; quia ex his perficiuntur; cum necesse sit, omnes justos vel in carne, vel in spiritu, pro Christo pati, ut perfectionis gloriam assequantur. Pauperes autem spiritu qui sint, plenius intelligitur, si spiritus a spiritu discernatur. Occasionem facilioris intelligentiæ dat nobis Propheta, qui dicit: *Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabuntur* (*Psal.* XXXIII); et Apostolus, qui dicit: *Non accepimus spiritum hujus mundi; sed Spiritum, qui a Deo est* (*I Cor.* II). Spiritus hujus mundi non incongrue intelligitur princeps hujus mundi, de quo et in alio loco idem Apostolus dicit: *Cum mortui essetis delictis et peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum sæculum mundi hujus, secundum principem potestatis aeris hujus, spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ* (*Ephes.* II). Hoc spiritu hujus mundi cum afflatur spiritus hominis mox et inflatur, et assimilatus ei a quo afflatur, potest et ipse dici spiritus hujus mundi, cum concupiscit ea quæ mundi sunt. Hic autem spiritus superbus est, et vanus, præsumptuosus, ambitiosus, alta semper sapiens, et humilia contemnens. At qui Spiritu Dei aguntur, quanto magis eo afflantur, tanto minus inflantur, et tanto magis humiliantur; sicut pauperes spiritu, non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Virtus itaque pauperum spiritu ex defectu spiritus et abundantia spiritus æstimanda est. Quanto enim minus habet quis de spiritu suo, tanto magis abundat in eo Spiritus Dei; et quo amplius a spiritu suo deficit, eo abundantius secundum Spiritum Dei proficit. Unde si quæratur, secundum quem spiritum pronuntientur pauperes spiritu, rectius videtur intelligi, secundum Spiritum Dei, qui pauperes facit et ditat, humiliat et sublevat. Nam quos facit pauperiores, hos facit et ditiores; et quos humiliores, hos facit sublimiores, non secundum altum elationis, sed secundum culmen perfectionis. Si cui tamen videtur quasi per privationem dici: *Beati pauperes spiritu* (*Matth.* v), quasi minus habentes de spiritu, vel quasi deficientes a spiritu, suo videlicet, vel hujus mundi, sicut pauperes rebus dicuntur, qui substantiam rerum non habent: hoc sanæ doctrinæ non adversatur, sed per interpretationem cum superiori sententia ad eamdem fere redit intelligentiam. Verumtamen, prior sententia præferenda videtur, quia humiles spiritu et pauperes spiritu, secundum eamdem rationem dici convenientius æstimantur. Humiles autem spiritu secundum habitum dicuntur, et non secundum privationem, hoc est secundum spiritum quem habent, et non secundum spiritum, quo carent. Quod autem ii, qui secundum Spiritum Dei proficiunt, a suo spiritu deficiant, ostendit Propheta, qui ad Deum loquitur, dicens: *Auferes spiritum eorum et deficient, et in pulverem suum revertentur. Emittes Spiritum tuum, et creabuntur* (*Psal.* CIII). Auster vices suas non peragit, dum a flatu suo aquilo non quiescit. Hic in sua lenitate non sibilat, dum in spiritu vehementi aquilo perdurat. Propter quod scriptum est: *Surge, aquilo, et veni, auster* (*Cant.* IV).

De spiritu hominis.

Spiritus autem hominis tribus modis tumescit et grandescit in se; et æque tribus modis deficit et detumescit a se. Tumescit opinione vana, spe vana, cupiditate

locum pœnitentiæ, quamvis cum lacrymis inquisivisset illam (*Hebr.* XII). Et Judas pœnitentia ductus retulit triginta argenteos (*Matth.* XXVII); et Balaam inutiliter ad justitiam compunctus est, dicens: *Moriatur anima mea morte justorum; et fiant novissima mea horum similia* (*Num.* XXIII). Mala itaque dolenda et timenda possunt mali dolere et timere; bona quoque spiritualia vel æterna sperare et desiderare; et horum spe vel desiderio, illorum vero dolore et timore ad lacrymas usque compungi, tanto sterilius quanto inanius. Quia nulli sufficit mala lugere, et bona sperare vel desiderare, nisi adjiciat peccata relinquere, et errata corrigere, et bona quibus bonus fiat apprehendere. Aliud est enim bona hæc sperare, vel desiderare, aliud habere. Nemo siquidem solum sperando vel desiderando, vel se habere opinando bona, quibus bonus sit, sed magis hæc habendo, bonus est. Multi enim pœnitentiam et peccatorum veniam, quibus mali esse desinant, vel se habere putant; vel habere posse cum voluerint, sperant; sic charitatem et humilitatem, cæteraque bona, quibus boni fiant; sed vana est spes eorum, desiderium quoque et opinio eorum, et cor eorum vanum est. Propterea nonnunquam inutiliter compunguntur ad justitiam, sicut boni innoxie tentantur ad culpam. An non bonos se putant, qui de suis meritis superbius judicant, ut se cum Domino judicaturos confidant? De qualibus scriptum est: *Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis* (*Psal.* XC). Qui ergo hujusmodi sunt, etsi in spe sua abundantius gaudeant; etsi desideriis et suspiriis et singultibus animæ lacrymis fluant, alieni tamen sunt a promissione hac: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V).

De peculiaribus bonorum lacrymis.

Spes autem justorum humilitate subnixa est, et desiderium charitate. De his autem, charitate scilicet et humilitate, quasi de fontibus Salvatoris, hauriuntur sanctarum aquæ lacrymarum. Pie enim plorat, qui post culpam salubriter compunctus, et in timore Dei humiliatus, iniquitatem detestatur; et semper dolet fecisse, quod non consentit iterare. Hæ sunt piæ lacrymæ, de quibus Psalmista dicit: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam* (*Psal.* CXVIII). Pie plorat, qui desiderio spirituali et gaudio resolutus in lacrymas diffluit et liquescit, et recordatione desiderabilium suorum miro modo interius se effundit, ut dicere possit: *Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam; quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei* (*Psal.* LIV). Harum lacrymarum dulcedinem experta est illa amore languida, quia dicebat: *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est* (*Cant.* III). Bene, ut dilectus locutus est, quæ dilectus est, quia locutus est. Cui enim dilectus est, mox ut locutus est, *molliti sunt sermones ejus super oleum, et ipsi sunt jacula* (*Psal.* LIV). Vide, si non

A emollitur, si non liquefacta resolvitur ad sermones ejus quæ amat, cum scriptum sit: *Emittet verbum suum, et liquefaciet ea; flabit Spiritus ejus et fluent aquæ* (*Psal.* CXLVII). Dilecto ergo loquente et Spiritu flante, deliquescit quæ amat, et fluunt aquæ, quibus irrigatur hortus deliciarum, qui austro perflatur, ut fluant aromata illius. Et hæ quidem lacrymæ mellifluæ sunt. Etenim cœli distillaverunt, stillicidia scilicet, quibus lætabitur germinans, et pluviam voluntariam, quam segregavit Deus hæreditati suæ. Hæc autem pluvia sæpe a justis suspenditur, et cum habetur non retinetur; cum desideratur, non obtinetur. Sæpe enim derelicti pulsante infirmitate et virtute omnino delitescente, amaritudine replentur, tædio afficiuntur,
B in malis tabescunt, et in siti exardescunt, et prohibitæ sunt pluviæ de cœlo; neque ros neque pluvia cadit super eos; et nisi Deus adjuverit eos, paulominus habitare incipit in inferno anima eorum. Sed quid mirum, si justi ad horam quasi in infernum descendant, ubi absinthio et aqua fellis potantur cum scire expediat, unde sint liberandi, ut plus gratulentur liberati; et superabundet consolatio eorum ad gloriam Dei? *Descendunt*, inquit, *usque ad abyssos; anima eorum in malis tabescebat* (*Psal.* CVI). Sed nunquid obliviscetur misereri Deus? Absit! Nam cum spiritus Domini super mel dulcis spe et desiderio illius hæreditatis, quæ est super mel et favum, mentem justorum afflaverit, et sua inæstimabili dulcedine omnia viscera et secreta lan-
C guentis animæ impleverit, tunc a superveniente gratia internæ dulcedinis, intimæque suavitatis, totum quod amarum est in lætitia cordis absorbebitur, et fluent aquæ lacrymarum sicut rivi mellis. Et suggerente matre Jesu: *Vinum non habent* (*Joan.* II), aqua mœroris in vinum lætitiæ convertetur; sed, cum impletum fuerit, quod Jesus præcipit, dicens: *Implete hydrias aqua* (*ibid.*). Prius enim oportet hydrias aqua implere, hoc est, corda nostra largis lacrymarum perfusionibus plenius satiare, et pro commissis digne satisfacere, et lugenda sufficienter lugere, et sic consolationem intimæ devotionis, et gaudium in Spiritu sancto intra nos recipere, et tristitiam cordis nostri lætitia commutare. Nam
D quia lugenda nondum digne deflevimus, ex hoc sæpe devotionis detrimenta sentimus; et quia nondum solvimus quod debemus, id quod cupimus, tardius obtinemus. Sed cum potum dederit nobis Deus in lacrymis in mensura, adeptione bonorum quæ anxie desideramus, multimoda in præsenti consolatione experiemur veram esse consolationem hanc: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V). Magis autem hoc experiemur et in futuro, quando Deus omnem lacrymam absterget ab oculis sanctorum (*Apoc.* XXI); quando replebitur gaudio os nostrum, et lingua nostra exsultatione (*Psal.* CXXV), ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen

ritas est et neminem fallit. *Maledictus* autem, *qui* A *confidit in homine, et* qui *ponit carnem brachium suum* (*Jer.* XVII). Homo autem interdum cum potest liberare, non vult; interdum cum vult, non potest. Deus autem, sicut semper potest, ita et vult semper salvare sperantes in ipso, et non in se, nec superbe præsumentes de ipso, nec de se. Propheta dicit: *Qui confidunt in virtute sua, et multitudine divitiarum suarum gloriantur; frater non redimet* (*Psal.* XLVIII). Ecce a gratia redemptionis alieni sunt, qui in se confidunt, et de se præsumunt.

De mala vel bona securitate.

Sunt nonnulli vana spe securi, qui adjiciunt peccatum super peccatum dicentes: *Miserationes Domini multæ sunt* (*Psal.* XXI): qui de Dei misericordia sibi blandientes, et quasi in ea spem ponen- B tes, tanto sunt superbiores, quanto securiores. Vera autem securitas timor Domini est. Hic nempe timor magis securum facit, quam tumidum: quo carentes et misericordiam Dei sibi pollicentes ipsi se decipiunt, ut confundantur ab exspectatione sua. Non enim secure peccantibus, sed Deum timentibus, et peccare cessantibus, misericordia repromittitur. Consulamus Scripturarum testimonia super hæc. Propheta dicit: *Secundum altitudinem cœli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se* (*Psal.* CII). Et: *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se* (*ibid.*). Et in alio loco: *Prope timentes eum salutare ipsius* (*Psal.* LXXXIV). Et beatissima mater misericordiæ. *Misericordia*, inquit, *ejus a progenie in progenies, timen-* C *tibus eum* (*Luc.* I). Ecce quomodo conjunguntur timor Dei et misericordia Dei, ut sperari non debeat misericordia Dei sine timore Dei. Sicut enim periculosus est timor sine spe mittens in desperationem, sic perniciosa est spes sine timore pertrahens ad obstinationem. Propter quod in lege scriptum est: *Non accipies loco pignoris inferiorem et superiorem molam* (*Deut.* XXIV). Superior quippe mola spes est, et inferior timor. Inter has commolitur, quidquid salubriter manditur. Altera autem sine altera inutilis est; et cum loco pignoris accipitur, altera per se nec danti nec accipienti valet. Pignus autem pro securitate accipitur, quia securum facit. Pignus autem quale sit, Apostolus docet dicens: *Qui unxit nos* D *Deus, et signavit nos, et dedit pignus spiritus in cordibus nostris* (*II Cor.* I). Hoc ad Corinthios. Ad Ephesios autem sic: *Signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ* (*Ephes.* I). Pignus ergo Spiritus sanctus est, qui nobis veram securitatem præstat in conjunctione timoris et sanctæ spei. Nam sine timore vana est securitas, sine spe nulla est securitas; in his vero simul vera est securitas. Timor ergo Dei spem comprimere debet, ut detumescat a præsumptione sua; ne inanescat in vanitate sua, et confundatur ab exspectatione sua. Consequens enim est, ut spiritus hominis orando et sperando in Deum proficiat; sic autem præsumptione spei in se a se deficiat, ut dicere possit cum Propheta: *Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum. Effundo in conspectu ejus orationem meam, et tribulationem meam ante ipsum pronuntio. In deficiendo ex me spiritum meum* (*Psal.* CXLI). Et illud: *Velociter exaudi me, Domine; defecit spiritus meus* (*Psal.* CXLII). Dilatio exauditionis Deo non conceditur, sed velociter exaudire postulatur, cum in timore Dei spiritus hominis deficit; ut omnino non speret in se, non in virtute sua, non in sapientia, non in arte vel calliditate sua, non in omni facultate sua; sed in solo Deo et in eis quæ Dei sunt, quia Dei sunt. In bonis enim nostris, quia a Deo sunt, ut puta in fide et in operibus justitiæ et misericordiæ, ita spes ponenda est post Deum, ut tota fiducia nostra a nobis abstrahatur, quamvis nostra sint bona; et in eum projiciatur, cujus ipsa sunt dona. Nam qui de donis Dei fiduciam in Deo ponendam ad se trahit, Deo injuriam facit. Et quoniam auxilium inde solet invocari, unde et sperari, qui a se sperat auxilium, magis se ipsum invocat, quam Deum. Propterea nondum dicere potest: *Velociter exaudi me, Domine, defecit spiritus meus.*

De cupiditate vel superbia.

Cupiditate vana grandescit animus duobus modis, amore scilicet utendi vel habendi quæ possidentur, vel desiderio possidendi quæ non habentur. Ipsum autem desiderium amor quidam est. Nam desiderare est quodam modo amare. Cupiditas autem est amor mundi, sicut charitas est amor Dei. Cupiditas quærit quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi: quærit autem sic. Nunc per amorem terrenæ possessionis, nunc per amorem lubricæ fluxæque voluptatis, nunc per amorem dominationis, nunc per amorem ambitiosi honoris, nunc per amorem admirationis, favoris et laudis. Hæc sunt quæ cupiditas contra Deum superbe et insatiabiliter quærit. Hæc sunt quæ charitas propter Deum nobiliter, et ut ita dixerim, suo superbiendi modo contemnit. Habet enim charitas, si fas est dicere, superbiam suam, qua ipsam superbiam, et quidquid contra Deum superbum est, nobiliter contemnit. Hinc ad apostolos dictum est: *Fortitudinem gentium comedetis, et in gloria eorum superbietis* (*Isai.* LXI). Deum propter contemnenda contemnere, et plus quam Deum contemnenda diligere, vilis est superbia, et confusione digna. Gloriam autem mundi propter Deum contemnere, nobilis est superbia. Nobilior autem, si ipsa confusio propter Christum inconfusibiliter contemnatur, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta (*Hebr.* XII). Melius est enim dignitates et honores in hoc mundo erubescere, quam crucem Christi, quam paupertatem Christi, quam humilitatem Christi. *Qui erubuerit*, inquit, *me et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, et sanctorum angelorum* (*Luc.* IX). *Non est servus major Domino suo* (*Joan.* XIII). Quæ non erubuit Christus pro nobis, non sunt erubescenda pro

A cedinis, quæ in delectatione justitiæ interim percipitur. De qua delectatione per Prophetam dicitur: *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis* (*ibid.*). Futura autem satietas duas res desiderabiles complectitur, vitam æternam, et lætitiam sempiternam. Justitia utramque acquirit et rependit. Nam de satietate vitæ æternæ scriptum est: *Longitudine dierum replebo eum* (*Psal.* XC), haud dubium, quin justum. De satietate lætitiæ sempiternæ scriptum est: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: et torrente voluptatis potabis eos* (*Psal.* XXXV), haud dubium quin justos. Justitia ergo, quæ vivificat et lætificat, cibus est et potus. Cibus est et panis vitæ, cum vitam præstat, et in perpetuum conservat. Justitia enim acquisitio immortalitatis est. Potus est, et vinum lætitiæ, cum lætitiam tribuit, et sine fine custodit. Beati ergo qui esuriunt et sitiunt justitiam; et beati qui desiderant vivere et lætari, non in hoc sæculo, sed in Christo. Consequentur enim satietatem, quando replebit in bonis desiderium eorum Dominus noster Jesus Christus, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

TRACTATUS DECIMUS

Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum; quia fortis est ut mors dilectio, dura quasi infernus æmulatio (*Cant.* VIII).

Amans nos Deus, et amari desiderans, signaculum formavit, habens imaginem amoris insculptam, quo cor nostrum pressius signavit, ut coimaginatum similitudinem imaginis in se exciperet, et configuraliter exprimeret. Signaculum intellige, tum in eo quod signat, tum in eo quod signatur. Nam eo quod signat, dicit Apostolus ad Romanos: *Abraham signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio* (*Rom.* IV). De eo vero quod signatur, idem dicit ad Corinthios: *Signaculum apostolatus mei vos estis in Domino* (*I Cor.* IX). Et ad angelum divinæ similitudinis decore insignem per prophetam dicitur: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti* (*Ezech.* XXVIII). Christus autem et signat et signatus est. Hunc enim Pater signavit Deus. Hunc Pater sanctificavit, et misit in mundum. Hunc Pater singulari gratia a cæteris discrevit. *Talis enim decebat, ut esset nobis pontifex, sanctus*, immaculatus, *impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus* (*Hebr.* VII). Per hunc et nos signavit Deus, sicut scriptum est: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (*Psal.* IV). Signavit autem in die conditionis nostræ, quando nos ad imaginem et similitudinem suam formavit. Signavit in die redemptionis nostræ, quando nos secundum suam imaginem reformavit. Iniquitas quippe et mors inter Deum et hominem diviserunt. Deus autem odit iniquitatem, et homo mortem. Homo intantum odit mortem, inquantum diligit vitam. Quid autem in vita dulcius est ipsa vita, quidve amabilius? Quid morte amarius, quid odibilius? Quid igitur iniquitate detestabilius, per quam vitæ jucunditas est perdenda, et moriendi necessitas est nobis imposita? Quid magis amari potest quam vita, maxime autem immortalis vita, et promissor et largitor ipsius Deus fons vitæ et ipse vita? Justitia autem, sicut scriptum est, acquisitio immortalitatis est. Proinde justitia diligenda est, non minus quam vita, per quam acquiritur, et sine qua

B non retinetur immortalis vita. Homo autem ab initio quodammodo immortalis erat, ut per justitiam conservatam posset non mori, in hac parte, sed ex parte Deo similis; nunc autem similis jumentis insipientibus pro conditione moriendi, sed inferior obligatione peccati, et periculo pereundi, eisdem tanto nunc abjectior, quanto prius dignior. Iniquitas ergo æque odibilis est, ut mors, et magis quam ista mors. Expedit enim magis mori, quam peccare. Peccatum stimulus est mortis, et aculeus usque ad interitum vulnerans. Stipendium peccati mors est, et merces iniquitatis perditio. Peccatum injuria Dei est, in provocationem zeli, judicium mortis, sententia Dei est in condemnationem peccati. Homo vero peccator juste morti addicitur, et

C multis miseriis iram Dei expertus, vix de dilectione Dei vel tenuiter sperare poterat. Potuit enim ei sua cogitatio suggerere, ut diceret: Quomodo me credam a Deo diligi, qui sic me affligit? Quid boni ab eo sperem, qui indignationem suam super me effudit, et nec a morte mihi pepercit? Si me diligeret, non sic suo judicio me premeret; non in ira sua misericordiam contineret, sed indignationem quam demerui remitteret, veniam donaret, et a decreto mortis me absolveret. Visus quippe est Deus hominem odisse, cum iram inferret, cum sententiam mortis in eum ferret. Visus est dilexisse, cum per abolitionem peccati et mortis mortem sufferret. Mors ergo signum odii et amoris exstitit; sed odii

D adversus culpam, quam homo commisit; amoris erga naturam, quam Deus condidit. Per mortem homini illatam effudit Deus iram et indignationem suam super omnes gentes, sicut scriptum est: *Calcavi eos in furore meo; et conculcavi eos in ira mea* (*Isa.* LXIII). Per mortem pro homine susceptam effudit Deus misericordiam et dilectionem suam super omnes gentes, sicut scriptum est: *Deus noster Deus salvos faciendi, et Domini Domini exitus mortis* (*Psal.* LXVII). Ergo mors ira est et misericordia; judicium et beneficium, condemnatio et absolutio,

indignatio et reconciliatio. Deus autem reparationis nostræ remedium sic dispensavit, et sic temperavit ut furorem suæ indignationis converteret in sacramentum redemptionis, et auxilium liberationis. Unde et dicit : *Salvavit mihi brachium meum; et indignatio mea ipsa auxiliata est mihi* (*Isa.* LXIII). Ergo ut omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo, non dicat nunc omnis homo : Non me diligit Deus, qui mihi a morte non parcit; sed dicat potius, et obstupescat : O quam me diligit Deus, qui ut mihi parceret, sibi a morte non pepercit! Comparemus ergo mortem cum dilectione; et apparebit, quia fortis est ut mors dilectio. De fortitudine mortis quis dubitet? Quæ vis, quæ potestas, quæ dignitas, quæ nobilitas, quæ sapientia, quæ prudentia, quæ ars, quæ fraus, ei obsistere potest?

Omnes debitores suos repetit, ab omnibus vectigal exigit, omnes involvit, nemini parcit, ubique terrarum regnat, omnes æquat, omnibus imperat, et expugnatores urbium ipsa inexpugnabilis expugnat. Hujus rei testes sunt, quotquot dormierunt in pulvere terræ, et sepulcra mortuorum ipsa sunt testimonia hujus veritatis. Quique potentissimi et reges et principes, qui dederunt terrorem suum in terra viventium, et ipsi experti sunt, quid mors possit. Omnes mundi sapientes, qui astra cœli contemplati sunt, qui menses et dies supputabant, subito casu mortis præventi sunt, et in astutia sua comprehensi. In hoc autem gemina apparet fortitudo mortis, quodque potuit omnes rapere vel capere, potuit et omnes tenere, et non erat, qui de manu ejus posset eruere. Dilectio autem, qua nos dilexit Deus, vincula quibus mors a se captos constringebat, sua virtute dissolvit, ut non valeat nisi ad horam retinere, quos ad horam permittitur invadere. Christus enim resurrexit primitiæ dormientium, fiduciam nobis resurgendi sacramento, et exemplo, et testimonio suæ resurrectionis, et verbo suæ promissionis confirmans.

Fortis est mors, quæ nos munere vitæ valet destituere. Fortis est dilectio, quæ ad usum melioris vitæ valet restituere. Fortis est mors, quæ nos exuviis hujus corporis potens est spoliare. Fortis est dilectio, quæ mortis spolia potens est diripere, nobisque resignare. Fortis est mors, cui non valet omnis homo resistere. Fortis est dilectio, ut ipsam valeat triumphare, aculeum ejus obtundere, contentionem sedare, victoriam confundere. Erit enim quando insultabitur, quando dicetur : *Ubi est mors aculeus tuus? Ubi est mors contentio tua?* (*I Cor.* XV.) Fortis est ut mors dilectio, quia mors mortis est Christi dilectio. Propter quod dicit : *Ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne* (*Ose.* XIII). Dilectio quoque, qua a nobis diligitur Christus, et ipsa fortis est ut mors, cum sit ipsa quasi quædam mors, utpote veteris vitæ exstinctio, et vitiorum abolitio, et mortuorum operum depositio. Hæc autem dilectio nostra ad Christum, quædam vicissitudo est, quamvis impar dilectionis ipsius quoad nos, et coimaginata similitudo. Ipse enim prior dilexit nos, et per exemplum amoris quod nobis proposuit, factus est nobis signaculum, quo efficiamur conformes imaginis ipsius, imaginem terreni deponentes, et imaginem cœlestis portantes, sicut dilecti sumus, sic et eum diligentes. In hoc enim nobis relinquit exemplum, ut sequamur vestigia ejus (*I Petr.* II). Propter quod dicit : *Pone me ut signaculum super cor tuum* (*Cant.* VIII). Ac si diceret : Ama me, sicut amo te. Habe me in mente tua, in memoria tua, in desiderio tuo, in suspirio tuo, in gemitu et singultu tuo. Memento, homo, qualem te fecerim, quantum creaturis cæteris te prætulerim; quali dignitate te nobilitaverim, quomodo gloria et honore te coronaverim, quo modo paulo minus ab angelis te minoraverim, quomodo sub pedibus tuis omnia subjecerim (*Psal.* VIII). Memento, non solum quanta tibi fecerim, sed quam dura, quam indigna pro te pertulerim; et vide, si non inique agis contra me, si non amas me. Quis enim te sic amat, ut ego? Quis te creavit, nisi ego? Quis te redemit, nisi ego? Quis defensor vitæ tuæ periculum duelli subiit, nisi ego? Ut ergo vicissitudinem amoris mihi rependas, exere brachia, vires exerce; pone me ut signaculum super brachium tuum. Pugna pro me, sicut ego pro te. Ne mihi simulatoria adulatione blandiaris, ut dicas : Domine, amo te. Si amas, ostende, quia amas. Ama, non verbo et lingua; sed opere et veritate. Ego vici mundum, pugnans pro te; sed adhuc mundus et princeps mundi adversatur tibi, adversatur et caro, ut cum his pugnes pro me, magis autem pro te. Tuum enim periculum vertitur, pugna est de anima tua, de salute tua; nec vinci poteris, nisi ex te; nec vincere, nisi ex me. Proinde non confidas in te, sed in me. Non enim in gladio tuo obtinebis hostem, et brachium tuum non salvabit te; sed dextera mea, et brachium meum, et illuminatio vultus mei. Si posueris me quasi signaculum super brachium tuum, tibi victoria cedet. Sic pugna, non quasi aerem verberans; castiga corpus tuum, et in servitutem redige (*I Cor.* IX); ab omnibus abstine, sicut qui in agone contendit. Si tibi durum videtur hoc, quid accusari potes contra me? Et ego custodivi vias duras. Si me velis æmulari, scito, quia dura est sicut infernus æmulatio. Oportet bibere calicem, quem ego bibi. Ego sitivi, et ego bibi, ego mortem gustavi, ego ad inferna descendi; sed solutis doloribus inferni, resurrexi. Si tu per æmulationis studium volens me imitari, te senseris gravari, et quasi in inferno cruciari, hoc est quod a te exigo, hoc est quod moneo, hoc est quod consulo, ut ad modicum crucieris, quasi in inferno, ne sine fine crucieris in inferno. Æmulatio enim quasi infernus est, similis loco pœnali; sed hæc est via, quæ ducit ad introitum regni. Oportet enim hæc pati, et sic ad vitam ingredi.

Hinc et martyres veri mei æmulatores, nunc comparticipes regni; sed prius, abjectis corporibus et ossibus suis super terram morte, et prius morte contumelia affecti, dicentes : *Dissipata sunt ossa*

nostra secus infernum (*Psal.* CXL). Vide quomo lo me amaverunt, qui me secus infernum sequi voluerunt et ab inferno deglutiri noluerunt. Si adversa pateris, et ob hoc æstimatione aliorum peccator et inferno proximus reputaris; habes, ut mecum dicere possis : *Repleta est malis anima mea, et vita mea inferno appropinquavit. Æstimatus sum cum descendentibus in lacum* (*Psal.* LXXXVII). Pone me ut signaculum super cor tuum, ut me tota virtute diligas; pone me super brachium tuum, ut quæ mihi placita sunt, tota dilectione perficias. Pone me super cor tuum, per affectum amoris; pone me super brachium, per effectum operationis. Habe me in exemplum et adjutorium pure sincereque diligendi; in exemplum et adjutorium bene operandi, et fortiter patiendi. Pone me super cor tuum, super omne quod cogitas, quod amas, quod tibi cordi est; ut omne quod charum est postponas, et me semper superponas, et me semper plus diligas; non solum quam quod extra te est, sed et plusquam quidquid intra te est. Denique plusquam te, ut te diligas propter me, non solum me propter te. Sit amor tui secundum me in summo cordis, sit amor mei supra summum cordis. Quoniam autem probatio dilectionis exhibitio est operis, pone me super brachium tuum. Sic pugnes, sic te exerceas operando pro me, ut opereris ex me. Ego sim spes tua, ego fiducia tua, ego fortitudo tua, ego patientia tua. Mihi dicas : *Domine, spes mea a juventute mea* (*Psal.* LXX). Mihi dicas : *Diligam te, Domine, fortitudo mea* (*Psal.* XVII). Mihi dicas : *Quoniam tu es patientia mea* (*Psal.* LXX). Mihi dicas : *Deus meus, misericordia mea* (*Psal.* LVIII). Ne ponas carnem brachium tuum, sed mihi dicas : *Esto brachium nostrum in mane, et salus nostra in tempore tribulationis* (*Isa.* XXXIII). Dilectionem exigo de corde tuo, in his quæ intus sunt, æmulationem, in his quæ foris sunt. Sed ut scias an vera sit dilectio, fortitudinem animi attende; quæ enim fortis non est et ut mors, vera dilectio non est. Attende primum ad dilectionem meam erga te, et mortem meam pro te. Cum ponerem animam meam pro te, non persequentium malitia vel potentia, non mortis violentia animam meam extorsit me invito, sed charitas ipsa me compulit, ipsa coegit, ipsa mihi vim fecit. Quod potuit in aliis mors, hoc in me potuit dilectio, cui obsecuta est mors. Vide et in cæteris quid possit mors, quid possit dilectio, ut scias quia fortis est ut mors dilectio. Mors dividit charissima nomina, fœderaque junctissima, dividit et dilectio. *Qui* enim *reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* (*Matth.* XIX). Dividit mors animam et carnem, dividit et dilectio. *Qui* enim *non odit animam suam, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV). Æmulatio vero in iis quæ foris sunt non apparet; quia vera est, si dura non est. Potest enim in prosperitate fingere, qui mecum non permanet in tentatione. Fortitudo ergo animi in divisione affe-

A ctuum, signum est dilectionis, quæ intus est. Duritia vero tribulationis signum est æmulationis, quæ foris est. Hæc sunt signa a signaculo impressa. Domine, qui dicis : Pone me ut signaculum super cor tuum; fac quod jubes. Unde enim mihi, ut te ponam super cor meum? Quomodo hoc possum? Verumtamen nisi hoc aliquo modo possem, sic tamen quasi per te, non mihi diceres : Pone me. O dignatio tua, Domine! o dignitas et libertas mea, Domine! Non dedignaris enim a servo tuo poni super cor servi tui! et me tam dignum reputasti, et liberum arbitrium mihi dedisti, quo possem reprobare, quidquid tibi displicet, et eligere bonum, quod tibi placet, et per electionem boni tibi placere vel adhærere, te participare, te in me habere, te supra me,

B sicut dignus es, amare! Aufer a me, Domine, cor lapideum, aufer cor coagulatum, aufer cor incircumcisum; da mihi cor novum, cor carneum, cor mundum! Tu cordis mundator, et mundi cordis amator, posside cor meum et inhabita, continens et implens, superior summo meo et interior intimo meo! Tu forma pulchritudinis et signaculum sanctitatis, signa cor meum in imagine tua; signa cor meum sub misericordia tua, *Deus cordis mei, et pars Deus mea, in æternum* (*Psal.* LXXII). Amen.

De miseria et egestate hominis ob culpam

Homo per culpam inobedientiæ discedens a Deo, reatus sui justissimam pœnam luit. Deficiens enim ab incommutabili Deo, deficit et ipse in se, et per suos deficiendi gradus veterascit jugiter et senescit,

C donec novissima morte dissolvatur. Quod enim antiquatur et senescit, prope interitum est. Recedens homo a Deo, qui semper est unus et idem, divisus est ab ira vultus ejus; divisus autem in se, ne sibi sit semper unus et idem. sed semper alius atque alius, et impleatur illud quod scriptum est : *Stultus ut luna mutatur* (*Eccli.* XXVII). Ita enim a se dissidet et distat; ita dissentit et discordat, ut vix alter alteri magis contrarius queat inveniri, quam unus homo ipse sibi. Vult enim et non vult; idem vicissim odit et amat, tractat et retractat, probat et damnat, quærit et abjicit, curat et negligit. Sæpe post cœptum negotium cœpti tædet, post factum facti pœnitet; vota sua et desideria, studia et consilia, cogi-

D tationes et affectiones et intentiones, quasi semper sibi displicens, multipliciter mutat, et in his omnibus ipse mutatur. Sane, *vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis* (*Jac.* I). Quænam est pax misero homini in tanta mutationum vicissitudine, in tanta inconstantis animi levitate? *Non est pax impio, dicit Dominus* (*Isa.* LVII). Perversus animus Deo sibique contrarius ipse sibi tortor est et tormentum; pœnas a se semper exigit, et semper solvit; et qui Deo adversatur per reatum culpæ, quasi Dei minister est in exactione pœnæ. Vide, quomodo mali ab ira vultus Dei divisi sunt, qui etiam sibi in tantum adversantur, ut sese persequantur, quantum Deo contrarii, tantum etiam sibi, ut qui in sua voluntate pacem non inveniunt, quia in voluntate Dei offen-

est eis pars neque sors in terra sanctorum. Possessio hujus terræ mansuetis promittitur, quia beatæ societatis participatio mansuetudine acquiritur. Omnis quippe sancta societas pace stabilitur; pax vero sine mansuetudine non retinetur. Sicut enim jumentum inquietum in junctura non trahit, sed turbat; sic immansuetus in congregatione bonorum pacem turbat, fœdus amicitiæ rumpit, vincula societatis solvit, proximo detrahit, adversus proximum opprobrium accipit; nunc pugnat, nunc litigat, nunc murmurat, nunc in disceptationibus cogitationum et suspicionibus de aliis judicat, sicut juvencus indomitus et cervicosus jugum detrectat; mens ejus præceps ad iram, oculus ad invidiam, lingua ad contumeliam; nec socialiter vivit, sæpe a communione societatis studii sui singularitate se disjungit; sibi perniciosus, aliis inquietus, negotium communis salutis suo exemplo non adjuvat, sed unitatem dissipat; et sicut pravus socius communiter impedit commune opus. Virtus autem mansuetudinis sicut ab omnibus his malis semper est aliena, ita paci familiaris semper est, et amica. Hujus autem virtutis proprium est, injuriam nec inferre nec referre; hoc est, non gratis nocere, nec vindictam expetere, hoc est, nec inimicum esse, nec ultorem. Ambo autem, et inimicus et ultor, inimici Dei sunt: quos destruet ipse, ut ex ore infantium et lactentium perficiat laudem propter inimicos suos (*Psal.* VIII). Qui sunt lactentes et infantes, nisi parvi, humiles, simplices, mites, mansueti, patientes, et non vincentes in malo bonum, sed vincentes in bono malum? Infans verba non promit, lactens lac sugit. Audi tamen infantem loquentem: *Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me* (*Psal.* XXXVIII). Si maledicitur, non maledicit; si percutitur, non comminatur. Mutus est enim ad injuriam, et dicit: *Factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones* (*Psal.* XXXVII). Lactentibus vero dicitur: *Deponentes omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et omnes detractiones; sicut modo geniti infantes rationabiles lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem* (*I Petr.* II). In his enim beneplacitum est Domino, et exaltabit mansuetos in salutem. Nonne recte terra viventium est, ubi beatissima societas electorum promittitur mansuetis; qui in præsenti societate bonorum per innocentiam et patientiam socialiter vivunt, servantes unitatem in vinculo pacis? Digna merces mansuetis quieta hujus possessio terræ, ubi beata societas pace firmatur, quæ sine mansuetudine non retinetur. Propter quod Propheta ad Deum dicit: *Fiat pax in virtute tua* (*Psal.* CXXI). Quam virtutem, Domine, quam rectius dixerim, quam eam, cujus exemplum in teipso proponis, dicens: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde?* (*Matth.* XI). In mansuetudine itaque fit pax, et retinetur pax, ut in patientia primo possideamus animas nostras, mox transferendi ad regnum pacis, ubi quies æterna præparata est quietis, et abundantia in turribus tuis, Domine, tanquam in parvulis et humilibus. Si copiam lactis et mellis quærimus, acceleremus gressus nostros ad terram hanc. Audivimus enim quod regio ista lactis sit et mellis abundans, utpote aliena ab omni malo pro mercede prioris innocentiæ, et plena omni bono pro mercede prioris patientiæ. Mansuetudo nempe hominis ad proximum ex innocentia constat et patientia; eritque merces patientiæ sicut mel, per omnem abundantiam boni.

De mansuetudine hominis ad Deum.

Si juxta quartum modum terra promissionis in Christo, qui est finis promissionum, intelligimus, quærentibus quomodo semen Chanaan habitaverit in terra illa, difficile videbitur respondere. Nam quem locum inveniet maledictio, ubi habitat gratiæ plenitudo? Christus enim ex Maria virgine de Spiritu sancto conceptus, a peccatoribus segregatus, excelsior cœlis factus, sicut plenus fuit omni gratia, ita liber ab omni culpa. At tamen pius investigator sibi forte fideliter satisfacere possit, si secum non contendat, sed pie attendat unitatem capitis et corporis Christi, et mortalitatis nostræ conditionem in Christo? Nam quia caput nostrum esse voluit, ut dilectis altius commendaret charitatem, qua nos arctius tanquam membra sibi conjunxit, propter unitatem ineffabilem nos in se transfigurans, causam nostram agit apud Patrem, et dicit: *Quare me dereliquisti? Longe a salute mea verba delictorum meorum* (*Psal.* XXI). Tanquam sua dicit nostra delicta, et nobis imputanda, sed ab illo nobis non reputanda. Nostra quidem erant, et ab ipso aliena, qui non habuit conscientiam propriæ iniquitatis, et compassionem sensit alienæ calamitatis, ut nos reconciliaret Deo; qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in illo. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est: *Maledictus homo, qui pendet in ligno* (*Deut.* XXI; *Galat.* III). Maledictio autem jam finem accepit, quia *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur* (*Rom.* VI). Tenemus ergo terram promissionis, non terram a Dan usque Bersabee, non a flumine magno Euphrate usque ad fluvium Ægypti; non a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. Sed promissiones Abrahæ dictas intelligimus in Christo esse completas, cum Propheta dicente: *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi. Funes ceciderunt mihi in præclaris; etenim hæreditas mea præclara est mihi. Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum* (*Psal.* XV). In Christo ergo est hæreditas nostra, et portio nostra, et secundum dispensationem naturæ pro nobis susceptæ, ibi est terra promissionis; terra, de qua dictum est: *Benedixisti, Domine, terram tuam* (*Psal.* LXXXIV): et de qua iterum scriptum est: *Ut inhabitet gloria in terra nostra,*

crucem suam: *Multæ enim tribulationes justorum* (*Psal.* XXXIII). Portant mali crucem suam, nonnunquam volentes, et læti, et hilares. Nam pro rebus vanis, quas vanissime amant, quærendis, augendis, conservandis, sponte suscipiunt labores multos et magnos, tribulationes multas et malas. Sed quia malunt pati pro mundo, quam pro Christo, inanis est eorum patientia; et apud Deum nec nomen meriti habent, nec spem præmii. *Contritio enim et infelicitas in viis eorum, et vias pacis non cognoverunt* (*Rom.* III). Hi quidem felices essent, si converterent ad veritatem, quod disponunt ad vanitatem. Nunc autem sponte miseri sunt: et tanto miseriores, quanto se æstimant beatiores. Nam quia beatos se putant, miseriam quam sponte perferunt, non vitant, sicut Ephraim vitula docta diligere trituram (*Ose.* X). Propter spem inanis paleæ diligit vitula laborem trituræ. Recte assimilatur generatio hæc jumentis insipientibus, equo et mulo, quibus non est intellectus; quorum maxillæ in camo et freno constringuntur, quia non approximant ad te, Deus, qui in ignem dejicies eos in miseriis non subsistent (*Psal.* XXXI). De miseriis ad miserias currunt, et suppliciis supplicia mercantur. *Tu, Domine, servabis nos, et custodies nos a generatione hac in æternum* (*Psal.* XI). Portant mali nonnunquam crucem suam in angaria. Flagellati enim a Deo contra stimulum calcitrant et murmurant, suo judicio sese excusant, et Dei justitiam accusant, et sicut serpentes pressi queruli sibilant; aliis qui similia non patiuntur, meliores se judicant, et talibus flagellis indignos se æstimant. De qualibus scriptum est. *Præcordia fatui, sicut rota plaustri* (*Eccli.* XXXIII); fenum portat, et murmurat. Murmuratio plaustri onus non relevat, murmurat, sed nihilominus portat. Sic et fatuus onere tribulationis pressus per impatientiam ipse sibi sarcina est; et vere fenum est, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur (*Matth.* VI). Fatuus fatua loquitur, et os stultorum ebullit stultitiam. Quid autem stultius est, quam in adversis sese extollere, et in cœlum os suum ponere, et in ipsa infirmitate infirmitatem suam non cognoscere, et ira Dei iram provocare? Quanto rectius annuntiant, qui cum beato Job dicunt: *Sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum?* (*Job* I). De talibus scriptum est: *Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi, et bene patientes erunt, ut annuntient, quoniam rectus Dominus Deus noster et non est iniquitas in eo* (*Psal.* XCI).

De veteri homine terreno, carnali, animali.

Crux quam portant mali, sive nolentes, sive volentes a sinistris est; crux digna cruce dignis. In hac cruce vetus homo crucifigitur. Apostolus enim de cruce Christi prælocutus, subintulit: *Vetus homo noster simul crucifixus est* (*Rom.* VI), ostendens simul cum Christo, hoc est pro Christo, vete[illegible] hominem crucifigendum esse. Vetus homo est, nisi ille qui ait: *Inveteravi inter omnes*

A *inimicos meos?* (*Psal.* VI.) Qui sunt inimici ejus, inter quos veteravit, nisi domestici ejus? Novus certe homo eosdem habet domesticos et amicos, qui sunt cives sanctorum et domestici Dei. Nam et ego inveteravi inter omnes inimicos meos. Nec solum inimicos illos loquor, qui extra me sunt, inter quos habitavi cum habitantibus Cedar; sed illos inimicos magis nunc dico, qui in me sunt, qui inhabitant terram cordis mei, et terram carnis meæ. Nam Charanæi, et Jebusæi, et Pherezæi habitant ibi, et inimici facti sunt mihi. Et ego ipse tanquam homo malus et vir iniquus, mihimetipsi inimicus sum, ut recte sicut pro me, ita et contra me orare possim, et dicere: *Eripe me Domine, ab homine malo, a viro iniquo eripe me* (*Psal.* CXXXIX).
B Eripe me Domine a me. Non est enim, Domine, quem timere debeam post te, quantum me. Quis enim ita insidiatur animæ meæ, ut ego? Quis ita adversatur saluti meæ, ut ego? Quis ita ingeniosus est in exitium meum, ut ego? Qui ita seductorie blanditur mihi, ut peream, sicut ego? Quis ita quærit animam meam, ut auferat eam? Quis pretium meum cogitat repellere? Quis, Domine, præclaram illam hæreditatem a te repromissam, molitur mihi auferre, ita ut ego? Quis odit animam meam odio iniquo, plusquam ego? Et ego quidem gratis. Quid enim mihi mali fecisti, anima mea? Tuum est, quod vivo; tuum est, quod audio; quod video, quod vigeo, quod valeo; tuum est, quod
C sentio, quod intelligo, quod sapio; si tamen sapio, et non magis desipio. Nonne ingratus sum, nonne malignus, et malevolus sum, quia iniquitatem diligo, et te odi? Qui enim *diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Psal.* X). O anima mea, nonne iniquitas magna est, si ego odi te diligentem me? Quod si odi te, quomodo non odi me? Nonne tu es anima mea, et vita mea, imo quid es nisi anima mea, et vita mea? Quo jure possum te non amare, vita mea, et unica mea? Væ mihi, si mea culpa peritura es semper, et ego semper tecum. Si peritura es, cui rectius imputare possum, quam mihi? Si periturus sum ego, quod avertat Deus, cui imputem, mihi, an tibi? Si mihi, et tibi, væ pariter et mihi et tibi. Si culpa tua malus sum, et dignus perire, qua ra-
D tione possum amare te causam perditionis meæ? Si sic mihi futurum erat, melius mihi esset si natus non fuissem. Quid mihi consilii superest, antequam peream, ut non peream? Nam si semel periero, quod absit! quid ultra potero, nisi tantum perire? Domine Deus, ex tunc ira tua; ex tunc non est consilium, non est prudentia, non est sapientia, non est ratio; perire perseverabit, quem semel perire contigerit. Scio quid faciam, antequam peream, imo ne peream. Clamabo ad Deum Altissimum, Deum qui benefecit mihi (*Psal.* LVI). Altissimus est Deus, et ego in profundo sum iniquitatis; clamore valido opus est, alioqui non audiet me, quia Altissimus est. Dicam iniquitates meas Deo, qui gratis sanctificat impium. Confitebor Domino,

quoniam bonus (*Psal.* CXVII). Sicut pœnitens dolore A compunctus loquar in amaritudine animæ meæ; dicam Deo: *Noli me condemnare* (*Job* X). Ipse me judicabo, ipse me condemnabo. Noli tu, Domine, me condemnare. Sine me laborare in hac parte. Semel laborasti pro salute nostra, laborem et dolorem considerans, ut traderes nos in manus tuas. Bone Jesu, non est res tui nominis, damnare damnantem se, perdere judicantem se. Salvatorem te vocat mundus, non perditorem. Tu quidem malos male perdes; sed perseverantes in malitia sua. Ego nolo perseverare in ea. *Dic ergo animæ meæ : Salus tua ego sum* (*Psal.* XXXIV). Anima mea, quamvis multum sis rea, et pro multo reatu multum pavida, nonne tibi arridet spes veniæ in dulcissimo nomine benignissimi Jesu? Quid mœrore consumeris? quid B in amaritudine tabescis? Nunquid consiliarius non est tibi? *Nunquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi?* (*Jer.* VIII.) *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei et Deus meus* (*Psal.* XLI). Dum me consolari desidero in soliloquio meo, suspendium elegit anima mea, et mortem ossa mea. Tædet enim animam meam vitæ meæ. Nec mirum. Vita quippe mea mala est, et ego vetus homo sum, et morti vicinus; homo malus, et vir iniquus; homo terrenus, portans imaginem terreni; homo carnalis venundatus sub peccato; homo animalis, non percipiens ea quæ sunt Spiritus Dei (*I Cor.* II); homo reus mortis, et cruce dignus; nec una tantum cruce. Alia enim crux de- C betur terreno, alia carnali homini, alia animali. Et ego unus homo omnes isti; et omnes isti in me uno; et adversum me omnes cogitationes meæ in malum. Inhabitabunt et abscondent, ipsi calcaneum meum observabunt (*Psal* LV). O dura et gravis, o misera et miserabilis humana conditio! Inimici enim nostri vivunt, et confirmati sunt super nos; et inimici nostri ipsi nos sumus, terreni, carnales, animales; nec pax, nec securitas est nobis a nobis, donec in cruce appensi simul cum Christo crucifigamur, ut in nobis destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato, sed peccatis mortui justitiæ vivamus (*I Petr.* II); et *sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi, in sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris* (*Luc.* I).

De homine terreno.

Primo crucifigendus est in nobis terrenus homo, deinde carnalis, postea animalis; deinde induendus est homo, qui secundum Deum creatus est. Apostolus de terreno homine loquens, sic ait : *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis* (*I Cor.* XV). Et iterum : *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis* (*ibid.*). Terrenus ergo vetus homo est. Cœpit enim a diebus prævaricationis Adæ. Hujus imaginem portant, qui terrena sapiunt, qui tantum cogitant quæ sunt mundi, quomodo placeant mundo, qui nimis amant terrenam substantiam et terrenam gloriam. Quæ sit autem imago terreni hominis, Psalmista ostendit, dicens: *Homo vanitati similis est* (*Psal.* CXLIII). Homo siquidem aversus a Deo, vana diligens et vana faciens, ipse quoque vanus, imo ipsa vanitas efficitur. Qualia sunt opera ejus, talis et ipse opifex. Qualis est homo extra se, in opere quod facit, talis est apud se in corde, ubi facienda disponit. In opere enim suo quasi in speculo auctor exprimitur. Erat autem in homine ante peccatum imago, scilicet Dei, qui est veritas. Post peccatum vero deformata est in homine imago veritatis, et depicta est in eo imago vanitatis. Vanitati enim similis factus est, et quia in veritate non stetit, dies ejus sicut umbra prætereunt. *In imagine* enim *pertransit homo* (*Psal.* XXXVIII). Nonne vides quomodo terrenus homo avaritiam sectatus, postposita imagine Dei, cœpit amare imaginem nummi, cujus pretium in errore et stulta hominum opinione consistit? Nummum autem imaginem et superscriptionem hominis continentem, quasi ad imaginem et similitudinem hominis facit homo, mutans imaginem incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis, serviens potius creaturæ quam Creatori, per errorem philargyriæ quæ est idolorum servitus (*Ephes.* V). Quid sunt enim argentum et aurum, publicæ monetæ charactere signata, nisi quædam simulacra regum, et opera manuum hominum? Hi sunt, avare, hi sunt dii tui, quos toto corde, tota anima, tota mente diligis, quos præcipuo honore colis, in quibus confidis, in quibus totam spem in omni necessitate ponis. Ubi enim *est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum* (*Matth.* VI). Erit autem tempus, quando dicetur talibus : *Ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam? de quorum victimis comedebant adipes et bibebant vinum libaminum. Surgant et opitulentur vobis, et in necessitate vos protegant* (*Deut.* XXXII). Conversatio autem terreni hominis non in cœlis est, sed in terra. Non enim respicit cœlum, sed oculos suos statuit declinare in terram; terram lingit, terram comedit omnibus diebus vitæ suæ; conglutinatus est in terra venter ejus; infixus est in limo profundi, et non est substantia. Non enim statuit supra petram pedes suos. Semper intrat in inferiora terræ, donec D deglutiatur a terra, sicut Dathan et Abiron; pro terra litigat, pro terra pugnat, donec fodiatur peccatori fovea, et donec obruatur terra resolvendus in terram, qui factus est de terra. Verumtamen tota vita sua superbit in gloriam suam. Alienæ felicitati invidet, tam alienus a charitate, quam plenus cupiditate. Non est benignus, non est patiens; sed est ambitiosus, et æmulatur, et agit perperam, quærit quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi. Cor ejus grave est; diligit vanitatem, et quærit mendacium; os ejus abundat malitia, lingua ejus concinnat dolos. De terra est, et de terra loquitur. Egestatem semper timet, et ad cautelam futuri temporis sicut semper servat augenda, ita semper auget servanda. In omnem casum superventuræ necessita-

tis sibi prospicit; odore lucri semper replentur nares ejus, et dextera muneribus. Omnem artem augendi quæstus prudentiam vocat; paupertati insultat; in illius æstimatione paupertatis nomen probro ducitur. Omnes res suas in tuto collocat; spem longioris vitæ semper sibi promittit, donec dicatur ei : *Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te; ea autem quæ parasti, cujus erunt?* (*Luc.* XII.) Hic ergo cum interierit, non sumet omnia, nec descendet cum eo gloria ejus (*Psal.* XLVIII). Hic homo amicus mundi est, et inimicus Dei constituitur. Hic est enim, qui contra Christum clamat, dicens : *Tolle, tolle, crucifige eum* (*Joan.* XIX). Terreni nempe erant, qui dicebant : *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum; et venient Romani et tollent nostrum locum et gentem* (*Joan.* XI). Nondum invidia terreni hominis contra Christum quievit. Persequitur enim Christum in nobis, ne vivat Christus in nobis. Si quis igitur Christi est, armet se zelo vindictæ contra persecutores Christi. Clamemus ad alterutrum pro Christo contra inimicum Christi : Tolle, tolle, crucifige eum. Sed quam accusationem afferemus adversus hominem hunc? *Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et prævaluit in vanitate sua* (*Psal.* LI). Tolle, tolle, crucifige eum. Si hunc dimittis, non es amicus Dei. Sicut fecit, sic fiat ei. Crucifixit, crucifigatur. Dignus est enim cruce, et reus est mortis. Quænam, inquis, est crux hominis istius? Æstimo, quia contemptus mundi. Quæ quidem crux quasi ex duobus lignis aptatur, contemptu scilicet terrenæ substantiæ et contemptu terrenæ gloriæ. Amat nempe terrenus homo duas res; quia confidit in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriatur. In mundo confidit; liberet eum, si potest. A contemptoribus mundi extendatur in cruce, et totus extendatur in longum et in latum. In contemptu terrenæ gloriæ, hoc est in voluntaria vilitate, extendatur altitudo ejus. Hæc est autem altitudo ejus, terrena gloria, in qua quærit exaltari. In contemptu terrenæ substantiæ, hoc est in voluntaria paupertate, extendatur latitudo ejus. Hæc est enim latitudo ejus, terrena substantia, in qua quærit, sive ad dexteram, sive ad sinistram, dilatari. In hac cruce appendatur terrenus homo : hic extendatur, et extensus moriatur, et mortuus sepeliatur, et non adjiciat, ut resurgat; sed destruat eum Deus in finem, et evellat eum de tabernaculo suo, et radicem suam de terra viventium (*Psal.* LI) et dispereat de terra memoria illius; *pro eo quod non est recordatus facere misericordiam, et persecutus est hominem inopem et mendicum* (*Psal.* CVIII).

De homine carnali.

Est alia crux, in qua appendendus est homo carnalis. Nam, quamvis idem homo sit terrenus et carnalis, secundum causam nominis tamen et differentiam amoris aliquid interesse videtur. Apostolus de lege peccati, quæ est in membris, loquens, inter cætera sic dicit : *Ego carnalis sum venundatus sub peccato* (*Rom.* VII). Qui venundatus sub peccato est, servus aliquo modo, et non plene liber est. Non enim quod vult bonum, hoc facit, sed quod non vult malum, hoc agit. Et si malum penitus vult, et malum facit, jam servus est peccati, quia ipse facit peccatum. *Omnis* enim *qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII), jam plene venundatus est sub peccato, pro consensu voluntatis accipiens nummum illicitæ delectationis. Passiones siquidem peccatorum operantur in membris nostris, ut fructificent morti : et has quidem passiones nos omnes, sive boni, sive mali, communiter, quamvis non æqualiter, sentimus; sed non omnes his consentimus. Qui autem sentit, et non consentit, non omnino immunis est a culpa. Malum enim quod non vult, illud facit. Nam sentiendo passionem concupiscentiæ, malum concupiscit, et non vult concupiscere malum. Facit itaque malum, quod non vult; nam malum concupiscere, malum est. Qui autem concupiscit malum, et non consentit, malum facit quodammodo, in quantum concupiscit malum : et, quia non consentit, aliquo modo non operatur illud; quia tentatus a concupiscentia, quasi invitus patitur quod pati non vult. Hinc Apostolus concupiscens et non consentiens, utrumque dicit, se facere malum, quod non vult, et se non operari illud. *Quod nolo,* inquit, *malum, illud facio,* hoc est concupisco, et concupiscere nolo. *Et jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum* (*Rom.* VII); quasi diceret : Concupiscere nolo, et concupiscentiæ non consentio; sed legem peccati quæ est in membris meis, invitus sentio. Movetur enim in me, ita ut a me sentiatur; sed non me intantum movet ut ei consentiatur. Justus itaque cum tentatur a concupiscentia sua, aliquam habet excusationem, quamvis non sufficientem, ut omnino immunis sit a culpa. Requisitus enim cur titillationem carnis in carne sentiat, cum non consentiat, habet quod respondeat. Jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Sentire autem vel non sentire passiones membrorum, non semper est in nostra potestate; consentire autem sic est in nostra potestate sicut non est sine nostra voluntate. Aliquando vero qui sentit, et non consentit, fixum habet in corde omnino non consentire; et in desiderio habet, tentationem omnino non sentire : sed quod sentit, infirmitatis est; quod non consentit, virtutis est; quod desiderat omnino non sentire, studium pacis et securitatis est. Aliquando vero qui dispositum habet non consentire, vult tamen hujusmodi passionem sentire, quia ex ipsa tentatione aliquis proventus speratur et exspectatur. Tanto enim victoria gloriosior existimatur, quanto validior fuerit tentatio, cui resistitur. Propterea nonnulli volunt sentire, qui non volunt consentire, ut non consentientes sentiant, et tentati resistant. Periculosum est autem hujusmodi tentationem sponte appetere, et etiam venientem, quatenus datur, non

hoc est, *potum meum cum fletu miscebam.* Sic quidem sic fieri oportet. Nam modicum vinum nobis necessarium, propter frequentes infirmitates (*I Tim.* v). Et si vinum temperatum non esset, quis ebrius non esset? quis caput non doleret? quis spiritum vertiginis non haberet, quem miscuit Dominus in medio Ægypti? Expedit ergo, ut poculum fletu misceatur, ut gaudium mœrore temperetur, ut virtus in infirmitate humilietur.

De quarta lugendi causa.

Si autem adeo grave est, quod nunc urget, ut lacrymas extorqueat, quanto magis lacrymas eliciat, quod in posterum terret? Illud enim æternum est, hoc transitorium. Hoc vix, sed quoquomodo tolerabile, illud omnino intolerabile. Quis enim poterit habitare cum igne devorante aut quis habitabit cum ardoribus sempiternis? (*Isa.* xxxiii.) Quid ergo mirum, si timor iste habeat luctum suum? Quis enim sapiens, et non desiderat exstinguere lacrymis ignem inexstinguibilem? *In me transierunt*, ait justus, *iræ tuæ* (*Psal.* lxxxvii). Hoc ad pœnam transitoriam, quæ nunc urget; *et terrores tui conturbaverunt me* (*ibid.*), hoc ad æternam, quæ plus terret. Et beatus Job: *Sagittæ*, inquit, *Domini in me sunt; quarum indignatio ebibit spiritum meum; et terrores militant contra me* (*Job* vi). Quid dicit, *Sagittæ Domini in me sunt*, hoc est *in me transierunt iræ tuæ:* quod dicit, *terrores militant contra me*, hoc est *terrores tui conturbaverunt me.* Hanc mœroris causam insinuat Propheta, cum dicit: *Poculum meum cum fletu miscebam; a facie indignationis tuæ, quia elevans allisisti me* (*Psal.* ci). Vide quæ sit elevatio, et quæ sit allisio. Homo ad imaginem et similitudinem Dei factus, qua rationis capax est, ideo et beatitudinis particeps esse potest. Hæc est elevatio. Sed quia potest salvari, et damnari hæc est allisio. At bruta animantia cum non possint salvari, nec possunt damnari, nec rationem tenentur reddere, quæ non sunt natæ rationem habere. Hæ quatuor causæ mœroris, prima de timore peccatorum quæ fecimus; secunda de periculo tentationum quas sustinemus; tertia de pondere tribulationum, quo nunc urgemur; quarta de judicio damnationis, quo terremur; a Propheta, sed alio ordine nobis insinuantur: *Circumdederunt me dolores mortis, et torrentes iniquitatis conturbaverunt me. Dolores inferni circumdederunt me; præoccupaverunt me laquei mortis* (*Psal.* xvii). Dolores quippe mortis sunt dolores in morte et ante mortem, qui mortem indesinenter accelerant, et sicut præambuli mortis eam semper nobis nuntiant. Responsum enim mortis habemus in nobis. Torrentes iniquitatis, inundantes impetus peccatorum, quæ sicut torrentes in præcipitium semper vadunt, et nos secum trahunt. Dolores inferni, qui sint, ipso eorum nomine manifestum est. Laquei mortis tentationes sunt, quas more aucupis vel venatoris ad capiendas animas parat is qui tentat. Hæ quatuor mensuræ sunt, vel quatuor hydriæ, quibus si addantur duæ, erunt sex hydriæ, et lapideæ, et singulæ capientes metretas binas vel ternas, secundum purificationem Judæorum (*Joan.* ii). Judæi nempe sunt pœnitentes et confitentes, qui suis lacrymis purificationem Judæorum insinuant, quibus et potus datur in lacrymis in mensura (*Psal.* lxxix). Et quoniam supplicia temporalia vel æterna nobis metuenda sunt et lugenda, pro tentationibus admissis, et peccatis commissis, quæ voluntate et opere fecimus, interdum autem et consuetudine, idcirco singulæ istæ hydriæ metretas capiunt binas vel ternas. Et si sola voluntate quis peccat, et pœnitentia compunctus inde lugendi causam assumat, nec his desunt metretæ binæ vel ternæ. Nam appetitus et consensus et consentiendi delectatio si adhibeatur, hunc vel illum numerum efficiunt. Lapideæ autem sunt, aut pro duritia cordis hactenus lapidei, aut pro firmitate melioris propositi, quæ pie lugentibus necessaria est. Nam de duritia cordis per prophetam a Domino dicitur: *Auferam cor lapideum de carne vestra* (*Ezech.* i). De firmitate vero mentis dicitur: *Posui faciem meam ut petram durissimam* (*Isa.* l).

De quinta lugendi causa

Lacrymæ autem nostræ ex prædictis quatuor causis obortæ, amaræ nobis semper sunt, vel sicut aquæ insipidæ, utpote quæ de odio aut tædio dolore aut timore procedunt; et eorum sunt, quæ nobis odio sunt, et tædio, dolori vel timori. His enim affectus erat, qui dicebat: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* (*Psal.* cxix.) Sed, sicut istæ descendunt de odio malorum, sic quædam sunt lacrymæ dulciores, quæ erumpunt ex desiderio bonorum. Bona autem nunc dicimus, ea quæ spiritualia sunt, et bonum faciunt; vel æterna sunt, et beatum faciunt. Utraque autem bona nobis desiderio sunt, et utrumque desiderium suas lacrymas habet. Sæpe enim compungimur desiderio boni, quod nos justificet in via, sæpe desiderio boni, quo beatificemur in patria. Utraque autem nobis a Deo repromissa sunt, et cum lacrymis et gemitibus inenarrabilibus postulanda. Hinc Propheta: *Posuisti*, inquit, *lacrymas meas in conspectu tuo, sicut et in promissione tua* (*Psal.* lv). Et: *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte* (*Psal.* xli). Justitia autem nostra in affectu bonæ voluntatis est, aut in affectu operis, sicut incipientibus, aut in usu bonæ consuetudinis, sicut exercitatis. At pro singulis his sua merces speratur, desideratur et exspectatur. Ergo et hæ hydriæ singulæ capiunt metretas binas vel ternas. Omnes autem hæ lacrymæ, quæ de tædio malorum, sive ex desiderio bonorum manant, communes possunt esse bonis et malis. Nam pro omnibus his causis compunguntur boni, compunguntur et mali. Plorant boni, plorant et mali; sed salubriter boni, inutiliter mali. Nam Esau, ut Apostolus testatur, *Cupiens hæreditare promissionem, reprobatus est. Non enim invenit*

in nobis. Quando autem infirmitas sentitur in nobis, cui non consentitur a nobis, destruitur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato.

Si per corpus peccati recte intelligitur consensus peccati, tunc corpus peccati vere destruitur, cum tentanti concupiscentiæ non consentitur. Carnalis autem homo, quia homo peccati est, et filius perditionis, habens corpus peccati, cui concupiscentia est quasi pro anima ejus, et consensus quasi pro corpore : et cum concupiscentiæ plene consentitur, quasi corpus peccati vivificatur, et jam peccato servitur. Forte alicui videbitur concupiscentia, cum ad carnem illam, scilicet quæ concupiscit adversus spiritum, pertineat, magis carni similanda; consensus vero magis animæ quam carni. Consensus enim in voluntate est, et voluntas consentiens in anima. In spirituali quidem homine sic est, in quo sensualitas ratione regitur, et suo superiori quasi inferior subjicitur. In carnali autem homine non sic; versa enim vice, et perverso ordine voluntas spiritus concupiscentiæ carnis et consentiendo subjicitur, et inferior invenitur quæ consentit, quam cui consentit. Concupiscentia enim movet animam, ut sentiat quod prius non sentiebat : cum vero mota sentit, commota consentit, a sua dignitate degenerat, et locum suum deserens inferiori suo se subjicit, et quasi inde vivificatur, unde movetur; nec jam agit ut spiritus, sed patitur ut caro. Unde et corpori non immerito assimilatur. Per legem vero disciplinæ consensus refrenatur, et corpus peccati destruitur, caro castigatur, ut non mens carni in lege carnis subjiciatur, sed a carne in lege mentis menti serviatur. Hinc Apostolus ait : *Ego castigo corpus meum, et in servitutem redigo* (*I Cor.* IX). De carnali autem homine hæc dicta sint.

De animali homine.

Animalis autem homo quis sit, ex verbis Apostoli innotescere potest; ait enim sic : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem judicat omnia : et ipse a nemine judicatur* (*I Cor.* II). Carnalis homo a terreno homine amoris proprietate differre videtur. Amat enim ille terram, amat hic opera carnis. Animalis autem homo vel sensu vel affectu cognoscitur. Animalis est sensu, qui non sapit ea quæ sunt spiritus Dei. Animalis est affectu, cui non sapiunt ea quæ sunt spiritus Dei. In spiritualibus enim animalis hominis examinatio fit; ibi examinatur, quisquis animalis est. Audit animalis homo verba Dei, et forte non intelligit, quia animalis est; aut si forte intelligit, statim aut tædio, aut odio, aut contemptu, aurem avertit. Stultitia enim est illi, quia animalis est. Hinc Apostolus ait : *Verbum crucis pereuntibus stultitia est* (*I Cor.* I). Illi quippe, qui crucem non credit, verbum crucis stultitia est, quia animalis est sensu, in vanitate sui sensus ambulans, et obscuratum habens intellectum. Illi vero, qui crucem credit, et exemplum crucifixi non imitatur, verbum crucis pro Christo tollendæ stultitia est, quia ejusmodi animalis est, non jam sensu, sed affectu; qui animalis est sensu, ignorat et errat, in tenebris ambulat, nescit quo vadat, obscuratum est insipiens cor ejus; sapientiam Dei in mysterio absconditam stultitiam reputat; sapientiam hujus mundi, quæ stultitia est apud Deum, prudentiam vocat; aliud pro alio probat; bonum dicit malum, et malum bonum; ponit tenebras lucem, et lucem tenebras; ponit dulce in amarum, et amarum in dulce. Qui animalis est affectu, sine affectione est, divini amoris affectum in se non sentit. Duro enim et indomabili et insensibili corde aut tepet, aut riget, aut torpet, aut stupet; spiritualis militiæ exercitia aut odit, aut fastidit, aut contemnit, aut negligit. In principio vigiliarum suarum non consurgit ante conspectum Domini Dei sui; cor suum sicut aquam non effundit; ignitas compunctiones, et arcanas jubilationes in corde non sentit; non anhelat sanctis suspiriis, non æstuat piis desideriis; non in lege Dei delectatur, non sanctis meditationibus inflammatur, non contemplatione suspenditur; non sedet solitarius et tacitus, ut levet se super se; non petit ut accipiat, non quærit ut inveniat, non pulsat ut aperiatur illi : divinis laudibus non occupatur, non loquitur sibimet in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus inter cantantes et psallentes in cordibus suis Domino. Sicut æger languet stomacho, et ore amaricato fastidit cibum spiritualem, cibum qui non perit, qui permanet in vitam æternam. Omnem escam abominatur anima illius; appropinquavit enim usque ad portas mortis. Homo animalis magis secundum animam, quam secundum corpus agnoscitur. Animale enim corpus habent in hac mortali carne degentes, non solum animales, sed et spirituales. Corpus enim nostrum secundum præsentem statum hoc accipit ab anima, ut sensificetur ab ea, sicut cætera animalium corpora. Sua mole pressum grave est et ponderosum, variis passionibus et corruptionibus obnoxium; necessitate moriendi astrictum, et ut modico tempore vivat, alimentis, fomentis et medicamentis indigens; nunc proficiens, nunc deficiens, et in ipso suo profectu in defectum vergens, sicut vetus vestimentum, quod dum sarcitur, magis magisque veterascit et atteritur. Apostolus vero dicit : *Si est corpus animale, est etiam corpus spirituale* (*I Cor.* XV). Non est credendum, id eum dubitando dixisse. Non enim erat Apostolo incertum, quod nulli debet venire in dubium. Constat enim, corpus esse animale; et constare debet, corpus esse spirituale. Alterum docet ipsa rerum experientia, et communis infirmitas nostra; alterum suadet conscientia fidei, et exemplum resurrectionis Jesu Christi : sed non prius quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale.

Erit autem corpus nostrum spirituale, cum corruptibile hoc induerit incorruptelam; quando quod mortale est, absorbebitur a vita; quando consummabitur tabernaculum nostrum; quando templum Dei, quod nos sumus, dedicabitur, et coronis aureis

facies templi ornabitur; quando caro nostra quasi ænea solidabitur, et quasi petra firmissima durabitur, ad omnem causam læsionis et violentiam passionis, et vim tentationis impenetrabilis et inaccessibilis. Erit autem corpus spirituale sua virtute gloriosum, leve et agile : non jam cibo indigens, ut post peccatum et ante peccatum; sed ab omni servitute corruptionis et necessitatis liberum; non in spiritus naturam versum, sed in summa libertate absque omni contradictione spiritui subjectum. Interim autem corpus animale communiter habent homo animalis et homo spiritualis : et magis secundum statum mentis quam corporis alter ab altero discernitur. In corde enim animalis homo a spirituali spiritualiter crucifigitur. Crux autem est æmulatio Dei secundum scientiam. Scientia enim et æmulatio arma sunt B *militiæ nostræ, non carnalia, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum;* quibus nos armamur, *destruentes consilia et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi* (*II Cor.* x). Adverte in illis verbis Apostoli altitudinem adversus scientiam Dei extolli. Quæ est autem hæc altitudo, nisi de qua dicitur : *Noli altum sapere?* (*Rom.* xi.) Hæc est altitudo animalis hominis, qui in vanitate sui sensus ambulat. Altitudo autem crucis scientia Dei est, quæ in captivitatem redigit omnem intellectum in obsequium Christi. Latitudo vero animalis hominis animalis est affectus. Vagatur enim per illicita in via lata, quæ ducit ad perditionem. Latitudo vero crucis est affectus devotionis in C latitudine charitatis. Sunt autem nonnulli, qui æmulationem Dei habent, non secundum scientiam; alii autem scientiam Dei habent, et non æmulationem. Verum, ut ex duobus lignis crucis statura compingatur, jungenda est scientiæ æmulatio, et scientia æmulationi; ne sit indiscreta devotio, vel indevota discretio. Mundum siquidem animal est, quod et ruminat, et ungulam findit. Indiscreta devotio a ten-

A tatione rerum impossibilium plerumque Deum tentat, et ignorantia rerum utilium aut præsumit, quod non expedit, aut quod expedit, prætermittit. At indevota discretio licet non erret in cognitione rerum utilium, errat tamen in electione. Videt meliora, probatque, deteriora sequens. Non minor error est eligere quod est deterius, quam ignorare quod melius. Sua sententia sese condemnat, qui electione probat quod judicio reprobat; et in alterutra parte stultitiæ se arguit, qui citra necessitatis violentiam aliter eligit, et aliter sentit. Ad aliquam visibilem speciem contemplandam non sufficit interior lux oculorum sine adminiculo lucis exterioris, sicut nec ista versa vice sine illa lux lucem adjuvat, ut res visibilis videri queat. Non videt oculus clausus in meridie; non videt oculus apertus in tenebrosa nocte. Habet aliquid huic simile discretio sine devotione, aut devotio sine discretione. Ad contemplandam speciem invisibilis Dei perduci desideramus et speramus. Duo oculi necessarii nobis sunt, quos illuminari a Domino petit, qui dicit : *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte* (*Psal.* xii). Oculus discretionis sine luce devotionis, aut oculus devotionis sine luce discretionis, minus videt : sicut oculus qui in luce clauditur, vel in tenebris aperitur. Jungenda est ergo discretio devotioni, et devotio discretioni, ut abundet in nobis charitas cum scientia, et scientia cum charitate, juxta consilium Apostoli dicentis : *Charitas vestra magis ac magis abundet in scientia et in omni sensu; ut probetis potiora, ut sitis sinceri, et sine offensione in die Christi* (*Philip.* i). Qui vero scientiam habet et charitatem non habet, hic infatuatus est a scientia sua. Sine charitate enim nec magnitudo scientiæ, nec contemptus mundi, nec castigatio disciplinæ, ante conspectum Dei aliquid est. Sola charitas gloriam crucis sibi vindicat, per quam nos gloriari oportet in cruce Domini Jesu Christi, qui est super omnia diligendus et benedicendus in sæcula sæculorum. Amen.

TRACTATUS DUODECIMUS

SEU EXHORTATIO AD SACERDOTES.

In illud Act. xx : *Attendite vobis et universo gregi*, etc.

Attendite vobis et universo gregi; in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Apostolicus sermo ad vos dirigitur, o sacerdotes Domini, ministri Dei nostri. Vobis dicitur : *Attendite vobis et universo gregi.* Primum vobis, deinde gregi. Habenda est ratio salutis propriæ, his qui negotium procurant salutis alienæ. Castigatis moribus decet eos vivere, quibus credita est censura moralis disciplinæ. A se debent incipere, et sese non negligere quos primum oportet pro se rationem reddere. *Attendite*, inquit, *vobis*.

D Attendite, quid estis secundum naturam infirmæ conditionis, quid secundum functionem injunctæ legationis, quid secundum dignitatem acceptæ potestatis, quid secundum humilitatem debitæ servitutis. Attendite, quid estis cum aliis, quid propter alios, quid supra alios, quid denique infra alios. Cum aliis quidem quid estis, nisi homines similes aliis, passibiles, in peccatis concepti, moriendi necessitate astricti, etsi per gratiam de peccatis liberati, nondum tentationibus inaccessibiles, nondum insuperabiles? Nam et tentari potestis adhuc, et a tentatio-

nibus superari, utpote infirmitate circumdati, ut possitis compati infirmitatibus alienis. Tales enim decet esse pontifices, qui norint esse compassibiles, eo quod sint et ipsi passibiles. Ergo, quia homines estis, infirmi estis, sicut homines, secundum naturam infirmæ conditionis. Secundum functionem injunctæ legationis propter alios, angeli pacis estis, in quibus posuit Deus verbum reconciliationis, ut cum Apostolo dicere possitis : *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo* (*II Cor.* VI). Nam quod angeli sitis, Malachias ostendit, cum ait : *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est* (*Malac.* II). Si autem angeli estis, in cœlis est conversatio vestra. Non enim estis in carne, sed in spiritu; sicut administratorii spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Missi autem a Deo, qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem. Et vos quidem sicut ministri Dei, non solum sicut ignis ardens, sed et ignis urens recte nuncupamini; ardentes sicut seraphim, sicut vicini Deo, et urentes, et illuminantes subditorum corda, ut calore igniti eloquii pariter ardeant, et a calore ejus non se abscondant. Deputati estis singuli ad custodiam multorum, et nemo subditorum sine angelo custode est, qui præsit ei, et custodiat eum in omnibus viis suis; sicut de Deo ad virum justum Propheta loquitur, dicens : *Quoniam angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis* (*Psal.* XC). Verumtamen, cum sacerdotes Domini pro similitudine officii angelis assimilari, angelique possint dici; sicut bonorum angelorum semper est societas affectanda, sic malorum angelorum similitudo semper est fugienda. Mali nempe sacerdotes cum boni angeli non sint, malis angelis rectius comparantur, qui de cœlo lapsi in veritate non steterunt, et honorem angelicæ dignitatis perdiderunt. Cœlestis autem conversatio sanctorum sacerdotum si cœlo comparari potest, nonne qui de sublimi vitæ sacerdotibus dignæ, ad indigna vilioris vitæ dejecti sunt, sic corruisse videntur, sicut angeli cadentes de cœlo? Qui etsi in illo sublimi culmine virtutum nunquam fuerunt, locum tamen nihilominus illum perdiderunt, quem habere potuerunt et debuerunt, sed non meruerunt. Inde enim excidisse videntur, ubi essent, si mali non essent; et ubi sunt, qui tales non sunt. Propterea ad eos tanquam homines, nec jam angelorum nomine dignos, pertinere videtur illa prophetica comminatio : *Vos autem sicut homines moriemini; et sicut unus de principibus cadetis* (*Psal.* LXXXI). Cecidit unus de principibus cui multi adhæserunt, sicut una membra uni capiti. Ne ergo et vos cadatis, sicut unus de principibus, attendite, quia non solum angeli estis propter alios, sed et dii estis supra alios; et hoc secundum dignitatem acceptæ potestatis. Bene ergo Propheta comminaturus malis ruinam cum angelis malis, de bonis præmisit : *Ego dixi :*

A *Dii estis; et filii Excelsi omnes* (*Psal.* LXXXI). Potestas vestra de cœlo est, an ex hominibus? Non ex hominibus, sed ex Deo est. Quis enim potest peccata dimittere, nisi solus Deus? Et tamen vobis data est potestas dimittendi peccata, quia Deus deorum Dominus locutus est, et dixit : *Quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlis* (*Matth.* XVIII). In hac autem potestate vestra Deus repræsentatur in terra a vobis, qui repræsentatione unius veri Dei dii nuncupamini et dii estis, ut per vestrum ministerium Deus semper præsens sit quærentibus eum, non solum præsentia majestatis, sed repræsentatione suæ auctoritatis et potestatis. Attendite, quantus honor debeatur illi a vobis, qui tam honorabile nomen dedit vobis. In hoc enim nomine timendi estis
B et honorandi. Timendi ut judices, honorandi ut patres. Timendi pro potestate, honorandi pro sanctitate. Si cui vestrum sanctitas deest, quod absit! timeat ille, quoniam Deus judex est. Timeat, quoniam Deus stetit in medio deorum, in medio autem deos dijudicat. Dum enim discernit cœlestis reges, hoc est qui se et alios regere debent, deos dijudicat. Novit enim qui sunt ejus, nec latere possunt ante oculos ejus, qui quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi. Nam, qui amant primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi, qui sunt mercenarii, qui sunt fures et latrones; qui non intrant per ostium, qui sunt nummularii, qui vendunt columbas
C in templo, qui sunt canes muti, qui sunt operarii mali, qui sunt percussores, qui litigiosi, qui non sobrii vel casti, totum hoc genus deorum inter falsos deos computandum videtur. Simulacra enim sacerdotum sunt, et sicut imagines deorum aut idola abominationum in templo. Quemadmodum enim unius veri Dei cultus per idololatriam idolo indebite exhibetur, ita honorem diis, id est sanctis sacerdotibus debitum, indebite sibi usurpant, qui sibi sumunt honorem, non vocati a Deo tanquam Aaron. Ad hoc pertinere videtur, quod scriptum est : *Qui honorem tribuit insipienti, sicut qui lapidem mittit in acervum Mercurii* (*Prov.* XXVI). Verumtamen in quocunque sacerdote sanctum est ministerium, et honorabile sacerdotii sacramentum : nec licet nobis
D christos Domini tangere, et judices a Deo constitutos judicare. Est qui quærat et judicet. Deus est enim qui deos dijudicat. Omnia quidem vitia per se et in se publicæ reprehensioni sunt obnoxia, utpote divino judicio prædamnata; sed non passim permittitur personas pro ipsis vitiis, vel vitia in ipsis personis, palam arguere, vel publice condemnare. Vos autem sacerdotes Domini, qui sicut decet Christi ministros, potestati divinæ reverentiam exhibetis, in omni justitia et sanctitate attendite dignitatem vestram, quanta sit. Nam plusquam homines estis, quia angeli Dei, et quasi messores angeli, ut tollatis de regno ejus omnia scandala. Adhuc autem plusquam angeli estis, quia dii sicut nomine, ita et honore præcelsi.

Attendistis dignitatem, et quia supra alios estis; attendite nunc, et iterum dico, attendite humilitatem vestram, et servitutis necessitatem, et quid infra alios estis. Si vultis audire, dicat prius Propheta, ne vobis contumeliosus videar, quid estis; qui ad Dominum loquens ait: *De fructu operum tuorum satiabitur terra, producens fenum jumentis, et herbam servituti hominum* (*Psal.* CIII). Ecce quid estis. Jumenta et servitus hominum. De tam alto in tam imum devoluti estis, sicut scriptum est: *Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos* (*Psal.* CVI). Nam et in alio loco scriptum est: *Gigantes gemunt sub aquis, et qui habitant cum eis* (*Job.* XXVI). Vos sicut gigantes procerioris staturæ præ cæteris secundum præeminentiam dignitatis, sub aquis populorum gemitis, multiplici cura et sollicitudine degravati. Sicut exaltati sunt cœli a terra, sic exaltati sunt dii a jumentis, id est vos a vobis. Vos dii rectores animarum, inter cætera quæ attendenda sunt, hoc summopere attendite, quam sit res difficilis animas regere, et moribus singulorum servire, omnibus sese conformare, ut nihil differant a servis, cum sint domini omnium. Propter quod qui major est in vobis ut fiat sicut junior, non confunditur vocari servus servorum Dei. Hujus servitutis legem ostendens Apostolus, quæ sit, dicit: *Cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos* (*I Cor.* IX). Ad rationem hujus servitutis demonstrandam pertinet etiam, quod scriptum est: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus* (*Eccli.* III). Ac si diceret: Secundum magnitudinem dignitatis, æqua sit mensura humilitatis. Humilitas in honore, honor est ipsius honoris, et dignitas dignitatis. Omnis dignitas ipso dignitatis nomine indigna est, si humilia dedignetur. Humilitas enim sicut causa, ita est et custodia honoris. Omnis siquidem honoris promotio, quæ cum suo ordine procedit, ab humilitate incipit, et exaltatione consummatur. Nam qui se humiliat, exaltabitur, dummodo se non humiliet, ut exaltetur, sed magis se humiliet, ne exaltetur. Dico in mundo exaltetur autem in Deo. Nam qui vere humilis est, non ambit honorem; cum honorem accipit, non per ambitionem rapit honorem, sed propter humilitatem rapitur ad honorem, ne sit ipse prædo honoris, sed quasi præda ipsius honoris. Humilitas enim sine honore ipsa sibi sufficit ad honorem; honor autem sine humilitate sese perducit ad confusionem. Sicut ergo humilitas digne prævenit honorem, et sic et digne custodit. Videant itaque qui in honore sunt, ut se humiles in omnibus exhibeant exemplo Christi; qui sicut magister humilitatis, cum esset præcessor, factus est sicut ministrator; cum esset primus, factus est quasi novissimus, inclinans se usque ad pedes discipulorum. Exemplo humilitatis suæ sicut mole gravi premit vos Christus usque ad humilia, ut subditi sitis etiam subditis. Hoc ergo sentite in vobis, quod et in Christo Jesu. Cum esset A ille Deus in forma Dei, semetipsum exinanivit formam servi accipiens. Et vos dii estis, exinanite vosmetipsos, et servilem formam assumite, ut interim efficiamini sicut homines propter homines, infirmi propter infirmos, omnium necessitates et infirmitates in vobis ipsis suscipientes, sicut ille qui dicit: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* (*II Cor.* XI.) Oportet vos omnibus plus laborare, quia pro omnibus. Propter quod non solum servi hominum estis, sed et servitus hominum, sicut boves triturantes; sicut jumenta, quæ necessitatibus hominum laborando deserviunt. Terra plebium subjectarum, si datum quæritis, fenum et herbam vobis producit in temporibus, quæ vobis debentur, et quæ habetis et possidetis. Si B fructum quæritis, et non datum, cum Apostolo dicente: *Non quæro datum, sed quæro fructum* (*Philip.* IV), abundare debet fructus justitiæ in terra vestra, sicut in agricultura Dei. Per ministerium vestrum, fenum et herba vobis debentur; at vos quid debetis? Primum quidem omnia vestra, deinde vosmetipsos, totum quod potestis, totum quod estis. Denique animas vestras pro animabus vobis commissis, et libentissime, sicut ille, qui dicit: *Libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris* (*II Cor.* XII). Ergo debitores estis, non quasi uni parti gregis commissi, sed universo gregi; sicut universis, ita et singulis, sapientibus et insipientibus. Pro omnibus enim reddenda est ratio. Propter- C ea universo gregi attendite, in quo vos Spiritus sanctus posuit. Ad illos enim pertinet hic sermo, qui non sibi sumunt honorem, sed vocati sunt a Deo tanquam Aaron. Hi enim cum spiritu hujus mundi aguntur, a Spiritu sancto positi non sunt, nec a Deo electi sunt sicut Aaron, quem elegit ipsum; sed ipsi vocaverunt nomina sua in terris suis. Quænam sunt illa? Nomina forte honorum, nomina dignitatum. Archidiaconus, episcopus, archiepiscopus, cæteraque similia, magna nomina sunt. Multi hæc nomina nondum habentes, et habere cupientes, nondum sua, vocaverunt quasi ad se, ut essent sua. Vocaverunt autem clamore valido, forte obsequiis, forte muneribus, forte assentationibus, vel aliis modis, quibus vocare solent, qui ad hæc vocati non sunt. D Hi sunt quos agitat spiritus hujus mundi, spiritus vertiginis. Hos Deus non vocavit, et ideo non justificavit, nec glorificabit. Nam ab hominibus gloriam quærunt, non gloriam quæ ex Deo est. Etsi coram hominibus gratiosi et gloriosi inveniantur, coram Deo confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. Vos autem non sic, quos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei. Nomen vestrum et causa nominis vos admonet officii vestri, ut nihil negligenter agatis in cura vobis commissa; sed satis superque attenti et intenti sitis regere Ecclesiam Dei. In hoc posuit vos Spiritus sanctus. Hoc est enim officium vestrum, secundum geminum regendi modum dirigere et corrigere in justitia et judicio;

nostra secus infernum (*Psal.* CXL). Vide quomodo me amaverunt, qui me secus infernum sequi voluerunt et ab inferno deglutiri noluerunt. Si adversa pateris, et ob hoc æstimatione aliorum peccator et inferno proximus reputaris; habes, ut mecum dicere possis : *Repleta est malis anima mea, et vita mea inferno appropinquavit. Æstimatus sum cum descendentibus in lacum* (*Psal.* LXXXVII). Pone me ut signaculum super cor tuum, ut me tota virtute diligas; pone me super brachium tuum, ut quæ mihi placita sunt, tota dilectione perficias. Pone me super cor tuum, per affectum amoris; pone me super brachium, per effectum operationis. Habe me in exemplum et adjutorium pure sincereque diligendi; in exemplum et adjutorium bene operandi, et fortiter patiendi. Pone me super cor tuum, super omne quod cogitas, quod amas, quod tibi cordi est; ut omne quod charum est postponas, et me semper superponas, et me semper plus diligas; non solum quam quod extra te est, sed et plusquam quidquid intra te est. Denique plusquam te, ut te diligas propter me, non solum me propter te. Sit amor tui secundum me in summo cordis, sit amor mei supra summum cordis. Quoniam autem probatio dilectionis exhibitio est operis, pone me super brachium tuum. Sic pugnes, sic te exerceas operando pro me, ut opereris ex me. Ego sim spes tua, ego fiducia tua, ego fortitudo tua, ego patientia tua. Mihi dicas : *Domine, spes mea a juventute mea* (*Psal.* LXX). Mihi dicas : *Diligam te, Domine, fortitudo mea* (*Psal.* XVII). Mihi dicas : *Quoniam tu es patientia mea* (*Psal.* LXX). Mihi dicas : *Deus meus, misericordia mea* (*Psal.* LVIII). Ne ponas carnem brachium tuum, sed mihi dicas : *Esto brachium nostrum in mane, et salus nostra in tempore tribulationis* (*Isa.* XXXIII). Dilectionem exigo de corde tuo, in his quæ intus sunt, æmulationem, in his quæ foris sunt. Sed ut scias an vera sit dilectio, fortitudinem animi attende; quæ enim fortis non est et ut mors, vera dilectio non est. Attende primum ad dilectionem meam erga te, et mortem meam pro te. Cum ponerem animam meam pro te, non persequentium malitia vel potentia, non mortis violentia animam meam extorsit me invito, sed charitas ipsa me compulit, ipsa coegit, ipsa mihi vim fecit. Quod potuit in aliis mors, hoc in me potuit dilectio, cui obsecuta est mors. Vide et in cæteris quid possit mors, quid possit dilectio, ut scias quia fortis est ut mors dilectio. Mors dividit charissima nomina, fœderaque junctissima, dividit et dilectio. *Qui* enim *reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* (*Matth.* XIX). Dividit mors animam et carnem, dividit et dilectio. *Qui* enim *non odit animam suam, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV). Æmulatio vero in iis quæ foris sunt non apparet; quia vera est, si dura non est. Potest enim in prosperitate fingere, qui mecum non permanet in tentatione. Fortitudo ergo animi in divisione affectuum, signum est dilectionis, quæ intus est. Duritia vero tribulationis signum est æmulationis, quæ foris est. Hæc sunt signa a signaculo impressa. Domine, qui dicis : Pone me ut signaculum super cor tuum; fac quod jubes. Unde enim mihi, ut te ponam super cor meum? Quomodo hoc possum? Verumtamen nisi hoc aliquo modo possem, sic tamen quasi per te, non mihi diceres : Pone me. O dignatio tua, Domine! o dignitas et libertas mea, Domine! Non dedignaris enim a servo tuo poni super cor servi tui! et me tam dignum reputasti, et liberum arbitrium mihi dedisti, quo possem reprobare, quidquid tibi displicet, et eligere bonum, quod tibi placet, et per electionem boni tibi placere vel adhærere, te participare, te in me habere, te supra me, sicut dignus es, amare! Aufer a me, Domine, cor lapideum, aufer cor coagulatum, aufer cor incircumcisum; da mihi cor novum, cor carneum, cor mundum! Tu cordis mundator, et mundi cordis amator, posside cor meum et inhabita, continens et implens, superior summo meo et interior intimo meo! Tu forma pulchritudinis et signaculum sanctitatis, signa cor meum in imagine tua; signa cor meum sub misericordia tua, *Deus cordis mei, et pars Deus mea, in æternum* (*Psal.* LXXII). Amen.

De miseria et egestate hominis ob culpam

Homo per culpam inobedientiæ discedens a Deo, reatus sui justissimam pœnam luit. Deficiens enim ab incommutabili Deo, deficit et ipse in se, et per suos deficiendi gradus veterascit jugiter et senescit, donec novissima morte dissolvatur. Quod enim antiquatur et senescit, prope interitum est. Recedens homo a Deo, qui semper est unus et idem, divisus est ab ira vultus ejus; divisus autem in se, ne sibi sit semper unus et idem. sed semper alius atque alius, et impleatur illud quod scriptum est : *Stultus ut luna mutatur* (*Eccli.* XXVII). Ita enim a se dissidet et distat; ita dissentit et discordat, ut vix alter alteri magis contrarius queat inveniri, quam unus homo ipse sibi. Vult enim et non vult; idem vicissim odit et amat, tractat et retractat, probat et damnat, quærit et abjicit, curat et negligit. Sæpe post cœptum negotium cœpti tædet, post factum facti pœnitet; vota sua et desideria, studia et consilia, cogitationes et affectiones et intentiones, quasi semper sibi displicens, multipliciter mutat, et in his omnibus ipse mutatur. Sane, *vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis* (*Jac.* I). Quænam est pax misero homini in tanta mutationum vicissitudine, in tanta inconstantis animi levitate? *Non est pax impio, dicit Dominus* (*Isa.* LVII). Perversus animus Deo sibique contrarius ipse sibi tortor est et tormentum; pœnas a se semper exigit, et semper solvit; et qui Deo adversatur per reatum culpæ, quasi Dei minister est in exactione pœnæ. Vide, quomodo mali ab ira vultus Dei divisi sunt, qui etiam sibi in tantum adversantur, ut sese persequantur, quantum Deo contrarii, tantum etiam sibi, ut qui in sua voluntate pacem non inveniunt, quia in voluntate Dei offen-

dunt. Sed nunquid soli mali divisi sunt? Quid mens justi, quæ in rerum temporalium dispensatione occupata est, et multitudine curarum distenta, et ideo Deo minus intenta, nonne et ipsa divisa est? Nonne ad Martham dicitur : *Martha, Martha sollicita es, et turbaris erga plurima?* (*Luc.* x.) Quid sibi vult ista congeminatio? Anne satis non erat dicere semel, Martha ; nisi per repetitionem diceretur, Martha, Martha? An divisionem significat ista repetitio? Martha, inquit semel, et iterum Martha. Martha certe divisa, Martha sollicita, Martha turbata ; turbata per providentiam futuri temporis, turbata per curam instantis necessitatis. Sollicita es, et turbaris erga plurima. Plurima quidem turbant, miseri enim hominis plurimæ sunt necessitates. Miseriæ quippe semper necessitas cohæret, et semper indiget qui miser est. Necessitates vero hominis tam multæ sunt et variæ, tam inextricabiles et perplexæ, ut in tota vita hominis expediri nullatenus possint. Rerum et temporum indefessa mutatio semper novam affert necessitatem, novamque parit sollicitudinem; et dum una necessitas decedit, altera succedit. Altera enim necessitas alteram ad se trahit; et, dum sequens extrudit præcedentem, ipsa se intrudit in alteram sequentem; et, dum uni occurritur et succurritur, alia mox suboritur. Sicut qui mutuum ab alio accipit, et alii solvit, inde se obligat, unde se liberat. Sic in tota vita hominis dum nodus necessitatis solvitur, alius stringitur; et miser homo qui se semper solvere nititur, semper seipsum ligare ingeniose molitur. Viæ siquidem hominis stratæ sunt spinis. In hunc modum necessitas semper fugitur, et semper offenditur; et pro vitanda necessitate abundantia semper quæritur, et egestas invenitur. Nam de ipsis divitibus, qui in multitudine divitiarum suarum gloriantur, quid aliud sentiendum est, nisi quod Scriptura loquitur : *Divites eguerunt et esurierunt?* (*Psal.* xxxiii.)

Semper enim qui multa habent, multis indigent; et ubi sunt multæ divitiæ, multi sunt qui comedunt
A eas; et sæpe qui extorquent ab invitis, similia patiuntur inviti ; sæpe et nolentes dant, quæ accipiunt a nolentibus. At qui divitias habent, nec dispensant, quia eas semper servatas esse volunt, ne egeant, hi magis egent; quia et his quæ habent, et his quæ non habent, æque egent. Morbus enim illorum suo remedio semper augetur, et irremediabilis est eorum necessitas, quorum inexplebilis est cupiditas. Necessitates has, quas patiuntur homines miseri et miserabiles, facit amor rerum non necessariarum; qui in multis non necessariis consolationem quærunt et non inveniunt. *Porro unum est necessarium* (*Luc.* x). Vere unum est necessarium, sine quo nihil est necessarium, unum summum et commune bonum. Hoc unum omnibus potest sufficere, sine quo non
B omnia uni possunt sufficere. Propter hoc unum Petrus reliquit omnia, ut in uno haberet omnia, ne carens uno, nec unum haberet, nec omnia. *Unam, inquit, petii a Domino, hanc requiram* (*Psal.* xxvi).

Qui hanc unam inquirit, non minuetur omni bono. Qui hanc unam non habet, seipso caret, et inops mentis nec rationem suam possidet, nec cor suum in potestate sua habet. Qui autem mentis inops est, quid habet, cum seipsum non habeat? Si vero is qui Deum non habet, cum seipsum non habeat, vera ratione nihil, nisi peccata habet ; miro Dei judicio agitur, ut iniquus, qui sua æstimatione multa habet, ibi vere sit vacuus, ubi sibi videtur plenus; et unde sperat abundantiam, inde patiatur egestatem. Non
C potest solvi Scriptura, quæ de Deo loquitur, dicens : *Esurientes implevit bonis et divites dimisit inanes* (*Luc.* i). Et alibi Scriptura de divitibus dicit : *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis* (*Psal.* lxxv). Si divites dormiunt somnum suum, et somniant se multa habere in manibus suis, nihil tamen divitiarum habentes; etsi vana opinione deluduntur, ut bonos se æstiment, cum miseri sint, nunquid sane mentis sunt?

TRACTATUS UNDECIMUS

De verbis Apostoli, Vetus homo noster crucifixus est, etc.

Vetus homo noster crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato (*Rom.* vi). De triplici cruce : *Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus* (*I Petr.* ii). Passus est autem in cruce, ut per mysterium crucis virtus patientiæ confirmetur in nobis. Nos etenim pati oportet, ut digna factis recipiamus. Unde et nobis crux portanda imponitur a Christo, qui ait : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* (*Luc.* ix ; *Matth.* xvi). Suam, inquit, crucem tollat, non meam. Est enim crux Christi corpore dedicata, quam solus Christus ascendit, solus inter mortuos
D liber; qui nec peccato obligatus, nec debito mortis astrictus erat : in quo is qui habebat mortis imperium, nihil omnino habebat; sed *oblatus est, quia ipse voluit* (*Isa.* liii). Crux itaque Christi crux innocentis est et justi, non per crucem mundati aut justificati, sed per crucem mundantis et justificantis. Est alia crux, non hominis Dei, sed hominis rei, murmurantis et impatienter patientis. Est adhuc alia crux hominis rei, sed pœnitentis et confitentis et audientis : *Hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* xxii). A necessitate crucis tollendæ nemo absolvitur, nemo excusatur. Portant mali crucem suam : *Multa enim flagella peccatoris* (*Psal.* xxxi). Portant et boni cru-

cem suam : *Multæ enim tribulationes justorum* (*Psal.* xxxiii). Portant mali crucem suam, nonnunquam volentes, et læti, et hilares. Nam pro rebus vanis, quas vanissime amant, quærendis, augendis, conservandis, sponte suscipiunt labores multos et magnos, tribulationes multas et malas. Sed quia malunt pati pro mundo, quam pro Christo, inanis est eorum patientia; et apud Deum nec nomen meriti habent, nec spem præmii. *Contritio enim et infelicitas in viis eorum, et vias pacis non cognoverunt* (*Rom.* iii). Hi quidem felices essent, si converterent ad veritatem, quod disponunt ad vanitatem. Nunc autem sponte miseri sunt: et tanto miseriores, quanto se æstimant beatiores. Nam quia beatos se putant, miseriam quam sponte perferunt, non vitant, sicut Ephraim vitula docta diligere trituram (*Ose.* x). Propter spem inanis paleæ diligit vitula laborem trituræ. Recte assimilatur generatio hæc jumentis insipientibus, equo et mulo, quibus non est intellectus; quorum maxillæ in camo et freno constringuntur, quia non approximant ad te, Deus, qui in ignem dejicies eos in miseriis non subsistent (*Psal.* xxxi). De miseriis ad miserias currunt, et suppliciis supplicia merentur. *Tu, Domine, servabis nos, et custodies nos a generatione hac in æternum* (*Psal.* xi). Portant mali nonnunquam crucem suam in angaria. Flagellati enim a Deo contra stimulum calcitrant et murmurant, suo judicio sese excusant, et Dei justitiam accusant, et sicut serpentes pressi queruli sibilant; aliis qui similia non patiuntur, meliores se judicant, et talibus flagellis indignos se æstimant. De qualibus scriptum est. *Præcordia fatui, sicut rota plaustri* (*Eccli.* xxxiii); fenum portat, et murmurat. Murmuratio plaustri onus non relevat, murmurat, sed nihilominus portat. Sic et fatuus onere tribulationis pressus per impatientiam ipse sibi sarcina est; et vere fenum est, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur (*Matth.* vi). Fatuus fatua loquitur, et os stultorum ebullit stultitiam. Quid autem stultius est, quam in adversis sese extollere, et in cœlum os suum ponere, et in ipsa infirmitate infirmitatem suam non cognoscere, et ira Dei iram provocare? Quanto rectius annuntiant, qui cum beato Job dicunt : *Sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum?* (*Job* i). De talibus scriptum est : *Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi, et bene patientes erunt, ut annuntient, quoniam rectus Dominus Deus noster et non est iniquitas in eo* (*Psal.* xci).

De veteri homine terreno, carnali, animali.

Crux quam portant mali, sive nolentes, sive volentes a sinistris est; crux digna cruce dignis. In hac cruce vetus homo crucifigitur. Apostolus enim de cruce Christi prælocutus, subintulit : *Vetus homo noster simul crucifixus est* (*Rom.* vi), ostendens simul cum Christo, hoc est pro Christo, veterem hominem crucifigendum esse. Vetus homo quis est, nisi ille qui ait : *Inveteravi inter omnes*

A *inimicos meos?* (*Psal.* vi.) Qui sunt inimici ejus, inter quos veteravit, nisi domestici ejus? Novus certe homo eosdem habet domesticos et amicos, qui sunt cives sanctorum et domestici Dei. Nam et ego inveteravi inter omnes inimicos meos. Nec solum inimicos illos loquor, qui extra me sunt, inter quos habitavi cum habitantibus Cedar; sed illos inimicos magis nunc dico, qui in me sunt, qui inhabitant terram cordis mei, et terram carnis meæ. Nam Chananæi, et Jebusæi, et Pherezæi habitant ibi, et inimici facti sunt mihi. Et ego ipse tanquam homo malus et vir iniquus, mihimetipsi inimicus sum, ut recte sicut pro me, ita et contra me orare possim, et dicere : *Eripe me, Domine, ab homine malo, a viro iniquo eripe me* (*Psal.* cxxxix).

B Eripe me Domine a me. Non est enim, Domine, quem timere debeam post te, quantum me. Quis enim ita insidiatur animæ meæ, ut ego? Quis ita adversatur saluti meæ, ut ego? Quis ita ingeniosus est in exitium meum, ut ego? Qui ita seductorie blanditur mihi, ut peream, sicut ego? Quis ita quærit animam meam, ut auferat eam? Quis pretium meum cogitat repellere? Quis, Domine, præclaram illam hæreditatem a te repromissam, molitur mihi auferre, ita ut ego? Quis odit animam meam odio iniquo, plusquam ego? Et ego quidem gratis. Quid enim mihi mali fecisti, anima mea? Tuum est, quod vivo; tuum est, quod audio; quod video, quod vigeo, quod valeo; tuum est, quod

C sentio, quod intelligo, quod sapio; si tamen sapio, et non magis desipio. Nonne ingratus sum, nonne malignus, et malevolus sum, quia iniquitatem diligo, et te odi? Qui enim *diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Psal.* x). O anima mea, nonne iniquitas magna est, si ego odi te diligentem me? Quod si odi te, quomodo non odi me? Nonne tu es anima mea, et vita mea, imo quid es nisi anima mea, et vita mea? Quo jure possum te non amare, vita mea, et unica mea? Væ mihi, si mea culpa peritura es semper, et ego semper tecum. Si peritura es, cui rectius imputare possum, quam mihi? Si periturus sum ego, quod avertat Deus, cui imputem, mihi, an tibi? Si mihi, et tibi, væ pariter et mihi et tibi. Si culpa tua malus sum, et dignus perire, qua ra-

D tione possum amare te causam perditionis meæ? Si sic mihi futurum erat, melius mihi esset si natus non fuissem. Quid mihi consilii superest, antequam peream, ut non peream? Nam si semel periero, quod absit! quid ultra potero, nisi tantum perire? Domine Deus, ex tunc ira tua; ex tunc non est consilium, non est prudentia, non est sapientia, non est ratio; perire perseverabit, quem semel perire contigerit. Scio quid faciam, antequam peream, imo ne peream. Clamabo ad Deum Altissimum, Deum qui benefecit mihi (*Psal.* lvi). Altissimus est Deus, et ego in profundo sum iniquitatis; clamore valido opus est, alioqui non audiet me, quia Altissimus est. Dicam iniquitates meas Deo, qui gratis sanctificat impium. Confitebor Domino,

quoniam bonus (*Psal.* CXVII). Sicut pœnitens dolore A compunctus loquar in amaritudine animæ meæ; dicam Deo: *Noli me condemnare* (*Job* X). Ipse me judicabo, ipse me condemnabo. Noli tu, Domine, me condemnare. Sine me laborare in hac parte. Semel laborasti pro salute nostra, laborem et dolorem considerans, ut traderes nos in manus tuas. Bone Jesu, non est res tui nominis, damnare damnantem se, perdere judicantem se. Salvatorem te vocat mundus, non perditorem. Tu quidem malos male perdes; sed perseverantes in malitia sua. Ego nolo perseverare in ea. *Dic ergo animæ meæ : Salus tua ego sum* (*Psal.* XXXIV). Anima mea, quamvis multum sis rea, et pro multo reatu multum pavida, nonne tibi arridet spes veniæ in dulcissimo nomine benignissimi Jesu? Quid mœrore consumeris? quid B in amaritudine tabescis? Nunquid consiliarius non est tibi? *Nunquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi?* (*Jer.* VIII.) *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei et Deus meus* (*Psal.* XLI). Dum me consolari desidero in soliloquio meo, suspendium elegit anima mea, et mortem ossa mea. Tædet enim animam meam vitæ meæ. Nec mirum. Vita quippe mea mala est, et ego vetus homo sum, et morti vicinus; homo malus, et vir iniquus; homo terrenus, portans imaginem terreni; homo carnalis venundatus sub peccato; homo animalis, non percipiens ea quæ sunt spiritus Dei (*I Cor.* II); homo reus mortis, et cruce dignus; nec una tantum cruce. Alia enim crux debetur terreno, alia carnali homini, alia animali. Et ego unus homo omnes isti; et omnes isti in me uno; et adversum me omnes cogitationes meæ in malum. Inhabitabunt et abscondent, ipsi calcaneum meum observabunt (*Psal* LV). O dura et gravis, o misera et miserabilis humana conditio! Inimici enim nostri vivunt, et confirmati sunt super nos; et inimici nostri ipsi nos sumus, terreni, carnales, animales; nec pax, nec securitas est nobis a nobis, donec in cruce appensi simul cum Christo crucifigamur, ut in nobis destruatur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato, sed peccatis mortui justitiæ vivamus (*I Petr.* II); et *sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi, in sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris* (*Luc.* I).

De homine terreno.

Primo crucifigendus est in nobis terrenus homo, deinde carnalis, postea animalis; deinde induendus est homo, qui secundum Deum creatus est. Apostolus de terreno homine loquens, sic ait: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis* (*I Cor.* XV). Et iterum : *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis* (*ibid.*). Terrenus ergo vetus homo est. Cœpit enim a diebus prævaricationis Adæ. Hujus imaginem portant, qui terrena sapiunt, qui tantum cogitant quæ sunt mundi, quomodo placeant mundo, qui nimis amant terrenam substantiam et terrenam gloriam. Quæ sit autem imago terreni hominis, Psalmista ostendit, dicens: *Homo vanitati similis est* (*Psal.* CXLIII). Homo siquidem aversus a Deo, vana diligens et vana faciens, ipse quoque vanus, imo ipsa vanitas efficitur. Qualia sunt opera ejus, talis et ipse opifex. Qualis est homo extra se, in opere quod facit, talis est apud se in corde, ubi facienda disponit. In opere enim suo quasi in speculo auctor exprimitur. Erat autem in homine ante peccatum imago, scilicet Dei, qui est veritas. Post peccatum vero deformata est in homine imago veritatis, et depicta est in eo imago vanitatis. Vanitati enim similis factus est, et quia in veritate non stetit, dies ejus sicut umbra prætereunt. *In imagine* enim *pertransit homo* (*Psal.* XXXVIII). Nonne vides quomodo terrenus homo avaritiam sectatus, postposita imagine Dei, cœpit amare imaginem nummi, cujus pretium in errore et stulta hominum opinione consistit? Nummum autem imaginem et superscriptionem hominis continentem, quasi ad imaginem et similitudinem hominis facit homo, mutans imaginem incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis, serviens potius creaturæ quam Creatori, per errorem philargyriæ quæ est idolorum servitus (*Ephes.* V). Quid sunt enim argentum et aurum, publicæ monetæ charactere signata, nisi quædam simulacra regum, et opera manuum hominum? Hi sunt, avare, hi sunt dii tui, quos toto corde, tota anima, tota mente diligis, quos præcipuo honore colis, in quibus confidis, in quibus totam C spem in omni necessitate ponis. Ubi enim *est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum* (*Matth.* VI). Erit autem tempus, quando dicetur talibus : *Ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam? de quorum victimis comedebant adipes et bibebant vinum libaminum. Surgant et opitulentur vobis, et in necessitate vos protegant* (*Deut.* XXXII). Conversatio autem terreni hominis non in cœlis est, sed in terra. Non enim respicit cœlum, sed oculos suos statuit declinare in terram; terram lingit, terram comedit omnibus diebus vitæ suæ; conglutinatus est in terra venter ejus; infixus est in limo profundi, et non est substantia. Non enim statuit supra petram pedes suos. Semper intrat in inferiora terræ, donec D deglutiatur a terra, sicut Dathan et Abiron; pro terra litigat, pro terra pugnat, donec fodiatur peccatori fovea, et donec obruatur terra resolvendus in terram, qui factus est de terra. Verumtamen tota vita sua superbit in gloriam suam. Alienæ felicitati invidet, tam alienus a charitate, quam plenus cupiditate. Non est benignus, non est patiens; sed est ambitiosus, et æmulatur, et agit perperam, quærit quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi. Cor ejus grave est; diligit vanitatem, et quærit mendacium; os ejus abundat malitia, lingua ejus concinnat dolos. De terra est, et de terra loquitur. Egestatem semper timet, et ad cautelam futuri temporis sicut semper servat augenda, ita semper auget servanda. In omnem casum superventuræ necessita-

tis sibi prospicit; odore lucri semper replentur A nares ejus, et dextera muneribus. Omnem artem augendi quæstus prudentiam vocat; paupertati insultat; in illius æstimatione paupertatis nomen probro ducitur. Omnes res suas in tuto collocat; spem longioris vitæ semper sibi promittit, donec dicatur ei : *Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te; ea autem quæ parasti, cujus erunt?* (*Luc.* XII.) Hic ergo cum interierit, non sumet omnia, nec descendet cum eo gloria ejus (*Psal.* XLVIII). Hic homo amicus mundi est, et inimicus Dei constituitur. Hic est enim, qui contra Christum clamat, dicens : *Tolle, tolle, crucifige eum* (*Joan.* XIX). Terreni nempe erant, qui dicebant : *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum; et venient Romani et tollent nostrum locum et gentem* (*Joan.* XI). Nondum invidia terreni B hominis contra Christum quievit. Persequitur enim Christum in nobis, ne vivat Christus in nobis. Si quis igitur Christi est, armet se zelo vindictæ contra persecutores Christi. Clamemus ad alterutrum pro Christo contra inimicum Christi : Tolle, tolle, crucifige eum. Sed quam accusationem afferemus adversus hominem hunc? *Ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et prævaluit in vanitate sua* (*Psal.* LI). Tolle, tolle, crucifige eum. Si hunc dimittis, non es amicus Dei. Sicut fecit, sic fiat ei. Crucifixit, crucifigatur. Dignus est enim cruce, et reus est mortis. Quænam, inquis, est crux hominis istius? Æstimo, quia contemptus mundi. Quæ qui- C dem crux quasi ex duobus lignis aptatur, contemptu scilicet terrenæ substantiæ et contemptu terrenæ gloriæ. Amat nempe terrenus homo duas res; quia confidit in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriatur. In mundo confidit; liberet eum, si potest. A contemptoribus mundi extendatur in cruce, et totus extendatur in longum et in latum. In contemptu terrenæ gloriæ, hoc est in voluntaria vilitate, extendatur altitudo ejus. Hæc est autem altitudo ejus, terrena gloria, in qua quærit exaltari. In contemptu terrenæ substantiæ, hoc est in voluntaria paupertate, extendatur latitudo ejus. Hæc est enim latitudo ejus, terrena substantia, in qua quærit, sive ad dexteram, sive ad sinistram, dilatari. In hac cruce appendatur terrenus homo : hic extendatur, D et extensus moriatur, et mortuus sepeliatur, et non adjiciat, ut resurgat; sed destruat eum Deus in finem, et evellat eum de tabernaculo suo, et radicem suam de terra viventium (*Psal.* LI) et dispereat de terra memoria illius; *pro eo quod non est recordatus facere misericordiam, et persecutus est hominem inopem et mendicum* (*Psal.* CVIII).

De homine carnali.

Est alia crux, in qua appendendus est homo carnalis. Nam, quamvis idem homo sit terrenus et carnalis, secundum causam nominis tamen et differentiam amoris aliquid interesse videtur. Apostolus de lege peccati, quæ est in membris, loquens, inter cætera sic dicit : *Ego carnalis sum venundatus sub peccato* (*Rom.* VII). Qui venundatus sub peccato est, servus aliquo modo, et non plene liber est. Non enim quod vult bonum, hoc facit, sed quod non vult malum, hoc agit. Et si malum penitus vult, et malum facit, jam servus est peccati, quia ipse facit peccatum. *Omnis* enim *qui facit peccatum, servus est peccati* (*Joan.* VIII), jam plene venundatus est sub peccato, pro consensu voluntatis accipiens nummum illicitæ delectationis. Passiones siquidem peccatorum operantur in membris nostris, ut fructificent morti : et has quidem passiones nos omnes, sive boni, sive mali, communiter, quamvis non æqualiter, sentimus; sed non omnes his consentimus. Qui autem sentit, et non consentit, non omnino immunis est a culpa. Malum enim quod non vult, illud facit. Nam sentiendo passionem concupiscentiæ, malum concupiscit, et non vult concupiscere malum. Facit itaque malum, quod non vult; nam malum concupiscere, malum est. Qui autem concupiscit malum, et non consentit, malum facit quodammodo, in quantum concupiscit malum : et, quia non consentit, aliquo modo non operatur illud; quia tentatus a concupiscentia, quasi invitus patitur quod pati non vult. Hinc Apostolus concupiscens et non consentiens, utrumque dicit, se facere malum, quod non vult, et se non operari illud. *Quod nolo*, inquit, *malum, illud facio*, hoc est concupisco, et concupiscere nolo. *Et jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum* (*Rom.* VII); quasi diceret : Concupiscere nolo, et concupiscentiæ non consentio; sed legem peccati quæ est in membris meis, invitus sentio. Movetur enim in me, ita ut a me sentiatur; sed non me intantum movet ut ei consentiatur. Justus itaque cum tentatur a concupiscentia sua, aliquam habet excusationem, quamvis non sufficientem, ut omnino immunis sit a culpa. Requisitus enim cur titillationem carnis in carne sentiat, cum non consentiat, habet quod respondeat. Jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Sentire autem vel non sentire passiones membrorum, non semper est in nostra potestate; consentire autem sic est in nostra potestate sicut non est sine nostra voluntate. Aliquando vero qui sentit, et non consentit, fixum habet in corde omnino non consentire; et in desiderio habet, tentationem omnino non sentire : sed quod sentit, infirmitatis est; quod non consentit, virtutis est; quod desiderat omnino non sentire, studium pacis et securitatis est. Aliquando vero qui dispositum habet non consentire, vult tamen hujusmodi passionem sentire, quia ex ipsa tentatione aliquis proventus speratur et exspectatur. Tanto enim victoria gloriosior existimatur, quanto validior fuerit tentatio, cui resistitur. Propterea nonnulli volunt sentire, qui non volunt consentire, ut non consentientes sentiant, et tentati resistant. Periculosum est autem hujusmodi tentationem sponte appetere, et etiam venientem, quatenus datur, non

statim repellere. Securius est enim non tentari, quam cum tentatione congredi. Varius est enim eventus belli, et anceps est victoria sub discrimine pugnandi. Hinc nos Dominus sic docet orare, dicens: *Orate, ne intretis in tentationem* (*Matth.* XXVI). Nam, quod Propheta dicit : *Proba me, Domine, et tenta me* (*Psal.* XXV), ad illam tentationem pertinet, qua tentantur justi a Deo, qui tentat electos suos, ut inveniat illos dignos se. Qui autem a carne tentatur, et tentationi cedit, hic est qui passiones sentit, et omnino consentit; tanto magis carnalis homo est, quanto magis curam carnis in desideriis perficit, non spiritui consentiens contra carnem; sed carni acquiescens, quæ concupiscit adversus spiritum. Homo iste amat vinum et pinguia, otium, et securitatem, et saturitatem; indui purpura et bysso, epulari quotidie splendide, quæcunque desiderant oculi ejus, non negantur eis. Omnia desideria sua in impetum voluntatis relaxat. Quidquid deliciis carnis non servit, vanum reputat : et hanc ratus est partem suam, si fruatur bonis suis in vita sua; nihilque amplius habet de universo labore suo, quo laborat sub sole. Quis sit finis carnalis hominis, in parabola evangelica de divite et paupere ostenditur, ubi dicitur : *Mortuus est autem dives, et sepultus est in inferno* (*Luc.* XVI). Et de Babylone scriptum est : *Quantum exaltavit se, et in deliciis fuit, tantum date ei tormentum et luctum* (*Apoc.* XVIII). Melius ergo nobis est, hujusmodi hominem in interitum carnis tradere morti, quam cum ipso trahi in puteum interitus. Mortificanda est itaque caro nostra et crucifigenda, ut destruatur corpus peccati, juxta vocem Prophetæ dicentis ad Dominum : *Confige timore tuo carnes meas* (*Psal.* CXVIII). Quoniam vero ad carnalem hominem dictum est : *Tu vero odisti disciplinam* (*Psal.* LI), nulla dignior crux invenitur quam austeritas regularis disciplinæ, qua crucifigatur carnalis homo, cui cruciatus est disciplina, quam odit. Regularis disciplina crux est, quæ ex legibus abstinentiæ et continentiæ, quasi ex duobus lignis exstruitur. Abstinentia enim gulam temperat, et lex continentiæ in omnibus sensibus mentis et corporis luxum frenat; et in his est omnis carnalis homo.

Item unde supra.

Luxuria in nobis frenari, et gula temperari sic possunt, ut passionibus peccatorum quæ habitant in membris nostris non consentiatur; non sic autem, ut lex quæ est in membris nostris, omnino non sentiatur. Concupiscentia enim, quæ nobis innata est et connata, longo usu disciplinæ et assiduitate spiritualis exercitationis in viris justis debilitari potest et infirmari, ne prævaleat; omnino autem exstirpari non potest; salva tamen spiritus Dei libertate, cujus gratia nulla lege constringitur, quo minus possit vel abundare, vel superabundare, in quibus velit et quantum velit. Sed, sicut gentes in medio filiorum Israel derelictæ sunt, ut erudiret in eis Dominus Israelem, nec poterat Jebusæus ejici de Jerusalem; sic concupiscentia carnis in terra corporis vel cor-

A dis nostri semper habitat, ut erudiamur in ea; et nunquam nobis hostis deest, contra quem pugnemus. *Militia est* enim *vita hominis super terram* (*Job.* VII). Hæc autem concupiscentia infirmitas nostra est, quæ jugiter repræsentat nos nobis, ne simus fidentes in nobis. Ostendit enim nobis, quales simus ipsi in nobis, et a nobis. Qui autem ab infirmitate tentatur et vincitur, supra modum infirmus ipse invenitur : nam ipsa infirmitate qua vincitur, infirmior esse convincitur. At is qui ab infirmitate tentatur, et non vincitur, ex ea parte infirmus est, qua infirmitates sentit; ex ea vero parte virtutem sibi adesse sentit, qua infirmitati non consentit. *Nam virtus in infirmitate perficitur* (*II Cor.* XII). Si cui autem sanctorum desuper datum est, sicut de beatissima Virgine, maxi- B me post supervenientem Spiritum pie creditur, in hac mortali carne nullam mali concupiscentiam omnino sentire; sicut est hæc vel rara, vel singularis gratia, ita et rara, vel singularis gloria. Si quis autem talis est, non jam pugnat, sed triumphat, sed regnat, habens pacem super pacem, pacem a consensu, pacem a sensu; non jam accinctus in prælio, sed discinctus in triumpho. *Non glorietur*, inquit rex Israel, *accinctus æque ut discinctus* (*III Reg.* XX). Sed quis gloriabitur castum se habere cor? *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est* (*I Joan.* I). Sicut vero confusione dignus est, qui ab infirmitate vincitur, sic qui infirmitatem vincit, inglorius esse videtur. Quid C est enim infirmitas, nisi quod dicitur? quid est nisi infirmitas, nisi debilitas, nisi imbecillitas? Quæ vero gloria est aut quæ virtus infirmitatem vincere? Magna quidem gloria est, et magna virtus est si, cum simus infirmitate ipsa infirmiores, infirmitatem vincimus. Verum hæc gloria, hæc virtus nostra non est, sed Domini virtutum, qui est rex gloriæ, qui glorificatur in electis suis, et mirificat misericordias suas in infirmitatibus sanctorum, ad quem et dicitur : *Quoniam gloria virtutis eorum tu es* (*Psal.* LXXXVIII). Si pensemus, quid possimus a nobis, qui nec ipsi infirmitati resistere nostris viribus sufficimus, nulla est omnino virtus nostra. Sed Propheta dicit : *In Domino sperans non infirmabor* (*Psal.* XXV). Et iterum : *Dominus fortitudo plebis suæ* D (*Psal.* XXVII). Si autem Deus noster virtus nostra est, et fortitudo nostra, major est virtus nostra, quam nos ipsi sumus; imo nos ipsi quid non possumus in eo qui omnia potest? In omnipotenti virtute quid non possumus? *Omnia*, inquit Paulus, *possum in eo qui me confortat* (*Philip.* IV). Cum ergo infirmitas vincitur, quia fortitudo nostra non est, nec laus nostra est; quia virtus nostra non est, nec gloria nostra est. Rectissime ei ascribitur gloria, cujus virtute obtinetur victoria. *Dominus* enim *virtutum ipse est rex gloriæ* (*Psal.* XXIII). Dominus gloriosus in triumpho, Dominus potens in prælio. Hinc Propheta dicit : *Fortitudo mea et laus mea Dominus* (*Psal.* CXVII); fortitudo in pugna, laus in victoria. Dominus enim est, qui pugnat pro nobis; Dominus est, qui vincit.

in nobis. Quando autem infirmitas sentitur in nobis, cui non consentitur a nobis, destruitur corpus peccati, ut ultra non serviamus peccato.

Si per corpus peccati recte intelligitur consensus peccati, tunc corpus peccati vere destruitur, cum tentanti concupiscentiæ non consentitur. Carnalis autem homo, quia homo peccati est, et filius perditionis, habens corpus peccati, cui concupiscentia est quasi pro anima ejus, et consensus quasi pro corpore : et cum concupiscentiæ plene consentitur, quasi corpus peccati vivificatur, et jam peccato servitur. Forte alicui videbitur concupiscentia, cum ad carnem illam, scilicet quæ concupiscit adversus spiritum, pertineat, magis carni similanda; consensus vero magis animæ quam carni. Consensus enim in voluntate est, et voluntas consentiens in anima. In spirituali quidem homine sic est, in quo sensualitas ratione regitur, et suo superiori quasi inferior subjicitur. In carnali autem homine non sic; versa enim vice, et perverso ordine voluntas spiritus concupiscentiæ carnis et consentiendo subjicitur, et inferior invenitur quæ consentit, quam cui consentit. Concupiscentia enim movet animam, ut sentiat quod prius non sentiebat : cum vero mota sentit, commota consentit, a sua dignitate degenerat, et locum suum deserens inferiori suo se subjicit, et quasi inde vivificatur, unde movetur; nec jam agit ut spiritus, sed patitur ut caro. Unde et corpori non immerito assimilatur. Per legem vero disciplinæ consensus refrenatur, et corpus peccati destruitur, caro castigatur, ut non mens carni in lege carnis subjiciatur, sed a carne in lege mentis menti serviatur. Hinc Apostolus ait : *Ego castigo corpus meum, et in servitutem redigo* (*I Cor.* IX). De carnali autem homine hæc dicta sint.

De animali homine.

Animalis autem homo quis sit, ex verbis Apostoli innotescere potest; ait enim sic : *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Stultitia enim est illi, et non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Spiritualis autem judicat omnia : et ipse a nemine judicatur* (*I Cor.* II). Carnalis homo a terreno homine amoris proprietate differre videtur. Amat enim ille terram, amat hic opera carnis. Animalis autem homo vel sensu vel affectu cognoscitur. Animalis est sensu, qui non sapit ea quæ sunt spiritus Dei. Animalis est affectu, cui non sapiunt ea quæ sunt spiritus Dei. In spiritualibus enim animalis hominis examinatio fit; ibi examinatur, quisquis animalis est. Audit animalis homo verba Dei, et forte non intelligit, quia animalis est; aut si forte intelligit, statim aut tædio, aut odio, aut contemptu, aurem avertit. Stultitia enim est illi, quia animalis est. Hinc Apostolus ait : *Verbum crucis pereuntibus stultitia est* (*I Cor.* I). Illi quippe, qui crucem non credit, verbum crucis stultitia est, quia animalis est sensu, in vanitate sui sensus ambulans, et obscuratum habens intellectum. Illi vero, qui crucem credit, et exemplum crucifixi non imitatur, verbum crucis pro Christo tollendæ stultitia est, quia ejusmodi animalis est, non jam sensu, sed affectu; qui animalis est sensu, ignorat et errat, in tenebris ambulat, nescit quo vadat, obscuratum est insipiens cor ejus; sapientiam Dei in mysterio absconditam stultitiam reputat; sapientiam hujus mundi, quæ stultitia est apud Deum, prudentiam vocat; aliud pro alio probat; bonum dicit malum, et malum bonum; ponit tenebras lucem, et lucem tenebras; ponit dulce in amarum, et amarum in dulce. Qui animalis est affectu, sine affectione est, divini amoris affectum in se non sentit. Duro enim et indomabili et insensibili corde aut tepet, aut riget, aut torpet, aut stupet; spiritualis militiæ exercitia aut odit, aut fastidit, aut contemnit, aut negligit. In principio vigiliarum suarum non consurgit ante conspectum Domini Dei sui; cor suum sicut aquam non effundit; ignitas compunctiones, et arcanas jubilationes in corde non sentit; non anhelat sanctis suspiriis, non æstuat piis desideriis; non in lege Dei delectatur, non sanctis meditationibus inflammatur, non contemplatione suspenditur; non sedet solitarius et tacitus, ut elevet se super se; non petit ut accipiat, non quærit ut inveniat, non pulsat ut aperiatur illi : divinis laudibus non occupatur, non loquitur sibimet in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus inter cantantes et psallentes in cordibus suis Domino. Sicut æger languet stomacho, et ore amaricato fastidit cibum spiritualem, cibum qui non perit, qui permanet in vitam æternam. Omnem escam abominatur anima illius; appropinquavit enim usque ad portas mortis. Homo animalis magis secundum animam, quam secundum corpus agnoscitur. Animale enim corpus habent in hac mortali carne degentes, non solum animales, sed et spirituales. Corpus enim nostrum secundum præsentem statum hoc accipit ab anima, ut sensificetur ab ea, sicut cætera animalium corpora. Sua mole pressum grave est et ponderosum, variis passionibus et corruptionibus obnoxium; necessitate moriendi astrictum, et ut modico tempore vivat, alimentis, fomentis et medicamentis indigens; nunc proficiens, nunc deficiens, et in ipso suo profectu in defectum vergens, sicut vetus vestimentum, quod dum sarcitur, magis magisque veterascit et atteritur. Apostolus vero dicit : *Si est corpus animale, est etiam corpus spirituale* (*I Cor.* XV). Non est credendum, id eum dubitando dixisse. Non enim erat Apostolo incertum, quod nulli debet venire in dubium. Constat enim, corpus esse animale; et constare debet, corpus esse spirituale. Alterum docet ipsa rerum experientia, et communis infirmitas nostra; alterum suadet conscientia fidei, et exemplum resurrectionis Jesu Christi : sed non prius quod spirituale, sed quod animale, deinde quod spirituale.

Erit autem corpus nostrum spirituale, cum corruptibile hoc induerit incorruptelam; quando quod mortale est, absorbebitur a vita; quando consummabitur tabernaculum nostrum; quando templum Dei, quod nos sumus, dedicabitur, et coronis aureis

facies templi ornabitur; quando caro nostra quasi ænea solidabitur, et quasi petra firmissima durabitur, ad omnem causam læsionis et violentiam passionis, et vim tentationis impenetrabilis et inaccessibilis. Erit autem corpus spirituale sua virtute gloriosum, leve et agile : non jam cibo indigens, ut post peccatum et ante peccatum; sed ab omni servitute corruptionis et necessitatis liberum; non in spiritus naturam versum, sed in summa libertate absque omni eo tradictione spiritui subjectum. Interim autem corpus animale communiter habent homo animalis et homo spiritualis : et magis secundum statum mentis quam corporis alter ab altero discernitur. In corde enim animalis homo a spirituali spiritualiter crucifigitur. Crux autem est æmulatio Dei secundum scientiam. Scientia enim et æmulatio arma sunt B *militiæ nostræ, non carnalia, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum;* quibus nos armamur, *destruentes consilia et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi* (*II Cor.* x). Adverte in illis verbis Apostoli altitudinem adversus scientiam Dei extolli. Quæ est autem hæc altitudo, nisi de qua dicitur : *Noli altum sapere?* (*Rom.* xi.) Hæc est altitudo animalis hominis, qui in vanitate sui sensus ambulat. Altitudo autem crucis scientia Dei est, quæ in captivitatem redigit omnem intellectum in obsequium Christi. Latitudo vero animalis hominis animalis est affectus. Vagatur enim per illicita in via lata, quæ ducit ad perditionem. C Latitudo vero crucis est affectus devotionis in latitudine charitatis. Sunt autem nonnulli, qui æmulationem Dei habent, non secundum scientiam; alii autem scientiam Dei habent, et non æmulationem. Verum, ut ex duobus lignis crucis statura compingatur, jungenda est scientiæ æmulatio, et scientia æmulationi; ne sit indiscreta devotio, vel indevota discretio. Mundum siquidem animal est, quod et ruminat, et ungulam findit. Indiscreta devotio a tentatione rerum impossibilium plerumque Deum tentat, et ignorantia rerum utilium aut præsumit, quod non expedit, aut quod expedit, prætermittit. At indevota discretio licet non erret in cognitione rerum utilium, errat tamen in electione. Videt meliora, probatque, deteriora sequens. Non minor error est eligere quod est deterius, quam ignorare quod melius. Sua sententia sese condemnat, qui electione probat quod judicio reprobat; et in alterutra parte stultitiæ se arguit, qui citra necessitatis violentiam aliter eligit, et aliter sentit. Ad aliquam visibilem speciem contemplandam non sufficit interior lux oculorum sine adminiculo lucis exterioris, sicut nec ista versa vice sine illa lux lucem adjuvat, ut res visibilis videri queat. Non videt oculus clausus in meridie; non videt oculus apertus in tenebrosa nocte. Habet aliquid huic simile discretio sine devotione, aut devotio sine discretione. Ad contemplandam speciem invisibilis Dei perduci desideramus et speramus. Duo oculi necessarii nobis sunt, quos illuminari a Domino petit, qui dicit : *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte* (*Psal.* xii). Oculus discretionis sine luce devotionis, aut oculus devotionis sine luce discretionis, minus videt : sicut oculus qui in luce clauditur, vel in tenebris aperitur. Jungenda est ergo discretio devotioni, et devotio discretioni, ut abundet in nobis charitas cum scientia, et scientia cum charitate, juxta consilium Apostoli dicentis : *Charitas vestra magis ac magis abundet in scientia et in omni sensu; ut probetis potiora, ut sitis sinceri, et sine offensione in die Christi* (*Philip.* i). Qui vero scientiam habet et charitatem non habet, hic infatuatus est a scientia sua. Sine charitate enim nec magnitudo scientiæ, nec contemptus mundi, nec castigatio disciplinæ, ante conspectum Dei aliquid est. Sola charitas gloriam crucis sibi vindicat, per quam nos gloriari oportet in cruce Domini Jesu Christi, qui est super omnia diligendus et benedicendus in sæcula sæculorum. Amen.

TRACTATUS DUODECIMUS

SEU EXHORTATIO AD SACERDOTES.

In illud Act. xx : *Attendite vobis et universo gregi*, etc.

Attendite vobis et universo gregi; in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Apostolicus sermo ad vos dirigitur, o sacerdotes Domini, ministri Dei nostri. Vobis dicitur : *Attendite vobis et universo gregi.* Primum vobis, deinde gregi. Habenda est ratio salutis propriæ, his qui negotium procurant salutis alienæ. Castigatis moribus decet eos vivere, quibus credita est censura moralis disciplinæ. A se debent incipere, et sese non negligere quos primum oportet pro se rationem reddere. *Attendite,* inquit, *vobis.* D Attendite, quid estis secundum naturam infirmæ conditionis, quid secundum functionem injunctæ legationis, quid secundum dignitatem acceptæ potestatis, quid secundum humilitatem debitæ servitutis. Attendite, quid estis cum aliis, quid propter alios, quid supra alios, quid denique infra alios: Cum aliis quidem quid estis, nisi homines similes aliis, passibiles, in peccatis concepti, moriendi necessitate astricti, etsi per gratiam de peccatis liberati, nondum tentationibus inaccessibiles, nondum insuperabiles? Nam et tentari potestis adhuc, et a tentatio-

nibus superari, utpote infirmitate circumdati, ut possitis compati infirmitatibus alienis. Tales enim decet esse pontifices, qui norint esse compassibiles, eo quod sint et ipsi passibiles. Ergo, quia homines estis, infirmi estis, sicut homines, secundum naturam infirmæ conditionis. Secundum functionem injunctæ legationis propter alios, angeli pacis estis, in quibus posuit Deus verbum reconciliationis, ut cum Apostolo dicere possitis : *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo* (*II Cor.* VI). Nam quod angeli sitis, Malachias ostendit, cum ait : *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est* (*Malac.* II). Si autem angeli estis, in cœlis est conversatio vestra. Non enim estis in carne, sed in spiritu; sicut administratorii spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Missi autem a Deo, qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem. Et vos quidem sicut ministri Dei, non solum sicut ignis ardens, sed et ignis urens recte nuncupamini; ardentes sicut seraphim, sicut vicini Deo, et urentes, et illuminantes subditorum corda, ut calore igniti eloquii pariter ardeant, et a calore ejus non se abscondant. Deputati estis singuli ad custodiam multorum, et nemo subditorum sine angelo custode est, qui præsit ei, et custodiat eum in omnibus viis suis; sicut de Deo ad virum justum Propheta loquitur, dicens : *Quoniam angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis* (*Psal.* XC). Verumtamen, cum sacerdotes Domini pro similitudine officii angelis assimilari, angelique possint dici; sicut bonorum angelorum semper est societas affectanda, sic malorum angelorum similitudo semper est fugienda. Mali nempe sacerdotes cum boni angeli non sint, malis angelis rectius comparantur, qui de cœlo lapsi in veritate non steterunt, et honorem angelicæ dignitatis perdiderunt. Cœlestis autem conversatio sanctorum sacerdotum si cœlo comparari potest, nonne qui de sublimi vitæ sacerdotibus dignæ, ad indigna vilioris vitæ dejecti sunt, sic corruisse videntur, sicut angeli cadentes de cœlo? Qui etsi in illo sublimi culmine virtutum nunquam fuerunt, locum tamen nihilominus illum perdiderunt, quem habere potuerunt et debuerunt, sed non meruerunt. Inde enim excidisse videntur, ubi essent, si mali non essent; et ubi sunt, qui tales non sunt. Propterea ad eos tanquam homines, nec jam angelorum nomine dignos, pertinere videtur illa prophetica comminatio : *Vos autem sicut homines moriemini; et sicut unus de principibus cadetis* (*Psal.* LXXXI). Cecidit unus de principibus cui multi adhæserunt, sicut una membra uni capiti. Ne ergo et vos cadatis, sicut unus de principibus, attendite, quia non solum angeli estis propter alios, sed et dii estis supra alios; et hoc secundum dignitatem acceptæ potestatis. Bene ergo Propheta comminaturus malis ruinam cum angelis malis, de bonis præmisit : *Ego dixi :*

A *Dii estis; et filii Excelsi omnes* (*Psal.* LXXXI). Potestas vestra de cœlo est, an ex hominibus? Non ex hominibus, sed ex Deo est. Quis enim potest peccata dimittere, nisi solus Deus? Et tamen vobis data est potestas dimittendi peccata, quia Deus deorum Dominus locutus est, et dixit : *Quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlis* (*Matth.* XVIII). In hac autem potestate vestra Deus repræsentatur in terra a vobis, qui repræsentatione unius veri Dei dii nuncupamini et dii estis, ut per vestrum ministerium Deus semper præsens sit quærentibus eum, non solum præsentia majestatis, sed repræsentatione suæ auctoritatis et potestatis. Attendite, quantus honor debeatur illi a vobis, qui tam honorabile nomen dedit vobis. In hoc enim nomine timendi estis
B et honorandi. Timendi ut judices, honorandi ut patres. Timendi pro potestate, honorandi pro sanctitate. Si cui vestrum sanctitas deest, quod absit! timeat ille, quoniam Deus judex est. Timeat, quoniam Deus stetit in medio deorum, in medio autem deos dijudicat. Dum enim discernit cœlestis reges, hoc est qui se et alios regere debent, deos dijudicat. Novit enim qui sunt ejus, nec latere possunt ante oculos ejus, qui quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi. Nam, qui amant primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi, qui sunt mercenarii, qui sunt fures et latrones; qui non intrant per ostium, qui sunt nummularii, qui vendunt columbas
C in templo, qui sunt canes muti, qui sunt operarii mali, qui sunt percussores, qui litigiosi, qui non sobrii vel casti, totum hoc genus deorum inter falsos deos computandum videtur. Simulacra enim sacerdotum sunt, et sicut imagines deorum aut idola abominationum in templo. Quemadmodum enim unius veri Dei cultus per idololatriam idolo indebite exhibetur, ita honorem diis, id est sanctis sacerdotibus debitum, indebite sibi usurpant, qui sibi sumunt honorem, non vocati a Deo tanquam Aaron. Ad hoc pertinere videtur, quod scriptum est : *Qui honorem tribuit insipienti, sicut qui lapidem mittit in acervum Mercurii* (*Prov.* XXVI). Verumtamen in quocunque sacerdote sanctum est ministerium, et honorabile sacerdotii sacramentum : nec licet nobis
D christos Domini tangere, et judices a Deo constitutos judicare. Est qui quærat et judicet. Deus est enim qui deos dijudicat. Omnia quidem vitia per se et in se publicæ reprehensioni sunt obnoxia, utpote divino judicio prædamnata; sed non passim permittitur personas pro ipsis vitiis, vel vitia in ipsis personis, palam arguere, vel publice condemnare. Vos autem sacerdotes Domini, qui sicut decet Christi ministros, potestati divinæ reverentiam exhibetis, in omni justitia et sanctitate attendite dignitatem vestram, quanta sit. Nam plusquam homines estis, quia angeli Dei, et quasi messores angeli, ut tollatis de regno ejus omnia scandala. Adhuc autem plusquam angeli estis, quia dii sicut nomine, ita et honore præcelsi.

Attendistis dignitatem, et quia supra alios estis; attendite nunc, et iterum dico, attendite humilitatem vestram, et servitutis necessitatem, et quid infra alios estis. Si vultis audire, dicat prius Propheta, ne vobis contumeliosus videar, quid estis; qui ad Dominum loquens ait: *De fructu operum tuorum satiabitur terra, producens fenum jumentis, et herbam servituti hominum* (*Psal.* CIII). Ecce quid estis. Jumenta et servitus hominum. De tam alto in tam imum devoluti estis, sicut scriptum est: *Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos* (*Psal.* CVI). Nam et in alio loco scriptum est: *Gigantes gemunt sub aquis, et qui habitant cum eis* (*Job.* XXVI). Vos sicut gigantes proceritoris staturæ præ cæteris secundum præeminentiam dignitatis, sub aquis populorum gemitis, multiplici cura et sollicitudine degravati. Sicut exaltati sunt cœli a terra, sic exaltati sunt dii a jumentis, id est vos a vobis. Vos dii rectores animarum, inter cætera quæ attendenda sunt, hoc summopere attendite, quam sit res difficilis animas regere, et moribus singulorum servire, omnibus sese conformare, ut nihil differant a servis, cum sint domini omnium. Propter quod qui major est in vobis ut fiat sicut junior, non confunditur vocari servus servorum Dei. Hujus servitutis legem ostendens Apostolus, quæ sit, dicit: *Cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos* (*I Cor.* IX). Ad rationem hujus servitutis demonstrandam pertinet etiam, quod scriptum est: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus* (*Eccli.* III). Ac si diceret: Secundum magnitudinem dignitatis, æqua sit mensura humilitatis. Humilitas in honore, honor est ipsius honoris, et dignitas dignitatis. Omnis dignitas ipso dignitatis nomine indigna est, si humilia dedignetur. Humilitas enim sicut causa, ita est et custodia honoris. Omnis siquidem honoris promotio, quæ cum suo ordine procedit, ab humilitate incipit, et exaltatione consummatur. Nam qui se humiliat, exaltabitur, dummodo se non humiliet, ut exaltetur, sed magis se humiliet, ne exaltetur. Dico in mundo exaltetur autem in Deo. Nam qui vere humilis est, non ambit honorem; cum honorem accipit, non per ambitionem rapit honorem, sed propter humilitatem rapitur ad honorem, ne sit ipse prædo honoris, sed quasi præda ipsius honoris. Humilitas enim sine honore ipsa sibi sufficit ad honorem; honor autem sine humilitate sese perducit ad confusionem. Sicut ergo humilitas digne prævenit honorem, et sic et digne custodit. Videant itaque qui in honore sunt, ut se humiles in omnibus exhibeant exemplo Christi; qui sicut magister humilitatis, cum esset præcessor, factus est sicut ministrator; cum esset primus, factus est quasi novissimus, inclinans se usque ad pedes discipulorum. Exemplo humilitatis suæ sicut mole gravi premit vos Christus usque ad humilia, ut subditi sitis etiam subditis. Hoc ergo sentite in vobis, quod et in Christo Jesu. Cum esset

A ille Deus in forma Dei, semetipsum exinanivit formam servi accipiens. Et vos dii estis, exinanite vosmetipsos, et servilem formam assumite, ut interim efficiamini sicut homines propter homines, infirmi propter infirmos, omnium necessitates et infirmitates in vobis ipsis suscipientes, sicut ille qui dicit: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* (*II Cor.* XI.) Oportet vos omnibus plus laborare, quia pro omnibus. Propter quod non solum servi hominum estis, sed et servitus hominum, sicut boves triturantes; sicut jumenta, quæ necessitatibus hominum laborando deserviunt. Terra plebium subjectarum, si datum quæritis, fenum et herbam vobis producit in temporibus, quæ vobis debentur, et quæ habetis et possidetis. Si

B fructum quæritis, et non datum, cum Apostolo dicente: *Non quæro datum, sed quæro fructum* (*Philip.* IV), abundare debet fructus justitiæ in terra vestra, sicut in agricultura Dei. Per ministerium vestrum, fenum et herba vobis debentur; at vos quid debetis? Primum quidem omnia vestra, deinde vosmetipsos, totum quod potestis, totum quod estis. Denique animas vestras pro animabus vobis commissis, et libentissime, sicut ille, qui dicit: *Libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris* (*II Cor.* XII). Ergo debitores estis, non quasi uni parti gregis commissi, sed universo gregi; sicut universis, ita et singulis, sapientibus et insipientibus. Pro omnibus enim reddenda est ratio. Propterea

C ea universo gregi attendite, in quo vos Spiritus sanctus posuit. Ad illos enim pertinet hic sermo, qui non sibi sumunt honorem, sed vocati sunt a Deo tanquam Aaron. Hi enim cum spiritu hujus mundi aguntur, a Spiritu sancto positi non sunt, nec a Deo electi sunt sicut Aaron, quem elegit ipsum; sed ipsi vocaverunt nomina sua in terris suis. Quænam sunt illa? Nomina forte honorum, nomina dignitatum. Archidiaconus, episcopus, archiepiscopus, cæteraque similia, magna nomina sunt. Multi hæc nomina nondum habentes, et habere cupientes, nondum sua, vocaverunt quasi ad se, ut essent sua. Vocaverunt autem clamore valido, forte obsequiis, forte muneribus, forte assentationibus, vel aliis modis, quibus vocare solent, qui ad hæc vocati non sunt.

D Hi sunt quos agitat spiritus hujus mundi, spiritus vertiginis. Hos Deus non vocavit, et ideo non justificavit, nec glorificabit. Nam ab hominibus gloriam quærunt, non gloriam quæ ex Deo est. Etsi coram hominibus gratiosi et gloriosi inveniantur, coram Deo confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. Vos autem non sic, quos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei. Nomen vestrum et causa nominis vos admonet officii vestri, ut nihil negligenter agatis in cura vobis commissa; sed satis superque attenti et intenti sitis regere Ecclesiam Dei. In hoc posuit vos Spiritus sanctus. Hoc est enim officium vestrum, secundum geminum regendi modum dirigere et corrigere in justitia et judicio;

his enim virtutibus sedes Dei aut præparatur, aut corrigitur, sicut scriptum est : *Justitia et judicium præparatio sedis tuæ* (*Psal.* LXXXVIII). Et alibi. *Justitia et judicium correctio sedis ejus* (*Psal.* XCVI). Cathedra enim vestra, sive sedes vestra plebs subjecta est, cui præsidetis, sed ad tempus : sicut vicarii Christi, qui vobis præsidet, [et in eis sedet, sicut in sede sua, et vos in illis sicut in sede vestra, sed magis illius. Ergo sedetis sicut sedes in judicio, quia justitia et judicium præparatio sedis ejus. Per vestram enim justitiam et vestrum judicium præparanda est sedes Dei in directione virtutum, gratia ipsius cooperante, cui dicitur : *Tu parasti directiones* (*Psal.* XCVIII). Per vestram justitiam vestrumque judicium præparanda est sedes Dei, in his qui nondum sessibiles se Deo sessori præbuerunt ; hoc est in his qui nondum Deo per obedientiam subjecti esse cœperunt : præparanda est et in iis qui cœperunt, ne deficiant, sed magis et proficiant, donec quæ bene inchoata sunt perficiant : præparanda est et in iis qui lapsi sunt, ut Deo juvante erigantur, quia Dominus supponit manum suam. Ad vestram justitiam vestrumque judicium oculi omnium respiciunt. Inde pendet salus subditorum et vita multorum. Vita vestra speculum est sanctitatis, honestatis exemplum, justitiæ signaculum ; personæ multarum fa- A cierum quæ sunt in Ecclesia, ibi vident aut suæ pulchritudinis gratiam, aut deformitatis maculam. Ibi vident quid imitari debeant, et cui conformari cupiant, designatur vita subditorum sicut cera mollior, ut imaginem accipiat signo sanctitatis expressam. Diligite ergo justitiam, qui judicatis terram. Si Christum diligitis, et justitiam diligite. Ipse enim factus est nobis sapientia a Deo et justitia, quando, cum non nosset peccatum, factus est pro nobis peccatum, ut nos efficeremur gratia Dei in ipso. Christus factus est hostia pro peccato, et sicut bonus pastor animam suam posuit pro ovibus suis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Christus Ecclesiam sanguine suo acquisivit, ad ostensionem nimiæ charitatis suæ qua dilexit eam, B sanguinem suum pro ea fudit, et sic charitatem effudit. Hanc sic acquisitam, tam charam atque dilectam vobis commendavit, vobis commisit, quasi confidens de vobis, ut per vos confidat in ea cor viri sui. Propterea, sicut diligitis Christum, et sicut de vobis confidere potest, sic custodite sponsam ejus in fide vestra, zelantes eam, non vobis, sed illi ; ut exhibeatis eam virginem castam sponso suo Domino nostro Jesu Christo, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

TRACTATUS DECIMUS TERTIUS

SEU SERMO

De verbis illis : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* (*Rom.* V).

Charitas Dei, qua nos dilexit ante mundi constitutionem, et elegit in dilecto Filio suo, ipsa est fons et origo omnium bonorum, quæ nobis collata sunt in die creationis nostræ et in die redemptionis nostræ, et in die justificationis et sanctificationis nostræ : insuper autem et eorum, quæ nobis conferenda sunt in die glorificationis nostræ, quando glorificabitur in nobis Deus, et nos in illo. Non tenuiter dilexit nos Deus, non mediocriter, non exiliter, sed plenius, sed pinguius, non simulate, non ficte, sed pure et sincere ; non specietenus, non forinsecus, quasi in superficie, sed intrinsecus et medullitus ; non verbo et lingua, sed opere et veritate. Si habitudine attendis, pinguis est ista charitas et medullata. Omnes enim miserationes Dei super nos unde processerunt, nisi de insolita ejus benignitate ? nisi de mera liberalitate ? nisi de pura gratia ? nisi de plenissima benevolentia ? Quidquid enim possunt merita nostra, hoc ipsius est gratia ; et quod supra merita est, hæc est gratia super gratiam, utpote cumulans et cumulatior gratia. Si dimensionem quæris hujus charitatis, quia magna est, apud illum quidem mensurabilis est ; apud nos immensa et immensurabilis. Si quo autem modo possimus comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit C dimensio ejus, quanta tamen sit, comprehendi vix potest, aut omnino non potest : supra id enim quod possumus, aut dicere, aut cogitare, alta est et profunda, longa nihilominus et lata.

Altitudo ejus sublimitas gloriæ, quam præparavit Deus diligentibus se, hoc est, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (*Isa.* LXIV). Profunditas ejus exinanitio unigeniti Filii Dei, et inclinatio tantæ majestatis de sinu Patris usque ad opprobrium crucis ; de principio vitæ usque ad finem vitæ, a summo ad imum, de cœlo usque ad infernum, a fine usque ad finem. Quis autem sufficit cogitare finem et finem ? Quis potest comprehendere de quam alto venit, aut quantum intersit inter summum unde descendit et imum quo descendit ? Altitudo ergo hujus chari- D tatis est hominis provectio, profunditas ejus Dei est inclinatio, et, ut dictum est, a summo usque ad imum, ab initio usque in finem. At longitudo ejus sine initio est et fine. Nam dilectio ejus erga nos sicut nec desinit, sic nec incipit. *Misericordia enim ejus ab æterno et usque in æternum, super timentes eum* (*Psal.* CII). Latitudo ejus ampla est et diffusa, communi et generali utilitate benevolentiæ ipsius et beneficentiæ. *Omnes enim homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* (*I Tim.* II), quod bene-

volentiæ est. *Et proprio Filio suo non pepercit; sed pro omnibus nobis tradidit illum* (*Rom.* VIII), quod beneficentiæ est. Beneficentia autem ejus eo major æstimanda est, quo non solum ad omnes, sed et per omnia extenditur. Qui enim proprium Filium nobis dedit, *quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* (*Ibid.*) Hæc autem charitas ante mundi constitutionem in consilio et proposito Dei clausa fuit, sed ordine suo revelata est, profusa et effusa, infusa et diffusa. Largiter quidem profusa est, quando Deus ad imaginem et similitudinem suam hominem creavit; largius et abundantius effusa est, quando per mortem unigeniti Filii sui hominem redemit. Infusa vero est, quando cor hominis ad tantam excellentiam charitatis intelligentiam per gratiam fidei illuminavit. At tunc diffusa est, quando æmulationis proposito, et imitationis desiderio, et vicariæ dilectionis studio ampliati cordis latitudinem implevit. Hæc est diffusio, qua spem nostram confirmat, ut non nobis timenda sit confusio. *Spes*, inquit Apostolus, *non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris* (*Rom.* v), quæ Dei est ad nos. Hanc enim illo in loco commendat Apostolus; sed per hanc diffusam diffusa est et illa in cordibus nostris, quæ est a nobis ad ipsum. Sic autem diffusa est hæc per illam, et in illa, sicut lux oculorum qui a sole illuminantur, diffunditur in luce, per quam illuminantur.

Audi attentius hujus comparationis similitudinem, ut de corporali luce ad spiritualem ratio deducatur. Est lux illuminans, qua quid videat vel videatur. Est lux illuminata, ut videat cujusque rei species; est lux illuminata ut videat. Lux illuminans, ut quid videat vel videatur, est lux ista solis, quæ in ipsa palpebra diluculi infunditur, ut ipsa primum videatur; deinde latius diffunditur, ut in ipsa videantur variæ rerum species, quæ cum coloribus et formis et figuris suis oculis nostris exhibentur. Lux illuminata ut videatur, istæ sunt visibilium species quæ, dum in tenebris sunt, ibi videri non possunt; sic quasi tenebræ sunt indistincta confusione informes: quando autem in luce sunt, quasi quædam lux sunt illuminata, ut videri possit. Nam, ut Apostolus ait: *omne quod manifestatur, lux est* (*Ephes.* v). Sic autem visibilis species videtur in luce ut, simul videatur lux in spiritu; et tanto clarius, quanto clarior est lux, quam species. Lux illuminata ut videat lux est oculorum, quæ late diffunditur in luce diffusa, cum late patent oculis, quæ luce diffusiore illustrantur. Lux autem spiritualis, quæ oculos nostros illuminat, charitas Dei est ad nos. Beneficia autem Dei multa et magna nobis exhibita et prærogata, lucem charitatis quasi in se excipiunt, et oculis nostris ostendunt. In ipsis enim apparet, quantum diligat, et diligi debeat Deus. Nam, dum magnitudo beneficiorum ejus ante oculos nostros se expandit, immensa Dei charitas late patens palam innotescit; et in ejus contemplatione aspectus quoque mentis nostræ

A latius se diffundit; et, dum charitas qua nos diligit Deus secundum dignam æstimationem beneficiorum ejus altius cogitatur, imis sensibus intimata dulcescit, et mira suavitate mutui amoris cor afficit, amplius illud et dilatans, ut Dei capax efficiatur: cujus charitati secundum vicissitudinem amoris se coaptat et conformat, secundum altum et profundum, longum quoque et latum. Alta est enim charitas ad Deum, cum altitudo speratur, et sublimitas gloriæ desideratur, non in hoc sæculo, sed in Deo, qui dicit: *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum* (*Joan* XII). Cui et sponsa dicit: *Trahe me post te* (*Cant.* I). Profunda est, cum propter Deum veritas ambitur; et abjectio eligitur, exemplo illius qui dicit: B *Elegi abjectus esse* (*Psal.* LXXXIII); ubi ostenditur, quod nolit eligi ad honorem, qui ipse sibi elegit abjectionem. Longa est charitas, quæ perseverat usque in finem, imo magis sine fine. Charitas enim nunquam excidit. Lata est, quæ memor benevolentiæ et beneficentiæ Dei, inter adversa et prospera in ipso semper delectatur, in ipso lætatur, illi jubilat semper et exsultat, tam lata quam læta, sine angustia pusillanimitatis et murmurationis. Charitatis quippe latitudo ipsa est cordis dilatatio, quæ et ipsa est justitiæ delectatio. Hanc diffusionem charitatis in dilatatis cordibus nostris operatur charitas Dei, Patris scilicet vel Filii, operatur autem per Spiritum sanctum, qui datus est nobis; qui et ipse Patris et C Filii amor est, amborum connexio. Ut cætera Dei beneficia ad præsens reticeantur, quantum est ad exigendam a nobis charitatem, quod unigenitum Filium suum dedit nobis, ut nos in eo sibi gratificaret, nec non et Spiritum sanctum, qui cor nostrum præpararet, quo cum Filio et Spiritu sancto Pater ipse veniret, et apud nos mansionem faceret! Divisiones quidem gratiarum sunt, et in his omnibus charitas superexcellit: cujus diffusio per Spiritum sanctum fieri, et ipse Spiritus dari non frustra dicitur, non sine causa. Magnum et eximium est gratiæ munus, cum quo seipsum dat ipse muneris auctor, non sustinens dividi ab hoc suo munere, vel hoc munus a se. Qui ergo charitatem accepit in munere, recte in Deo gloriari potest, et D dicere: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis* (*Rom.* VIII). At qui sermonem sapientiæ habet, vel sermonem scientiæ, vel genera linguarum, vel interpretationem sermonum, vel gratiam cujuspiam administrationis, vel operationis, quamvis hæc dona sint Spiritus sancti; tamen, si charitatem non habet, tam non habet Spiritum sanctum in se, quam verum est illud, quod scriptum est: *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum* (*Sap.* I). Charitas autem contrariis modis cor nostrum et angustat et dilatat. Sæpe sentire potes quomodo stomachus ad cibos abominabiles, quos respuit, se angustat et arctat. Vix enim strictis faucibus ingreditur, quod non libenter accipitur. Nihilominus sentire potes, quomodo

ad cibos desiderabiles se relaxat et dilatat, et qua A facilitate glutitur quod cum magna aviditate percipitur. Sic et charitas ad sæcularia desideria quæ non recipit, cor angustat, ad quæque salubria et sancta voluntatem dilatat, et libertatem desiderii sui relaxat. Cupiditas vero ad hæc transitoria se dilatat, quantum se ad cœlestia coarctat; et quantum cor magis retrahit, tantum ad minima constringit. Magna autem et ampla sunt quæ æterna sunt; parva vero sunt, quæ angustia temporis mox clauduntur, et brevi voluptate cito finiuntur. Habet autem cupiditas suam altitudinem per affectatam honorum ambitionem; habet suam profunditatem per simulatam humilitatem, vel affectatam exaltationem; habet et longitudinem, per irrevocabilem continuationem; habet et latitudinem per inexplebilem capacitatem. Nos igitur, qui mundo renuntiavimus, qui non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut charitas Dei in cordibus nostris diffusa permaneat, sicut decet religionem nostram, diligamus Deum toto corde, tota anima, tota virtute, eodem Spiritu intus operante, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

TRACTATUS QUARTUS DECIMUS
SEU SERMO

De verbis illis: *Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem; fulcite me floribus, stipate me malis; quia amore langueo* (*Cant.* II).

Amor languor est et infirmi animi passio. Ad quam B veritatem asserendam si indigna et minus idonea videtur auctoritas poetæ, qui dicit:

Hei mihi, quod nullis amor est medicabilis herbis:

apud religiosas mentes sufficere debet vox sponsæ, quæ loquitur quod sentit, et dicit: *Amore langueo.* Videamus ergo an omnis amor languor sit. Est naturalis amor, quo parentes se diligunt et liberi; et in brutis animantibus vim suam obtinet. Nam et hæc super fetus suos varie afficiuntur. Ursa quippe catulis suis blande murmurat, et gallina super pullos suos infirmatur. Quid nisi amor effecit, ut plangeret Jacob, et diceret: *Fera pessima comedit filium meum, bestia devoravit Joseph?* (*Gen.* XXXVII.) Quid nisi amor impulit David, ut plangeret, dicens: *Fili mi Absalon, Absalon fili mi; quis mihi det, ut ego* C *moriar pro te, Absalon, fili mi, fili mi Absalon?* (*II Reg.* XIX.) Est socialis amor, quo amicitiæ fœdera junguntur: quo quidem amore David et Jonathas sese dilexerunt, cujus dolore cruciabatur David, cum diceret: *Doleo super te, frater mi, Jonatha, decore nimis, et amabilis super amorem mulierum: et sicut mater unicum amat filium, ita te diligebam* (*II Reg.* I). Est conjugalis amor, quo sese caste diligunt sponsus et sponsa, qui plerumque amarius separantur, quam dulcius copulantur. Est incestus amor, vel alias impudicus. Habet hic amor passiones suas, et dolorum angustias. Probat Amnon diligens Thamar, cui locutus est Jonathas: *Quare sic macie attenuaris, fili regis, per singulos dies?* (*II Reg.* XIII.) Probat et Sichem, qui Dinam dilexit, D et agglutinata est animæ ejus anima illius. Est vanus amor, amor hujus mundi, quo diligitur quod ad vitam beatam obesse potest, et prodesse non potest. Quem amorem coarguit Propheta dicens: *Filii hominum, usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem?* (*Psal.* IV.) Hic vanus amor, sicut et impudicus amor, non solum languor est, sed et vitium animæ, et mors. Est sanctus amor, quo Deus vere, caste pureque diligitur, qui et ipse languor est. Hoc enim anxie laborat, quæ dicit: *Amore langueo.*

Sed, si amor Dei charitas est, et charitas virtus est, et inter virtutes summa est, quomodo amor Dei languor est? An amor Dei vel charitas infirmitas est? Et virtus languor, et sanitas morbus et medicina. Quomodo sanitas vel medicina non est, per quam ab ægritudine curata est? De qua scriptum est: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (*Luc.* VII). Quomodo charitas sanitas non est, quæ languentis animæ vulnera curat, et operit multitudinem peccatorum? Si autem charitas sanitas est, quomodo languor est? Et si languor, quomodo incurabilis languor non est, cum scriptum sit: *Charitas nunquam excidit?* (*I Cor.* XIII.) An amor aliter habetur in desiderio utendi, aliter in usu desiderii? Ita plane. Interim quippe amor languor est, dum quæ amat, æstuat, anhelat, et suspirat; dum non habetur, quod desideratur; dum cruciatur, quæ a cupitis sponsi amplexibus differtur, et quia differtur. Sed, qui sanat omnes infirmitates tuas, o sponsa, et hunc languorem tuum curabit, cum se videndum ad habendum et fruendum præbebit sponsus; id est quando videbis eum sicuti est, oculo ad oculum, facie ad faciem, semel ei jungenda, et ab ejus colloquio, visu, osculo et complexu nunquam disjungenda. Extunc excidet languor tuus, sed nunquam amor tuus. Non erit, ut tunc dicere possis: *Amore langueo;* sed magis: Amore gaudeo; et inde tibi gaudium, quod gaudebit sponsus super sponsam, et gaudebit super te Deus tuus. Hic finis languoris, sed non finis amoris. Interim autem quid? Sponsa gravius infirmatur, et languida lecto tenetur *Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus* (*Psal.* XL). Quid opis, quid consilii, quidve solatii dabitur illi? Nam de remedio amoris non nunc agitur. Procul enim est, et ultra fines terræ, et sub cœlo non invenitur. Ipsa autem quæ clamat, et vim suæ passionis sentit, quia remedium hoc tempore vel loco sperare non potest; solatia saltem a domesticis suis postulat, quibus consolentur eam, donec transeat infirmitas. Sed et more languen-

tium primo declarat initium, et causam, et processum, deinde requirit solatium; quia nondum sperat remedium, quod novit aliquantisper differendum. Quasi requisita, o mulier languida, unde tibi hæc infirmitas? Respondet : *Introduxit me in cellam vinariam.* Quis te introduxit? Sedi quidem sub umbra illius quem desideraveram, et ille cibatam fructu suo, qui dulcis erat gutturi meo, introduxit in cellam vinariam, ut cibatam potaret poculo amatorio, quod depromptum de cella vinaria miscuit mihi, et cum gustassem, volui bibere. In hunc modum amore langueo. Qui desideratis poculum salutis (hic enim languor salus est), cum sponsa bibere, attendite quæ sit cella vinaria, ut introducamini in eam. Et, si vultis audire, cella cordis ipsa est, cella vinaria, ubi est vinum amoris. Cella, inquam, cordis, sed eorum qui convertuntur ad cor. Nam qui extra se vagantur, ambulantes in desideriis erroris, longe facti a corde suo, tanquam vecordes, qui respiciunt ad vanitates et insanias falsas, hi extra cellam vinariam sunt, qui ad se revocantur per prophetam dicentem : *Redite, prævaricatores, ad cor* (*Isa.* XLVI). Forte non omnes qui ad cor redeunt, statim in cellam vinariam introducuntur. Sponsa enim prius sedet sub umbra, et desiderat, et fructus dulcedinem laudat, et post introducitur in cellam vinariam. Sunt nempe multi, qui prius licite utuntur hoc mundo, et sedent sub umbra, et desiderant, et suavem fructum justitiæ laudant, et de via perfectionis secum tractant, et gratia divinæ miserationis compuncti, disponunt propter Christum omnia relinquere, eique soli in omni puritate cordis adhærere. Qui cellam vinariam tunc intrant, cum propter Christum omnia contemnenda judicant, et a corde suo alienant. Nec intrat sponsa quasi per se, sed introducitur; quia nemo viam perfectionis recte ingreditur, vel ad cor revertitur, nisi vox illius in corde convalescat, cui per Prophetam dicitur : *Dixisti, convertimini, filii hominum* (*Psal.* LXXXIX). Et iterum : *Animam meam convertit* (*Psal.* XXII). Tunc ergo sponsa introducitur in cellam vinariam, cum per contemptum mundi amor mundi de toto corde totus excluditur. Propter quod introducta, et omni cupiditate postposita, et per vinum compunctionis sobriæ mentis abalienatione jam mundi oblita, nihil in se nisi charitatem sentiens, dicit : *Ordinavit in me charitatem.*

Utramque hic intellige charitatem, et Dei et proximi. Nam, ea quæ est proximi reducitur ad charitatem Dei, cum proximus non sit diligendus, nisi secundum Deum, in Deo, vel propter Deum. Charitas autem ordo virtutis est; sed virtus ordo amoris est, differenter tamen. Sic enim virtus ordo amoris est, ut ab amore ordinetur; sic charitas ordo virtutis est, ut eam ordinet ipsa prius ordinata, ut ordinare possit. Ordinatur autem charitas æstimatione, æmulatione et electione. Æstimatione quidem, cum vero judicio mentis omnibus melior, dignior et pretio- A sior æstimatur. De æstimatione charitatis Apostolum consule : ipse tibi dicet quam digne et magnifice æstimanda sit. *Adhuc*, inquit, *excellentiorem viam vobis demonstro* (*I Cor.* XIII). Et iterum dicit: *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc. Major autem horum est charitas* (*ibid.*) Et iterum : *Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi* (*Ephes.* III). Parum est autem de charitate sic sentire, et sola æstimatione omnibus eam præferre, nisi et affectione æmulationis omnibus præponatur, ut ante omnia et super omnia desideretur. Ad quod admonet Petrus, cum dicit : *Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes* (*I Petr.* IV). Et Paulus, cum dicit : *Æmulamini charismata meliora* (*I Cor.* XII). Et iterum : *Super* B *omnia hæc charitatem habete* (*Coloss.* III). Quoniam autem nonnulli charitatem æstimatione vel æmulatione probant, et electione vel sectatione non probant, ordinanda est et electione, quatenus sic quæratur, ut habeatur et teneatur. Ad obtinendam enim charitatem, non sufficit cum æstimatione qualiscunque æmulatio, sine sectationis studio. Nonnulli enim ad eam aspirant et suspirant, qui in ea nunquam respirant. Concupiscunt enim, et non apprehendunt : propterea vane concupiscunt, ideoque vane, quia consilio non utentes, moribus improbant, quam judicio, et qualicunque desiderio non consilio probant. Æstimatio autem in judicio rationis est, æmulatio in desiderio voluntatis, electio in consilio discretionis. Discretio autem electionis C non est, ubi eligitur quod deterius est. Propterea Apostolus dicit : *Sectamini charitatem* (*I Tim.* VI) Sectando enim, hoc est Dei consilio utendo, charitas apprehenditur. Hoc est autem consilium : rebus illicitis pro amore Christi renuntiare, ut charitas habeatur; et a rebus licitis, quantum possibile est, abstinere, ut perfectius habeatur. Hoc est consilium, ut cupiditas omnino abjiciatur, quatenus sic charitas acquiratur. Hoc consilium insinuat, qui dicit : *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione; quasi nihil despiciet eam* (*Cant.* VIII). Despectione labentium acquiritur amor æternorum. Contemptu cupiditatis emitur aurum charitatis. *Omnia*, inquit Apostolus, *detrimentum feci, et arbitra-* D *tus sum ut stercora, ut Christum lucrifacerem* (*Philip.* III). Charitas autem primo loco cordis tui judicio dignæ æstimationis, et toto desiderio æmulationis, et omni studio sectationis collocata, suo loco constituta est, ideoque ordinata. Is etenim locus ei debetur. Ipsa vero sic ordinata omnia ordinat, ut secundum ordinem omnia fiant. Cum enim Apostolus dicat : *Omnia secundum ordinem fiant in vobis* (*I Cor.* XIV); et ipse idem dicat : *Omnia vestra in charitate fiant* (*I Cor.* XVI); colligi potest, secundum ordinem fieri quæ in charitate fiunt, et extra ordinem esse quæ in charitate non fiunt. Charitas angelos ordinat in officiis et ministeriis suis; ordinat vitas et mores justorum in professionibus et studiis suis; ordinat agmina virtutum in stationibus

suis, ut virtutum chorus ordinatus, id est castrorum (A) acies ordinata, ab hostibus irrumpi nequeat, vel turbari. In charitate ordinata est lex per angelos in manu mediatoris. Radiante enim virtute Christi in charitate, quam in nobis commendavit, post spiritum timoris accepimus spiritum adoptionis filiorum, ut non in timore, sicut sub lege, non ex tristitia vel ex necessitate, sed ex intimo amore in lætitia cordis, in libertate spiritus, serviamus illi. In charitate ordinatur testamentum super sacrificia bonorum operum, quia super omne bonum quod agimus, testamentum promissionis Dei ponitur, dum per amorem Dei semper æterna retributio cogitatur, et omnibus meritis nostris superior æstimatur. *Non sunt* enim *condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* (B) VIII). Ordinavit charitas mysterium redemptionis nostræ, quæ Deum de loco dignitatis suæ quasi deposuit, et in loco dignationis suæ posuit, et paulo minus ab angelis minoravit, et hominem inter homines collocavit. *Ab æterno*, inquit Dei Sapientia, *ordinata sum* (*Prov.* VIII), haud dubium quin æqualis Patri, ut jure sit super omnia, per quam facta sunt omnia. Sed *attingit a fine usque ad finem* (*Sap.* VIII); *a fine*, qui est fons vitæ, usque ad mortem, quæ est finis vitæ; *fortiter* quidem, quia mortem moriendo destruxit; *disponens omnia suaviter*, in humilitate et charitate omnia ordinavit; pacificans, et restituens, et componens, ut sibi subjecta sint omnia. Tunc enim omnia ordinata sunt, cum sub (C) eo sunt, a quo sunt. Ordinem suum deseruit, qui loco suo stare renuit, volens Deo per æqualitatem coesse, non per humilitatem subesse, dicens: *Ero similis Altissimo* (*Isa.* XIV). *Ordinatione tua*, Deus, *perseverat dies* (*Psal.* CXVIII); tua quidem, non propria, cujusque sua. Propterea ille non perseveravit, quia ordinationem turbare præsumpsit, minime attendens, quoniam *omnia serviunt tibi*. Hinc angelus lucis, qui erat sicut dies cœli, factus est princeps tenebrarum, et caligo noctis. Charitas vero, quæ per obedientiam omnia Deo subjecit, suo arbitrio cuncta disponit: et nunc consulit quod perfectius est, nunc præcipit quod necessarium est, nunc permittit quod illicitum non est, nunc eligit quod melius est, nunc suscipit quod ne- (D) cessarium est.

Licet enim libertas adjuncta sit charitati, cedit tamen charitas necessitati, dum nonnunquam prætermittit quod melius est, ut devitet quod deterius est. Sæpe enim dum æmulamur bonum quod melius est, dignius et perfectius, impedimur auctoritate superioris potestatis, aut violentia alicujus difficultatis, aut imbecillitate propriæ infirmitatis: unde evenit, ut quod æmulatione fuerit prius, electione et sectatione sit posterius. In disponendis itaque iis quæ facienda sunt, utitur charitas nunc ordine libertatis et dignitatis, nunc ordine dispensationis et necessitatis. Nam, cum nec vis majoris auctoritatis, vel cujuspiam difficultatis, nec trepidatio pusillanimitatis obsistit, libere eligit et sectatur quod dignius est et perfectius. Cum autem libertas electionis, imo electio melioris aliquomodo impeditur, ordine præpostero, ordine tamen, suscipit charitas quod necessitas imponit, aut infirmitas suggerit. Charitas quippe, cum sua libertate utitur, accedit meliori; cum necessitati cedit, aut infirmitati concedit, subjicit se bono inferiori. Unde, cum æmulatur quod melius est, et aliqua vi actionis urgetur ad id quod inferius est, nonnunquam electione hæsitat, et quid eligat, ignorat; sed quid magis appetat, non ignorat. Hinc Paulus magis desiderans esse cum Christo, multo enim melius; et necesse habens propter fratres in carne manere, electionis ambiguo arctatur et dicit: *Et quid eligam ignoro* (*Philip.* I). In omnibus autem justis, sive in his qui meliora libere eligunt, sive in iis qui inferiora bona suscipiunt, ipsa charitas semper ordinata est; semper prima æstimatione, æmulatione, sectatione vel electione. Nemo enim magis bonus est, nemo minus bonus, dummodo bonus, qui non ipsam charitatem cæteris anteponat, etiamsi dilectione præponenda electione postponat. Cum autem charitas fuerit ordinata, cumque ipsa ordinaverit, et quocunque modo ordinaverit, omnia pariter ordinata sunt. Ipsa enim ordo est gerendorum; et extra ordinem non sunt quæcunque in charitate fiunt. Sponsa autem jam mundum contemnens, jam ordinatam charitatem habens, jam præ amoris magnitudine æstus sui pectoris ferre non prævalens, quibus putas passionibus angitur, quibus doloribus cruciatur? Quomodo torquetur inter scandala odio et tædio, quam graviter suspenditur dilatione et exspectatione, a spe et desiderio! Quis explicare queat omnes angustias languentis sponsæ, quas pro dilecto patitur, cui minus est omne quod patitur? Ad languorem ejus pertinet, quod ipsa de se dicit: *Nolite me considerare, quod fusca sum: quia decoloravit me sol* (*Cant.* I). Sed nunquid ubi passiones Christi abundant, consolationes Christi non abundant? Imo abundant. Habet ergo sponsa consolationes suas, tum in suis bonis, tum in aliorum, sed bonorum, exemplis. Videt enim in numero bonorum alios incipientes, et quasi initiis virtutum florentes; videt et alios maturitate morum ad culmen perfectionis pertingentes.

Quid sunt autem amantium, et amore languentium exempla, in initiis et complementis virtutum, in primis rudimentis et maturioribus patientiæ exercitiis, nisi flores et fructus honoris et honestatis? Gaudet sponsa incipientes præcedere, gaudet et fortiores æquare. Gaudet illos habere subtus se, ut tanquam floribus suffulta mollius quiescat. Gaudet et illos habere ex latere, et juxta se, ut quasi malis stipata et circumsepta, nec ad dexteram, nec ad sinistram se vertat; sed indeclinabiliter et fortiter ad fortia convalescat. Propter quod dicit: *Fulcite me floribus; stipate me malis.* Tanquam diceret domesticis suis: O intimi

sensus et affectus mei, consolamini me, et hoc agite in me, ut substratis floribus mollius incumbam; et ut circumpositis malis stipata, aliorsum me non vertam. Juvat sic ægrotare, dum mihi pro solatio sint, qui mecum pariter doleant, et simili mœrore languescant. Habet præterea sponsa languoris solatium de meritis suis, et meritorum præmiis. Attendit siquidem tria in præmium sibi repromitti a Domino dicente : *Nemo est qui reliquerit illa vel illa propter me, et propter Evangelium, qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc cum persecutionibus, et in fine sæculi vitam æternam* (*Marc.* x). Postquam per incrementa virtutum diu profecerit, et circa studia spiritualis disciplinæ sese strenue exercuerit, tunc demum centuplum invenit in cordis pace et tranquillitate, serenitate et securitate, delectatione justitiæ et inenarrabili spiritualis jucunditatis dulcedine. Hæc sunt mala, hi sunt fructus justitiæ, qui ex floribus inchoatæ disciplinæ proveniunt. Non solum autem hæc, sed et mala tribulationum et persecutionum, quæ ad exemplum patientiæ nonnunquam prærogat Deus desiderantibus pro nomine Jesu pati, vel etiam mori. Unde et patiens Job dicit : *Qui cœpit, ipse me conterat. Solvat manum suam, et succidat me : et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat* (*Job* vi). Et iterum : *Si flagellat, occidat semel, et non de pœnis innocentium rideat* (*Job* ix). Nonne qui hoc dicit, ipsa flagella in se provocare videtur, et quasi dicere : Stipate me malis? Quæ quidem non diceret, nisi floribus virtutum suffultus fuisset. Erat enim simplex et rectus, et recedens a malo. Sponsa ergo perfectionis æmula non solum virtutum charismata, et internæ pacis gaudia beneficia Dei reputat; sed dona Dei in tribulationibus suis agnoscit, et flagella ejus quasi quædam beneficia gratanter acceptat. *Vobis*, inquit Apostolus, *donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini* (*Philip.* i). Si autem his malis, quasi quibusdam justitiæ fructibus sponsa stipari desiderat, quanto magis ad illos inæstimabiles justitiæ fructus, qui in futurum reservantur, suspirat! Nam et hos cogitare potest fructus, cum dicit : *Stipate me malis.* His siquidem malis spe saltem interim sese consolatur ab omni tribulatione malorum et dolore, donec videat quem amat, sponsum suum Jesum Christum, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

TRACTATUS QUINTUS DECIMUS

DE VITA COENOBITICA, SEU COMMUNI.

Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus, sit semper cum omnibus vobis (*II Cor.* xiii).

Institutio vitæ communis non parva, non levi, non mediocri auctoritate suffulta est et subnixa. In vita communi primitiva fundata est Ecclesia; a vita communi nascentis Ecclesiæ cœpit infantia. Vita communis ab ipsis apostolis accepit suæ professionis exemplum, sui honoris titulum, suæ dignitatis privilegium, auctoritatis suæ testimonium, defensionis patrocinium, spei suæ firmamentum. Apostoli, qui a Deo constituti sunt principes super omnem terram; principes populorum, qui congregati sunt cum Deo Abraham; dii fortes terræ, qui vehementer elevati sunt; amici Dei, qui nimis honorati sunt, et nimis confortatus principatus eorum; senatores cœli, judices mundi, quibus facta est repromissio sedere super duodecim thronos, et judicare duodecim tribus Israel; patres conscripti, quibus dati sunt gladii in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, et increpationes in populis; ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis, ut faciant in eis judicium conscriptum : hi tanti viri, tam potentes, tam præclari, induti virtute ex alto, instinctu Spiritus sancti vitam communem observandam susceperunt, et exemplo suo confirmaverunt, et suis moribus comprobaverunt, nobisque servandam tradiderunt; ut in terra positi, per communis vitæ similitudinem incipiamus angelis Dei configurari, quibus sumus in æterna vita sociandi, æquales similesque futuri. Vita communis juxta exemplaria cœlestium instituta est, de cœlo traducta, de cœlesti conversatione sanctorum angelorum ad nos usque transsumpta. Si ad commendationem vitæ communis parum est, quod ad nos usque ab apostolis, ad apostolos ab angelis Dei pervenit; est adhuc, quod adjici possit, super omnem laudem ejus. Ab ipso enim fonte vitæ manavit vita communis. Illum nunc loquor fontem, de quo scriptum est : *Apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen* (*Psal.* xxxv). Vita sane communis quasi quidam splendor est æterni luminis, quædam emanatio vitæ æternæ, quasi quædam derivatio de perenni fonte, unde manant aquæ vivæ salientes in vitam æternam.

De communi vita Patris et Filii et Spiritus sancti.

Deus vita est, sancta et individua Trinitas una vita est. Non alia vita Pater est, et alia Filius, et alia Spiritus sanctus; sed hi tres una sunt vita; et, sicut una est eorum communis essentia, communisque natura, ita una est eorum communis vita. Non est enim Deus singularis aut solitarius, quia Deus trinus et unus est. Nec vita Dei non communis est, quia tribus personis una est, individua et indifferens vita. Forte salva pietate fidei alicui videri poterit Dei essentia vel potentia singularis, vel singu-

laris sapientia, quia incomparabiliter supereminens est, et superexcellens, ideoque cum communis sit, quasi singulariter communis, et idcirco quasi singularis forte existimabitur. Ne sub verbi ambiguitate quod certum est in dubium revocetur, indubitanter constat, Dei vitam non ita esse singularem vitam, ut communis non sit, quia scriptum est : *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso* (*Joan.* VI). Non decebat Deum solitarium esse, non congruebat dignitati ejus, gloriæ beatæque vitæ consortem non habere. Juxta fidem sanctorum Patrum vera fidei professio, vera assertio, vera est protestatio, Deum trinum et unum esse, non solitarium : et in adjutorium hujus fidei ipsa nostra ratio quodammodo assurgit. Deus enim qui habitat lucem inaccessibilem, ne omnino ignoretur, et per ignorantiam non ametur, quadam sua luce, licet tenui, in cordibus nostris scintillat; et ex ea parte sese magis nobis aperit, suamque naturam nobis prodit, qua nobis magis expedit naturam ejus cognoscere, quam pro modulo cognitionis indultæ debemus toto corde, tota anima, totaque virtute diligere. Deus autem charitas est : et, sicut ait Apostolus : *Charitas ejus diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis* (*Rom.* V). Charitas autem, quæ per gratiam in nobis est, aliquo modo repræsentat nobis, qualis sit illa incomprehensibilis charitas, quæ Deus est, cujus natura sive charitas, sive benignitas est. Natura charitatis hæc est, sicut quodam intimo sensu ipsius charitatis nobis medullitus intimatur, et amare, et velle amari. Sicut enim ignis non potest non ardere, sic et charitas non potest non amare. Amor enim ignis est, et amare hoc est ardere. Et sicut ignis non sese continet intra se, sed in hoc moveri videtur, ut semper attingat quæ incendat, ne in se tantum vivat, sed calorem suum, his quæ vel attacta vel incensa fuerint communicet, sic et amor quodam sensibili conatu gestit sese transfundere, et bonum quod habet, ad alterum, qui plena dilectione diligitur, transmittere, et in commune deducere, et in communem suæ possessionis consortem asciscere. Æstimatione enim charitatis omne bonum pulchrius elucescit, cum in commune deducitur, quantum decet.

In his autem bonis, quæ sufficere possunt amanti, et ei qui plena dilectione amatur, amat charitas communionem, et mavult cum dilecto suo communiter habere, quam sola possidere quod ambobus possit sufficere. In iis autem bonis, quæ non possunt utrique sufficere, sæpe charitas præeligit ipsa carere, ne amicus careat, quem noverit sua benignitate indigere. In præstandis autem beneficiis id semper agit charitas, ut qui amatur amet, ne solus ametur. Semper enim, ut prædictum est, amat amari, nec amanti sufficit amor communionis, si non adsit communio amoris. Nam, cum bona sua velit esse communia, ipsum amorem multo magis. Nescit amor non esse benignus, odit esse solitarius.

A In profusione largitionis, quasi per amorem communionis, conciliare satagit communionem amoris. Quæ est enim benignitas amoris, si bona sua sibi soli retinere velit, et communicare non velit? Aut quæ est consolatio amantis, si solus non ametur, et solus amet? Scriptum est : *Væ soli!* (*Eccle.* IV) Amor solitarius ipse sibi cruciatus est, et quodammodo seipsum odit, cum omnino nolit esse solitarius, ne non sit mutuus : et, sicut non potest sua benignitate suaque natura privari, sic non potest non amare communionem boni, communionemque sui. Charitati itaque, quæ in nobis est, duæ res, quantum ad desiderium ipsius charitatis, inseparabiliter annexæ sunt, amor communis et communio amoris. Si autem alterutra desit, nondum beata est

B charitas, quæ nihil nisi beatitudinem quærit in communione boni et communione sui. Sed, si bonum commune adsit, et amor communis non adsit, aliquid charitati deest, quod ipsa velit adesse. Si amor communis sit, et bonum commune desit, aliquid charitati deest, quod ipsa nolit deesse. Hæc sic se habent in ea charitate, quæ nostra est, et in nobis est, et inter nos est; per quam charitatem nondum plene beati sumus, sed in futuro beatificandi sumus, in communione summi boni, quod omnibus poterit sufficere, et in communione amoris mutui, per quem nobis nihil non commune. Vide, mens mea, et considera, quoniam experientia charitatis tibi notæ idipsum tibi de natura Dei demon-

C strat, quod Deus ipse de se per gratiam fidei revelat. Poteras quidem, o mens, si peccato contenebrata non esses, Deum in ipsa tui natura, sicut in imagine sua, quam familiariter cognoscere. Nunc autem pene excæcata es, ut nec in te, nec per te, vel Deum vel te valeas pervidere. Quomodo ergo cæcus non sum? Fateor in hac parte, quantum in me est, cæcus sum; ut vere vox mea sit hæc : *Dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum* (*Psal.* XXXVII). Quia semel cœpi, adhuc loquar ad te, mens mea. Credo quod Deum videre, et in Deum ire desideras, et duce indiges, quia cæca es. Si ducatum fidei sequaris, non aberrabis; sed in ipsa luce fidei jam nunc videre Deum poteris. Sed nunquid in sola fide

D videtur Deus. Nunquid non in charitate? imo et in charitate, et magis in charitate. Ipsa enim charitas præceptum lucidum est, illuminans oculos. In nobis enim nihil similius est charitati, quæ Deus est, quam ipsa charitas, quæ in nobis a Deo est. Per hanc imago Dei in nobis reformatur; per hanc Deus in nobis videtur et sentitur, multoque plenius quam in sola fide cognoscitur. Si ergo invisibilia Dei per ea quæ facta sunt in nobis intellecta conspiciuntur (*Rom.* I); si æstimare licet naturam Dei ex gratia sua; si ex munere auctorem muneris cognoscere datur; procul dubio naturæ Dei congruit amor communionis, et communio amoris. Nam cujus natura charitas est, et benignitas est, naturaliter amat, et vult amari; et quantum amat, tantum

vult amari. Nec plenam beatitudinis suæ communionem sustinet illi deesse, a quo vult amari, quantum dignus est amari; ne minor sit communio amoris, quam amor communionis. Tanta est autem charitas Patris, ut vitam quam habet in semetipso, hanc et Filio daret habere in semetipso, ut una vita sit cum Patre Filius coæqualis Patri, et consors paternæ gloriæ in omni plenitudine æterni honoris, et individuæ potestatis. Beata enim charitas sine consorte non est, unde nec sine communione est. Beata autem charitas beata vita est, et beata vita beatitudo est; et beatitudo summum bonum est. Summum autem bonum naturaliter commune est. Omne enim bonum, eo ipso quo bonum est, et laudabile est: quod si et bonum est et commune est, cumulatiorem habet gloriam et bonitatis et communionis. Summa enim bonitas boni ipsa communio est. Proinde summum bonum communionis laude privari non potest, ne summum bonum non sit, si ei tanta virtus laudis, et laus virtutis desit. Summum autem bonum et plenum et perfectum bonum est, cui omnino nulla digna laus boni deesse possit. Unde et naturaliter commune est, et per gratiam communicabile, sicut fons et origo omnium bonorum. Hæc est autem vita æterna, vita beata, vita communis, charitas infinita, et incomprehensibilis, Deo Patri ejusque unigenito Filio communis. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso; sic dedit et Filio vitam habere in semetipso. In se habet vitam Filius, quam habet et Pater; quia una vita est ipse cum Patre. Verumtamen, vitam, quam habet Filius in se, quia vita est, non habet a se, sed a Patre. Quidquid enim secundum substantiam dicitur Filius vel esse, vel habere, hoc communiter cum Patre est, et communiter cum Patre habet, hoc est a Patre habet. Hoc a Patre habet, ut vivens Deus sit, ut beatus et omnipotens et sapiens sit, ut ipsa vita, et beatitudo, et virtus, et sapientia sit. A Patre etiam habet, ut Filius sit, nec habere cœpit, quod a Patre accepit, quia nascendo accepit quod Pater gignendo dedit. Coæternus est enim Patri, et consubstantialis, et coæqualis, et per omnia similis; Deus de Deo, lumen de lumine, splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, et imago Dei invisibilis. Pater autem qui Filio dedit vitam habere in semetipso, sicut et ipse vitam habet in semetipso, Filium diligit sicut semetipsum; et Filius Patrem, sicut semetipsum: horumque amor Spiritus sanctus est, amborum nexus et communio. Horum amor ita individuus est, ut qui Patrem amat, amet et Filium; et qui non amatur a Filio, non ametur a Patre. Unus est amor eorum, et honor individuus; una virtus, et individua operatio; tantaque communio, ut Filius dicat ad Patrem: *Et mea omnia tua sunt; et tua omnia mea sunt* (*Joan.* XVII). Et Joannes Baptista dicit: *Pater diligit Filium et omnia dedit in manus ejus* (*Joan.* III). Ipse quoque Dominus iterum loquitur, dicens: *Pater diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse fecit* (*Joan.* V).

De communione angelorum.

Hujus vitæ communis, quæ in Deo est et Deus est, quædam repræsentatio est communis vita angelorum, quam in summa pace conciliat Spiritus sanctus, sicut amor, et nexus, et communio. *Verbo enim Domini cœli firmati sunt; et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Psal.* XXXII). Cœli angeli sunt, in cujus amore concorditer et feliciter vivunt. Amant enim singuli universos, et universi singulos; omnes idem volunt, et idem nolunt; quod uni placet, nulli displicet; quod unus vult, nullus non vult: una est omnium sententia, una voluntas; omnes idipsum sentiunt, et idipsum sapiunt. Ubi non inflatur superbia, non tabescit invidia, non excandescit ira, non litigat discordia, non murmurat impatientia, non detrahit lingua dolosa. Omnia ibi pacifica sunt, omnia composita, omnia tranquilla; nihil inordinatum, nihil indisciplinatum, nihil ordini vel obedientiæ contrarium, occasione habendæ proprietatis nihil in occulto repositum; sed omnia manifesta sunt, omnia clara; et quæ singulorum sunt propria, per communionem amoris et amorem communionis, omnium sunt communia. Omnes in uno templo in commune Deo jubilant in libro vitæ omnes simul legunt, meditantur et contemplantur; ad unam mensam omnes communiter reficiuntur. In loco externæ quietis simul pausant, nihil a quoquam singulariter agitur, quod communem pacem, vel obedientiam, vel ordinem, vel turbare valeat, vel offendere. Talis est illa jucundissima et felicissima societas supernorum civium communiter viventium; quorum conversatio a nobis adhuc in terra positis communis vitæ similitudine semper repræsentanda est, ut tanto familiarius illorum consortio mereamur adjungi, quanto vicinius desuper nobis datum fuerit illorum vitam imitari, per gratiam Domini nostri Jesu Christi, et charitatem Dei, et communicationem sancti Spiritus. Amen.

De communione naturæ, cui annectitur communio culpæ.

Vitam communem communio facit. Est autem quædam communio naturæ, quædam communio gratiæ et quædam communio gloriæ. In communione unius naturæ totum genus humanum colligitur, quod de uno parente cum traduce peccati propagatum est, totaque hominum numerositate longe lateque disseminatum est. Huic communioni naturæ annexa est quædam communio culpæ et iræ. Natura enim in radice vitiata cum ipso vitio propagatur cum originali culpa et originali ira. Natura enim filii iræ sumus. Omnes enim nati sumus et mali et miseri. Labe peccati ita infecta est humana natura, ut nec nitro, nec herba borith, nec ullo genere ablutionis vel mundationis purgari possit, nisi in sanguine Domini nostri Jesu Christi, in cujus morte baptizati sumus. Quotquot enim baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus (*Rom.* VI). Ira autem indignationis Dei de occulta justitia, sicut sagitta de pharetra prodiens, humanæ naturæ altius

infixa est, et ad interiorum intima pervenit, et ita (A) firmiter inhæsit, ut nulla vi, nisi validissima manu omnipotentis Dei, extrahi possit. De hac sagitta per prophetam dicitur: *Filiam pharetræ suæ misit in renibus meis* (*Thren.* III). In zelo justitiæ suæ concepit Deus indignationem contra peccatum, et effudit iram. Hæc nobis innata est ira, cujus natura filii sumus. Hæc est filia pharetræ, de occulta Dei justitia quasi de pharetra deprompta; ibi concepta est, et hinc in nobis nata, et nobis innata, et connata filia pharetræ, sed quasi uterina soror nostræ naturæ. Hanc in renibus suis dicit propheta. Recte quidem in renibus. Ibi enim est sedes concupiscentiæ, unde propagatur languor naturæ. Communio hæc vitiatæ naturæ, in qua nos omnes unius naturæ consortes, et peccato obnoxii, et debito mortis te- (B) nemur astricti, triplicem necessitatem nobis imponit, charitatis, humilitatis et pietatis. *Diliges*, inquit Dominus, *proximum tuum, sicut teipsum* (*Deut.* VI). Si ratio divinorum mandatorum humanæ curiositati reddenda est, quamvis sufficere debeat ad omnem curiosam inquisitionem compescendam, Deum mandasse, cujus omnia mandata fidelia sunt, facta in veritate et æquitate, sollicito tamen cur Deus hoc mandatum velit custodiri nimis, non deerit quod respondeat fides. Novit fidei conscientia, Deum diligere sibi consubstantialem, naturæque suæ consortem. Hoc exemplo respondere potest homini: *Fac et tu similiter* (*Luc.* X); dilige consortem naturæ tuæ, futurum participem repromissæ tibi gloriæ. (C) Dilige naturam tuam, dilige quod natus es, ne non diligas te, non diligens in altero naturam, quæ est in te. Ad diligendum itaque naturæ nostræ consortem, ipsius Dei exemplo trahimur, auctoritate præcipientis urgemur, communione naturæ constringimur, et pro communis infirmitatis conscientia invicem nos oportet humiliari, invicem misereri, ne superba gloriatio dividat, quos una conditionis infirmitas æquat. Nondum seipsum novit diligere, qui communem naturam in altero præsumit contemnere: et conditioni suæ injuriam facit, qui jus suum in Dei imagine non agnoscit. Et humanæ societatis jus violat, qui communionem naturæ in proximo non honorat. Misericordiæ aditum sibi intercludit, qui fraternæ necessitati vel miserationis (D) affectum non impendit. De communione naturæ huc usque dictum sit.

De communione gratiæ.

Est quædam communio gratiæ cunctos qui Christianæ professionis censentur, bonos malosve, in una fidei confessione et sacramentorum participatione generaliter complectens. Hic est ager in quo crescunt zizania et triticum (*Matth.* XXIV). Hæc est area habens grana permista cum paleis. Hæc est sagena in qua sunt pisces boni in vasa eligendi, malique foras mittendi. Hæc est arca Noe, in qua sunt animalia munda et immunda, et corvus et columba. Fidem enim habent, et qui opera fidei congruentia non habent; et sacramentis Ecclesiæ participant, qui virtutem sacramentorum indignis moribus in sese evacuant. Proinde, qui in fidei confessione sacramentis communicant, alii ab aliis, sicut boni a malis ab invicem divisi sunt. In his enim numerari possunt schismatici, qui canonicæ obedientiæ jugum detrectant, fictique fratres, qui humilitatem Christianæ professionis magis simulant quam servant. Omnium autem justorum, qui in fide et obedientia fidei congrua ecclesiasticis sacramentis participant, una est peculiaris specialisque communio, cui non communicat alienus. Sed nec alienis communicat, quisquis in hac communione invenitur, ut cum Propheta dicere possit: *Non communicabo cum electis eorum* (*Psal.* CXL). Hæc autem communio justorum unitas est Ecclesiæ, quæ in omnibus membris Christi servat unitatem spiritus in vinculo pacis. Hæc est Christi tunica inconsutilis, quæ non est divisa, de qua Christus dicit: *Partiti sunt vestimenta mea sibi* (*Joan.* XIX); *et super vestem meam miserunt sortem* (*Psal.* XXI). Sub unius fidei professione et sacramentorum participatione, alii ab aliis, ut dictum est, dividuntur, quasi vestimenta Christi partientes. Ecclesiastica enim sacramenta alii digne, alii indigne percipiunt, et aliorum *fides sine operibus mortua est* (*Jac.* II); *justus autem ex fide vivit* (*Hebr.* X). Super vestem vero, quæ non est divisa, sors mittitur. Qui enim ecclesiasticæ societati in Christi charitate et obedientia sese adjungit, ad illam sortem pertinet, de qua scriptum est: *Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum* (*Psal.* CXXIV). Justi autem ubicunque sint, sive singulariter, sive communiter vivant, per unitatem ecclesiasticæ pacis, per communionem obedientiæ et charitatis, quasi membra unius corporis, divisionem non admittunt. Aves enim non sunt divisæ, turtur scilicet et columba, cum tolleret Abraham, Domino jubente, vaccam et capram et arietem, dividens universa hæc per medium, et utrasque partes contra se altrinsecus ponens (*Gen.* XV). Hanc communionem justorum insinuat Apostolus, dicens: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma* (*Ephes.* IV). Uni Domino debetur obedientia, sicut Christus manifeste ostendit, dicens: *Nemo potest duobus dominis servire* (*Matth.* VI). Obedientia autem charitatis individua comes est, sicut idem ipse testatur, dicens: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit* (*Joan.* XIV). Et: *Qui non diligit me, sermones meos non servat* (*ibid.*). Unius itaque Domini obedientia, una fides, unum baptisma, unam efficiunt communionem justorum. Quisquis in hac communione permanserit usque in finem, inter electos sors illius erit, et de populo Dei non peribit. Verumtamen, multi de hac communione, quia remissius et indulgentius, sed non perdite vivunt; quia non super fundamentum, quod est Christus, ædificant aurum, argentum et lapides pretiosos; sed lignum, fenum, stipulam, merito fundamenti salvi erunt, sic tamen quasi per ignem (*I Cor.* III). Hæc vero communio gratiæ,

de qua nunc dictum est, etsi necessaria sit ad eam vitam instituendam, quæ communis dici solet; sola tamen ad communis vitæ religiosum propositum sufficere nullatenus potest.

De communione gratiæ, quæ facit vitam communem.

Est adhuc quædam communio eorum qui, communiter vivunt, de quibus dictum est : *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una : nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia* (*Act.* IV). Vitam itaque communem efficiunt cor unum et anima una, et communio omnium. Hæc in terris, quantum permittit humana infirmitas, angelorum vitam repræsentat. Habentes enim cor unum et animam unam, omniaque communia, in omnibus concordes et unanimes, publicam utilitatem et commune bonum privatis commodis semper præponentes, in tantum sibi suisque renuntiant, ut quisquis in his fuerit, si tamen ex his, sive in judiciis, sive in consiliis, non præsumat propriam sententiam pertinaciter defendere, nec in desideriis cordis sui propriam voluntatem impetuosius attentare, nec proprietatis nomine vel modicum quid habere; sed sicut servi Dei sub manu conservi sui propter Deum ita sese humiliant, ut ex unius arbitrio, cui et in quem omnis potestas collata est, omnium sententia pendeat, ordinetur voluntas, temperetur necessitas, qui solus potest velle, quia potest et nolle, cæteris libertati et potestati suæ renuntiantibus, ut non liceat eis velle, quod volunt, nec posse quod possunt, nec sentire quod sentiunt, nec esse quod sunt, nec suo spiritu vivere, sed spiritu Dei quo aguntur, ut sint filii Dei, qui est amor et nexus et communio eorum : et quanto major est amor, tanto firmior est nexus, pleniorque communio; et versa vice, quanto major est communio, firmior est nexus, amorque plenior. Amorem autem nunc dico illum, quo Deus est ante omnia et super omnia diligendus : qui quidem amor omnem bonam vitam, sive singulariter, sive communiter viventium informat, ut bona sit; nec bona vita putanda est, nec etiam vita, sed imago mortis dicenda est, quam charitas Dei bonam non fecerit. Homines enim seipsos amantes, et suis desideriis servientes, viventes mortui sunt, sicut de vidua in deliciis agente Apostolus scribit, dicens : *Vidua quæ in deliciis agit, vivens mortua est* (*I Tim.* V). Ille autem vere vivit, qui voluntati Dei consentit; quia vita est in voluntate ejus. Ille vere Deum diligit, qui voluntati ejus consentit. Deus enim sic se vult diligi, ut ejus voluntati consentiatur; sic et nos amari volumus ut concordi voluntate nobis consentiatur; et qui magis nobis consentiunt, magis amici putantur. Amor certe semper consensum amat, quia amat communionem, ad quam et consensus pertinet. Nam qui consentit, cum altero communiter sentit.

At quoniam homo et bonam voluntatem habere potest, et malam, potest utique homo et bene diligi, et male. Sed melius est, bene odio haberi, quam male diligi, sicut melius est bene odisse, quam male diligere. Bene autem diligere et bene odisse, utrumque bonum et utrumque proximo debetur. Unde et inimicos jubemur diligere, et amicos odio habere. Sic, sic præcipiendum fuit, et omnino sic jiberi oportuit, ne voluntas nostra in odium inimicorum et amicorum gratiam nimis præceps, utrobique modum suæ affectionis excedat, et ad inconcessa proruat, et in immensum se extendat. Amicorum enim gratia odio temperanda est, ut non laudetur peccator in desideriis animæ suæ (*Psal.* X), quamvis amicus sit. Nemo enim proximum bene diligit, nisi qui bene odit. In dilectione autem Dei longe alia ratio est. Sicut enim toto corde, tota anima, tota mente diligendus est, sic et ipse totus diligendus est. Totus enim amabilis est, totus desiderabilis; nihil inveniri in eo potest, quod odio dignum sit, vel amore indignum. O bone Deus, o benigne, o amabilis, o amande, o desiderabilis, o amor Deus, o charitas Deus, o dulcis naturæ Deus, quanta iniquitas est in illis, qui te oderunt, et gratis! non enim demeruisti. Propter quid irritavit impius nomen tuum? Quæ utilitas, quid commodi, quid emolumenti est irritantibus nomen tuum? Pax utique multa diligentibus nomen tuum. Sed qui te oderunt, quid oderunt, nisi vitam, nisi salutem, quid nisi benignitatem, nisi misericordiam, quid denique nisi charitatem? Quia tu, Deus, charitas es. O quam longe est a salute, qui charitatem odit, et quem ipsa charitas odit! O quanta insipientia est, charitatem odisse. Hoc est enim ipsam sapientiam odisse. Tu, Domine, summa sapientia es, et te nosse sensus est consummatus; sed nosse per amorem, quia amor ipse notitia est : et quisquis te non diligit, non eum sicut oportet novit, qui tu sis; quantacunque florentis eloquentiæ gloria quis superbiat, quantacunque rerum mirabilium scientia se extollat, quantacunque rerum desiderabilium opulentia perefluat, stultus est et insipiens, si te non diligit; egens est et pauper, si te non diligit. Divitiæ enim salutis sapientia et scientia; sed illa sapientia, qua sapit, qui te diligit, quæ pretiosior est cunctis opibus; et omnia quæ desiderantur, non valent ei comparari. Custodi me, Domine, ut pupillam oculi, custodi me a gravi peccato, quod valde timeo, ab odio amoris tui, ne peccem in Spiritum sanctum, qui est amor et nexus, unitas et pax et concordia, ne dissideam ab unitate spiritus tui, ab unitate pacis tuæ, peccans peccatum, quod non remittetur hic neque in futuro. Conserva me, Domine, inter fratres meos, et proximos meos, ut loquar pacem de te; conserva me inter servantes unitatem spiritus in vinculo pacis. Fratres dilectissimi, quod ad professionem vitæ communis pertinet, sollicite agamus; unitatem spiritus servantes in vinculo pacis, per gratiam Domini nostri Jesu Christi, et charitatem

Dei, et communicationem sancti Spiritus. Ex charitate Dei unitas spiritus procedit; ex gratia Domini nostri Jesu Christi vinculum pacis; ex communicatione sancti Spiritus communio illa, quæ communiter viventibus ut communiter vivant, est necessaria. Charitas Dei unitatem spiritus operatur: qui enim adhæret Deo, unus spiritus efficitur. Charitas Dei, illa scilicet, qua diligendus est Deus, alio quidem modo necessaria est singulariter viventibus, alio vero modo communiter viventibus; et charitati quæ Deus est, similis est charitas, quæ vitæ congruit communi. Deus enim justitiam diligit, et majorem justitiam magis diligit, iniquitatem quoque odit, et majorem iniquitatem magis odit.

Temporalia vero, in quibus et pro quibus humana superbia gloriari solet, malignitas invidere, cupiditas litigare, voluptas deliciari: hæc, inquam, temporalia præ amore et desiderio æternorum, Deus vult a nobis contemni magis quam amari; tamen ad usum moderatum, prout humana necessitas exigit, contempto omni superfluitatis luxu, a nobis hæc permittit assumi; odit nimirum observantes vanitates supervacue. Si autem charitas Dei quæ est in nobis, charitati qua nos diligit Deus ita concordat ut ea diligat, quæ ipse diligit; et perfectionis æmula semper meliora sectetur, probans potiora; et in peccatis etiam levioribus vitandis semper sollicita, si quæ Deus vult contemni, ea quoque contemptibilia ducat; tunc hæc ipsa charitas Dei unitatem Spiritus operatur in nobis: et, sicut unigenitus Filius Dei cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti vivit, unus est enim Spiritus Patri cum Filio; sic et nos tanquam filii adoptionis sub Deo Patre in unitate spiritus vivimus, in quo clamamus: *Abba Pater* (*Rom.* VIII). Clamamus quidem tanquam de longinquo, utpote inferiores longe lateque inæquales, sed tamen aliquo modo similes; non sicut unigenitus Filius Dei, qui est ad dexteram Patris per omnia æqualis. Ipse enim invocare magis dicitur, quam clamare, sicut scriptum est: *Ipse invocabit me, Pater meus es tu* (*Psal.* LXXXVIII). Hæc autem unitas, quam in nobis efficit charitas Dei, servatur in vinculo pacis per gratiam Domini nostri Jesu Christi. Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum; in cujus nativitate concinunt angeli: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II). Qui ascensurus in cœlum discipulis dicit: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* (*Joan.* XIV). Quænam est hæc pax, quæ a Christo nobis datur, in cujus pacis vinculo unitas spiritus servatur? Hæc est mutua charitas, qua nos invicem diligimus, quæ non rumpitur, si idipsum dicamus omnes, et non sint in nobis schismata. De hac B. Petrus admonet, dicens: *Ante omnia mutuam charitatem continuam habentes* (*I Petr.* IV). Quæ est mutua charitas, nisi quæ mea est et tua, ut de ea ad alterum, quem diligo, loquar? Si autem diligam te, non dilectus a te; vel si dilectus a te, non diligam te; nondum charitas mutua est, quæ vel mea vel tua non est: mutua

A enim charitas communis est, et amoris communione non caret. Quæ autem mutua est, hanc et continuam esse oportet; alioqui vinculum pacis non erit, nec nexus amoris. Continua est quæ veritate solidatur, quæ nec odiis, nec suspicionibus interrumpitur, quæ mutuis obsequiis, mutuaque patientia semper fovetur, nutritur, et, ne deficiat, diligenter et caute custoditur, et nulla simulatione adumbratur. Hæc autem charitas eorum est, qui se in Christo vere diligunt, non verbo neque lingua, sed opere et veritate. Hanc charitatem Christus cordibus nostris altius imprimit, infigit, inscribit verbo et exemplo, dicens: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos* (*Joan.* XV). In hac autem charitate, sicut in vinculo pacis, unitas spiritus servatur.

B Hæc est ergo lex vitæ communis, unitas spiritus in charitate Dei, vinculum pacis in mutua et continua charitate fratrum omnium, communio in omnibus bonis communicandis, omni occasione habendæ proprietatis a sanctæ religionis proposito procul relegata. Ut hæc in nobis sint, et in nobis maneant, tanquam habentibus cor unum et animam unam et omnia communia: *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus, sit cum omnibus nobis. Amen* (*II Cor.* XIII).

De mutua charitate inter communiter viventes.

Consulamus super mutuæ charitatis concordia ipsam naturam nostram, naturam corporis nostri: ipsa enim admonet de pace servanda. Multi quidem C unum corpus sumus, alter autem alterius membra. Unus autem spiritus totum corpus nostrum per membra et juncturas et compages eorum vivificat, pacemque mutuam conciliat, in qua ipsa unitas spiritus conservatur; conciliat autem in mutuis obsequiis membrorum, mutuaque patientia. Attendite et videte, quomodo quæ singula sunt propria, toti utilitati deserviant. Oculus non tantum sibi videt, sed pedes dirigit in gressibus suis, et manus in operibus suis. Os non tantum sibi comedit, nec stomachus digerit, sed commune negotium geritur, et quod toti corpori nutriendo et sufficiat et proficiat, ore sumitur, stomacho digeritur. Nonne lingua, si qua pars corporis læditur, quasi affectum compatientis et vocem patientis assumens, contra lædentem cla-D mat, quid me lædis? Nonne cor de communi utilitate sollicitum consilia disponit apud se, ita et pro aliis, sicut et pro se? Nonne manus ad ministrandum natæ, et ad serviendum devotæ, ut quotidiana docet experientia, ad obsequium pedum sese humiliant? Quid si manus, ut nonnunquam accidit, altera ab altera vulneretur, numquid quæ læsa est, zelo vindictæ armatur, et percussa repercutit? Nonne illa quæ læsit, quasi reatus sui conscientia, et quasi dolore pœnitentiæ compuncta, velut satisfactionis nomine sorori læsæ medelam curationis, quam meliorem potest, adhibere festinat? Nonne ipsa obsequii humilitate pro venia supplicat, et ut sibi ignoscatur, exorat? Nonne devota sedulitate et suæ benignitatis studio omnem malignitatis suspicionem

excusat? Est et aliud, quod nos ædificare possit. Si præsenserit oculus minacem gladium in caput feriendum vibrari, mox quasi inconsulte aut amoris aut furoris calore manus se interponit, et gladio opponit, aut etiam occurrit; et in suum periculum festina, dum capiti metuit, sibi non metuit; et ut parcatur capiti, non parcit ipsa sibi. Fratres in Christo amantissimi, quo nos trahunt hæc exempla, nisi ad mutuam patientiam, mutuam humilitatem, mutuam charitatem? Nonne Deus scripsit legem amoris in nobis, quæ nos erudiat de nobis? Si qui legem dedit, det nobis et benedictionem, et pascat nos in innocentia cordis nostri, et in intellectibus manuum nostrarum deducat nos in viam pacis, ad servandam unitatem spiritus in vinculo pacis, ad conservandam dilectionem Dei in dilectione proximi. Si unanimiter et concorditer secundum professionis nostræ puritatem Deum diligimus, procul dubio charitas Dei per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris, unusque spiritus Dei quasi unum corpus omnes nos vivificat, ut nemo nostrum sibi vivat, sed Deo; utque omnes nos simul per unum spiritum qui habitat in nobis in unitate spiritus vivamus. Hæc autem unitas spiritus, quæ in charitate Dei invenitur in nobis, per dilectionem proximi servatur in nobis, ut maneamus simul in dilectione Dei; et manentes in hac dilectione maneamus in Deo, et Deus in nobis. In dilectione Dei innotescit, et convalescit, et coalescit dilectio Dei. Deus quidem seipso contentus esse potest, et in omni bono ipse sibi sufficiens est, et bonorum nostrorum non eget, nec ei quisquam nocere potest, si non amat, nec prodesse, vel præstare, si amat. Propterea cum omnia bene fecerimus, dicendum a nobis est, servi inutiles sumus (*Luc.* XVII). Quidquid enim boni fecerimus, nobis prodest, magis quam illi. Verumtamen quoniam diligendus est Deus, non verbo neque lingua, sicut dilexerunt, de quibus scriptum est: *Dilexerunt eum in ore suo, et lingua sua mentiti sunt ei* (*Psal.* LXXVII); Deus qui beneficiis in se non indiget, quasi delegavit nobis fratres et proximos nostros, qui indigent, ut vice ipsius beneficia a nobis præstanda suscipiant. Nemo igitur de dilectione Dei sibi blandiatur, nemo se decipiat, putans se amare Deum, quem non amat, si proximum non amat. Si non habet omnis homo unde experimentum capiat sui, unde seipsum probet; si non diligit proximum quem videt, quem præsentem habet, quasi a Deo sibi delegatum, cui charitatis debitum solvat; Deum, quem non videt, qui se præsentem non exhibet, quippe qui non indiget, quomodo potest diligere? Quonam alio modo potest Deo beneficia præstare, nisi illi præstando, in quo Deus indiget, qui in se non indiget? Deus enim in membris suis petit et accipit, diligitur et contemnitur. In dilectione ergo proximi, sicut per nexum amoris et vinculum pacis, charitas Dei et unitas Spiritus retinetur a nobis, et conservatur in nobis. Qui enim non diligit fratrem, ab unitate Spiritus recedit, nec Deum diligit nec Spiritu Dei vivit, sed suo spiritu, quia jam sibi vivit, et non Deo.

Item de communione gratiæ.

Ad dilectionem proximi communio pertinet, et ubi plena est dilectio, plena est communio; plena communio non est, quam omnium communio, sicut scriptum est: *Erant omnia communia* (*Act.* II). Sed movere nos potest, quod sequitur: *Dividebatur singulis, prout cuique opus erat* (*Act.* IV). Quid communioni et divisioni? quid communioni et proprietati? Si singulis dividebatur, prout cuique opus erat, in singulorum usum et proprietatem cedebat, quod cujusque necessitas requirebat. Si habebant singuli varias necessitates, et propter illas propria subsidia, si proprias infirmitates, et contra illas propria remedia; si aliquam propriam desolationem, et contra illam propria solatia; quomodo erant illis omnia communia, cum singulis nonnulla essent propria? Aggravat hanc quæstionem Apostolus, dicens: *Unicuique datur manifestatio Spiritus ad utilitatem* (*I Cor.* XII); et: *Unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic* (*ibid.*). Et iterum: *Divisiones gratiarum sunt, et divisiones ministrationum sunt, et divisiones operationum sunt* (*I Cor.* VII). Quomodo ergo potest esse communio omnium, ubi tot sunt divisiones gratiarum, ubi sunt propria dona singulorum? Ad hæc quid dicemus? Et ad hæc quis idoneus? Hoc labor est ante me. Videamus tamen, si nodus amoris, qui solvi non debet, solvere possit nodum hujus quæstionis. Potest utique. Novit enim charitas suo arbitrio proprietatem ad communionem reducere; non ita tamen ut proprietas non sit, sed ita ut proprietas ad communionem conducat, ut communioni non obsistat, ut communionis bonum non impediat. Divisio vel proprietas, quæ communionis bonum impedit, a charitate aliena est. Charitas enim communionem amat, amat quoque proprietatem, quæ ad communionis bonum proficit, vel communionem non impedit: communio enim sine proprietate esse non potest; quamvis sine bono communionis esse possit. Quomodo enim erit aliquid commune, si proprietas non discernat alterum ab altero, quibus sit aliquid commune? In illa etiam summa et individua Trinitate est unica unitas, una æternitas, una virtus, una sapientia, una vita, una essentia, tribus personis communis. Proprietate vero persona a persona discernitur, quibus est una beatitudo communis. Nec commune bonum impedit, quod solus Pater pater est: Pater enim non sibi Pater est, sed Filio, quem de sua substantia genuit, et gignendo dedit vitam habere in semetipso. Et ut sermonem ad ea, quæ nobis magis nota sunt per consuetudinis experientiam, convertam; proprietas qua homo pater est, communionem humanæ naturæ non impedit, sed per generationem natura de altero in alterum propagatur, nec communioni naturæ proprietas generationis præjudicat. Non minor virtus est gratiæ, quam naturæ creatæ. Excellens autem gratia cha-

ritas est, quæ in cordibus sanctorum diffunditur. Spiritus enim sanctus, per quem charitas diffunditur, effusionem amat, nam et ipse effunditur. *Effundam*, inquit Dominus, *de spiritu meo* (*Joel.* II). Quisquis ergo proprium donum habet ex Deo, sic habeat, ut non sibi soli habeat, sed Deo, sed proximo: Deo quidem, ut ex dono Dei non quærat suam gloriam, sed gloriam Dei. Proximo vero, ut communem utilitatem semper attendat, non propriam. Charitas enim non quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi. Communionem enim amat, non proprietatem sine communione. In tantum autem amat communionem, ut bona ad jus suum pertinentia ab alio possessa interdum repetere nolit. Liberalis est enim charitas, et fugitans litium, non quærit quæ sua sunt, non vult judicio contendere, ubi ipsa charitas periclitatur: mavult fraudem pati, quam ipsa perire; pati damnum, quam dispendium sui. Cur contentiose repeteret, quæ non habet, quæ prompta est dare quæ habet? Nam proprium cujusque donum trahit ad communionis bonum, ut quod unius est proprietate accepti doni, alterius fiat utilitate communicati boni. Hinc beatus Petrus dicit: *Unusquisque sicut accepit gratiam ad alterum administrantes. Si quis loquitur, quasi sermones Dei; si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus, ut in omnibus honoretur Deus* (*I Petr.* IV). Paulus quoque dicit: *Unicuique data est manifestatio Spiritus ad utilitatem* (*I Cor.* XII). Quæ est manifestatio Spiritus ad utilitatem data, nisi donum gratiæ ad proximorum utilitatem manifestandam, et quantum decet publicandam? Qui sapiens est, non sibi sit, sed dicat: *Sine fictione didici, sine invidia communicavi* (*Sap.* VII). Qui habet, communicet non habenti, sicut monet, qui dicit: *Date et dabitur vobis* (*Luc.* VI). Avaritia enim, quæ animo non communicandi sibi retinet quod habet, quantum communioni est contraria, tantum charitati est inimica. Si apud gentilem poetam homo gentilis sine vera fide, sine vero Deo, sine vera spe veræ resurrectionis, et veræ beatitudinis ita laudatur, ut eum dicat:

Non sibi, sed toti natum se credere mundo;

quanto magis apud homines Christianos, et maxime apud viros religiosos vitæ communis professores, ratio communionis in omnibus est habenda, in omnibus præferenda! ut qui sibi bonus est, aliis quoque bonus sit, et non gravis; qui sermonem sapientiæ vel scientiæ habet, qui gratiam operationis vel administrationis habet, qui aliam quamcunque majorem vel minorem gratiam habet, sic habeat, quasi propter alios a Deo sibi datam; semperque timeat acceptam gratiam sibi obesse, si non studet ex ea alteri prodesse. In vacuum enim gratia Dei accipitur, si ex ea gloria Dei, et utilitas proximi non quæratur. Tunc sane gratia Dei convertitur in gloriam Dei, si proprium cujusque a Deo donum deducitur in commune bonum. Et communicatio sancti Spiritus tunc vere nobiscum est, cum donum quod

A sigillatim singulis datur, per communionem amoris communiter possidetur.

Item de communione gratiæ, et de communione gloriæ.

Spiritus sanctus communio est, et communionem in tantum amat, ut velit ipse dari. Ipsa enim benignitas est. Nec contentus est sua dare, nisi et seipsum dederit; sed his quos tanti doni acceptione dignos ipse fecerit. Donum enim est, et ab æterno fuit summum bonum et summum donum. Qui vere acceptam Dei gratiam usu et utilitate proximo communicat, ille vere habet quod accepit, et habenti dabitur et abundabit. Ei vero qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo. Gratia Dei credita et accepta, quasi in nomen et causam mutui transit.
B Accipientem enim obligat Deo et proximo. Deo quidem, ad gloriam reddendam; proximo ad gratiam communicandam. Qui communicat gratiam, miseretur proximo. Qui reddit, gloriam tribuit Deo. Et hic est justus, qui miseretur et tribuit. Injustus enim esset, si debitum non solveret; si contra fidem conventionis, et contra rationem crediti et accepti veniret. Hinc scriptum est: *Mutuabitur peccator, et non solvet* (*Psal.* XXXVI). Mutuatur, quando accipit; non solvit, quando non restituit. Et in hoc peccator est, quia mutuatur et non solvit. Non solvit, quia proximo non communicat, nec Deum glorificat. Exigit enim Deus de collata gratia et quod nondum dederit. Usuram enim requirit, et metit ubi non
C seminavit, congregat quæ non sparsit. Metit in malis, congregat in bonis. Ad malos in fine missurus est messores angelos, quos de lucro non reportato condemnabit, quando colligent angeli zizania, et alligabunt ea fasciculos ad comburendum (*Matth.* XIII). Bonos autem congregabit sicut triticum in horreum suum, remunerans in eis quod ipse dedit, et lucrum reportatum quod accipit. Congregat quæ non sparsit, ipse scilicet per se sine illis, quibus dedit. Illi autem sparserunt, qui dona accepta proximis communicaverunt, euntes et fructum ferentes, sicut ii de quibus scriptum est: *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua* (*Psal.* CXXV). Nec ad duritiam Domini videtur pertinere, quod de bonis, sed quod de malis dictum est. Si autem utrumque de
D malis intelligi potest, vel utrumque de bonis, salva pietate Dei, aliquo modo ostendendus est durus esse Dominus, qui ad suam duritiam in altero, vel in utroque demonstrandam, duo dicit: *Meto ubi non seminavi; congrego, ubi non sparsi* (*Matth.* XXV). Ergone Deus durus est Dominus? Quis hoc audeat dicere? Sed quis audeat contradicere Spiritui Dei? Nonne in Spiritu loquens dicit Propheta: *Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris?* (*Psal.* XVII.) Et cum Propheta diceret: *Quam bonus Israel Deus*, subjunxit, *iis qui recto sunt corde* (*Psal.* LXXII), significans quibus bonus sit. Durus enim Dominus videbitur iis qui duro sunt corde. Quos et ipse indurat justo judicio, quamvis occulto. Forte videor destruere, quod prius ædificavi. Nam, cum de

benignitate et charitate Dei sermonem institui, ad demonstrandam duritiam indignationis ejus contra malos sermonem retexi. Sed ex contraria collatione veritas interdum melius clarescit. Nam, cum scriptum sit : *Benignus est Spiritus sapientiæ, et non liberabit maledictum a labiis suis* (*Sap.* I), ne benignitas Dei in occasionem et securitatem peccandi assumatur, quasi non velit peccata districte punire hoc præmisso, *Benignus est Spiritus sapientiæ*, sive adjungitur, *non liberabit maledictum a labiis suis*. Benignus est autem iis qui communitatis studio bonum collationis amant; benignus est illi, qui bonum quod habet, alteri habet; benignus est et illi, qui bonum quod non habet, amat in altero, qui habet. Duobus modis divisiones gratiarum ad communionem reducuntur, cum dona quæ singulis sigillatim dantur, per communionem amoris communiter habentur, et cum per amorem communionis communiter amantur. Communis est enim gratia quodammodo habenti et non habenti, cum is qui habet, alteri habet, quia communicat; et qui non habet in altero habet, quia amat. Proprias quoque necessitates et infirmitates singulorum ad communionem trahit Spiritus sancti communicatio. Sicut enim charitas patiens est, ita et compatiens; et qui patienti compatitur, alienam necessitatem suam facit, ut ambobus communis sit una necessitas. Nam alterius necessitas est per passionem dolendi, alterius per affectum condolendi. Quod si necessitates justorum communes sunt, consequens est ut et consolationes eorum communes sint. Qui enim novit per affectum charitatis cum flentibus flere, novit et cum gaudentibus gaudere. O quantum abundabat affectibus amoris, et visceribus charitatis Apostolus, cum diceret: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* (*II Cor.* XI.) Et quod ipse facit, hoc monet esse faciendum, dicens : *Alter alterius onera portate* (*Galat.* VI) ; nec sibi obloquitur, cum dicit : *Unusquisque onus suum portabit* (*ibid.*). Nam de onere peccati hoc recte intelligitur. Solum enim peccatum ad communionem charitatis non admittitur. Quidquid enim boni facimus, communiter prodest, quamvis non æqualiter bonum quid sit communiter amantibus. Mutuis enim precibus mutuisque meritis apud Deum vicissim adjuvari speramus, et meritis et precibus sanctorum quos amamus, et a quibus amari desideramus, ad consequendam veniam peccatorum gloriamque promerendam apud Deum magnam fiduciam obtinemus; maxime si merita eorum recolentes, fidem, charitatem, patientiam, pietatem intuentes, zelamus, amamus, si ad æmulationem provocamur, si ad imitationem virtutum accendimur. Si ex propriis meritis quis judicandus esset, ita ut aliena merita per commu- [A] nionem charitatis suffragari non possent, pondus divini judicii quis posset portare? Nam et iniquitates nostræ multæ sunt et magnæ, et Propheta dicit : *Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit?* (*Psal.* CXXIX.) Et bona opera nostra insufficientia sunt, et universæ justitiæ nostræ sicut pannus menstruatæ. Et, sicut scriptum est : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII). Ergone desperabimus? Absit omnino, absit! Quia Deus charitas est. O Deus charitas, vim patior, responde pro me, quid dicam, aut quid respondebit mihi? Aut si ætatem habeo, imo quia habeo, ut pro me loqui debeam; ore profiteor, quod corde credo. Credo, Domine, in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam [B] catholicam, sanctorum communionem. Hic est spes mea, hic est fiducia mea, hic est confidentia mea, hic est quantulacunque securitas mea in confessione fidei meæ; in benignitate Spiritus sancti, in unitate Ecclesiæ catholicæ, in communione sanctorum. Si mihi datum fuerit desuper diligere te, et diligere proximum meum, quamvis merita mea parva sint et pauca, supra merita mea spem habeo ampliorem, confidens per communionem charitatis merita sanctorum mihi profutura, ut insufficientiam et imperfectionem meam supplere valeat sanctorum communio. Consolatur me Propheta, dicens : *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis* (*Psal.* CXVIII). O lata et dilatans charitas, quam [C] magna est domus tua, et ingens locus possessionis tuæ! Ne angustiemur in visceribus nostris, ne arctemur intra fines et limitem quantulæcunque justitiæ nostræ. Dilatat charitas spem nostram ad communionem sanctorum, in communione meritorum et communione præmiorum; sed communio præmiorum futuri temporis est, communio scilicet gloriæ, quæ revelabitur in nobis. Cum itaque tres communiones sint, communio naturæ, cui annexæ sunt communio culpæ, et communio iræ; altera gratiæ, tertia gloriæ: per communionem quidem gratiæ incipit reparari communio naturæ, et excluditur communio culpæ; per communionem vero gloriæ perfectissime reparabitur communio naturæ, et omnino excludetur communio iræ, quando Deus [D] absterget omnem lacrymam ab oculis sanctorum : et tunc omnium sanctorum erit quasi cor unum et anima una ; et erunt illis omnia communia, quando erit Deus omnia in omnibus. Ut ad hanc communionem omnes perveniamus, et in unum conveniamus; *gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio sancti Spiritus, sit semper cum omnibus nobis. Amen* (*II Cor.* XIII).

TRACTATUS DECIMUS SEXTUS

Perfectorum religiosorum encomium continens in illud : *Candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, pulchriores sapphiro* (*Thren.* IV).

Pulchritudinem Nazaræorum describit sermo propheticus, quam miris laudibus effert, miris præconiorum titulis extollit et superextollit. Laudat enim in Nazaræis candorem, laudat et nitorem, laudat et ruborem. Cumque hæc tria ad pulchritudinem pertineant, et gratiam pulchritudinis augeant, postremo

tamen ipsam pulchritudinem nominatim laudat. Et hæc omnia laudat, non simpliciter, sed ex comparatione, ut ex collatione rerum laudabilium magis magisque clarescant; non ex qualitate parilitatis illis collata, sed præcellentis dignitatis honore prælata. Cumulatior est gloria laudis, cum id quod eminet, præeminet; cum quod excellit, præcellit; perfectaque gloria laudis tunc est. cum res quæ sua virtute propriisque meritis subnixa, in se laudabiliter constat, ipsa eadem cæteris laude dignis laudabilius præstat. Laudatur in Nazaræis pulchritudo, non corporum, sed morum; non gloria carnis, sed mentis, sed virtutis, sed honestatis. Habet quidem gloria carnis nonnullam gratiam in oculis carnis, sed vanam, sed fallacem, sicut scriptum est: *Fallax gratia est, et vana pulchritudo* (*Prov.* XXXI). Quid est vana pulchritudo, nisi pulchra vanitas? Aut quid est fallax gratia, nisi grata fallacia? Grata est, sed fallacia; fallacia est, sed grata. Cernentibus quidem gloriose placet, sed spectantes fallit, et intuentium oculos quasi quibusdam præstigiis illudit. Nam, si interioris oculi acumine intima humani corporis penetrantur, quid est pulchritudo carnis, nisi velamentum turpitudinis? nisi prætextus quidam latentis ignominiæ et confusionis? Sub gloria enim carnis latent occulta dedecoris, quæ pudor est nominare; sed et ipsi homini horror etiam cogitare. Homo siquidem putredo est, et filius hominis vermis. Quod si ita est, imo quia ita est, quid est pulchritudo filii hominis, nisi pulchritudo vermis? quidve pulcher homo, nisi pulchra putredo? Quid denique superbus homo, nisi vilissimæ corruptionis generosa propago? qui cum beato Job dicere possit putredini: *Pater meus es, mater mea et soror mea vermibus?* (*Job.* VII.) Corporalis ergo pulchritudo, etsi gloriam habeat apud homines, sed non apud Deum, quippe quæ virtute meriti caret, et spem præmii non habet. Internus arbiter Deus, cordis inspector, interiorem amat pulchritudinem. Filiam regis alloquitur Propheta, dicens: *Concupiscet rex decorem tuum* (*Psal.* XLIV); et ubi sit decor ille, ne quem lateat, quia intus est, subinfert: *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis* (*ibid.*). Nazaræorum vero decor intus est, non foris. Qui sic cognominati sunt a flore sanctificationis, non a flore feni, flore carnis. Omnis enim caro fenum, et omnis gloria ejus sicut flos feni. Scriptum est: *Justus ut palma florebit* (*Psal.* XCI). Et iterum: *Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt* (*ibid.*). Et alia Scriptura dicit: *Florete flores, quasi lilium, et frondete in gratiam* (*Eccli.* XXXIX). Ubi floret lilium? Christus in Nazareth concipitur, flos in flore virginitatis et sanctificationis. De Christo enim sic Pater dicit: *Super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea* (*Psal.* CXXXI). Et Christus de se: *Ego flos campi, et lilium convallium* (*Cant.* II). In libro Sapientiæ legitur: *Florete flores quasi lilium* (*Eccli.* XXXIX) Christus dicit: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum* (*Levit.* XI). Hujus lilii odorem spirant et redolent omnes Nazaræi. Nam, qui tempore legis fuerunt Nazaræi, Domino sanctificati, in figura Christi præcesserunt, et futuros Christi imitatores abstinentia sua et moribus expresserunt, abstinentes a vino et sicera, et omni quod inebriare potest. Sed et filii Jonadab abstinebant a vino. Præcepit enim Jonadab filiis suis, ut non biberent vinum. Et illi quidem voci patris sui obedierunt. Propterea hæc dicit Dominus: *Non deficiet de stirpe Jonadab cunctis diebus stans in conspectu meo* (*Jer.* XXXV). Si juxta vocem Domini cunctis diebus non deficit de stirpe Jonadab stans in conspectu ejus: ergo et his diebus nostris sunt filii Jonadab, imitatores Christi, stantes in conspectu Domini. Christus enim verus est Jonadab, in omni obedientia spontaneus et voluntarius, quod sonat nomen Jonadab. Spontaneus est, qui dicit: *Voluntarie sacrificabo tibi* (*Psal.* LIII). Nazaræus et spontaneus est, cujus illa vox psalmi est: *Et refloruit caro mea; et ex voluntate mea confitebor ei* (*Psal.* XXVII). Quod dicit, *ex voluntate mea*, ad Spiritum pertinet; quia ubi est Spiritus, ibi libertas. Quod præmittit, *et refloruit caro mea*, non pertinet ad præsentem gloriam delicatæ carnis, quæ est flos feni; sed ad spem gloriosæ resurrectionis, et ad florem sanctificatæ carnis, quæ cum vitiis et concupiscentiis mortificatur.

De candore Nazaræorum.

Abstinentia Nazaræorum et filiorum Jonadab sacramentum fuit, et exemplum, et signum. Illis quidem fuit sacramentum ad sanctificationem, nobis exemplum ad imitationem, et signum ad eruditionem. In hoc enim ad triplicem abstinentiam spiritualiter informamur. Tria siquidem sunt, quæ mentes hominum ebriosa oblivione et obliviosa ebrietate ab amore Dei alienant: amor animæ, amor carnis, amor mundi, hoc est amor propriæ voluntatis, amor carnalis voluptatis, amor mundanæ vanitatis. Amor mundi vanus est, amor voluptatis dulcis est, amor propriæ voluntatis pertinax est. Tanto enim pertinacius et pervicacius anima seipsam amat, et sibi quodammodo hæret, quanto difficilius ipsa a se avelli vel separari potest. Vix enim quidquam anima plus amare potest quam propriam voluntatem, propriamque sententiam. Propterea cum a propria voluntate retrahitur, quasi a se avulsa velut inflicto vulnere cruentatur. Amor propriæ voluntatis vinum est mentem inebrians, et omnes sensus ejus perturbans; ut puta auditum, ne audiat obedientiam; oculos discretionis, ne videant veritatem; cæterosque sensus officiis suis destituit, in medio eorum miscens spiritum vertiginis. Non est hoc vinum, quod mœrentibus jubetur dari. Mœrentes et propriæ voluntatis peccata lugentes inebriantur vino compunctionis, et potantur a vino quod lætificat cor hominis in repromissione et spe veniæ. *Beati enim qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur* (*Matth.* V). De hujusmodi dicitur: *Date vinum mœrentibus, et siceram iis qui amaro sunt animo* (*Prov.* XXXI). Econtra dicitur:

A *Noli regibus, Lamuel, noli regibus dare vinum; quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas, ne forte bibant et obliviscantur judiciorum Dei* (*ibid.*). Vinum propriæ voluntatis eliquatum est, et expressum in torculari inobedientiæ, de uva acerba, quam comederunt patres nostri, et dentes filiorum obstupuerunt. Adam pater inobedientiæ vinum hoc propriæ voluntatis miscuit, et poculum mortis solus suis propinavit; quasi diceret: *Bibite ex hoc omnes* (*Matth.* XXVI). Et adhuc quidem bibunt ex eo omnes peccatores: Christus econtra, qui non venit facere voluntatem suam, sed Patris, calicem obedientiæ usque ad mortem propinavit, nobis dicens: *Bibite ex hoc omnes.* Ex hoc, inquit, quod ego ministro, non quod Adam ministravit. Judæi increduli et inobedientes, Domino in cruce pendenti et sitienti salutem B eorum, obtulerunt vinum, quale fuit in reprobis moribus eorum; *et cum gustasset, noluit bibere* (*Matth.* XXVII). Non enim approbavit, a vino abstinens tanquam Nazaræus. Erat enim de uva fellis, de vinea Sodomorum et de suburbanis Gomorrhæ (*Deut.* XXXII). Vinum hoc propriæ voluntatis et inobedientiæ interdicitur Nazaræis, et filiis Jonadab, ne bibant illud. Bonum est enim homini non bibere hoc vinum. Norunt hoc, qui omnem voluntatem suam suspectam habent, qui se sibi non credunt, sed alieno arbitrio sese regendos committunt, qui semper trepidant a se et quasi per se aliquid velle. Et propterea vinculis obedientiæ sese ligant, et sub legibus regularis disciplinæ sese C coarctant, et voluntatem suam in necessitatem convertunt, et libertatem in servitutem redigunt; sed hæc omnia propter Christum, ut in Christo servitus libera sit, et necessitas voluntaria. Tanto enim in Christo sunt liberiores, quanto ad obediendum ei ex propria sponsione facti sunt obligatiores. Hæc est prima, hæc est præcipua abstinentia Nazaræorum.

Sicera vero carnalis voluptatis, et ipsa expressa est in torculari inobedientiæ, quasi de pomo ligni vetiti. Vidit enim mulier, quod esset pulchrum visu, et ad vescendum suave (*Gen.* II). Ibi nata est voluptas gulæ, concupiscentia carnis et concupiscentia oculorum. A sicera abstinent Nazaræi, qui curam carnis non perficiunt in desideriis, D qui per abstinentiam et continentiam et disciplinam, mortificationem Jesu in carne sua circumferunt. Abstinent et ab omni quod inebriare potest, quia multiplices vitæ sæcularis errores fugiunt, rebus perituris fidem non habentes, et omnem gloriam mundi quasi sub pedibus calcant, cernentes terram de longe. In hac perfectione triplicis abstinentiæ consistit candor Nazaræorum; et hic candor super candorem nivis. Nix est candor abstinentium; sed discernitur abstinens ab abstinenti, et candor a candore, sicut perfectio ab imperfectione. Hinc scriptum est: *Dum discernit cœlestis reges, super eam nive dealbabuntur in Selmon* (*Psal.* LXVII). Qui mundo licite utuntur, quasi nive candidati sunt; sed qui mundo non utuntur, candidiores sunt. Illorum candor est ab illicitis abstinere, istorum candor etiam a licitis temperare. Illi turbantur, et solliciti sunt erga plurima; quia multa amant præter Deum, et non propter Deum, etsi nil plus quam Deum; et est illorum amor divisus. Nam quantum amoris rebus perituris impenditur, tantum perfectioni divini amoris subtrahitur. Semper enim minus est quod est sparsum, quam quod est in uno collectum. Aqua per rivos plurimos divisa in singulis minoratur; sic est et amor. Hinc quidam, quamvis de vano amore, de amore tamen:

Secta bipertito cum mens discurrit utrinque,
Alterius vires subtrahit alter amor.

Colligamus ergo totum amorem in unum, ne spargatur per plurima, et omnes affectiones et intentiones amoris a multis revocemus, ut totus amoris impetus in unum et ad unum currat; ad illud scilicet unum, quod tota dilectione dignum est: cui totus amor debetur; cui digne amando vix totus amor sufficere potest. Nonnulla enim fit injuria, cum ex parte subtrahitur, cui totum debetur. Hic est candor super candorem nivis. Hunc forte candorem desideravit, qui ait: *Lavabis me, et super nivem dealbabor* (*Psal.* L).

De nitore Nazaræorum.

Nazaræi hoc titulo laudis honorantur, ut candidiores nive dicantur; et ut laus laude cumuletur, additur: *Nitidiores lacte.* Oleum, lac, adeps, pinguedinem habent et nitorem. Hæc est misericordia, de qua Dominus ait: *Misericordiam volo, et non sacrificium* (*Ose.* VI). Nitorem et dulcedinem lactis hi habent, qui necessitatibus indigentium misericorditer subveniunt, ut potentur a lacte, et satientur ab uberibus consolationis eorum. Sunt autem, quædam necessitates corporales, quædam spirituales. Indiget enim corpus multis necessitatum subsidiis, indiget multis infirmitatum remediis. Indiget et anima iis, quæ sibi necessaria sunt ad spiritualem consolationem veramque salutem. Plerumque justi hi qui secundum carnem infirmi sunt, circa corporales proximorum necessitates majori pietate et affectione moventur; magisque student esurientem pascere, quam errantem ad viam veritatis reducere. Tenerius, credo, circa ea infirmantur, ad quæ toleranda seipsos infirmos sentiunt, et quasi domestico edocti exemplo paupertati amant pro Christo compati. At qui animas proximorum perfectius quam corpora amant, eos sustinent pro Christo pati, Deo zelant, circa spirituales necessitates affectuosius moventur, cum infirmis infirmantur; pro scandalum patientibus uruntur. Inter secretas lacrymas, et secreta cum Deo colloquia, pro inimicis orant et plorant; pro alienis peccatis dolent et lugent, et in visceribus charitatis, et in intima medulla pietatis proximos suos qui ignorant et errant, Deo cui in Spiritu suo serviunt, lacrymosis suspiriis commendant. Sæpe tamen circa corporales necessitates, quasi duri et sine affectione videntur: et

forte quia paupertatem in se sponte patiuntur, minus ei in aliis compatiuntur. Nec paupertatem miseriam reputant, sed salutis viam; securiusque existimant mediocriter egere, quam superfluis abundare; et miserabiliores judicant divites in sua abundantia pereuntes, quam pauperes ad tempus salubriter egentes. Vera autem misericordia utriusque necessitatis compassionem habet, sed majoris majorem, minorisque minorem. Magna misericordia est condolere proximis, eo quod egeant; sed longe major est curare ne pereant. Magna affectio est misericordiæ dolere de malis quæ patiuntur homines. Utriusque misericordiæ exemplum in se Christus exhibuit. Videns enim turbam prope deficientem dixit: *Misereor super turbam* (*Marc.* VIII), et multiplicatis panibus corporali beneficio spiritualis gratiæ mysterium figuravit. At cum videret civitatem Jerusalem, flevit super eam, dicens: *Quia si cognovisses et tu* (*Luc.* XIX). Et cur ipse fleret, vel cur illi flendum esset, subdidit dicens: *Et nunc quidem in die hac, quæ ad pacem tibi.* Cum duceretur Dominus ad passionem, conversus ad mulieres, quæ præsentes aderant et flebant, dixit: *Nolite flere super me, sed super vos, et filios vestros* (*Luc.* XXIII). Major ergo est zelus animarum, quam pius affectus circa passiones corporum. Ille nitor lactis est, hic olei, quod omnibus liquoribus superfertur. Ille quasi exterior pinguedo est in sacrificio; hic est adeps interior. Ille divitibus familiaris est, sua misericorditer tribuentibus; alter Nazaræis magis est accommodus. Ibi enim intima medulla sinceræ dilectionis ad proximum. Ad quid enim magis diligendi sunt proximi consortes unius naturæ, nisi ut sint participes communis gloriæ? Proinde Nazaræi zelum animarum præferentes, et necessitates corporum nullomodo contemnentes, quasi gemino nitore prænitente, ut lacte candidiores, nitorem gratiæ et gloriæ apud Deum semper habent, qui ait: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* V). Qui communem vitam professi sunt, quibus in futura vita omnia communia futura sunt, sic interim sua communicant, ut nil velint sibi superesse, quod aliis possit prodesse; et totum reputant superfluum, quod in communionis gratiam non fuerit deductum; nil libeat habere proprium, sicut nil licet usurpare alienum.

De rubore Nazaræorum.

In describenda facie Nazaræorum color colori appingitur; candori et nitori rubor adjungitur, ut sit facies eorum per gratiam candoris luculente colorata, per gratiam ruboris hilariter affecta. Rubor in facie caloris aut pudoris indicium præferre solet. Rubicundi sunt Nazaræi calore devotionis fervidi, et honestatis reverentia pudibundi. Zelo enim zelantes in lege Dei, non solum fervent ad studium virtutis, sed ardenter amant pulchritudinem honestatis. Delicati sunt sensus eorum, ad omnem turpitudinem erubescunt. Omne quod inhonestum est abominantur; ad omne quod non decet, verecun-

A duntur; pudici et verecundi sunt sensus eorum. Pudet inhonesta videre, pudet non de se solum, sed et de aliis turpia audire; pudet turpia dicere, pudet et cogitare, juxta quod quidam ait: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine* (*Job* XXXI). Pudet et turpia fecisse, sicut de quibusdam Apostolus ait: *Quem fructum habuistis tunc, in quibus nunc erubescitis?* (*Rom.* VI). Parum est ad laudem Nazaræorum ut rubicundi dicantur, nisi et ebori antiquo præferantur. Ebur, ut aiunt, os elephantis est. Elephas est animal ossibus exstructum, robustum et firmum, adeo ut sufficiat belli machinas et ædificata desuper propugnacula sustinere. Talis est fortitudo sanctorum, habens sicut ebur inter ossa excellentem gloriam soliditatis, firmitatis et pulchritudinis.

B Si caro infirma est, ut infirmitatem sanctorum possit designare, cur non os virtutem eorum prædicare possit? De illis nimirum scriptum est: *Custodit Dominus omnia ossa eorum* (*Psal.* XXXIII). Ebur antiquum fortitudo justorum est, qualis fuit in antiquis justis sub lege; qualis et nunc est in iis qui sunt imitatores eorum. Fuit in antiquis magna morum gravitas, magna maturitas, inconcussæ mentis magna constantia, in duris et indignis pro lege sua tolerandis insuperabilis animi robur immobile. Nulla enim rerum adversitate, nulla hominum perversitate, nullis injuriis, nullis contumeliis, nullo terrore, nullo pudore, a sanctæ religionis reverentia poterant separari. Hinc unus cæteros sanctos in se transfigurans, ait:

C *Tota die verecundia mea contra me est, et confusio faciei meæ cooperuit me: a voce exprobrantis et obloquentis, a facie inimici et persequentis. Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te, et inique non egimus in testamento tuo, et non recessit retro cor nostrum* (*Psal.* XLIII). Hæc quidem sub lege, quæ tamen neminem adduxit ad perfectum. Deerat enim adhuc evangelica perfectio. Nondum erat dictum: *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus* (*Matth.* XIX). Adhuc dicebatur: *Oculum pro oculo, dentem pro dente, livorem pro livore* (*Exod.* XXI). Nondum illud: *Si quis percusserit te in maxilla, præbe ei et alteram* (*Luc.* VI). Nondum mundo innotuerant consummata perfectionis de

D cœlo allata consilia arcana per Christum, et in Christo propalanda; consilia, quæ non omnes capiunt, de virginitate servanda Deoque dicanda, de voluntaria paupertate pro Christo ambienda, de extremitate amanda, de dignitate contemnenda, de vindicta non expetenda, de omni injuria remittenda, de re sua cum lite non repetenda, de odio patris et matris, et amicorum omnium, insuper et animæ suæ, de inimicis diligendis, de anima pro amicis ponenda, etiamsi sint inimici nobis, de quibuslibet injuriis, de contumeliis, conviciis, opprobriis, denique de quibuscunque sive duris, sive indignis pro Christi honore et amore perferendis, et hilariter perferendis in gaudio Spiritus sancti, sicut scriptum est: *Ibant gaudentes a conspectu con-*

cilii, *quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (*Act.* v). Hæc et hujusmodi Christianæ perfectionis consilia, etsi quibusdam antiquis justis divinitus essent inspirata, non tamen per legem erant publicata, sed Christo reservata sunt hæc, qui perfectionem legi daret, et tamen non legem solveret. Bone Jesu, si pace tua quærere liceet, quid fecisti nobis sic? Sperabamus quod in mundum veniens levares onera, mitigares iram tuam. et factus homo humanus fieres, vel solito humanior. Nunc autem onus oneri addis, et gravibus gravia superponis. An non satis graves erant manus Moysi? An ad hoc venisti, ut scorpionibus nos cædas? An non, ut aggraves jugum nostrum? Amicos non licet diligere, et inimicos non licet odisse? O novarum legum Conditor, quis potest audire sermones tuos? An occasionem quæris, ut nos perdas? Nonne Jesus est nomen tuum? Nonne Deus noster es, Deus salvos faciendi? Ergone perdendi? Absit! Quid me jubes inimicum non odisse, imo et diligere? Quomodo hoc possum? Ecce si levi convicio provocatus fuero, interius ardeo, et excandesco, fervet cor meum ad vindictam, lingua mea præceps est ad contumeliam. Interim Deum nescio, leges tuas non cognosco, et tu dicis: *Si quis irascitur fratri suo, reus erit judicio* (*Matth.* v). Si dixero fratri, *racha* vel *fatue* (*ibid.*), magis me terres. Reus enim sum concilii, vel gehennæ ignis. *Utique tu mandasti mandata tua custodiri nimis* (*Psal.* CXVIII).

Ut verum fatear, ego immemor beneficiorum esse possum, at injuriarum esse non possum. Ita natura sum filius iræ, ut non possim non irasci. At tu, Jesu, iratus es, sub quo mihi non licet nec irasci, nec contra inimicum vel leviter commoveri, vel in corde mussitare? Unde hoc mihi, ut ita stabiliam cor, ut omnino non commovear, et ad omnes injurias insensibilis fiam? Unde nobis ut faciamus quæ a nobis fieri vis, et patiamur quæ nos velis pati, nisi benedictionem dederis tu, o legislator? Unde hoc nobis, nisi nos præveneris in benedictionibus dulcedinis, nisi manserimus in charitate dulcedinis tuæ? Cui et quæ amara sunt dulcescunt, et quæ dura sunt mitescunt, in qua sola jugum tuum suave est, et onus tuum leve (*Matth.* XI). Amanti enim quid est difficile? Quidquid enim districtius injungitur, minus est a devotione charitatis. Patiens est enim charitas, fortis est charitas, nec labore fatigatur, nec sarcina deprimitur. Omnia suffert, omnia sustinet, et cum sancti pudoris sibi conscia sit, tamen reverenter quasi impudens est; erubescit quidem turpia sed non sermones Christi, nec improperium Christi, nec exemplum Christi. Christus qui perfectionem legi addidit, quod faciendum docuit, quantum docuit, in se implevit, et seipsum in exemplum proposuit. Quidquid autem Christus et ipse fecit, et faciendum docuit, etsi mundo contemptibile videatur, veri tamen honoris gratia carere non potest. Paupertas Christi et humilitas ejus mundo vilis est. Quippe nam et pauperibus Christi mundus ipse vilis est, mutuoque contemptu sese despiciunt, dum despicit mundus a quo ipse despicitur. Verum quod mundus despicit, fastus superbiæ est; quod despicitur, humilitatis nobilitas est. Vera enim humilitas Christi nobilis superbiæ typhum in se videtur habere. Dedignatur enim sub jugo peccati servire, omnemque vanitatis fastum et tumentis superbiæ colla propria virtute audet calcare. Perfectus enim Christi æmulator memor conditionis suæ, in qua factus est ad imaginem et similitudinem Dei, memor quoque pretii, quo redemptus est a Filio Dei, pro reverentia dignitatis suæ contra superbiam, quæ omni dignitate indigna est, nobiliter superbit, et indignum sua nobilitate judicat, mundani honoris vanitatem amare, et promissiones Dei, quæ omne desiderium superant, non amare. Hinc de Ecclesia scriptum est: *Ponam te in superbiam sæculorum* (*Isa.* LX). Et de ministris Dei dicitur: *Fortitudinem gentium comedetis, et in gloria eorum superbietis* (*Isa.* LXI). Quæ est fortitudo gentium, aut quæ gloria eorum, nisi quam amant, *qui confidunt in virtute sua, et multitudine divitiarum suarum gloriantur?* (*Psal.* XLVIII) Quorum gloria in confusione eorum, qui terrena sapiunt. Scriptum est: *Quotquot erant possessores agrorum, vendebant et ponebant pretia ante pedes apostolorum* (*Act.* IV). Merito ante pedes, quasi pedibus conculcanda, quæ indignum erat vel manibus attrectari. Vox Petri est: *Argentum et aurum non est mihi* (*Act.* III). Digna vox principatu principis apostolorum, principis Ecclesiæ. Quid Petro, et argento vel auro? Nonne Petrus dicit: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te? Quid ergo erit nobis?* (*Matth.* XIX.) De mercede requirenti non argentum repromittitur, non aurum. Hæc enim contemnebat, quia in gloria gentium superbiebat. Contempsit et Paulus qui ait: *Victum et vestitum habentes, his contenti simus.* Non erubuit paupertatem Christi, panem gratis non manducans, nocte dieque operans; non erubuit humilitatem Christi dicens: *Facti sumus tanquam purgamenta hujus mundi, omnium peripsema usque adhuc.* Et iterum: *Spectaculum facti sumus Deo, et angelis, et hominibus* (*ibid.*). Rubicundi ergo Nazaræi perfecti Christi discipuli, præ confusione duplici et rubore et ebore antiquo tanto sunt rubicundiores, quanto antiquis justis perfectiores; tanto fortiores, quanto magis Christianæ disciplinæ facti sunt veri æmulatores.

De intentione Nazaræorum.

Adhuc laus laudi adjicitur, et honor honore cumulatur. Sapphiro, inquit, pulchriores. Ordine pulcherrimo perfectionis pulchritudo commendatur. Primus gradus perfectionis est, ab omni corruptione vitæ præsentis immaculatum se custodire, quantum permittit humana fragilitas. Secundus gradus est, curam proximi omnino non negligere, quantum suppetit vel auxilii vel consilii facultas. Tertius gradus est in calore sanctæ devotionis, et cum rubore sancti pudoris, dura et indigna fortiter

tolerare, quantum sinit humana infirmitas. Quartus A gradus est in bonis agendis et in malis perferendis semper oculum intentionis ad Deum dirigere, et ad ejus gloriam cuncta referre, quantum prævalet humana possibilitas. Prima virtus est perfecta ad seipsum innocentia; secunda est ad proximum plena misericordia, tertia ad inimicum insuperabilis patientia; quarta ad Deum sinceræ intentionis pura simplexque conscientia. Primam virtutem operatur vel pium odium sui, vel dura misericordia æque sui; secundam charitas benigna, charitas proximi; tertiam charitas patiens, charitas inimici; quartam charitas excellens, charitas Dei. Hæc novissima cæteras informat, ut virtutes sint, solidat et implet, ne inanes sint. Quantumcunque enim B boni quis fecerit, quantumcunque itidem mali pertulerit, totum reputabitur inane, nec solidum, nec laude dignum, nisi oculum intentionis eo dirigat, ut placeat coram Deo in lumine viventium (*Psal.* LV), nisi honorem Dei sic attendat, ut gloriam propriam non quærat. In corde Nazaræorum sic est puritas intentionis, ut in decoro vultu oculorum pulchritudo. Gratiam nempe venustatis et gloriam hujusmodi vultus nil magis auget quam decus oculorum. In decora enim facie oculorum gratia pulchritudo est pulchritudinis, et decor ipsius decoris, et præcipua pulchritudo boni operis ipsa est puritas voluntatis. Hæc est autem pulchritudo sapphiri. Sapphirus nempe habet cœli colorem, puri et sereni cœli speciem imitatur. Imitatur quidem cœli puritatem, C sed non plane assequitur, a superiore enim superatur. Pulchrior quippe est puritas cœli quam sapphiri. Sic pia rectaque intentio cum spe cœlestium et desiderio, in aliis habet puritatem sapphiri, cœli speciem imitantis; in aliis vero majori pulchritudine puritatem exprimit purissimi cœli. Sunt enim, qui Deum purissime diligunt, non quasi cum cæteris, sed præ cæteris. Alii vero præ cæteris, sed cum cæteris. In his amor solus est, in illis summus est. Summus amor alterum non excludit, solus amor alterius amoris consortium non admittit. Purior enim est in suo genere, qui inferioris generis admistionem non recipit. Qui præ cæteris, sed cum cæteris Deum diligunt, in his quæ patiuntur vel agunt, oculo puræ intentionis Deum, qui præcipuum amoris locum tenet, sæpe sæpeque respiciunt, et promissiones Dei et in se compleri confidenter sperant, et ante omnia et super omnia desiderant. Verumtamen quia nonnulla vana diligunt, in quibus Deum non diligunt, quia ea non recte propter Deum diligunt; propterea multoties oculum ab intentione supernæ retributionis aliorsum, ad id nimirum quod vane amant, deflectunt. Ubi enim amor, ibi oculus. Proinde desideria sua in iis quæ amant, ad libitum compleri et sperant et desiderant et orant; et dum totum cor sursum non erigitur, vel paululum ad inferiora inclinatur. Hi vero qui solum Deum et quæ Dei sunt pure diligunt, in tantum probantur sapphiro pulchriores, quanto sincera intentione inveniuntur puriores, cœlestia semper meditantes, cum Propheta ad Dominum dicente: *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper* (*Psal.* XVIII). Qui oculos intentionis ad vana non reflecti desiderans, ait: *Averte oculos meos; ne videant vanitatem* (*Psal.* CXVIII). Puritatem vero desiderii sui exponens, ait: *Tibi dixit cor meum: Exquisivit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram* (*Psal.* XXVI). At puritatem spei declarans, ait: *Retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, et secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus* (*Psal.* XVII). Nazaræi in tanta puritate et intentionis et desiderii et spei constituti, quasi semper Deum vident, et in gloria pulchritudinis suæ ab ipso semper videntur, sicut opera manuum ejus, qui semper lætatur in operibus suis. Mutuo ergo aspectu sese aspiciunt, et mutua visione jucundantur. Nam Propheta dicit: *Oculi Domini super justos* (*Psal.* XXXIII). Et justus dicit: *Oculi mei semper ad Dominum* (*Psal.* XXIV). Ecce jam nunc in præsenti Nazaræi quodammodo Deum vident, oculo ad oculum. Ecce nunc futuræ gaudia visionis anticipant. Ecce nunc futuræ satietatis primitivam dulcedinem degustant, plenius satiandi, cum apparuerit gloria Dei, qui est super omnia benedictus in sæcula. Amen.

BALDUINI

CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI

LIBER

DE COMMENDATIONE FIDEI

Omnia fœdera societatis humanæ et amicitiæ D leges, ut sua stabilitate constare possint, fidei sinceritate firmantur et firmata servantur. Omnes homines fidem sibi servari volunt, etiam ii qui eam

servare nolunt. Fidem exquirit amicus ab amico, socius a socio, dominus a servo, imperator a milite, maritus ab uxore, omnis qui vivit ab eo cum quo vivit. Sine fide nec gubernacula rerum ministrari, nec hominum officia vel ministeria dispensari, nec amantium paria valent combinari, non regna, non civitates, non singularum domicilia familiarum, non quicunque cœtus majores vel minores hominum socialiter viventium, sine fide possunt constare, et in statu suæ felicitatis permanere. Si fidem de medio tollas, vinculum dilectionis rumpetur, et omne fœdus pacis dissolvetur. Non erunt, qui se invicem diligant, qui inter se pacem habeant, nisi sint qui sibi invicem credant. In omni communione socialis vitæ inter homines gratiam dilectionis et pacis fides media conciliat. Inter domesticos et servos statim quæritur ut fidelis quis inveniatur, et familiaritate et laude dignus habetur, cujus fuerit fides experimento comprobata sincera et vera. Sine amicitia vera nunquam pax vera; nam cum falsa pax prætenditur, et fides pariter fingitur, et amicitia simulatur. Quoniam autem bonum pacis cum hominibus et inter homines optabile est, et ad hoc bonum per veram fidem et amicitiam rectissime pervenitur: monemur ex hoc si ad pacem Dei, quæ exsuperat omnem sensum, pertingere speramus, fidem Deo servare et amicitiam ejus quærere, ut amicitiæ ejus participes effecti, ad ipsum et cum ipso, pacem habere mereamur. Habet unitas fraternæ societatis tria hæc, fidem, charitatem et pacem, Apostolo hoc edocente qui ait: *Fidelis autem Deus, qui nos vocavit in societatem Filii sui* (*I Cor.* I). Hanc etiam cum Filio suo societatem constituit fide, charitate et pace quærendam, habendam et sine fine retinendam. Fide autem Deo placuerunt et quotquot a diebus antiquis amicitiæ ejus participes effecti sunt. Absque fide enim impossibile est placere Deo (*Hebr.* XI).

De fide ad proximum.

Fides proximo debetur, ut cum eo simpliciter loquamur, et in omnibus simpliciter agamus, ambulantes sine malitia et dolo, hoc est sine voluntate nocendi et intentione fallendi. Duo hæc, iniquitas et dolus, sinceritatem fidei, quæ in sociali vita servanda est, corrumpunt, et qui ex proposito satagit proximum fallere vel nocere, jus humanæ societatis violat, dum fidem communi fraternitati debitam non observat. Jus autem non violandæ societatis hoc est, quo cuique naturaliter intimatum est, alii non facere, quod sibi fieri non velit. Qui excusabili ignorantia deceptus, in simplicitate sua dicit aut facit, quo alius læditur aut fallitur, non intendens ut eum lædat vel fallat: de hoc dicendum est, quod fidem non deserit, dum simplicitatem cordis custodit. Qui vero agit ut fallat, quamvis aliquo casu impeditus non fallat, hic fidem non custodit; quia simplicitatem deserit. Simplicitas enim conscientiæ, præter voluntatem et opinionem fallendi, vel aliquomodo nocendi, ipsa est comes et

A custos fidei, qua fidelis est homo homini, in omni genere convivendi et conversatione communi. In iis quippe, quæ fideliter dicuntur vel geruntur, non eventu bonorum vel malorum, quæ accidere possunt, fides est æstimanda; sed simplicitate conscientiæ, qua sibi conscii sunt fideliter loquentes et agentes, se velle credere, nec fallere, nec nocere. Fides ergo nunquam verbo vel opere fallere intendit, ipsam tamen falli contingit. Hoc autem accidit, pro eo quod non semper nititur veritatis judicio, sed aliquando opinionis incerto. Æstimat enim quod ignorat, et aliud pro alio errando probat. In his quæ licenter vel excusabiliter ignorari possunt, cum ignorantia veri quis decipitur, ut alteri faciat, quod sibi fieri non velit, simplicitas cordis errantem apud Deum aliquo modo excusat, quamvis Deo factum ipsum displiceat. B Unde Dominus veniens ad Abimelech per somnium nocte, qui tulerat uxorem Abraham, miro modo cum factum arguat, auctorem excusat: nam factum arguens, et pœnam intentans, dicit: *En morieris, propter mulierem, quam tulisti* (*Gen.* XX). Auctorem excusans et a peccato conservans, subjungit: *Ego scio, quod simplici corde feceris; et ideo custodivi te, ne peccares in me; et non dimisi, ut tangeres eam.* Hæc, quæ inter nos est, mutua societas fidem requirit, qua digne nobis credatur; is vero qui alteri credit fidem dicitur habere verbis ejus, cui credit. Quæ quidem fides opinione credentis æstimanda est, C cum opinatur non mentiri eum, cui credit. Is autem cui creditur, fidem servare debet sibi credenti: quæ quidem fides simplicitate conscientiæ æstimanda est.

Quod Deus non fallit.

A Deo autem nemo fallitur, sicut et ipse a nemine fallitur. Multa tamen Deus occulta dispensatione facit et dicit, mutat et dissimulat: quibus accidit occultæ dispensationis ignaros falsa pro veris et incerta pro certis opinari, et sic seduci. Unde Jeremias audet et dicit: *Seduxisti me, Domine, et seductus sum; fortior me fuisti, et invaluisti* (*Jer.* XX). Sancti nimirum prophetæ, quamvis ad quædam videnda vel prævidenda a sancto Spiritu illuminati essent: tamen, sicut homines, multa permissi sunt D ignorare, quæ Deus ab eis quasi celabat, quia non revelabat. Unde sæpe sperabant et exspectabant, quæ non eveniebant. Hinc idem propheta dicit: *Exspectavimus pacem, et non est bonum; et tempus curationis, et ecce turbatio* (*Jer.* VIII). Et Eliseus propheta, cum mulier Sunamitis mortuo filio, ad eum accederet, dixit: *Anima ejus in amaritudine est; et Dominus celavit a me, et non indicavit mihi* (*IV Reg.* IV). Quid autem mirum, si prophetæ permissi sunt aliquid ignorare, et in aliquibus aliter existimare, quam tunc erat, vel postea futurum erat, cum de parentibus Jesu scriptum sit: *Remansit puer Jesus in Jerusalem; et non cognoverunt parentes ejus; existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei; et requirebant eum?* (*Luc.* II.)

Deus autem nihil in dolo dicit aut facit; sed justo judicio alioque consilio gratiam subtrahendo, vel non impertiendo permittit, et aliquando non impedit ut decipiantur qui digni sunt decipi. Unde sicut in Regum volumine scriptum est, dicit: *Quis mihi decipiet regem Achab?* (*III Reg.* XXII.) Et Isaias ad Dominum: *Quare nos errare fecisti, Domine, de viis tuis? Indurasti cor nostrum, ne timeamus te?* (*Isa.* LXIII.) Et iterum Isaias dicit de Ægypto loquens: *Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis, et errare fecit Ægyptum* (*Isa.* XIX). Et Psalmista de peccatoribus allevatis et dejiciendis loquens, ait: *Verumtamen propter dolos posuisti eis. Dejecisti eos dum allevarentur* (*Psal.* LXXII). Et Job de Domino loquens, dicit: *Qui immutat cor principum populi terræ, et decipit eos, ut frustra incedant per invium; palpant quasi in tenebris, et non in luce, et errare facit eos, quasi ebrios* (*Job* XII). Hæc autem et similia, quæ in sacra Scriptura inveniuntur frequenter, ad judicium districtionis, vel consilium dispensationis referenda sunt. Hæc autem Deus facere dicitur; quia sic judicat, aut sic dispensat. Cum autem, Deo judicante aut dispensante, mali in laqueum erroris deveniunt, aut quæ a Deo sperantur, bonis vel malis non eveniunt: justitia Dei hæc est vel misericordia, in qua non est iniquitas et dolus, qui in omnibus simpliciter loquitur et simpliciter agit, fidelis in omnibus verbis suis, et sanctus in omnibus operibus suis (*Psal.* CXLIV).

Quod duobus modis fides Deo debetur.

Fides ergo Deo debetur; quia nec fallere novit, nec falli. Veritas enim est, et sapientia. Veritas non fallit, sapientia non fallitur. Fides duobus modis a nobis exigitur. Primo quidem in verbis ipsius ad nos; deinde in verbis nostris ad ipsum. Verbis Dei fides debetur, qua digne credamus de Deo, et de his quæ Dei sunt, quæ ipse in Scripturis sacris revelare dignatus est. Est et fides sponsionis in promissis nostris et votis Deo oblatis: quibus tenemur impietatem et sæcularia desideria abnegare, solique Deo fideliter obediendo servire. Ad hanc sponsionis fidem pertinet, quod Apostolus, cum de adolescentioribus viduis loqueretur, dixit: *Cum luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt; habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt* (*I Tim.* V). Qui fidem rectæ sponsionis male vivendo irritam faciunt; quamvis credant, vel credere videantur, fidelium nomine indebite censentur, sicut scriptum est: *Lingua sua mentiti sunt ei; cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento ejus* (*Psal.* LXXVII). Qui autem fideliter credunt, et obediendo fideliter serviunt, hi rectissime fideles nuncupantur; fidem habentes, qua recte credunt; fidemque servantes, qua fideliter obsequuntur. Fides, qua Deo creditur, ad salutem obtinendam ante omnia est necessaria; sed per se non sufficit, absque fide promissi obsequii, quæ illæsa servetur, vel per pœnitentiam læsa redintegretur. Qui credit et servit, fidem quam lin-

A gua confitetur, moribus profitetur. Qui credit et non servit, Deum quem verbis confitetur, factis negat. Unde Apostolus ad Titum de coinquinatis et infidelibus, quorum coinquinatæ sunt mens et conscientia, sic dicit: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (*Tit.* I). Et iterum ad Timotheum in Epistola prima: *Si quis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior* (*I Tim.* V).

Quod vitia fidem minuant vel exstinguant.

Qui factis Deum negat, semper fidem minuit, et fidei meritum perdit; quandoque autem per vitium incredulitatis et fidem exstinguit. Unde Apostolus de iis qui bonam conscientiam male vivendo repulerant, in eadem Epistola sic dicit: B *Milites bonam militiam, habens fidem et bonam conscientiam; quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt: ex quibus est Hymenæus et Alexander; quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare* (*I Tim.* I). Attende quod, cum præmisisset, *habens fidem*, addidit, *et bonam conscientiam;* ostendere volens, sine bona conscientia fidem non sufficere, sed fidei naufragium fieri, quod ad blasphemiam Dei pertinere videtur, ex eo quod sequitur: *Ut discant non blasphemare.* Rursum in eadem Epistola ex cupiditate fidem periclitari ostendit, dicens: *Radix omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes, exciderunt a fide* (*I Tim.* VI). Aliam iterum causam fidei deficientis ostendens, in eadem Epistola dicit: *Devitans pro-* C *fanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiæ: quam quidam promittentes circa fidem exciderunt* (*ibid.*). Ex præmissis Apostoli verbis constare potest quod fidem violant profanæ vocum novitates, quæ in errorem mittunt; et scientia falsi nominis, quæ se opponit simplicitati fidei, et extollit se adversus scientiam Dei; et non solum hæc, sed non bona conscientia, et radix omnium malorum cupiditas, et luxuria: opera quoque mala, quibus Deum negant, qui verbis confitentur, cum sint abominati et incredibiles, et ad omne opus bonum reprobi. Unde patet quod sine bona vita vel conscientia, fides aut non proficit, aut deficit. Quomodo autem non deficit, aut quomodo non exstinguitur, quæ mortua est? *Fides autem sine operibus* D *mortua est* (*Jac.* II); quia nec motum habet, nec sensum; quæ non movetur per effectum boni operis, nec sentit per affectum dilectionis.

De fide, quæ per dilectionem operatur.

Justus autem ex fide vivit (*Hebr.* X), non quidem ex ea quæ mortua est; sed ex fide quæ per dilectionem operatur. Hæc est enim quæ vivificat, hæc est quæ vere et digne fides dicitur, qua fit quod dicitur, impletur quod promittitur. Hæc vera fides est subnixa veritate credulitatis et veritate sponsionis. Hanc sacra Scriptura summo studio commendat; hanc tota vita justorum confirmat. Hanc Deus a nobis requirit; hanc oblatam gratanter accipit. Ficta est fides hæreticorum, qui de corde suo fingunt quod credunt. Ficta quoque est fides eorum,

qui falsum spondent obsequium; qui promittunt, A et non faciunt; vota offerunt, et non solvunt. Fides autem quæ per dilectionem operatur, ficta non est; quia scriptum est: *Finis præcepti charitas est, de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta* (*I Tim.* I). Fides autem hæc, quæ Deo placere comprobatur, errore caret, et fictione, et hæsitatione. Errore quidem et fictione, quia veritati acquiescit, et in sinceritate obedit. Hæsitatione vero, quia nullam impiam dubitationem admittit; sed in suæ sententiæ firmitate immota persistit. Hinc de Abraham scriptum est: *In promissione Dei non hæsitavit diffidentia; sed confortatus est fide, dans gloriam Deo; plenissime sciens, quia quæ promisit, potens est et facere* (*Rom.* IV). Et Jacobus apostolus ait: *Qui indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus* B *affluenter, et non improperat. Postulet autem in fide, nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur* (*Jac.* I).

De hæsitatione in fide.

Hæsitatio de impietate nascitur, cum de fidei ambigitur veritate, vel de Dei permissione diffiditur. Exemplum non diffidendi in Abraham proponitur: de quo Paulus dicit in Epistola ad Romanos: *Non hæsitavit diffidentia* (*Rom.* IV). Consilium de fide non ambigendi nobis datur, cum a Jacobo dicitur: *Postulet in fide, nihil hæsitans* (*Jac.* I). Qui enim monetur postulare, monetur non hæsitare, sive in fide, sive in postulatione. Hæsitatio autem in fide pietati contraria est. Qui enim in fide hæsitat, fluctuat, et similis est fluctui maris, nec plene C consentiens, nec plene dissentiens. Sicut autem qui a fidelibus contraria opinione dissentit, non credere dicendus est; ita et is non credere judicandus est, qui dubitatione vacillans, cum fidelibus non consentit. Ipsa enim veritas per se dicit: *Qui non est mecum, contra me est* (*Luc.* XI). Qui ergo dubitat, in quantum dubitat, non credit; quia non consentit, non acquiescit. Sicut autem impia est illa dubitatio, qua dubia sunt, quæ firmissime credere oportet; ita impia non est illa dubitatio, qua dubia sunt, quæ ignorare licet. Illa autem hæsitatio, qua in periculis trepidamus, vel in orando non exaudiri timemus; et sæpe tanto magis timemus non exaudiri, quanto magis desideramus ex- D audiri; illa, inquam, dubitatio non semper de damnabili impietate, sed quandoque de humana infirmitate, vel pusillanimitate, vel fidei imperfectione nascitur. Justi quippe sæpe orant, cum non exaudiuntur; sæpe exaudiuntur, cum se nesciunt exaudiri; sæpe etiam ignorant, quid orare debeant, sicut oportet. Quod non semper justi exaudiuntur, ostenditur ex eo quod Paulus dicit in Epistola ad Corinthios: *Datus est mihi stimulus angelus Satanæ, qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogavi, ut auferretur a me: et dixit mihi Dominus: Sufficit tibi, Paule, gratia mea* (*II Cor.* XII). Hoc idem ostenditur ex eo quod Dominus dicit ad Samuelem: *Usquequo tu luges Saul, cum ego abjecerim eum?* (*I Reg.* XVI). Et rursum ex eo quod dicit ad Jeremiam: *Si steterint Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum* (*Jer.* XV). Ecce Paulus orat pro se, et non est exauditus; Samuel et Jeremias pro aliis orant et non sunt exauditi. Quod exaudiantur cum se non credant exaudiri, ostenditur ex eo quod beatus Job dicit: *Cum invocantem me exaudierit, non credo quod exaudierit vocem meam* (*Job* IX). Quod autem justi aliquando ignorant, quid petere debeant, sicut oportet, manifeste ostendit Paulus, cum dicit ad Romanos: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram. Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus, qui secundum Deum postulat pro sanctis. Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti* (*Rom.* VIII). Quod autem Apostolus dicit: *Quid oremus, sicut oportet, nescimus* (*ibid.*), non de omnibus generaliter videtur intelligendum, quæ a sanctis postulantur. Postulantur enim, quæ per se bona sunt, et salutem operantur in vitam æternam. Postulantur et æterna bona, quæ in præmium repromissa sunt; postulantur et ea quæ per se bona non sunt, et bonos non faciunt, nec salutem operantur, sed tantum in bonum quandoque cooperantur. In his autem quæ in bonum cooperantur, nesciunt justi quid orent, sicut oportet; quia, cum pro necessitate vel tribulatione relevanda, aut tentatione tollenda postulant, non agnoscunt fructum necessitatis vel tribulationis, vel proventum tentationis. Ignorant enim, quid eis utilius sit ad salutem, habere vel carere iis quæ desiderant.

Verumtamen quia duas voluntates habent, unam infirmitatis, alteram virtutis; unam, secundum quod caro concupiscit adversus spiritum, alteram, secundum quod spiritus concupiscit adversus carnem: præscripta est in hujusmodi certa orandi forma, quando dicant: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu* (*Matth.* XXVI). Hanc siquidem voluntatem virtutis, quæ est secundum spiritum, qua Dei voluntatem præferri volunt ei voluntati, quæ est secundum carnem, suggerit et operatur Spiritus sanctus: propter quod dicit: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram* (*Rom.* VIII). Adjuvat autem, sicut sequentia declarant, cum desiderat et postulat pro sanctis. Desiderat autem et postulat, cum corda nostra in fervore sancti desiderii accendit, et quæ illi sunt placita, nobisque salubria postulare facit. Spiritus quoque hominis Spiritu sancto afflatus, et ipse suo modo infirmitatem adjuvat; quia non pro iis quæ infirmitas desiderat, definite orat, sed totum Deo committens, quod illi placeat, nobisque expediat, fieri postulat et desiderat. Ad hoc pertinere potest, quod B. Job dicit: *Cum invocantem me exaudierit, non credo quod audierit vocem meam* (*Job* IX). Ac si aperte dicat: Cum exaudierit spiritum postulantem secundum

Deum ad salutem, non tamen crédo quod exaudiat A vocem meam; quia non exaudit ad voluntatem : *Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus, quia secundum Deum postulat pro sanctis* (*Rom.* VIII). Ipse enim novit quid sibi placeat, quid homini expediat. Homo autem cum postulat, et hæc ignorat, nescit quid petat. Unde ad filios Zebedæi dictum est : *Nescitis quid petatis* (*Matth.* XX). Si autem generaliter alicui intelligendum videtur, quod Apostolus dicit : *Quid oremus, sicut oportet, nescimus* (*Rom.* VIII) ; ad generalem intelligentiam valere potest, quod Apostolus non ita dicit, *Quid oremus, nescimus*; sed addit , *sicut oportet*. Scimus enim quod ea quæ in Dominica oratione postulare monemur, a Deo postulanda sunt; sed qui dat cui vult, et quantum vult, et quando vult, et quomodo vult, B et causam et mensuram donationis suæ, et modum petentibus non semper revelat. Propterea cum sapientiam a Deo, charitatem, humilitatem, patientiam, mentis tranquillitatem, quæ certissime petenda sunt, postulamus; scientes quid petamus, nescimus tamen quid petamus, sicut optimum est nos accipere, vel illum dare. Nam et Paulus in re certa hæsitat. Sciens enim quia multo melius est cum Christo vivere, quam manere in carne; attendens tamen, quam necessaria esset præsentia ejus in carne iis quibus loquebatur ; ignorat quid eligat magis orandum, magisque secundum tempus optandum ; an cum Christo esse, an propter fratres in carne manere. Propter quod dicit : *Mihi vivere* C *Christus est, et mori lucrum. Quod si vivere in carne hic mihi fructus est operis, et quid eligam, ignoro. Coarctor autem e duobus, desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo multo melius ; permanere autem in carne, necessarium propter vos* (*Philipp.* I). In tanta caligine incertitudinis et ignorantiæ, qua nesciunt, se justi exaudiri, vel quid a se, sicut oportet, debeat peti, infirmitatis suæ certitudinem habentes, et justitiæ suæ fiduciam plenam non habentes; quamvis de misericordia Dei constanter confidant, tamen pro fragilitate sua trepidant et hæsitant, nec sine timore sperant, sicut et sine spe non trepidant. Si tantum timerent, quomodo non desperarent ? Si tantum sperarent, quomodo per D nimiam securitatem sese non resolverent ? Constituti autem inter spem et metum, cum orant, quomodo postulant in fide nihil hæsitante? Sed in fide non hæsitant, quam in omnibus et per omnia veram esse non dubitant. In oratione vero, cum pro incertitudine exauditionis vel opportunæ petitionis dubitant, non tamen diffidentia hæsitant. Hujusmodi enim dubitatio, quam et Apostolus de Abraham negavit, cum diceret : *Non hæsitavit diffidentia* (*Rom.* IV), semper periculosa est, veræque fidei contraria, et a fideliter orantibus semper aliena.

Quis enim orat, et non sperat? Credere ergo et sperare oportet, pie tamen timere et dubitare licet. Diffidentia autem hæsitare in promissionibus Dei omnino non licet. Unde pàtet, quod pia dubitatio licitæ ignorantiæ ad vindictam et custodiam humilitatis justis necessaria fidei pietatem non destruit, nec mentis confidentiam desperatione subvertit; sed, sicut pium est indubitanter credere quæ Deus credenda monstravit, ita impium non est ea simpliciter ignorare, et de his simpliciter dubitare quæ Deus non revelata abscondit. Multum autem refert an de potentia Dei quis dubitet, an de ejus voluntate. De potentia visus est dubitasse, qui allato filio ad Jesum, apud Marcum dixit : *Si quid potes, adjuva nos, misertus nostri. Jesus autem ait illi : Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Et ille : Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam* (*Marc.* IX). De potentia dubitaverunt illi, qui dixerunt : *Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto ?* (*Psal.* LXXVII.) De voluntate, et non de potentia dubitavit leprosus, qui apud Matthæum dixit ad Jesum : *Domine, si vis, potes me mundare.* Qui mox audivit : *Volo, mundare* (*Matth.* VIII). Attendite hæc : Qui de sola voluntate dubitavit, certitudinem voluntatis cum gratia curationis accepit. At qui de potentia dubitavit, et dixit : *Si quid potes*, mox ad se dictum audivit : *Si potes credere , omnia possibilia sunt credenti* (*Marc.* XIV). Ubi ostenditur, gratiam quæsitæ misericordiæ de fide omnipotentiæ ejus pendere, quem dubitavit in hac parte aliquid posse.

De hæsitatione in periculis.

Illa dubitatio, qua in periculis hæsitatur, ad diminutionem fidei pertinere videtur, ex eo, quod Dominus per increpationem ad Petrum dixit : *Modicæ fidei, quare dubitasti ?* (*Matth.* XIV.) Dubitasse arguitur ; vel quia de salute dubitavit, cum videns ventum validum venientem timuit, vel quia de Salvatoris præsentia turbatus dubitavit. Nam cum supra mare ambulans, iis qui viderant turbatis, et dicentibus : *Quia phantasma est* (*ibid.*) , et præ timore clamantibus, Dominus diceret : *Ego sum* (*ibid*), non debuit Petrus de præsentia Salvatoris sese prodentis, et adesse profitentis, dubitare, maxime cum diceret : *Habete fiduciam, nolite timere* (*ibid.*). Petrus cum cæteris jussus fiduciam habere, et non timere, jussus etiam, sicut ipse petierat, ad Dominum super aquas ambulantem venire, ambulans et ipse super aquas ; inter tot fidei et securitatis præsidia timere non debuit. Timuit tamen ut homo, non tamen omnino desperavit, nec omnino fidem perdidit. Dixit enim : *Domine, salvum me fac* (*ibid*). Quomodo autem invocaret, in quem non credidisset ? Petri utique dubitatio talis fuisse videtur, quæ confidendi constantiam turbaret ; sed fidem omnino non exstingueret. Sicut apud Matthæum Petri arguitur dubitatio, sic quorumdam timiditas apud Marcum increpatur. Cum enim facta esset procella magna, et Dominus in puppi super cervical dormientem excitarent, dicentes : *Magister, non ad te pertinet, quod perimus*, exsurgens dixit mari : *Tace, obmutesce ;* et facta tranquillitate

dixit : *Quid timidi estis? Necdum fidem habetis* (*Marc.* IV). Quod autem dixit : *Necdum fidem habetis*, sic intelligi potest, quasi interrogando dictum sit; ac si diceretur ad eorum fidem excitandam : *An nondum fidem habetis?* Cui concordat, quod apud Lucam, quibusdam dicentibus : *Præceptor, perimus*, Dominus legitur respondisse : *Ubi est fides vestra?* (*Luc.* VIII). Si autem apud Marcum, quibus increpando dictum est : *Quid timidi estis*, illis non interrogando, sed astruendo dictum est : *Necdum fidem habetis;* valde nobis metuendum est, qui in periculis trepidamus præ timore, fidendi constantiam et mentis securitatem perdimus, ne et nobis dicatur: *Necdum fidem habetis.* Sed alicui videbitur, merito illos objurgandos, jureque increpandos, qui in periculo constituti, eum secum habuerunt, præsentemque viderunt, et ideo timere non debuerunt. Quomodo autem et nos, qui in periculis trepidamus, increpandi non sumus ; qui semper Dominum, etsi non per præsentiam carnis, ut illi, tamen per præsentiam divinitatis nobiscum manere confidimus? Unde et ipse Dominus de justo dicit : *Cum ipso sum in tribulatione : eripiam eum* (*Psal.* XC). Et in Evangelio : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque, ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). Quanta autem de Domini præsentia nobis debeat esse fiducia ostendit, qui dicit : *Etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es* (*Psal.* XXII). Et iterum : *Dominus illuminatio mea, et salus mea : quem timebo? Dominus protector vitæ meæ : a quo trepidabo?* (*Psal.* XXVI). Si autem vox justorum hæc est : *Non timebo mala, quoniam tu mecum es*, quid sibi vult illa vox in psalmis, nihilominus justorum, sive martyrum : *Exaudi Deus, orationem meam, cum deprecor; a timore inimici eripe animam meam?* (*Psal.* LXIII). Et in alio loco : *Cor meum conturbatum est in me ; et formido mortis cecidit super me. Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ* (*Psal.* LIV).

Sed sciendum nobis est quod justi nunc per excessum contemplationis supra se levantur in quamdam mentis securitatem, et fiduciæ constantiam ; unde cuncta mala præsentia, mortisque pericula, in Deo despicienda cognoscunt, et cognoscendo despiciunt. Nunc vero propriæ infirmitati dimissi, sicut homines, inter pericula metuunt, et metuendo propriam infirmitatem quanto humilius, tanto verius recognoscunt. Hinc de illis scriptum est : *Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos* (*Psal.* CVI). Ascendunt per excessum contemplationis et securitatis in Deo ; descendunt per excessum pavoris et pusillanimitatis in semetipsis. Hinc Elias regi Achab quasi intrepidus occurrit (*III Reg.* XVIII); et a facie Jezabel non sine timore aufugit (*III Reg.* XIX). Hinc et Jacob cum angelo luctatus, cum ei diceretur : *Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis* (*Gen.* XXXII) ; tamen in timore oravit, dicens : *Erue me de manu fratris mei : quia valde eum timeo* (*ibid*). Sic autem, Deo vices varietatum

A dispensante, justi et securi sunt, et in se timidi ; sicut, et eodem mirabiliter dispensante, et in Deo lætantur, et in semetipsis constristantur. Paulus ad Philippenses scribens, admonet dicens : *Gaudete in Domino semper; iterum dico : Gaudete* (*Philip.* IV). Idem in Epistola secunda ad Corinthios scribens de se dicit : *Nolumus vos ignorare, fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia; quoniam supra modum gravati sumus, ita ut tæderet nos etiam vivere* (*II Cor.* I). Et Psalmista dicit : *Anima mea exsultabit in Domino* (*Psal.* XXXIV). Idem dicit : *Ad meipsum anima mea conturbata est* (*Psal.* XLI). Et iterum : *Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me?* (*ibid.*). Sæpe autem justi timore pulsantur, sed a spei stabilitate non moventur, sicut scriptum est :

B *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion ; non commovebitur in æternum qui habitat in Jerusalem* (*Psal.* CXIV). Sæpe autem timore pulsantur, adeoque concutiuntur, ut et spe infirmentur, et in periculum desperationis paulo minus inclinentur. Deus quippe, qui electos probat, ut inveniat eos dignos se, sicut adjutor est in opportunitatibus in tribulatione, sic despicit in opportunitatibus in tribulatione. Tunc autem despicit, cum inter mala non respicit, cum clamantem in tribulatione ad votum non exaudit. Hoc autem salubriter fit, ut justi sibi derelicti experiantur, quid in se sint. Cum autem nimio timore supra modum gravati, sæpe adeo infirmantur, ut vicinæ desperationis, nisi gratia Dei celerius subve-

C niat, discrimen incurrant; tunc ad eos pertinet increpatio illa : *Quid timidi estis? necdum fidem habetis?* (*Marc.* IV). Deus vero occulta dispensatione justos nonnunquam, ut magis humilientur, et fortiores resurgant, usque ad incredulitatis reatum, fide infirmari permittit. Unde in libro Numeri scriptum est : *Cum elevasset Moyses manum, percussit virga bis silicem : et egressæ sunt aquæ largissimæ, ita ut biberet populus et jumenta. Dixitque Deus ad Moysen et Aaron : Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dedi eis. Hæc est aqua contradictionis, ubi jurgati sunt filii Israel coram Domino* (*Num.* XX). Ecce quomodo a Domino Moysi et Aaron incredulitas exprobratur, et punienda monstratur. Hinc rursus

D per Isaiam ad populum Israel Dominus dicit : *Pater tuus primus peccavit, et interpretes tui prævaricati sunt in me, et contaminari principes sanctos* (*Isa.* LXIII). Quod dicitur : *Pater tuus primus peccavit*, de Abraham intelligi potest, si forte et ipse dubitavit, quando Domino terram promissionis pollicenti respondit : *In quo sciam, quod possidebo eam?* (*Gen.* XV.) Vel hoc intelligi potest de patribus in deserto, qui male locuti sunt de Deo : *Nunquid panem poterit dare, aut parare mensam in solitudine?* (*Psal.* LXXVII.) De quibus et scriptum est : *Quia non crediderunt in Deo, nec speraverunt in salutari ejus* (*ibid*). Quod dictum est : *Interpretes tui prævaricati sunt in me* (*Isa.* LXIII), de Moyse et Aaron recte intelligitur, qui inter Deum et populum medii, ut dictum est, prævari-

cati sunt. Contaminavit autem Deus principes sanctos occulta dispensatione contaminari permittens: justoque judicio contaminatos ostendens. Possunt autem justi citra periculum fidei, et detrimentum spei, in quibusdam desperare. Nam quæ licet non desiderare, licet et non sperare; et quæ licet contemnere, licet desperare, et in eis spem non ponere. Unde et beatus Job a temporalibus ad æterna suspensus, quasi carnalis vitæ contemptor et mortificator dicit : *Elegit suspendium anima mea, Desperavi; non ultra vivam. Parce mihi, Domine, nihil enim sunt dies mei* (*Job* VII). Pensate, quia de Domino non desperavit, qui dixit, *Parce mihi, Domine;* nec tamen nullomodo desperavit, qui dixit, *Desperavi*. Ibi ergo desperavit, unde per sanctum contemptum sanctumque odium spem retraxit, non ibi, quo totam spem totumque desiderium transtulit.

Ex prædictis colligendum est quod dubitatio nunc cor leviter pulsat, nunc validius pulsat, et ad incredulitatem inclinat; nunc majori perturbatione in reatum incredulitatis præcipitat. Illa vero dubitatio, quæ infidelitati propinquat, vel in eam præcipitat, quædam fidei defectio est; lumen fidei vel imminuens, vel exstinguens; donec mens suæ perturbationis caligine discussa, per gratiam Dei confortata resurgat.

De fidei certitudine.

Quoniam per fidem in Deum confidimus et Deo credimus, cum Deus veritas sit; tanta certitudine, tanta non dubiæ assensionis firmitate eadem fides debet esse subnixa, ut recte scientia dici possit. Omnem enim sensuum experientiam excedit, omnem conjecturam humanæ rationis transcendit; verissime et certissime comprehendens, quæ nec sensu explorari, nec humana ratione ullatenus valeant investigari. Cum enim Deo magis credendum sit, quam vel sensibus corporis, vel humanis rationibus, omnem mundanam sapientiam fidei dignitas superexcellit; invisibilia videns, insensibilia sentiens, incomprehensibilia comprehendens. Certa quippe comprehensio est incommutabilis ipsius veritatis auctoritate firmissime roborata. Quamvis autem fides sensu vel ratione ex aliqua parte possit adjuvari, ut in sequentibus ostenditur, fides inoffensa ultra progrediens procedit, quam vel sensus vel imaginatio, vel ratio inquisitione possit pertingere, vel intentione pervenire. Lumen quippe rationis, quo mens naturaliter illuminatur, ut intelligat, incomparabili claritatis splendore superat lux gratiæ, qua mens illuminatur, ut non intellecta credat, donec quodam ordine gratiæ quæ nunc credit intelligat. Quapropter cum rerum comprehensibilium vera cognitio scientia dicatur et sit multo magis incomprehensibilium verissima cognitio, Deo revelante, nobis indulta pro sui certitudine et infallibilitate scientia dici debet, non solum supra incertum opinionis, sed supra omnem humanam scientiam, et supra judicium rationis collocanda; quasi scientia scientiæ præfe-
A renda. Sed non ei quæ futuri temporis aliquomodo conferenda. Hæc est autem scientia salutis, quæ illuminat et salvat, de qua scriptum est : *Præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum* (*Luc.* I). Si qua est autem cognitio per fidem in insipientibus vel proficientibus, adeo mediocris et tenuis est, ut nondum scientiæ nomine digna sit; in provectis tamen et perfectis, qui firmissime et certissime credunt, et ratione fidei per inspirationem abundantioris gratiæ plenius intelligunt, cognitio per fidem tanto certius scientia dicitur, quanto frequentius in sacra Scriptura sciri referuntur, quæ sola fide percipiuntur. Fidem Abrahæ commendans Apostolus in Epistola ad Romanos, sic ait : *In re-*
B *promissione etiam Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo; plenissime sciens quia quæcunque promisit, potens est et facere* (*Rom.* IV). Attendite, quod non dixit, *sciens*, sed *plenissime sciens*, ut certitudinem fidei ex plenitudine scientiæ altius nobis commendaret. Idem in Epistola ad Timotheum : *Scio cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem* (*II Tim.* I). Idem ad eumdem : *Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa* (*II Tim.* III). Scire monuit quod credendum prædixit. Et beatus Job ait : *Scio quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum* (*Job* XIX). Et Martha dixit ad Jesum . *Scio, quia*
C *resurget in resurrectione in novissimo die* (*Joan.* XI). Quod autem Apostolus ad Romanos dicit : *Existimo, quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII), non ad incertum opinionis referendum est, quamvis existimare se dicat; sed ad conscientiam scientiæ et certitudinis : quæ ex Epistola ad Corinthios comprobatur, ubi sic dicit : *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cœlis* (*II Cor.* V). Ecce Apostolus, quæ ad statum futuri temporis pertinent, et existimare se dicit et scire, ut existimationem fidei a scientiæ certitudine non separemus.

De eo quod scriptum est : Fides est substantia rerum
D *sperandarum, argumentum non apparentium.*

Quanta sit certitudo fidei, Apostolus ostendere volens, simulque quanta sit ejus utilitas, prætermittere nolens, de utilitate præmittens, certitudinem subjungens, sic ait : *Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium* (*Hebr.* XI). Rerum sperandarum tria genera sunt : bona temporalia, quibus indigemus ad sustentationem corporis; bona spiritualia, quibus indigemus ad informationem mentis; bona æterna, quibus fruendum erit in statu beatitudinis. Hæc a Deo petenda et speranda sunt, a quo etiam nobis hæc omnia repromissa sunt. Nam de temporalibus ad usum hujus vitæ necessariis dicit : *Hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth.* VI). De spiritualibus dicit : *Pater vester de*

cœlo dabit spiritum bonum petentibus se (*Luc.* XI). Per spiritum quippe, danda spiritualium charismatum munera intelligit. Æterna repromittit, cum in regno suo beatificandos nos ostendit, dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V.) et cætera, quæ sequuntur. Hæc omnia merito fidei obtinentur. Unde et utilitas fidei recte ostenditur, cum dicitur: *Fides est substantia rerum sperandarum.* Melior est autem fidei substantia, quam terrena substantia, quam pecuniæ thesauri, qui veterascunt et deficiunt. Fides enim causa est, per quam a Deo obtinentur, vel in re, vel in spe, quæ ab ipso petenda sunt, speranda et desideranda. Justus nimirum ex fide vivit, habens ex ea omnem vitæ sufficientiam, et virtutum gratiam, et præmiorum gloriam. Justus autem est, quem fides justificat eo ipso quod in Deum credit. Quid enim justius est, quam in illum credere; aut cui magis debet credi, quam illi; quidve certius esse debet, quam quod ille dicit aut promittit? Fides ergo non humana ratione nititur, ut acquiescat veritati, sed verbis Dei assentiens, ipsa sibi sufficit ad certitudinem veritatis: propterea argumentum dicitur esse rerum non apparentium; quia vera et certa appensione non apparentia approbat.

De argumentatione fidei.

Aliud est argumentum, quod est ipsa fides; aliud est argumentum, quo astruitur ipsa fides. Nam Christus in multis argumentis per dies quadraginta apparens discipulis (*Act.* I), et fidem resurrectionis suæ astruere volens, multa argumenta foris exhibuit, quibus discipulorum corda ad fidem suæ divinitatis et resurrectionis ex mortuis mirabiliter informavit: unde factum est ut quod foris mirabiliter est exhibitum, argumentum esset fidem roborans; et nihilominus ipsa fides argumentum esset, infallibili assensione non apparentia comprobans.

De non apparentibus.

Non apparentia autem intellige, quæ vel sensibus corporis, vel naturali mentis rationi non apparent. Quæ autem fide conspiciuntur, non apparentia dicuntur, quamvis fide percipiantur, ea videlicet ratione, quod nec sensu, nec ratione comprehenduntur. Cum autem eædem res sensu vel ratione et fide percipiuntur, etiam tunc secundum quemdam modum fides non apparentia comprehendit, quia altius se erigit, quo sensus vel ratio non assurgit. Per visibilia enim invisibilia conspicit, et circa ipsa apparentia non apparentia comprehendit. Nam, cum latro in cruce Deum confiteretur, passionem hominis vidit, passionem Dei agnovit, quod sensus vel ratio non valuit: eademque passio, quæ Dei et hominis fuit, secundum quod Dei erat, oculis fidei, apparuit, et oculis carnis non apparuit. Ita et opera Christi, quæ mirabiliter in carne gessit, et infirma quæ pertulit, et hominis erant, virtute Dei mirabiliter operantis, et Dei erant, in infirmitate hominis mirabiliter patientis. Fides autem Christum Deum et hominem comprehendens, Deique fortia et hominis infirma discernens, utraque, sive infirma, sive fortia, Dei esse conspicit, quia hominem Deum agnoscit. Ad hoc autem sensus vel ratio nullatenus attingit.

Quod fides sensu adjuvatur.

Fides tamen novit, quam sensu adjuvatur. Cum enim Thomas condiscipulis suis dixisset: *Nisi videro, non credam* (*Joan.* XX). Domino postea apparente et ad videndum et palpandum eum invitante, quia vidit, credidit, sicut Dominus testatur, dicens: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, et crediderunt* (*ibid.*) Qui autem tardi sunt ad credendum, visione signorum perducuntur ad fidem. Quod ostendit Dominus, cum secundum Joannem ad regulum dixit: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis* (*Joan.* IV). Propterea prædicantibus apostolis, sermonem, eorum sequentibus signis Dominus confirmavit ut, visis signis, crederent, qui sine signis non crederent. Sed multi signa viderunt, et tamen non crediderunt, sicut et multi signa non viderunt, et tamen crediderunt: *Populus quem non cognovi, servivit mihi; in auditu auris obedivit mihi* (*Psal.* XVII). Potest erge fides esse sine visu, verumtamen non sine auditu. Hinc Apostolus ad Romanos dicit: *Quomodo credent ei, quem non audierunt* (*Rom.* X). Et infra: *Ergo fides ex auditu; auditus autem per verbum Christi* (*ibid.*). Verbum autem vel foris auditur, cum prædicatur: vel intus auditur, cum Spiritu revelante creditur.

Quod fides cogitationibus prævenitur.

Ut verbum credatur, mens, Deo inspirante, cogitationibus prævenitur, quibus ad credendum mirabiliter inclinatur. Dum enim cogitat vel opera Dei, vel judicia Dei, vel præcepta Dei, vel promissa Dei, secundum quod ei a Spiritu sancto suggeritur, in se turbatur, et admiratur, et admirando contremiscit et credit. Admirando et timendo ingreditur fides, et credendo timor. Sic incipit enim credere et timere ut credendo timeat, et timendo credat. Nec præoccupat fides, nec anticipat timor, sed utrumque initium est, nam de timore scriptum est: *Initium sapientiæ timor Domini* (*Psal.* CX). Et in libro Sapientiæ de timore et fide ita scriptum est: *Timor Domini initium dilectionis ejus* (*Eccli.* XXXIV). Fidei autem initium agglutinandum est ei. Fidei initium intellige fidem initium. A fide incipit justificatio nostra. Nec dæmones contremiscerent, nisi crederent. Credunt autem et contremiscunt, sed eos nec credulitas justificat, nec sanctificat timor. Nobis autem, quos fides justificat in timore sancto, utrumque a Deo donatum est, timere et credere, in justitia et sanctitate. Non enim sufficimus cogitare unde Deum timeamus, vel in eum credamus, nisi nobis datum fuerit desuper. Propter quod Apostolus dicit: *Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum: non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (*I Cor.* III). Fides ergo ex auditu est, auditus autem per verbum Christi cum verbum prædicatur et auditur, et Deo suggerente

et agente, sic cogitatur ut credatur. Propterea fides Dei donum est et opus Dei.

Quod fides donum sit Dei.

Quod fides Dei donum sit, ostendit Apostolus in Epistola ad Ephesios, dicens : *Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus* (*Ephes.* II). Et iterum ad Philippenses : *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini* (*Philip.* I). Ex his manifestum est, fidem non merito operum præcedentium, sed sola gratia nobis dari, ut ne quis glorietur in fide, quasi eam ex se habuerit, vel quia merito suo acceperit.

Quod fides sit opus Dei.

Quod fides sit opus Dei ostendit Christus apud Joannem, qui interrogatus a quærentibus, *quid faciemus ut operemur opera Dei*, respondit, *hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille* (*Joan.* VI). Requisitus de operibus Dei quasi de multis, de uno respondit, quod ipse per se operatur in nobis, in quo bona quæ nos operamur in illo formantur, ut bona sint Deo bene placita, nobisque salubria. Unde scriptum est : *Omnia opera ejus in fide* (*Psal.* XXXII). Hac itaque Domini responsione, quærentes, *quid faciemus, ut operemur opera Dei*, monentur fidem habere, quæ est opus Dei, sine qua non possunt opera Dei operari. Ac si diceret : Habete fidem, quæ per dilectionem operatur opera Dei. Hoc opus operatur Deus nos trahendo, sicut scriptum est : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum* (*Joan.* VI). Ad Christum venit, qui in eum credit. Venit autem tractus, non quia invitus, sed quia infirmus, non jam non volens, sed per se non valens. Propter quod sponsa in Canticis canticorum infirmitatem suam agnoscens et adjutorio gratiæ indigens, dicit : *Trahe me : post te curremus in odorem unguentorum tuorum* (*Cant.* I). Qui credit tractus, venit abstractus ab errore, attractus veritatis amore, tractus vi gratiæ, tractus sancti desiderii fervore. Tractus qui ab invito dimittitur, qui non invitus admittitur. Trahitur autem manu potentis, voce invitantis, intusque monentis et docentis, sicut idem Joannes, ostendit dicens : *Est scriptum in prophetis : Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me* (*Joan.* VI). Docibilis Dei est, qui ab eo audit et discit, et ad Christum venit. Audit, cum verbum Dei diligenter attendit, cum altius cogitando secum mente revolvit. Discit, cum acquiescit, et corde non contradicit. Venit cum vera confessione et professione oris et operis ad discipulatum Christi accedit. Per fidem ad Christum trahimur, cum judicio sensus vel rationis reluctante, mens virtute verborum Dei aut signorum attonita admiratione stupet, et jam sibi credere non audet, jamjamque sibi quodammodo renuntians, ad gratiam fidei tanto magis humilia-tur, aptiusque præparatur, quanto ex his quæ audit vel videt, ipsa a se inferior et infirmior judicatur.

Quod obduratio cæcitas est et surditas.

Obduratio autem mentis, quæ nec virtute verborum quæ audit, nec virtute signorum quæ videt, ad fidem perducitur, ipsa recte surditas et cæcitas nominatur, juxta illud Isaiæ : *Excæca cor populi hujus, et aures ejus aggrava* (*Isai.* VI).

Quod fides lux est et verbum.

Fides autem sive per verba, sive et per signa aures cordis et oculos aperit. Unde videre et audire dicuntur, qui credunt; quia fides lux est et verbum : lux quidem, secundum illud Apostoli : *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu* (*II Cor.* IV). Tunc autem dixit de tenebris Deus lumen splendescere, quando de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum; quando discussis ignorantiæ tenebris, dixit : *Fiat lux, et facta est lux.* Fides vero verbum est, secundum illud Jacobi apostoli : *In mansuetudine suscipite insitum verbum* (*Jac.* I). Insitum autem verbum est Deo intus loquente cordi inditum, de quo Apostolus sic dicit : *Sed quid dicit Scriptura? Prope est verbum in ore et in corde tuo* (*Rom.* X ; *Deut.* XXX).

De eo quod scriptum est : « Prope est verbum, » etc.

Hoc est verbum fidei. Quæris quomodo prope sit in ore et in corde. Audi quod sequitur : *Corde creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* X). Prope ergo est, quia insitum est. Insitum autem quia per gratiam inditum. Si ergo fidem habes in corde, et eam ore confitearis, *Prope est verbum in ore et in corde tuo.* Utilitate autem prope est, quia vicinus es saluti. *Longe* autem *a peccatoribus salus* (*Psal.* CXVIII). Tu autem inferius es, et ex fide vivis. Nec longe es a regno Dei, appropinquavit regnum cœlorum. Jam Deum invocas in veritate : *Et prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate* (*Psal.* CXLIV). Jam Deum times, prope timentes eum salutare ipsius. Ergo si credis, *Prope est verbum in ore et in corde tuo.* Utilitate quidem, quia vicina tibi est salus, pro confessione fidei in ore et conscientia fidei in corde. Si autem nondum credis et potes credere, prope est, non quasi jam sit in corde, sed prope est ut sit in corde; et tam prope est, quam facile tu potes credere. Prope est, nondum præsenti utilitate, sed credendi possibilitate vel etiam facilitate. Fides quippe præterquam in his, qui vitio suo insanabiliter corrupti sunt, non longe est a natura nostra, quæ rationis est capax; et justitiæ, et beatitudinis per fidem particeps esse potest. Quod autem quidam non possunt credere ostendit Dominus, cum in Evangelio Joannis dicit : *Quomodo potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis; et gloriam quæ a solo Deo est, non quæritis?* (*Joan.* V.) Et iterum in eodem : *Quo ergo vado, vos non potestis venire* (*Joan.* VIII.) Ad gloriam siquidem ibat, ad quam venire non poterant, quia in errore confir-

mati credere non valebant. Et ipse Joannes dicit: *Propterea non poterant credere* (*Joan.* XII); quia iterum dixit Isaias: *Excæcavit oculos eorum, et induravit corda eorum, ut non videant oculis, et intelligant corde* (*Isai.* VI). Iis autem qui credere possunt, prope est verbum, non solum credendi possibilitate, sed gratiæ præparatione. *Lex enim per Moysen data est; gratia et veritas per Jesum Christum facta est* (*Joan.* I). Præparata sunt omnia, quæ ad vocationem gentium erant necessaria. Verbum caro factum est, carnalis observantia legis abolita est. Evangelium mundo prædicatum est, hostia pro salute mundi oblata est. Nil restat, nisi ut verbum fidei corde suscipiatur, per quam beatitudinem perveniatur. Unde apud Matthæum scriptum est: *Omnia parata sunt, venite ad nuptias* (*Matth.* XXII). Recte ergo in Deuteronomio scriptum est: *Prope est verbum in ore et in corde tuo* (*Deut.* XXX). Non carnalia Judæorum, non superstitiosa Scribarum et Pharisæorum requirit Deus, sed fidem: fide corda purificans, puritatem cordis diligit, quæ nobis sufficit ad salutem.

De eo quod scriptum est: «Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in cœlum? id est, Christum deducere.»

Fidei autem gemina utilitas est, inferni supplicia vitare et cœlestis regni dona obtinere. Quod ostendit Apostolus, cum in Epistola ad Romanos dicit: *Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in cœlum? id est Christum deducere; aut: Quis descendet in abyssum? hoc est, Christum a mortuis revocare* (*Rom.* X). Horum verborum ratio hæc est: Justitia quæ ex fide est, hoc suggerit cogitandum, firmiterque tenendum Christum ascendisse in cœlum, et descendisse in infernum, justos de suppliciis inferni liberaturum, et eisdem cœlorum præmia largiturum. Hoc autem nulli est negandum, hinc nulli est dubitandum. Propter quod dicit: *Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in cœlum.* Si enim dixeris nullum ascendisse in cœlum, consequens est ut dicas, nec Christum ascendisse; si autem dixeris Christum non ascendisse, quantum in te est, Christum de cœlo deducis. Et, sicut quis pro impia voluntate reus esset, et damnatione dignus, si vellet Christum de cœlo deducere, cum non posset; sic, qui negat Christum ascendisse, certa damnatione dignus est; et quasi invidens gloriæ Christi, vult eum ibi non esse, ubi negat eum esse. Omnis enim impietas studio sui erroris resistentem odit veritatem, et gloriæ invidet auctoris, qui veræ fidei initium ponit, et impietatis fundamenta subvertit. Hinc odium Judæorum adversus Christum, quem impia negatione, impiaque voluntate pariter persequuntur. Hinc est quod de cœlo deducunt, quem in cœlum ascendisse non credunt. Deducunt autem per reatum criminis, non per effectum voluntatis. Similiter qui dixerit: *Quis descendit in abyssum*, credens neminem descendisse, vel credens pro liberandis justis

A Christum non descendisse: hic quantum in se est Christum ex mortuis revocat, cum impia voluntate impiaque negatione eum pro liberandis justis non descendisse contendat. Hæc autem verba Apostoli de Christi ascensione, ejusque descensione, non solum contra infideles, ut nunc dictum est, sed etiam pro fidelibus, ut post dictum est, pie possunt intelligi. Sicut enim impii impia voluntate et negatione Christum deducunt, sed de cœlo; ita justi pia fidei devotione et confessione Christum deducunt, sed in cœlum. Deductionem autem in bonam partem accipi posse, ostendit Psalmista dicens: *Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria suscepisti me* (*Psal.* LXXII). Sed hoc de membris Christi. De ipso autem Christo B scriptum est: *Deducet te mirabiliter dextera tua* (*Psal.* XLIV). Si ergo non dixeris in corde tuo: Quis ascendit in cœlum, hæc est pia deductio. Hoc enim non dicere, quod impium est dicere, est Christum pie deducere. Ergo qui justificati sunt ex fide, Christum in cœlum ascendentem pio favore devotionis prosequuntur, et prosequendo in cœlum deducunt. Sed qui non credunt in cœlum ascendentem, odio malignitatis suæ persequuntur, et persequendo de cœlo deducunt. Horum pia devotio, pia est deductio; illorum impia negatio, impia deductio est. Similiter qui non dicunt, quis descendit in abyssum, et Christum descendisse credunt, pie Christum ex mortuis revocant, quem a mortuis resurrexisse credunt; impie revocant, qui resurrectioni contra- C dicunt, et descendisse negant.

De eo quod scriptum est in Jeremia: «Quis ascendit in cœlum?»

Quærendum est autem quid sibi velit, quod in libro Jeremiæ de sapientia scriptum est: *Quis ascendit in cœlum, et accepit eam, et deduxit eam de nubibus? Quis transfretavit mare, et invenit eam, et attulit illam super aurum electum?* (*Baruch.* III.) Quomodo conveniunt: *Quis ascendit in cœlum*, et, *Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendit in cœlum?* Sapientia de qua hæc dicuntur, Christus est, Dei virtus et Dei sapientia, de quo in eodem libro post pauca subjungitur: *Hic adinvenit omnem viam disciplinæ; et dedit illam Jacob puero suo, et Israel electo* D *suo. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est* (*ibid.*). Hanc autem sapientiam, ut ait Apostolus, nemo principum hujus mundi cognovit; nemo sapientium hujus mundi investigare potuit. Inter sapientes nempe hujus sæculi excellere videbantur; qui, ut verbis Isaiæ utamur, sidera contemplabantur, et supputabant menses, ut annuntiarent ex eis ventura (*Isai.* XLVII). De quibus quidam illorum poeta sic ait:

Felices animæ, quibus hæc contingere primis,
Inque domos superum scandere cura fuit.

Quis autem istorum ductu ingenii sui ascendit in cœlum, et accepit ibi sapientiam, et deduxit eam de nubibus? Nemo sane illorum veram sapientiam illic sibi percepit, vel ad aliorum notitiam perduxit;

sed tota illorum sapientia in obscuris eorum dictis A vel scriptis, sicut aqua in nubibus clausa, longe erat a via disciplinæ, quam dedit Deus Jacob puero suo, et Israel electo suo. Hanc sapientiam nec illi invenerunt, qui per terras et maria litteras toto orbe fugientes persecuti sunt. E quibus erat Plato. De quibus dicitur : *Quis transfretavit mare, et invenit eam, et attulit eam super aurum electum? Invenit, et attulit* simile est ei, quod prius dixit, *Accepit*, et *deduxit*. Hæc ergo sapientia non de schola academicorum, vel stoicorum, alteriusve similis erroris sectæ manavit; sed illi viam disciplinæ non invenerunt, propterea perierunt. Et, quoniam non habuerunt sapientiam, perierunt propter suam insipientiam. Dei ergo sapientia nec subtilitate humanæ rationis in alta se erigentis investigatur, nec labore B longinquæ navigationis acquiritur, ut de remotioribus finibus adducatur; sed de cœlo veniens erudit nos, et admonet terrena despicere, et amare cœlestia. Mundum autem despicere, hoc est, mare transire, et enavigatum post se relinquere. Cœlestia amare, hoc est, spe et desiderio in cœlum tendere. Nemo autem justorum vel mundum contemnens, vel cœlestia concupiscens, merito suo aut consilio hanc sapientiam prævenit, ut acciperet, deduceret, inveniret et afferret eam super aurum electum : *Quis enim consiliarius ejus fuit* (*Isai.* XL), aut quis prior dedit ei, et retribuetur illi? Ipsa vero secundum consilium voluntatis suæ ad nos veniens, sicut voluit, elegit, quibus se daret, qui eam diligerent C super aurum electum. *Pretiosior est* enim *cunctis opibus; et omnia quæ desiderantur, ei non valent comparari* (*Prov.* III). Non ergo Enoch, non Elias, non Paulus merito suo sapientiam præveniens, in cœlum ascendit, ut præventam ibi acciperet et deduceret; non filii Israel qui sicco vestigio mare transierunt; non Jonas, qui de mari et de ventre ceti liberatus; non Petrus supra mare ambulans; non Paulus de profundo pelagi ereptus, hanc sapientiam prævenit, ut eam inveniret; sed hi omnes, cæterique justi in his figurati, a sapientia Dei præventi sunt ut justi fierent, et mira facerent. Non est ergo contrarium, quod a Paulo commemoratum est : *Non dixeris in corde tuo, Quis ascendit in cœlum* (*Rom.* X); et quod in libro Jeremiæ scri- D ptum est : *Quis ascendit in cœlum?* Ibi enim negatio ascensionis Christi in cœlum interdicitur; hic vero nec Christi ascensio, nec nostra per Christum futura negatur : sed hoc ostenditur, quod vera sapientia, si de malis agitur, studio humanæ curiositatis non apprehenditur; si de bonis agitur, hoc insinuatur, quod merito sanctitatis hæc eadem sapientia non prævenitur; sed ipsa præveniens omnes qui sanctificandi erant, sapientiam revelavit in antiquis justis; viam disciplinæ ostendens in lege et prophetis, ubi latebat, sicut aqua in nubibus; donec effunderetur in tempore suo, radiante gratia et gloria resurrectionis et ascensionis Jesu Christi Domini nostri; qui factus est sapientia nobis a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.

Quod Christus auctor fidei divinitatis suæ potentiam miraculis indicavit, et fidei virtutem figuravit.

Hæc autem sapientia Christus est, qui se et Patrem per fidem nobis revelavit; et ipsius fidei, per quam se nobis manifestavit, auctor est et consummator, juxta quod Apostolus in Epistola ad Hebræos dicit : *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum* (*Hebr.* XII). Auctor autem fidei et consummator recte dicitur, qui ipsam fidem in nobis operatur, inchoans et consummans. Miracula autem, quæ Christus visibiliter operatus est, ut fides divinitatis ejus reciperetur, ipsius divinitatis potentiam indicabant, et ipsius fidei virtutem figurabant. Nam illuminans oculos cæcorum, et aperiens os mutorum, aures surdorum, dirigens gressus claudorum, ægros curans, leprosos mundans, mortuos suscitans, per hæc signa virtutem fidei signabat : quæ oculos mentis aperit ad intelligendum, aures aperit ad obediendum; os reserat ad confessionem, regit affectus, diluit peccata, purgat crimina, mortificatos carne spiritu vivificat.

De nova creatura.

Fides autem quasi nova quædam creatio est, immutans de non esse ad esse. Infideles nimirum quia in Deo non sunt, non esse dicuntur. Cum ad fidem convertuntur, esse incipiunt, quia a Deo esse accipiunt. Quod ante conversionem ad fidem nihil sint, ostendit Isaias, qui de gentibus non credentibus dicit : *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo; et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei* (*Isai.* XL). Mox ubi fides incipit, nova creatura incipit. Unde Apostolus ad Ephesios, cum præmisisset : *Gratia salvati estis per fidem* (*Ephes.* II); post pauca subjungit : *Ipsius enim factura sumus, creati in Christo Jesu in operibus bonis* (*ibid.*). Et iterum in Epistola secunda ad Corinthios : *Nos ex hoc neminem novimus secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus. Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt; ecce facta sunt omnia nova* (*II Cor.* V). Innovatis siquidem in fide Christi vetustas transiit, novitas accessit. Et in Epistola ad Galatas : *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed nova creatura* (*Galat.* VI). Creatura ergo Dei sumus per naturam, sed nova creatura per gratiam. Quod autem natura sumus, in pejus mutatum est per culpam; sed in melius reparamur per fidei gratiam, ut quasi de novo incipiamus, quia de vetustate innovamur. Hinc Psalmista dicit : *Et dixi : Nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ Excelsi* (*Psal.* LXXVI). Dixi, inquit, nunc cœpi, quasi Deo confitens, et laude referens, et non esse meæ virtutis intelligens, quod nunc cœpi : non enim manus mea excelsa, sed dextera Domini fecit virtutem; propterea dixi : Hæc mutatio dexteræ Excelsi.

Quod per fidem filii Dei efficimur.

Per fidem autem non solum in novam creaturam mutamur, sed et filii Dei efficimur. Hinc Joannes ait : *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* (*Joan.* I). Potestatem, inquit, dedit eis filios Dei fieri, non potestatem, qua solum possent aliquando filii Dei fieri, sed qua mox cum crederent, filii Dei fierent. Potestas ergo hæc, quæ credentibus datur, non in eventu exspectationis est, sed in præsentis potentis gratiæ effectu. Nam, qui per fidem justificari incipit, mox in filium Dei adoptatur, statim nomine filii honoratur. Hanc potestatem, quæ credentibus datur, nondum habent, qui nondum credunt. Hæc enim potestas non naturæ est, sed gratiæ. Credentibus autem sic datur potestas filios Dei fieri, ut ex B Deo nati sint.

Quod per fidem ex Deo nati sumus.

Quomodo autem ex Deo nati sint, ostendit B. Jacobus dicens : *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus* (*Jac.* I). Initium aliquod creaturæ dixit, quasi aliquomodo initium creaturæ, novo scilicet et singulari. Frequens nempe est, et commune, per creationis conditionem initium habere, sed per præparationis gratiam initium sumere, novum est in homine, et singulare. Novitas ergo est, et dignitas, esse aliquod initium creaturæ Dei. Ut hoc essemus, voluntarie genuit nos Deus verbo veritatis. Voluntarie quidem, quia gratis, non merito nostro. Genuit autem, non C sicut Filium sibi consubstantialem, quem non fecit, sed genuit. Nos autem quos creavit de non filiis per fidem filios fecit, et sic genuit. Unde etiam illud in Deuteronomio : *Deum, qui te fecit, dereliquisti; et oblitus es Domini Creatoris tui* (*Deut.* XXXII). Genuit autem verbo veritatis. Verbum siquidem Dei quasi semen in corde, si per assensionem mentis fidei admisceatur, ad divinam proficit generationem, ut filii Dei simus, secundum illud : *Genus enim Dei sumus* (*Act.* XVII). Quod si sermo auditus fidei non admisceatur, non proficit ad novæ generationis exordium. Unde Apostolus in Epistola ad Hebræos de quibusdam non credentibus dicit : *Non profuit illis sermo auditus, et non admistus fidei* (*Heb.* IV).

Quod fides est initium substantiæ ejus.

Fides ergo nos efficit aliquod initium creaturæ Dei; ideoque initium, quia ipsa est initium substantiæ ejus. Unde Apostolus in Epistola ad Hebræos: *Participes enim Christi facti sumus : si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus* (*Hebr.* III). Initium substantiæ ejus fidem dicit, quæ est initium omnium bonorum, et substantia nostra a Deo; substantia scilicet rerum sperandarum, ut prædictum est. Substantia nostra dicitur, et quod sumus, et quod habemus. De eo quod sumus, scriptum est in psalmo : *Memorare, quæ mea substantia* (*Psal.* XCVIII). Hoc ad Deum, qui novit figmentum nostrum. De eo quod habemus scriptum est : *Honora Dominum de tua substantia* (*Prov.* III). Substantia A autem nostra tota et in carnalibus bonis, et in spiritualibus donis, de munere Dei provenit. In spiritualibus vero donis, quæ salutem operantur in nobis, primum locum obtinet ipsa fides; propterea initium substantiæ dicitur. Substantia autem nostra sunt et naturalia bona, quæ in conditione suscepimus, et gratuita, quibus in reparatione renovamur. In Evangelio apud Lucam dixit adolescentior filius ad patrem suum : *Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit* (*Luc.* XV). Quæ est ergo substantia nostra, nisi natura nostra, quam a Deo accepimus; vel gratia, vel gloria, quam æque ab ipso accipimus, sicut scriptum est : *Gratiam et gloriam dabit Dominus?* (*Psal.* XXXIII.) Gloriam autem substantiam dici posse, ostendit Apostolus, qui in secunda Epistola ad Corinthios ait : *Quemadmodum dixi, parati sitis: ne cum venerint Macedones mecum, et invenerint vos imparatos, erubescamus nos* (*ut non dicamus vos*) *in hac substantia gloriæ* (*II Cor.* IX). Hortabatur Apostolus Corinthios ad opera charitatis. Gloriabatur de eorum charitate apud Macedones. Substantiam itaque gloriæ dicit ipsam terrenam substantiam charitative erogatam, vel erogandam, quæ erat gloria ipsorum in Domino, vel Apostoli pro ipsis apud Macedones. Vel ipsam gloriam dicit esse substantiam; quia bona gloriatio, vel Apostoli pro ipsis, vel ipsorum in Deo, spiritualiter vera substantia erat. Iterum in eadem Epistola seipsum commendans, et præferens se illis, qui gloriabantur secundum carnem, sic ait : *Quod loquor, non loquor secundum Deum; sed quasi in insipientia in hac substantia gloriæ* (*II Cor.* XI). Gloriam carnis substantiam dicit, prout illis videbatur, qui hanc magni æstimabant. Vera autem æstimatione gloria in Deo bona substantia est. Fides ergo initium est substantiæ; quia in reparatione nostra initium nobis est et gratiæ et gloriæ. Per hanc enim Deus gratificavit nos sibi in dilecto Filio suo, et glorificavit in illo. Glorificavit sic, ut simus filii Dei; non solum autem, sed et dii, sicut scriptum est :

Quod per fidem filii Dei sumus.

Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi omnes (*Psal.* LXXXI). Nondum apparet, quid erimus, sed nec quid nunc sumus. *Cum autem apparuerit Christus vita* D *nostra, tunc et nos apparebimus cum ipso in gloria* (*Coloss.* III); et tunc apparebit, quantæ dignitatis sit, et quanti honoris, deos esse, aut filios Dei. Cum pulcherrima visione divinæ substantiæ perfruemur, cum videbimus eum, sicuti est, tunc apparebit, quis finis, et quis fructus sit fidei, quæ est initium substantiæ Dei cognoscendæ : qua cognitione nihil est beatius, nihil dulcius. Quomodo fides sit initium substantiæ ejus, videlicet Dei, hoc est et illius substantiæ, quæ natura Dei est, quæ in se nec initium habet, nec finem, utrumque beatus Petrus in Epistola secunda ostendit, dicens : *Omnia nobis divinæ virtutis suæ, quæ ad vitam et pietatem donata sunt per cognitionem ejus, qui vocavit nos propria gloria et virtute : per quem maxima et pretiosa promissa nobis*

donavit, ut per hoc efficiamur divinæ consortes naturæ. Fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem (*II Petr.* I). Ex his verbis intelligite, *per cognitionem ejus qui nos vocavit*, hoc est per fidem Christi, omnia divinæ virtutis charismata, quæ nobis ad vitam in futuro obtinendam, et ad pietatem in præsenti conservandam, sunt necessaria, jam nobis donata; et promissa Dei in nobis jam esse completa, ut per hæc efficiamur divinæ consortes naturæ; consortes quidem, non in unitate substantiæ, sed participatione gratiæ. Quod autem personam immutat dicens: *nobis promissa donavit*, scilicet Judæis, ut vos gentes, per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ, per hoc indicatur, promissionem in Judæis completam, sed fructum communem esse et gentibus.

Quod fides est fundamentum et signaculum.

Fides autem, quæ initium est substantiæ, usque ad finem firmiter tenenda est, ut sit et ipsa firmum fundamentum, quod nullo modo possit subverti. Hinc Apostolus in Epistola secunda ad Timotheum ait: *Subverterunt quidam fidem. Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc* (*II Tim.* II). Fidem autem fundamentum dicit, quod fundavit Deus, et non homo, ideoque Dei dicitur. Hoc est fundamentum, quod nemo mutare potest. Hæc est petra, super quam fundata est Ecclesia. Hoc est *fundamentum apostolorum et prophetarum, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino* (*Ephes.* II). Hoc fundamentum firmum stat, cum adversus omnes tentationum impulsus perseverandi constantia inconcussa permanet, et citra finem non habet. *Habens*, inquit, *signaculum hoc.* Constantia fidei ipsa est signaculum, quo nos signavit Deus, et discrevit electos a reprobis. Propterea qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt, hoc signaculo signati non sunt, sed magis illi, quibus dicitur: *Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis* (*Luc.* XXII) Nullum enim certius signum salutis in nobis apparet, quam illud, de quo scriptum est: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X).

Quod per fidem habitaculum vel templum Dei sumus.

Super hoc fundamentum ædificamur in templum et habitaculum Dei in Spiritu sancto. Ubi est habitatio Dei per fidem? Audi Apostolum in Epistola ad Ephesios, sic dicentem: *Ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ virtute corroborari per spiritum ejus in interiori homine; habitare Christum per fidem in cordibus vestris* (*Ephes.* III). Si ergo virtus in nobis corroboratur per Spiritum Dei in interiori homine; si per fidem habitat Christus in nobis, tunc nos habitaculum sumus et templum Dei vivi; et fundamentum firmum stat, Christo inhabitante, et Spiritu sancto virtutem corroborante, et Deo nos signante, sicut ait Apostolus in Epistola secunda ad Corinthios: *Qui unxit nos Deus, et qui signavit nos, et dedit pignus spiritus in cordibus nostris* (*II Cor.* I). Quomodo fides initium sit et fundamentum, manifestius

A ostendit Petrus in Epistola secunda: *Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem. Hæc enim si vobiscum adsint et superent, non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Jesu Christi cognitione. Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est, et manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum* (*II Petr.* I). Verba ista diligenti meditatione pensata manifeste declarant, quod de fide, quasi initio et fundamento tota spiritualis ædificii fabrica consurgit. Et huc occurrit Ezechiel propheta, loquens de ædificio in monte

B constituto, et dicens: *Et in octo gradibus ascensus ejus* (*Ezech.*, XL). Quam parabolam Petrus edisserens, octo virtutum gradus hoc loco distinguit: Fidem, virtutem, scientiam, abstinentiam, patientiam, pietatem, fraternitatis amorem, charitatem. *Ministrate*, inquit, *in fide vestra virtutem* (*II Petr.* I). Non generaliter hoc omnem intelligere debemus virtutem. Nam scientia et abstinentia, et cæteræ quæ sequuntur virtutes sunt; sed specialiter ea virtus hic intelligenda est, quæ primos conatus nostros adjuvat contra priora delicta, ne rursum contra nos prævaleant, ne iterum vincamur, ubi victi sumus. Virtus ergo hic specialiter dicitur, non quæ sola virtus est, sed quæ prima est. Primum autem est in nova conversatione fugere eam, quæ in mundo

C est, concupiscentiæ corruptionem. De qua fugienda idem Apostolus in proximo præmiserat. De hac virtute scriptum est in psalmo: *Et præcinxisti me virtute ad bellum; et supplantasti insurgentes in me subtus me* (*Psal.* XVII). Scientia hoc loco intelligenda est, non ea quæ bonum intelligit et negligit; sed ea quæ potiora probat, et salubria eligit. Hæc scientia apud Deum laudem habet et meritum, et post virtutem recte ordinatur; quia reprobare malum et eligere bonum, virtus est et scientia. In abolitione quippe veteris vitæ opus est virtute: in inchoatione novæ conversationis pernecessaria est scientia, qua discamus post lapsum cautius ambulare. Huic adjungitur abstinentia, ea videlicet, qua etiam a quibus-

D dam licitis temperamus. Nam illa abstinentia, qua ab illicitis abstinetur, ad virtutem pertinet, de qua præmissum est. His adjungitur patientia, qua mala vitæ præsentis æquanimiter portantur. Has quatuor virtutes nobis debemus ad custodiam nostri, ut mala vitantes, et bona facientes, et hoc mundo temperanter utentes, et in adversis patientes, immaculati custodiamur ab hoc sæculo. Duas virtutes quæ sequuntur, pietatem videlicet et amorem fraternitatis, proximis debemus; pietatem quidem iis qui nostro adjutorio indigent, amorem autem fraternitatis et iis qui non indigent. Affectus enim amoris ad omnes dilatatur; pietatis vero affectus sive effectus indigentibus impenditur. Fidem autem et charitatem Deo debemus, in quem credere, et solum ante omnia,

et super omnia diligere, arctissime tenemur. Fides in imo est, charitas in summo. Hæc est scala, quam vidit Jacob, cujus summitas cœlum contingit (*Gen.* XXVIII). Per hanc ascendit, qui ascensiones in corde suo disposuit; qui per virtutum incrementa proficit, et in virum perfectum crescit. Sic vita fidelium super fidei fundamento ordinatur; sic templum Dei ædificatur, si fundamentum immobiliter sua firmitate stabiliatur.

De probatione fidei.

Ut stabiliatur, oportet fidem probari. De qua probatione Petrus in epistola prima sic ait: *Modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus: ut probatio vestræ fidei multo pretiosior auro (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem, et gloriam, et honorem, in revelatione Jesu Christi* (*I Petr.* I). Probatur autem fides tentatione, ut innotescat qualis et quanta sit; vel aliis ad exemplum, et fidei testimonium, vel ipsi qui tentatur, ad sui laboris solatium, et spei firmamentum, et perseverandi studium. Ante tentationem enim nec ipsi homini nota est fides sua. Hinc scriptum est in libro Sapientiæ: *Qui non est tentatus, quid scit?* (*Eccli.* XXXIV.) Et post pauca: *Qui non est expertus, pauca cognoscit* (*ibid.*). Deus autem, qui non permittit nos tentari supra id quod possumus, facit cum tentatione proventum, ut possimus sustinere (*I Cor.* X). Proventus autem est multiplex utilitas ex tentatione proveniens. Nam, cum testimonium fidei in tribulatione per constantiæ virtutem redditur, proximus ædificatur; in nobis autem meritum fidei augetur, fiducia proficiendi validius confortatur, charitas ardentius inflammatur, nomen Dei magnificentius honoratur, et misericordia ejus gloriosius mirificatur, mirabiliusque glorificatur. Deus autem fidem probat, non ut ipse scire incipiat, qui omnia novit, antequam fiant, sed ut virtutem suam in nobis, ad gratiæ et gloriæ suæ magnificentiam, notam faciat. Et tamen tunc scire dicitur, cum scire nos facit, quod nobis de nobis revelare dignatur. Unde est illud: *Proba me, Deus, et scito cor meum* (*Psal.* CXXXVIII). Ac si diceret: Probando cor meum notum mihi facito. Probatio autem vel tentationis est, dum adhuc tentatur, qui nondum probatus est; vel commendationis, cum digne laudandus est, qui in tentatione fidelis inventus est. De illa dictum est: *Proba me, Domine, et tenta me* (*Psal.* XXV). De ista vero scriptum est: *Nonne qui se commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat* (*II Cor.* X). Altera inquirentis est, altera invenientis. Aliter enim probat Deus, cum patientiam in nobis quærit; aliter, cum patientiam in nobis invenit. Aliter, cum nos interrogat et emendat; aliter, cum interrogatos et emendatos commendat. Aliter, cum dicitur: *Quis putas est fidelis servus et prudens* (*Matth.* XXIV); aliter, cum dicitur: *Euge, serve bone et fidelis* (*Matth.* XXV). Aliter, cum dicitur: *Petre, amas me* (*Joan.* XXI); aliter, cum respondetur: *Tu scis, Domine, quia amo te* (*ibid.*). Aliter, cum probatio operatur patientiam; aliter,

A cum patientia operatur probationem. Utrumque enim scriptum est. Jacobus enim sic ait: *Probatio fidei vestræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet* (*Jac.* I). Paulus vero in Epistola ad Romanos sic dicit: *Tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem* (*Rom.* V). Quod Jacobus dicit, *Probatio fidei vestræ patientiam operatur*, hoc est quod Paulus dicit, *Tribulatio patientiam operatur*. Tribulatio quippe probatio fidei est. Vasa enim figuli probat fornax, et viros justos ignis tribulationis. Quod vero Jacobus dicit: *patientia opus perfectum habet*, proficit ad hoc intelligendum, quod Paulus dicit, *patientia operatur probationem*. Cum enim patientia laudem habeat perfecti operis, consummatique laboris, per patientiam probatus ostenditur,

B qui in tribulatione fidelis invenitur.

Quod fides et fideles sibi invicem testimonium dent.

Qui autem fideles inveniuntur, hi testimonio fidei probati dicuntur. Unde Paulus in Epistola ad Hebræos de tentationibus antiquorum justorum præmittens, subinfert, dicens: *Et hi omnes testimonio fidei probati sunt* (*Hebr.* XI). Et in eadem de fide loquens, dicit: *In hac testimonium consecuti sunt senes* (*ibid.*). Fides quippe in tentatione probata, testimonium dat perseverantibus, quod justi sunt, et mercede digni. Et nihilominus testimonium dant ipsi fidei, quod vera sit, vereque tenenda, et in tempore tribulationis nullatenus deserenda.

Quod fides et oratio se vicissim adjuvant.

C Fides autem in tribulatione crescit, et patiendo et orando pondus tribulationis vincit. Adjuvatur enim fides oratione, ut non deficiat, et ut vim tentationis superare prævaleat, maxime autem ejus oratione, qui ad Petrum dixit: *Ego rogabo pro te, ut non deficiat fides tua* (*Luc.* XXII). Oratio autem semper fit in fide, tum pro ipsa fide, tum pro quacunque liberatione, vel consolatione, quæ contra prementem tribulationem vel necessitatem impetratur ex fide.

De iis quæ scripta sunt in Evangelio de monte transferendo, et ficulnea.

Si enim virtus fidei sic proficit ex tribulatione, sicut virtus sinapis crescit et acuitur attritione, nulla est difficultas justis desideriis obsistens; nulla est moles adversitatis, instar montis nos opprimens,

D quæ orationis instantia et perseverantia transferri non possit, vel ut transeat, vel ne noceat. Hoc est, quod Dominus dicit apud Matthæum. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc, et transibit; et nihil impossibile erit vobis* (*Matth.* XVII). Et iterum, mirantibus quod ficulnea continuo aruit, apud eumdem evangelistam dicit: *Si habueritis fidem, et non hæsitaveritis, non solum de ficulnea facietis, sed et si monti huic dixeritis: Transi, et jacta te in mare, fiet* (*Matth.* XXI). Quamvis ad istos visibiles et corporales montes transferendos, qui collocati sunt, ut gravi mole consistant, virtus fidei sufficere possit, si ita fieri oporteret, vel expediret: cujus rei exemplum in *Dialogis* beati Gregorii de Gregorio Neocæsareæ Ponti antistite refertur, tamen

a spiritualibus, quibus spiritualia comparantur, hæc Domini verba magis spiritualiter accipienda sunt de montibus spiritualibus, qui majori virtute fidei potentius et mirabilius transferuntur, quam si visibilium montium immensæ moles de suis sedibus transponerentur. Montes ergo sunt alta vitiorum et e diverso excelsa virtutum. Montes quoque sunt alta et gravia tribulationum et tentationum. Montes etiam boni, qui sublimitate virtutum præeminent, quales sunt apostoli, cæterique merito sanctitatis præcelsi. Montes quoque sunt homines, vel mali angeli, qui tumore elationis superextolluntur. Circa hujusmodi montes adimpletur quod Dominus hoc loco dicit; et illud, quod scriptum est in psalmo : *Transferentur montes in cor maris* (*Psal.* XLV). Cum ergo diabolus cum vitio, per quod quempiam peccatorem possidebat, fide prædicata et recepta cor credentis et pœnitentis deserit, et alium in mundo, quem mare significat, invadit, tunc virtute fidei mons de loco suo translatus in mare se jactat. Cum is qui viriditatem boni operis habere videbatur, prædicata veritate et non recepta infructuosus invenitur, vel manifeste deterior efficitur; tunc ficulnea sine fructu in ariditatem vertitur. Talis erat Synagoga infidelis, quæ fructum non habuit, et maledictione digna aruit. Utrobique autem virtus fidei agnoscitur, et tunc ficulneam non recepta damnat, et cum recepta montem in mare jactat. Pulchre autem in iis Domini verbis post ficulneam damnatam virtus fidei tanta monstratur, quæ possit montem transferre, quia per fidem apostolorum mundo prædicandam Judæa erat excæcanda, et mons de loco suo transferendus, hoc est diabolus de gentilitate ejiciendus, ita quidem, ut se jactaret in mare, hoc est in profundum Synagogæ, quæ dudum terra erat, nunc autem mare, sicut gentilitas nunc est terra, quæ fuit mare. Quod autem Job de Domino loquens, dicit : *Transtulit montes, et nescierunt ii, quos subvertit in furore suo* (*Job* IX), de apostolis intelligitur, qui montes sunt, sicut scriptum est de eis : *Justitia tua sicut montes Dei* (*Psal.* XXXV). Hos montes transtulit Dominus a Judæis ad gentes : quod nescierunt Judæi, qui in hoc submersi sunt, putantes sibi gaudium, quod lumen perdiderunt. De his montibus ad gentilitatem sic translatis recte intelligi potest, quod paulo ante præmissum, et ad alium intellectum est assumptum : *Transferentur montes in cor maris* (*Psal.* XLV). Montes ergo transferuntur, cum justorum desideriorum impedimenta, tentationum et tribulationum pondera adjutorio gratiæ Dei tolluntur. Montes transferuntur, cum sancti prædicatores de aliis qui excæcandi sunt, ad alios, qui per gratiam illuminandi sunt, mittuntur; montes transferuntur, cum dæmones ab obsessis corporibus expelluntur; montes transferuntur, cum tumentia corda malorum de suis sedibus, hoc est pravis moribus transponuntur. Hinc et montes fluere dicuntur, cum corda peccatorum per pœnitentiam liquefacta, sicut cera, solvuntur. Hinc scriptum est : *Montes sicut cera fluxe-*

A *runt a facie Domini; a facie Domini omnis terra* (*Psal.* XCVI). Hæc autem operatur fides in conversione peccatorum. Econtrario in aversione bonorum accidere solet. Nam, fide in tentatione deficiente, qui meritis præcelsi vel sunt, vel esse putantur, in prona dilabuntur, et de loco suo transferuntur. Hinc et Job dicit : *Mons cadens defluit, et saxum de loco suo transfertur* (*Job* XIV), cum repentina tentatione propositum sanctitatis deseritur. Hoc autem quod de monte transferendo per virtutem fidei Dominus dicit, ex aliqua parte simile est illi loco Isaiæ, ubi scriptum est : *Nonne adhuc in modico, et convertetur Libanus in Carmel, et Carmel in saltum reputabitur?* (*Isai.* XXIX.) Quid enim significat hæc conversio montis in montem, et reputatio montis in saltum, nisi fidei et impietatis in circumcisione et præputio alternam vicissitudinem?

B Quod enim dudum per infidelitatem præputium fuit, hoc nunc circumcisio est. Quod dudum circumcisio fuit per fidei pietatem, hoc nunc præputium est per fidei commutationem. Secundum Hieronymum super Isaiam Libanus mons Phœnicis est. Carmelus qui Hebraice dicitur Chermel, in confinio Palæstinæ atque Phœnicis Ptolemaidi imminet. Alius quoque in Scripturis sanctis mons Carmelus appellatur, in quo fuit Nabal Carmelus. Rursus super Isaiam idem dicit : *Idioma Scripturarum est, quod semper Carmelum montem optimum atque nemorosum, qui Ptolemaidi imminet, et in quo oravit Elias, fertilitati et abundantiæ comparet.* Hæc ergo conversio Libani

C in Chermel, et reputatio Chermel in saltum, in præputio et circumcisione secundum fidei commutationem, ut dictum est, accipienda est. *Ubi* enim *abundavit delictum, superabundavit et gratia* (*Rom.* V). Ubi tunc fertilitas, ibi nunc sterilitas invenitur.

Quod virtus fidei aliquando per malos ministratur.

Tanta est virtus fidei, ut montes transferre, et dæmonibus imperare, etiam per malos prævaleat. Quod ostenditur ex verbis Apostoli, et ex verbis Evangelii. Nam Apostolus ad Corinthios charitatem commendans, sic ait : *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum* (*I Cor.* XIII). An non hinc vides, quomodo fides sine charitate montes transferre prævaleat? In Evangelio vero Matthæi ex persona quorumdam,

D qui utique mali intelligendi sunt dicitur : *Nonne in nomine tuo prophetavimus, et dæmonia ejecimus, virtutes multas fecimus?* (*Matth.* VII.) Ex Evangelio Lucæ ostenditur, quidam, qui Christum non sequebatur, in nomine ejus dæmonium ejecisse, dicente Joanne ad Jesum : *Domine, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, et prohibuimus eum, quia non sequitur nos* (*Luc.* IX). Et dixit ad illos Jesus : *Nolite prohibere. Qui enim non est adversum nos, pro nobis est* (*ibid.*). Ecce quid possit fides, etiam per malos, qui invocato nomine Christi, dæmonia ejiciunt: quem non invocarent, nisi crederent, sicut scriptum est : *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* (*Rom.* X.) Si autem isti, qui in nomine Christi dæmonia ejiciebant, non credebant, nec ex

fide nomen Christi invocabant, sed tantum Christum nominabant, ut virtutem nominis probarent, tunc virtus secuta huic nomini attribuenda est: quod potuit, licet non ex fide invocatum, sed tantummodo ad probationem nominatum, dæmonibus imperare; nec eorum fidei hoc ascribi potest, si non crediderunt, qui hoc fecerunt.

Potentia fidei ex incredulitatis potentia monstratur.

Potentia quoque fidei, quæ fit contra dæmonum malitiam, ex contraria incredulitatis impotentia ostenditur; ubi apud Matthæum pater lunaticum filium offerens, dixit ad Jesum: *Obtuli eum discipulis tuis, et non potuerunt curare eum* (*Luc.* IX). Quo curato dæmonioque ejecto, cum quærerent discipuli: *Quare nos non potuimus eum ejicere*, dixit eis Jesus: *Propter incredulitatem vestram* (*ibid.*). Qui propter incredulitatem non potuerunt, ostenduntur quod potuissent, si credidissent. Unde Dominus consequenter subjungit: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: transi hinc, et transibit; et nullum impossibile erit verbum* (*Matth.* XVII).

An potestas signorum semper fidei adjuncta sit.

Dominus in plerisque locis sic fidem commendat, quasi ei semper potestas signorum faciendorum inseparabiliter adjuncta sit. Nam in quodam loco dicit: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti* (*Marc.* IX). In alio loco apud Marcum dicit: *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur* (*Marc.* XVI), etc. Rursus apud Joannem dicit: *Qui credit in me, opera, quæ ego facio et ipse faciet, et majora horum faciet* (*Joan.* XIV). Hæc et his similia, de virtute fidei sic a Domino dicta videntur, quasi omnia possit qui credit, et quasi non credat qui non omnia possit. Sed manifestum est et fide dignum quod fides multis data est, quibus potestas miraculorum data non est. Nam multi prophetarum signa non fecerunt, inter quos fuit Joannes Baptista, non solum propheta sed plusquam propheta. De quo in Evangelio Joannis scriptum est: *Multi venerunt ad Jesum, et dicebant, quia Joannes nullum quidem fecit signum* (*Joan.* X). Quod quasi admirando dixisse videntur, quasi magna admiratione fuisset dignum, virum tantæ sanctitatis signum fecisse nullum. Hostes vero fidei futuri potestatem signorum habituri monstrantur, ex eo quod Dominus in Evangelio Matthæi dicit: *Surgent pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi* (*Matth.* XXIV). Apostolus vero in Epistola ad Thessalonicenses de filio perditionis loquens, ait: *Destruet eum Dominus illustratione adventus sui, eum, cujus est adventus secundum operationem Satanæ, in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis* (*II Thess.* II). In prodigiis mendacibus dictum est, quia ad seducendum fient, ut credatur mendacio; vel quia non vera signa erunt, sed apparentia. Forte enim signa quædam falsa facturus est, ut quocunque modo seducat. Hoc ex eo videtur, quod Apostolus adjungit, dicens: *In omni seductione iniquitatis.*

Quod fides et oratio similem habent commendationem.

Si ergo fides sine potestate signorum, et potestas signorum sine fide collata est, et conferenda, quid sibi vult hæc commendatio fidei tam magna, tam valida? Sed attendendum quod oratio in plerisque locis similem habet commendationem. Dicit Dominus discipulis suis: *Amen amen dico vobis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (*Joan.* XVI). Et in Evangelio secundum Marcum: *Quæcunque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis* (*Marc.* XXI). In Evangelio vero Matthæi: *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quam petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est* (*Matth.* XVIII). Ex his attende quod divina penetrabilia sunt oranti, sicut omnia dicuntur possibilia credenti. Fides enim et oratio similem virtutem habere noscuntur, et altera ab altera vicissim adjuvatur. Unde Dominus apud Marcum virtutem fidei discipulis ostendens, virtutem orationis statim adjungit, eique similitudine quadam conjunctam ostendit, dicens: *Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia qui dixerit monti huic, tollere, et mittere in mare, et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcunque dixerit, fiat, fiet ei. Propterea dico vobis, quia quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, et evenient vobis* (*Marc.* II). Pensate ex his verbis, quam potens sit fides ad omnia, quæ sine hæsitatione dicuntur, ut fiant; quam potens sit oratio æque ad omnia, quæ in fide petuntur, ut eveniant.

An nostræ possibilitatis sit, circa impossibilia non hæsitare.

Sed dicet aliquis: Quis potest dicere sine hæsitatione huic monti, tollere, et mittere in mare? Nonne æque impossibile videtur, super hoc non hæsitare, sicut et hoc facere? Si autem utrumque, et hoc facere, et super hoc non hæsitare, non nostræ possibilitatis, sed divinæ virtutis est, poterit videri Deo indigna talis promissio, qua promittit montem sola dictione transferendum, si non fuerit in dicendo hæsitatum: cum ipsa hæsitatio, quantum in nostra potestate est, ita sit immobilis de corde nostro, sicut et hic mons de loco suo. Quid ergo dicemus ad hoc? An ostendere voluit Dominus, virtute fidei et orationis posse fieri impossibilia, si non obsistat hæsitatio nostra? An et ipsa hæsitatio, etiam de re impossibili, post promissionem Dei, non sine culpa nostra est, si et hæc duritia cordis nostri est? An impotentes sumus ad facienda impossibilia; quia fide tardi sumus ad ea credenda? An postquam a Domino dictum est: *Omnia sunt possibilia credenti, et nihil impossibile est ei* (*Marc.* IX), tanta debet esse certitudo hujus sermonis, ut quædam imperfectio fidei dicenda sit, omnis super hujus sermonis veritate hæsitatio? Si hæsitatio circa impossibilia imperfectio fidei est, quanto magis circa possibilia? Si hæsitatio fidei circa impossibilia imperfectio fidei est, quis sanctorum est, in hac infirmitate carnis constitutus, qui dicere non possit

Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam? (*Marc.* IX.) Quis est, qui interdum non hæsitet? Quis, qui sibi fidem augeri non indigeat? Nam et apostoli fidem sibi augeri postulabant. Sic enim scriptum est in Evangelio Lucæ: *Dixerunt apostoli Domino: Adauge nobis fidem. Dixit autem Dominus. Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro: Eradicare, et transplantare in mare, et obediet vobis* (*Luc.* XVII). His verbis sanctum desiderium apostolorum videtur approbare Dominus, et commendare. Nam cum paulo ante dixisset Dominus: *Impossibile est, ut non veniant scandala* (*Matth.* XVIII), desiderantes apostoli fidem sibi augeri, ut fide fortes scandalis non cederent, audierunt a Domino, quod de grano sinapis et arbore moro hic præmissum est, ac si eis diceretur: Recte desideratis fidem augeri; quia si augeatur inter scandala, ut sit sicut granum, quod attritione plus potest, virtute ejus poterit hæc arbor eradicari, et transplantari in mare. Unde certum esse debet, adversus eam scandala prævalere non posse. Mystice autem arbor hæc, cujus fructus sanguine rubet, Christum designare potest, sanguine passionis rubricandum: qui, fervente persecutione, contra fidem apostolorum instar sinapis attritione augendam, de Synagoga ad gentilitatem transferendus erat, sicut arbor de terra eradicata, et mirabiliter in mare transplantata. Ut hæc transplantatio fieret, necesse erat, fidem apostolorum augeri contra scandala, quæ, sicut Dominus prædixerat, impossibile erat non evenire. Sic autem Christus per hanc arborem mori seipsum designat, sicut per hanc petram seipsum designavit, cum diceret: *Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI). Per hoc templum, cum diceret: *Solvite templum hoc* (*Joan.* II). Exemplo igitur apostolorum edocti, qui contra ventura scandala postulabant sibi fidem augeri, necesse semper habemus et nos, dum per fidem ambulamus, orare et dicere: *Domine, auge nobis fidem* (*Luc.* XVII), ne hæsitatione tentati deficiamus: qua tentatione pulsatus est Moyses ad aquas contradictionis; pulsati sunt et apostoli, qui de lunatico propter incredulitatem suam dæmonium ejicere nequiverunt, cum data esset eis a Domino potestas infirmos curandi, et dæmonia ejiciendi. Hac tentatione pulsamur et nos, quamvis non circa signa facienda, ut illi. Pulsamur tamen hæsitatione tentati inter multas urgentes necessitates, quæ nos impellunt; inter multas difficultates, quæ a bono nos retrahunt; inter multa boni propositi sanctive desiderii impedimenta, inter multa vitæ et salutis nostræ discrimina. Quamvis enim Dominus adjutorium suum nobis repromittat, quamvis nec capillum de capite nostro periturum dicat, et ad hoc dicat, ut securos nos faciat; quis tamen usquequaque fide firmus, et ubique securus est? Quis semper sibi consistit? Quis aliquando non titubat? Quis nunquam hæsitat? Proinde qui vix modicam fidem habemus, fidem nobis augeri indigemus, semperque tenemur confessionem fidei Deo offerre, et pro adjuvanda incredulitate indesinenter supplicare, dicentes: *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam* (*Marc.* IX). Sic autem dictum est, *Adjuva incredulitatem meam*, sicut ab Apostolo dictum est: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram* (*Rom.* VIII); et sicut a Propheta dictum est: *Deus meus, illumina tenebras meas* (*Psal.* XVII). Tenebras illuminat, cum dat intelligere quod minus intelligimus. Infirmitatem adjuvat, cum dat posse, quod minus possumus. Incredulitatem adjuvat, cum facit credere, quod minus credimus.

Quod potestas signorum sanctitatem non facit, sed ostendit.

Fides itaque a Deo semper postulanda est, non potestas signorum. Fides enim nos justificat: at potestas signorum sanctitatem quidem aliquando ostendit, sed sine fide nunquam facit: Qui credunt, et signa non faciunt, non ex hoc pusillanimes fiant, cum scriptum legant: *Joannes nullum signum fecit* (*Joan.* X). Qui signa faciunt, non inde superbiant, cum Dominus dicat: *Surgent pseudochristi, et pseudoprophetæ et dabunt signa magna* (*Matth.* XXIV). Non glorientur, qui signa faciunt, ne forte elati, in judicium incidant diaboli. Attendant, quod in Evangelio Lucæ scriptum est: *Reversi sunt septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis. Videbam Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem* (*Luc.* X). Et infra: *In hoc nolite gloriari, quia spiritus subjiciuntur vobis* (*ibid.*).

De vana securitate.

Is autem qui tentat, qui et per superbiam lapsus est, quos decipere non valet hæsitatione pusillanimitatis, seducere molitur præsumptione securitatis. Propterea multi non fidei pietate, sed temeritatis securitate, audaces ad ardua, impossibilia tentant, cum scriptum sit: *Non tentabis Dominum Deum tuum* (*Deut.* VI). Hinc est quod pericula quæ vitare possunt, vitare nolunt, dum dignos, quibus mala non noceant, se arroganter credunt. Et quia magna volunt, de voluntate virtutem metientes, et infirmitatem suam non agnoscentes, se posse credunt, quod se velle cognoscunt. Hinc et Petrus infirmitatem suam non intelligens, et voluntatem suam attendens, præsumpsit et dixit: *Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo* (*Matth.* XVI). Postea timuit et negavit; utrobique tentatus, hic hæsitatione pusillanimitatis, illic præsumptione nimiæ securitatis. Utramque tentationem fidei et nos ipsi intra nos experimur, nunc vane timidi, nunc vane securi; nunc pusillanimitate deficientes, nunc securitate præsumentes. Mira Dei dispensatio hæc, qua permittit electos suos ad horam cadere, ut fortiores resurgant, ut cautiores fiant, ut de se minus confidant, ut infirmitatem suam perfectius agnoscant, ut Deo firmius hæreant, ut gratiam ejus, sine quo nihil possunt, commendatiorem habeant.

Quomodo omnia possibilia sunt credenti.

Quoniam autem multi non credentes, hæsitatione vel præsumptione tentati, aliisque modis impediti, nec signa possunt facere, nec omnia quæ desiderant, valent obtinere : recte quæritur quomodo sit intelligendum, quod Dominus dicit: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti* (*Marc.* VII). Sed Jesus, qui dixit : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (*Joan.* XVI), hanc quæstionem absolvit, ostendens a Patre nobis danda, quæ in nomine ejus, quod est Jesus, a nobis fuerint postulata. Hæc sunt autem, quæ nobis sunt salubria, quæ nostris profectibus sunt utilia, quæ nostræ saluti sunt accommoda. Hæc sunt, quæ nobis expedit dari, quæ sola debent a nobis postulari. Omnia ergo possibilia sunt credenti, quando virtus fidei et orationis potens est ad omnia, quæ juste desiderantur et salubriter postulantur. Et qui credit, ad hæc omnia potens est, in eo qui omnia potest. Unde Apostolus in Epistola ad Philippenses, ait : *Omnia possum, in eo qui me confortat* (*Philip.* IV). Omnia ergo possibilia sunt credenti ; quia in Deo omnia possunt credentes. Non solum autem, sed et Deus, omnia potest circa credentes. Circa infideles autem non sic. Nam beneficia Dei nonnunquam peccato infidelitatis impediuntur a Deo, ut quodammodo dicatur Deus non posse, quod obstante infidelitate prohibetur facere. Unde in Evangelio Marci scriptum est: *Abiit Jesus in patriam suam ; et non potuit ibi virtutes multas facere, nisi paucos infirmos, impositis manibus, curavit : et mirabatur propter incredulitatem eorum* (*Marc.* VI). *Non potuit*, inquit, quia peccata eorum gratiam Dei ab eis prohibuerunt, juxta quod Jeremias dicit : *Peccata nostra prohibuerunt bonum a nobis* (*Jer.* V). *Mirabatur*, dixit, quia nobis mirandum ostendit, tantam eorum incredulitatem fuisse, propter quam non potuit ibi signa facere.

De eo quod scriptum est: «Signa eos qui crediderint, hæc sequentur. »

Hoc autem quod scriptum est : *Signa eos qui crediderint, hæc sequentur* (*Marc.* XVI), si litteraliter intelligatur, non generaliter ad omnes credentes pertinet, sed specialiter ad quosdam : maxime autem ad illos, quibus datum est in initio nascentis Ecclesiæ virtutes facere, ut per signa fidem reciperent, qui sine signis ad fidem non venirent. Sic enim oportuit, ut nova facerent, qui nova prædicarent, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis. Fide autem longe lateque recepta, et novitate signorum confirmata, signa tanquam minus necessaria, cessare cœperunt; et multitudo testium, et testimonia populorum successerunt, quæ pro signis et præ signis ad assertionem fidei sufficere potuerunt. Hinc Apostolus in Epistola prima ad Corinthios : *Linguæ in signum sunt, non fidelibus sed infidelibus ; prophetiæ autem non infidelibus sed fidelibus* (*I Cor.* XIV). Illud quoque spiritualiter intelligendum est : *Qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet ; et majora horum faciet* (*Joan.* XIV).

A Quod dictum est, *Majora horum faciet*, duobus modis intelligi potest, vel sic : Quæ maxima feci faciet; vel majora quam fecerim, faciet. Si de majoribus agitur, majus videtur, quod umbra Petri sanavit, minus quod fimbria vestimentorum Christi. Cum autem fides pluribus communis sit, quam corporalium potestas signorum, per fidem tamen mira intus operantur, qui foris visibiliter signa facere non possunt. Hinc scriptum est : *Beatus vir, qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris. Quis est hic, et laudabimus eum ? Fecit enim mirabilia in vita sua* (*Eccli.* XXXI). In vita sua nimirum mirabilia faciunt, qui in Christo mirabiliter vivunt. Plus est enim quam signa facere, inter vitæ hujus corruptiones sine B macula vivere. Plus est, aurum non concupiscere, et cupiditatem sæculi in se exstinguere, quam hydropicum sanare. Plus est, lepram mentis, et animi vitia declinare, quam languores corporum curare. Plus est, peccandi consuetudine inveteratum per pœnitentiam resurgere, quam quatriduanum a mortuis suscitare. Hæc spiritualia signa per fidem operantur omnes justi : quæ corporalibus signis comparata, majora inveniuntur, et majori admiratione digna habentur. Hæc autem et illa operatur Deus, mirabilis in sanctis suis, qui semper hoc vel illo modo mira facit, innovans signa et immutans mirabilia.

Quæ miranda sint circa fidem.

Ipsa autem fides non humanæ possibilitatis, sed C divinæ virtutis et voluntatis opus, inter mirabilia opera Dei magnam facit admirationem. Quis enim incomprehensibilia fidei mysteria fide intuens, et diligenter perpendens, non miretur ea posse credi, cum omnem sensum superent, omnemque humanæ sapientiæ rationem transcendant ? Quis hæc tam mira, tam profunda, tam inscrutabilia credere potest, nisi ei datum fuerit desuper ut credere possit? Quis non miretur circa ipsam fidem, quod aliis datur aliis non datur ; et quibus datur, aliis per signa datur, aliis sine signis datur? Similiter autem quibus non datur, aliis inter signa non datur, aliis sine signis non datur. Alii signa viderunt et crediderunt; alii viderunt, et non crediderunt ; alii non viderunt, et crediderunt ; alii non viderunt, nec crediderunt. D Cumque omnia signa fiant aut per fidem, aut propter fidem, ipsis signis, quæ circa nos aut in nobis fiunt, mirabilior est ipsa fides. Est autem et hoc mirabile quod signa quibusdam exhibita sunt qui viderunt, et credere noluerunt; aliis autem exhibita non sunt qui, si vidissent, credere potuerunt. Hinc in Evangelio Matthæi scriptum est : *Tunc cœpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam, dicens : Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida : quia, si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent. Verumtamen dico vobis : Tyro et Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis. Et tu Capharnaum, nunquid usque in cœlum exaltaberis ? usque in in-*

fernum descendes. Quia si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hunc diem. Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii, quam tibi. (*Matth.* xi). Quis in his non miretur occultam Dei justitiam? Ad hæc investiganda quis idoneus? Sed omittamus inquirere, quod Deus noluit revelare.

Quomodo Dominus quorumdam fidem commendat.

Illud autem attendendum est quod quorumdam fidem commendat Dominus ante signum curationis; quorumdam vero post factam curationem. Aliquando vero fidem, vel etiam confessionem fidei exigit ante curationem. Quædam etiam signa facit merito fidei alienæ; quædam merito fidei propriæ. Fidem centurionis commendans, ait: *Non inveni tantam fidem in Israel* (*Matth.* viii). Deinde addidit: *Vade, et sicut cupis, fiat tibi* (*ibid.*). Ecce hic commendatio fidei præcedit, et sequitur curatio pueri a Domino facta patrocinio fidei et intercessionis alienæ. Sed quærendum occurrit quomodo Dominus dixerit, se non invenisse tantam fidem in Israel. Quis enim fidem centurionis præferre audeat fidei Jacob et prophetarum? Quod si de hominibus temporis illius agitur, quis eam præferre audeat fidei Joannis Baptistæ, aut beatæ Virginis, de qua scriptum est: *Beata, quæ credidisti; quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino?* (*Luc.* i.) Sed hoc pro majori parte populi Israelitici tunc temporis accipiendum videtur, cum dignum esset, in illis, quibus credita sunt eloquia Dei, majorem fidem inveniri, quam in homine gentili; qui sine lege et prophetis Christo intus vocante ad fidem veniens, fidem gentium præfigurabat. Fides ergo centurionis ipsa est fides gentium, quæ fidei Israel comparata, in hoc major invenitur quod et vocatione mirabilior est, et numerositate credentium copiosior. Hinc est, quod evangelista præmittit: *Audiens Jesus, miratus est* (*Marc.* viii). Et addidit: *Non inveni tantam fidem in Israel* (*ibid.*). Ad hoc nimirum Jesus miratus fuisse describitur, ut ex ejus admiratione vocatio centurionis sive gentium magna admiratione digna nobis ostendatur. In Matthæo de paralytico, sic scriptum est: *Offerebant ei paralyticum, jacentem in lecto. Et videns Jesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua* (*Matth.* ix). Attende in hoc loco, quid possit fides aliena, quæ paralytico ad hoc valuit, ut ei diceretur: *Confide, fili*; quatenus fide confidens, filii nomen sibi acquireret, et peccatorum remissio mox adesset. Si autem ad nondum credentem dictum est: *Confide*, admonitus est incipere. Si ad jam credentem, admonitus est perseverare. Sic ad mulierem, quæ fluxum sanguinis patiebatur, dictum est: *Confide filia*; et adjungitur: *Fides tua te salvam fecit* (*ibid.*): ubi ostenditur, quid possit fides propria. Similiter apud Lucam ad mulierem peccatricem in domo Pharisæi dicitur: *Fides tua te salvam fecit* (*Luc.* vii). Ad duos vero cæcos clamantes et dicentes: *Miserere nostri, fili David*, dixit Jesus: *Creditis, quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei. Utique, Domine.* Tunc tetigit oculos eorum, dicens: *Secundum fidem vestram fiat vobis* (*Matth.* ix), et aperti sunt oculi eorum. Hoc in loco a credentibus confessionem fidei exquirit. Qua audita, secundum fidem eorum eis fieri præcipit. Ad mulierem Chananæam dicit: *O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut petisti* (*Matth.* xv), et sanata est filia ejus ex illa hora. Attende et hic, quod fide matris filia sanatur: cujus fides magna prædicatur, secundum eam rationem, quam de fide centurionis supra posuimus. Apud Lucam ad principem Synagogæ de filia mortua dicit: *Noli timere; crede tantum, et salva erit* (*Luc.* viii). Hic fidem exquirit, quam solam sufficere ostendit, ut salus sequi possit. B Apud Joannem, cum Martha soror Lazari diceret: *Domine, jam fetet, quatriduanus enim est:* dixit ei Jesus: *Nonne dixi tibi, quia si credideris, videbis gloriam Dei?* (*Joan.* xi.) Adverte ex superioribus exemplis, quam misericorditer Dominus quosdam invitat ad fidem; quam magnifice quorumdam fidem commendat.

Qualiter Dominus incredulitatem increpat, sibique displicere demonstrat.

Adverte ex aliis locis, qualiter incredulitatem increpat, sibique displicere demonstrat. Apud Marcum, cum observarent Jesum, si Sabbato curaret hominem habentem manum aridam, ut accusarent eum, sic scriptum est: *Circumspiciens eos cum ira,* C *constristatus super cæcitate cordis eorum, dixit homini: Extende manum tuam* (*Marc.* iii). Apud eumdem cum unus de turba diceret: *Magister, attuli filium meum ad te, habentem spiritum mutum; et dixi discipulis tuis, ut ejicerent illum, et non potuerunt* (*Marc.* ix); respondens eis, dixit: *O generatio incredula, quandiu apud vos ero; quandiu vos patiar?* (*ibid.*) Iterum apud eumdem dicitur: *Recumbentibus illis undecim apparuit: et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis: quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt* (*Marc.* xvi).

Quod fides est semen.

Ex parabolis, in quibus locutus est Christus, fidei virtus, profectus, et defectus, et credentium D diversitas, nobis per similitudinem demonstratur. *Exiit*, inquit, *qui seminat, seminare semen suum* (*Luc.* viii) Semen autem est verbum Dei. Hoc est verbum fidei. Semen secus viam, quod volucres cœli comedunt, hoc est verbum fidei cum prædicatur, et non recipitur, diabolo agente, ne credatur. Semen supra petram, quod natum aruit, fides est eorum, qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. Semen inter spinas, fides est eorum, qui spinis sollicitudinum pro divitiis et voluptatibus vitæ suffocantur. Semen in terra bona, fides est cum patientia in corde eorum, qui non steriliter vivunt, sed fructum faciunt. E diverso zizania sunt hæreses, et schismata, et scandala, quæ inimicus homo, hoc est diabolus superseminavit, dum dormirent homines. Hæc enim

[d]iligentiam vitæ et doctrinæ in subversionem [d]iabolus suscitare non cessat.

Quod fides est granum sinapis.

[Fide]s est granum sinapis, *quod minimum est om[nibus s]eminibus. Cum autem creverit, majus est om[nibus o]leribus, et fit arbor; ita ut volucres cœli ve[nian]t habitent in ramis ejus* (*Matth.* XIII). Semina [.]a sunt dogmata philosophorum, traditiones [...]um, plantationes scilicet quas non plantavit [Pater] cœlestis. His comparata simplicitas fidei con[tempti]bilis videtur; sed, cum creverit in multitu[dinem fi]delium sublimis elevatur per mysterium cru[cis, et fi]t arbor, ita ut justi habitent in protectione

Quod fides est fermentum.

[Fide]s est fermentum divinæ justitiæ, *quod acce[ptum m]ulier abscondit in farinæ satis tribus, donec [ferment]aretur totum* (*ibid.*). Mulier hæc fidelis anima [intelli]gitur; farinæ sata tria sunt tria dona, quæ [in con]ditione nostra, Deo donante, accepimus, posse [.]i, scire bonum, velle bonum. Ex his conficitur [.] vitæ et intellectus, unde sapientur, qui esu[riunt j]ustitiam. Hæc autem in nobis labe peccati [et f]ermento malitiæ et nequitiæ corrupta sunt. [Nam p]ossibilitas boni sine difficultate, et scientia [a]bsque errore, et voluntas boni sine tepore, [et] a quæ nobis bona sunt et utilia in contrarium [vers]a sunt, aut privatione, aut imminutione. [Privati]one quidem, circa ea bona, quæ ex infirmi[tate nost]ra omnino non possumus, vel ex cæcitate [...] omnino ignoramus, vel ex perversitate vo[luntati]s omnino nolumus. Imminutione vero circa [ea] quæ minus libere possumus, aut non plene [...], aut nimis tepide volumus. Hoc est quod [corrup]tio nostra pro possibilitate boni impossibili[tatem a]ut difficultatem nobis ingerit. Propterea scien[tiæ bo]ni ignorantiam vel indiscretionem nobis im[misit]. Pro voluntate boni tædium boni, vel etiam [...] infundit. Proterea nec virtus, nec scientia, [nec vo]luntas nobis suppetit ad bonum diligendum, [sicut di]ligere oportet. Quomodo diligere bonum pos[sumus], sicut oportet, nisi ipsum auctorem boni Deum [di]ligamus? In quo et propter quem omnia bona [con]da sunt, qui et ipse in omnibus et præ omni[bus di]ligendus est, quia ab ipso, et per ipsum, et in [ipso su]nt omnia. Quem digne diligis, si tantum di[ligis q]uantum vis, et quantum scis, et potes quid[quid d]iligere. Hoc est enim toto corde diligere; [.] tota anima, tota mente, tota virtute diligere. [...]t tota voluntate, tota discretione, tota pos[sibilita]te diligere. Sed quomodo hoc fieri potest, [nisi mu]lier fermentum fidei a Deo accipiat, et ac[ceptum] in sinu conscientiæ abscondat, ut fervore [fidei vi]rtus reparetur, lumen scientiæ redeat, vo[luntas] ignita recalescat, donec totum fermentetur, [et toto c]orde Christus diligatur?

[C]hristus, sive fides Christi, thesaurus est, et bona margarita.

[The]saurus autem thesaurus absconditus est in agro, A hoc est in corde tota cura colendo. Hunc agrum invenit, qui de cura sæculi ad curam sui redit. Inventum abscondit, qui ex hoc soli Deo placere intendit, universa vendit, et agrum emit, qui negotiatione fidei omnia relinquit, et cor suum a se possidendum recipit. Sic quippe cor suum emit, qui exteriora contemnit, sicut animam suam vendit, qui pro intimis suis diligit. Hinc scriptum est in Ecclesiastico: *Nihil est iniquius, quam amare pecuniam. Hic enim animam suam venalem habet, quoniam in vita sua projecit intima sua* (*Eccli.* X). Agro empto thesaurus in agro absconditus possidetur: quia possessione cordis acquisita, pro thesauro pecuniæ relicto melior thesaurus in intimis habetur, hoc est bona margarita, quæ omnium venditione B acquiritur; quia contemptu terrenorum amor Christi perficitur. Fides quoque et ipsa thesaurus absconditus est, et bona margarita, quæ omnibus venditis acquiritur, quia quanto perfectius relinquitur quod habetur, tanto perfectius et ipse habetur.

Quod Ecclesia, sive fides, sagena est.

Sed, quia non omnes, qui aliquomodo fidem habent, tantum fervorem et vigorem fidei habent, ut velint omnia relinquere, cum multi sint, qui nolint etiam illicitis renuntiare, idcirco regnum cœlorum, quod est Ecclesia, non immerito sagenæ comparatur: quæ in mare hujus sæculi missa, sub unius fidei confessione, et Christiani nominis professione, bonos et malos simul ad littus, hoc est ad finem vitæ C trahit. In Ecclesia enim sunt boni sive mali quicunque fidem habent, et qui salubriter habent, et qui malo suo habent. Qui malo suo habent, hi sunt, qui agnita veritate, in veritate non stant, sed retrorsum convertuntur. Nam, ut ait Petrus in canonica Epistola secunda: *Melius erat non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo sancto mandato, quod illis traditum est* (*II Petr.* II).

Quod ii, qui salubriter fidem habent, omnia relinquunt, vel omnibus renuntiant.

Qui salubriter fidem habere desiderant, necesse habent omnibus renuntiare, ut discipuli Christi sint, qui dicit: *Omnis ex vobis, qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse disci-* D *pulus* (*Luc.* XIV). Sed aliud est, omnia relinquere, aliud omnibus renuntiare. Primum perfectorum est, qui cum Apostolo omnia detrimentum faciunt propter Christum, ut Christum lucrifaciant; qui a licitis abstinentes, et in hoc mundo nihil habere cupientes, cum Petro dicere possunt: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te* (*Matth.* XIX). Hujus perfectionis viam arripere volenti dicitur: *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus* (*ibid.*). Cum dicit: *Si vis esse perfectus*, voluntati permittit, non necessitatem imponit. Sed, cum dicit: *Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV); necessitate nos arctat, qua constringimur omnibus renuntiare, si volumus ejus esse discipuli. Ergo di-

vites, qui juxta consilium Apostoli norunt non superbe sapere, nec sperare in incerto divitiarum, qui student bene agere, divites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare; thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam: qui hujusmodi sunt, extra numerum discipulorum Christi non sunt. Ideo omnibus renuntiare intelligendi sunt, quamvis non ad omnia. Omnibus enim renuntiant, quantum ad illicitum quæstum, et illicitum usum, quem in omnibus damnant; quia neque ex causis illicitis acquirere, neque ad illicitos usus res quæsitas assumere, depositum penes se habent. Utuntur enim hoc mundo, tanquam non utentes; non rebus transitoriis hærentes, nec labentia bona retinere volentes, sed facile tribuentes, et communicantes proximo pro Christo, Christum omnibus præponunt, et præ omnibus ambitiosius diligunt.

Quod fides vincit mundum in bonis.

Utrique autem, sive qui perfecte omnia relinquunt, sive qui minus perfecte omnibus renuntiant, fide mundum vincunt. Illum loquor mundum, de quo Joannes in canonica Epistola dicit: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ* (*I Joan.* II). Hic est mundus, de quo scriptum est: *Mundus in maligno positus est* (*I Joan.* V); et: *Mundus eum non cognovit* (*Joan.* I), haud dubium quin Deum. Christus autem, qui dixit: *Confidite, quia vici mundum* (*Joan.* XVI), ipse et principem vicit hujus mundi, ut credentes in eum per fidem victoriæ ejus vincamus et nos mundum. *Hæc est enim victoria, quæ vincit mundum, fides nostra* (*I Joan.* V). Fides autem non nostra victoria, sed Christi est. Sic enim Christus mundum et principem mundi vicit, ut nos triumpharet, et sibi subjiceret per fidem. Ergo fides nostra confusio est diaboli, et victoria Christi. Manifeste apparet, quod fides vincit mundum, in iis qui fidei obediunt, et fide vincunt concupiscentiam mundi.

Quomodo fides vincit mundum etiam in malis.

Sed quomodo vincit fides mundum in Judæis, paganis et hæreticis, qui ei contradicunt, eamque semper linguis, et cum possunt, gladiis persequuntur? Quomodo vincit fides mundum in falsis fratribus, fictisque Christianis, qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant? An omnes vincit, et eos quos sibi subjiciendo evincit, et quos sibi resistendo convincit? Plane sic est. Christus enim de Paracleto dicit: *Cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio. De peccato quidem; quia non crediderunt in me. De justitia vero: quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me. De judicio autem; quia princeps mundi hujus judicatus est* (*Joan.* XVI). Damnationem infidelium tria hæc accumulant, peccatum propriæ infidelitatis, quo in Christum non creditur, justitia recte credentium, quæ a non imitantibus contemnitur, judicium diaboli, quod ab incredulis non attenditur. Hoc est autem judicium, de

A quo scriptum est: *Nunc judicium est mundi*
princeps hujus mundi ejicietur foras (*Joan.*
conversione autem ad fidem princeps mundi
tur, sive a Christo, a quo foras ejicietur,
ipsis, qui convertuntur ad fidem, cum diab
nino renuntiatur. Vita autem justi, et ejectio
pro fide testimonium dant, quod vera sit,
accepta, diaboloque contraria. Quod non atte
increduli condemnandi sunt, non solum e
hujus delicti, quia non credunt, sed ex test
fidei, hoc est, vita justi et ejectione diaboli,
non credunt. Sicut enim dominatio diaboli in
eorumque injustitia, qua male vivunt, bonor
ritum auget, qui horum exemplo tentati ad
non seducuntur; sic ejectio diaboli, et justit
B rum, judicium malorum ad malum auget; q
exemplis ad meliora provocati, justos non imi
Injustitia malorum ipsis malis obest, et bon
dest. Tentatio enim bonorum est, quæ vincitu
contemnitur. Justitia e diverso habentibus p
non imitantibus obest. Provocatio enim est a
lationem, exemplum ad salutem, judicium
demnationem. Hinc scriptum est apud Matt
Viri Ninivitæ surgent in judicio cum gene
ista, et condemnabunt eam; quia pœnitentia
runt in prædicatione Jonæ, et ecce plusquam
hic. Regina austri surget in judicio cum gene
ista, et condemnabit eam, etc.; *et ecce plusqua*
mon hic (*Matth.* XII). Vides quod mundus a
C de justitia. Si de justitia, ergo et de fide.
enim *ex fide est* (*Rom.* X). Scriptum est enim:
ex fide vivit (*Rom.* I). Hoc Christus insinuare
cum dixit: *De justitia vero, quia ad Patrem*
et jam non videbitis me (*Joan.* XVI). Ac si di
Subtracta corporali visione mea per ascensio
Patrem, restat ut per eamdem ascension
mundo credar æqualis Patri; qua fide æqu
meæ cum Patre justificandi sunt credentes.
enim æqualitatis Christi cum Patre, quæ per
sionem innotuit, est causa justitiæ, qua in
pie vivunt, qui in eum credunt. Hæc autem
in testimonium erit contra illos, qui fidem
contemnunt, vel justitiam quæ ex fide est neg
Ejectio autem diaboli, quæ judicium ejus est,
D tescit per confessionem Christi, quam qui re
non credentes, de judicio diaboli arguendi
quia in ejus judicio, quod est ejus ejectio, non
scunt honorem Christi, et confusionem diaboli
judicium diaboli, quod confessione credentium
propalatum est, in testimonium erit non crede
ut recte arguantur, qui aliis credentibus
nolunt. Fides ergo vincit mundum, etiam in
non credunt, vel qui credentes male vivunt
Spiritus Paracletus arguet eos pro eo quod
non habent, per quam impius justificatur, et
lus ejicitur. Vincit autem fides mundum,
qui nunquam fidem expugnant, quam
impugnant. Omnes enim conatus eorum
fidem frustrantur, et in nihilum rediguntur

portæ inferi non prævalebunt adversus eam (*Matth.* XVI).

Quod fides ex comparatione impietatis laudem habet et gloriam.

Quoniam autem bona semper malorum collatione magis clarescunt, secundum hanc considerationem fides appensa habet non solum de propria virtute laudis gloriam; sed de impietatis comparatione abundantiorem commendationis gratiam. Sic cœli serenitas sua pulchritudine placet, et post horrorem sævæ tempestatis plus placet. Lux diei post tetram caliginem gratius enitescit. In cæteros quoque contrariis, altero malo, altero bono, eamdem rationem invenies. Hinc in Ecclesiastico scriptum est: *Contra malum bonum est, et contra mortem vita: sic et contra virum justum peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi, duo contra duo, unum contra unum* (*Eccli.* XXXIII). Sive ergo duo bona contra duo mala in comparatione præponantur, sive unum contra unum, non minuit malum gratiam boni; sed magnificentius commendat, et abundantius cumulat. Impietas itaque contradictione fidem exercet et auget, comparatione commendat et ornat, persecutione gratificat et glorificat. Fides autem cum contradictionem patitur, proficit; cum comparationem subit, pertimescit; cum persecutiones sustinet, gratius amatur, et gloriosius coronatur.

Deus mirabiliter alios excæcando alios illuminat.

Impietas ergo non solum infidelibus obest, sed etiam credentibus prodest; et cum aliis existat causa perditionis, aliis convertitur in occasionem salutis. Hinc Apostolus de Judæis, qui in Christum offenderant, dicit: *Nunquid sic offenderunt, ut caderent? Absit! Sed illorum delicto salus est gentibus* (*Rom.* XI). Ac si diceret: Non ad hoc tantum valuit eorum delictum, ut ipsi offendendo caderent; sed etiam ad hoc, ut per eorum casum gentes crederent. Delictum enim eorum divitiæ sunt mundi, et diminutio eorum divitiæ gentium, et amissio eorum reconciliatio est mundi. Mirandum quidem cur Deus, cujus natura bonitas est, alios excæcat, indurat et damnat. Mirandum et hoc cur, qui omnes justo judicio perdere posset, alios illuminat, et a duritia cordis immutat et salvat. Sed utroque plus mirandum cur magis hos quam illos damnat vel salvat. Sed in tanta profunditate tam stupendæ admirationis, quid aliud possumus, nisi cum Apostolo exclamare et dicere: *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus* (*ibid.*)? Qui autem divisit lucem a tenebris, ipse novit, cur magis hunc quam illum damnat, vel salvat. Nobis autem hoc scire non dedit, nec investigare concessit; sed in sacris Scripturis nobis credendum revelavit, quod cum tota massa humani generis corrupta sit, et debitæ damnationi obnoxia, nullus inde liberatur, nisi gratuita misericordia, nullus damnatur nisi æquissima justitiæ censura.

De testibus contra fidem et pro fide.

Quoniam autem non omnium est fides, sed multi A sunt qui credunt, et multi qui non credunt, evenit ex hoc ipsam fidem multam sustinere contradictionem ab iis qui non credunt, ita ut inter eos, qui fideles nominantur, multi fluctuantes inveniantur, qui dicere non erubescunt, nescimus quibus magis credendum sit, an iis qui fidem defendunt, an illis qui fidei contradicunt. Sicut enim multitudine credentium multi confirmantur in fide, sic numero et exemplo non credentium multi infirmantur in fide, aut confirmantur in errore. Omnes autem infideles testes sunt sui erroris contra fidei veritatem, sicut et cuncti fideles testes sunt fidei contra perfidiæ impietatem. Sed collatio testium, quibus magis credendum sit, manifeste declarabit. Impietas enim infidelium sua contrarietate in se divisa est; fides B autem indivisibili unitate in se solidata est. Una est enim fides quæ multis et variis erroribus inconvulsa resistit. At varietas errorum multipliciter in se divisa in unitatis simplicitate non consistit. Nam, qui veræ fidei contradicunt, de suo corde æstimant, quod ignorant; de suo sensu fingunt, quod excogitant; et, dum alii aliud videtur, a se dissentiunt, qui contraria sentiunt. Hostes vero fidei, dum sibi invicem adversantur, dum inimici sunt inimicis nostris, pro nobis faciunt, et nobiscum pro veritate pugnant, cum nobiscum ex aliqua parte falsitatem damnant. Verumtamen inquantum errant, ex adverso pugnant. Sed et in hoc, quamvis nescientes et nolentes, profectibus nostris serviunt; quia fides persecutione proficit, tribulatione crescit, contradi- C ctione lucidius clarescit. Quo fortior est pugna, gloriosior est victoria. Quo magis invalescit contentio infidelium, magis excitascit gloria credentium. Dum adversantur hæretici, exercentur nostri, probantur electi, ut probati manifesti fiant, et non lateant. Hinc Apostolus ait in Epistola prima ad Corinthios: *Oportet hæreses esse, ut et qui probati sunt manifesti fiant in vobis* (*I Cor.* XI). Et Psalmista: *Congregatio taurorum in vaccis populorum, ut excludantur, qui probati sunt, argento* (*Psal.* LXVII). Utilis est ergo credentibus contentio adversus fidem. Ex hac enim credentes probantur, et probati manifestantur, ut probati et manifestati, digni et indubitati fidei testes inveniantur et habeantur.

D *Quod tres testimonium dicunt in cœlo, et tres in terra.*

Testes autem fidei et eorum testimonia, si in medium producantur, et diligentius examinentur, quanta sit fidei auctoritas, quam certa, quam firma, quam solida sit ejus veritas, evidentissime nobis ostendent. Joannes in canonica Epistola sic ait: *Tres sunt qui testimonium dicunt in cœlo: Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus, aqua et sanguis* (*I Joan.* V). Pater testimonium dat in cœlo, qui olim loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio. Testimonium dat, cum Filium revelat in Scripturis; testimonium dat, cum Filium in nobis revelat. De

qua revelatione Paulus dicit : *Qui me segregavit de utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me* (*Galat.* I). Et Dominus ad Petrum ait: *Beatus es, Simon Barjona ; quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est* (*Matth.* XVI). Caro, inquit, et sanguis non revelavit, hoc est non parentum traditio, matris videlicet et patris, non sapientia carnalis, non homo animalis, sed Pater cœlestis. Nimirum per carnem mater significari potest, per sanguinem pater; quia pater semen ministrat, et mulier caro viri intelligitur. Unde est illud in Evangelio : *Qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri* (*Joan.* I). Potest et per carnem carnis sensus, id est quicunque corporeus sensus significari. Quoniam autem anima in sanguine est, non immerito per sanguinem anima, vel sensus animæ intelligi potest. Mysterium autem fidei non experientia sensuum percipitur, non sensu animæ comprehenditur; sed, Patre revelante, agnoscitur. Propterea recte dictum est : *Caro et sanguis non revelavit, sed Pater qui in cœlis est.* Pater testimonium dat, cum Jesu baptizato et ascendente de aqua, aperti sunt cœli, et vox de cœlo audita est dicens : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Matth.* III). Et iterum in Transfiguratione : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite* (*Matth.* XVII). De qua voce Petrus in canonica Epistola sic ait : *Voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria, hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Et hanc vocem nos audivimus, cum essemus cum eo in monte sancto* (*II Petr.* I). Ipse quoque Dominus de testimonio Patris in Evangelio Joannis sic dicit : *Qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me* (*Joan.* V). Et Joannes in canonica Epistola : *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est. Quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est, quoniam testificatus est de Filio suo* (*I Joan.* V). Testimonium dat Filius docendo, et signa operando, et seipsum, quis esset, manifestando. Unde, cum diceret : *Ego sum lux mundi*, dicentibus Pharisæis : *Tu de te ipso testimonium perhibes; testimonium tuum non est verum*, respondit et dixit : *Etsi ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum; quia scio, unde venio, aut quo vado* (*Joan.* VIII). Et iterum dicit : *In lege vestra scriptum est : Quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me Pater.* Quod autem dicit: *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est* (*ibid.*); sic intelligendum est nullam ejus esse gloriam, si sine testimonio Patris, sicut plerique hominum solent, seipsum glorificaret. Quod ne de ipso credatur, mox subjungit : *Est Pater meus, qui glorificat me; quem vos dicitis, quia Deus noster est, et non cognovistis eum* (*ibid.*). Similiter illud intelligendum est : *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum* (*Joan.* V), utique sine testimonio Patris. Unde et mox subjungit : *Alius est, qui testimonium perhibet de me; et scio, quia verum est testimonium, quod perhibet de me* (*ibid.*). Testimonium dat Filius, imminente morte, veritatem non negando. Unde Paulus in Epistola prima ad Timotheum ait : *Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, et Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem, ut serves mandatum sine macula irreprehensibile, usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi* (*I Tim.* VI). Testimonium dat Filius resurgendo, et post resurrectionem in multis argumentis sese manifestando. Testimonium dat Filius ad Patrem ascendendo, et ad Patrem redeundo discipulis videntibus, sicut scriptum est : *Videntibus illis, elevatus est* (*Act.* I). Testimonium dat Spiritus sanctus, cum ab initio super aquas fertur, aquas post sanctificaturus, et per aquas naturæ sanctificationis auctor ipse futurus. Testimonium dat, cum prophetas inspirat, cum futura prænuntiat, cum mysteria præfigurat. Vocibus enim prophetarum et figuris rerum significavit, viam sanctorum nondum esse propalatam, sed suis temporibus propalandam. Testimonium dat, cum reges et sacerdotes eligit et ungit, regnum Christi et sacerdotium præmonstrans. In Novo Testamento testimonium dat, cum B. Virginem superveniens sanctificat et impraegnat, cum super Christum requiescit, et quasi columba de cœlo super eum descendit et manet. Testimonium dat, cum super discipulos apparens igneas linguas dispertit, et in unitate fidelium linguas unit. Testimonium dat, cum fidelibus ipse datur, cum charismata gratiarum ipse distribuit, cum unusquisque fidelium proprium donum accipit; alius quidem sic, alius vero sic; cum secundum divisiones gratiarum, et divisiones ministrationum, et divisiones operationum, *alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ; alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum in uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.* *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (*I Cor.* XII). Testimonium dat, cum mittitur, ut testimonium perhibeat omnia docendo, et veritatem suggerendo, et quæ ventura sunt annuntiando. Hinc Christus dicit in Evangelio Joannis : *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me* (*Joan.* XV). Et iterum : *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis* (*Joan.* XIV). Et iterum : *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso, sed quæcunque audiet loquetur, et quæ ventura sunt, annuntiabit vobis* (*Joan.* XVI). Tres ergo sunt in cœlo, qui testimonium dant, Pater, Verbum et Spiritus sanctus; et hi tres unum sunt. Unum quidem in unius naturæ

Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam? (*Marc.* IX.) Quis est, qui interdum non hæsitet? Quis, qui sibi fidem augeri non indigeat? Nam et apostoli fidem sibi augeri postulabant. Sic enim scriptum est in Evangelio Lucæ: *Dixerunt apostoli Domino: Adauge nobis fidem. Dixit autem Dominus. Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro: Eradicare, et transplantare in mare, et obediet vobis* (*Luc.* XVII). His verbis sanctum desiderium apostolorum videtur approbare Dominus, et commendare. Nam cum paulo ante dixisset Dominus: *Impossibile est, ut non veniant scandala* (*Matth.* XVIII), desiderantes apostoli fidem sibi augeri, ut fide fortes scandalis non cederent, audierunt a Domino, quod de grano sinapis et arbore moro hic præmissum est, ac si eis diceretur: Recte desideratis fidem augeri; quia si augeatur inter scandala, ut sit sicut granum, quod attritione plus potest, virtute ejus poterit hæc arbor eradicari, et transplantari in mare. Unde certum esse debet, adversus eam scandala prævalere non posse. Mystice autem arbor hæc, cujus fructus sanguine rubet, Christum designare potest, sanguine passionis rubricandum: qui, fervente persecutione, contra fidem apostolorum instar sinapis attritione augendam, de Synagoga ad gentilitatem transferendus erat, sicut arbor de terra eradicata, et mirabiliter in mare transplantata. Ut hæc transplantatio fieret, necesse erat, fidem apostolorum augeri contra scandala, quæ, sicut Dominus prædixerat, impossibile erat non evenire. Sic autem Christus per hanc arborem mori seipsum designat, sicut per hanc petram seipsum designavit, cum diceret: *Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI). Per hoc templum, cum diceret: *Solvite templum hoc* (*Joan.* II). Exemplo igitur apostolorum edocti, qui contra ventura scandala postulabant sibi fidem augeri, necesse semper habemus et nos, dum per fidem ambulamus, orare et dicere: *Domine, auge nobis fidem* (*Luc.* XVII), ne hæsitatione tentati deficiamus: qua tentatione pulsatus est Moyses ad aquas contradictionis; pulsati sunt et apostoli, qui de lunatico propter incredulitatem suam dæmonium ejicere nequiverunt, cum data esset eis a Domino potestas infirmos curandi, et dæmonia ejiciendi. Hac tentatione pulsamur et nos, quamvis non circa signa facienda, ut illi. Pulsamur tamen hæsitatione tentati inter multas urgentes necessitates, quæ nos impellunt; inter multas difficultates, quæ a bono nos retrahunt; inter multa boni propositi sanctive desiderii impedimenta, inter multa vitæ et salutis nostræ discrimina. Quamvis enim Dominus adjutorium suum nobis repromittat, quamvis nec capillum de capite nostro periturum dicat, et ad hoc dicat, ut securos nos faciat; quis tamen usquequaque fide firmus, et ubique securus est? Quis semper sibi consistit? Quis aliquando non titubat? Quis nunquam hæsitat? Proinde qui vix modicam fidem habemus, fidem nobis augeri indigemus, semperque

A tenemur confessionem fidei Deo offerre, et pro adjuvanda incredulitate indesinenter supplicare, dicentes: *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam* (*Marc.* IX). Sic autem dictum est, *Adjuva incredulitatem meam*, sicut ab Apostolo dictum est: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram* (*Rom.* VIII); et sicut a Propheta dictum est: *Deus meus, illumina tenebras meas* (*Psal.* XVII). Tenebras illuminat, cum dat intelligere quod minus intelligimus. Infirmitatem adjuvat, cum dat posse, quod minus possumus. Incredulitatem adjuvat, cum facit credere, quod minus credimus.

Quod potestas signorum sanctitatem non facit, sed ostendit.

B Fides itaque a Deo semper postulanda est, non potestas signorum. Fides enim nos justificat: at potestas signorum sanctitatem quidem aliquando ostendit, sed sine fide nunquam facit: Qui credunt, et signa non faciunt, non ex hoc pusillanimes fiant, cum scriptum legant: *Joannes nullum signum fecit* (*Joan.* X). Qui signa faciunt, non inde superbiant, cum Dominus dicat: *Surgent pseudochristi, et pseudoprophetæ et dabunt signa magna* (*Matth.* XXIV). Non glorientur, qui signa faciunt, ne forte elati, in judicium incidant diaboli. Attendant, quod in Evangelio Lucæ scriptum est: *Reversi sunt septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis. Videbam Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem* (*Luc.* C X). Et infra: *In hoc nolite gloriari, quia spiritus subjiciuntur vobis* (*ibid.*).

De vana securitate.

Is autem qui tentat, qui et per superbiam lapsus est, quos decipere non valet hæsitatione pusillanimitatis, seducere molitur præsumptione securitatis. Propterea multi non fidei pietate, sed temeritatis securitate, audaces ad ardua, impossibilia tentant, cum scriptum sit: *Non tentabis Dominum Deum tuum* (*Deut.* VI). Hinc est quod pericula quæ vitare possunt, vitare nolunt, dum dignos, quibus mala non noceant, se arroganter credunt. Et quia magna volunt, de voluntate virtutem metientes, et infirmitatem suam non agnoscentes, se posse credunt, D quod se velle cognoscunt. Hinc et Petrus infirmitatem suam non intelligens, et voluntatem suam attendens, præsumpsit et dixit: *Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo* (*Matth.* XVI). Postea timuit et negavit; utrobique tentatus, hic hæsitatione pusillanimitatis, illic præsumptione nimiæ securitatis. Utramque tentationem fidei et nos ipsi intra nos experimur, nunc vane timidi, nunc vane securi; nunc pusillanimitate deficientes, nunc securitate præsumentes. Mira Dei dispensatio hæc, qua permittit electos suos ad horam cadere, ut fortiores resurgant, ut cautiores fiant, ut de se minus confidant, ut infirmitatem suam perfectius agnoscant, ut Deo firmius hæreant, ut gratiam ejus, sine quo nihil possunt, commendatiorem habeant.

ptismi immaculatos se custodiunt, testes veritatis sunt; sed peccatores, qui post baptismum lapsi, per pœnitentiam redeunt, et aqua pii mœroris se abluunt, ipsi quoque Christum confitentur et testificantur, quoniam Christus est veritas. Sanguis testimonium dat. Testificantur hoc martyres, qui pro Christi nomine sanguinem suum fuderunt, et veritatem fidei usque ad mortem defendere gloriosissime susceperunt. Spiritus ergo justorum, et aqua pœnitentium, et sanguis martyrum testimonium dant in terra; quia omnes justi, sive per justitiam suam, sive per pœnitentiam, sive per constantiam, nos certos faciunt, quod veram esse fidem crederent: ex qua juste viverent, vel per quam de peccatis pœnitentiam agerent, vel pro qua mori non trepidarent.

Quod multitudo testimonium sit.

Pater ergo, et Filius, et Spiritus sanctus, necnon et angeli Dei, et omnes homines justi testimonium perhibent fidei nostræ, quod vera sit, et ficta non sit. Hæc autem multitudo testium quasi nubes a Deo nobis imposita nos protegit et obumbrat, ne noxius calor impietatis circa mysteria Christi et Ecclesiæ nos urat, sicut scriptum est: *Per diem sol non uret te; neque luna per noctem* (*Psal.* cxx). Christus sol est, qui luce suæ sapientiæ vitam apostolorum et prophetarum quasi diem illuminat, Ecclesia catholica ipsa est luna, quæ ignorantiam simplicium sicut noctem verbo prædicationis, et exemplo sanctæ conversationis illustrat. Christus autem dicit: *Surgent pseudoprophetæ* (*Matth.* xxiv). Ne ergo pseudochristi pro Christo, aut pseudoprophetæ pro veris prophetis recipiantur, habemus testes a Deo approbatos, quorum testimonio fides subnixa est. Non ergo Ecclesia in conciliabulis hæreticorum, nec principes Ecclesiæ sunt Donatus et Arius, cæterique hæresiarchæ; sed superædificati sumus super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu (*Ephes.* ii). Non est aliud Evangelium, quam quod prædicatum est ab apostolis; nec alius Christus, quam is qui annuntiatus est; nec alia Ecclesia, quam quæ a Christo per apostolos ædificata est. Propterea Christus præmonet et dicit: *Si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere* (*Marc.* xiii). Et Apostolus in Epist. ad Galatas: *Licet nos*, inquit, *aut angelus de cœlo annuntiet vobis aliud quam quod evangelizatum est, anathema sit* (*Galat.* i). Si ergo contra fidem nostram ferveat persecutio inimicorum, habemus nubem testium a Deo nobis impositam, quæ nos ab æstu refrigeret in Ecclesia Dei vivi, quæ est columna et firmamentum veritatis (*I Tim.* iii). Te ergo, Christe, auctorem fidei meæ confiteor; et scio, quoniam non confundar, te pastorem sequens. Tu lux vera, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* i). Prophetæ tui et apostoli filii lucis sunt. Si illos post te non sequor, *ecce nationem filiorum tuorum reprobavi* (*Psal.* lxxii). Hi sunt testes tui, præcones veritatis, duces cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt, erudi-

A tores nationum, magistri populorum. Sub horum umbra, protegimur, sub horum protectione quasi sub nube refrigeramur. De his Isaias dicit: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* (*Isa.* lx.) Et Paulus ad Hebræos: *Nos*, inquit, *tantam habentes impositam nubem testium. . . . curramus ad propositum nobis certamen: aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum* (*Hebr.* xii).

Ex Scripturis ostenditur, qui sint testes.

Testes ergo veritatis sunt, de quibus Isaias dicit: *Vere vos testes mei, dicit Dominus: et servus meus, quem elegi; ut sciatis, et credatis mihi, et intelligatis, quia ego ipse sum* (*Isa.* x). Testis veritatis Joannes apostolus, qui dicit: *Quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis* (*I Joan.* i). Testis et Petrus cum B de se et aliis apostolis dicit: *Hunc Deus suscitavit a mortuis, et dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis a Deo; nobis qui manducavimus et bibimus cum eo, postquam resurrexit a mortuis. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent* (*Apoc.* x).

Quæ sint testimonia.

Quoniam autem audivimus, qui sint testes fidei; audiamus, quæ sint eorum testimonia. Hæc autem sunt verba eorum, et opera. De utrisque Christus nos instruit. De operibus quidem, cum dicit: *Opera, quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quæ facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me* (*Joan.* v). De verbis vero, sive scriptis, sive C prolatis, ostendit, cum dicit: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis?* (*Ibid.*) Testimonia ergo fidei nostræ sunt opera justorum; opera justitiæ et pietatis, quæ operati sunt a primo omnes justi, ut Deo placerent, et Deum in se glorificarent. Testimonia sunt virtutes signorum et miraculorum, quas in quibusdam justis operatur Deus, quibus se magnificavit, illosque mirificavit. Testimonia fidei nostræ sunt verba legis et prophetarum, apostolorum et evangelistarum, et orthodoxorum Patrum et singulorum in confessione fidei verba fidelium. Fama quoque justorum testimonium reddit fidei nostræ. Cum enim vita sanctorum, humilitas et patientia eorum in Eccle-D sia Dei annuntiantur, famam sanctitatis eorum audientes, ad fidem ædificantur, et in fide confirmantur. Hinc de apostolis scriptum est: *In omnem terram exivit sonus eorum; et in fines orbis terræ verba eorum* (*Psal.* xviii). Quod enim valuit verbum doctrinæ apud eos, qui apostolos viderunt, hoc valuit sonus famæ apud eos, qui de illis audierunt. Testimonia fidei sunt verba Dei, quæ ab initio locutus est, et opera Dei quæ ab initio operatus est, ut se nobis manifestaret, pro congruentia temporum, sicut voluit et sicut oportuit. Verba autem justorum, et opera eorum, quæ in Deo locuti et operati sunt, inter verba Dei et opera ejus humana sunt, quia Deus sine quo nihil poterant in illis locutus et operatus est.

Munimenta fidei ad auctoritatem sacræ Scripturæ reducuntur.

Opera autem Dei, quæ operatus est cuncta creando, et quæ operatus est nos redimendo, et quæ operatur nos vocando et justificando, in sacræ Scripturæ serie per ordinem digeruntur. Ibi et verba Dei, quæ per se, vel per ministerium angelorum vel hominum locutus est, fidelissime disponuntur. Unde constare debet quod munimenta fidei nostræ ad auctoritatem sacræ Scripturæ reducuntur: quæ si vera est, veri sunt testes fidei, vera sunt testimonia fidei, et consequenter vera est ipsa fides. Quis autem dubitet sacram Scripturam veram esse, si constet verbum quod in ea continetur, Dei esse, vel si constet eos qui scripserunt, in Spiritu Dei locutos fuisse? Quis est enim qui non credat quidquid Deus dixerit, si hoc constet quod Dominus locutus sit? Dicet itaque aliquis: Prædicas mihi verbum fidei, et credere mones quasi verbum, non hominis, sed Dei: quod, Spiritu sancto revelante, sancti prophetæ scripserunt, nobisque tradiderunt. Unde, inquam, mihi probas quod Dominus verbum locutus sit, vel quod Spiritus sanctus iis, qui prophetæ nominantur, hoc revelaverit? Proba hoc, inquam, mihi, et nulla cunctatio erit, quin statim credam, et confessionem fidei reddam. Ad hoc quid dicendum est? Talia siquidem credenti, si qua digna responsio in ipsa sacra Scriptura, de qua nunc agitur, reperiri potest, reticeri non debet, cum Petrus in canonica epistola prima dicat: *Dominum Jesum Christum sanctificate in cordibus vestris: parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est spe* (*I Petr.* III).

Quibus modis olim Deus se manifestaverit.

Considerandum igitur est, quod sicut sacra Scriptura loquitur, Deus multifarie multisque modis antiquis justis se olim manifestavit (*Hebr.* I), vel visibili apparitione et præsenti allocutione, vel in visione, vel nominis sui expressione, vel virtute signorum, vel occulta inspiratione, vel futurorum prædictione et impletione; et si qui sunt alii modi, quibus innotescere voluit his, quibus se ipsum dignatus est revelare. Quibusdam enim in specie, quam ad hoc eligere voluit, apparuit, et locutus est, ut Abrahæ et Moysi. De quibusdam scriptum est: *Tunc locutus est in visione sanctis suis* (*Psal.* LXXXVIII). Quibusdam autem loquens, manifestavit se ipsum quasi ex nomine, dicens: *Ego sum Deus omnipotens*, vel: *Ego sum qui sum* (*Gen.* XVII); vel: *Ego sum Deus Abraham* (*Exod.* III). De virtute signorum scriptum est: *Mementote mirabilium ejus, quæ fecit, prodigia ejus, et judicia oris ejus* (*Psal.* CIV). De occulta inspiratione scriptum est: *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus* (*Psal.* LXXXIV). Multa autem opera quæ facturus erat, antequam fierent, futura prædixit, ut et auctoritate prædicentis dicta crederentur, credentibus fides dictorum ad justitiam reputaretur. Prædicta autem antequam implerentur, per aliquod tempus dilata, et post dilationem tempore suo impleta sunt; ut dilatione fides probaretur, ex impletione vera monstraretur, et ad majora credenda, longiusque futura, paratior inveniretur. Prædixit Deus Noe de diluvio futuro. Prædixit Abraham de benedictione universarum cognationum terræ in ipso, et de peregrinatione seminis in Ægypto, et de reversione ejus de Ægypto. Prædixit per angelum loquentem ad Agar de Ismaele nascituro. Prædixit et de Isaac. Prædixit et de subversione Sodomæ et Gomorrhæ. Prædixit autem et Jacob patriarcha, Deo revelante, quæ erant futura in novissimis diebus, dicens ad filios suos: *Congregamini, ut annuntiem vobis, quæ futura sunt diebus novissimis* (*Gen.* XLIX). In fide autem promissionis ad Abraham dictæ, prædixit Joseph quod futurum erat, et locutus est fratribus suis: *Post mortem meam visitabit vos Deus, et ascendere faciet de terra ista ad terram, quam juravit Abraham, Isaac et Jacob. Asportate vobiscum ossa mea de loco isto* (*Gen.* L). Prædixit Dominus Moysi mirabilia quæ facturus erat in Ægypto, et in mari Rubro pro liberatione populi sui (*Exod.* III); prædixit et multa quæ facturus erat in deserto. Prædixit quoque multa quæ facturus erat in terra promissionis per manum Josue filii Nun, ministri Moysi. Post mortem Josue excitavit Deus judices ad liberationem Israel, multaque prædixit quæ per eos facturus erat (*Judic.* I): et, sicut locutus est, implevit. In diebus Samuelis multa prædixit Deus de Heli et Saule et David (*I Reg.* III). Per Nathan quoque prophetam futura prædixit de ipso David et filio ejus post ipsum regnaturo. Et de aliis regibus per alios prophetas multa prædixit, et de captivitate populi Israel tici sub rege Babyloniorum, et de reversione ejusdem populi: et, sicut locutus est, sic et implevit. Hæc autem opera, aliaque multa quæ operatus est Deus a diebus antiquis usque ad Christi adventum, a quo potuerunt præsciri et prædici, nisi ab ipsorum operum, auctore Deo, qui novit omnia antequam fiant, vel ab ipsis quibus hæc revelare dignatus est? Illi autem quibus locutus est Deus, indubitanter scire potuerunt, non hominis, sed Dei esse verbum, quod ad eos factum est: quo quidem verbo ita illuminati sunt, ut divinorum mysteriorum fierent conscii et futurorum præscii: unde prophetæ vel videntes nominati sunt. Illi autem quibus prophetæ a Deo missi locuti sunt, prophetiæ verbum quod eis prædicatum est, Dei esse verbum indubitanter credere debuerunt; tum ex sanctitate vitæ prophetarum, qui tanquam viri fideles et veraces mentiri nollent; tum ex ipsa rei veritate multoties sibi exhibita, cum sæpe viderent impleta quæ a prophetis scirent esse prædicta. Et illi quidem, qui verbum prædicaverunt, non suum, sed Dei esse verbum dicebant, adjicientes: *Hæc dicit Dominus*, vel: *Os Domini locutum est* (*Isa.* I), vel aliquid hujusmodi. Ergo cum quædam viderent impleta, quæ ex eis prænuntiata tanquam prophetas Domini illos certissime habebant, qui hæc prænuntiaverant, et per ea quæ

impleta videbant, certius exspectabant, quæ longe post ventura prophetis prædicentibus audiebant.

Unde prophetæ fideles inventi sunt.

Prophetæ ergo ex eo fideles et veraces inventi sunt, quod sermo eorum venit in tempore suo, nec inexpletus super terram cecidit, sicut sermo terreni hominis, qui mendaciter prolatus, cum falsus apparet, de terra et non de cœlo egressus esse innotescit. Hinc scriptum est de Samuele : *Crevit Samuel, et Dominus erat cum eo; et non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram. Et cognoverunt omnes a Dan usque Bersabee, quod Samuel fidelis propheta esset Domini* (*I Reg.* III). Et post pauca subjungitur: *Venit sermo Samuelis universo Israeli (ibid.)*. Attende ex hoc loco unde agnitus sit fidelis Samuel propheta esse Domini. Ex eo scilicet agnitus est, quod non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram, et quod evenit sermo ejus universo Israeli. Quod autem dicit, *Non cecidit ex omnibus verbis ejus super terram*, secundum illum modum intelligi potest, secundum quem dictum est : *Qui de terra est, de terra loquitur; qui autem de cœlo venit, super omnes est* (*Joan.* I). Qui de terra est terrena quærendo, de terra est terrena sapiendo, et de terra loquitur terrena docendo. Qui autem de cœlo venit, super omnes est, qui terrena quærunt et sapiunt, aliosque sic erudiunt. Cum autem terrena sapientia eorum qui de terra sunt, et de terra loquuntur, prænuntiat quæ ventura non sunt, quasi ventura sint, cum verbum eorum apparere falsum incipit, quasi in terram cadit; quia per evidentiam falsitatis illuc relabitur, unde per artem conflctæ falsitatis, vel per conjecturam falsæ opinionis egreditur. Ergo verbum in terram cadit, cum ad auctorem suum vacuum revertitur, et terreni hominis verbum esse invenitur. Econtra, Dominus dicit : *Verbum quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum* (*Isa.* LV). Potest autem et aliter intelligi quod dictum est : *Non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram*. Quoniam enim propheticæ comminationes Samuelis contra domum Heli et contra domum Saul, quasi quædam sagittæ erant ad feriendum missæ, pro similitudine sagittarum quæ feriunt quod appetunt, nec frustra in terram cadunt, recte dictum est : *Non cecidit ex omnibus verbis ejus in terram*. Sicut agnitus est Samuel, quod propheta esset Domini, ex eo quod venit sermo ejus quem locutus est; sic agnitus est Isaias et Jeremias, cæterique prophetæ, ex eo quod implevit Dominus, quod per eos locutus est. Attende lectioni prophetarum, et diligenter considera quæ et quanta prophetaverunt contra decem tribus Israel, contra Judam et Jerusalem, contra diversas in circuitu gentes, regnaque diversa, et invenies ea sic esse impleta, sicut constat esse prædicta. Quis post tantam manifestæ veritatis certitudinem dubitare debet, in spiritu Dei prophetas locutos fuisse, et verbum Dei esse quod ad illos factum est, et quod per illos nobis annuntiatum est? Illis enim Deus revelavit per spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim scit hominum quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in illo est? Ita et quæ Dei sunt, nemo cognoscit, nisi Spiritus Dei.

Divini et dii gentium tempora et momenta non norunt, sed solus Deus.

Non sapientes Ægypti, non augures cœli, non dii gentium, status temporum et mutationes rerum a constitutione mundi annuntiare potuerunt. Unde Isaias ad Ægyptum loquens, ait : *Ubi sunt nunc sapientes tui? Annuntient tibi, et indicent quid cogitaverit Dominus exercituum super Ægyptum* (*Isa.* XIX). Vides, quo modo propheta præsciens et prædicens mala quæ ventura erant super Ægyptum, insultat sapientibus, qui hæc annuntiare et indicare nequiverunt. Idem propheta cum contra Babylonem prophetaret, dicit : *Defecisti in multitudine consiliorum tuorum; stent et salvent te augures cœli, qui contemplabantur sidera, et supputabant menses, ut ex eis annuntiarent ventura tibi* (*Isa.* XLVII). Et diis gentium insultans, idem ait : *Accedant, et nuntient nobis quæcunque ventura sunt. Priora quæ fuerunt, nuntiate, et ponemus cor nostrum, et sciemus novissima eorum. Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, et sciemus, quia dii estis vos* (*Isa.* XLI). Priora, inquit, quæ fuerunt, nuntiate, et ponemus cor nostrum. Ac si diceret : Priora quæ fuerunt ab initio sæculi, cum nondum essetis, nuntiate nobis, si potestis : quod si feceritis, ponemus cor nostrum, ut pro diis colamus vos; et per priora nobis nuntiata sciemus novissima eorum, priorum scilicet, id est quæ post priora in novis imo ventura sunt, nobis nota erunt, si prioribus nuntiatis, et hæc fuerint nobis nuntiata. Adjungit propheta, et dicit : Annuntiate nobis quæ ventura sunt in futurum, et sciemus quia dii estis vos : quibus verbis ostendit, annuntiatione futurorum verum Deum posse agnosci, cujus est nosse tempora vel momenta. Unde idem propheta ex persona Domini dicit : *Quæ prima fuerunt ecce venerunt; nova quoque ego annuntio, antequam oriantur, audita vobis faciam* (*Isa.* XLII). Ac si diceret : Mihi credite qui implevi quæ prædixi. Quod manifeste apparet, quia quæ prima per me fuerunt annuntiata Noe, Abraham et Moysi, qui fuerunt ante vos, illa venerunt. Nova quoque quæ posthac ventura sunt prædico vobis, ut me Deum esse credatis, et verba prophetarum quasi Dei verba suscipiatis. Et iterum dicit : *Ego primus, et ego novissimus; absque me non est Deus. Quis similis mei? Vocet et annuntiet, et ordinem exponat mihi : ex quo constitui populum antiquum, ventura, et quæ futura sunt, annuntiet eis* (*Isa.* XLIV). Ac si diceret : Quis similis mei est in diis gentium? Si quis mei similis putatur, faciat quæ ego facio; vocet ea quæ non sunt, ut sint, sicut et ego voco; annuntiet facta et facienda; ordinem factorum mihi exponat, et quid posterius fuerit, ex quo constitui populum antiquum, vel genus humanum in Adam, vel populum Israeliticum in semine Abrahæ. Ventura, inquit, et

vites, qui juxta consilium Apostoli norunt non superbe sapere, nec sperare in incerto divitiarum, qui student bene agere, divites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare; thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam: qui hujusmodi sunt, extra numerum discipulorum Christi non sunt. Ideo omnibus renuntiare intelligendi sunt, quamvis non ad omnia. Omnibus enim renuntiant, quantum ad illicitum quæstum, et illicitum usum, quem in omnibus damnant; quia neque ex causis illicitis acquirere, neque ad illicitos usus res quæsitas assumere, depositum penes se habent. Utuntur enim hoc mundo, tanquam non utentes; non rebus transitoriis hærentes, nec labentia bona retinere volentes, sed facile tribuentes, et communicantes proximo pro Christo, B Christum omnibus præponunt, et præ omnibus ambitiosius diligunt.

Quod fides vincit mundum in bonis.

Utrique autem, sive qui perfecte omnia relinquunt, sive qui minus perfecte omnibus renuntiant, fide mundum vincunt. Illum loquor mundum, de quo Joannes in canonica Epistola dicit: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ* (*I Joan.* II). Hic est mundus, de quo scriptum est: *Mundus in maligno positus est* (*I Joan.* V); et: *Mundus eum non cognovit* (*Joan.* I), haud dubium quin Deum. Christus autem, qui dixit: *Confidite, quia vici mundum* (*Joan.* C XVI), ipse et principem vicit hujus mundi, ut credentes in eum per fidem victoriæ ejus vincamus et nos mundum. *Hæc est enim victoria, quæ vincit mundum, fides nostra* (*I Joan.* V). Fides autem non nostra victoria, sed Christi est. Sic enim Christus mundum et principem mundi vicit, ut nos triumpharet, et sibi subjiceret per fidem. Ergo fides nostra confusio est diaboli, et victoria Christi. Manifeste apparet, quod fides vincit mundum, in iis qui fidei obediunt, et fide vincunt concupiscentiam mundi.

Quomodo fides vincit mundum etiam in malis.

Sed quomodo vincit fides mundum in Judæis, paganis et hæreticis, qui ei contradicunt, eamque semper linguis, et cum possunt, gladiis persequuntur? Quomodo vincit fides mundum in falsis fratribus, D fictisque Christianis, qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant? An omnes vincit, et eos quos sibi subjiciendo evincit, et quos sibi resistendo convincit? Plane sic est. Christus enim de Paracleto dicit: *Cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio. De peccato quidem; quia non crediderunt in me. De justitia vero: quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me. De judicio autem; quia princeps mundi hujus judicatus est* (*Joan.* XVI). Damnationem infidelium tria hæc accumulant, peccatum propriæ infidelitatis, quo in Christum non creditur, justitia recte credentium, quæ a non imitantibus contemnitur, judicium diaboli, quod ab incredulis non attenditur. Hoc est autem judicium, de A quo scriptum est: *Nunc judicium est mundi; nunc princeps hujus mundi ejicietur foras* (*Joan.* XII). In conversione autem ad fidem princeps mundi judicatur, sive a Christo, a quo foras ejicietur, sive ab ipsis, qui convertuntur ad fidem, cum diabolo omnino renuntiatur. Vita autem justi, et ejectio diaboli, pro fide testimonium dant, quod vera sit, Deoque accepta, diaboloque contraria. Quod non attendentes increduli condemnandi sunt, non solum ex reatu hujus delicti, quia non credunt, sed ex testimonio fidei, hoc est, vita justi et ejectione diaboli, quibus non credunt. Sicut enim dominatio diaboli in malis, eorumque injustitia, qua male vivunt, bonorum meritum auget, qui horum exemplo tentati ad malum, non seducuntur; sic ejectio diaboli, et justitia piorum, judicium malorum ad malum auget; quoniam exemplis ad meliora provocati, justos non imitantur. Injustitia malorum ipsis malis obest, et bonis prodest. Tentatio enim bonorum est, quæ vincitur, cum contemnitur. Justitia e diverso habentibus prodest; non imitantibus obest. Provocatio enim est ad æmulationem, exemplum ad salutem, judicium in condemnationem. Hinc scriptum est apud Matthæum: *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam; quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ, et ecce plusquam Jonas hic. Regina austri surget in judicio cum generatione ista, et condemnabit eam*, etc.; *et ecce plusquam Salomon hic* (*Matth.* XII). Vides quod mundus arguitur de justitia. Si de justitia, ergo et de fide. *Justitia* enim *ex fide est* (*Rom.* X). Scriptum est enim: *Justus ex fide vivit* (*Rom.* I). Hoc Christus insinuare curavit, cum dixit: *De justitia vero, quia ad Patrem vado, et jam non videbitis me* (*Joan.* XVI). Ac si diceret: Subtracta corporali visione mea per ascensionem ad Patrem, restat ut per eamdem ascensionem in mundo credar æqualis Patri; qua fide æqualitatis meæ cum Patre justificandi sunt credentes. Fides enim æqualitatis Christi cum Patre, quæ per ascensionem innotuit, est causa justitiæ, qua in Christo pie vivunt, qui in eum credunt. Hæc autem justitia in testimonium erit contra illos, qui fidem Christi contemnunt, vel justitiam quæ ex fide est negligunt. Ejectio autem diaboli, quæ judicium ejus est, innotescit per confessionem Christi, quam qui respuunt non credentes, de judicio diaboli arguendi sunt; quia in ejus judicio, quod est ejus ejectio, non agnoscunt honorem Christi, et confusionem diaboli. Ergo judicium diaboli, quod confessione credentium mundo propalatum est, in testimonium erit non credentibus, ut recte arguantur, qui aliis credentibus credere nolunt. Fides ergo vincit mundum, etiam in iis qui non credunt, vel qui credentes male vivunt; quia Spiritus Paracletus arguet eos pro eo quod fidem non habent, per quam impius justificatur, et diabolus ejicitur. Vincit autem fides mundum, in iis, qui nunquam fidem expugnant, quam semper impugnant. Omnes enim conatus eorum contra fidem frustrantur, et in nihilum rediguntur. Quia

phetas inspiravit, quos præmisit in mundum, antequam ipse veniret, ut adventum ejus prænuntiarent, et de operibus quæ in mundo facturus erat, testimonium perhiberent. Ipse vero in mundum veniens apostolos elegit prophetarum successores, qui nuntiarent impleta quæ a prophetis dudum fuerant prænuntiata. Quoniam autem unus spiritus prophetas et apostolos testes Christi implevit, recte in ore eorum stat verbum fidei, sicut scriptum est: *In ore duorum vel trium testium stat omne verbum* (*Deut.* XIX; *Matth.* XVIII). In ore inquit, quasi in uno. Uno enim ore loquuntur, qui concorditer loquuntur, qui veritati concordant, et sibi. Alioqui testes non sunt, si diversa sentiunt, et diversa proferunt, pro eo quod veritatis conscii non sunt.

De concordia testium et testimoniorum, et de collatione dictorum et factorum.

Concordia autem testium concordia est testimoniorum; et concordia testimoniorum concordia est verborum et verborum, sive operum et operum, sive verborum et operum. Hæc enim sunt testimonia, ut prædictum est, verba videlicet et opera. Concordant autem verba prophetarum et verba apostolorum. Hi enim nuntiaverunt impletum, quod illi prædixerunt futurum. Unde Christus in Evangelio Joannis dicit: *In hoc verbum verum, quia alius est qui seminat, alius est qui metit. Ego vos misi metere, quod vos non laborastis. Alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis* (*Joan.* IV). Laboraverunt prophetæ, alios docendo, alios monendo et increpando, et ab incredulis persecutionem patiendo. Laboraverunt autem, ut superstitionem destruerent, et errantes ad cultum veri Dei revocarent: cujus laboris fructus Apostolis est reservatus, qui metentes fructum laborantium prophetarum, gentes in fide congregaverunt, sicut prædictum fuerat a prophetis. Ipsa enim vocatio gentium per apostolos a prophetis prænuntiata fuit: qui cum prædicarent impletum quod fuerat prænuntiatum, concordant verba apostolorum verbis prophetarum, et opera impletionis verbis prædictionis: qua concordia testium vel testimoniorum constat verum esse verbum prophetarum et apostolorum. In hoc enim stat verbum, in quo constat esse verum. Ut constet esse verum, tria concurrunt, conscientia veritatis, vox testantis, concordia contestantis. Propterea prophetæ et Apostoli veri testes sunt, et eorum testimonia convenientia et sufficientia inventa sunt; quia ea ipsi, spiritu docente, veritatis conscii facti, et ipsam constanti confessione protestati sunt, et in omnibus concorditer locuti sunt. Concordia autem verborum quanta sit, ex eo ostenditur, quod apostoli prædicationem suam dictis prophetarum confirmarunt. Concordia operum manifeste apparebit, si ea quæ præcesserunt in figura, iis conferantur, quæ in veritate nunc sunt exhibita, juxta quod Dominus dicit: *Sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis* (*Joan.* III). Et iterum: *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus* (*Marc.* XII). Hujuscemodi autem collatione figuræ et veritatis pleni sunt libri apostolorum et orthodoxorum Patrum: in quibus duorum Testamentorum consonantia demonstratur, ut fidei ratio lucidius aperiatur. Sive ergo verba verbis, sive verba vel opera operibus comparentur, totum invenietur consonum quod in utroque Testamento de Christo scriptum est; nullaque poterit contrarietate infirmari, quod tam concordi testificatione dignoscitur roborari. De hac collatione scriptum est: *Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo* (*Luc.* II). Quæ sunt enim quæ conferebat in corde suo, nisi quæ ipsa viderat, et audierat, vel a prophetis prædicta, vel ab angelis pastoribus nuntiata, vel ab ipsis pastoribus aliis propalata? De hac collatione et ipsa dicit: *Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ, sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, et semini ejus in sæcula* (*Luc.* I). De hac collatione Petrus, in Actibus apostolorum dicit: *Deus qui prænuntiavit per os omnium prophetarum, pati Christum suum, implevit sic* (*Act.* III). Et iterum dicit: *Omnes prophetæ a Samuele et deinceps, qui locuti sunt, annuntiaverunt dies istos* (*ibid.*).

Quod tanta concordia testium sit a Spiritu sancto.

Tanta concordia prophetarum, qui diversis locis diversisque temporibus consona de Christo prænuntiaverunt, a quo, vel quomodo potuit procurari, nisi a Spiritu veritatis: qui unam veritatem sic eos docuit ut de Christo idem sentirent, dicerent et scriberent, et ab invicem non discordarent? Qui quidem Spiritus de apostolis eis revelavit, quod post eos essent venturi: et quæ ab ipsis prædicta fuerunt, mundo palam prædicaturi. Idem Spiritus eis scribenda dictavit, ut Scripturæ perpetuitate ad nostra tempora pervenirent, quæ a prophetis fuerant prædicta, cum per apostolos nobis nuntiarentur impleta. Propterea lectio legis et prophetarum nobis necessaria, studiosaque meditatione digna est, ut quod nobis suggeretur credendum, innotescat dudum a Deo fuisse revelatum.

De illis qui legem negligunt, aut in Scripturis Christum non intelligunt.

Illis ergo, qui legere vel audire negligunt, ut sint inexcusabiles, dicitur: *Habent Moysen et prophetas, audiant illos* (*Luc* XVI). Illis autem qui Moysen et prophetas legunt, et non intelligunt, dicitur: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: et illa sunt, quæ testimonium perhibent de me; et non vultis ad me venire, ut vitam habeatis* (*Joan.* V). Monentur scrutari Scripturas, quæ testimonium perhibent de Christo, ut in eis Christum quærant, et inveniant, et sic vitam habeant. Christus nimirum in Scripturis credentibus revelatur, a non credentibus vero absconditur. Propterea in Scripturis errant, qui Christum ignorant. Unde et Sadducæis qui dicunt resurrectionem

non esse, ipsa Veritas per se dicit : *Erratis vos, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei* (Matth. xxii). Ac si diceret : Ideo erratis, quia nescitis Scripturas; ideoque nescitis Scripturas, quia nescitis virtutem Dei. Christus autem Dei virtus est, et Dei sapientia. Proinde qui Christum ignorant, Scripturas non intelligunt. Illæ enim sunt, quæ testimonium perhibent de Christo. Unde Philippus, cum invenisset Nathanaelem, dixit ei : *Quem scripsit Moyses in lege, et prophetæ, invenimus Jesum filium Joseph* (Joan. i).

Variæ opiniones de Christo, eorum, qui eum præsentem in carne viderunt.

Qui Christum in carne præsentem viderunt, alii eum nesciebant, alii vero sciebant; et qui sciebant, prophetam eum, justum et Filium Dei dicebant. Qui autem nesciebant, aliquid horum de ipso negabant, aut dubitabant. Nathanael autem confessus est, et dixit : *Rabbi, tu es Filius Dei; tu es rex Israel* (Joan. i). Confessus est et Nicodemus, qui dixit : *Rabbi, scimus, quia a Deo venisti. Nemo enim potest signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo* (Joan. iii). Mulier autem de Samaria, quæ venit haurire aquam, dixit : *Domine, video quia propheta es tu* (Joan. iv). Ex civitate autem illa multi crediderunt in illum, et dicebant : *Ipsi audivimus et scimus, quia hic est vere Salvator mundi* (ibid.). Quidam autem *Judæi quærebant interficere eum, quia non solum solvebat Sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo* (Joan. v). Quidam vero cum viderent quod fecerat signum de quinque panibus et duobus piscibus, dicebant : *Quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum* (Joan. vi). Quidam autem dicebant : *Nonne hic est Jesus, Joseph filius, cujus novimus patrem et matrem? Quomodo ergo dicit hic, quia de cœlo descendi?* (Ibid.) Petrus autem dixit : *Nos credimus et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei* (ibid.). Quærebant autem eum in die festo, et dicebant : *Ubi est ille? Et murmur multum de illo erat in turba* (Joan. vii). *Quidam autem dicebant : Quia bonus est; alii autem dicebant : Non, sed seducit turbas* (ibid.) Quidam mirabantur, dicentes : *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit* (ibid.). Alii autem dicebant : *Christus cum venerit, nunquid plura signa faciet, quam hic facit?* (Ibid.) Cum audissent sermones ejus, dicebant : *Hic est vere propheta; alii dicebant : Hic est Christus. Quidam autem dicebant : Nunquid a Galilæa Christus venit?* (Ibid.) Alii dixerunt : *Nunquam sic locutus est homo* (ibid.), sicut iste homo loquitur : alii autem non crediderunt, *quia Patrem eis dicebat Deum* (Joan. viii). Alii dixerunt : *Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes?* (ibid.) Alii dicebant : *Non est hic homo a Deo, qui Sabbatum non custodit. Alii dicebant : Quomodo potest homo peccator hæc signa facere?* (Joan. ix.) Iterum dixerunt : *Nos scimus, quia hic homo peccator est* (ibid.) Dissensio iterum facta est inter Judæos, propter sermones ejus. *Dicebant autem multi ex ipsis : Dæmonium habet, et insanit. Quid eum auditis? Alii, Hæc verba non sunt dæmonium habentis. Nunquid dæmonium potest cæcorum oculos aperire?* (Joan. x.) Quidam dicebant : *De bono opere non te lapidamus, sed de blasphemia; et quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum* (ibid.). Martha vero dixit : *Ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei, qui in hunc mundum venisti* (Joan. xi). *Pharisæi dixerunt : Videtis, quia nihil proficimus? Ecce mundus totus post eum abit* (Joan. xii). Item scriptum est : *Ex principibus multi crediderunt in eum; sed propter Pharisæos non confitebantur, ut de Synagoga non ejicerentur* (ibid.). Discipuli vero dixerunt : *Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis : In hoc cognovimus, quia a Deo existi* (Joan. xvi). Dixerunt Judæi Pilato : *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum* (Joan. xviii). Iterum dixerunt : *Secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit* (Joan. xix). Hæc in Evangelio Joannis scripta sunt. Apud Matthæum vero sic scriptum est : *Abiit opinio ejus in totam Syriam* (Matth. iv). Visis vero miraculis, quidam dixerunt : *Nunquam apparuit sic in Israel* (Matth. ix). Alii dixerunt : *In principe dæmoniorum ejicit dæmonia* (ibid.). Et iterum : *Hic non ejicit dæmones, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum* (Matth. xii). Quidam dixerunt : *Nonne mater ejus dicitur Maria, et fratres ejus Jacobus, et Joseph, et Simon, et Judas; et sorores ejus nonne omnes apud nos sunt?* (Matth. xiii.) Audivit Herodes tetrarcha famam Jesu, et ait principibus suis : *Hic est Joannes Baptista; ipse surrexit a mortuis* (Matth. xiv). Christo autem discipulos suos interrogante, et dicente : *Vos autem quem me esse dicitis, respondens Simon Petrus dixit : Tu es Christus Filius Dei vivi* (Matth. xvi). Centurio vero ait : *Vere Filius Dei erat iste* (Matth. xxvii). In Evangelio vero Marci, sic scriptum est : *Convenit iterum turba, ita ut non possent neque panem manducare. Et cum audissent sui, exierunt tenere eum : dicebant enim : Quia in furorem versus est* (Marc. iii). *Scribæ, qui ab Jerosolymis descenderant, dicebant : Quoniam Beelzebub habet* (ibid.). Quidam dixerunt : *Nonne iste est fabri filius et Mariæ; frater Jacobi et Joseph, et Judæ, et Simonis?* (Marc. vi.) Apud Lucam, sic scriptum est : *Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius : et dicebant : Nonne hic est filius Joseph?* (Luc. iv.) Quidam vero dicebant : *Benedictus qui venit rex in nomine Domini; pax in cœlo, et gloria in excelsis* (Luc. xix).

Quod Christus justus comprobatur.

Attende ex superioribus, quam variæ fuere opiniones de Christo; aliis dicentibus, quia bonus est; aliis, quia non est. Diversis diversa sentientibus, et prout sentiebant diversa proferentibus, Christus bonus, et justus comprobatur ex vita sua et doctrina. Incipiens enim facere et docere, verbo et exemplo quæque sancta, quæque pudica et honesta, quæque Deo placita, et bonis moribus convenientia, sic agebat et sic prædicabat, ut inter insidias inimi-

eorum qui eum observabant, nulla justæ reprehensionis occasio, sive in verbis, sive in moribus ejus nullatenus potuisset inveniri. Quis humilitatem, et patientiam, et charitatem, et totius sanctitatis formam in operibus suis ita exhibuit, et ita servavit, ut ille? Quis perfectior æmulator sanctæ paupertatis, et contemptor terrenæ vanitatis, magis quam ille! Quis superbiam, invidiam, odium, iram, cupiditatem, avaritiam, luxuriam, gulam, iniquitatem, falsitatem, criminum flagitia, et omnium peccatorum genera ita persecutus est, ut ille? Quis voluntatem Dei in omnibus facere curavit, et quis ejus gloriam magis quæsivit, quam ille? Propter quod Pater de ipso dicit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (*Matth.* III). Quis a peccato et a dominatione principis hujus mundi liberior fuit, quam ille? Propter quod dicit: *Venit princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam* (*Joan.* XIV). Quis inter homines sanctior et innocentior fuit, quam ille? Propter quod dicit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* (*Joan.* VIII.) Quis potentius immundis spiritibus, ventis quoque et mari imperabat, ut ille? Quomodo potuerunt in uno homine convenire tanta signorum potentia, tanta verborum sapientia, tanta virtutum gratia, tanta vitæ puritas, tam manifestæ doctrinæ veritas, nisi a Deo esset, nisi bonus et justus esset? Qui cum accusaretur ante faciem Pilati, quasi reus mortis, hi qui per invidiam tradiderunt eum de confessione veritatis quasi de blasphemia arguebant eum. Et cum non haberent quod ei objicerent, aut quod probabiliter adversus eum confingerent, veræ accusationis defectu, et verisimilium mendaciorum inopia, compulsi sunt dicere: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum* (*Joan.* XVIII). Quasi malus esset, quisquis illis non placeret. Scrutati sunt iniquitates, ut invenirent quid ei objicerent; sed defecerunt scrutantes scrutinio, cum non haberent, unde convincerent. *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum; infirmatæ sunt contra illos linguæ eorum* (*Psal.* LXIII). Accusationes eorum vacuæ et irritæ factæ sunt, ita ut judex diceret: *Nullam in eo invenio causam* (*Joan.* XVIII). A judice ergo absolutus, judicante illo dimitti, ab illis est injuste judicatus, a quibus fuerat per invidiam accusatus. Talis ergo accusatio, talisque condemnatio non probant Jesum fuisse injustum, sed magis nos admonent ut credamus eum justum; cujus vita etiam ab invidis apud judicem infamari non potuit. Ex hoc enim magis sanctitas ejus commendatur, quod vita ejus talibus non placuit, cum justorum magna hæc laus sit, pessimis displicere. Illi autem qui de Christo dixerunt, quia malus est, quam rationem suæ assertionis reddere possunt? Et si nullam, imo quia nullam reddere possunt; accedant, et nobiscum dicant, quia bonus est, nec mediocriter bonus, sicut cæteri, qui boni dicuntur, sunt; nec sic bonus, ut putasse videtur, qui dixit: *Magister bone, quid faciam, ut vitam æternam possideam?* Cui respondit Jesus: *Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi unus Deus* (*Luc.* XVIII). Deus autem essentialiter bonus est, cujus natura bonitas est: cui hoc est esse, quod bonum esse; quo quidem modo solus ipse bonus est. Christus autem secundum naturam assumptam homo est, et singulari modo bonus est, *innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus* (*Hebr.* VII); *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus* (*I Petr.* II). Quoniam igitur constat, Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo, sanctum esse, et justum, et singulari modo bonum, et ab omni peccato liberum; videamus an et ipse propheta sit.

Quod Christus propheta comprobatur.

Prophetam autem esse, probatur ex prædictione futurorum, quæ de se, et discipulis suis et de subversione civitatis Jerusalem, et de iis, quæ post ejus ascensionem in mundo futura erant, sicut post impleta sunt, verissime prædixit. Ante passionem quippe de seipso prædixit, dicens discipulis suis: *Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, et Scribis, et condemnabunt eum morte. Et tradent eum gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum. Et tertia die resurget* (*Matth.* XX). Hæc in ipso impleta viderunt, qui cum ipso præsentes fuerunt. Mulieres autem quæ venerunt ad monumentum, sicut Lucas refert, cum duo viri starent secus illas in veste fulgenti, admonitæ sunt recordari, qualiter Dominus locutus sit eis, ut per recordationem prædictionis fidem haberent nuntiatæ sibi resurrectionis. *Quid quæritis*, inquit, *viventem cum mortuis? non est hic, sed surrexit. Recordamini, qualiter locutus sit vobis, dicens: Quia oportet Filium hominis tradi in manus peccatorum, et crucifigi, et die tertia resurgere* (*Luc.* XXIV). Et recordatæ sunt verborum ejus, et regressæ a monumento, nuntiaverunt hæc omnia illis undecim, et cæteris omnibus. De hac prædictione principes sacerdotum et Pharisæi ad Pilatum dixerunt: *Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit, adhuc vivens, Post tres dies resurgam* (*Matth.* XXVII). Et apud Matthæum angelus mulieribus dixit: *Præcedet vos in Galilæam; ibi eum videbitis: ecce prædixi vobis* (*Matth.* XXVIII). Apud Marcum vero sic dicitur: *Præcedet vos in Galilæam; ibi eum videbitis, sicut dixit vobis* (*Marc.* XVI). Attende, qualiter prædictio inculcatur memoriter retinenda, ut per ejus recordationem fides impletionis promptius admittatur. Hinc Petrus recordatione prædictæ suæ negationis ad pœnitentiam revocatur, sicut Matthæus scribit: *Recordatus est Petrus verbi quod dixerat Jesus: Ter me negabis, et egressus foras flevit amare* (*Matth.* XXVI). Cum Dominus discipulis suis ascensionem ad Patrem, et futurum adventum suum prædixisset, ad memoriam prædictionis confirmandam, quæ prædixerat, replicat, et consequenter prædictionis veritatem ad fidem impletionis valere demonstrat. *Audistis*, inquit, *quia dixi vobis, vado et venio ad*

vos (*Joan.* xiv). Et post pauca subjungit : *Et nunc dixi vobis, priusquam fiat, ut, cum factum fuerit credatis* (*ibid.*). Ascensio quippe ejus oculis discipulorum visibiliter exhibita, cum recoleretur eis prædicta, sufficere debebat ad fidem eorum habendam, quæ audierunt prædicta, et non viderunt impleta. Apud Lucam, cum post resurrectionem coram discipulis manducasset, dixit ad eos : *Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos : Cum adhuc essem vobiscum, quia necesse erat impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, et prophetis, et psalmis de me* (*Luc.* xxiv). De discipulis vero dixit : *Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum. Tradet enim vos in conciliis, et in Synagogis suis flagellabunt vos, et ante reges et præsides ducemini propter me* (*Matth.* x). Hæc post ascensionem Domini circa discipulos impleta fuisse, mundus cognovit, et testis est. De subversione civitatis Jerusalem dixit : *Venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et ad terram prosternent te, et filios tuos, qui in te sunt. Et non relinquent in te lapidem super lapidem*, etc. (*Luc.* xix). Palam est, hæc omnia impleta esse, sicut a Domino prædicta sunt. Prædixit autem Dominus quod Evangelium ejus in universo mundo prædicandum esset; quod in nomine ejus gentes baptizandæ essent; quod fides ejus in mundo recipienda esset; quod in nomine ejus pœnitentia et remissio peccatorum prædicanda esset; quod memoria mortis ejus in vero sacrificio celebranda et frequentanda esset. Scriptum quippe est : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare quæcunque mandavi vobis* (*Matth.* xxviii). His verbis manifeste prædicitur, omnes gentes baptizandas baptismo Christi, et doctrinam evangelicam ab eis servandam, sicut eam Dominus apostolis tradidit. Scriptum est : *Quid molesti estis huic mulieri ? Opus bonum operata est in me. Amen dico vobis : Ubicunque prædicatum fuerit Evangelium in toto mundo, dicetur et quod hæc fecit in memoriam ejus* (*Matth.* xxvi). His verbis ostenditur, Evangelium in toto mundo prædicandum, et bonum opus mulieris in memoriam ejus prædicatione Evangelii ubique divulgandum. Hæc, sicut prædicta sunt, nunc evidenter impleta videmus. Quod fides Christi in mundo recipienda esset, ostendit ipse, dicens : *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum* (*Joan.* xii). Et cum turbæ clamarent, sicut Lucas refert : *Benedictus qui venit, rex Israel, in nomine Domini*, Pharisæis dicentibus ad illum : *Magister, increpa illos*; respondit : *Dico vobis si tacuerint, lapides clamabunt* (*Luc.* xix). Hoc autem dicebat de gentibus, quæ credituræ erant in eum; de quibus in Evangelio Matthæi dicit : *Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructum ejus* (*Matth.* xxi). Quod pœnitentia et remissio peccatorum in nomine ejus prædicanda esset, ostendit ipse discipulis post resurrectionem loquens, et sicut Lucas refert, dicens : *Sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis die tertia; et*

A *prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes* (*Luc.* xxiv). Quod memoria mortis ejus in oblatione veri sacrificii celebriter frequentanda esset, demonstrat dicens : *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur : hoc facite in meam commemorationem* (*I Cor.* xi). Ecce hæc omnia, ut a Domino prædicta sunt, sic in conspectu omnium gentium adimpleta sunt. Quæ cum prædicerentur, et prædicta scriberentur, poterant adhuc impossibilia et incredibilia videri. Quis enim tunc, nisi a Deo ad hoc videndum inspiratus, credere posset, quod omnes gentes cultibus dæmoniorum deditæ idola sua abjicerent, quod unum Deum verum cognoscerent; quod Jesum Nazarenum cru- B cifixum, mortuum et sepultum a mortuis resurrexisse, et in cœlum ascendisse crederent, eumque sicut verum Deum adorarent, eique sicut vero Deo servirent? Hæc autem mutatio antequam fieret, tam incredibilis, et nunc postquam facta est, tam mirabilis, et tam palam omnibus conspicabilis, a quo potuit fieri, nisi ab eo, qui hoc præscivit et futurum prædixit? Quis hominum hoc facere posset? Quis dæmonum, etiamsi posset, hoc facere vellet? Fides nimirum Christi regna hominum obtinuit, principatum dæmonum destruxit.

Et hæc quidem facta sunt, non manu, non in gladio et hasta, non in virtute bellici laboris et sudoris; sed in humilitate Christi, in mansuetudine Christi, in cruce et morte Christi, in patientia ju- C storum, in millibus martyrum Christum confitentium, et pro Christo morientium. Facta sunt hæc, non in sapientia verbi, non in sublimitate sermonis, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, non per fortia et alta hujus mundi, ut non evacuetur crux Christi; sed ad hæc facienda elegit Deus stulta et infirma et ignobilia hujus mundi, ut per homines simplices confunderet mundi sapientes; per apostolos obtineret philosophos; per piscatores triumpharet imperatores.

Christus Filius Dei; signa adventus ejus.

Certissime igitur et firmissime credendum est, et constantissime confitendum quod Jesus Christus vir sanctus et propheta, etiam Filius Dei est, qui a Patre exivit, et venit in hunc mundum. Hoc enim D de se ipse dixit; nec tantum honorem mendaciter sibi usurpavit. Quis enim sic usurparet, qui sanctus et propheta esset? *Fidelis ergo sermo, et omni acceptione dignus; quia Jesus Christus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere* (*I Tim.* i). Signa autem adventus hujus certissima sunt hæc : Excæcatio, dispersio et depositio Judæorum : vocatio et illuminatio gentium ; idololatriæ subversio et veræ religionis institutio, qua verus Deus adoratur in spiritu et veritate, per Dominum nostrum Jesum Christum. Hæc autem mutatio circa gentes commotio terræ est : de qua Psalmista dicit : *Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam et honorem*, etc. (*Psal.* xcv). Et post pauca : *Commoveatur a facie ejus universa terra : dicite in gentibus*

A *quia Dominus regnavit* (*Psal.* cxv). Hæc mutatio correctio orbis est, de qua subjungitur : *Etenim correxit orbem, qui non commovebitur* (*ibid.*). Signa autem adventus Christi, quæ in prophetis scripta sunt, quamvis ad aliquam mirabilem mutationem circa has creaturas, montium, vallium, aquarum, arborum, animalium, aliorumque similium, pertinere videantur : mystice tamen attendenda sunt hæc, et super hac commotione terræ, et correctione orbis, spiritualiter intelligenda. Consideremus hoc ex similium comparatione. In Malachia propheta Dominus loquitur, dicens : *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, et convertet cor patrum ad filios*, etc. (*Malac.* iv). Et apud Lucam angelus ad Zachariam de Joanne loquitur, dicens : *Multos filiorum Israel convertet ad Dominum, ut convertat corda patrum in filios*, etc.; B *parare Domino, plebem perfectam* (*Luc.* i). Vides in præcursoribus primi et secundi adventus Christi, quæ sit causa, quodve officium præcursionis eorum, corda videlicet convertere ad Dominum. Ex hoc intellige, hanc ipsam causam esse adventus Christi, qui in hunc mundum venit peccatores salvos facere, et per fidem et pœnitentiam ad Dominum Deum ipsorum convertere. Venit autem in hunc mundum, non ut judicet mundum, sicut in novissimo die judicaturus est; sed ut salvetur mundus per ipsum. Venit tamen in hoc primo adventu salvans, et aliquo modo judicans; salvans in iis qui credunt in adventu ejus, judicans in iis qui non credunt. Causa ergo adventus ejus misericordia est et judicium. Hinc C Habacuc propheta dicit : *Respondit mihi Dominus et dixit : Scribe visum, et explana eum super tabulas, ut percurrat, qui legerit eum ; quia visus procul ; et apparebit in finem, et non mentietur : si moram fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet, et non tardabit. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso ; justus autem in fide sua vivet* (*Habac.* ii). Vide et considera quam manifeste propheta prædicit eos, qui non credunt in adventu Christi, non justificari, eos autem qui justificantur, ex fide vivere. Hinc ipse Dominus in Evangelio Joannes dicit : *In judicium in hunc mundum veni : ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant* (*Joan.* ix). Judæi, qui antea crediderunt, modo non credunt; gentes vero, quæ antea non crediderunt, D modo credunt. Judicium ergo hoc est contra Judæos, quorum gloriatio exclusa est, et contra dæmonia et idola, quorum veneratio abolita est. Unde nobis Christum confitentibus exsultandum est, sicut scriptum est : *Et exsultaverunt filiæ Judæ, propter judicia tua, Domine* (*Psal.* xcvi). Et iterum : *Tunc exsultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quoniam venit judicare terram* (*Psal.* xcv). Nobis siquidem ex gentibus vocatis, qui dudum sicut ligna silvarum fuimus, in hoc exsultandum est, et super hoc Domino confitendum quod, Judæis excæcatis dæmonibusque ejectis, per fidem illuminati sumus : per quam intelligimus, quod dii gentium dæmonia; Dominus autem cœlos fecit. Cognita ergo causa adventus Christi, ex ea investigari debent signa adventus ejus, quæ sunt mirabilia opera ejus : propter quæ, ut ea faceret, venit ; quæ et veniens mirabiliter fecit. De quibus Psalmista dicit : *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit* (*Psal.* xcvii). Dic nobis, propheta Domini, quæ sunt mirabilia quæ fecit Dominus? *Salvavit sibi dextera ejus, et brachium sanctum ejus* (*ibid.*). Dic adhuc manifestius : *Notum fecit Dominus salutare suum ; ante conspectum gentium revelavit justitiam suam. Recordatus est misericordiæ suæ, et veritatis suæ domui Israel. Viderunt omnes fines terræ Salutare Dei nostri* (*ibid.*). Hæc sunt mirabilia, quæ fecit Dominus, per quæ recordatus est antiquæ promissionis suæ, ut eam adimpleret in tempore suo. Verbum autem promissionis hoc est : *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen.* xxii). Hæc est autem benedictio omnium gentium in semine Abrahæ, quod est Christus : per quam misertus est Dominus omnium populorum, iram primæ maledictionis avertens, gratiam restituens in illuminatione per fidem in adventu Salvatoris; quem manifestavit Deus omni populo. De qua misericordia et benedictione Psalmista dicit : *Deus misereatur nostri :* etc. *Ut cognoscamus in terra viam tuam ; in omnibus gentibus Salutare tuum. Lætentur et exsultent gentes* (*Psal.* lxvi). Hoc ergo est signum adventus Christi, testimonium omnium gentium, quo, sicut de eis prophetatum fuerat, de errore idololatriæ et potestate diaboli se liberatas esse confitentur, agnoscentes Salutare Dei, quod Deus in conspectu omnium gentium revelavit.

De Judæorum excæcatione.

De Judæorum excæcatione Psalmista dicit : *Obscurentur oculi eorum, ne videant* (*Psal.* lxviii). Obscurantur autem oculi eorum circa legem, quam non intelligunt ; circa tempus visitationis suæ, quod non cognoscunt ; circa suam cæcitatem, quam non attendunt. Spiritualis quippe legis intelligentia a Judæis ablata est. Hinc Apostolus in secunda ad Corinthios Epistola ait : *Usque in hodiernum diem cum legitur Moyses, velamen est positum super cor eorum* (*II Cor.* iii) Isaias vero dicit : *Erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti litteras, dicent : lege istum. Et respondebit : Non possum, signatus est enim. Et dabitur liber nescienti litteras* (*Isai.* xxix). Quibus verbis manifeste ostenditur quod lex non intelligenda ab iis, quibus data est; transferenda sit ad gentes, quibus ab initio data non est. Iterum dicit : *Admirationem faciam populo huic, miraculo grandi et stupendo : peribit enim sapientia a sapientibus ejus, et intellectus prudentium ejus abscondetur* (*ibid.*). Miraculum grande et stupendum dicit, quod periit sapientia ab eis, et intellectus absconditus est ab eis. Et iterum : *Nonne adhuc in modico et in brevi convertetur Libanus in Charmel, et Charmel in saltum reputabitur? Et audient surdi verba libri signati die illa : et de tenebris et caligine oculi cæcorum videbunt?* (*Ibid.*). His

verbis significat conversionem præputii in circumcisionem, per commutationem fidei, et circumcisionis in præputium; et gratiam legis intelligendæ nobis quondam surdis et cæcis indultam. Et iterum: *Non modo confundetur Jacob, nec modo vultus ejus erubescet: sed, cum viderit filios suos opera manuum mearum in medio sui sanctificantes nomen meum, et sanctificabunt sanctum Jacob, et Deum Israel prædicabunt: et scient errantes spiritu intellectum, et mussitatores discent legem* (*Isai.* XXIX). Tempus significat vocationis nostræ, in quo nunc sumus. Ecce enim nos de gentibus credentes, quondam errantes, et mussitatores, legem ad nos translatam discimus; et profitemur nos esse filios Jacob, sed spiritu, et opera Israel prædicamus; quod est *rubor et confusio eorum.* Et iterum: *Ubi est litteratus, ubi verba legis ponderans, ubi doctor parvulorum?* (*Isai.* XXXIII.) Jeremias vero dicit: *Populus autem meus non cognovit judicium Domini. Quomodo dicitis, sapientes nos sumus, et lex Domini nobiscum est? Vere mendacium operatus est stylus mendax Scribarum* (*Jer.* VIII). Cæcitatem Judæorum circa tempus visitationis suæ arguit Dominus, dicens ad civitatem Jerusalem: *Non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognovisti tempus visitationis tuæ* (*Luc.* XIX). Et in Evangelio Matthæi ad Pharisæos et Sadducæos, tentantes et rogantes, ut signum de cœlo ostenderet eis, respondens, ait: *Facto vespere dicitis, serenum erit, rubicundum est enim cœlum; et mane, hodie tempestas: rutilat enim triste cœlum. Faciem ergo cœli dijudicare nostis; signa autem temporum non potestis scire. Generatio mala et adultera signum quærit; et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ* (*Matth.* XVI). Hanc cæcitatem arguit et Jeremias, cum dicit: *Milvus in cœlo cognovit tempus suum; turtur, et hirundo, et ciconia custodierunt tempus adventus sui; populus autem meus non cognovit judicium Domini* (*Jer.* VIII). Hoc est autem judicium, quod non cognovit, de quo, ut prædictum est, Dominus dicit: *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant* (*Joan.* IX). Hoc autem judicium pro nobis est, et contra Judæos. Rationem autem hujus judicii, in quantum contra Judæos est, Apostolus in Epistola ad Romanos edisserit: *Gentes quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam; justitiam autem quæ ex fide est. Israel vero sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus. Offenderunt enim in lapidem offensionis* (*Rom.* IX). Et infra: *Æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam. Ignorantes enim Dei justitiam, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti* (*Rom.* X). In Christum igitur offendentes, et suam justitiam constituere volentes, ut non solum justi viderentur, sed et auctores justitiæ haberentur, justo Dei judicio excæcati sunt, et judicium Domini non cognoscunt, tanto cæciores, quanto suam cæcitatem A minus intelligunt, quam si intelligerent, peccatum non habere t. Unde cum Dominus dixisset: *In judicium veni in mundum; ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant;* audientibus Pharisæis, et dicentibus: *Nunquid et nos cæci sumus;* respondit: *Si cæci essetis, non haberetis peccatum: nunc autem quia dicitis, videmus, peccatum vestrum manet* (*Joan.* IX). Non est ambigendum, quod verum sit, quod Veritas dicit. Si enim suo judicio cæci essent, et cæcitatem suam humiliter confiterentur, illuminatorem quærerent, et peccatum cæcitatis deinceps non haberent. Sed ideo manet peccatum eorum, quia, cum cæci essent, se videre dicebant. Propter quod peccatum in toto orbe dispersi sunt; et de pristina dignitate, quam perdiderunt, cum magno B confusionis suæ opprobrio depositi. De quorum dispersione et depositione Psalmista dicit: *Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos: nequando obliviscantur populi mei. Disperge illos in virtute tua, et depone eos, protector meus, Domine* (*Psal.* LVIII). Ergo dejecti sunt in nationibus, et dispersi sunt in regionibus. Perdiderunt terram sanctam et civitatem sanctam Jerusalem, locum suæ habitationis. Perdiderunt altare, et templum, locum sacrificii et orationis. Perdiderunt unctionem regni et sacerdotii. Denique perdiderunt et legem, quam in testimonium contra se portant, et non servant. Verumtamen nobis eam servant, ut nobis servando serviant, ut sciamus et per eos, quia lex a C Deo data est, in qua gratia testificata est, quæ in Christo nobis data est.

De vocatione gentium, et idololatriæ subversione.

De gentium vocatione, simul et Judæorum abjectione, prophetavit Moyses, dicens: *Ipsi me provocaverunt in eo, qui non erat Deus, et irritaverunt in vanitatibus suis. Et ego provocabo eos in eo, qui non est populus: et in gente stulta irritabo illos* (*Deut.* XXXII). Non populum autem et gentem stultam dicit multitudinem gentium quondam idololatriæ deditam: quam Deus vocavit per gratiam suam, spretis Judæis, a quibus et ipse spretus est. Isaias vero de illuminatione gentium dicit: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam* (*Isai.* IX). Et iterum: *Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus* D *Jacob, et fæces Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium; ut sis salus mea usque ad extremum terræ* (*Isai.* XLIX). Et iterum: *Quæsierunt me, qui ante non interrogabant: invenerunt qui non quæsierunt me. Dixi: Ecce ego, ecce ego, ad gentem, quæ non invocavit nomen meum* (*Isai.* LXV). Et iterum: *Mittam ex eis qui salvati fuerint ad gentes, in mare, in Africam, in Libiam, tendentes sagittam: in Italiam et Græciam, ad insulas longe: ad eos qui non audierunt de me, et non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam gentibus* (*Isai.* LXVI). De idololatriæ subversione, et idolorum projectione, scribit Isaias dicens: *In illa die idola penitus conterentur* (*Isai.* II). Et iterum: *In die illa projiciet homo idola argenti sui, et simulacra auri sui, quæ*

fecerat sibi (*Isai.* II). Et iterum: *In die illa inclinabitur homo ad factorem suum, et oculi ejus ad sanctum Israel respicient: et non inclinabitur ad altaria, quæ fecerunt manus ejus, et quæ operati sunt digiti ejus: non respicient lucos et delubra* (*Isai.* XVII). Et iterum: *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Ægyptum; et movebuntur simulacra Ægypti a facie ejus* (*Isai.* XIX). Et Psalmista dicit: *Confundantur omnes qui adorant sculptibilia, et qui gloriantur in simulacris suis* (*Psal.* XCVI).

De novæ legis institutione.

De institutione Christianæ religionis, qua Deus adoratur, non in carnalibus legis observantiis, sed in spiritu et veritate, scribit Jeremias ex persona Domini: *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit unusquisque vir proximum suum, et vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum. Omnes enim scient me a minimo usque ad magnum dicit Dominus* (*Jer.* XXXI). Et de abolitione carnalium sacrificiorum idem dicet ex persona Domini: *Ut quid mihi thus de Saba affertis, et calamum suave olentem de terra longinqua?* (*Jer.* VI.) *Holocausta vestra non sunt accepta; et victimæ vestræ non placent mihi* (*Isai.* LVI). Ezechiel vero dicit: *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri; et faciam, ut in præceptis meis ambuletis* (*Ezech.* XXXVI). Isaias vero ex persona Domini dicit: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos? Qui immolat bovem, quasi qui interficit virum; qui mactat pecus, quasi qui excerebrat canem; qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat; qui recordatur thuris quasi qui benedicit idolo* (*Isai.* LXVI). Quibus verbis ostendit Deus humilitatem et contritionem spiritus, et timorem sanctum, hoc est puritatem cordis sibi placere; non carnalia Judæorum sacrificia, quæ sibi accepta non sunt.

Hæc, et alia quamplurima de excæcatione Judæorum, et illuminatione Gentium, de abolitione veterum, et institutione novorum, in lege, et A prophetis, et psalmis, tam manifeste scripta sunt, ut a Judæis nullatenus negari, nullatenus possent ignorari, nisi malitia cor eorum mirabiliter et miserabiliter excæcasset. Veritas instillatur auribus eorum, et non audiunt; veritas ingeritur oculis eorum, et non attendunt; legem Dei, sicut cæci, lucernam portant in manu, et viam nesciunt. O Judæe impie, invide, quid gloriæ Dei invides, et saluti gentium? An Judæorum Deus tantum? Nonne et gentium? An a solis Judæis adorandus est Deus? Nonne scriptum est: *Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ: et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium* (*Psal.* XXI)? Nonne scriptum est: *Omnes gentes quascunque fecisti, venient et adorabunt coram te, Domine, et* B *glorificabunt nomen tuum?* (*Psal.* LXXXV.) Quid Dei misericordiam Deique cultum intra unius gentis et unius loci angustias concludis? An non licet gentibus Deum invocare? Liceat eis, quod Isaias prædixit: *In illa die erit radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* (*Isai.* III). Et Joel propheta dicit: *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit* (*Joel.* II). Testis est Isaias, quod domus orationis communis est et gentibus. Dicit enim ex persona Domini: *Domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus* (*Isai.* LVI). An non est altare Domini in Jerusalem? Isaias dicit: *In illa die erit altare Domini in medio terræ Ægypti, et titulus Domini juxta terminum* C *ejus, erit in signum et in testimonium Domino exercituum in terra Ægypti* (*Isai.* XIX). Ergo cultus Dei et misericordia Dei communis est et gentibus. Conclusit enim Deus omnia in infidelitate, ut omnium misereatur. Omnes peccaverunt et egent gloria Dei. At impletum est in Judæis, quod Jeremias dicit: *Hæc est gens, quæ non audivit vocem Domini Dei sui, nec recepit disciplinam. Periit fides, et ablata est de ore eorum* (*Jer.* VII). Fides autem de ore eorum ablata nobis data est, ut credamus et confiteamur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

BALDUINI
CANTUARIENSIS EPISCOPI
LIBER
DE SACRAMENTO ALTARIS
SEU EPISTOLA AD BARTHOLOMEUM OXONIENSEM EPISCOPUM.

Amantissimo domino et Patri, B., Dei gratia A Oxoniensi episcopo, frater BALDUINUS Fordensis monasterii servus, æternam in Domino salutem.

Reverenda nomina magistri, domini et Patris, singula jus suum in me vindicant tibi: et multiplici necessitate obediendi pene præripiunt me mihi, ut meus non sim, sed tuus; cui post Deum debeo id omne quod sum, et quod possum. Verum in ipsa obediendi necessitate libera est voluntas mea a necessitate, cum necessitas cedat voluntati, non voluntas necessitati. Ex voluntate enim est necessarium, quod non est necessitate voluntarium. Hæc enim libertas restituit me mihi, ut meus sim, licet tuus; et plus meus, quam tuus: plus enim compos B voti mei, cum tuæ obedio voluntati. Timor enim et amor, et ex utroque mista reverentia, jampridem obtinuerunt cor meum, ut deliberatum haberem, non negare, quod velles; non recusare, quod injungeres. Verumtamen cum auctoritas tua me premeret, et charitas urgeret, ut de inæstimabili sacrificio veritatis aliqua scribenda dictarem, et dictata scriberem, ad ædificationem fidei profutura; in disceptatione cogitationum mearum ita mente divisus sum, ut timens non obedire, multo magis timerem et obedire. Utrinque enim certi periculi metus me arctabat; sed quod magis mihi periculosum, hoc et mihi magis miraculosum. Res enim magna est, et longe supra me, et quomodo potero ad eam? Profundum sacramentum sacro velamine rectum, C ineffabile, incogitabile, incomprehensibile! Quis ego sum, ut casto et puro sermone, sicut oportet, decet, et expedit, eloqui sufficiam? Nam ad tantæ profunditatis caliginem sensus non admittitur, ratio hebetatur, intellectus obstupescit, mens in suis conatibus se non expedit, et sermo deficit. Supra omnem sensum, rationem, et intelligentiam; supra linguas hominum et angelorum est hoc inscrutabile secretum: linguæ autem facilis est lapsus, et erumpentis sermonis levis excursus. Res autem impossibilitati proxima est, omnia verba diligenti cautela observare, et omnes sermones in statera judicii librare, ut nihil exeat in circumspectum, nihil suspectum. Unus autem sermo in re tam sancta incaute prolatus, vel non pure intellectus, citra errorem non nunquam ingerit suspicionem erroris. Pro quo periculo vitando, cum vera excusatione et crebra dilatione apud dilectionem tuam agerem, ne in sententia perseverares, te immobilem expertus et perseverantia tua victus, ne obedientiæ deessem et charitatem tuam læderem; tandem sicut qui periculum periculo declinat, timori cessi contra timorem. Non enim mihi liberum fuit, pertinaciter nolle, quod tantopere voluisti. Confisus ergo de adjutorio Dei, quod invitus suscipio, non indevotus tamen attentare curabo: et quod necessitas imponit, devotio utcunque consummabit. Possunt quippe coacta initia nonnunquam spontaneos habere processus. Nam et equi flagellis adacti, sæpe cum currere cœperint, fervent desiderio currendi; et parvuli studiis literarum non sponte addicti, cum profecerint, flagrant amore discendi. Et ego quidem ad propositum ferveo, sed non sufficio. Velle enim adjacet mihi, perficere autem non invenio. Sed insufficientia mea, quæso, adjuvetur oratione tua, et præveniatur benedictione tua, et benevolentia tua, sicut confido, contenta sit mediocritate mea. Si non sufficio æquare quod speras, et implere quod desideras, prosit mihi ad veniam, revereri quod imperas. Vale.

Quis sit ordo.

Magnum et profundum novi verique mysterium sacrificii, nec humanæ rationis conjecturis fideliter æstimari, nec persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis digne sustinet explicari. Sed institutionem hujus sacramenti, et causam, veritatem, virtutem, dignitatem quoque et figurarum significationem ex ipsius Dei verbis et eorum, in quibus locutus est Deus, secundum ea quæ utriusque Testamenti sacrosancta prodit auctoritas, pia inquisitione investigare oportet, ut conscientia fidei non recedat a linea veritatis, et oris confessio omni careat

suspicione falsitatis. Ordinem autem inquisitionis, manifestandæ veritati hunc magis congruere existimo, si veritas Novi Testamenti, quæ dignitate prior est, figuræ legis præponatur, ut ordinetur Testamentum novæ gratiæ super sacrificia, et, lumine veritatis præradiante, tenebræ figurarum rarescant, et facilius liquidiusque clarescant, juxta quod scriptum est: « Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine, Deus meus illumina tenebras meas (*Psal.* XVII). » Nam nova veteribus nonnunquam præponenda esse insinuat, qui dicit: « Omnis scriba doctus in regno cœlorum similis est homini Patri familias, qui profert de thesauro suo nova et vetera (*Matth.* XIII). » Et vox sponsæ concordat dicentis: « Omnia poma nova et vetera servavi tibi (*Cant.* VII). » Primo igitur considerandum est, prout ille dederit, qui suggerit omnem veritatem, quomodo in nova vetera sint translata; deinde quomodo veritas novæ gratiæ in pane et vino nobis sit exhibita; postremo quomodo in agno et manna eadem veritas olim sit præfigurata. Hoc siquidem ordine servato, manifestius videbitur imago in veritate, quam olim veritas in imagine. Et qui dixit de tenebris splendescere lucem, faciat et ipsas tenebras splendescere per lucem, sicut scriptum est: « Nox sicut dies illuminabitur (*Psal.* CXXXVIII). » Scio equidem, quod ad hoc non est sermo in lingua mea, sed sicut Apostolus ait: « Fiduciam talem habemus ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est (*II Cor.* III). »

Quæ in Veteri Testamento contineantur.

Juxta Apostoli testimonium, qui secundum legem offerunt munera, exemplari et umbræ deserviunt cœlestium. Christus autem « melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est (*Hebr.* VIII). » Cujus testamenti consummatio ab eodem Apostolo demonstratur, sumpto de Jeremiæ prophetia testimonio: « Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum; non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti (*Jer.* XXXI). » In veteri Testamento quatuor principaliter consideranda sunt; promissa, judicia, præcepta, sacramenta. Hæc quatuor, quia imperfecta erant, et minus habentia, per novum Testamentum mutari oportuit, aut perfici. De mutatione promissionum primo dicendum videtur.

De mutatione promissionum.

In novo Testamento scriptum est: « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V). » In veteri Testamento dicitur: « Dedit illis regiones gentium, et labores eorum possederunt (*Psal.* IV). » Ibi in distributione agrorum, in abundantia frumenti et vini et olei, in affluentia et gloria bonorum temporalium, in rore cœli et in pinguedine terræ, merces divini cultus constitui videtur; hic vero, in novo scilicet A Testamento, non jam terrena substantia vel gloria, sed æterna hæreditas repromittitur, non divitibus quidem, sed pauperibus. Christo enim paupere, pauperes evangelizantur, qui de divitibus suam profert sententiam, dicens: « Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem in regnum cœlorum intrare (*Matth.* XIX). » Quæ tunc ergo promittebantur, nunc contemnenda indicantur; quia melioribus repromissionibus sancitum est novum Testamentum. In illis tamen promissionibus quæ antiquis factæ sunt, bona æterna, quæ nunc repromittuntur, figurata sunt. Omnia enim in figura contingebant illis; et cuncta quæ illis data sunt vel promissa, in signum erant meliorum promissionum, quibus sancitum est novum Testamentum. Sic B cum puer parvulus filius cujuspiam prædivitis et potentis in hæreditatem patris defuncti inducitur; in signum possessionis aut vestituræ, aliquis pulcherrimus ramus de arbore cum pomorum fructibus dari potest; et si detur, ille quia adhuc sapit ut parvulus, et cogitat ut parvulus, præsenti pulchritudini pomorum, et voluptati gestiens aggratulatur et arridet; quanta vero sit possessionum facultas, et accepti honoris dignitas, ætas indiscreta cogitare non novit. Rudi itaque adhuc populo Israel, et cœlestium promissionum insueto ab idolorum cultura paulatim retrahendo temporalia bona et promissa sunt et data, ut ex rebus sibi per experientiam notis haberent aliquam consolationem; C et qui nequibant capere cœlestia, a Deo potius quam ab idolis desiderarent et peterent terrena. Ita Deus consultum esse voluit infirmis de populo suo. Perfectiores autem qui tunc temporis erant, præ desiderio cœlestium bona temporalia contemnenda ducebant; et in promissionibus Dei aliquid inæstimabile cogitabant, « quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (*I Cor.* II). » Ex quibus unus quasi omnium justorum suspiria de imo sui cordis trahens, ait: Ecce, « quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? » (*Psal.* LXXII.) Quibus autem dictæ erant promissiones, omnes defuncti sunt, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes et salutantes, et confitentes, quia peregrini et hospites D sunt super terram (*Hebr.* XI). Qui dicunt hæc, significant se patriam inquirere. Et siquidem illius meminissent de qua exierant, habebant utique tempus revertendi. Nunc autem meliorem appetunt Jerusalem cœlestem. Merces itaque divini cultus, fidei scilicet et obedientiæ præmium, non est hujus temporis, sed, « cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini (*Psal.* CXXVI). » Finis autem promissionum Christus est, in quo omnes promissiones Dei consummabuntur, omnisque spes et exspectatio et desideria justorum complebuntur.

De mutatione judiciorum.

Sicut de promissionibus, sic et de judiciis sentiendum est. In novo enim Testamento scriptum est: « Qui mala egerint, ibunt in ignem æternum (*Joan.*

v). » In veteri autem Testamento temporales pœnæ transgressoribus constituuntur, sed in illis æterna pœna figuratur. Et sicut novæ promissiones incomparabiliter meliores sperantur quam veteres, sic terribiles novi Testamenti comminationes longe longeque graviores credendæ sunt, super omnia judicia pœnarum, quæ in priori Testamento intentantur.

De mutatione præceptorum vel superadditione.

Mutatis promissionibus in melius, justum fuit obedientiam augeri, ut aucta mercede divini cultus, pensum quoque divinæ servitutis augeretur. Obedientia autem in præceptis est, et honor divini cultus in observantia mandatorum Dei consistit. Erant autem in lege Moysi quædam præcepta moralia, ut: « Honora patrem tuum, et matrem tuam : Non occides. Non facies furtum. Non falsum testimonium dices (*Exod.* xx); » et cætera hujusmodi, quæ morum simplicitatem et formam honestatis præscribunt. Hæc in Novo Testamento mutata non sunt, sed aucta. Nonnulla enim quæ perfectioni deerant sunt superaddita. Lex enim neminem adduxit ad perfectum. Alia vero erant mystica ad ritus sacrificiorum et solemnitatem cæremoniarum pertinentia, quæ cœlestium sacramentorum mysteria suo tempore propalanda typis figurarum adumbrabant, et per mysticam significationem spiritualis intelligentiæ gratiam interius absconditam et clausam continebant. Cæremonialia autem, quæ umbræ futurorum serviebant, a suo statu translata sunt ut a modo non cognoscamus litteraturam, sed introeamus in potentias Domini ; et moriente littera ne occidat, spiritu viventes spiritu et ambulemus : nec jam in carnalibus et figuralibus observantiis colendus est Deus, sed adorandus in spiritu et veritate. Tales enim quærit, qui adorent eum in spiritu et veritate.

De mutatione sacramentorum.

Sacramenta veteris Testamenti quamdam sanctificationem in se continebant, et majoris sanctificationis significationem, significante Spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam. Non poterant illa juxta conscientiam perfectum facere servientem. Solummodo in cibis et potibus, et variis baptismatibus, et justificationibus carnis usque ad tempus correctionis impositis, sanctificationem sic continebant, ut perfectio eis deesset. Mysticam significationem sic habebant, ut plena veritas nondum adesset. Oportuit ergo talia sacramenta institui, quæ plene et perfecte sanctificarent, et significationis veritatem præsentem in se haberent ; ne sanctificationi deesset plenitudo gratiæ, vel significationi exhibitio veritatis. Mutatis igitur promissis, et judiciis, et præceptis, et sacramentis, oportuit legem mutari novumque Testamentum consummari in plenitudine formæ, et exhibitione veritatis novis promissis et judiciis, novis præceptis et sacramentis.

Quod Christus finis sit promissorum.

In promissionibus legis amor suggeritur, in ju- A diciis timor incutitur, in præceptis obedientia requiritur, in sacramentis gratia occultatur, et in his omnibus Christus figuratur. Christus enim amor noster est, promissor ipse, et promissio nostra. Christus timor noster est, legifer noster, et judex noster. Christus forma est obedientiæ, et mandatum Patris, quod nobis mandavit audiendum, suscipiendum, diligendum. In illo enim mandavit benedictionem et vitam. Hinc ipse ait : « Qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, et quid loquar : scio quia mandata ejus vita æterna est (*Joan.* xii). » Hic ipse Christus misericordia nostra est, in quo omnis gratia viæ et veritatis, et omnis spes vitæ et virtutis. Deus enim nos gratificavit in dilecto Filio suo, omnisque gratia in sacramentis abscondita ab B ipso revelatur, et ab ipso datur, qui virtus est sacramentorum, et sanctificatio eorum. Lex enim per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum ; sed gratia a lege testificata est, quæ per gratiam muta a est, secundum statum hominis per gratiam demutati.

De mutatione legis

Sicut homo constat ex carne et anima, ita lex consistit in littera et spiritu. Homo autem adhuc sine lege carnalis erat, venundatus sub peccato, superstitioni deditus, et veræ religionis ignarus. Lege accepta ad veram religionem cœpit institui : et sicut ordo correctionis exigebat, jussus est Deo offerre, quæ prius consueverat idolis immolare, ut Dei injuriam verteret in honorem, suoque judicio C rectissime se damnaret, dum reprobaret, quod antea probarat, errorem suum ipsa mutatione confessus. At qui ante legem acceptam fidem unius Dei habebant, et idolis non immolabant, hi si post legem supererant, auctoritate legis confirmari poterant, in eo quod cœperant perseverare. Procurabat nempe lex, non idolis, sed vero Deo carnales hostias offerri, donec unum sacrificium verum omnibus sacrificiis non solum Judæorum, sed etiam gentium, finem imponeret. Apud omnes nempe gentes consuetudinis erat Deo suo hostias offerre. Mos autem sacrificandi longe ante legem initium sumens, sive naturæ instinctu, sive divina inspiratione, sive parentum traditione, sive ex aliorum exemplo et aliorum imitatione, ita invaluit, ut omnis religio, om- D nisque superstitio persuasum haberet sacrificiis Deum posse placari, fixumque teneret hostiarum morte et effusione sanguinis preces exaudiri, et scelera posse facilius expiari. Exstant innumerabiles ipsorum etiam gentilium libri, qui præcipuam spem suæ liberationis, et votivæ exauditionis in sacrificandi religione apud gentes constitutam fuisse manifestissime declarant. Unde vero hæc opinio inoleverit, vel quomodo undecunque incipiens, usque ad religionem omnium et Judæorum et gentium processerit, non est promptum edicere. Verum res diligentius considerata vehementem adducit admirationem et stuporem, Deo mirabiliter dispensante, ut communis opinio omnium hominum spem suæ

salutis in sacrificandi religione constituentium futuræ dispensationi serviret, valitura postmodum ad fidem omnium morte unius hostiæ de morte liberandorum, homini in melius mutando. Data est lex, et ipsa in melius mutanda, quæ carnali homini sic contemperata est et conformata, ut infirmitati ejus condescenderet, et quasi cum infirmo infirmaretur. Homo enim secundum carnem ambulans, quasi tantum caro erat, carnalia sapiens, et ea quæ spiritus sunt ignorans. Per legem autem deducendus erat de carnali sensu et carnali affectu ad spiritualem sensum et spiritualem affectum, ut qui caro erat desineret esse caro, et spiritualiter Deo adhærens, unus spiritus esset. Hæc in utero hominis de carne in spiritum figurata est, in mutatione legis de littera in spiritum. In littera autem, hoc est in carnalibus observantiis ad litteram pertinentibus, contemperata est lex infirma homini infirmo. Sed cum de infirmitate sua convalesceret homo, mutata est lex in melius, cum proficiente proficiens, et de imo ad altiora conscendens, sicut scriptum est. « Cum elevarentur animalia de terra, elevabantur pariter et rotæ (*Ezech.* I). »

De mystica significatione legalis hostiæ.

Mystica legis significatio in carnalibus sacrificiis tria principaliter figurabat, hominis culpam, et pro culpa pœnam, et liberationis gratiam. In carnalibus enim sacrificiis demonstratus est homo sibi, qualis esset per peccatum, et quali pœna dignus propter peccatum. Nam cum per inobedientiæ culpam esset reus mortis, et per Dei sententiam morti addictus, et ideo debitor mortis, per legem tamen non est admonitus seipsum occidere, non pensionem propriæ mortis quamvis debitam exsolvere, sed jussus est homo quasi pretium redemptionis suæ offerre. Digne æstimatus est sicut oves occisionis, quia per insipientiam pecudi similis erat, et morte dignus magis quam pecus, quod pro ipso occidebatur. Videsne homo, qui ad imaginem et similitudinem Dei factus es, quantum depretiatus es, quam vilis factus es? Si ad indignitatem, in quam a facie oculorum Dei projectus es, respicias, quasi digna æstimatio, justumque pretium tuum est hircus vel aries, vel aliud animal, dummodo mundum sit. In hoc enim modicum quid honoris tibi forte delatum est, quod mundum animal juberis offerre; an magis et hoc ad tuam confusionem pertinet, quod animal pro te oblatum dicitur mundum, cum sis ipse immundus? Nam per sacrificium ideo purgari indiges, quia immundus es. Quod si ad pristinam dignitatem primæ conditionis tuæ respicias, non jam erit pretium tuum hircus vel aries, quibus per insipientiam assimilatus es, ex quo primum deformatus es; sed unigenitus Filius Dei, per quem Dei imago in te formata est; ipse enim erit pretium tuum, cujus sanguine redimendus es, ut reformetur in te imago Dei per eumdem Filium, qui est imago Dei invisibilis. In pecudibus ergo insipientibus hominis vice oblatis, et

A quasi morte vicaria pro homine mactatis, demonstratus est homo sibi, qualis esset per culpam, et quia morte dignus propter culpam. Ibi enim poterat homo, si tamen homo esset, et omnino pecus non esset, admoneri dejectionis et mortalis conditionis suæ, ut corde inflammato et renibus commutatis per pœnitentiam compunctus ad Deum rediret, et nunquam discedens cum Deo semper esset, dicens: « Inflammatum est cor meum, et renes mei commutati sunt; ad nihilum redactus sum et nescivi. Ut pecus factus sum apud te, et ego semper tecum (*Psal.* LXXII). » Quod autem secundum aliam translationem usitatius dicitur, « Ut jumentum factus sum apud te (*ibid.*), » illi loco psalmi consonat, ubi scriptum est: « Homo cum in honore esset, non B intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis (*Psal.* XLVIII). » Non solum autem ad cognitionem conditionis suæ erudiri poterat homo in mactatis pro se hostiis, sed et forma pœnitentiæ et emendatio vitæ ei latenter insinuata est, et de morte animalium, et natura eorum, quædam similitudo spiritualis vitæ, vel spiritualis mortis ei intimata est. Mortis quidem, ut in se mactaret veterem vitam, ne deinceps esset lascivus et petulans ut hircus, non detrectans jugum obedientiæ ut taurus cervicosus, non cornibus elationis armatus ut aries; quia Deus cornua peccatorum confringit: non denique carnalis esset, aut animalis, sed spiritualis spiritualiter omnia examinans, et nihil pecuale in se habens, sed omnem irrationabi- C lem sensum et bestialem affectum in semetipso mortificando mactans. Exemplum quoque spiritualis vitæ de natura animalium homini proponebatur, ut per discretionem ungulam finderet, sciens quid sit inter dextram et sinistram, quid liceat, quid deceat, quid expediat, et per devotionem et custodiam mandatorum Dei semper ruminaret quasi cibum suum legem Dei sui, et in moribus suis componendis, de simplicitate et mansuetudine, calore et patientia animalium, formaretur ad similium in se studia virtutum. Sic sic post peccatum subdidit Deus hominem magisterio brutorum animalium ad verecundiam ejus, ut quasi in schola nescientium ordinem vitæ addiscat homo vitam componere, et mores or- D dinare. Hinc ad scholam formicæ mittitur homo ad discendam sapientiam, apud Salomonem dicentem: « Vade, piger, ad formicam, et considera vias ejus, et disce sapientiam » etc. (*Prov.* VI.) Sic sic hominem humiliavit Deus, qui est ante sæcula. Ab initio quidem gloria et honore coronavit eum, et constituit eum super opera manuum suarum. Omnia subjecit sub pedibus ejus, oves et boves universas, insuper et pecora campi (*Psal.* VIII). Nunc autem perfudit eum confusione, et qui paulominus minoratus est ab angelis, nunc pecoribus campi inferior invenitur. Jubetur homo pro se agnum immolare, ad figurandam gratiam liberationis, et misericordiam liberatoris, qui per mortem hominem a culpa et morte liberaret. Hominis enim insipientia, id est

culpa, causa mortis est. In eo autem quod agnus A jussus est non solum mactari, sed et manducari, præmonstrabatur, quod Christus seipsum daturus esset nobis et in pretium et in cibum. Quomodo se in cibum dederit, tum ex verbis quatuor Evangeliorum, tum etiam ex verbis Apostoli nobis considerandum est, incipientibus, ut ordo exigit, a verbis Matthæi evangelistæ, qui de institutione novi sacrificii ita scribit :

Ex Evangelio Matthæi : « Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite et comedite; Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis, dicens : Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico B autem vobis : Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei (*Matth.* XXVI). »

De veteribus projiciendis.

Dominus noster Jesus Christus pridie quam pateretur, vetus et mysticum pascha cum discipulis suis rite consummavit, legalibus institutis terminum ponens, et quæ tunc erant finienda, et extunc projicienda, ad finem suum cum honore deducens. Cessare sane oportuit, quæ ad plenam emendationem per se sufficere non valebant ut radiante gratia et æterna redemptione inventa, unoque vero sacrificio pro multis his figuralibus introducto, cederet numerositas unitati, figura veritati, umbra luci, vetus- C tasque novitati. Novis enim supervenientibus, vetera erant projicienda, et vetustissima veterum comedenda, ut panem angelorum manducaret homo, sicut a diebus antiquis in dulcedine sua paravit pauperi Deus.

Quæ sunt vetustissima veterum.

Vetera sunt Veteris Testamenti sacrificia, quæ lex Moysi jubet offerri, qualia obtulit Aaron et filii ejus; qui pro peccatis hominum consueverunt jugulare filios arietum, et fundere sanguinem hircorum et vitulorum. Vetustissima veterum sunt, quæ obtulit Melchisedech, figurans sacerdotium Christi; de quo Deus Pater juravit, dicens : « Tu es sacerdos in æternum (*Psal.* CIX) » Erat autem Melchisedech sa- D cerdos Dei Altissimi, et rex Salem, qui obviavit Abrahæ regresso a cæde regum et « proferens panem et vinum, benedixit ei et ait : Benedictus Abraham Deo Altissimo, qui creavit cœlum et terram, et dedit ei decimas ex omnibus (*Gen.* XIV). » In lectione autem Genesis subito inducitur Melchisedech quasi sine patre et sine matre, nec initium dierum, nec finem vitæ habens, qui interpretatur *rex justitiæ*. et dictus est rex Salem, quod est *rex pacis*. Ex Epistola ad Hebræos, Apostolo interpretante, manifeste apparet, hæc omnia Christo convenire; qui est rex justitiæ et rex pacis, sicut de eo scriptum est : « Orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis (*Psal.* LXXI). » Qui de patre natus est sine matre, et de matre natus est sine patre ; qui est principium et finis, sine initio dierum et fine.

De ritu sacrificandi

Ea quæ obtulit Melchisedech, panis scilicet et vinum, sacramenta fuerunt sacramentorum Christi : et hunc ritum sacrificandi, scilicet in pane et vino, frequentat Ecclesia, Christo ita instituente, qui est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Et licet salutaris hostia in sacrificio patriarchæ Abrahæ, et in cæteris aliorum justorum sacrificiis præfigurata sit; forma tamen veri sacrificii, quam Christus voluit in Ecclesia observari, manifestius expressa est in sacrificio Melchisedech panem et vinum proferentis. Si cui vero videtur Melchisedech panem et vinum protulisse in refectionem Abrahæ et suorum, et non Deo obtulisse in sacrificium, sciat in canone post commemorata munera pueri Abel, et sacrificium patriarchæ Abrahæ commemorari etiam, quod obtulit Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. Hoc idem et lectio etiam Genesis manifeste declarat. Cum enim inducitur Melchisedech rex Salem, proferens panem et vinum, statim subjungitur : « Erat enim sacerdos Dei Altissimi (*Gen.* XIV). » In refectionem quidem potuit ista proferre, etsi sacerdos non esset; sed sacrificandi ratio demonstrata est, et benedicendi, cum sacerdos esse dicatur; ad cujus officium pertineat sacrificare, et benedicere, et decimas accipere.

Probatio ex verbis Ambrosii.

Quod superius dictum est, per vetustissima veterum ea intelligi, quæ obtulit Melchisedech, ex verbis sancti Ambrosii (*cap.* 8) probari potest, qui in tractatu *De mysteriis*, ita ait : « Antiquiora sunt sacramenta Ecclesiæ, quam Synagogæ. Synagoga enim ex lege Moysi principium sumpsit, Abraham vero longe antiquior, qui devictis hostibus et nepote proprio recepto, cum potiretur victoria, tunc illi occurrit Melchisedech, et protulit ea quæ Abraham veneratus accepit. » In his verbis Ambrosii ista diligenter notanda sunt; et quod Abraham veneratus sit ea, tanquam sancta, quæ protulit Melchisedech : quod Synagoga principium sumpsit a lege Moysi ; et quod antiquiora sunt sacramenta Ecclesiæ, quam Synagogæ : cum anterior fuerit Abraham, qui prolata accepit a Melchisedech. Ecclesiam item antiquiorem esse constat, quam Synagogam, cum a primo justo cœperit. Ea vero quæ obtulit Melchisedech, vetustissima veterum possunt dici, comparata sacrificiis Synagogæ, quæ cœpit a lege Moysi. Verumtamen non ita absolute vetustissima veterum possunt dici, quasi nulla munera vel sacrificia præcesserint antiquiora, cum de Abel Scriptura sic dicat : « Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, et de adipibus eorum (*Gen.* IV). » De Noe scriptum est : « Ædificavit autem Noe altare Domino, et tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis, obtulit super altare Domino holocaustum ; odoratusque est Dominus odorem suavitatis (*Gen.* VIII). » Ex prædi-

ctis apparet, novis supervenientibus, vetustissima veterum sic esse comedenda, ut in oblatione novi sacrificii, et communione cœlestis mensæ, et participatione spiritualis alimoniæ, renovetur sacrificandi forma, quæ a sacrificio Melchisedech cœpisse dignoscitur, lege antiquior, et legali sacrificandi ritu longe dignior. Reprobatis itaque carnalibus sacrificiis, et tanquam veteribus longe projectis, panis et vinum sicut vetustissima veterum a nobis sunt offerenda, et spiritualiter comedenda.

Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem.

Post interrogationem ad Dominum ab apostolis factam: « Ubi vis, paremus tibi pascha (*Matth.* xxvi), » parantibus illis et jam cœnantibus, etsi non sufficeret cibus ille, paravit Dominus cibum illorum; quoniam ita est præparatio ejus. Paravit autem sic. Accepit enim panem, et benedixit, etc. Accepit, sicut in Canone missæ scriptum est, quamvis in nullo Evangeliorum hoc legatur, « in sanctas ac venerabiles manus suas. » Verbum « Accepit, » proprietate suæ significationis, quasi manifeste indicat, eum manibus accepisse: sic enim accipimus, cum manibus quidpiam capimus. Quid acceperit, ostenditur ex eo quod subjungitur. Panem utique accepit, adhuc ante acceptionem speciem et substantiam panis habentem, panem in veram Christi carnem potenti virtute mirabiliter mutandum. Sicut creditur, panem azymum accepit. Nam quarta decima die primi mensis abjecto fermento agnus immolabatur ad vesperam. Hinc consuevit Ecclesia panem azymum, non fermentatum, offerre. Dicuntur tamen Græci fermentatum, et non azymum, ne judaizare videantur, offerre. In azymo autem pane figura erat veritatis, secundum quod Apostolus dicit: « Itaque epulemur, non in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis (*I Cor.* v). » Figura autem, prout Græcis videri existimatur, veniente veritate cessare debuit, ut azymum non offeramus, ne sicut Judæi, in azymis pascha celebrare videamur.

Contra rationem Græcorum.

Romana Ecclesia azymum offerre prælegit, exemplum Christi secuta: qui novum pascha inchoans, novi sacramenti mysterium in azymo pane initiasse existimatur. Nec prædicta ratio Græcorum eam habet violentiam, ut nos cogere possit fermentatum offerre, ne, scilicet post acceptam gratiam veritatis, umbris figurarum una cum Judæis inservire videamur. Quamvis enim veritas jam advenerit, non omnis tamen signorum et figurarum religio usquequaque in Novo Testamento cessavit. Nam ignis et aqua, thus, vinum et oleum, unctiones regum et sacerdotum, et multa alia, quæ in Veteri Testamento in usu erant, aliquidque mysticum figurabant, nunc quoque, ad magnificandum divini cultus honorem, rerumque spiritualium virtutem significandam, sacramentis et sacramentalibus adhiberi solent. Et donec sacramenta nobis necessaria sunt, figuræ et signa non omnino reprobari possunt. Nam ipsa sacramenta signa quædam sunt. Reges et sacerdotes inungimus, thus adolemus, in aquis abluimur et sanctificamur, vinum offerimus et libamus, nec tamen judaizamus, nec hoc agentes judaizare intendimus. Nec ideo ista respuenda sunt, ne Judæis favere vel consentire videamur.

De eo quod in Amos scriptum est: « Sacrificate de fermentato laudem. »

Quod in Amos scriptum est: « Sacrificate de fermentato laudem (*Amos* iv), » nec pro Græcis facit, nec nostræ consuetudini adversatur. Pro laude vero, ut dicit B. Hieronymus, eucharistiam, id est gratiarum actionem interpretatus est Aquila; quasi dicat: Immolate de fermento eucharistiam. Hoc autem non præcipiendo, sed quasi exprobrando, a Domino per prophetam dici manifestum est, tum ex tenore eorum, quæ præmissa sunt et sequuntur; tum etiam ex lege Moysi. Fermentum enim, juxta præceptum Moysi, Deo penitus non offertur. In Amos autem sic scriptum est: « Venite ad Bethel, et impie agite ad Galgala; et multiplicate prævaricationem (*ibid.*). » Impie agere, et multiplicare prævaricationem: venire ad Bethel et ad Galgala, omnia hæc mala sunt, et magis prohibenda quam præcipienda. Bethel enim et Galgala loca erant idololatriæ. Per Osee enim loquitur Dominus, dicens: « Omnes nequitiæ eorum in Galgala (*Ose.* ix). » Et rursum in eodem: « Frustra erant in Galgal, bobus immolantes (*Ose.* xii). » In Bethel autem posuit Jeroboam vitulum aureum, a populo adorandum. Venire ergo ad Bethel et ad Galgala, adorandi animo, malum erat, et quasi cum indignatione permittentis et prohibere nolentis dicitur: « Venite ad Bethel: » post quædam alia mala, quæ in Amos propheta numerantur, et quasi præcipi videntur, subinfertur: « Sacrificate de fermento laudem; et vocate voluntarias oblationes, et annuntiate. Sic enim voluistis, filii Israel, dicit Dominus. Unde et ego dedi vobis stuporem dentium, in cunctis urbibus vestris, et indigentiam panum in omnibus locis vestris (*Amos* iv). » Nonnunquam autem in prophetis per imperativum modum aliqua quasi imperari videntur, quæ tamen non imperantur, sed ex circumstantiis Scripturæ, et ex ipso modo loquendi, magis prohibenda quam facienda monstrantur. Tale est illud quod ad Judam dicitur: « Quod facis fac citius (*Joan.* xiii). » Tale est apud Isaiam: « Inite consilium et dissipabitur; loquimini verbum, et non fiet (*Isa.* viii). » Tale est quoque illud, de quo nunc agitur: « Sacrificate de fermento laudem. » Sancta itaque Romana Ecclesia formam conficiendi in azymo pane, quam Christus creditur introduxisse, mutare non præsumpsit, sed eam, tanta auctoritate subnixa, immobiliter servare voluit.

Quædam a diversis diverse proponuntur.

Apud Matthæum legitur: « Accepit panem et benedixit (*Matth.* xxvi). » Apud Lucam vero sic: « Accepto pane, gratias egit, et fregit (*Luc.* xxii). » In Epistola ad Corinthios, sic: « Accepit panem, et

gratias agens, fregit (*I Cor.* XI).» In Canone vero sic: « Elevatis oculis in cœlum, gratias agens, benedixit et fregit.» In eo ergo quod Matthæus dicit, constat Jesum benedixisse: in eo quod Lucas dicit, cui et Paulus concordat, constat eum gratias egisse. Unde utrumque recte conjungitur in Canone, ut dicatur: « Gratias agens, benedixit.» Quod autem in Canone adjungitur: « Elevatis oculis in cœlum,» in hoc loco apud nullum evangelistam, in translatione, qua nos utimur, invenitur. In aliis autem locis elevatis oculis legitur orasse, vel gratias egisse. Apud Joannem sic, cum Lazarum erat ressuscitaturus: « Jesus autem, elevatis sursum oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me (*Joan.* XI).» Et item in alio loco: « Sublevatis oculis in cœlum, dixit: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum; ut Filius tuus clarificet te (*Joan.* XVII).» Et cum quinque panibus et duobus piscibus quasi quinque millia hominum esset saturaturus, secundum Lucam respexit in cœlum, et benedixit (*Luc.* VI). Quod vero canoni insertum est: « Elevatis oculis in cœlum,» et fide et usu Ecclesiæ digne receptum est, tanquam a majoribus traditum: quibus indubitanter hoc undecunque innotuit, licet nobis edicere promptum non sit, unde hoc eis innotuerit. Non enim omnium quæ a majoribus tradita sunt, ratio a nobis reddi potest; sed eorum quæ præter rationem tradita non sunt, ipsa majorum auctoritas ratio nobis esse debet. Nam ipsa fides nostra, sine qua impossibile est placere Deo (*Hebr.* XI), auctoritate magis nititur quam humana ratione. Quia cum Petrus dicat, de fide et spe quæ in nobis est omni poscenti reddendam esse rationem, non occurrit quæ potior ratio de fide reddi possit, quam auctoritas Scripturarum, vel auctoritas majorum; sed eorum qui circa ipsam fidem in nullo errasse inveniuntur; sed ex ipsa Deo placuisse noscuntur.

De acceptione calicis.

In acceptione calicis scribit Matthæus, Dominum gratias egisse, et non exprimit eum benedixisse, sicut in acceptione panis scribit, eum benedixisse, et non exprimit, eum gratias egisse. Sed quoniam in acceptione panis ubi Matthæus ponit « Benedixit (*Matth.* XXVI),» et Marcus, « Benedicens, fregit (*Marc.* XIV),» ibi Lucas tacito benedicendi verbo, ponit « Gratias egit (*Luc.* XXII),» et Paulus, « Gratias agens, fregit (*I Cor.* XI);» alicui videri potest, idem esse hoc loco, gratias egisse et benedixisse: ut cum dicitur: « Accepit Jesus panem, et benedixit,» intelligatur Deum benedixisse, hoc est Deo gratias egisse. Hic quidem intellectus planus esset, si diceretur, « Benedixit Deum» aut « Dominum,» aut aliquid hujusmodi; sed, quia præmittitur, « Accepit panem,» et mox subditur: « Et benedixit, et fregit,» magis videtur, ut acceptum panem benediceret, et in benedicendo, vel post benedictionem frangeret. Constat autem ex testimonio Lucæ et Pauli, quod nec Matthæus et Marcus dicit, Jesum accepto pane

A gratias egisse. Unde in ordine missæ, pane accepto, et in altari posito, similiter et calice, post secretas orationes conficiendi sacramenti solemnitas a gratiarum actione jure sumit initium, sacerdote inchoante: « Gratias agamus Domino Deo nostro,» et choro respondente: « Dignum et justum est.» Deinde sacerdote prosequente: « Vere dignum et justum est,» etc., usque ad laudes cum angelis a nobis Deo sine fine decantandas.

Benedixit.

Solent nunc sacerdotes, verbo et signo crucis expresso benedictiones dare, et quæ ab eis consecranda fuerint, benedicere et sanctificare. Creatura enim Dei, ut ait Apostolus, « per verbum Dei sanctificatur et orationem (*I Tim.* IV).» Quod vero

B Christus in danda benedictione signum crucis expresserit, Scriptura non loquitur. Deus autem sæpe legitur benedixisse, et ad benedicendum quædam verba dixisse. Nam, cum creasset omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, et omne volatile secundum genus suum, benedixit eis, dicens: « Crescite, et multiplicamini, et replete aquas maris; avesque multiplicentur super terram (*Gen.* I).» Et cum creasset masculum et feminam, benedixit eis, et ait: « Crescite, et multiplicamini, et replete terram (*ibid.*).» Post diluvium quoque benedixit Noe et filiis ejus, et dixit: « Crescite, et multiplicamini,» etc. (*Gen.* XI). Legitur etiam Deus benedixisse, et nihil dixisse,

C ut ibi: « Benedixit Deus diei septimo, et sanctificavit illum (*Gen.* I);» et ubi Jacob loquitur ad Laban, inter cætera, sic dicens: « Benedixit tibi Deus ad introitum meum (*Gen.* XXX).» et cum quinque panes multiplicaret in deserto dicitur: « Respexit in cœlum, et benedixit (*Joan.* V).» Et in narratione alterius miraculi de septem panibus, et pisciculis paucis, dicitur: « Ipsos benedixit, et jussit apponi (*Marc.* VIII).» Et cum, videntibus discipulis, ascenderet in cœlum: « Elevatis manibus suis, benedixit eis: et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis (*Luc.* XXIV).» In cœna vero hæc verba dixisse refertur: « Hoc est corpus meum (*Matth.* XXVI).» Quibus verbis aut panem substantialiter mutavit, et mutatum ostendit, aut tantum-

D modo mutatum ostendit. Si enim antequam Christus hæc verba diceret, ut revera, si voluit, potuit, panem substantialiter mutavit, sive ante fractionem sive in frangendo, eo loco ubi evangelista ponit: « Benedixit,» quod intelligi potest « mutavit» tunc his verbis non est facta mutatio, sed tantummodo prius factæ mutationis ostensio. Si autem idem ordo fuit in rei gestione, qui habetur in evangelica narratione, ut per ordinem et distincte aliud per aliud factum intelligendum sit; tunc acceptio panis benedictionem præcessit, et benedictio fractionem, et fractio donationem et verborum dictionem. Quo concesso, si his verbis facta est mutatio, tunc fractio præcessit mutationem, cum in altare consecratio præcedat fractionem, non fractio conse-

crationem. Sed dici potest, quod potuerint omnia, vel quædam simul fieri, quod non potuerit nisi distincte dici. Ordo autem verborum, quo utuntur Mattheus, et Marcus, et Apostolus insinuare videtur mutationem factam esse ante dictionem horum verborum, « hoc est corpus meum, » vel « hic est sanguis meus (*ibid.*). » Apud Matthæum quippe præmittitur : « Accipite et comedite ; » quod utique accipiendum est de eo quod Dominus accipi voluit, et comedi. Apud eumdem præmittitur : « Bibite ex hoc omnes : » deinde subjungitur : « Hic est enim sanguis meus. » Cum autem dictum sit, quod a discipulis Dominus bibi voluit, apud Marcum præmittitur : « Sumite (*Marc.* XIV) : » deinde subinfertur : « Hoc est enim corpus meum. » Apud eumdem de calice hic ordo verborum est : « Accepto calice, gratias agens, dedit eis : et biberunt ex illo omnes. Et ait illis : Hic est sanguis meus. » Apud Apostolum præmittitur : « Accipite et manducate (*I Cor.* XI) : » deinde subinfertur : « Hoc est enim corpus meum. » Quoniam autem evangelistæ et Apostolus ordinem rerum et verborum, quo usus est Christus mutare potuerunt si forte curaverunt tantum aperire, quæ facta sunt et dicta, et non quo ordine sint facta vel dicta ; propterea difficile est probare quod Christus his verbis mutationem fecit, sed indubitanter credendum est Christum hæc verba dixisse, et panem et vinum, aut cum hæc verba diceret, vel ante quando voluit, et sicut voluit, substantialiter mutasse. A sacerdote autem, qui tantæ mutationis minister est, non auctor, sine verbis Christi mysterium consecrationis nullatenus valet adimpleri ; sicut baptismi sacramentum sine solemni forma verborum nullo modo valet administrari. Attende, quanta sit vis divinæ benedictionis ; attende, quantum mirabiliter efficax sit virtus ejus. Valuit benedictio Dei primis parentibus, ad multiplicandum genus humanum in fecunditate sexus illis collata (*Gen.* I). Valuit benedictio Dei Laban ad ejus bona multiplicanda. Virtute benedictionis Dei quinque panes in se mirabiliter multiplicati sunt (*Joan.* V). Verum hæc benedictio, de qua nunc agitur, non panem in suo genere multiplicavit, non in numero vel quantitate auxit, sed majori admiratione non mutata forma substantiam mutavit in aliam substantiam : non quæ tunc esse inciperet, sed quæ et antea extitisset. « A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris (*Psal.* CXVII) ; » sed in oculis cordis, non in oculis carnis. Nam ab oculis carnis abscondita sunt hæc ; oculis quoque humanæ rationis sunt clausa ; sed solius fidei oculis mirabiliter conspicua. Stuporis magnitudo et vehementia admirationis cum sine aliqua fide esse non possint, ipsam fidem sic permovent, ut pariter hoc miretur a Deo fieri, et ab homine credi. Utrumque enim mirabile est. Sicut enim a Deo mirabiliter efficitur sic ab hoc mirabiliter creditur. Unde qui non credunt hoc fieri, plus admirantur hoc credi. Utriusque autem rei, videlicet facti quod creditur, et fidei qua creditur, unus est auctor Deus, utrobique mirabilis, et in virtute facti, et in gratia fidei. Novitas autem tam miranda, tamque stupenda, quia super humanam est, nulla ratione posset credi, si alius tantæ novitatis auctor prædicaretur, quam is qui facit mirabilia magna solus ; quid autem non potest, qui omnia potest ? Quid non potest, cui subest, cum voluerit, posse ? Qui vocat ea quæ non sunt ; qui convertit ea quæ sunt, in ea quæ vult, et sicut vult, per innumeros conversionum modos ipsius voluntati subjectos. Qui convertit mare in aridam (*Psal.* LXV 104) ; qui percutiens Ægyptios convertit in sanguinem flumina eorum (*Psa.* LXXVII) ; qui convertit cor eorum, ut odirent populum ejus (*Psal.* CIV). Qui convertit virgam Moysi in serpentem, et serpentem in virgam restituit (*Exod.* III) qui convertit petram in stagna aquarum, et rupem in fontes aquarum (*Psal.* CXIII), ille est, qui panem benedixit, et dixit : « Hoc est corpus meum (*Matth.* XXVI). Non relinquitur nobis locus ambigendi, vel de virtute facientis, vel de fide facti, vel de veritate dicti. Potens est enim opere et sermone, qui fecit, et dixit.

Et fregit.

Si virtute benedictionis mutatio panis in corpus Christi ante fractionem facta fuit, recte in altari, secundum morem ecclesiasticum panis prius benedicitur, et postea frangitur. Fractione autem corpus non minuitur, sed integrum in sua plenitudine conservatur. In veritate quidem dividitur, sed in sacramento ; tamen indivisum manet in semetipso ; cum per plures fractionum partitiones pluribus distribuitur, et in singulis totum invenitur, et a singulis totum percipitur : nec majus est in majore vel in minore minus ; quia in majore parte vel minore totum pariter continetur, nec majus, nec minus. Hujus rei signum olim præcessit, cum plueret Dominus filiis Israel manna ad manducandum. Nam qui plus collegerat quam gomor, nec qui minus paraverat quam gomor, non habuit amplius quam gomor, nec reperit minus quam gomor. Sic enim scriptum est : « Nec qui plus collegerat habuit amplius ; nec qui minus paraverat, reperit minus (*Exod.* XVI). » Et Apostolus ad Corinthios : « Qui multum, non abundavit, et qui modicum non minoravit (*II Cor.* VIII). »

De præmissis : « Accepit, Benedixit, Fregit. »

Sicut placet tria hæc, acceptionem videlicet panis, benedictionem et fractionem, ad mysticam significationem, sive ad fidei morumve ædificationem trahi, singula per ordinem repetenda sunt, ut tota series rei gestæ sanctificationi nostræ proficiat et eruditioni.

De panis acceptione. — Naturæ nostræ susceptio non incongrue intelligitur quasi quædam panis acceptio. Accepit Christus, unde nos pasceret, cum per Incarnationis mysterium hominem sibi uniret, nostræ carnis fenum vertens in frumentum, ut nos cibaret ex adipe frumenti, et satiaret de medulla tritici. Nobis factus est granum tritici in corde bono seminandum

et uberius multiplicandum. Factus est nobis panis, qui cor hominis confirmaret; panis in cibo doctrinæ, panis in exemplo vitæ, panis in omni dono spiritualis gratiæ, panis in omni consolatione nostræ miseriæ; panis vitam nostram sustentans, et in labore viæ nos confortans, ut in ejus fortitudine perveniamus ad montem Dei Horeb.

De benedictione. — Hic accepit benedictionem a Domino; et benedictionem dedit ipse sibi homini Deus. Dedit autem non solum, ut benedictus sit, sed ut benedicere possit omnes, qui benedixerint ei, quia benedicentes ei hæreditabunt terram. Benedictionem enim omnium gentium dedit illi Deus, et testamentum promissionis suæ confirmavit super caput ejus, in quo spineam coronam portavit, ut fieret pro nobis maledictum, sicut scriptum est : « Maledictus omnis qui pendet in ligno (*Deut.* XII). » Ab hominibus ergo maledictus est, et pro hominibus, sed a Deo benedictus. Sic enim scriptum est : « Maledicent et tu benedices (*Psal.* CVIII). » Testamentum quod disposuit Deus ad Abraham, confirmatum est in isto : « In semine tuo benedicentur omnes gentes (*Gen.* XII), » ut in illo benedici possint omnes gentes. Ille præ cæteris benedictus est in omni plenitudine gratiæ : et de plenitudine ejus nos omnes accepimus. Unguentum enim in capite descendit in barbam, barbam Aaron : descendit et in oram vestimenti ejus, quoniam illic mandavit Dominus benedictionem (*Psal.* CXXXVII).

De fractione. — Utinam cognoscat nos Deus in benedictionibus suis, ut cognoscamus et nos eum in fractione panis. Fractio convenit distributioni. Fregit, ut multis daret, ut gratiam suam multis communicaret. Divisiones enim gratiarum sunt, et unusquisque proprium donum habet ; alius sic, alius vero sic; alius plus, alius minus (*I Cor.* XII) ; alius sedet ad magnam mensam, alii sicut catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum (*Matth.* XV). Si Jesus non fregisset, quomodo vel mica ad nos perveniret? Fregit et distribuit. Dispersit, dedit pauperibus. Fregit per gratiam, ut suam et Patris frangeret iram. Dixit enim Deus, ut nos disperderet, « si non unicus electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus, ut averteret iram ejus (*Psal.* CV). » Stetit quidem et placavit per insuperabilem constantiam ; in fractione stetit infractus. Verumtamen ipse fregit, dum spontaneus carnem suam passionibus quasi frangendam, hoc est, atterendam exposuit. Ibi confregit potentias arcuum : ibi confregit capita draconis, ibi confregit omnes inimicos nostros in ira sua. Ibi confregit secundum quemdam modum tabulas prioris testamenti ne simus sub lege. Ibi confregit jugum captivitatis nostræ. Denique totum fregit, a quo nos frangebamur, ut totum quæ in nobis fractum erat solidaret, et dimitteret eos, qui confracti sunt, liberos. Nos enim vincti eramus in mendicitate et ferro, et adhuc, bone Jesu, quamvis iram tuam fregeris, quamvis panem nobis in nostra mendici-

A tate fregeris; tamen egestatem adhuc patimur, et adhuc esurimus. Nempe tu dixisti : « Qui edunt me, adhuc esurient (*Eccli.* XXIV); » adhuc quidem, donec transeat iniquitas. Nondum enim non esuriunt : erit quando non esurient, neque sitient ultra. Interim autem die quotidie frange esurienti panem hunc. Hodie enim et quotidie aliquas micas colligimus, et quotidiano pane hodieque indigemus. « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie (*Luc.* XI). » Nisi tu dederis, quis dabit nobis? In omni mendicitate nostra, egestate, paupertate, necessitate, tribulatione non est qui nobis panem frangat, non est qui reficiat, nisi tu, Deus noster. In omnibus consolationibus nostris micas fracti panis colligimus, et utilitate sentimus, quam suavis est misericordia B tua. Adhuc tamen indigemus, et per gustatam suavitatem quasi irritata fauce magis magisque esurimus.

Recapitulatio. — Si acceptio panis in cœna, et benedictio et fractio secundum mysticam significationem intelligi debent, juxta prædictum modum Christus panem accepit, quando hominem sibi univit benedixit, quando propter hominem seipsum sanctificavit ; fregit, cum gratiam sanctificationis hominibus communicavit, juxta quod ipse dixit : « Pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate (*Joan.* XVII). » Nunc secundum ordinem verborum ad sequentia sermo procedat.

Dedit. — Fregit Jesus, et dedit discipulis suis; C nec oportet inquirere quid dedit; ipse enim manifestat dicens : « Hoc est corpus meum. » Corpus ergo suum dedit, nec sine se. Ad hoc enim corpus assumpsit, ut se nobis daret. Nam in hoc natus est, ut testimonium perhiberet veritati, ut suscitans precationes quas locuti sunt in nomine ejus prophetæ priores, impleret promissiones in exhibitione veritis, secundum jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis (*Luc.* I). » O datum optimum, et donum perfectum, desursum descendens a Patre luminum (*Jac.* I). Christus datus est nobis ad induendum, edendum, ad offerendum, sicut indumentum, sicut alimentum, sicut pretium. Ad induendum quidem, sicut scriptum D est : « Quicunque in Christo baptizati estis Christum induistis (*Rom.* VIII). » Ad edendum sicut ipse nunc dicit : « Accipite et comedite. » Ad offerendum pro nobis, et a nobis. Pro nobis offerendum per amaritudinem passionis et mortis. A nobis offerendum , per commemorationem ejusdem passionis et mortis, sicut ipse instituit, dicens : « Hoc facite in meam commemorationem (*I Cor.* XII). » Hic autem dedisse memoratur, pro eo modo quo se dedit ad manducandum. Nunc autem quibus se dedit secundum hunc secundum modum, diligenter attendamus.

Discipulis suis. — Dans discipulis suis, qui præsentes aderant, præmonstravit hujus sacramenti gratiam ad eos pertinere, qui in numero fuerint

discipulorum ejus. Qui ergo extra disciplinam sunt, A qui magisterio Christi subditi non sunt; qui secundum suam sententiam, non secundum Christi doctrinam vitam instituunt; isti ab hac gratia ita sunt alieni, sicut nomine discipulorum sunt indigni.

ET AIT, ACCIPITE. Verba præmissa: « Accepit Jesus panem, » etc., usque ad verbum, « Accipite, » verba sunt evangelistæ (*Matth.* XXVI), quibus refertur quid fecerit Jesus: et mox subjungitur quod dixit: « Accipite, » inquit. Illi recte dicuntur accipere, quibus dicit, Accipite, quibus ipse dat, quibus accipiendi licentiam præstat auctoritas tribuentis, non præsumptio propriæ voluntatis. Nam qui impudenter et irreverenter se ingerunt, magis rapiunt quam accipiunt: ut contra eorum præsumptionem dictum videatur, « Accipite: » cum præmissum sit, eum B dedisse. Unde cum hoc sacramentum dispensatur indignis, magis capitur, quam datur: quia accipiendi licentia eis non præstatur, quibus accipere non licet. Non enim habent potestatem accipiendi, sicut scriptum est: « Habemus altare, de quo edere potestatem non habent, qui tabernaculo deserviunt (*Hebr.* XIII). » Verumtamen secundum quemdam modum dici potest, et indignis dari, et ab indignis accipi: sed accipi, sicut gladium accipiunt illi, de quibus dicitur: « Omnes qui gladium acceperint, gladio peribunt (*Matth.* XXVI). » Quicunque enim potestatem judicandi, quæ per gladium potest significari, non sibi traditam a superiori potestate, sed per se, id est sua præsumptione accipiunt, hi gladio peribunt; quia acceptionis C præsumptionem in judicium sibi convertunt.

ET COMEDITE. Hoc sacrificium a Domino institutum est, non solum ad offerendum, sed et ad comedendum. Propter quod nunc dicitur: « Comedite. » Nam de hoc offerendo apud Lucam et Apostolum dicitur, qui dominum referunt dixisse: « Hoc facite in meam commemorationem (*Luc.* XXII; *I. Cor.* XI). Typicus agnus prius occiditur, quam comeditur, morte sua et esu veri Agni mortem significans, et esum. Verumtamen verus Agnus comeditur, priusquam occiditur. Ante passionem quippe Christi institui debuit novum sacrificium; quia et ante vetus erat finiendum. Nam quod post passionem Christi non debuit iterari, ante passionem oportuit terminari. At ubi vetus sacrificium accepit terminum, D mox novum debuit suæ institutionis habere principium. Ante passionem item Christi, virtute hujus sacramenti muniendi erant discipuli, qui scandalum in morte Christi erant passuri, ne fides eorum omnino deficeret, ne tentator, qui eos expetivit, quasi victor de victis triumpharet. Denique, dum adhuc Judas inter discipulos erat, ponendum erat exemplum in posterum valiturum, de malis in Ecclesia tolerandis, dum occulti sunt. Nam quod Judas a Domino toleratus, quia non est accusatus, sacramentum corporis et sanguinis sui acceperit, manifestum est, tum ex verbis Lucæ evangelistæ, tum ex verbis beati Augustini, qui in sermone 62 super Joannem hæc verba ponit, dicens: « Post panem tunc introivit in eum Satanas. Prius ergo intraverat, mittendo in cor ejus cogitationem, qua traderet Christum. » Et infra: « Nunc autem post panem intravit in eum, non ad hoc, ut alienum tentaret, sed ut proprium possideret. Non autem, ut putant quidam negligenter legentes, tunc Judas Christi corpus accepit. Intelligendum enim, quod jam omnibus eis distribuerat Dominus sacramentum corporis et sanguinis sui, ubi et ipse Judas erat, sicut divus Lucas evidentissime narrat: ac deinde ad hoc ventum est, ubi secundum narrationem Joannis, apertissime Dominus per buccellam tinctam atque porrectam suum exprimit traditorem, fortassis per panis tinctionem illius significans fictionem. » Propter tres causas prædictas, sive quascunque alias, esus veri Agni post mortem Christi in Ecclesia frequentandus, ante ejusdem mortem est institutus, et ipso utendi modo quo utendum est, mox in usum assumptus. Ipso autem naturæ ordine, et quasi vescendi lege, esus typici agni mortem ipsius hostiæ quam præcedere non debuit, quia nec potuit, secutus est; et hostiam jam mortuam comedere, non solum secundum naturam, sed etiam secundum legem, solemne erat. Et quamvis ejus mors liberatoris mortem posset significare, non poterat tamen vel mors vel esus ejus, qui morte et esu consumebatur, vel vitam dare, vel a morte liberare. At esus veri Agni, non secundum ordinem vel legis vel naturæ, sed secundum quemdam ordinem gratiæ, ejusdem mortem præcessit, ut hostia adhuc viva, et mox moritura, denuoque victura, ordinem gratiæ indicaret, quam operatur in nobis, cujus virtute vivificandi sumus, ut sobrie, et juste, et pie vivamus ante mortem: cujus virtute muniendi sumus, ut cum pietate dormitionem accipiamus in morte, cujus virtute liberandi sumus a morte, et ad vitam resuscitandi, cum prius exsolverimus quam debemus, mortem. Hic est enim ordo gratiæ: Vita bona, mors pretiosa, vita beata.

HOC EST CORPUS MEUM.

Quid fecerit Jesus Christus, dicendo ostendit, et virtutem operis sui verbo annuntiat. Fecit enim et dixit: « Hoc est corpus meum (*Matth.* XXVI). » At in rerum creatione dixit et fecit. Nam cum creanda esset lux, dixit Deus: « Fiat lux, et facta est lux (*Gen.* I): » factaque luce non legitur dixisse, hæc est lux, nec enim oportuit, quia virtus dicentis manifestata est per evidentiam operis sequentis et obsequentis, eratque verbum occultum, donec palam fieret per apparentis indicium operis. Cum diceret ut fierent, repente exstiterunt, quæ facta sunt, et in rebus factis innotuit, quod facturus dixisset, qui potens erat, ut dicendo faceret. Hoc enim modo invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus (*Rom.* I). In rebus itaque creatis virtus Dei, qua præcipit ipse ut fierent quæ facta sunt, intelligitur, et quodammodo conspicitur; in hac autem mutatione tam miranda longe aliter est. Factum enim tam occultum, et ab humana cognitione tam remotum, non

salutis in sacrificandi religione constituentium futuræ dispensationi serviret, valitura postmodum ad fidem omnium morte unius hostiæ de morte liberandorum, homini in melius mutando. Data est lex, et ipsa in melius mutanda, quæ carnali homini sic contemperata est et conformata, ut infirmitati ejus condescenderet, et quasi cum infirmo infirmaretur. Homo enim secundum carnem ambulans, quasi tantum caro erat, carnalia sapiens, et ea quæ spiritus sunt ignorans. Per legem autem deducendus erat de carnali sensu et carnali affectu ad spiritualem sensum et spiritualem affectum, ut qui caro erat desineret esse caro, et spiritualiter Deo adhærens, unus spiritus esset. Hæc in utero hominis de carne in spiritum figurata est, in mutatione legis de littera in spiritum. In littera autem, hoc est in carnalibus observantiis ad litteram pertinentibus, contemperata est lex infirma homini infirmo. Sed cum de infirmitate sua convalesceret homo, mutata est lex in melius, cum proficiente proficiens, et de imo ad altiora conscendens, sicut scriptum est. « Cum elevarentur animalia de terra, elevabantur pariter et rotæ (*Ezech.* I). »

De mystica significatione legalis hostiæ.

Mystica legis significatio in carnalibus sacrificiis tria principaliter figurabat, hominis culpam, et pro culpa pœnam, et liberationis gratiam. In carnalibus enim sacrificiis demonstratus est homo sibi, qualis esset per peccatum, et quali pœna dignus propter peccatum. Nam cum per inobedientiæ culpam esset reus mortis, et per Dei sententiam morti addictus, et ideo debitor mortis, per legem tamen non est admonitus seipsum occidere, non pensionem propriæ mortis quamvis debitam exsolvere, sed jussus est homo quasi pretium redemptionis suæ offerre. Digne æstimatus est sicut oves occisionis, quia per insipientiam pecudi similis erat, et morte dignus magis quam pecus, quod pro ipso occidebatur. Videsne homo, qui ad imaginem et similitudinem Dei factus es, quantum depretiatus es, quam vilis factus es? Si ad indignitatem, in quam a facie oculorum Dei projectus es, respicias, quasi digna æstimatio, justumque pretium tuum est hircus vel aries, vel aliud animal, dummodo mundum sit. In hoc enim modicum quid honoris tibi forte delatum est, quod mundum animal juberis offerre; an magis et hoc ad tuam confusionem pertinet, quod animal pro te oblatum dicitur mundum, cum sis ipse immundus? Nam per sacrificium ideo purgari indiges, quia immundus es. Quod si ad pristinam dignitatem primæ conditionis tuæ respicias, nonjam erit pretium tuum hircus vel aries, quibus per insipientiam assimilatus es, ex quo primum deformatus es; sed unigenitus Filius Dei, per quem Dei imago in te formata est; ipse enim erit pretium tuum, cujus sanguine redimendus es, ut reformetur in te imago Dei per eumdem Filium, qui est imago Dei invisibilis. In pecudibus ergo insipientibus hominis vice oblatis, et

A quasi morte vicaria pro homine mactatis, demonstratus est homo sibi, qualis esset per culpam, et quia morte dignus propter culpam. Ibi enim poterat homo, si tamen homo esset, et omnino pecus non esset, admoneri dejectionis et mortalis conditionis suæ, ut corde inflammato et renibus commutatis per pœnitentiam compunctus ad Deum rediret, et nunquam discedens cum Deo semper esset, dicens: « Inflammatum est cor meum, et renes mei commutati sunt; ad nihilum redactus sum et nescivi. Ut pecus factus sum apud te, et ego semper tecum (*Psal.* LXXII). » Quod autem secundum aliam translationem usitatius dicitur, « Ut jumentum factus sum apud te (*ibid.*), » illi loco psalmi consonat, ubi scriptum est: « Homo cum in honore esset, non
B intellexit; comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis (*Psal.* XLVIII). » Non solum autem ad cognitionem conditionis suæ erudiri poterat homo in mactatis pro se hostiis, sed et forma pœnitentiæ et emendatio vitæ ei latenter insinuata est, et de morte animalium, et natura eorum, quædam similitudo spiritualis vitæ, vel spiritualis mortis ei intimata est. Mortis quidem, ut in se mactaret veterem vitam, ne deinceps esset lascivus et petulans ut hircus, non detrectans jugum obedientiæ ut taurus cervicosus, non cornibus elationis armatus ut aries; quia Deus cornua peccatorum confringit: non denique carnalis esset, aut animalis, sed spiritualis spiritualiter omnia examinans, et
C nihil pecuale in se habens, sed omnem irrationabilem sensum et bestialem affectum in semetipso mortificando mactans. Exemplum quoque spiritualis vitæ de natura animalium homini proponebatur, ut per discretionem ungulam finderet, sciens quid sit inter dextram et sinistram, quid liceat, quid deceat, quid expediat, et per devotionem et custodiam mandatorum Dei semper ruminaret quasi cibum suum legem Dei sui, et in moribus suis componendis, de simplicitate et mansuetudine, calore et patientia animalium, formaretur ad similium in se studia virtutum. Sic sic post peccatum subdidit Deus hominem magisterio brutorum animalium ad verecundiam ejus, ut quasi in schola nescientium ordinem vitæ addiscat homo vitam componere, et mores or-
D dinare. Hinc ad scholam formicæ mittitur homo ad discendam sapientiam, apud Salomonem dicentem: « Vade, piger, ad formicam, et considera vias ejus, et disce sapientiam » etc. (*Prov.* VI.) Sic sic hominem humiliavit Deus, qui est ante sæcula. Ab initio quidem gloria et honore coronavit eum, et constituit eum super opera manuum suarum. Omnia subjecit sub pedibus ejus, oves et boves universas, insuper et pecora campi (*Psal.* VIII). Nunc autem perfudit eum confusione, et qui paulominus minoratus est ab angelis, nunc pecoribus campi inferior invenitur. Jubetur homo pro se agnum immolare, ad figurandam gratiam liberationis, et misericordiam liberatoris, qui per mortem hominem a culpa et morte liberaret. Hominis enim insipientia, id est

dicit: « Non bibam a modo de hoc genime vitis (*Matth.* XXVI), etc. Calicis autem acceptio, per mysticam significationem rei mox futuræ, intelligi potest mortis perferendæ prompta devotio, voluntariaque susceptio. De quo calice Dominus interrogat filios Zebedæi, dicens: « Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? (*Matth.* XX.) » Calicem ergo accepit, quia mortem sponte suscepit. « Oblatus est » enim, quia ipse voluit (*Psal.* LIII). » Calicis autem nomine significari potest, non solum vas quod continet, sed et illud quod interius continetur, sicut e diverso poculi nomine significari solet id quod continet, et non solum quod continetur. Gratias egit. Sicut prædiximus, in acceptione calicis scribit Matthæus, Dominum gratias egisse, et non exprimit, eum benedixisse, sicut in acceptione panis scribit, eum benedixisse, et non exprimit, eum gratias egisse. Hinc alicui videri potest, alterum pro altero indifferenter poni; maxime ex eo quod in acceptione panis, ubi ab uno evangelista ponitur, « Benedixit (*Matth.* XXVI), » ab altero ponitur, « gratias egit *Marc* XIV). Gratiarum quidem actio benedictio dici potest. Nam et Deum benedicimus, cum de collatis beneficiis gratias ei referimus. Omnis gratiarum actio causam respicit beneficii. Sed licet prius sit, gratiam conferre, quam referre; nonnunquam tamen pro certitudine rei futuræ, gratiarum actione beneficium prævenitur. Sciens ergo Christus, quanta sit gratia hujus ineffabilis sacramenti, quantaque bona hinc ab ipso nobis sint conferenda; sciens quoque quanta mala mox ab ipso pro nobis perferenda, pro utraque causa gratias Patri agit, videlicet pro bonis præstandis et pro malis tolerandis. Utraque enim nobis prosunt. In tantum nos amat Jesus Christus, ut pro nostris bonis gratias agat tanquam pro suis, et bona utique nostra non sunt nisi ejus dona; ipse tamen qui dona tribuit, gratias agit, sicut solet, qui accipit. Reputat enim sibi dari, et a se gratias deberi, cum nobis præstatur. Instar enim muneris habet accepisse, cum dederit. Hoc autem facit intima illa charitas, per quam nos sibi jungit, ut membra, et, ut accipiat in nobis quidquid dederit nobis. Propter quod ad ipsum, qui dona dedit hominibus, Propheta loquitur, et dicit: « Accepisti dona in hominibus (*Psal.* LXVII). » Gratias ergo agit pro bonis nostris, donis suis; erudiens nos, ut nos gratiam referamus pro donis suis, bonis nostris. Gratias agit pro flagellis iniquitatis alienæ, erudiens nos, ne murmuremus inter flagella iniquitatis propriæ. Gratias agit pro salute mundi, quam humano generi dare disposuit, dans carnem suam in cibum et sanguinem suum in potum, ut repleat in bonis desiderium nostrum; dans seipsum in pretium, ut redimat de interitu vitam nostram. Gratias ergo agit pro nobis, ut prædictum est. Quid ergo est? Nonne et pro se, cui datum sit mundum redimere, ut in nomine ejus omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum (*Philip.* II)? Quid enim habet etiam filius Virginis, quod non acceperit? Sicut enim Filius Dei dignatione filius hominis est: ita filius hominis per gratiam Filius Dei est non sic tamen, quasi filius adoptivus, vel quasi de non filio in filium adoptatus, sed, sicut Apostolus dicit: « Prædestinatus filius in virtute (*Rom.* I). » Quibus verbis gratias egerit, aut pro nobis, aut pro se, non apparet; quia evangelista non exprimit. Si credendum est verbis eum gratias egisse, aut his ipsius verbis forte usus est, Gratias ago, aut aliis similem vim habentibus, sicut in alio loco, ubi exsultans spiritu dicit: « Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ (*Matth.* II). »

ET DEDIT « illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. » Primo ostenditur, quid dederit, deinde ad quid dederit. Ad bibendum ergo dedit, et dixit: « Bibite ex hoc omnes (*Matth.* XXVI). » Quod dicit « ex hoc, » sic intelligi potest: Ex hoc nunc, id est amodo, ut initium tantæ gratiæ, tantique muneris demonstretur; vel magis sic: Ex hoc calice, vel ex hoc, quod do. Quod autem non dicit: Bibite hunc, vel ex hoc, quasi quod partis est indicans, referri potest ad partitionem gratiarum, qualis in fractione demonstratur. Calix enim, dum digne bibitur, non omnibus omnia confert, sed singulis singula; aliis tentationes levigans, aliis virtutes augens, modisque; aliis innumerabilibus largiens singulis, prout unicuique opus est: et ut nemo relinquatur, omnes vocat. Ad hunc enim calicem omnes fideles communiter vocantur: communio enim fidelium est. Mors illi est, quicunque non bibit; et, ut ait Apostolus, judicium est illi, quicunque indigne bibit. Quid ergo fornicator faciat, vel adulter, vel quicunque mortali peccato implicatus est, si indigne bibit, vel si omnino non bibit? Utrobique periculum mortis est, quia ipse mortuus est. Quid ergo faciat? Hoc enim, qui ejusmodi sunt, inquirunt. Consilium salutis in promptu est acquiescere volenti. Convertatur et vivat: et inter geminum mortis periculum vitam mediam eligat, seipsum probans et dijudicans: et sic de pane hoc edat, et de calice bibat.

HIC EST SANGUIS MEUS NOVI TESTAMENTI.

Hic ostenditur, quid dederit, et sicut catholica credit Ecclesia, intelligenda est mutatio facta vini in sanguinem Christi, in sanguinem uvæ meracissimum. De quo sanguine sive vino (nam vinum per significationem sanguis dicitur, sicut scriptum est: « Lavabit vino stolam suam, et sanguine uvæ pallium suum) [*Gen.* XLIX], » dicit, « hic est, inquit, sanguis meus: « Sanguis » per naturæ veritatem, non per alicujus significationis solam similitudinem; « meus » autem per proprietatem; non sanguis hircorum aut vitulorum, qualis in veteri Testamento, magis fundi solebat, quam potari: at « hic est sanguis meus novi Testamenti. » Marcus similiter dicit: Lucas vero: « Hic est calix novum Testamentum in meo sanguine (*Luc.* XXII). » Paulus pene similiter: « Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine (*I Cor.* XI). » Ergo secundum Matthæum et Marcum, « hic est sanguis novi Testamenti; » se-

ctis apparet, novis supervenientibus, vetustissima veterum sic esse comedenda, ut in oblatione novi sacrificii, et communione cœlestis mensæ, et participatione spiritualis alimoniæ, renovetur sacrificandi forma, quæ a sacrificio Melchisedech cœpisse dignoscitur, lege antiquior, et legali sacrificandi ritu longe dignior. Reprobatis itaque carnalibus sacrificiis, et tanquam veteribus longe projectis, panis et vinum sicut vetustissima veterum a nobis sunt offerenda, et spiritualiter comedenda.

Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem.

Post interrogationem ad Dominum ab apostolis factam: « Ubi vis, paremus tibi pascha (*Matth.* XXVI), » parantibus illis et jam cœnantibus, etsi non sufficeret cibus ille, paravit Dominus cibum illorum; quoniam ita est præparatio ejus. Paravit autem sic. Accepit enim panem, et benedixit, etc. Accepit, sicut in Canone missæ scriptum est, quamvis in nullo Evangeliorum hoc legatur, « in sanctas ac venerabiles manus suas. » Verbum « Accepit, » proprietate suæ significationis, quasi manifeste indicat, cum manibus accepisse: sic enim accipimus, cum manibus quidpiam capimus. Quid acceperit, ostenditur ex eo quod subjungitur. Panem utique accepit, adhuc ante acceptionem speciem et substantiam panis habentem, panem in veram Christi carnem potenti virtute mirabiliter mutandum. Sicut creditur, panem azymum accepit. Nam quarta decima die primi mensis abjecto fermento agnus immolabatur ad vesperam. Hinc consuevit Ecclesia panem azymum, non fermentatum, offerre. Dicuntur tamen Græci fermentatum, et non azymum, ne judaizare videantur, offerre. In azymo autem pane figura erat veritatis, secundum quod Apostolus dicit: « Itaque epulemur, non in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis (*I Cor.* V). » Figura autem, prout Græcis videri existimatur, veniente veritate cessare debuit, ut azymum non offeramus, ne sicut Judæi, in azymis pascha celebrare videamur.

Contra rationem Græcorum.

Romana Ecclesia azymum offerre prælegit, exemplum Christi secuta: qui novum pascha inchoans, novi sacramenti mysterium in azymo pane initiasse existimatur. Nec prædicta ratio Græcorum eam habet violentiam, ut nos cogere possit fermentatum offerre, ne, scilicet post acceptam gratiam veritatis, umbris figurarum una cum Judæis inservire videamur. Quamvis enim veritas jam advenerit, non omnis tamen signorum et figurarum religio usquequaque in Novo Testamento cessavit. Nam ignis et aqua, thus, vinum et oleum, unctiones regum et sacerdotum, et multa alia, quæ in Veteri Testamento in usu erant, aliquidque mysticum figurabant, nunc quoque, ad magnificandum divini cultus honorem, rerumque spiritualium virtutem significandam, sacramentis et sacramentalibus adhiberi solent. Et donec sacramenta nobis necessaria sunt, figuræ et signa non omnino reprobari possunt. Nam ipsa sacramenta signa quædam sunt. Reges et sacerdotes inungimus, thus adolemus, in aquis abluimur et sanctificamur, vinum offerimus et libamus, nec tamen judaizamus, nec hoc agentes judaizare intendimus. Nec ideo ista respuenda sunt, ne Judæis favere vel consentire videamur.

De eo quod in Amos scriptum est: « Sacrificate de fermentato laudem. »

Quod in Amos scriptum est: « Sacrificate de fermentato laudem (*Amos* IV), » nec pro Græcis facit, nec nostræ consuetudini adversatur. Pro laude vero, ut dicit B. Hieronymus, eucharistiam, id est gratiarum actionem interpretatus est Aquila; quasi dicat: Immolate de fermento eucharistiam. Hoc autem non præcipiendo, sed quasi exprobrando, a Domino per prophetam dici manifestum est, tum ex tenore eorum, quæ præmissa sunt et sequuntur; tum etiam ex lege Moysi. Fermentum enim, juxta præceptum Moysi, Deo penitus non offertur. In Amos autem sic scriptum est: « Venite ad Bethel, et impie agite ad Galgala; et multiplicate prævaricationem (*ibid.*). » Impie agere, et multiplicare prævaricationem: venire ad Bethel et ad Galgala, omnia hæc mala sunt, et magis prohibenda quam præcipienda. Bethel enim et Galgala loca erant idololatriæ. Per Osee enim loquitur Dominus, dicens: « Omnes nequitiæ eorum in Galgala (*Ose.* IX). » Et rursum in eodem: « Frustra erant in Galgal, bobus immolantes (*Ose.* XII). » In Bethel autem posuit Jeroboam vitulum aureum, a populo adorandum. Venire ergo ad Bethel et ad Galgala, adorandi animo, malum erat, et quasi cum indignatione permittentis et prohibere nolentis dicitur: « Venite ad Bethel: » post quædam alia mala, quæ in Amos propheta numerantur, et quasi præcipi videntur, subinfertur: « Sacrificate de fermento laudem; et vocate voluntarias oblationes, et annuntiate. Sic enim voluistis, filii Israel, dicit Dominus. Unde et ego dedi vobis stuporem dentium, in cunctis urbibus vestris, et indigentiam panum in omnibus locis vestris (*Amos* IV). » Nonnunquam autem in prophetis per imperativum modum aliqua quasi imperari videntur, quæ tamen non imperantur, sed ex circumstantiis Scripturæ, et ex ipso modo loquendi, magis prohibenda quam facienda monstrantur. Tale est illud quod ad Judam dicitur: « Quod facis fac citius (*Joan.* XIII). » Tale est apud Isaiam: « Inite consilium et dissipabitur; loquimini verbum, et non fiet (*Isa.* VIII). » Tale est quoque illud, de quo nunc agitur: « Sacrificate de fermento laudem. » Sancta itaque Romana Ecclesia formam conficiendi in azymo pane, quam Christus creditur introduxisse, mutare non præsumpsit, sed eam, tanta auctoritate subnixa, immobiliter servare voluit.

Quædam a diversis diverse proponuntur.

Apud Matthæum legitur: « Accepit panem et benedixit (*Matth.* XXVI). » Apud Lucam vero sic: « Accepto pane, gratias egit, et fregit (*Luc.* XXII). » In Epistola ad Corinthios, sic: « Accepit panem, et

veritatis aperitur. Ne quis putet per significationem a Christo de aliquo dici: « Hic est sanguis meus, » manifeste ab ipso ostenditur, quid dixerit, quid intellexerit, quid a nobis credi voluerit. Nec licet nobis quasi per simplicitatem ignorare quid intellexerit, cum necesse nobis sit, et id credere quod in his verbis intellexit, et id confiteri quod dixit. In hoc enim communis fidei articulo et publicæ confessionis testimonio non sufficit simpliciter credere, verum esse, quod Christus his verbis dixit, quidquid in his intellexerit, non intellecto scilicet quid dixerit; sed intelligentia et fides verborum tanto exactius a nobis requiritur, quanto clarius et expressius, quod credi oportet, a Christo dicitur. Res enim licet occulta, ut in veritate est, ita panditur et inculcatur, ut ignorantia omnino non habeat excusationem, et impietas vix inveniat erroris occasionem. Dixit enim: « Hic est sanguis meus novi testamenti, » et inculcat, « qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum (*Luc.* XXII). » Ac si diceret. Hoc quod vobis do ad bibendum sub specie vini, secundum naturam vinum non est, sed secundum veritatem meus sanguis est, et ille ipse sanguis, qui pro multis effundetur.

Hæc sit ergo fides nostra, hæc sit confessio nostra: illum eumdem sanguinem nobis dari in potum, quem indubitanter, credimus pro nobis fuisse effusum Lucas dicit: « Qui pro vobis effundetur, » tanquam pro solis discipulis dictum sit. Matthæus dicit: « Qui pro multis effundetur (*Matth.* XXVI). » Quæ quamvis videantur diversa, non sunt tamen adversa. Pie enim credi potest, Christum utrumque, dixisse, vel alterum separatim post alterum, vel alterum in altero intelligendum. Quodam enim modo dicitur, quod in dicto intelligitur. Illud movere nos potest, quod Apostolus dicit: « Christus pro omnibus mortuus est (*Rom.* VI): » cum dicat, non pro omnibus, sed pro multis sanguinem suum fusum iri. Sed alter videtur attendere eventum definitæ utilitatis; alter sufficientiam infinitæ virtutis. Nam quantum in ipso sanguine est, tam potens est ad redemptionem, ut omnibus sufficere possit ad salutem; tam incomparabilis ad pretium, ut eo reparari possit totum genus humanum. Pretiosior est enim omni æstimatione redimendorum, et quantolibet numero captivorum. At qui male vivendo sanguinem testamenti pollutum ducunt, quia sacramentum redemptionis vilipendunt, communis gratiæ beneficium non percipiunt. A Christo enim non redimitur, qui a communione generalis gratiæ sponte eximitur, sicut scriptum est: « Qui confidunt in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur. Frater non redimit (*Psal.* XLVIII). » Quæ ergo utilitas in sanguine Christi, his qui descendunt in corruptionem? Bonum erat illis, si nati non fuissent. Bonum erat illis, si sanguis Christi effusus non esset. Erit enim sanguis hic in testimonium illis: « Accessistis, inquit Apostolus, ad sanguinis aspersionem, melius loquentem quam Abel (*Hebr.* XII). » Pro illis sane, qui accesserint, loquitur hic sanguis ad indulgentiam; verumtamen contra malos ad vindictam. Ergo non omnibus prodest sanguis effusus ad remissionem peccatorum, sed multis. Propterea dictum est: « Pro multis effundetur in remissionem peccatorum (*Matth.* XXVI). » Non te moveat, quod scriptum est: « Pauci sunt electi (*Matth.* XX), » quasi non pro multis fundatur, qui solis prosit electis. Licet enim pauci dicantur electi, comparatione multitudinis peccatorum; multi tamen sunt, et super arenam multiplicandi. Nam sicut scriptum est: « Multi venient ab oriente et occidente, et recumbent cum Abraham, Isaac, et Jacob in regno cœlorum (*Matth.* VIII). » Item: « Effundetur, inquit, in remissionem peccatorum, » Qui sanguinem Christi fuderunt, non hoc agebant, non hoc cogitabant, ut tollerentur peccata mundi. Quantum enim in ipsis fuit, magis operati sunt suam perditionem, quam nostram salutem; magis sibi damnationem, quam nobis remissionem. Attamen salutiferæ dispensationi nescientes servierunt. Salus enim mundi, quæ secuta est, nec eorum virtutis fuit, nec voluntatis, nec intentionis, nec operis; sed Dei virtutis, et voluntatis, et intentionis, et operis. In illa enim effusione sanguinis non solum operata est persequentium iniquitas; sed operata est et Salvatoris charitas. Sed iniquitas effecit opus iniquitatis; charitas perfecit opus charitatis. Non iniquitas, sed charitas operata est salutem, iniquitas tamen Christi sanguinem fudit, et sese effudit, ut sciret homo, quantum diligeretur a Deo, qui proprio Filio suo non pepercit (*Rom.* VIII). « Sic enim Deus dilexit mundum, ut unigenitum suum daret (*Joan.* III). » Qui quidem unigenitus oblatus est, non quia Judæus, potuit, sed quia ipse voluit; qui cum dilexisset suos, in finem dilexit eos. Finis est mors pro inimicis suscepta. Hic est finis omnis consummationis; finis consummati amoris. Majorem enim charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*Joan* XV). Hæc Christi charitas in morte Christi violentior fuit, quam Judæorum iniquitas, nec potuit et iniquitas, nisi quantum permisit charitas. Judas Christum, vel Judæus morti tradidit, et hoc maligna iniquitate. Tradidit Pater Filium, tradidit et se Filius: et hoc ex charitate. Nec traditionis rea est charitas; sed innocens est, etiam in morte Christi. Soli enim charitati licet, quidquid libet impune. Sola Deum cogere potest, quasi imperiosa charitas. Hæc de cœlo Deum deposuit, hæc in cruce posuit; hæc tam innocenter, quam salubriter, sanguinem Christi fudit in remissionem peccatorum. Ergo tota gratiarum actio pro salute mundi charitati debetur; quæ ita nos urget violentia suæ rationis, ut par sit, nos tantum Christum diligere, quantum Judæus potuit odisse. Humanum forte dico, propter infirmitatem cordis nostri. Indignus est enim amici nomine, qui minus diligit, quam inimicus odit. Indignus est remissione peccatorum, qui sic

erationem. Sed dici potest, quod potuerint omnia, vel quædam simul fieri, quod non potuerit nisi distincte dici. Ordo autem verborum, quo utuntur Matthæus, et Marcus, et Apostolus insinuare videtur mutationem factam esse ante dictionem horum verborum, « hoc est corpus meum, » vel « hic est sanguis meus (*ibid.*). » Apud Matthæum quippe præmittitur : « Accipite et comedite ; » quod utique accipiendum est de eo quod Dominus accipi voluit, et comedi. Apud eumdem præmittitur : « Bibite ex hoc omnes : » deinde subjungitur : « Hic est enim sanguis meus. » Cum autem dictum sit, quod a discipulis Dominus bibi voluit, apud Marcum præmittitur : « Sumite (*Marc.* XIV) : » deinde subinfertur : « Hoc est enim corpus meum. » Apud eumdem de calice hic ordo verborum est : « Accepto calice, gratias agens, dedit eis : et biberunt ex illo omnes. Et ait illis : Hic est sanguis meus. » Apud Apostolum præmittitur : « Accipite et manducate (*I Cor.* XI) : » deinde subinfertur : « Hoc est enim corpus meum. » Quoniam autem evangelistæ et Apostolus ordinem rerum et verborum, quo usus est Christus mutare potuerunt si forte curaverunt tantum aperire, quæ facta sunt et dicta, et non quo ordine sint facta vel dicta ; propterea difficile est probare quod Christus his verbis mutationem fecit, sed indubitanter credendum est Christum hæc verba dixisse, et panem et vinum, aut cum hæc verba diceret, vel ante quando voluit, et sicut voluit, substantialiter mutasse. A sacerdote autem, qui tantæ mutationis minister est, non auctor, sine verbis Christi mysterium consecrationis nullatenus valet adimpleri ; sicut baptismi sacramentum sine solemni forma verborum nullo modo valet administrari. Attende, quanta sit vis divinæ benedictionis ; attende, quantum mirabiliter efficax sit virtus ejus. Valuit benedictio Dei primis parentibus, ad multiplicandum genus humanum in fecunditate sexus illis collata (*Gen.* I). Valuit benedictio Dei Laban ad ejus bona multiplicanda. Virtute benedictionis Dei quinque panes in se mirabiliter multiplicati sunt (*Joan.* V). Verum hæc benedictio, de qua nunc agitur, non panem in suo genere multiplicavit, non in numero vel quantitate auxit, sed majori admiratione non mutata forma substantiam mutavit in aliam substantiam : non quæ tunc esse inciperet, sed quæ et antea extitisset. « A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris (*Psal.* CXVII) ; » sed in oculis cordis, non in oculis carnis. Nam ab oculis carnis abscondita sunt hæc ; oculis quoque humanæ rationis sunt clausa ; sed solius fidei oculis mirabiliter conspicua. Stuporis magnitudo et vehementia admirationis cum sine aliqua fide esse non possint, ipsam fidem sic permovent, ut pariter hoc miretur a Deo fieri, et ab homine credi. Utrumque enim mirabile est. Sicut enim a Deo mirabiliter efficitur sic ab hoc mirabiliter creditur. Unde qui non credunt hoc fieri, plus admirantur hoc credi. Utriusque autem rei, videlicet facti quod creditur,
A et fidei qua creditur, unus est auctor Deus, utrobique mirabilis, et in virtute facti, et in gratia fidei. Novitas autem tam miranda, tamque stupenda, quia super humanam est, nulla ratione posset credi, si alius tantæ novitatis auctor prædicaretur, quam is qui facit mirabilia magna solus ; quid autem non potest, qui omnia potest ? Quid non potest, cui subest, cum voluerit, posse? Qui vocat ea quæ non sunt ; qui convertit ea quæ sunt, in ea quæ vult, et sicut vult, per innumeros conversionum modos ipsius voluntati subjectos. Qui convertit mare in aridam (*Psal.* LXV 104) ; qui percutiens Ægyptios convertit in sanguinem flumina eorum (*Psa*. LXXVII) ; qui convertit cor eorum, ut odirent populum ejus (*Psal.* CIV). Qui convertit virgam Moysi in serpen-
B tem, et serpentem in virgam restituit (*Exod.* III) qui convertit petram in stagna aquarum, et rupem in fontes aquarum (*Psal.* CXIII), ille est, qui panem benedixit, et dixit : « Hoc est corpus meum (*Matth.* XXVI). Non relinquitur nobis locus ambigendi, vel de virtute facientis, vel de fide facti, vel de veritate dicti. Potens est enim opere et sermone, qui fecit, et dixit.

Et fregit.

Si virtute benedictionis mutatio panis in corpus Christi ante fractionem facta fuit, recte in altari, secundum morem ecclesiasticum panis prius benedicitur, et postea frangitur. Fractione autem corpus non minuitur, sed integrum in sua plenitudine
C conservatur. In veritate quidem dividitur, sed in sacramento ; tamen indivisum manet in semetipso ; cum per plures fractionum partitiones pluribus distribuitur, et in singulis totum invenitur, et a singulis totum percipitur : nec majus est in majore vel in minore minus ; quia in majore parte vel minore totum pariter continetur, nec majus, nec minus. Hujus rei signum olim præcessit, cum plueret Dominus filiis Israel manna ad manducandum. Nam qui plus collegerat quam gomor, nec qui minus paraverat quam gomor, non habuit amplius quam gomor, nec reperit minus quam gomor. Sic enim scriptum est : « Nec qui plus collegerat habuit amplius ; nec qui minus paraverat, reperit minus (*Exod.* XVI). » Et Apostolus ad Corinthios : « Qui multum, non abundavit, et
D qui modicum non minoravit (*II Cor.* VIII). »

De præmissis : « Accepit, Benedixit, Fregit. »

Sicut placet tria hæc, acceptionem videlicet panis, benedictionem et fractionem, ad mysticam significationem, sive ad fidei morumve ædificationem trahi, singula per ordinem repetenda sunt, ut tota series rei gestæ sanctificationi nostræ proficiat et eruditioni.

De panis acceptione. — Naturæ nostræ susceptio non incongrue intelligitur quasi quædam panis acceptio. Accepit Christus, unde nos pasceret, cum per incarnationis mysterium hominem sibi uniret, nostræ carnis fenum vertens in frumentum, ut nos cibaret ex adipe frumenti, et satiaret de medulla tritici. Nobis factus est granum tritici in corde bono seminandum

voluntas Patris, alio loco dicit. « Hæc est voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam (*Joan.* VI). » Ergo cibus Christi salus est mundi. Hanc enim esurit, hanc et sitit, quia potus ejus est. Propter quod cum sederet super fontem, ait Samaritanæ: « Da mihi bibere (*Joan.* IV); » et ut ostenderet se magis sitire aquam vivam a se peti, ut petenti daret, dicit: « Si scires donum Dei, et quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forsitan petiisses ab eo, et daret tibi aquam vivam (*ibid.*). » Ecce quid sitiebat, rogari et dare aquam, ut fieret in accipiente fons aquæ salientis in vitam æternam. Quis potest habere hanc aquam, nisi ipse dederit? aut quis potest salvari, nisi quem ipse salvaverit? Salutem autem mundi quam ille sitit, hanc et operatur, partim in his quæ pertinent ad reparationem, partim in his quæ pertinent ad supremam consummationem. Ad præparationem pertinent omnia, quæ operatus est ab exordio mundi in electis suis usque ad tempus adventus sui, in præfiguratione futuræ reparationis. Ad reparationem autem pertinent omnia, quæ Christus in carne aut bona gessit, aut dura pertulit, usque ad horam passionis vel resurrectionis suæ. Ad consummationem vero pertinet tota gloria resurrectionis. De qua ipse dicit: « Sanitates perficio hodie et cras, et tertia die consummor (*Luc.* XIII). » Salus mundi secundum seriem temporum, digesta est et ordinata in apparatu, in actu, in fructu: hoc est in figura, in gratia, in gloria. Primum Deus Pater mandavit salutes Jacob in repromissione Salvatoris. Deinde dedit salutem regibus, id est omnibus justis in adventu Salvatoris. Ad ultimum consummavit negotium salutis in resurrectione Salvatoris, magnificans salutes regis ejus, et faciens misericordiam Christo suo David, et semini ejus usque in sæculum. Hoc opus nostræ salutis operatus est Christus, incipiens a diebus antiquis. Tota dispensatio rerum et temporum ejus moderamine ad hunc finem dirigebatur; et in omnibus quæ ad hanc causam conducebant delectatus est ipse auctor omnium; et hoc ad gloriam suam sicut scriptum est: « Renovabis faciem terræ; sit gloria Domini in sæculum; lætabitur Dominus in operibus suis (*Psal.* CIII). » Non solum autem delectatus est in iis quæ fecit ante adventum, vel in adventu suo; sed in mundum veniens flagella iniquitatis nostræ lætus excepit. Lætus, dicam, an tristis? Sed utrumque rectius dixerim. Nam de illo scriptum est: « Exsultavit ut gigas ad currendam viam (*Psal.* XVIII). » Et ipse dixit. « Tristis est anima mea usque ad mortem (*Matth.* XXVI). » Non solum autem dolorem carnis sensit in amaritudine passionum, et asperitate laboriosæ disciplinæ pro nobis susceptæ, sed in anima veram tristitiam habuit, sed libens. Gaudens enim voluit vere tristari, nec sine gaudio erat tristitia, cui gaudium erat de ipsa tristitia. Propter hoc dicit: « Desiderio desideravi manducare hoc pascha (*Luc.* XXII). » Operatio salutis nostræ suo ordine dispensata voluntas Patris est. Cibus Christi hoc est quod esurit. Hoc est, de quo dicit in cruce; « Sitio (*Joan.* XIX). » Hoc est medicinale poculum, hoc vinum lætitiæ, hoc genimen veræ vitis, id est ipsius Christi, qui dicit: « Ego sum vitis vera (*Joan.* XV). » Intendens ergo in fructum et finem operationis et dispensationis suæ ab initio, dicit: « Non bibam amodo de hoc genimine vitis, etc. » Ac si diceret: Hactenus delectabar salutem mundi operari, sicut hactenus oportuit; et in his delectatus bibi vinum lætitiæ, quia deliciæ meæ esse cum filiis hominum (*Prov.* VIII); » sed nondum vinum novum, sicut est dulcius, sed sicut est habens dulcedinem cum austeritate disciplinæ, quam adhuc sentio. Superest ut amodo, post instantem scilicet passionem, non bibam de hoc genimine vitis usque in diem illum clarificationis meæ, cum illud bibam vobiscum novum, nihil austeritatis habens, totum dulcedine plenum, et hoc in regno Patris mei, id est in corpore meo glorificato, vel in regno cœlorum, et vobiscum. Nam et vos mecum bibetis, cum de torrente voluptatis meæ vos potavero. Per diem illum intelligere possumus gloriam resurrectionis et clarificationis, qui dies finem non habet. De quo dicitur: « Hæc est dies quam fecit Dominus, exsultemus et lætemur in ea (*Psal.* CXVII). » In claritate enim Christi exultabimus et lætabimur, cum corpus humilitatis nostræ configurabitur corpori claritatis suæ. Quamvis ergo Christus primitiæ sit dormientium, et primus resurgens a mortuis hoc novum vinum biberit, discipulis non statim bibituris, tamen verum est, quod dicitur, et sicut dicitur, quod Christus non biberit de hoc genimine usque in diem illum interminabilem gloriosæ claritatis suæ, in qua videndus est ab electis suis, ut exsultent in conspectu ejus, et delectentur in lætitia. Quod ergo dicit: « Non bibam amodo usque in illum diem, cum vobiscum bibam, » ad tractum spatii referendum est, non ad initium diei; ut sic intelligatur, cum vobiscum bibam, quasi diceretur, quo die vobiscum bibam. Si autem quod dicitur, « in illum diem, » referamus ad diem resurrectionis transitorium, habentem mane et vesperam, difficile erit intelligere, quod dicit. « Non bibam usque in illum diem, cum vobiscum bibam, » cum discipuli illo die bibituri non essent, nisi simpliciter cogitetur, « Non bibam usque in illum diem, cum vobiscum bibam, » id est cum vobiscum bibendi consummata fuerit causa. Completa enim resurrectio causa est combibendi vinum lætitiæ, quodam loquendi modo, quo quæ post futura sunt, esse dicuntur, cum causa exstiterit quam sequantur. Hoc modo intelligi potest: « Qui credit in me, habet vitam æternam (*Joan.* VI). » Et illud: « Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V). » Sic multa alia quæ futura sunt, anticipantur, ut esse dicantur, quia præexsistente causa, qua sunt, non restat, nisi ut sint.

discipulorum ejus. Qui ergo extra disciplinam sunt, qui magisterio Christi subditi non sunt; qui secundum suam sententiam, non secundum Christi doctrinam vitam instituunt; isti ab hac gratia ita sunt alieni, sicut nomine discipulorum sunt indigni.

ET AIT, ACCIPITE. Verba præmissa: « Accepit Jesus panem, » etc., usque ad verbum, « Accipite, » verba sunt evangelistæ (*Matth.* XXVI), quibus refertur quid fecerit Jesus: et mox subjungitur quod dixit: « Accipite, » inquit. Illi recte dicuntur accipere, quibus dicit, Accipite, quibus ipse dat, quibus accipiendi licentiam præstat auctoritas tribuentis, non præsumptio propriæ voluntatis. Nam qui impudenter et irreverenter se ingerunt, magis rapiunt quam accipiunt: ut contra eorum præsumptionem dictum videatur, « Accipite: » cum præmissum sit, eum dedisse. Unde cum hoc sacramentum dispensatur indignis, magis capitur, quam datur: quia accipiendi licentia eis non præstatur, quibus accipere non licet. Non enim habent potestatem accipiendi, sicut scriptum est: « Habemus altare, de quo edere potestatem non habent, qui tabernaculo deserviunt (*Hebr.* XIII). » Veruntamen secundum quemdam modum dici potest, et indignis dari, et ab indignis accipi: sed accipi, sicut gladium accipiunt illi, de quibus dicitur: « Omnes qui gladium acceperint, gladio peribunt (*Math.* XXVI). » Quicunque enim potestatem judicandi, quæ per gladium potest significari, non sibi traditam a superiori potestate, sed per se, id est sua præsumptione accipiunt, hi gladio peribunt; quia acceptionis præsumptionem in judicium sibi convertunt.

ET COMEDITE. Hoc sacrificium a Domino institutum est, non solum ad offerendum, sed et ad comedendum. Propter quod nunc dicitur: « Comedite. » Nam de hoc offerendo apud Lucam et Apostolum dicitur, qui dominum referunt dixisse: « Hoc facite in meam commemorationem (*Luc.* XXII; *I. Cor.* XI). Typicus agnus prius occiditur, quam comeditur, morte sua et esu veri Agni mortem significans, et esum. Verumtamen verus Agnus comeditur, priusquam occiditur. Ante passionem quippe Christi institui debuit novum sacrificium; quia et ante vetus erat finiendum. Nam quod post passionem Christi non debuit iterari, ante passionem oportuit terminari. At ubi vetus sacrificium accepit terminum, mox novum debuit suæ institutionis habere principium. Ante passionem item Christi, virtute hujus sacramenti muniendi erant discipuli, qui scandalum in morte Christi erant passuri, ne fides eorum omnino deficeret, ne tentator, qui eos expetivit, quasi victor de victis triumpharet. Denique, dum adhuc Judas inter discipulos erat, ponendum erat exemplum in posterum valiturum, de malis in Ecclesia tolerandis, dum occulti sunt. Nam quod Judas a Domino toleratus, quia non est accusatus, sacramentum corporis et sanguinis sui acceperit, manifestum est, tum ex verbis Lucæ evangelistæ, tum ex verbis beati Augustini, qui in sermone 62 super Joannem hæc verba ponit, dicens: « Post panem tunc introi- A vit in eum Satanas. Prius ergo intraverat, mittendo in cor ejus cogitationem, qua traderet Christum. » Et infra: « Nunc autem post panem intravit in eum, non ad hoc, ut alienum tentaret, sed ut proprium possideret. Non autem, ut putant quidam negligenter legentes, tunc Judas Christi corpus accepit. Intelligendum enim, quod jam omnibus eis distribuerat Dominus sacramentum corporis et sanguinis sui, ubi et ipse Judas erat, sicut divus Lucas evidentissime narrat: ac deinde ad hoc ventum est, ubi secundum narrationem Joannis, apertissime Dominus per buccellam tinctam atque porrectam suum exprimit traditorem, fortassis per panis tinctionem illius significans fictionem. » Propter tres causas prædictas, sive quascunque alias, esus veri Agni post B mortem Christi in Ecclesia frequentandus, ante ejusdem mortem est institutus, et ipso utendi modo quo utendum est, mox in usum assumptus. Ipso autem naturæ ordine, et quasi vescendi lege, esus typici agni mortem ipsius hostiæ quam præcedere non debuit, quia nec potuit, secutus est; et hostiam jam mortuam comedere, non solum secundum naturam, sed etiam secundum legem, solemne erat. Et quamvis ejus mors liberatoris mortem posset significare, non poterat tamen vel mors vel esus ejus, qui morte et esu consumebatur, vel vitam dare, vel a morte liberare. At esus veri Agni, non secundum ordinem vel legis vel naturæ, sed secundum quemdam ordinem gratiæ, ejusdem mortem præces- C sit, ut hostia adhuc viva, et mox moritura, denuoque victura, ordinem gratiæ indicaret, quam operatur in nobis, cujus virtute vivificandi sumus, ut sobrie, et juste, et pie vivamus ante mortem: cujus virtute muniendi sumus, ut cum pietate dormitionem accipiamus in morte, cujus virtute liberandi sumus a morte, et ad vitam resuscitandi, cum prius exsolverimus quam debemus, mortem. Hic est enim ordo gratiæ: Vita bona, mors pretiosa, vita beata.

HOC EST CORPUS MEUM.

Quid fecerit Jesus Christus, dicendo ostendit, et virtutem operis sui verbo annuntiat. Fecit enim et dixit: « Hoc est corpus meum (*Matth.* XXVI). » At in rerum creatione dixit et fecit. Nam cum creanda esset lux, dixit Deus: « Fiat lux, et facta est lux D (*Gen.* I): » factaque luce non legitur dixisse, hæc est lux, nec enim oportuit, quia virtus dicentis manifestata est per evidentiam operis sequentis et obsequentis, eratque verbum occultum, donec palam fieret per apparentis indicium operis. Cum diceret ut fierent, repente exstiterunt, quæ facta sunt, et in rebus factis innotuit, quod facturus dixisset, qui potens erat, ut dicendo faceret. Hoc enim modo invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus ejus (*Rom.* I). In rebus itaque creatis virtus Dei, qua præcipit ipse ut fierent quæ facta sunt, intelligitur, et quodammodo conspicitur; in hac autem mutatione tam miranda longe aliter est. Factum enim tam occultum, et ab humana cognitione tam remotum, non

bibens calicem passionis, bibit vinum compunctionis: quia non solum compunctus est in corpore, sed dolore cordis intrinsecus, quia pœnituit eum hominem fecisse. Ergo Pater ostendit ei dura; nec enim pepercit ei, donec resurgens a mortuis, conscisso mortalitatis sacco, immortalitatis stola circumdatus, Patri diceret: « Conscidisti saccum meum, et circundedisti me lætitia; ut cantet tibi gloria mea, et non compungar (*Psal.* XXIX). » Sed quia oportuit Christum prius pati, et sic resurgere a mortuis, jam appropinquante hora passionis calicem passionis bibiturus, et sic de hoc mundo transiturus ad Patrem, dicit: « Non bibam amodo de hoc genimine vitis, etc. » Quasi diceret: Hactenus de hoc genimine vitis bibi, hoc est de infirmitate assumptæ mortalitatis quæ tristia sunt pertuli. Nunc finis est tristitiæ. Hoc poculum amarum amodo non bibam, sed vinum lætitiæ in regno Patris mei, cum converterit planctum in gaudium mihi; et vos, qui calicem meum bibetis contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium, ut vinum novum vobiscum bibam. Locutio autem sic figuratur, si idem sit novum vinum, et illud quod biberat ante novum; sed modus locutionis est nostræ consuetudini satis accommodatus; sicut dici solet, quæ seminaverit homo hæc et metet.

Alio modo exponitur, ut supra.

« Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? (*I Cor.* III.) Plantavit Dominus vineam. Quænam hæc est? « Vinea, inquit Isaias, Domini Sabaoth domus Israel est (*Isa.* V). » Sicut differt vinea a vinea, sic et vinum a vino. Vinea Domini discernitur a vinea aliena. Hæc est gentilitas a Dei cultu aliena, et idololatriæ dedita. Synagoga autem, quæ ad Domini vineam pertinere habet, tanquam ab eo plantata et exculta, pro parte justorum vinea Domni est, et vinea Sorech, id est vinea electa: pro parte vero malorum et infidelium conversa est in amaritudinem vitis alienæ. Generatio enim perversa est, et infideles filii. Facti sunt enim sicut gentes, quæ Deum ignorant. Hæc vinea fructificavit impietatem pro fide, diffidentiam pro spe, invidiam vel odium pro dilectione. Prædixit et hoc Moyses: « De vinea Sodomorum vinea eorum, et de suburbanis Gomorræ Uva eorum uva fellis, et botri amarissimi. Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile (*Deut.* XXXII). » Uva fellis, fel draconum, venenum aspidum insanabile, tria hæc quid sunt, nisi impietas, et diffidentia, et odium inexorabile, vel quæcunque vitia tam pessimis rebus similia? Qualis est hæc vinea, tale et vinum ejus. Acetum est, de quo dicit: « Et in siti mea potaverunt me aceto (*Psal.* LXVIII). » Vinum myrrhatum est, quod cum gustasset Dominus, noluit bibere. Gustavit quidem, per experientiam probans, quanta esset malitia eorum; sed noluit bibere, quia non approbavit; quia respuit, quod displicuit. Fidelis autem Synagoga, quæ per obedientiam placuit Deo sicut germen delectabile, et sicut vinea electa fuit; de qua

A Isaias: « Vinea meri cantabit ei (*Isa.* XXVII). » Delectatus est Deus in obedientia antiquorum justorum sub legalibus præceptis, et judiciis, et promissis, et sacramentis. Habuit hæc obedientia tempora sua usque ad passionem Christi. Deinde successit nova obedientia, novaque justitia, majori perfectione magis Deo placitura. Propter quod nunc dicit: « Non bibam amodo de hoc genimine vitis, etc. » ac si diceret: Non delectabor amodo obedientia, qualis usque nunc sub lege fuit. Instat dies ille, id est tempus gratiæ, ut umbra evacuetur, et propter nova promissa sub novis præceptis, novisque sacramentis, religio augeatur, et exemplo humilitatis meæ obedientia perficiatur, in qua magis vobiscum delecter in regno Patris mei, hoc est in Ec-

B clesia. Quod dicit: « Donec bibam illud novum, » significat ex aliqua parte eamdem esse obedientiam legis et Evangelii, et ex aliqua parte innovatam, id est mutatam et auctam. Hinc ipse et alio loco dicit: « Non veni legem solvere, sed adimplere (*Matth.* V). » Summa autem legis adimpletio hæc est, obedientia usque ad mortem. Hæc est perfecta charitas, hic finis justitiæ et omnis consummationis. Hæc obedientia clausa fuit in lege in primo et maximo mandato: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex tota mente tua (*Deut.* VI). » Clausa quoque in sacrificiis, et in morte hostiarum latenter insinuata. Nunc autem in exemplo mortis Christi pro-

C palata est, et imitatoribus et dilectoribus Christi imposita. Hæc obedientia calix est salutaris, calix passionis Christi. Hoc est vinum novum, de quo dicit: « Donec bibam illud novum in regno Patris mei. » Quid est ergo illud novum vinum bibere, nisi ex amore obedientiæ pati? Quid est vobiscum bibam illud, nisi et vos ex amore obedientiæ compatiemini? Quid est, bibam illud, sed novum; nisi quia novum erat, ut pro genimine vitis biberetur calix passionis? Novum erat, ut pro agno immolaretur homo. Bibam illud vobiscum novum, quia in hujus novitate calicis ego delectabor, et vos delectabimini: et pro hac hilaritate mentis « hilarem enim datorem diligit Deus (*II Cor.* IX). » Obedientia autem usque ad mortem intelligenda est non in sola morte carnis,

D sed quodammodo in omni perfecta mortificatione et castigatione corporis; maxime autem in omni perfecta renuntiatione propriæ voluntatis. Nam se ipsum mactat, qui propriam voluntatem jugulat, qui ab illicitis deliciis se propter Deum abstrahit, animam suam propter Deum odit, et in hoc mundo odiendo perdit, et perdendo in vitam æternam custodit; qui in hilaritate mentis et dulcedine charitatis propria voluntate postposita per judicium discretionis fratris voluntatem præponit; hic pro fratre animam ponit. In omni genere martyrii est obedientia usque ad mortem, sive nos occidat gladius persecutoris, sive gladius spiritus, quod est verbum Dei. Hæc est perfecta obedientia, qualis in lege non erat; quia lex neminem adduxit ad per-

dicit: « Non bibam a modo de hoc gemine vitis (*Matth.* XXVI), etc. Calicis autem acceptio, per mysticam significationem rei mox futuræ, intelligi potest mortis perferendæ prompta devotio, voluntariaque susceptio. De quo calice Dominus interrogat filios Zebedæi, dicens: « Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? (*Matth.* XX.) » Calicem ergo accepit, quia mortem sponte suscepit. « Oblatus est » enim, quia ipse voluit (*Psal.* LIII). » Calicis autem nomine significari potest, non solum vas quod continet, sed et illud quod interius continetur, sicut e diverso poculi nomine significari solet id quod continet, et non solum quod continetur. Gratias egit. Sicut prædiximus, in acceptione calicis scribit Matthæus, Dominum gratias egisse, et non exprimit, eum benedixisse, sicut in acceptione panis scribit, eum benedixisse, et non exprimit, eum gratias egisse. Hinc alicui videri potest, alterum pro altero indifferenter poni; maxime ex eo quod in acceptione panis, ubi ab uno evangelista ponitur, « Benedixit (*Matth.* XXVI), » ab altero ponitur, « gratias egit *Marc* XIV). Gratiarum quidem actio benedictio dici potest. Nam et Deum benedicimus, cum de collatis beneficiis gratias ei referimus. Omnis gratiarum actio causam respicit beneficii. Sed licet prius sit, gratiam conferre, quam referre; nonnunquam tamen pro certitudine rei futuræ, gratiarum actione beneficium prævenitur. Sciens ergo Christus, quanta sit gratia hujus ineffabilis sacramenti, quantaque bona hinc ab ipso nobis sint conferenda; sciens quoque quanta mala mox abipso pro nobis perferenda, pro utraque causa gratias Patri agit, videlicet pro bonis præstandis et pro malis tolerandis. Utraque enim nobis prosunt. In tantum nos amat Jesus Christus, ut pro nostris bonis gratias agat tanquam pro suis, et bona utique nostra non sunt nisi ejus dona; ipse tamen qui dona tribuit, gratias agit, sicut solet, qui accipit. Reputat enim sibi dari, et a se gratias deberi, cum nobis præstatur. Instar enim muneris habet accepisse, cum dederit. Hoc autem facit intima illa charitas, per quam nos sibi jungit, ut membra, et, ut accipiat in nobis quidquid dederit nobis. Propter quod ad ipsum, qui dona dedit hominibus, Propheta loquitur, et dicit: « Accepisti dona in hominibus (*Psal.* LXVII). » Gratias ergo agit pro bonis nostris, donis suis; erudiens nos, ut nos gratiam referamus pro donis suis, bonis nostris. Gratias agit pro flagellis iniquitatis alienæ, erudiens nos, ne murmuremus inter flagella iniquitatis propriæ. Gratias agit pro salute mundi, quam humano generi dare disposuit, dans carnem suam in cibum et sanguinem suum in potum, ut repleat in bonis desiderium nostrum; dans seipsum in pretium, ut redimat de interitu vitam nostram. Gratias ergo agit pro nobis, ut prædictum est. Quid ergo est? Nonne et pro se, cui datum sit mundum redimere, ut in nomine ejus omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum (*Philip.* II)? Quid enim habet etiam filius Virginis, quod non acceperit? Sicut enim Filius Dei dignatione filius hominis est: ita filius hominis per gratiam Filius Dei est non sic tamen, quasi filius adoptivus, vel quasi de non filio in filium adoptatus, sed, sicut Apostolus dicit: « Prædestinatus filius in virtute (*Rom.* I). » Quibus verbis gratias egerit, aut pro nobis, aut pro se, non apparet; quia evangelista non exprimit. Si credendum est verbis eum gratias egisse, aut his ipsius verbis forte usus est, Gratias ago, aut aliis similem vim habentibus, sicut in alio loco, ubi exsultans spiritu dicit: « Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ (*Matth.* XI). »

ET DEDIT « illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. » Primo ostenditur, quid dederit, deinde ad quid dederit. Ad bibendum ergo dedit, et dixit: « Bibite ex hoc omnes (*Matth.* XXVI). » Quod dicit « ex hoc, » sic intelligi potest: Ex hoc nunc, id est amodo, ut initium tantæ gratiæ, tantique muneris demonstretur; vel magis sic: Ex hoc calice, vel ex hoc, quod do. Quod autem non dicit: Bibite hunc, vel ex hoc, quasi quod partis est indicans, referri potest ad partitionem gratiarum, qualis in fractione demonstratur. Calix enim, dum digne bibitur, non omnibus omnia confert, sed singulis singula; aliis tentationes levigans, aliis virtutes augens, modisque; aliis innumerabilibus largiens singulis, prout unicuique opus est: et ut nemo relinquatur, omnes vocat. Ad hunc enim calicem omnes fideles communiter vocantur: communio enim fidelium est. Mors illi est, quicunque non bibit; et, ut ait Apostolus, judicium est illi, quicunque indigne bibit. Quid ergo fornicator faciat, vel adulter, vel quicunque mortali peccato implicatus est, si indigne bibit, vel si omnino non bibit? Utrobique periculum mortis est, quia ipse mortuus est. Quid ergo faciat? Hoc enim, qui ejusmodi sunt, inquirunt. Consilium salutis in promptu est acquiescere volenti. Convertatur et vivat: et inter geminum mortis periculum vitam mediam eligat, seipsum probans et dijudicans: et sic de pane hoc edat, et de calice bibat.

HIC EST SANGUIS MEUS NOVI TESTAMENTI.

Hic ostenditur, quid dederit, et sicut catholica credit Ecclesia, intelligenda est mutatio facta vini in sanguinem Christi, in sanguinem uvæ meracissimum. De quo sanguine sive vino (nam vinum per significationem sanguis dicitur, sicut scriptum est: « Lavabit vino stolam suam, et sanguine uvæ pallium suum) [*Gen.* XLIX], » dicit, « hic est, inquit, sanguis meus: « Sanguis » per naturæ veritatem, non per alicujus significationis solam similitudinem; « meus » autem per proprietatem; non sanguis hircorum aut vitulorum, qualis in veteri Testamento, magis fundi solebat, quam potari: at « hic est sanguis meus novi Testamenti. » Marcus similiter dicit: Lucas vero: « Hic est calix novum Testamentum in meo sanguine (*Luc.* XXII). » Paulus pene similiter: « Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine (*I Cor.* XI). » Ergo secundum Matthæum et Marcum, « hic est sanguis novi Testamenti; » se-

multa probabiliter elaborata, sed a veritate tam extranea, quam a pietate fidei aliena. Quidquid ab eis vere fideliterque comprehensum est, et definitum, hoc non illorum est, sed ejus, qui veritas est, et qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I), per quem eis ex aliqua parte veritatis lumen illuxit. Veritas enim apud quemcunque inveniatur, Dei est, et non hominis, quia « omnis homo mendax, Deus autem verax (*Rom.* III). » Quidquid ergo contra fidei veritatem, et pietatis formam diffinitum habebant et affirmabant, hoc illorum erat, hoc a se dicebant, et de propriis locuti sunt; et ignari cœlestium sacramentorum, ignorantes sapientiam Dei in mysterio absconditam, « evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt (*Rom.* I) »: miroque Dei judicio, qui inter homines supra homines æstimati sunt, quasi soli sapientes, vel præ cæteris sapientes; nunc præ cæteris apparent insipientes nobis, per gratiam Dei, qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum. Verus siquidem est sermo, qui scriptus est: « Infatuatus est omnis homo ab sapientia. » Fides itaque nostra verbis ipsius Dei, immobiliter fundata, incerto humanarum opinionum non jactatur, sicut nutabunda et fluctuans; sed veritate subnixa, et super firmam petram divinæ auctoritatis solidata, inconcussa constat et inconvulsa; et si quid diffinitionibus philosophorum contrarium continet, cedere debet opinio veritati, ut veritas fidei in omnibus triumphet, destruens omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigens, omnem intellectum in obsequium Christi. Quidquid in mysteriis fidei sua profunditate modum humanæ intelligentiæ excedit, et fines humanæ rationis transcendit, Deo committendum est, eique reservandum, qui tempore opportuno mysteria nunc operta revelabit his, qui verbis ipsius debitam reverentiam exhibentes, firmiter et fideliter credunt; non hæsitantes de fide verborum, quamvis ratio modi interim non eluceat. Vult enim Deus arcana sua nobis, et a nobis credi, sed modum ad tempus ignorari, ut habeat fides meritum, et quod nunc occultum est, reservetur ad præmium. Habet itaque simplicitas fidei piam conscientiam in iis, quæ Deus credenda mandavit; piam vero ignorantiam in iis, quæ non quærenda abscondit. Utraque autem, pietas conscientiæ scilicet, et ignorantia, apud Deum gloriam habet et laudem, dum mens humana coram Deo humiliatur, ut credat quæ dixit, et a superba et curiosa inquisitione compescitur, ne quærat quæ non dixit. Utrobique ergo fides proficit ad meritum, et in utraque simplicitate confidenter suspirat ad præmium; « qui enim ambulat simpliciter, ambulat confidenter (*Prov.* X). » Simpliciter ergo et confidenter, firmiter et constanter, teneamus, credamus, et confiteamur, quod substantia panis in substantiam carnis Christi mutatur,

A manente tamen specie panis, mirabiliter, et ineffabiliter, et incomprehensibiliter. Indubitanter credimus, quod ita est: quomodo autem hoc sit, adhuc simpliciter ignoramus. Nondum de modo scimus; sciemus autem postea, cum virtus hujus mysterii in nobis fuerit consummata. Consummationem indicat ipsa conversio panis in corpus Christi. Mystica enim est; significans gratiam ipsam, quam operatur in nobis.

De mystica significatione mutationis panis.

Attendamus itaque, quid sit panis ante conversionem. Quid sit autem, quotidiana docet experientia. Sustentatio enim vitæ est, sed transitoriæ: nec manet ipse, nec vita quam sustentat. Ille usu suo
B deficit, et vita deficiendo præterit. Non valet vitam æternam præstare, vix valet vitam temporalem ad modicum tempus sustentare. Propterea opus est quotidiana refectione; diurna vita divinæ refectioni debetur. Qui quotidie indigemus, vix et ægre usque ad diem tertium sustinemus. Corpus nostrum infirmum et fragile multisque corruptionibus et infirmitatibus obnoxium dum reficitur, deficit; et quotidie dum instauratur, fatiscit; vitaque mortalis dum et cibo sustentatur, præterlabitur, et dum nutritur, minuitur, et in mortem semper præceps ruit, dum quotidiana refectione a morte differtur; et ut usu evenit, cibus causa sanitatis quæsitus, causas morbi generat; et ubi vita quæritur, ibi mors invenitur. Panis ergo iste destruitur et pe-
C rit, nec permanet in vitam æternam. Corpus nihilominus destruitur et perit. Esca enim ventri et venter escis; Deus autem hunc et has destruet. Cum absorpta fuerit mors in victoria, cum mortale hoc induerit immortalitatem, tunc vitam æternam corpori præstabit, non cibus iste qui perit sed cibus qui permanet in vitam æternam. Attende virtutem sacramenti. Decrevit Deus mortale hoc immortalitate vestire et mortalem vitam in vitam æternam transferre. Propterea cibum in cibum mutavit, panem vitæ in panem vitæ, sed panem vitæ transitoriæ in panem vitæ æternæ, ut et mutatione cibi in cibum credatur et intelligatur, speretur, et exspectetur mutatio mortalis vitæ in immortalem vitam, ut dum mutabilitate temporum ad mortem
D trahimur, ipsa morte in melius mutandi mortem non timeamus, quia spes nostra immortalitate plena est. Homini quippe infirmo, et de infirmitate perfecte curando, cibum mutari oportuit, ut vitali cibo vetiti et lethiferi cibi malitia curaretur, cibi concessi imperfectio instauraretur. Cibus vetitus non potuit nisi inferre mortem, cibus concessus non potuit nisi differre mortem, nisi Christi benedictione vertatur in cibum, qui potest auferre mortem. Substantialis mutatio panis veri in verum corpus Christi, mutationem mortalis vitæ in immortalem vitam sic quodammodo operatur, et sic significat, ut tamen ex aliqua parte dissimilis sit, et ex aliqua parte similis. Nam, ut ait Apostolus: « Unus panis unum corpus multi sumus, omnes qui

veritatis aperitur. Ne quis putet per significationem a Christo de aliquo dici: « Hic est sanguis meus, » manifeste ab ipso ostenditur, quid dixerit, quid intellexerit, quid a nobis credi voluerit. Nec licet nobis quasi per simplicitatem ignorare quid intellexerit, cum necesse nobis sit, et id credere quod in his verbis intellexit, et id confiteri quod dixit. In hoc enim communis fidei articulo et publicæ confessionis testimonio non sufficit simpliciter credere, verum esse, quod Christus his verbis dixit, quidquid in his intellexerit, non intellecto scilicet quid dixerit; sed intelligentia et fides verborum tanto exactius a nobis requiritur, quanto clarius et expressius, quod credi oportet, a Christo dicitur. Res enim licet occulta, ut in veritate est, ita panditur et inculcatur, ut ignorantia omnino non habeat excusationem, et impietas vix inveniat erroris occasionem. Dixit enim: « Hic est sanguis meus novi testamenti, » et inculcat, « qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum (*Luc.* XXII). » Ac si diceret. Hoc quod vobis do ad bibendum sub specie vini, secundum naturam vinum non est, sed secundum veritatem meus sanguis est, et ille ipse sanguis, qui pro multis effundetur.

Hæc sit ergo fides nostra, hæc sit confessio nostra: illum eumdem sanguinem nobis dari in potum, quem indubitanter, credimus pro nobis fuisse effusum Lucas dicit: « Qui pro vobis effundetur, » tanquam pro solis discipulis dictum sit. Matthæus dicit: « Qui pro multis effundetur (*Matth.* XXVI). » Quæ quamvis videantur diversa, non sunt tamen adversa. Pie enim credi potest, Christum utrumque, dixisse, vel alterum separatim post alterum, vel alterum in altero intelligendum. Quodam enim modo dicitur, quod in dicto intelligitur. Illud movere nos potest, quod Apostolus dicit: « Christus pro omnibus mortuus est (*Rom.* VI): » cum dicat, non pro omnibus, sed pro multis sanguinem suum fusum iri. Sed alter videtur attendere eventum definitæ utilitatis; alter sufficientiam infinitæ virtutis. Nam quantum in ipso sanguine est, tam potens est ad redemptionem, ut omnibus sufficere possit ad salutem; tam incomparabilis ad pretium, ut eo reparari possit totum genus humanum. Pretiosior est enim omni æstimatione redimendorum, et quantolibet numero captivorum. At qui male vivendo sanguinem testamenti pollutum ducunt, quia sacramentum redemptionis vilipendunt, communis gratiæ beneficium non percipiunt. A Christo enim non redimitur, qui a communione generalis gratiæ sponte eximitur, sicut scriptum est: « Qui confidunt in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur. Frater non redimit (*Psal.* XLVIII). » Quæ ergo utilitas in sanguine Christi, his qui descendunt in corruptionem? Bonum erat illis, si nati non fuissent. Bonum erat illis, si sanguis Christi effusus non esset. Erit enim sanguis hic in testimonium illis: « Accessistis, inquit Apostolus, ad *sanguinis* aspersionem, melius loquentem quam

A Abel (*Hebr.* XII). » Pro illis sane, qui accesserint, loquitur hic sanguis ad indulgentiam; verumtamen contra malos ad vindictam. Ergo non omnibus prodest sanguis effusus ad remissionem peccatorum, sed multis. Propterea dictum est: « Pro multis effundetur in remissionem peccatorum (*Matth.* XXVI). » Non te moveat, quod scriptum est: « Pauci sunt electi (*Matth.* XX), » quasi non pro multis fundatur, qui solis prosit electis. Licet enim pauci dicantur electi, comparatione multitudinis peccatorum; multi tamen sunt, et super arenam multiplicandi. Nam sicut scriptum est: « Multi venient ab oriente et occidente, et recumbent cum Abraham, Isaac, et Jacob in regno cœlorum (*Matth.* VIII). » Item: « Effundetur, inquit, in remissionem pecca-

B torum, » Qui sanguinem Christi fuderunt, non hoc agebant, non hoc cogitabant, ut tollerentur peccata mundi. Quantum enim in ipsis fuit, magis operati sunt suam perditionem, quam nostram salutem; magis sibi damnationem, quam nobis remissionem. Attamen salutiferæ dispensationi nescientes servierunt. Salus enim mundi, quæ secuta est, nec eorum virtutis fuit, nec voluntatis, nec intentionis, nec operis; sed Dei virtutis, et voluntatis, et intentionis, et operis. In illa enim effusione sanguinis non solum operata est persequentium iniquitas; sed operata est et Salvatoris charitas. Sed iniquitas effecit opus iniquitatis; charitas perfecit opus charitatis. Non iniquitas, sed charitas

C operata est salutem, iniquitas tamen Christi sanguinem fudit, et sese effudit, ut sciret homo, quantum diligeretur a Deo, qui proprio Filio suo non pepercit (*Rom.* VIII). « Sic enim Deus dilexit mundum, ut unigenitum suum daret (*Joan.* III). » Qui quidem unigenitus oblatus est, non quia Judæus, potuit, sed quia ipse voluit; qui cum dilexisset suos, in finem dilexit eos. Finis est mors pro inimicis suscepta. Hic est finis omnis consummationis; finis consummati amoris. Majorem enim charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*Joan* XV). Hæc Christi charitas in morte Christi violentior fuit, quam Judæorum iniquitas, nec potuit et iniquitas, nisi quantum permisit charitas. Judas Christum, vel Judæus morti tradidit, et

D hoc maligna iniquitate. Tradidit Pater Filium, tradidit et se Filius: et hoc ex charitate. Nec traditionis rea est charitas; sed innocens est, etiam in morte Christi. Soli enim charitati licet, quidquid libet impune. Sola Deum cogere potest, quasi imperiosa charitas. Hæc de cœlo Deum deposuit, hæc in cruce posuit; hæc tam innocenter, quam salubriter, sanguinem Christi fudit in remissionem peccatorum. Ergo tota gratiarum actio pro salute mundi charitati debetur; quæ ita nos urget violentia suæ rationis, ut par sit, nos tantum Christum diligere, quantum Judæus potuit odisse. Humanum forte dico, propter infirmitatem cordis nostri. Indignus est enim amici nomine, qui minus diligit, quam inimicus odit. Indignus est remissione peccatorum, qui sic

apud Matthæum et Marcum non solum eadem sunt, sed pene iisdem verbis enuntiata sunt; nisi quod Marcus solus ponit: « Et biberunt ex eo omnes. »

Ex evangelio Lucæ (*cap.* XXII): « Et ait illis: Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, » usque ad illud: « Qui pro vobis fundetur. »

Desiderio novi sacrificii inchoandi desiderat Dominus vetus pascha terminari; propter quod exaggerans magnitudinem desiderii sui, dicit: « Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. » Volens siquidem consummare, quæ ante passionem consummanda erant, quasi festinat ad passionem, ut nostram acceleret salutem. De veteri ergo sacrificio intelligendum est, quod dicit: « Desiderio desideravi, » etc. Cujus veteris consummationem et mutationem ostendens, dicit: « Dico enim vobis, quod ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei (*Luc.* XXII). » Quasi diceret: Ex hoc tempore illud vetus sacrificium non manducabo, et solemnia Paschalis observantiæ non iterabo; sed quod figuræ deest, per sacramentum veritatis in regno Dei implebo. Deinde subjungit de calice dicens: « Et accepto calice, gratias egit et dixit: Accipite, et dividite inter vos (*ibid.*). » Solus iste evangelista duos commemorat calices, unum pertinentem ad vetus sacrificium; alterum ad novum: commemorato eo qui ad vetus pascha pertinet, de ejus translatione subjungit dicens: « Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat (*ibid.*). » Sicut supra commemoravimus, ubi Matthæus ponit (*cap.* XXVI): « Benedixit ac fregit; » et ubi Marcus ponit (*cap.* XIV): « Benedicens fregit, » ibi Lucas ponit: « Gratias egit et fregit (*Luc.* XXII); » et Paulus cum Luca concordans ponit: « Et gratias agens fregit (*I Cor.* XI). » Quod vero Lucas ponit: « Quod pro vobis datur (*Luc.* XXII), » nec Matthæus nec Marcus dicit: pro quo Paulus dicit: « Quod pro vobis tradetur (*I Cor.* XI). » Similiter quod Lucas dicit: « Hoc facite in meam commemorationem (*Luc.* XXII), » nec Matthæus nec Marcus dicit; nisi pro eodem accipiatur: « Hoc facite in meam commemorationem, » quod Lucas dicit (cap. XIV), et « sumite, » quod Marcus dicit (cap. XIV), « et accipite et comedite, » quod Matthæus dicit (cap. XXVI). Sed quia Paulus utrumque ponit, videlicet: « Accipite et manducate (*I Cor.* XI), » pro quo Matthæus dicit: « Accipite et comedite (cap. XXVI), » et hoc quod Lucas dicit: « Hoc facite in meam commemorationem, » hinc videtur aliquid interesse inter hoc, quod Matthæus dicit: « Accipite et comedite, » et hoc quod Lucas dicit: « Hoc facite in meam commemorationem. » Ad commemorationem itaque Dominicæ mortis faciendam, et in Ecclesia frequentandam, certum est hoc pertinere, quod scriptum est: « Hoc facite in meam commemorationem. » Apostolus enim hoc declarat, qui verba Christi de calice loquentis in hunc modum ponit: « Hic calix novum testamentum in meo sanguine, hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem

A (*ibid.*). » Deinde adjungit: « Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat (*ibid.*). » « Hoc, inquit, facite in meam commemorationem. » His verbis nos Christus instituit ad se offerendum, ad se manducandum, ad se mutandum. Quasi diceret: Offerte vos, quod ego offero, manducate quod ego do; denique facite quod ego facio; sustinete pro me, sicut et ego pro vobis sustineo. Corpus vestrum et sanguinem vestrum pro invicem date, et animas vestras pro invicem ponite; sicut ego corpus vobis, et sanguinem meum do, et pro vobis animam meam pono. Juxta quæ Salomon ait: « Cum sederis ad mensam divitis, diligenter attende, quæ apponuntur tibi; et immitte manum tuam, sciens quod talia

B oportet te præparare (*Prov.* XXIII). » Sequitur Lucas et dicit (cap. XXII): « Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic est calix, » etc. Præmiserat de pane loquens: « Fregit et dedit eis. » Ad hoc respicit, quod hic dicit: « Similiter et calicem; » ac si dicat: Panem dedit, similiter et calicem dedit. Quod autem addidit: « Postquam cœnavit, » ad utrumque videretur referendum, ad datum videlicet panem, et ad datum calicem, nisi cum de pane fieret sermo, præmitteretur apud Matthæum (cap. XXVI): « Cœnantibus illis, » et apud Marcum (cap. XIV): « Manducantibus illis. » Ex verbis itaque Matthæi et Marci videtur, quod inter cœnandum vel manducandum panem dederit. Ex verbis Lucæ apparet, quod postquam cœnavit, calicem dedit. Matthæus ergo et Mar-

C cus significare videntur, Dominum, panem et calicem discipulis dedisse, adhuc eis cœnantibus, quasi adhuc de cœna restaret. Et hoc quidem recte dicitur, et recte intelligitur, si pro cœna una habeatur esus typici agni cum perceptione substituti sacramenti. Lucas vero; qui solus duos calices commemorat, quasi cœnam cum suo calice terminat, ubi Dominus novam cum suo calice cœnam inchoat. Ergo quod dicit, postquam cœnavit, sic intelligi potest, postquam veteris sacrificii solemnia complevit. Hoc itaque dicere videtur, ut Dominicam cœnam a priori cœna distinguat, sicut calicem a calice distinguendum insinuat. Sequitur Lucas, et dicit: « Hic est calix novum testamentum in meo sanguine (*Luc.*

D XXII). » Ut supra diximus, apud Matthæum et Marcum (*cap.* XXVI) dicitur: « Hic est sanguis meus novi testamenti. » Ad distinctionem ergo prioris calicis dictum videtur, quod Lucas (cap. XIV) Dominum dixisse commemorat. Alium enim potum, sive in eodem vase, sive in alio, Dominus ante propinaverat, de quo et dixit: « Accipite et dividite inter vos (*Luc.* XXII). » At non ille calix, sed: « Hic est, inquit, calix, » id est potus, qui nunc est in hoc calice, « novum testamentum. » Sub eodem sensu accipi possunt verba hujus evangelistæ: « Hic est calix novum testamentum in meo sanguine, » et ea quæ Matthæus ponit: « Hic sanguis est novi testamenti. » Quod si alius modus dicendi aliquam insinuat differentiam dicti, quæramus in similibus modum dicendi

voluntas Patris, alio loco dicit. « Hæc est voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam (*Joan.* VI). » Ergo cibus Christi salus est mundi. Hanc enim esurit, hanc et sitit, quia potus ejus est. Propter quod cum sederet super fontem, ait Samaritanæ: « Da mihi bibere (*Joan.* IV); » et ut ostenderet se magis sitire aquam vivam a se peti, ut petenti daret, dicit: « Si scires donum Dei, et quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forsitan petiisses ab eo, et daret tibi aquam vivam (*ibid.*). » Ecce quid sitiebat, rogari et dare aquam, ut fieret in accipiente fons aquæ salientis in vitam æternam. Quis potest habere hanc aquam, nisi ipse dederit? aut quis potest salvari, nisi quem ipse salvaverit? Salutem autem mundi quam ille sitit, hanc et operatur, B partim in his quæ pertinent ad reparationem, partim in his quæ pertinent ad supremam consummationem. Ad præparationem pertinent omnia, quæ operatus est ab exordio mundi in electis suis usque ad tempus adventus sui, in præfiguratione futuræ reparationis. Ad reparationem autem pertinent omnia, quæ Christus in carne aut bona gessit, aut dura pertulit, usque ad horam passionis vel resurrectionis suæ. Ad consummationem vero pertinet tota gloria resurrectionis. De qua ipse dicit: « Sanitates perficio hodie et cras, et tertia die consummor (*Luc.* XIII). » Salus mundi secundum seriem temporum, digesta est et ordinata in apparatu, in actu, in fructu: hoc est in figura, in gratia, in gloria. Primum Deus Pater mandavit salutes Jacob C in repromissione Salvatoris. Deinde dedit salutem regibus, id est omnibus justis in adventu Salvatoris. Ad ultimum consummavit negotium salutis in resurrectione Salvatoris, magnificans salutes regis ejus, et faciens misericordiam Christo suo David, et semini ejus usque in sæculum. Hoc opus nostræ salutis operatus est Christus, incipiens a diebus antiquis. Tota dispensatio rerum et temporum ejus moderamine ad hunc finem dirigebatur; et in omnibus quæ ad hanc causam conducebant delectatus est ipse auctor omnium; et hoc ad gloriam suam sicut scriptum est: « Renovabis faciem terræ; sit gloria Domini in sæculum; lætabitur Dominus in operibus suis (*Psal.* CIII). » Non solum autem delectatus est in iis quæ fecit ante adventum, vel in D adventu suo; sed in mundum veniens flagella iniquitatis nostræ lætus excepit. Lætus, dicam, an tristis? Sed utrumque rectius dixerim. Nam de illo scriptum est: « Exsultavit ut gigas ad currendam viam (*Psal.* XVIII). » Et ipse dixit. « Tristis est anima mea usque ad mortem (*Matth.* XXVI). » Non solum autem dolorem carnis sensit in amaritudine passionum, et asperitate laboriosæ disciplinæ pro nobis susceptæ, sed in anima veram tristitiam habuit, sed libens. Gaudens enim voluit vere tristari, nec sine gaudio erat tristitia, cui gaudium erat de ipsa tristitia. Propter hoc dicit: « Desiderio desideravi manducare hoc pascha (*Luc.* XXII). » Opera-

A tio salutis nostræ suo ordine dispensata voluntas Patris est. Cibus Christi hoc est quod esurit. Hoc est, de quo dicit in cruce; « Sitio (*Joan.* XIX). » Hoc est medicinale poculum, hoc vinum lætitiæ, hoc genimen veræ vitis, id est ipsius Christi, qui dicit: « Ego sum vitis vera (*Joan.* XV). » Intendens ergo in fructum et finem operationis et dispensationis suæ ab initio, dicit: « Non bibam amodo de hoc genimine vitis, etc. » Ac si diceret: Hactenus delectabar salutem mundi operari, sicut hactenus oportuit; et in his delectatus bibi vinum lætitiæ, quia deliciæ meæ esse cum filiis hominum (*Prov.* VIII); » sed nondum vinum novum, sicut est dulcius, sed sicut est habens dulcedinem cum austeritate disciplinæ, quam adhuc sentio. Superest ut amodo, post instantem scilicet passionem, non bibam de hoc genimine vitis usque in diem illum clarificationis meæ, cum illud bibam vobiscum novum, nihil austeritatis habens, totum dulcedine plenum, et hoc in regno Patris mei, id est in corpore meo glorificato, vel in regno cœlorum, et vobiscum. Nam et vos mecum bibetis, cum de torrente voluptatis meæ vos potavero. Per diem illum intelligere possumus gloriam resurrectionis et clarificationis, qui dies finem non habet. De quo dicitur: « Hæc est dies quam fecit Dominus, exsultemus et lætemur in ea (*Psal.* CXVII). » In claritate enim Christi exultabimus et lætabimur, cum corpus humilitatis nostræ configurabitur corpori claritatis suæ. Quamvis ergo Christus primitiæ sit dormientium, et primus resurgens a mortuis hoc novum vinum biberit, discipulis non statim bibituris, tamen verum est, quod dicitur, et sicut dicitur, quod Christus non biberit de hoc genimine usque in diem illum interminabilem gloriosæ claritatis suæ, in qua videndus est ab electis suis, ut exsultent in conspectu ejus, et delectentur in lætitia. Quod ergo dicit: « Non bibam amodo usque in illum diem, cum vobiscum bibam, » ad tractum spatii referendum est, non ad initium diei; ut sic intelligatur, cum vobiscum bibam, quasi diceretur, quo die vobiscum bibam. Si autem quod dicitur, « in illum diem, » referamus ad diem resurrectionis transitorium, habentem mane et vesperam, difficile erit intelligere, quod dicit. « Non bibam usque in illum diem, cum vobiscum bibam, » cum discipuli illo die bibituri non essent, nisi simpliciter cogitetur, « Non bibam usque in illum diem, cum vobiscum bibam, » id est cum vobiscum bibendi consummata fuerit causa. Completa enim resurrectio causa est combibendi vinum lætitiæ, quodam loquendi modo, quo quæ post futura sunt, esse dicuntur, cum causa exstiterit quam sequantur. Hoc modo intelligi potest: « Qui credit in me, habet vitam æternam (*Joan.* VI). » Et illud: « Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cœlorum (*Matth.* V). » Sic multa alia quæ futura sunt, anticipantur, ut esse dicantur, quia præexsistente causa, qua sunt, non restat, nisi ut sint.

nes hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis (*Rom.* VIII). » Si qua est ergo fides nostra, si qua spes, si qua charitas, si qua patientia, si qua humilitas; si quid gratiæ, si quid virtutis, si quid laudis coram Deo in nobis est, totum de hoc calice propinatur. Hinc enim manat omnis gratiarum divisio : huc ergo redeat omnis gratiarum actio.

Ex Evangelio Joannis (cap. VI) *:* « Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus, » etc., usque ad illa verba : « Qui credit in me, non sitiet unquam. »

De cibo qui perit et de cibo qui non perit.

Omnis creatura quæ vitam habet, cibum quoque vitæ suæ congruentem habet. Considerate cuncta animantia, cunctaque germinantia in terra; quomodo vivunt, quomodo nutriuntur, quomodo singula de nutrimento sibi accommodato quasi de cibo sibi contemperato pascuntur. Ignis quoque, quamvis vitam non habeat, unde pascitur, unde nutritur? quod consumit et devorat, pabulum ignis est, juxta quod propheta ait : « Vestimentum mistum sanguine erit in combustionem, et cibum ignis (*Isa.* IX). » Sensus quoque corporei suis delectationibus pascuntur. Species desiderabilis et pulchritudo concupiscibilis desiderium est oculorum, nec satiatur oculus visu, nec auris auditu. Sensus mentis suas habent delicias in oblectationibus suis, præter illas delectationes quas ex sensibus corporeis hauriunt. Memoria, intelligentia et voluntas, unde nutriuntur et pascuntur, unde delectantur et confortantur? Omnis autem rationalis creatura, sive angelus bonus vel malus, sive homo bonus vel malus, cibo suo pascitur, secundum qualitatem vitæ, qua feliciter vel infeliciter, bene vel male vivit. Pascuntur angeli boni laude et amore et visione Dei. Hæc est eorum vitalis refectio, vitam eorum in æternum conservans : quæ semper reficit, et nunquam deficit : a qua accipiunt, ut et ipsi nunquam deficiant. Cibus vero angeli apostatæ iniquitas ejus, qua semper contra Deum superbus est; et malitia qua semper nobis malevolus est, hæc enim ei placent, sicut e diverso humilitas et charitas semper illi displicent, a quibus semper tam jejunus, quam vacuus. Cibus vero ejus, quem diximus, quasi quædam fames est, qua semper esurit perditionem hominum, quos a se captos devoret, et quasi in corpus suum ad consentiendum sibi trajiciat. De peccatis ergo hominum, sive de ipsis peccatoribus pascitur, et avidius, si quos justos invenire valeat, adversus quos prævaleat. Hinc scriptum est : « Cibus ejus electus (*Habac.* I). » Ipse vero a malis glutitur, cum consilium suggestionis ejus in intimi sensus ventre recipitur, sicut scriptum est : « Dedisti eum escam populis Æthiopum (*Psal.* LXXIII). » Et quicunque malis accedunt infracti, vel fraude deducti, tum a diabolo, tum ab ipsis malis degluntiuntur. Hinc Psalmista ait : « Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis : Cum exsurgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos (*Psal.* CXXIII). » Et item : « Non dicant in cordibus suis: Euge, euge animæ nostræ, nec dicant, devorabimus eum (*Psal.* XXXIV). » Illi quoque, qui per invidiam et contentionem se lacerant et carpunt, vicissim se comedunt. Unde Apostolus ad Galatas ait : « Quod si invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini (*Galat.* V). » Talibus escis, iniquitate scilicet et malitia, nutritur et confortatur vita malorum, vita mala. Vita vero bonorum vita bona, quam longe est ab iniquitate, et malitia, tam dissimilibus alimentis sustentatur et roboratur. Cibus enim justorum est, tum justitia, sicut scriptum est : « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam (*Matth.* V); » tum ipse justitiæ auctor Christus, qui dicit : « Ego sum panis vivus (*Joan.* VI). » Hunc panem comedunt omnes justi, ut justi sint et juste vivant; sine quo nulla est vita bona, nulla beata. Illi etiam qui verbo vel exemplo justorum Christo lucrifiunt, et in partem justorum cedunt, cibi sunt eorum, per quos ad Christum accedunt, juxta quod Petro dictum est : « Macta et manduca (*Act.* X). » Cibus autem temporalis, quo corporalis vita sustentatur, vires et sensus corporis, ut valeant et vigeant, confortat et conservat, sed usu consumitur. Spiritualis vero cibus vires animæ et sensus corroborat et conservat, nec usu consumitur; sed quæ bona sunt nutriens et augens, contraria, id est vitia et peccata consumit. Unde justi, quia in eis et ab eis peccata consumuntur, ea quodammodo comedere dicuntur, secundum illud, quod scriptum est, ut in bonam partem accipiatur : « Peccata populi mei comedent (*Osee* IV); » secundum quem modum et illud in bonam partem accipi potest : « Dedisti eum escam populis Æthiopum (*Psal.* LXXIII). » Ad eum vero cibum, quo bona vita nutritur et sustentatur, ut per hanc ad vitam beatam perveniatur, hæc Domini verba pertinent : de quibus quomodo intelligenda sint, consequenter dicendum est.

Operamini, non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus.

Post miraculum de quinque panibus et duobus piscibus, turbæ venerunt Capharnaum, quærentes Dominum : et cum ex insperato invenissent eum trans mare dixerunt ei : « Rabbi, quando huc venisti? Respondit Jesus, et dixit eis : Amen, amen dico vobis : Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis (*Joan.* VI). » Signa quidem viderant, quibus poterant divinitatem ejus cognoscere; sed, quia occasione temporalis refectionis, non devotione fidei, eum sequebantur : hanc ipsam eorum intentionem eis aperiens, ut vel sic Deum cognoscerent, mox ostendit pro quo et quali cibo magis laborandum sit, dicens : « Operamini, non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. » Hoc intelligi potest de justitia, cujus amore pascuntur justi; quam gratis dat filius hominis, gratis justificans

bibens calicem passionis, bibit vinum compunctionis: quia non solum compunctus est in corpore, sed dolore cordis intrinsecus, quia pœnituit eum hominem fecisse. Ergo Pater ostendit ei dura; nec enim pepercit ei, donec resurgens a mortuis, conscisso mortalitatis sacco, immortalitatis stola circumdatus, Patri diceret : « Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia; ut cantet tibi gloria mea, et non compungar (*Psal.* XXIX). » Sed quia oportuit Christum prius pati, et sic resurgere a mortuis, jam appropinquante hora passionis calicem passionis bibiturus, et sic de hoc mundo transiturus ad Patrem, dicit : « Non bibam amodo de hoc genimine vitis, etc. » Quasi diceret : Hactenus de hoc genimine vitis bibi, hoc est de infirmitate assumptæ mortalitatis quæ tristia sunt pertuli. Nunc finis est tristitiæ. Hoc poculum amarum amodo non bibam, sed vinum lætitiæ in regno Patris mei, cum converterit planctum in gaudium mihi; et vos, qui calicem meum bibetis contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium, ut vinum novum vobiscum bibam. Locutio autem sic figuratur, si idem sit novum vinum, et illud quod biberat ante novum; sed modus locutionis est nostræ consuetudini satis accommodatus; sicut dici solet, quæ seminaverit homo hæc et metet.

Alio modo exponitur, ut supra.

« Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? (*I Cor.* III.) Plantavit Dominus vineam. Quænam hæc est? « Vinea, inquit Isaias, Domini Sabaoth domus Israel est (*Isa.* V). » Sicut differt vinea a vinea, sic et vinum a vino. Vinea Domini discernitur a vinea aliena. Hæc est gentilitas a Dei cultu aliena, et idololatriæ dedita. Synagoga autem, quæ ad Domini vineam pertinere habet, tanquam ab eo plantata et exculta, pro parte justorum vinea Domni est, et vinea Sorech, id est vinea electa : pro parte vero malorum et infidelium conversa est in amaritudinem vitis alienæ. Generatio enim perversa est, et infideles filii. Facti sunt enim sicut gentes, quæ Deum ignorant. Hæc vinea fructificavit impietatem pro fide, diffidentiam pro spe, invidiam vel odium pro dilectione. Prædixit et hoc Moyses : « De vinea Sodomorum vinea eorum, et de suburbanis Gomorræ Uva eorum uva fellis, et botri amarissimi. Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile (*Deut.* XXXII). » Uva fellis, fel draconum, venenum aspidum insanabile, tria hæc quid sunt, nisi impietas, et diffidentia, et odium inexorabile, vel quæcunque vitia tam pessimis rebus similia? Qualis est hæc vinea, tale et vinum ejus. Acetum est, de quo dicit : « *Et in siti mea potaverunt me aceto* (*Psal.* LXVIII). » *Vinum myrrhatum est, quod cum gustasset Dominus, noluit bibere.* Gustavit quidem, *per experientiam probans,* quanta esset malitia *eorum; sed noluit bibere,* quia non approbavit; *quia respuit, quod displicuit*. Fidelis autem Synagoga; *quæ per obedientiam* placuit Deo sicut *germen delectabile, et sicut vi*[illegible]nea electa fuit; de qua Isaias : « Vinea meri cantabit ei (*Isa.* XXVII). » Delectatus est Deus in obedientia antiquorum justorum sub legalibus præceptis, et judiciis, et promissis, et sacramentis. Habuit hæc obedientia tempora sua usque ad passionem Christi. Deinde successit nova obedientia, novaque justitia, majori perfectione magis Deo placitura. Propter quod nunc dicit : « Non bibam amodo de hoc genimine vitis, etc. » ac si diceret : Non delectabor amodo obedientia, qualis usque nunc sub lege fuit. Instat dies ille, id est tempus gratiæ, ut umbra evacuetur, et propter nova promissa sub novis præceptis, novisque sacramentis, religio augeatur, et exemplo humilitatis meæ obedientia perficiatur, in qua magis vobiscum delecter in regno Patris mei, hoc est in Ecclesia. Quod dicit : « Donec bibam illud novum, » significat ex aliqua parte eamdem esse obedientiam legis et Evangelii, et ex aliqua parte innovatam, id est mutatam et auctam. Hinc ipse et alio loco dicit : « Non veni legem solvere, sed adimplere (*Matth.* V). » Summa autem legis adimpletio hæc est, obedientia usque ad mortem. Hæc est perfecta charitas, hic finis justitiæ et omnis consummationis. Hæc obedientia clausa fuit in lege in primo et maximo mandato : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex tota mente tua (*Deut.* VI). » Clausa quoque in sacrificiis, et in morte hostiarum latenter insinuata. Nunc autem in exemplo mortis Christi propalata est, et imitatoribus et dilectoribus Christi imposita. Hæc obedientia calix est salutaris, calix passionis Christi. Hoc est vinum novum, de quo dicit : « Donec bibam illud novum in regno Patris mei. » Quid est ergo illud novum vinum bibere, nisi ex amore obedientiæ pati? Quid est vobiscum bibam illud, nisi et vos ex amore obedientiæ compatiemini? Quid est, bibam illud, sed novum; nisi quia novum erat, ut pro genimine vitis biberetur calix passionis? Novum erat, ut pro agno immolaretur homo. Bibam illud vobiscum novum, quia in hujus novitate calicis ego delectabor, et vos delectabimini : et pro hac hilaritate mentis « hilarem enim datorem diligit Deus (*II Cor.* IX). » Obedientia autem usque ad mortem intelligenda est non in sola morte carnis, sed quodammodo in omni perfecta mortificatione et castigatione corporis; maxime autem in omni perfecta renuntiatione propriæ voluntatis. Nam se ipsum mactat, qui propriam voluntatem jugulat, qui ab illicitis deliciis se propter Deum abstrahit, animam suam propter Deum odit, et in hoc mundo odiendo perdit, et perdendo in vitam æternam custodit; qui in hilaritate mentis et dulcedine charitatis propria voluntate postposita per judicium discretionis fratris voluntatem præponit; hic pro fratre animam ponit. In omni genere martyrii est obedientia usque ad mortem, sive nos occidat gladius persecutoris, sive gladius spiritus, quod est verbum Dei. Hæc est perfecta obedientia, qualis in lege non erat; quia lex neminem adduxit ad per-

quam fastidiunt. Est enim satietas sine fastidio, et desiderium sine suspirio. Christus enim in decore suo semper admirabilis, semper est et desiderabilis, in quem desiderant angeli prospicere. Ergo et cum habetur, desideratur; et cum tenetur, quæritur, sicut scriptum est : « Quærite faciem ejus semper (*Psal.* CV). » Semper enim quæritur, qui ad hoc diligitur, ut semper habeatur. Itaque et qui inveniunt, adhuc quærunt; et qui edunt, adhuc esuriunt; et qui bibunt, adhuc sitiunt. Sed hæc inquisitio omnem sollicitudinem tollit, sed hæc esuries omnem esuriem pellit, sed hæc sitis omnem sitim exstinguit. Non est egestatis, sed consummatæ felicitatis. De illa enim quæ egestatis est, dicitur : « Qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet unquam. » De ea vero quæ felicitatis B est, dicitur : « Qui edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitient. » Possunt autem pro eodem accipi esuries et sitis, sive in egestate, sive in felicitate. Quod si distinctio aliqua requiritur, occasionem dat Psalmista requirentibus eam, cum dicit : « Panis cor hominis confirmat, et vinum lætificat cor hominis (*Psal.* CIII). » Christus in se credentibus cibus est et potus, panis et vinum : panis, cum confirmat et solidat, de quo Petrus ait : « Deus omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos, ipse perficiet, confirmabit solidabitque (*I Petr.* V). » Potus vel vinum est, cum lætificat. Ad quem Propheta : « Lætifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi (*Psal.* LXXXV). » Quidquid in C nobis est forte et validum et firmum, lætum aut jucundum, in mandatis Dei faciendis, in malis tolerandis, in exsecutione obedientiæ, in defensione justitiæ; totum hoc robur est et firmamentum hujus panis, aut lætificatio hujus potus. Beati qui fortiter et hilariter agunt. Et quia hoc a se nemo habet, beati qui avide desiderant, quæ justa et honesta sunt, sectari; et in omnibus ab eo confortari, et exhilarari, qui dicit : « Beati qui esuriunt justitiam (*Matth.* V). » Quod si Christus secundum præsentem justorum fortitudinem et lætitiam panis est et potus, quanto magis in futuro hoc erit, secundum quod justis tunc erit? In superioribus Christi verbis adverti potest, cibum D hunc qui permanet in vitam æternam, dici panem de cœlo, panem verum, panem Dei, panem vitæ : et ejus utilitas ostenditur, quod vitam dat mundo, et quod esuriem et sitim in perpetuum excludit. Panis ergo de cœlo dicitur, ut ostendatur, unde sit, et discernatur a terreno pane, qui perit. Panis verus dicitur a manna, quod in figura hujus veritatis præcessit. Panis Dei dicitur, ut discernatur a pane, qui arte hominis pistoris conficitur et paratur : hic enim a Deo paratus et præparatus est, sicut scriptum est : « Parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio ejus (*Psal.* LXIV). » Panis vitæ dicitur, ut discernatur a pane hoc corruptibili, qui nec vitæ est, nec vitam dat, sed vix et ægre ad A tempus vitam servat. Hic autem vita est, et vitam dat, et vitam servat, quæ morti mortisque causæ nihil debeat.

Amen, amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam, etc., usque ad illud : *Qui manducat ex hoc pane, vivet in æternum* (*Joan.* VI).

Christus est panis vitæ, credentibus in eum. In Christum credere hoc est panem vitæ manducare, hoc est Christum in se habere, hoc est etiam vitam æternam habere. Hoc ostendere volens Christus dicit : « Qui credit in me, habet vitam æternam. » Et quid dixerit declarans, addit : « Ego sum panis vitæ (*ibid.*). » Compendio dici potuit : Qui credit in me, habet me, propterea vitam æternam habet. Habet quidem in causa, habet in merito, habet in spe, habet in pignore, habet unde habeat. Denique qui Christum habet in se, vitam æternam habet nondum revelatam in se, sed in Christo absconditam, quem habet in se. Vita enim nostra abscondita est cum Christo in Deo. Hæc ergo optima gratia, quæ nobis in Christo reposita est, jam habetur in Christo, ex eo quod Christus habetur hujus gratiæ repromissor et dator, custosque fidelis, habens eam penes se depositam, et redditurus eam in die revelationis gloriæ filiorum Dei. « Ego sum, inquit, panis vitæ. » Hoc prius dixerat, et hujus repetitio confirmatio est, vel forte munerum ejus distinctio, ut utriusque vitæ, et illius, quæ nunc bona est; et illius, quæ futura est beata, unus ipse dator intelligatur, et auctor : « Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt (*Joan.* VI). » Hoc de morte spirituali intelligendum est. Quare mortui sunt? Quia quod videbant, credebant; et quod non videbant, non intelligebant. Ideo patres vestri, quia similes estis illorum, et infidelium filiorum infideles patres. Quantum pertinet ad mortem istam corporalem, et nos morimur, qui manducamus panem de cœlo descendentem; quantum pertinet ad mortem spiritualem, manducavit manna Moyses, manducavit Aaron, manducaverunt et multi, qui Deo placuerunt, et mortui non sunt. Quare non sunt mortui? Quia spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustaverunt, ut spiritualiter satiarentur. « Hic est, inquit, panis vivus de cœlo descendens, ut si quis ex eo manducaverit, non moriatur (*ibid*). » Hic ipse panis, id est Christus, qui infidelibus loquebatur, significatus est per manna, sed plus potest quam manna. Manna enim ipsum nec fidelibus nec infidelibus præstare potuit, ut spiritualiter non morerentur, sed Christus qui in manna significatus est, quem intellexerunt in manna antiqui justi, et in ipsum venturum crediderunt, omnibus credentibus in eum præstat, ut spiritualiter non moriantur. Propterea dicit : « Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex eo manducaverit, non moriatur. » Hic nunc in terra, nunc in oculis vestris, non cordis, sed carnis, est panis de cœlo descendens. Et

mox se esse hunc panem, aperit, dicens : « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. » Ecce nunc panis vivus dicitur, qui panis vitæ antea dictus est. Vivus autem panis est, quia vitam habet in se manentem et quia potest spiritualem mortem auferre, et vitam conferre. Nam de morte auferenda præmittit, dicens : « Ut si quis ex eo manducaverit, non moriatur. » De vita vero conferenda, subjungit : « Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. »

Et panis quem ego dabo, caro mea est, etc. usque ad illud : *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Verbum Dei aliis dat escam, aliis ipsum est esca. Escam enim dat, sicut scriptum est : « Omnia a te exspectant, Domine, ut des illis escam in tempore (*Psal.* CIII). » Et iterum : « Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das illis escam in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione (*Psal.* CXLIV). » Rationali autem creaturæ, quæ sola justitiæ et beatitudinis particeps esse potest, si per propriam voluntatem ab ea non est aversa, sed per amorem obedientiæ ad illum conversa, ut non sibi, sed illi vivat, sic cibum dat, unde vivat, ut sit illi cibus, cujus participatione bene et beate vivat. Postquam ergo dixerat se esse panem vivum, qui de cœlo descendit, et qui vitam æternam dare potest, in quo significavit se Deum esse, et vitam angelorum et hominum ; consequenter, ut plus mirentur, ostendit, assumptam carnem cibum esse vitalem, et a se dari pro mundi vita, dicens : « Et panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita. » Corpus Christi caro est secundum proprietatem naturæ : et panis dicitur, vel quia sub specie panis offertur, vel quia per panem pro similitudine virtutis suæ nonnunquam significatur : « Litigabant ergo Judæi (*Joan.* VI). » Hoc quando caperet caro, quod dixit panem carnem ? Vocatur caro, quod non capit caro ; et ideo magis non capit caro, quia vocatur caro. Hoc enim exhorruerunt, hoc ad se multum esse dixerunt, hoc non posse fieri putaverunt : unde et litigabant ad invicem, dicentes : « Quomodo potest hic carnem suam dare nobis ad manducandum? (*ibid.*) » Quomodo nunc piam inquisitionem significat credentis ut ibi : « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco ? (*Luc.* I) » Nunc impiam negationem non credentis, ut hic : « Dixit ergo eis Jesus : Amen, amen dico vobis. » Ac si diceret : Etsi ignoretis, etsi credere detrectetis ; tamen verum est, quod nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis. Hoc intelligendum est de spirituali vita qua juste vivitur, et de æterna qua beate vivitur. Neutram vero habebit, qui non manducat.

Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus (*Joan.* VI).

Quod dixerat non habere eum, qui non manducat, illud idem ostendit habere illum, qui manducat, dicens : « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. » Jam nunc habet, sicut prædiximus, vel secundum spiritum, etsi non secundum carnem. Spiritus enim justorum Deo adhærentes, ab ejus dilectione nunquam separabuntur ; et ideo semper vivent. Unde et dicitur : « Non est Deus mortuorum, sed viventium (*Matth.* XXII). » Et iterum scriptum est : « Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace (*Sap.* III). » Ex his verbis poterant illi cogitare, non esse illum moriturum corporali morte, qui hanc carnem manducaret. Huic cogitationi occurrit, dicens : « Et ego resuscitabo eum. » Quasi diceret : Non nego eum corporali morte moriturum, qui carnem meam manducat. Morietur quidem secundum carnem, sed resuscitabo eum, ut nec caro vita æterna fraudetur ; sed hoc erit in novissimo die. Mox ut ostendat, hunc cibum sufficientem esse omnem indigentiam tollere, et vitam, et omnem sufficientiam præstare, adjungit : « Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. » Cum cibo et potu id appetant homines, ut vivant et non esuriant, neque sitiant, hoc veraciter non præstat nisi iste cibus et potus, qui eos, a quibus sumitur, immortales et incorruptibiles facit. Hic ergo vere est cibus, qui vere præstat, quod in cibo appetitur ; unde carni et animæ vitam et omnem sufficientiam præstare potest, ut nullius ultra indigeat. Hinc pro utriusque indigentia tollenda Propheta clamat : « Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea (*Psal.* LXII). »

QUI MANDUCAT MEAM CARNEM. Christus duobus modis manducatur ; quia duobus modis participatur. Una est participatio per fidem : non eam nunc dico, quæ in mortuis, id est peccatoribus mortua est ; sed eam, ex qua justus vivit, de qua superius dictum est : « Qui credit in me, habet vitam æternam (*Joan.* VI). » Hæc autem fides sine charitate non est. Per fidem autem justificamur, et participes amicitiæ Dei efficimur ; per fidem habitat Christus in cordibus nostris, et se nobis cognoscendum indulget, et participandum. Verbum Patri coæternum, unum cum Patre Deum verum cognoscunt angeli per speciem ; per fidem Unigenitum, qui est in sinu Patris, de cœlo ad nos missum, et propter nos incarnatum, panem vivum, qui de cœlo descendit, manducamus. Cognoscentes per fidem carnem pro nobis acceptam, nobis in cibum datam, carnem Christi manducamus. Est ergo fides unitatis, et fides unionis, et fides communionis. Fide unitatis credimus Filium unum esse cum Patre, sicut ipse dicit : « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* X). » Huic fidei adjuncta est fides Trinitatis. Non enim fidem unitatis in Deo, id est unius divinitatis, plene habet, nisi qui credit, singulas trium personarum esse unum Deum, et omnes tres simul non esse nisi unum Deum. Mysterium enim unitatis in Trinitate continet mysterium Trinitatis in unitate. Et sine fide Trinitatis fides unius Dei plena non est ; quia Trinitas unus

Deus est. Fide unionis credimus, quod unigenitus Filius Dei humanam naturam in unitate personæ per mysterium Incarnationis sibi habet unitam. Huic fidei adjuncta est fides unitatis, qua credimus, unam esse personam in duabus naturis. Non enim plenam fidem habet hujus unionis, qui credit duas naturas in una persona non uniri, vel personam in duabus naturis dividi. Fide communionis credimus sacrosanctam Christi carnem vivificatricem et sanctificatricem nobis dispensari, et communicari in remissionem peccatorum; Deo mirabiliter dispensante; qui hoc ipsum a nobis voluit in alimoniam sumi, quod a se voluit pro nobis, et de nobis assumi. Huic fidei adjuncta est fides passionis, quæ in oblatione sacræ communionis repræsentatur, ubi et mors Domini annuntiatur.

Summa autem fidei nostræ hæc est, cognoscere Christum in Patre, Christum in carne, Christum in altaris participatione. Omnia autem fidei mysteria ad hanc summam colliguntur, et quæcunque scripta sunt in lege et psalmis et prophetis, ad hunc finem diriguntur, ut Christus cognoscatur, et agnitus diligatur. Quicunque igitur justificatus per fidem, digne et pie et fideliter sentit de sacramento unitatis, sacramento unionis, et communionis, hic panem angelorum qui in cœlo est, hic panem vivum qui de cœlo descendit, hic carnem Christi manducat, hic ipsum manducando participat, et participando manducat. Hoc dictum sit de uno modo manducandi, quo Christus fidetenus a justis manducatur; pro quo uno tres modi distingui possunt, secundum fidem unitatis, unionis et communionis. Aliud est enim credere de divinitate Christi quod dignum est, aliud de humanitate ejus quod verum est; aut secundum gratiam dispensationis, qua se voluit de nostra carne vestiri; aut secundum gratiam dispensationis, qua nos voluit sua carne cibari. Verumtamen plures modi ad unum modum generalem colliguntur; quia una est fides catholica mysteria continens divinitatis Christi et Incarnationis, et sacræ communionis. De quo modo beatus Augustinus dicit : « Crede et manducasti. » Alius vero modus est, cum Christus non tantum fide et virtute sacræ communionis in corde nostro suscipitur, vel susceptus habetur; sed esu et usu et perceptione ipsius corporis et sanguinis sui intra nos recipitur, ut sit in nobis non solum per præsentiam divinitatis, a qua conditi sumus, sed etiam per præsentiam corporis, quo redempti sumus, sicut ipse repromisit, et dixit : « Ecce ego vobiscum sum, usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII). » Dicit itaque : « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo (*Joan.* VI). »

ET BIBIT MEUM SANGUINEM. Sicut caro Christi duobus modis manducatur, sic et sanguis Christi duobus modis bibitur; haustu scilicet ipsius sanguinis in sacramento ac virtute fidei, ex qua justus vivit, quæ est etiam virtus sacramenti. Quantum ad proprietatem substantiæ pertinet, aliud est caro, aliud est sanguis. Quantum ad sacramentum pertinet, alia est visibilis species, quæ carnem Christi significat, et carnem non sine sanguine continet; alia est visibilis species, quæ sanguinem significat, et sanguinem non sine carne continet. Quantum ad repræsentationem rei gestæ, caro Christi sub specie panis oblata seipsam repræsentat alio modo in cruce oblatam; et sanguis sub specie vini oblatus seipsum repræsentat de corpore Christi in cruce fusum : hoc pariter intelligendum admonens, quod Christus qui sanguinem suum pro nobis fudit, animam suam pro nobis posuit. Nam, sicut in Levitico scriptum est : « Anima omnis carnis in sanguine est (*Levit.* XVII). » Cum itaque caro et sanguis Christi diversa sint, et in diversis speciebus significentur, et diversis modis sese repræsentent, una tamen utriusque virtus esse ostenditur ex eo quod dicit : « Qui manducat carnem meam, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; » et ex eo quod postea additur : « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo. » Quicunque vero fide Incarnationis et passionis Christi vivificatur, ut juste vivat, id est ut non sibi, sed Christo et in Christo vivat, hic carnem Christi ore fidei manducat, et sanguinem Christi bibit. Nec manducatur caro in virtute fidei, nisi et sanguis bibatur; nec bibitur sanguis, nisi caro manducetur, quia una est virtus utriusque, qua utrumque participatur; et una utriusque utilitas, quæ in utroque per fidem obtinetur. Credenti enim vita æterna datur, sicut Christus dicit : « Qui credit in me, habet vitam æternam. » Manducanti et bibenti datur, sicut ipse iterum dicit : « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. » Quod autem fides etiam ad potum pertineat, ostenditur, ex eo quod dicit : « Qui credit in me, non sitiet unquam. » Per fidem ergo manducatur caro Christi, et per fidem bibitur sanguis Christi. Fide enim veneramur remedium salutis nostræ, et in carne et in sanguine Christi, nec dividuntur in fide, quæ non separantur in virtute. Hæc est fides, quæ justificat et vivificat, de qua Apostolus dicit : « Justitia Dei per fidem Jesu Christi, in omnes et super omnes qui credunt (*Rom.* III). »

IN ME MANET, ET EGO IN ILLO. Superius ostendit quantam conferat utilitatem caro Christi, si manducetur, et sanguis ejus, si bibatur; nunc autem ostendit quantam familiaritatis et honoris conferat gratiam. Hoc enim præstat, ut ille sit in Christo, et Christus in illo qui manducat. Magna est hæc et inæstimabilis gratia, mansionem in Christo habere, et mansionem Christo præbere. Sicut credendo manducamus, sic perseveranter diligendo in Christo manemus. Deus enim charitas est; et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. Hinc ipse Christus dicit : « Manete in dilectione mea (*Joan.* XV). » In Christo itaque manet qui in tentatione non recedit, sed in omnibus fortiter agit, vincendi fiducia, et perseverandi constantia. Hinc est fru-

ctus justitiæ qui manet, quem afferunt justi, quia in Christo manent, sicut palmites in vite, qui non possunt fructum facere, nisi manserint in vite. Est autem dilectio, qua a Deo diligimur, et est dilectio, qua Deum diligimus. In utraque manemus, si Christum diligere perseveramus. Custodit enim Dominus diligentes se. Est enim quædam dilectio, qua fratres et proximos nostros in Christo diligimus, sicut membra Christi, et corporis ejus, quod est Ecclesia. Omnia hujus corporis membra uno spiritu vivificantur, videlicet Spiritu sancto, sicut omnia membra hominis vivunt de uno spiritu hominis. Qui autem de spiritu Christi non vivunt, hi de corpore ejus non sunt, nec membra ejus sunt, nec in Christo manent. At qui servant unitatem spiritus in vinculo pacis; qui jus fraternitatis et spiritualis societatis inviolabiliter servant; qui ab ecclesiastica unitate nec per hæreses, nec per schismata, nec per vitæ vel morum vitia se separant, hi in corpore Christi et in Christo manent; quia vere Christum participant, et participando manducant. Propter quod dicit: « Qui manducat meam carnem, in me manet. » Et addit: « Et ego in illo (*Joan.* VI). » Nos confirmavit, ille jugiter in nobis operatur, ut maneamus et confirmemur in illo; « quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in æternum (*Psal.* CXVI). » Hinc ipse dicit: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (*Joan.* XIV). » Qui dicit: « Ego diligentes me diligo (*Prov.* VIII); » in his qui perseverant diligere, mansionem facit Deus, ut maneant, manens ipse in manentibus in se. Sed quid est, quod dicit: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum: » quasi prius Christus a nobis diligatur, quam nos diligamur a Patre, vel quam ad nos veniat, et mansionem faciat Filius una cum Patre, cum Joannes dicat: « In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum; sed quia ipse prior dilexit nos? » (*I Joan.* IV.) Facilis autem occurrit responsio considerantibus quod et dilexit nos, et elegit in Filio, secundum propositum gratiæ suæ, ante mundi constitutionem; et quod nos diligit vocando et justificando, gratiam suam adaugendo, et per profectum justitiæ ad perfectum ducendo, et in dilectione sua confirmando. Sicut enim profectu malitiæ mali obdurantur, et consuetudine peccandi obstinati redduntur, sic boni quodam ordine gratiæ incipientis et proficientis a Deo præveniente, et veniente, et manente, ad perseverantiam confirmantur. Hoc autem ordine ad vitam æternam perveniunt. « Qui » enim « perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* X). » Christus itaque prævenit diligendo, et diligit præveniendo; quem qui diligit, diligetur a Patre dilectionis exhibitione, et abundantioris gratiæ collatione. Potest autem et alio modo intelligi, quod dictum est: « Pater meus diliget eum. » « Si quis, » inquit, « diligit me, ser-

A monem meum servabit (*Joan.* XIV), » id est perseverabit servare. Parum est enim si servat, si non et servabit. Laus enim non fingentis, non sibi blandientis, non tepide aut leviter amantis, sola est perseverantia. Hinc Propheta ait: « Diligam te, Domine, » id est diligere perseverabo. Quod ut faciam, non mihi sine te sufficio, sed tu es « fortitudo mea (*Psal.* XVII). » Pater, « inquit, meus diliget eum, » id est perseverantem obedire perseverabit diligere. Non quod dilectio Dei levis sit et mutabilis, qui electos suos dilexit ante mundi constitutionem: et Christus, cum dilexisset suos, in finem dilexit eos, sed perseveranter diligit, quos in sua dilectione mansuros custodit; et gratiam suam ei subtrahit, qui se gratiæ ipsius indignum facit. Dicens ergo
B Christus: « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo (*Joan.* VI), » patenter insinuat quod qui in ipsum credit, et qui ipsum manducat, nonnisi ipsum manducando confortatur, ut in Christo maneat, donec ad vitam æternam perveniat. Hinc justus orat: « Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis (*Psal.* LXVII). » Hic ergo cibus, cum plena fide et digna veneratione manducatur, justitiam dat et perseverantiam, et vitam æternam, ut justificati per fidem et in charitate radicati, in eo securi maneamus, qui factus est nobis in domum refugii, et in locum munitum, quia in nobis sine fine manet, sicut scriptum est: « Lætentur omnes qui sperant in te; in æternum
C exsultabunt, et habitabis in eis (*Psal.* V). »

Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem. Et qui manducat me, vivet propter me.

Hæc verba secundum beatum Augustinum sic intelliguntur, qui in sermone 26 super Joannem, sic ait: « Missio quippe ejus exinanitio suimet ipsius est, et formæ servilis acceptio. » Quod recte intelligitur, servata etiam filii cum Patre æqualitate naturæ. Major est enim Pater homine filio, sed æqualem habet Deum Filium, cum idem ipse sit et Deus et homo, Dei Filius et hominis filius, unus Jesus Christus. In qua sententia si recte accipiuntur hæc verba, ita dixit: « Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivet
D propter me; » ac si diceret: Ut ego vivam propter Patrem, id est ad illum tanquam majorem referam vitam me, exinanitio mea fecit, in qua me misit. Ut autem quisquam vivat propter me, participatio facit, qua manducat me. Ego itaque humiliatus vivo propter Patrem, ille erectus vivit propter me. Si autem ita dictum est: Vivo propter Patrem, quia ipse de illo, non ille de ipso, sine detrimento æqualitatis dictum est. Nec tamen dicendo: « Et qui manducat me, et ipse vivet propter me, eamdem nostram et suam æqualitatem significavit, sed gratiam mediatoris ostendit. » Hæc Augustinus. Quid ergo in his verbis Christi nobis intimatur, nisi ipsum a Deo Patre missum fuisse, ad hoc in mundum venisse, ut manducantes eum, id est cre-

Deus est. Fide unionis credimus, quod unigenitus Filius Dei humanam naturam in unitate personæ per mysterium Incarnationis sibi habet unitam. Huic fidei adjuncta est fides unitatis, qua credimus, unam esse personam in duabus naturis. Non enim plenam fidem habet hujus unionis, qui credit duas naturas in una persona non uniri, vel personam in duabus naturis dividi. Fide communionis credimus sacrosanctam Christi carnem vivificatricem et sanctificatricem nobis dispensari, et communicari in remissionem peccatorum; Deo mirabiliter dispensante; qui hoc ipsum a nobis voluit in alimoniam sumi, quod a se voluit pro nobis, et de nobis assumi. Huic fidei adjuncta est fides passionis, quæ in oblatione sacræ communionis repræsentatur, ubi et mors Domini annuntiatur.

Summa autem fidei nostræ hæc est, cognoscere Christum in Patre, Christum in carne, Christum in altaris participatione. Omnia autem fidei mysteria ad hanc summam colliguntur, et quæcunque scripta sunt in lege et psalmis et prophetis, ad hunc finem diriguntur, ut Christus cognoscatur, et agnitus diligatur. Quicunque igitur justificatus per fidem, digne et pie et fideliter sentit de sacramento unitatis, sacramento unionis, et communionis, hic panem angelorum qui in cœlo est, hic panem vivum qui de cœlo descendit, hic carnem Christi manducat, hic ipsum manducando participat, et participando manducat. Hoc dictum sit de uno modo manducandi, quo Christus fidetenus a justis manducatur; pro quo uno tres modi distingui possunt, secundum fidem unitatis, unionis et communionis. Aliud est enim credere de divinitate Christi quod dignum est, aliud de humanitate ejus quod verum est; aut secundum gratiam dispensationis, qua se voluit de nostra carne vestiri; aut secundum gratiam dispensationis, qua nos voluit sua carne cibari. Verumtamen plures modi ad unum modum generalem colliguntur; quia una est fides catholica mysteria continens divinitatis Christi et Incarnationis, et sacræ communionis. De quo modo beatus Augustinus dicit: « Crede et manducasti. » Alius vero modus est, cum Christus non tantum fide et virtute sacræ communionis in corde nostro suscipitur, vel susceptus habetur; sed esu et usu et perceptione ipsius corporis et sanguinis sui intra nos recipitur, ut sit in nobis non solum per præsentiam divinitatis, a qua conditi sumus, sed etiam per præsentiam corporis, quo redempti sumus, sicut ipse repromisit, et dixit: « Ecce ego vobiscum sum, usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII). » Dicit itaque: « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo (*Joan.* VI). »

ET BIBIT MEUM SANGUINEM. Sicut caro Christi duobus modis manducatur, sic et sanguis Christi duobus modis bibitur; haustu scilicet ipsius sanguinis in sacramento ac virtute fidei, ex qua justus vivit, quæ est etiam virtus sacramenti. Quantum ad proprietatem substantiæ pertinet, aliud est caro, aliud est sanguis. Quantum ad sacramentum pertinet, alia est visibilis species, quæ carnem Christi significat, et carnem non sine sanguine continet; alia est visibilis species, quæ sanguinem significat, et sanguinem non sine carne continet. Quantum ad repræsentationem rei gestæ, caro Christi sub specie panis oblata seipsam repræsentat alio modo in cruce oblatam; et sanguis sub specie vini oblatus seipsum repræsentat de corpore Christi in cruce fusum: hoc pariter intelligendum admonens, quod Christus qui sanguinem suum pro nobis fudit, animam suam pro nobis posuit. Nam, sicut in Levitico scriptum est: « Anima omnis carnis in sanguine est (*Levit.* XVII). » Cum itaque caro et sanguis Christi diversa sint, et in diversis speciebus significentur, et diversis modis sese repræsentent, una tamen utriusque virtus esse ostenditur ex eo quod dicit: « Qui manducat carnem meam, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; » et ex eo quod postea additur: « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo. » Quicunque vero fide Incarnationis et passionis Christi vivificatur, ut juste vivat, id est ut non sibi, sed Christo et in Christo vivat, hic carnem Christi ore fidei manducat, et sanguinem Christi bibit. Nec manducatur caro in virtute fidei, nisi et sanguis bibatur; nec bibitur sanguis, nisi caro manducetur, quia una est virtus utriusque, qua utrumque participatur; et una utriusque utilitas, quæ in utroque per fidem obtinetur. Credenti enim vita æterna datur, sicut Christus dicit: « Qui credit in me, habet vitam æternam. » Manducanti et bibenti datur, sicut ipse iterum dicit: « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. » Quod autem fides etiam ad potum pertineat, ostenditur, ex eo quod dicit: « Qui credit in me, non sitiet unquam. » Per fidem ergo manducatur caro Christi, et per fidem bibitur sanguis Christi. Fide enim veneramur remedium salutis nostræ, et in carne et in sanguine Christi, nec dividuntur in fide, quæ non separantur in virtute. Hæc est fides, quæ justificat et vivificat, de qua Apostolus dicit: « Justitia Dei per fidem Jesu Christi, in omnes et super omnes qui credunt (*Rom.* III). »

IN ME MANET, ET EGO IN ILLO. Superius ostendit quantam conferat utilitatem caro Christi, si manducetur, et sanguis ejus, si bibatur; nunc autem ostendit quantam familiaritatis et honoris conferat gratiam. Hoc enim præstat, ut ille sit in Christo, et Christus in illo qui manducat. Magna est hæc et inæstimabilis gratia, mansionem in Christo habere, et mansionem Christo præbere. Sicut credendo manducamus, sic perseveranter diligendo in Christo manemus. Deus enim charitas est; et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. Hinc ipse Christus dicit: « Manete in dilectione mea (*Joan.* XV). » In Christo itaque manet qui in tentatione non recedit, sed in omnibus fortiter agit, vincendi fiducia, et perseverandi constantia. Hinc est fru-

ctus justitiæ qui manet, quem afferunt justi, quia in Christo manent, sicut palmites in vite, qui non possunt fructum facere, nisi manserint in vite. Est autem dilectio, qua a Deo diligimur, et est dilectio, qua Deum diligimus. In utraque manemus, si Christum diligere perseveramus. Custodit enim Dominus diligentes se. Est enim quædam dilectio, qua fratres et proximos nostros in Christo diligimus, sicut membra Christi, et corporis ejus, quod est Ecclesia. Omnia hujus corporis membra uno spiritu vivificantur, videlicet Spiritu sancto, sicut omnia membra hominis vivunt de uno spiritu hominis. Qui autem de spiritu Christi non vivunt, hi de corpore ejus non sunt, nec membra ejus sunt, nec in Christo manent. At qui servant unitatem spiritus in vinculo pacis; qui jus fraternitatis et spiritualis societatis inviolabiliter servant; qui ab ecclesiastica unitate nec per hæreses, nec per schismata, nec per vitæ vel morum vitia se separant, hi in corpore Christi et in Christo manent; quia vere Christum participant, et participando manducant. Propter quod dicit: « Qui manducat meam carnem, in me manet. » Et addit: « Et ego in illo (*Joan.* VI).» Nos confirmavit, ille jugiter in nobis operatur, ut maneamus et confirmemur in illo; « quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in æternum (*Psal.* CXVI).» Hinc ipse dicit: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (*Joan.* XIV).» Qui dicit: « Ego diligentes me diligo (*Prov.* VIII); » in his qui perseverant diligere, mansionem facit Deus, ut maneant, manens ipse in manentibus in se. Sed quid est, quod dicit: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum: » quasi prius Christus a nobis diligatur, quam nos diligamur a Patre, vel quam ad nos veniat, et mansionem faciat Filius una cum Patre, cum Joannes dicat: « In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum; sed quia ipse prior dilexit nos? » (*I Joan.* IV.) Facilis autem occurrit responsio considerantibus quod et dilexit nos, et elegit in Filio, secundum propositum gratiæ suæ, ante mundi constitutionem; et quod nos diligit vocando et justificando, gratiam suam adaugendo, et per profectum justitiæ ad perfectum ducendo, et in dilectione sua confirmando. Sicut enim profectu malitiæ mali obdurantur, et consuetudine peccandi obstinati redduntur, sic boni quodam ordine gratiæ incipientis et proficientis a Deo præveniente, et veniente, et manente, ad perseverantiam confirmantur. Hoc autem ordine ad vitam æternam perveniunt. « Qui » enim « perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* X).» Christus itaque prævenit diligendo, et diligit præveniendo; quem qui diligit, diligetur a Patre dilectionis exhibitione, et abundantioris gratiæ collatione. Potest autem et alio modo intelligi, quod dictum est: « Pater meus diliget eum. » « Si quis, » inquit, « diligit me, sermonem meum servabit (*Joan.* XIV), » id est perseverabit servare. Parum est enim si servat, si non et servabit. Laus enim non fingentis, non sibi blandientis, non tepide aut leviter amantis, sola est perseverantia. Hinc Propheta ait: « Diligam te, Domine, » id est diligere perseverabo. Quod ut faciam, non mihi sine te sufficio, sed tu es « fortitudo mea (*Psal.* XVII). » Pater, « inquit, meus diliget eum, » id est perseverantem obedire perseverabit diligere. Non quod dilectio Dei levis sit et mutabilis, qui electos suos dilexit ante mundi constitutionem: et Christus, cum dilexisset suos, in finem dilexit eos, sed perseveranter diligit, quos in sua dilectione mansuros custodit; et gratiam suam ei subtrahit, qui se gratiæ ipsius indignum facit. Dicens ergo Christus: « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo (*Joan.* VI), » patenter insinuat quod qui in ipsum credit, et qui ipsum manducat, nonnisi ipsum manducando confortatur, ut in Christo maneat, donec ad vitam æternam perveniat. Hinc justus orat: « Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis (*Psal.* LXVII).» Hic ergo cibus, cum plena fide et digna veneratione manducatur, justitiam dat et perseverantiam, et vitam æternam, ut justificati per fidem et in charitate radicati, in eo securi maneamus, qui factus est nobis in domum refugii, et in locum munitum, quia in nobis sine fine manet, sicut scriptum est: « Lætentur omnes qui sperant in te; in æternum exsultabunt, et habitabis in eis (*Psal.* V).»

Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem. Et qui manducat me, vivet propter me.

Hæc verba secundum beatum Augustinum sic intelliguntur, qui in sermone 26 super Joannem, sic ait: « Missio quippe ejus exinanitio suimet ipsius est, et formæ servilis acceptio. » Quod recte intelligitur, servata etiam filii cum Patre æqualitate naturæ. Major est enim Pater homine filio, sed æqualem habet Deum Filium, cum idem ipse sit et Deus et homo, Dei Filius et hominis filius, unus Jesus Christus. In qua sententia si recte accipiuntur hæc verba, ita dixit: « Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivet propter me; » ac si diceret: Ut ego vivam propter Patrem, id est ad illum tanquam majorem referam vitam me, exinanitio mea fecit, in qua me misit. Ut autem quisquam vivat propter me, participatio facit, qua manducat me. Ego itaque humiliatus vivo propter Patrem, ille erectus vivit propter me. Si autem ita dictum est: Vivo propter Patrem, quia ipse de illo, non ille de ipso, sine detrimento æqualitatis dictum est. Nec tamen dicendo: « Et qui manducat me, et ipse vivet propter me, eamdem nostram et suam æqualitatem significavit, sed gratiam mediatoris ostendit. » Hæc Augustinus. Quid ergo in his verbis Christi nobis intimatur, nisi ipsum a Deo Patre missum fuisse, ad hoc in mundum venisse, ut manducantes eum, id est cre-

multa probabiliter elaborata, sed a veritate tam extranea, quam a pietate fidei aliena. Quidquid ab eis vere fideliterque comprehensum est, et definitum, hoc non illorum est, sed ejus, qui veritas est, et qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (*Joan.* I), per quem eis ex aliqua parte veritatis lumen illuxit. Veritas enim apud quemcunque inveniatur, Dei est, et non hominis, quia « omnis homo mendax, Deus autem verax (*Rom.* III). » Quidquid ergo contra fidei veritatem, et pietatis formam diffinitum habebant et affirmabant, hoc illorum erat, hoc a se dicebant, et de propriis locuti sunt; et ignari cœlestium sacramentorum, ignorantes sapientiam Dei in mysterio absconditam, « evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt (*Rom.* I) » : miroque Dei judicio, qui inter homines supra homines æstimati sunt, quasi soli sapientes, vel præ cæteris sapientes; nunc præ cæteris apparent insipientes nobis, per gratiam Dei, qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum. Verus siquidem est sermo, qui scriptus est : « Infatuatus est omnis homo ab sapientia. » Fides itaque nostra verbis ipsius Dei, immobiliter fundata, incerto humanarum opinionum non jactatur, sicut nutabunda et fluctuans; sed veritate subnixa, et super firmam petram divinæ auctoritatis solidata, inconcussa constat et inconvulsa; et si quid diffinitionibus philosophorum contrarium continet, cedere debet opinio veritati, ut veritas fidei in omnibus triumphet, destruens omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigens, omnem intellectum in obsequium Christi. Quidquid in mysteriis fidei sua profunditate modum humanæ intelligentiæ excedit, et fines humanæ rationis transcendit, Deo committendum est, eique reservandum, qui tempore opportuno mysteria nunc operta revelabit his, qui verbis ipsius debitam reverentiam exhibentes, firmiter et fideliter credunt; non hæsitantes de fide verborum, quamvis ratio modi interim non eluceat. Vult enim Deus arcana sua nobis, et a nobis credi, sed modum ad tempus ignorari, ut habeat fides meritum, et quod nunc occultum est, reservetur ad præmium. Habet itaque simplicitas fidei piam conscientiam in iis, quæ Deus credenda mandavit; piam vero ignorantiam in iis, quæ non quærenda abscondit. Utraque autem, pietas conscientiæ scilicet, et ignorantia, apud Deum gloriam habet et laudem, dum mens humana coram Deo humiliatur, ut credat quæ dixit, et a superba et curiosa inquisitione compescitur, ne quærat quæ non dixit. Utrobique ergo fides proficit ad meritum, et in utraque simplicitate confidenter suspirat ad præmium; « qui enim ambulat simpliciter, ambulat confidenter (*Prov.* X). » Simpliciter ergo et confidenter, firmiter et constanter, teneamus, credamus, et confiteamur, quod substantia panis in substantiam carnis Christi mutatur, manente tamen specie panis, mirabiliter, et ineffabiliter, et incomprehensibiliter. Indubitanter credimus, quod ita est : quomodo autem hoc sit, adhuc simpliciter ignoramus. Nondum de modo scimus; sciemus autem postea, cum virtus hujus mysterii in nobis fuerit consummata. Consummationem indicat ipsa conversio panis in corpus Christi. Mystica enim est; significans gratiam ipsam, quam operatur in nobis.

De mystica significatione mutationis panis.

Attendamus itaque, quid sit panis ante conversionem. Quid sit autem, quotidiana docet experientia. Sustentatio enim vitæ est, sed transitoriæ : nec manet ipse, nec vita quam sustentat. Ille usu suo deficit, et vita deficiendo præterit. Non valet vitam æternam præstare, vix valet vitam temporalem ad modicum tempus sustentare. Propterea opus est quotidiana refectione; diurna vita divinæ refectioni debetur. Qui quotidie indigemus, vix et ægre usque ad diem tertium sustinemus. Corpus nostrum infirmum et fragile multisque corruptionibus et infirmitatibus obnoxium dum reficitur, deficit; et quotidie dum instauratur, fatiscit; vitaque mortalis dum et cibo sustentatur, præterlabitur, et dum nutritur, minuitur, et in mortem semper præceps ruit, dum quotidiana refectione a morte differtur; et ut usu evenit, cibus causa sanitatis quæsitus, causas morbi generat; et ubi vita quæritur, ibi mors invenitur. Panis ergo iste destruitur et perit, nec permanet in vitam æternam. Corpus nihilominus destruitur et perit. Esca enim ventri et venter escis; Deus autem hunc et has destruet. Cum absorpta fuerit mors in victoria, cum mortale hoc induerit immortalitatem, tunc vitam æternam corpori præstabit, non cibus iste qui perit sed cibus qui permanet in vitam æternam. Attende virtutem sacramenti. Decrevit Deus mortale hoc immortalitate vestire et mortalem vitam in vitam æternam transferre. Propterea cibum in cibum mutavit, panem vitæ in panem vitæ, sed panem vitæ transitoriæ in panem vitæ æternæ, ut et mutatione cibi in cibum credatur et intelligatur, speretur, et exspectetur mutatio mortalis vitæ in immortalem vitam, ut dum mutabilitate temporum ad mortem trahimur, ipsa morte in melius mutandi mortem non timeamus, quia spes nostra immortalitate plena est. Homini quippe infirmo, et de infirmitate perfecte curando, cibum mutari oportuit, ut vitali cibo vetiti et lethiferi cibi malitia curaretur, cibi concessi imperfectio instauraretur. Cibus vetitus non potuit nisi inferre mortem, cibus concessus non potuit nisi differre mortem, nisi Christi benedictione vertatur in cibum, qui potest auferre mortem. Substantialis mutatio panis veri in verum corpus Christi, mutationem mortalis vitæ in immortalem vitam sic quodammodo operatur, et sic significat, ut tamen ex aliqua parte dissimilis sit, et ex aliqua parte similis. Nam, ut ait Apostolus : « Unus panis unum corpus multi sumus, omnes qui

quam fastidiunt. Est enim satietas sine fastidio, et desiderium sine suspirio. Christus enim in decore suo semper admirabilis, semper est et desiderabilis, in quem desiderant angeli prospicere. Ergo et cum habetur, desideratur; et cum tenetur, quæritur, sicut scriptum est : « Quærite faciem ejus semper (*Psal.* CV). » Semper enim quæritur, qui ad hoc diligitur, ut semper habeatur. Itaque et qui inveniunt, adhuc quærunt; et qui edunt, adhuc esuriunt; et qui bibunt, adhuc sitiunt. Sed hæc inquisitio omnem sollicitudinem tollit, sed hæc esuries omnem esuriem pellit, sed hæc sitis omnem sitim exstinguit. Non est egestatis, sed consummatæ felicitatis. De illa enim quæ egestatis est, dicitur : « Qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet unquam. » De ea vero quæ felicitatis est, dicitur : « Qui edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitient. » Possunt autem pro eodem accipi esuries et sitis, sive in egestate, sive in felicitate. Quod si distinctio aliqua requiritur, occasionem dat Psalmista requirentibus eam, cum dicit : « Panis cor hominis confirmat, et vinum lætificat cor hominis (*Psal.* CIII). » Christus in se credentibus cibus est et potus, panis et vinum : panis, cum confirmat et solidat, de quo Petrus ait : « Deus omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos, ipse perficiet, confirmabit solidabitque (*I Petr.* V). » Potus vel vinum est, cum lætificat. Ad quem Propheta : « Lætifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi (*Psal.* LXXXV). » Quidquid in nobis est forte et validum et firmum, lætum aut jucundum, in mandatis Dei faciendis, in malis tolerandis, in exsecutione obedientiæ, in defensione justitiæ; totum hoc robur est et firmamentum hujus panis, aut lætificatio hujus potus. Beati qui fortiter et hilariter agunt. Et quia hoc a se nemo habet, beati qui avide desiderant, quæ justa et honesta sunt, sectari; et in omnibus ab eo confortari, et exhilarari, qui dicit : « Beati qui esuriunt justitiam (*Matth.* V). » Quod si Christus secundum præsentem justorum fortitudinem et lætitiam panis est et potus, quanto magis in futuro hoc erit, secundum quod justis tunc erit? In superioribus Christi verbis adverti potest, cibum hunc qui permanet in vitam æternam, dici panem de cœlo, panem verum, panem Dei, panem vitæ : et ejus utilitas ostenditur, quod vitam dat mundo, et quod esuriem et sitim in perpetuum excludit. Panis ergo de cœlo dicitur, ut ostendatur, unde sit, et discernatur a terreno pane, qui perit. Panis verus dicitur a manna, quod in figura hujus veritatis præcessit. Panis Dei dicitur, ut discernatur a pane, qui arte hominis pistoris conficitur et paratur : hic enim a Deo paratus et præparatus est, sicut scriptum est : « Parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio ejus (*Psal.* LXIV). » Panis vitæ dicitur, ut discernatur a pane hoc corruptibili, qui nec vitæ est, nec vitam dat, sed vix et ægre ad

A tempus vitam servat. Hic autem vita est, et vitam dat, et vitam servat, quæ morti mortisque causæ nihil debeat.

Amen, amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam, etc., usque ad illud : *Qui manducat ex hoc pane, vivet in æternum* (*Joan.* VI).

Christus est panis vitæ, credentibus in eum. In Christum credere hoc est panem vitæ manducare, hoc est Christum in se habere, hoc est etiam vitam æternam habere. Hoc ostendere volens Christus dicit : « Qui credit in me, habet vitam æternam. » Et quid dixerit declarans, addit : « Ego sum panis vitæ (*ibid.*). » Compendio dici potuit : Qui credit in me, habet me, propterea vitam æternam habet. Habet quidem in causa, habet in
B merito, habet in spe, habet in pignore, habet unde habeat. Denique qui Christum habet in se, vitam æternam habet nondum revelatam in se, sed in Christo absconditam, quem habet in se. Vita enim nostra abscondita est cum Christo in Deo. Hæc ergo optima gratia, quæ nobis in Christo reposita est, jam habetur in Christo, ex eo quod Christus habetur hujus gratiæ repromissor et dator, custosque fidelis, habens eam penes se depositam, et redditurus eam in die revelationis gloriæ filiorum Dei. « Ego sum, inquit, panis vitæ. » Hoc prius dixerat, et hujus repetitio confirmatio est, vel forte munerum ejus distinctio, ut utriusque vitæ, et illius, quæ nunc bona est; et illius, quæ futura est beata, unus ipse dator intelligatur, et
C auctor : « Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt (*Joan.* VI). » Hoc de morte spirituali intelligendum est. Quare mortui sunt? Quia quod videbant, credebant; et quod non videbant, non intelligebant. Ideo patres vestri, quia similes estis illorum, et infidelium filiorum infideles patres. Quantum pertinet ad mortem istam corporalem, et nos morimur, qui manducamus panem de cœlo descendentem; quantum pertinet ad mortem spiritualem, manducavit manna Moyses, manducavit Aaron, manducaverunt et multi, qui Deo placuerunt, et mortui non sunt. Quare non sunt mortui? Quia spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustaverunt, ut spiritualiter satiarentur. « Hic est, inquit,
D panis vivus de cœlo descendens, ut si quis ex eo manducaverit, non moriatur (*ibid*). » Hic ipse panis, id est Christus, qui infidelibus loquebatur, significatus est per manna, sed plus potest quam manna. Manna enim ipsum nec fidelibus nec infidelibus præstare potuit, ut spiritualiter non morerentur, sed Christus qui in manna significatus est, quem intellexerunt in manna antiqui justi, et in ipsum venturum crediderunt, omnibus credentibus in eum præstat, ut spiritualiter non moriantur. Propterea dicit : « Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex eo manducaverit, non moriatur. » Hic nunc in terra, nunc in oculis vestris, non cordis, sed carnis, est panis de cœlo descendens. Et

apud Matthæum et Marcum non solum eadem sunt, sed pene iisdem verbis enuntiata sunt; nisi quod Marcus solus ponit: « Et biberunt ex eo omnes. »

Ex evangelio Lucæ (*cap.* XXII): « Et ait illis: Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, » usque ad illud: « Qui pro vobis funditur. »

Desiderio novi sacrificii inchoandi desiderat Dominus vetus pascha terminari: propter quod exaggerans magnitudinem desiderii sui, dicit: « Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. » Volens siquidem consummare, quæ ante passionem consummanda erant, quasi festinat ad passionem, ut nostram acceleret salutem. De veteri ergo sacrificio intelligendum est, quod dicit: « Desiderio desideravi, » etc. Cujus veteris consummationem et mutationem ostendens, dicit: « Dico enim vobis, quod ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei (*Luc.* XXII). » Quasi diceret: Ex hoc tempore illud vetus sacrificium non manducabo, et solemnia Paschalis observantiæ non iterabo; sed quod figuræ deest, per sacramentum veritatis in regno Dei implebo. Deinde subjungit de calice dicens: « Et accepto calice, gratias egit et dixit: Accipite, et dividite inter vos (*ibid.*). » Solus iste evangelista duos commemorat calices, unum pertinentem ad vetus sacrificium; alterum ad novum: commemorato eo qui ad vetus pascha pertinet, de ejus translatione subjungit dicens: « Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat (*ibid.*). » Sicut supra commemoravimus, ubi Matthæus ponit (*cap.* XXVI): « Benedixit ac fregit; » et ubi Marcus ponit (*cap.* XIV): « Benedicens fregit, » ibi Lucas ponit: « Gratias egit et fregit (*Luc.* XXII); » et Paulus cum Luca concordans ponit: « Et gratias agens fregit (*I Cor.* XI). » Quod vero Lucas ponit: « Quod pro vobis datur (*Luc.* XXII), » nec Matthæus nec Marcus dicit: pro quo Paulus dicit: « Quod pro vobis tradetur (*I Cor.* XI). » Similiter quod Lucas dicit: « Hoc facite in meam commemorationem (*Luc.* XXII), » nec Matthæus nec Marcus dicit; nisi pro eodem accipiatur: « Hoc facite in meam commemorationem, » quod Lucas dicit (cap. XIV), et « sumite, » quod Marcus dicit (cap. XIV), « et accipite et comedite, » quod Matthæus dicit (cap. XXVI). Sed quia Paulus utrumque ponit, videlicet: « Accipite et manducate (*I Cor.* XI), » pro quo Matthæus dicit: « Accipite et comedite (cap. XXVI), » et hoc quod Lucas dicit: « Hoc facite in meam commemorationem, » hinc videtur aliquid interesse inter hoc, quod Matthæus dicit: « Accipite et comedite, » et hoc quod Lucas dicit: « Hoc facite in meam commemorationem. » Ad commemorationem itaque Dominicæ mortis faciendam, et in Ecclesia frequentandam, certum est hoc pertinere, quod scriptum est: « Hoc facite in meam commemorationem. » Apostolus enim hoc declarat, qui verba Christi de calice loquentis in hunc modum ponit: « Hic calix novum testamentum in meo sanguine, hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem

A (*ibid.*). » Deinde adjungit: « Quotiescunqu manducabitis panem hunc, et calicem bibeti tem Domini annuntiabitis donec veniat (« Hoc, inquit, facite in meam commemoratic His verbis nos Christus instituit ad se offer ad se manducandum, ad se mutandum. Qua ret: Offerte vos, quod ego offero, manducai ego do; denique facite quod ego facio; sustin me, sicut et ego pro vobis sustineo. Corpus v et sanguinem vestrum pro invicem date, et vestras pro invicem ponite; sicut ego corpu et sanguinem meum do, et pro vobis animam pono. Juxta quæ Salomon ait: « Cum sede mensam divitis, diligenter attende, quæ appo tibi; et immitte manum tuam, sciens quo

B oportet te præparare (*Prov.* XXIII). » Sequitur et dicit (cap. XXII): « Similiter et calicem, po cœnavit, dicens: Hic est calix, » etc. Præmis pane loquens: « Fregit et dedit eis. » Ad hoc r quod hic dicit: « Similiter et calicem; » ac si Panem dedit, similiter et calicem dedit. Quod addidit: « Postquam cœnavit, » ad utrumque retur referendum, ad datum videlicet panem, datum calicem, nisi cum de pane fieret sermo mitteretur apud Matthæum (cap. XXVI): « Cœ bus illis, » et apud Marcum (cap. XIV): « Man tibus illis. » Ex verbis itaque Matthæi et Ma detur, quod inter cœnandum vel manduc panem dederit. Ex verbis Lucæ apparet, quo quam cœnavit, calicem dedit. Matthæus ergo e

C cus significare videntur, Dominum, panem c cem discipulis dedisse, adhuc eis cœnantibus, adhuc de cœna restaret. Et hoc quidem rect tur, et recte intelligitur, si pro cœna una hal esus typici agni cum perceptione substituti menti. Lucas vero, qui solus duos calices comm rat, quasi cœnam cum suo calice termina Dominus novam cum suo calice cœnam inchoat. quod dicit, postquam cœnavit, sic intelligi p postquam veteris sacrificii solemnia complevit itaque dicere videtur, ut Dominicam cœnam a cœna distinguat, sicut calicem a calice distin dum insinuat. Sequitur Lucas, et dicit: « H calix novum testamentum in meo sanguine

D XXII). » Ut supra diximus, apud Matthæum et Ma (*cap.* XXVI) dicitur: « Hic est sanguis meus testamenti. » Ad distinctionem ergo prioris c dictum videtur, quod Lucas (cap. XIV) Dom dixisse commemorat. Alium enim potum, si eodem vase, sive in alio, Dominus ante propinav de quo et dixit: « Accipite et dividite inter vos XXII). » At non ille calix, sed: « Hic est, in calix, » id est potus, qui nunc est in hoc c « novum testamentum. » Sub eodem sensu a possunt verba hujus evangelistæ: « Hic est novum testamentum in meo sanguine, » et ca Matthæus ponit: « Hic sanguis est novi testame Quod si alius modus dicendi aliquam insinuat rentiam dicti, quæramus in similibus modum dic

Deus est. Fide unionis credimus, quod unigenitus Filius Dei humanam naturam in unitate personæ per mysterium Incarnationis sibi habet unitam. Huic fidei adjuncta est fides unitatis, qua credimus, unam esse personam in duabus naturis. Non enim plenam fidem habet hujus unionis, qui credit duas naturas in una persona non uniri, vel personam in duabus naturis dividi. Fide communionis credimus sacrosanctam Christi carnem vivificatricem et sanctificatricem nobis dispensari, et communicari in remissionem peccatorum; Deo mirabiliter dispensante; qui hoc ipsum a nobis voluit in alimoniam sumi, quod a se voluit pro nobis, et de nobis assumi. Huic fidei adjuncta est fides passionis, quæ in oblatione sacræ communionis repræsentatur, ubi et mors Domini annuntiatur.

Summa autem fidei nostræ hæc est, cognoscere Christum in Patre, Christum in carne, Christum in altaris participatione. Omnia autem fidei mysteria ad hanc summam colliguntur, et quæcunque scripta sunt in lege et psalmis et prophetis, ad hunc finem diriguntur, ut Christus cognoscatur, et agnitus diligatur. Quicunque igitur justificatus per fidem, digne et pie et fideliter sentit de sacramento unitatis, sacramento unionis, et communionis, hic panem angelorum qui in cœlo est, hic panem vivum qui de cœlo descendit, hic carnem Christi manducat, hic ipsum manducando participat, et participando manducat. Hoc dictum sit de uno modo manducandi, quo Christus fidetenus a justis manducatur; pro quo uno tres modi distingui possunt, secundum fidem unitatis, unionis et communionis. Aliud est enim credere de divinitate Christi quod dignum est, aliud de humanitate ejus quod verum est; aut secundum gratiam dispensationis, qua se voluit de nostra carne vestiri; aut secundum gratiam dispensationis, qua nos voluit sua carne cibari. Verumtamen plures modi ad unum modum generalem colliguntur; quia una est fides catholica mysteria continens divinitatis Christi et Incarnationis, et sacræ communionis. De quo modo beatus Augustinus dicit: « Crede et manducasti. » Alius vero modus est, cum Christus non tantum fide et virtute sacræ communionis in corde nostro suscipitur, vel susceptus habetur; sed esu et usu et perceptione ipsius corporis et sanguinis sui intra nos recipitur, ut sit in nobis non solum per præsentiam divinitatis, a qua conditi sumus, sed etiam per præsentiam corporis, quo redempti sumus, sicut ipse repromisit, et dixit: « Ecce ego vobiscum sum, usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII). » Dicit itaque: « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo (*Joan.* VI). »

T BIBIT MEUM SANGUINEM. Sicut caro Christi duobus modis manducatur, sic et sanguis Christi duobus modis bibitur; haustu scilicet ipsius sanguinis in sacramento ac virtute fidei, ex qua justus vivit, quæ est etiam virtus sacramenti. Quantum ad *proprietatem substantiæ* pertinet, aliud est caro, A aliud est sanguis. Quantum ad sacramentum pertinet, alia est visibilis species, quæ carnem Christi significat, et carnem non sine sanguine continet; alia est visibilis species, quæ sanguinem significat, et sanguinem non sine carne continet. Quantum ad repræsentationem rei gestæ, caro Christi sub specie panis oblata seipsam repræsentat alio modo in cruce oblatam; et sanguis sub specie vini oblatus seipsum repræsentat de corpore Christi in cruce fusum: hoc pariter intelligendum admonens, quod Christus qui sanguinem suum pro nobis fudit, animam suam pro nobis posuit. Nam, sicut in Levitico scriptum est: « Anima omnis carnis in sanguine est (*Levit.* XVII). » Cum itaque caro et sanguis Christi diversa sint, et in diversis speciebus significentur, et diversis modis sese repræsentent, B una tamen utriusque virtus esse ostenditur ex eo quod dicit: « Qui manducat carnem meam, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; » et ex eo quod postea additur: « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo. » Quicunque vero fide Incarnationis et passionis Christi vivificatur, ut juste vivat, id est ut non sibi, sed Christo et in Christo vivat, hic carnem Christi ore fidei manducat, et sanguinem Christi bibit. Nec manducatur caro in virtute fidei, nisi et sanguis bibatur; nec bibitur sanguis, nisi caro manducetur, quia una est virtus utriusque, qua utrumque participatur; et una utriusque utilitas, quæ in utroque per fidem obtinetur. Credenti enim vita æterna datur, sicut C Christus dicit: « Qui credit in me, habet vitam æternam. » Manducanti et bibenti datur, sicut ipse iterum dicit: « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. » Quod autem fides etiam ad potum pertineat, ostenditur, ex eo quod dicit: « Qui credit in me, non sitiet unquam. » Per fidem ergo manducatur caro Christi, et per fidem bibitur sanguis Christi. Fide enim veneramur remedium salutis nostræ, et in carne et in sanguine Christi, nec dividuntur in fide, quæ non separantur in virtute. Hæc est fides, quæ justificat et vivificat, de qua Apostolus dicit: « Justitia Dei per fidem Jesu Christi, in omnes et super omnes qui credunt (*Rom.* III). »

D IN ME MANET, ET EGO IN ILLO. Superius ostendit quantam conferat utilitatem caro Christi, si manducetur, et sanguis ejus, si bibatur; nunc autem ostendit quantam familiaritatis et honoris conferat gratiam. Hoc enim præstat, ut ille sit in Christo, et Christus in illo qui manducat. Magna est hæc et inæstimabilis gratia, mansionem in Christo habere, et mansionem Christo præbere. Sicut credendo manducamus, sic perseveranter diligendo in Christo manemus. Deus enim charitas est; et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. Hinc ipse Christus dicit: « Manete in dilectione mea (*Joan.* XV). » In Christo itaque manet qui in tentatione non recedit, sed in omnibus fortiter agit, vincendi fiducia, et perseverandi constantia. Hinc est fru-

nes hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis (*Rom.* VIII). » Si qua est ergo fides nostra, si qua spes, si qua charitas, si qua patientia, si qua humilitas; si quid gratiæ, si quid virtutis, si quid laudis coram Deo in nobis est, totum de hoc calice propinatur. Hinc enim manat omnis gratiarum divisio : huc ergo redeat omnis gratiarum actio.

Ex Evangelio Joannis (cap. VI) *:* « Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus, » etc., usque ad illa verba : « Qui credit in me, non sitiet unquam. »

De cibo qui perit et de cibo qui non perit.

Omnis creatura quæ vitam habet, cibum quoque vitæ suæ congruentem habet. Considerate cuncta animantia, cunctaque germinantia in terra; quomodo vivunt, quomodo nutriuntur, quomodo singula de nutrimento sibi accommodato quasi de cibo sibi contemperato pascuntur. Ignis quoque, quamvis vitam non habeat, unde pascitur, unde nutritur? quod consumit et devorat, pabulum ignis est, juxta quod propheta ait : « Vestimentum mistum sanguine erit in combustionem, et cibum ignis (*Isa.* IX). » Sensus quoque corporei suis delectationibus pascuntur. Species desiderabilis et pulchritudo concupiscibilis desiderium est oculorum, nec satiatur oculus visu, nec auris auditu. Sensus mentis suas habent delicias in oblectationibus suis, præter illas delectationes quas ex sensibus corporeis hauriunt. Memoria, intelligentia et voluntas, unde nutriuntur et pascuntur, unde delectantur et confortantur? Omnis autem rationalis creatura, sive angelus bonus vel malus, sive homo bonus vel malus, cibo suo pascitur, secundum qualitatem vitæ, qua feliciter vel infeliciter, bene vel male vivit. Pascuntur angeli boni laude et amore et visione Dei. Hæc est eorum vitalis refectio, vitam eorum in æternum conservans : quæ semper reficit, et nunquam deficit : a qua accipiunt, ut et ipsi nunquam deficiant. Cibus vero angeli apostatæ iniquitas ejus, qua semper contra Deum superbus est; et malitia qua semper nobis malevolus est, hæc enim ei placent, sicut e diverso humilitas et charitas semper illi displicent, a quibus semper tam jejunus, quam vacuus. Cibus vero ejus, quem diximus, quasi quædam fames est, qua semper esurit perditionem hominum, quos a se captos devoret, et quasi in corpus suum ad consentiendum sibi trajiciat. De peccatis ergo hominum, sive de ipsis peccatoribus pascitur, et avidius, si quos justos invenire valeat, adversus quos prævaleat. Hinc scriptum est : « Cibus ejus electus (*Habac.* I). » Ipse vero a malis glutitur, cum consilium suggestionis ejus in intimi sensus ventre recipitur, sicut scriptum est : « Dedisti eum escam populis Æthiopum (*Psal.* LXXIII). » Et quicunque malis accedunt infracti, vel fraude deducti, tum a diabolo, tum ab ipsis malis deglutiuntur. Hinc Psalmista ait : « Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis : Cum exsurgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos (*Psal.* CXXIII). » Et item : « Non dicant in cordibus suis : Euge, euge animæ nostræ, nec dicant, devorabimus eum (*Psal.* XXXIV). » Illi quoque, qui per invidiam et contentionem se lacerant et carpunt, vicissim se comedunt. Unde Apostolus ad Galatas ait : « Quod si invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini (*Galat.* V). » Talibus escis, iniquitate scilicet et malitia, nutritur et confortatur vita malorum, vita mala. Vita vero bonorum vita bona, quam longe est ab iniquitate, et malitia, tam dissimilibus alimentis sustentatur et roboratur. Cibus enim justorum est, tum justitia, sicut scriptum est : « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam (*Matth.* V); » tum ipse justitiæ auctor Christus, qui dicit : « Ego sum panis vivus (*Joan.* VI). » Hunc panem comedunt omnes justi, ut justi sint et juste vivant; sine quo nulla est vita bona, nulla beata. Illi etiam qui verbo vel exemplo justorum Christo lucrifiunt, et in partem justorum cedunt, cibi sunt eorum, per quos ad Christum accedunt, juxta quod Petro dictum est : « Macta et manduca (*Act.* X). » Cibus autem temporalis, quo corporalis vita sustentatur, vires et sensus corporis, ut valeant et vigeant, confortat et conservat, sed usu consumitur. Spiritualis vero cibus vires animæ et sensus corroborat et conservat, nec usu consumitur; sed quæ bona sunt nutriens et augens, contraria, id est vitia et peccata consumit. Unde justi, quia in eis et ab eis peccata consumuntur, ea quodammodo comedere dicuntur, secundum illud, quod scriptum est, ut in bonam partem accipiatur : « Peccata populi mei comedent (*Osee* IV); » secundum quem modum et illud in bonam partem accipi potest : « Dedisti eum escam populis Æthiopum (*Psal.* LXXIII). » Ad eum vero cibum, quo bona vita nutritur et sustentatur, ut per hanc ad vitam beatam perveniatur, hæc Domini verba pertinent : de quibus quomodo intelligenda sint, consequenter dicendum est.

Operamini, non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus.

Post miraculum de quinque panibus et duobus piscibus, turbæ venerunt Capharnaum, quærentes Dominum : et cum ex insperato invenissent eum trans mare dixerunt ei : « Rabbi, quando huc venisti? Respondit Jesus, et dixit eis : Amen, amen dico vobis : Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis (*Joan.* VI). » Signa quidem viderant, quibus poterant divinitatem ejus cognoscere; sed, quia occasione temporalis refectionis, non devotione fidei, eum sequebantur : hanc ipsam eorum intentionem eis aperiens, ut vel sic Deum cognoscerent, mox ostendit pro quo et quali cibo magis laborandum sit, dicens : « Operamini, non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. » Hoc intelligi potest de justitia, cujus amore pascuntur justi; quam gratis dat filius hominis, gratis justificans

dentes in eum, vivant propter ipsum, sicut ipse vivit propter Patrem? Vivit autem Christus propter Patrem, aut ut beatus Hilarius, vivit per Patrem, quia de Patre est, Deus de Deo, vita de vita. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso. Hoc secundum vitam, qua vivit apud Patrem. Secundum vero vitam, qua vixit apud homines homo, propter Patrem vixit; quia Patrem in vita clarificavit, voluntatem ejus faciens, et in omnibus honorem deferens. Nos autem vivimus propter ipsum, si totum quod vivimus referamus ad ipsum, de cujus munere venit quod juste vivimus, de cujus virtute speramus, quod beatissime victuri sumus. Hinc Psalmista dicit: « Laudabo Dominum in vita mea (*Psal.* CXLV). » Et iterum: « Deus, vitam meam annuntiavi tibi (*Psal.* LV) » In hac autem comparatione qua nunc utitur Christus, bina et bina mutua collatione sese respiciunt. Missio enim et manducatio per similem efficientiam sibi conferri possunt. Efficit enim missio, ut vivat Christus per Patrem, in quantum minor est Patre; efficit manducatio, ut nos vivamus propter Christum, qui mediator Dei et hominum Patri reconciliat viventes propter se, sicut ille vivit propter Patrem. Vita Christi propter Patrem, et vita nostra propter Christum, per similem causam et intentionem et finem, id est procedendo, tendendo, perveniendo sese respiciunt. Nam et hæc et illa illuc redit, unde incipit; ad illum refertur, a quo confertur; illi redditur, a quo accipitur. Quod Christus dicit: « Qui manducat me, vivet propter me (*Joan.* VI): » duobus modis recte intelligitur, aut ratione affectus, aut ratione signi. Id enim efficit hæc manducatio, ut vivamus propter Christum; hoc est, per gratiam ejus ad gloriam ejus; et quod vivimus propter Christum, signum est, quia manducamus Christum. Similiter duobus modis intelligi potest, quod præmissum est: « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo (*ibid.*). » In Christo enim manere, manducationis effectus est et signum; ac si diceretur: Signum quia manducat et bibit, hoc est si manet in me, si vivit propter me.

Hic est panis, qui de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.

Attendite quoties Christus eadem replicat, quoties inculcat, Patrem hunc panem dedisse, hunc panem de cœlo descendisse, hunc panem vitam æternam dare. Ut quid hoc? Utique ad astruendam fidem divinitatis suæ, ut indubitanter Deus esse credatur, qui Patrem habeat Deum; qui in cœlo fuerit, et de cœlo descenderit, qui velit manducari, et non possit consumi; qui vitam æternam possit dare, et in novissimo die a mortuis suscitare. Propterea quasi repetendo dicit: « Hic est panis, qui de cœlo descendit. » Et ut ostendat hunc panem plus esse et posse, quam manna, addit: « Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. »

Hæc dixit in Synagoga dicens, etc. usque ad illud: *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt* (*Joan.* VI).

Qui aderant, plures non intelligendo scandalizati sunt; et multi hæc audientes non ex inimicis, sed ex discipulis ejus, dixerunt: « Durus est hic sermo. Quis potest eum audire? » Si discipuli durum habuerunt istum sermonem, quid inimici? Intellexerunt illi, quod disponeret Jesus carnem veluti concisam distribuere credentibus in se: « Sciens autem Jesus apud semetipsum, quia murmurabant de hoc discipuli ejus (*ibid.*): » (sic enim apud se ista dixerunt, ut ab illo non audirentur; sed ille qui eos noverat in semetipsis, audiens apud semetipsum,) « respondit et dixit: Hoc vos scandizat; » quia dixi, carnem meam ad manducandum, et sanguinem meum ad bibendum dari? Hoc vos nempe scandalizat: « Si ergo videritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius? » Quid est hoc? Hinc solvit quod eos moverat; hinc aperuit, unde scandalizati sunt; hinc plane, si intelligerent. Illi enim putabant, eum per divisionem erogaturum corpus suum, ille dixit se ascensurum in cœlum, utique integrum. Cum videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius, certe vel tunc videbitis, quia non eo modo quo putatis, erogat corpus; certe vel tunc intelligetis, quia gratia non consumitur morsibus. Alio loco Christus dicit: « Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo (*Joan.* III). » Unde intelligitur, secundum unitatem personæ, et tunc eum, et prius fuisse in cœlo, qui propter humanitatem exaltandam nunc ascensurus dicitur in cœlum. Deinde adjungit: « Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. » O Domine, magister bone, quomodo caro non prodest quidquam, cum tu dixeris: « Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis? » (*Joan.* VI.) An vita non prodest quidquam? Et propter quid sumus, nisi ut habeamus vitam æternam, quam tua carne promittis? Quid ergo caro non prodest quidquam? Quomodo contraria non sunt: « Caro mea vere est cibus, et caro non prodest quidquam? » Dignum videretur secundum clementiam et benignitatem Christi, ut qui in verbis ejus scandalizati sunt non credentes, ab errore incredulitatis suæ, per declarationem sermonum, quæ illuminat, et intellectum dat parvulis, revocarentur ad agnitionem veritatis et pietatem fidei; quatenus de carne Christi digne sentirent; sicut ipse credi voluit, et nobis credere expedit. Nunc autem scandalizatis, quasi eos in errore relinquere volens, dicit: « Caro non prodest quidquam. » Quis enim de carne Christi indigne sentiens non libenter audiat: « Caro non prodest quidquam? » Nam qui

quam fastidium. Est enim satietas sine fastidio, et desiderium sine suspirio. Christus enim in decore suo semper admirabilis, semper est et desiderabilis, in quem desiderant angeli prospicere. Ergo et cum habetur, desideratur; et cum tenetur, quæritur, sicut scriptum est : « Quærite faciem ejus semper (*Psal.* CV). » Semper enim quæritur, qui ad hoc diligitur, ut semper habeatur. Itaque et qui inveniunt, adhuc quærunt; et qui edunt, adhuc esuriunt; et qui bibunt, adhuc sitiunt. Sed hæc inquisitio omnem sollicitudinem tollit, sed hæc esuries omnem esuriem pellit, sed hæc sitis omnem sitim exstinguit. Non est egestatis, sed consummatæ felicitatis. De illa enim quæ egestatis est, dicitur : « Qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet unquam. » De ea vero quæ felicitatis est, dicitur : « Qui edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitient. » Possunt autem pro eodem accipi esuries et sitis, sive in egestate, sive in felicitate. Quod si distinctio aliqua requiritur, occasionem dat Psalmista requirentibus eam, cum dicit : « Panis cor hominis confirmat, et vinum lætificat cor hominis (*Psal.* CIII). » Christus in se credentibus cibus est et potus, panis et vinum : panis, cum confirmat et solidat, de quo Petrus ait : « Deus omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos, ipse perficiet, confirmabit solidabitque (*I Petr.* V). » Potus vel vinum est, cum lætificat. Ad quem Propheta : « Lætifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi (*Psal.* LXXXV). » Quidquid in nobis est forte et validum et firmum, lætum aut jucundum, in mandatis Dei faciendis, in malis tolerandis, in exsecutione obedientiæ, in defensione justitiæ; totum hoc robur est et firmamentum hujus panis, aut lætificatio hujus potus. Beati qui fortiter et hilariter agunt. Et quia hoc a se nemo habet, beati qui avide desiderant, quæ justa et honesta sunt, sectari; et in omnibus ab eo confortari, et exhilarari, qui dicit : « Beati qui esuriunt justitiam (*Matth.* V). » Quod si Christus secundum præsentem justorum fortitudinem et lætitiam panis est et potus, quanto magis in futuro hoc erit, secundum quod justis tunc erit? In superioribus Christi verbis adverti potest, cibum hunc qui permanet in vitam æternam, dici panem de cœlo, panem verum, panem Dei, panem vitæ : et ejus utilitas ostenditur, quod vitam dat mundo, et quod esuriem et sitim in perpetuum excludit. Panis ergo de cœlo dicitur, ut ostendatur, unde sit, et discernatur a terreno pane, qui perit. Panis verus dicitur a manna, quod in figura hujus veritatis præcessit. Panis Dei dicitur, ut discernatur a pane, qui arte hominis pistoris conficitur et paratur : hic enim a Deo paratus et præparatus est, sicut scriptum est : « Parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio ejus (*Psal.* LXIV). » Panis vitæ dicitur, ut discernatur a pane hoc corruptibili, qui vitæ est, nec vitam dat, sed vix et ægre ad

A tempus vitam servat. Hic autem vita est, et vitam dat, et vitam servat, quæ morti mortisque causæ nihil debeat.

Amen, amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam, etc., usque ad illud : *Qui manducat ex hoc pane, vivet in æternum* (*Joan.* VI).

Christus est panis vitæ, credentibus in eum. In Christum credere hoc est panem vitæ manducare, hoc est Christum in se habere, hoc est etiam vitam æternam habere. Hoc ostendere volens Christus dicit : « Qui credit in me, habet vitam æternam. » Et quid dixerit declarans, addit : « Ego sum panis vitæ (*ibid.*). » Compendio dici potuit : Qui credit in me, habet me, propterea vitam æternam habet. Habet quidem in causa, habet in
B merito, habet in spe, habet in pignore, habet unde habeat. Denique qui Christum habet in se, vitam æternam habet-nondum revelatam in se, sed in Christo absconditam, quem habet in se. Vita enim nostra abscondita est cum Christo in Deo. Hæc ergo optima gratia, quæ nobis in Christo reposita est, jam habetur in Christo, ex eo quod Christus habetur hujus gratiæ repromissor et dator, custosque fidelis, habens eam penes se depositam, et redditurus eam in die revelationis gloriæ filiorum Dei. « Ego sum, inquit, panis vitæ. » Hoc prius dixerat, et hujus repetitio confirmatio est, vel forte munerum ejus distinctio, ut utriusque vitæ, et illius, quæ nunc bona est; et illius, quæ futura est beata, unus ipse dator intelligatur, et
C auctor : « Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt (*Joan.* VI). » Hoc de morte spirituali intelligendum est. Quare mortui sunt? Quia quod videbant, credebant; et quod non videbant, non intelligebant. Ideo patres vestri, quia similes estis illorum, et infidelium filiorum infideles patres. Quantum pertinet ad mortem istam corporalem, et nos morimur, qui manducamus panem de cœlo descendentem; quantum pertinet ad mortem spiritualem, manducavit manna Moyses, manducavit Aaron, manducaverunt et multi, qui Deo placuerunt, et mortui non sunt. Quare non sunt mortui? Quia spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustaverunt, ut spiritualiter satiarentur. « Hic est, inquit,
D panis vivus de cœlo descendens, ut si quis ex eo manducaverit, non moriatur (*ibid*). » Hic ipse panis, id est Christus, qui infidelibus loquebatur, significatus est per manna, sed plus potest quam manna. Manna enim ipsum nec fidelibus nec infidelibus præstare potuit, ut spiritualiter non morerentur, sed Christus qui in manna significatus est, quem intellexerunt in manna antiqui justi, et in ipsum venturum crediderunt, omnibus credentibus in eum præstat, ut spiritualiter non moriantur. Propterea dicit : « Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex eo manducaverit, non moriatur. » Hic nunc in terra, nunc in oculis vestris, non cordis, sed carnis, est panis de cœlo descendens. Et

mox se esse hunc panem, aperit, dicens : « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. » Ecce nunc panis vivus dicitur, qui panis vitæ antea dictus est. Vivus autem panis est, quia vitam habet in se manentem et quia potest spiritualem mortem auferre, et vitam conferre. Nam de morte auferenda præmittit, dicens : « Ut si quis ex eo manducaverit, non moriatur. » De vita vero conferenda, subjungit : « Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. »

Et panis quem ego dabo, caro mea est, etc. usque ad illud : *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Verbum Dei aliis dat escam, aliis ipsum est esca. Escam enim dat, sicut scriptum est : « Omnia a te exspectant, Domine, ut des illis escam in tempore (*Psal.* CIII). » Et iterum : « Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das illis escam in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione (*Psal.* CXLIV). » Rationali autem creaturæ, quæ sola justitiæ et beatitudinis particeps esse potest, si per propriam voluntatem ab ea non est aversa, sed per amorem obedientiæ ad illum conversa, ut non sibi, sed illi vivat, sic cibum dat, unde vivat, ut sit illi cibus, cujus participatione bene et beate vivat. Postquam ergo dixerat se esse panem vivum, qui de cœlo descendit, et qui vitam æternam dare potest, in quo significavit se Deum esse, et vitam angelorum et hominum ; consequenter, ut plus mirentur, ostendit, assumptam carnem cibum esse vitalem, et a se dari pro mundi vita, dicens : « Et panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita. » Corpus Christi caro est secundum proprietatem naturæ : et panis dicitur, vel quia sub specie panis offertur, vel quia per panem pro similitudine virtutis suæ nonnunquam significatur : « Litigabant ergo Judæi (*Joan.* VI). » Hoc quando caperet caro, quod dixit panem carnem? Vocatur caro, quod non capit caro ; et ideo magis non capit caro, quia vocatur caro. Hoc enim exhorruerunt, hoc ad se multum esse dixerunt, hoc non posse fieri putaverunt : unde et litigabant ad invicem, dicentes : « Quomodo potest hic carnem suam dare nobis ad manducandum? (*ibid.*) » Quomodo nunc piam inquisitionem significat credentis ut ibi : « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco ? (*Luc.* I) » Nunc impiam negationem non credentis, ut hic : « Dixit ergo eis Jesus : Amen, amen dico vobis. » Ac si diceret : Etsi ignoretis, etsi credere detrectetis; tamen verum est, quod nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis. Hoc intelligendum est de spirituali vita qua juste vivitur, et de æterna qua beate vivitur. Neutram vero habebit, qui non manducat.

Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus (*Joan.* VI).

Quod dixerat non habere eum, qui non manducat, illud idem ostendit habere illum, qui manducat, dicens : « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. » Jam nunc habet, sicut prædiximus, vel secundum spiritum, etsi non secundum carnem. Spiritus enim justorum Deo adhærentes, ab ejus dilectione nunquam separabuntur; et ideo semper vivent. Unde et dicitur : « Non est Deus mortuorum, sed viventium (*Matth.* XXII). » Et iterum scriptum est : « Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace (*Sap.* III). » Ex his verbis poterant illi cogitare, non esse illum moriturum corporali morte, qui hanc carnem manducaret. Huic cogitationi occurrit, dicens : « Et ego resuscitabo eum. » Quasi diceret : Non nego eum corporali morte moriturum, qui carnem meam manducat. Morietur quidem secundum carnem, sed resuscitabo eum, ut nec caro vita æterna fraudetur; sed hoc erit in novissimo die. Mox ut ostendat, hunc cibum sufficientem esse omnem indigentiam tollere, et vitam, et omnem sufficientiam præstare, adjungit : « Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. » Cum cibo et potu id appetant homines, ut vivant et non esuriant, neque sitiant, hoc veraciter non præstat nisi iste cibus et potus, qui eos, a quibus sumitur, immortales et incorruptibiles facit. Hic ergo vere est cibus, qui vere præstat, quod in cibo appetitur; unde carni et animæ vitam et omnem sufficientiam præstare potest, ut nullius ultra indigeat. Hinc pro utriusque indigentia tollenda Propheta clamat : « Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea (*Psal.* LXII). »

QUI MANDUCAT MEAM CARNEM. Christus duobus modis manducatur ; quia duobus modis participatur. Una est participatio per fidem : non eam nunc dico, quæ in mortuis, id est peccatoribus mortua est; sed eam, ex qua justus vivit, de qua superius dictum est : « Qui credit in me, habet vitam æternam (*Joan.* VI). » Hæc autem fides sine charitate non est. Per fidem autem justificamur, et participes amicitiæ Dei efficimur; per fidem habitat Christus in cordibus nostris, et se nobis cognoscendum indulget, et participandum. Verbum Patri coæternum, unum cum Patre Deum verum cognoscunt angeli per speciem ; per fidem Unigenitum, qui est in sinu Patris, de cœlo ad nos missum, et propter nos incarnatum, panem vivum, qui de cœlo descendit, manducamus. Cognoscentes per fidem carnem pro nobis acceptam, nobis in cibum datam, carnem Christi manducamus. Est ergo fides unitatis, et fides unionis, et fides communionis. Fide unitatis credimus Filium unum esse cum Patre, sicut ipse dicit : « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* X). » Huic fidei adjuncta est fides Trinitatis. Non enim fidem unitatis in Deo, id est unius divinitatis, plene habet, nisi qui credit, singulas trium personarum esse unum Deum, et omnes tres simul non esse nisi unum Deum. Mysterium enim unitatis in Trinitate continet mysterium Trinitatis in unitate. Et sine fide Trinitatis fides unius Dei plena non est; quia Trinitas unus

Deus est. Fide unionis credimus, quod unigenitus Filius Dei humanam naturam in unitate personæ per mysterium Incarnationis sibi habet unitam. Huic fidei adjuncta est fides unitatis, qua credimus, unam esse personam in duabus naturis. Non enim plenam fidem habet hujus unionis, qui credit duas naturas in una persona non uniri, vel personam in duabus naturis dividi. Fide communionis credimus sacrosanctam Christi carnem vivificatricem et sanctificatricem nobis dispensari, et communicari in remissionem peccatorum, Deo mirabiliter dispensante; qui hoc ipsum a nobis voluit in alimoniam sumi, quod a se voluit pro nobis, et de nobis assumi. Huic fidei adjuncta est fides passionis, quæ in oblatione sacræ communionis repræsentatur, ubi et mors Domini annuntiatur.

Summa autem fidei nostræ hæc est, cognoscere Christum in Patre, Christum in carne, Christum in altaris participatione. Omnia autem fidei mysteria ad hanc summam colliguntur, et quæcunque scripta sunt in lege et psalmis et prophetis, ad hunc finem diriguntur, ut Christus cognoscatur, et agnitus diligatur. Quicunque igitur justificatus per fidem, digne et pie et fideliter sentit de sacramento unitatis, sacramento unionis, et communionis, hic panem angelorum qui in cœlo est, hic panem vivum qui de cœlo descendit, hic carnem Christi manducat, hic ipsum manducando participat, et participando manducat. Hoc dictum sit de uno modo manducandi, quo Christus fidetenus a justis manducatur; pro quo uno tres modi distingui possunt, secundum fidem unitatis, unionis et communionis. Aliud est enim credere de divinitate Christi quod dignum est, aliud de humanitate ejus quod verum est; aut secundum gratiam dispensationis, qua se voluit de nostra carne vestiri; aut secundum gratiam dispensationis, qua nos voluit sua carne cibari. Verumtamen plures modi ad unum modum generalem colliguntur; quia una est fides catholica mysteria continens divinitatis Christi et Incarnationis, et sacræ communionis. De quo modo beatus Augustinus dicit : « Crede et manducasti. » Alius vero modus est, cum Christus non tantum fide et virtute sacræ communionis in corde nostro suscipitur, vel susceptus habetur; sed esu et usu et perceptione ipsius corporis et sanguinis sui intra nos recipitur, ut sit in nobis non solum per præsentiam divinitatis, a qua conditi sumus, sed etiam per præsentiam corporis, quo redempti sumus, sicut ipse repromisit, et dixit : « Ecce ego vobiscum sum, usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII). » Dicit itaque : « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo (*Joan.* VI). »

ET BIBIT MEUM SANGUINEM. Sicut caro Christi duobus modis manducatur, sic et sanguis Christi duobus modis bibitur; haustu scilicet ipsius sanguinis in sacramento ac virtute fidei, ex qua justus vivit, quæ est etiam virtus sacramenti. Quantum ad proprietatem substantiæ pertinet, aliud est caro, aliud est sanguis. Quantum ad sacramentum pertinet, alia est visibilis species, quæ carnem Christi significat, et carnem non sine sanguine continet; alia est visibilis species, quæ sanguinem significat, et sanguinem non sine carne continet. Quantum ad repræsentationem rei gestæ, caro Christi sub specie panis oblata seipsam repræsentat alio modo in cruce oblatam; et sanguis sub specie vini oblatus seipsum repræsentat de corpore Christi in cruce fusum : hoc pariter intelligendum admonens, quod Christus qui sanguinem suum pro nobis fudit, animam suam pro nobis posuit. Nam, sicut in Levitico scriptum est : « Anima omnis carnis in sanguine est (*Levit.* XVII). » Cum itaque caro et sanguis Christi diversa sint, et in diversis speciebus significentur, et diversis modis sese repræsentent, una tamen utriusque virtus esse ostenditur ex eo quod dicit : « Qui manducat carnem meam, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; » et ex eo quod postea additur : « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo. » Quicunque vero fide Incarnationis et passionis Christi vivificatur, ut juste vivat, id est ut non sibi, sed Christo et in Christo vivat, hic carnem Christi ore fidei manducat, et sanguinem Christi bibit. Nec manducatur caro in virtute fidei, nisi et sanguis bibatur; nec bibitur sanguis, nisi caro manducetur, quia una est virtus utriusque, qua utrumque participatur; et una utriusque utilitas, quæ in utroque per fidem obtinetur. Credenti enim vita æterna datur, sicut Christus dicit : « Qui credit in me, habet vitam æternam. » Manducanti et bibenti datur, sicut ipse iterum dicit : « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. » Quod autem fides etiam ad potum pertineat, ostenditur, ex eo quod dicit : « Qui credit in me, non sitiet unquam. » Per fidem ergo manducatur caro Christi, et per fidem bibitur sanguis Christi. Fide enim veneramur remedium salutis nostræ, et in carne et in sanguine Christi, nec dividuntur in fide, quæ non separantur in virtute. Hæc est fides, quæ justificat et vivificat, de qua Apostolus dicit : « Justitia Dei per fidem Jesu Christi, in omnes et super omnes qui credunt (*Rom.* III). »

IN ME MANET, ET EGO IN ILLO. Superius ostendit quantam conferat utilitatem caro Christi, si manducetur, et sanguis ejus, si bibatur; nunc autem ostendit quantam familiaritatis et honoris conferat gratiam. Hoc enim præstat, ut ille sit in Christo, et Christus in illo qui manducat. Magna est hæc et inæstimabilis gratia, mansionem in Christo habere, et mansionem Christo præbere. Sicut credendo manducamus, sic perseveranter diligendo in Christo manemus. Deus enim charitas est; et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. Hinc ipse Christus dicit : « Manete in dilectione mea (*Joan.* XV). » In Christo itaque manet qui in tentatione non recedit, sed in omnibus fortiter agit, vincendi fiducia, et perseverandi constantia. Hinc est fru-

ctus justitiæ qui manet, quem afferunt justi, quia in Christo manent, sicut palmites in vite, qui non possunt fructum facere, nisi manserint in vite. Est autem dilectio, qua a Deo diligimur, et est dilectio, qua Deum diligimus. In utraque manemus, si Christum diligere perseveramus. Custodit enim Dominus diligentes se. Est enim quædam dilectio, qua fratres et proximos nostros in Christo diligimus, sicut membra Christi, et corporis ejus, quod est Ecclesia. Omnia hujus corporis membra uno spiritu vivificantur, videlicet Spiritu sancto, sicut omnia membra hominis vivunt de uno spiritu hominis. Qui autem de spiritu Christi non vivunt, hi de corpore ejus non sunt, nec membra ejus sunt, nec in Christo manent. At qui servant unitatem spiritus in vinculo pacis; qui jus fraternitatis et spiritualis societatis inviolabiliter servant; qui ab ecclesiastica unitate nec per hæreses, nec per schismata, nec per vitæ vel morum vitia se separant, hi in corpore Christi et in Christo manent; quia vere Christum participant, et participando manducant. Propter quod dicit: « Qui manducat meam carnem, in me manet. » Et addit: « Et ego in illo (*Joan.* VI). » Nos confirmavit, ille jugiter in nobis operatur, ut maneamus et confirmemur in illo; « quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in æternum (*Psal.* CXVI). » Hinc ipse dicit: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (*Joan.* XIV). » Qui dicit: « Ego diligentes me diligo (*Prov.* VIII); » in his qui perseverant diligere, mansionem facit Deus, ut maneant, manens ipse in manentibus in se. Sed quid est, quod dicit: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum: » quasi prius Christus a nobis diligatur, quam nos diligamur a Patre, vel quam ad nos veniat, et mansionem faciat Filius una cum Patre, cum Joannes dicat: « In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum; sed quia ipse prior dilexit nos? » (*I Joan.* IV.) Facilis autem occurrit responsio considerantibus quod et dilexit nos, et elegit in Filio, secundum propositum gratiæ suæ, ante mundi constitutionem; et quod nos diligit vocando et justificando, gratiam suam adaugendo, et per profectum justitiæ ad perfectum ducendo, et in dilectione sua confirmando. Sicut enim profectu malitiæ mali obdurantur, et consuetudine peccandi obstinati redduntur, sic boni quodam ordine gratiæ incipientis et proficientis a Deo præveniente, et veniente, et manente, ad perseverantiam confirmantur. Hoc autem ordine ad vitam æternam perveniunt. « Qui » enim « perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* X). » Christus itaque prævenit diligendo, et diligit præveniendo; quem qui diligit, diligetur a Patre dilectionis exhibitione, et abundantioris gratiæ collatione. Potest autem et alio modo intelligi, quod dictum est: « Pater meus diliget eum. » « Si quis, » inquit, « diligit me, ser-

A monem meum servabit (*Joan.* XIV), » id est perseverabit servare. Parum est enim si servat, si non et servabit. Laus enim non fingentis, non sibi blandientis, non tepide aut leviter amantis, sola est perseverantia. Hinc Propheta ait: « Diligam te, Domine, » id est diligere perseverabo. Quod ut faciam, non mihi sine te sufficio, sed tu es « fortitudo mea (*Psal.* XVII). » Pater, « inquit, meus diliget eum, » id est perseverantem obedire perseverabit diligere. Non quod dilectio Dei levis sit et mutabilis, qui electos suos dilexit ante mundi constitutionem: et Christus, cum dilexisset suos, in finem dilexit eos, sed perseveranter diligit, quos in sua dilectione mansuros custodit; et gratiam suam ei subtrahit, qui se gratiæ ipsius indignum facit. Dicens ergo

B Christus: « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo (*Joan.* VI), » patenter insinuat quod qui in ipsum credit, et qui ipsum manducat, nonnisi ipsum manducando confortatur, ut in Christo maneat, donec ad vitam æternam perveniat. Hinc justus orat: « Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis (*Psal.* LXVII). » Hic ergo cibus, cum plena fide et digna veneratione manducatur, justitiam dat et perseverantiam, et vitam æternam, ut justificati per fidem et in charitate radicati, in eo securi maneamus, qui factus est nobis in domum refugii, et in locum munitum, quia in nobis sine fine manet, sicut scriptum est: « Lætentur omnes qui sperant in te; in æternum

C exsultabunt, et habitabis in eis (*Psal.* V). »

Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem. Et qui manducat me, vivet propter me.

Hæc verba secundum beatum Augustinum sic intelliguntur, qui in sermone 26 super Joannem, sic ait: « Missio quippe ejus exinanitio suimet ipsius est, et formæ servilis acceptio. » Quod recte intelligitur, servata etiam filii cum Patre æqualitate naturæ. Major est enim Pater homine filio, sed æqualem habet Deum Filium, cum idem ipse sit et Deus et homo, Dei Filius et hominis filius, unus Jesus Christus. In qua sententia si recte accipiuntur hæc verba, ita dixit: « Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivet

D propter me; » ac si diceret: Ut ego vivam propter Patrem, id est ad illum tanquam majorem referam vitam me, exinanitio mea fecit, in qua me misit. Ut autem quisquam vivat propter me, participatio facit, qua manducat me. Ego itaque humiliatus vivo propter Patrem, ille erectus vivit propter me. Si autem ita dictum est: Vivo propter Patrem, quia ipse de illo, non ille de ipso, sine detrimento æqualitatis dictum est. Nec tamen dicendo: « Et qui manducat me, et ipse vivet propter me, eamdem nostram et suam æqualitatem significavit, sed gratiam mediatoris ostendit. » Hæc Augustinus. Quid ergo in his verbis Christi nobis intimatur, nisi ipsum a Deo Patre missum fuisse, ad hoc in mundum venisse, ut manducantes eum, id est cre-

dentes in eum, vivant propter ipsum, sicut ipse vivit propter Patrem? Vivit autem Christus propter Patrem, aut ut beatus Hilarius, vivit per Patrem, quia de Patre est, Deus de Deo, vita de vita. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso. Hoc secundum vitam, qua vivit apud Patrem. Secundum vero vitam, qua vixit apud homines homo, propter Patrem vixit; quia Patrem in vita clarificavit, voluntatem ejus faciens, et in omnibus honorem deferens. Nos autem vivimus propter ipsum, si totum quod vivimus referamus ad ipsum, de cujus munere venit quod juste vivimus, de cujus virtute speramus, quod beatissime victuri sumus. Hinc Psalmista dicit: « Laudabo Dominum in vita mea (*Psal.* CXLV). » Et iterum: « Deus, vitam meam annuntiavi tibi (*Psal.* LV) » In hac autem comparatione qua nunc utitur Christus, bina et bina mutua collatione sese respiciunt. Missio enim et manducatio per similem efficientiam sibi conferri possunt. Efficit enim missio, ut vivat Christus per Patrem, in quantum minor est Patre; efficit manducatio, ut nos vivamus propter Christum, qui mediator Dei et hominum Patri reconciliat viventes propter se, sicut ille vivit propter Patrem. Vita Christi propter Patrem, et vita nostra propter Christum, per similem causam et intentionem et finem, id est procedendo, tendendo, perveniendo sese respiciunt. Nam et hæc et illa illuc redit, unde incipit; ad illum refertur, a quo confertur; illi redditur, a quo accipitur. Quod Christus dicit: « Qui manducat me, vivet propter me (*Joan.* VI): » duobus modis recte intelligitur, aut ratione affectus, aut ratione signi. Id enim efficit hæc manducatio, ut vivamus propter Christum; hoc est, per gratiam ejus ad gloriam ejus; et quod vivimus propter Christum, signum est, quia manducamus Christum. Similiter duobus modis intelligi potest, quod præmissum est: « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo (*ibid.*). » In Christo enim manere, manducationis effectus est et signum; ac si diceretur: Signum quia manducat et bibit, hoc est si manet in me, si vivit propter me.

Hic est panis, qui de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.

Attendite quoties Christus eadem replicat, quoties inculcat, Patrem hunc panem dedisse, hunc panem de cœlo descendisse, hunc panem vitam æternam dare. Ut quid hoc? Utique ad astruendam fidem divinitatis suæ, ut indubitanter Deus esse credatur, qui Patrem habeat Deum; qui in cœlo fuerit, et de cœlo descenderit, qui velit manducari, et non possit consumi; qui vitam æternam possit dare, et in novissimo die a mortuis suscitare. Propterea quasi repetendo dicit: « Hic est panis, qui de cœlo descendit. » Et ut ostendat hunc panem plus esse et posse, quam manna, addit: « Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. »

Hæc dixit in Synagoga dicens, etc. usque ad illud: Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt (Joan. VI).

Qui aderant, plures non intelligendo scandalizati sunt; et multi hæc audientes non ex inimicis, sed ex discipulis ejus, dixerunt: « Durus est hic sermo. Quis potest eum audire? » Si discipuli durum habuerunt istum sermonem, quid inimici? Intellexerunt illi, quod disponeret Jesus carnem veluti concisam distribuere credentibus in se: « Sciens autem Jesus apud semetipsum, quia murmurabant de hoc discipuli ejus (*ibid.*): » (sic enim apud se ista dixerunt, ut ab illo non audirentur; sed ille qui eos noverat in semetipsis, audiens apud semetipsum,) « respondit et dixit: Hoc vos scandalizat; » quia dixi, carnem meam ad manducandum, et sanguinem meum ad bibendum dari? Hoc vos nempe scandalizat: « Si ergo videritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius? » Quid est hoc? Hinc solvit quod eos moverat; hinc aperuit, unde scandalizati sunt; hinc plane, si intelligerent. Illi enim putabant, eum per divisionem erogaturum corpus suum, ille dixit se ascensurum in cœlum, utique integrum. Cum videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius, certe vel tunc videbitis, quia non eo modo quo putatis, erogat corpus; certe vel tunc intelligetis, quia gratia non consumitur morsibus. Alio loco Christus dicit: « Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo (*Joan.* III). » Unde intelligitur, secundum unitatem personæ, et tunc eum, et prius fuisse in cœlo, qui propter humanitatem exaltandam nunc ascensurus dicitur in cœlum. Deinde adjungit: « Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. » O Domine, magister bone, quomodo caro non prodest quidquam, cum tu dixeris: « Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis? » (*Joan.* VI.) An vita non prodest quidquam? Et propter quid sumus, nisi ut habeamus vitam æternam, quam tua carne promittis? Quid ergo caro non prodest quidquam? Quomodo contraria non sunt: « Caro mea vere est cibus, et caro non prodest quidquam? » Dignum videretur secundum clementiam et benignitatem Christi, ut qui in verbis ejus scandalizati sunt non credentes, ab errore incredulitatis suæ, per declarationem sermonum, quæ illuminat, et intellectum dat parvulis, revocarentur ad agnitionem veritatis et pietatem fidei; quatenus de carne Christi digne sentirent; sicut ipse credi voluit, et nobis credere expedit. Nunc autem scandalizatis, quasi eos in errore relinquere volens, dicit: « Caro non prodest quidquam. » Quis enim de carne Christi indigne sentiens non libenter audiat: « Caro non prodest quidquam? » Nam qui

incredulus est, hinc forte assertionis suæ testimonium assumet, qua utilitati tanti sacramenti contradicere præsumet. Sed verus est sermo, qui de illo scriptus est : « Ecce hic positus est in ruinam, et in resurrectionem multorum (*Luc.* II).» Doctrina ejus aliis est odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem. Sciens ergo quibus loqueretur, dixit quod oportuit; sicut illis dici oportuit, qui post miracula, et manifesta divinitatis ejus documenta verbis ejus credere renuerunt. Cogitabant illi carnem carnaliter, non spiritualiter; secundum sensum carnis, et sapientiam carnis. Carnalis autem sensus non prodest quidquam. Ipsa etiam caro impie et irreverenter et carnaliter cogitata, sicut ea quæ in cadavere dilaniatur, vel in macello venditur. Taliter cogitantibus, id est non credentibus, non prodest quidquam. Dicturus autem : « Caro non prodest quidquam,» præsumit, « Spiritus est, qui vivificat; » alterum propter bonos, alterum propter malos. Spiritus enim Dei per spiritualem intelligentiam, id est per veram Christi fidem, et per spiritualem sapientiam, hoc est per veram Christi dilectionem, justos vivificat, ut spiritualiter intelligant, et spiritualiter vivant. Ad quos pertinet, quod hic dicitur : « Spiritus est, qui vivificat;» et quod præmittitur : « Caro mea vere est cibus.» At qui a spirituali intelligentia, hoc est a fide Christi alieni sunt, aut qui fidem habentes, a spirituali sapientia, hoc est a charitate Christi, vacui sunt, hi a spiritu Dei non vivificantur, nec Christi carnem spiritualiter manducant, ita scilicet ut vivant et maneant in illo, et ipse in eis. Propterea illis, quibus caro non prodest quidquam, dicitur : « Caro non prodest quidquam.» Quod ergo Christus de carne videtur contraria dicere, quasi prosit et non prosit, eo pertinet ut intelligatur, spiritualibus, qui a spiritu Christi vivificantur, prodesse; carnalibus vero, qui Spiritu Dei non aguntur, omnino non prodesse. Secundum hunc modum loquitur Apostolus de lege. Nam quodam loco legem quasi inutilem aut malam ostendere volens, dicit : « Littera occidit (*II Cor.* III). » Et iterum : « Lex iram operatur (*Rom.* IV).» Et : « Virtus vero peccati, lex (*I Cor.* XV).» Sed hæc dicuntur propter malos, et contra malos, in quibus occasione mandati concupiscentia augetur, et per legis prævaricationem lex contemnitur. Lex enim hostem demonstrat et instigat, et contra hostem non adjuvat; concupiscentiam vetat, et excitat ; prævaricationem addit et punit. Alio loco dicit : « Lex sancta est et bona (*Rom.* VII),» Et iterum : « Lex spiritualis est (*ibid.*); » et hoc propter bonos. Sic de fide et de scientia variatur locutio; quia aliis et aliis prodesse possunt, aut non prodesse. Christus dicit : « Qui credit in me, habet vitam æternam (*Joan.* VI).» Apostolus dicit : « Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum (*I Cor.* XIII).» Propheta dicit : « Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me (*Psal.* A CXVIII).» Apostolus dicit : « Scientia inflat, charitas vero ædificat (*I Cor.* VIII).» Sicut ergo fides vel scientia sola sine charitate, et sicut littera legis sine spiritu legis nihil prodest; sic caro sine spiritu, hoc est sine gratia fidei et charitatis, nihil prodest. Et quemadmodum Apostolus dicit : « Littera occidit, spiritus autem vivificat (*II Cor.* III); » sic Christus dicit : « Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam.» Quomodo autem spiritus vivificet, ostendere volens, adjungit : « Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.» Quid est, spiritus et vita sunt? Spiritualiter intelligenda sunt. Intellexisti spiritualiter : « Spiritus et vita sunt; » intellexisti carnaliter etiam sic illa : B « spiritus et vita sunt,» sed tibi non sunt. Spiritus et vita sunt, quia per inspirationem spiritualis gratiæ vitam, qua bene vivitur, præstant et servant.

Sunt quidam ex vobis, qui non credunt, etc., usque ad illud : *Credimus et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei* (*Joan.* VI).

Inter discipulos Christi erant quidam credentes, quidam non credentes : et inter non credentes erat Judas, qui traditurus erat eum. Christus omnes noverat, qui essent credentes, et qui non credentes, et quis esset traditurus eum, et qui essent discessuri ab eo. Sed antequam discedant, qui discessuri sunt, ostendit quod non omnium est fides; sed eorum, quibus datum est ad Christum venire a Patre suo. C Mysterium quippe fidei non caro et sanguis, sed Pater qui in cœlis est, revelare potest. Ille aliis dat, ut credant, aliis non dat. Quare aliis non dat, ipse novit : hoc scire non datur, et in re tam incomprehensibili, tam abscondita ab oculis nostris, nihil possumus, nisi per admirationem exclamare, et dicere : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus (*Rom.* XI)! » Multi autem discipulorum, qui non crediderunt, abierunt retro, sed post Satanam, non post Christum. Petro, cum consilium daret Domino, ne moreretur, dictum est a Domino : « Redi post me, Satana; non enim sapis, quæ Dei sunt (*Matth.* XVI). » Non illum repulit Dominus ire post Satanam, sed quia voluit præcedere D Dominum, appellavit eum Satanam, et fecit ire post se, ut non esset Satanas. Petro dicitur : « Redi post me, » de istis vero dicitur : « Abierunt retro, » et intelligitur post Satanam; sicut de quibusdam feminis dicit Apostolus : « Quædam enim conversæ sunt retro post Satanam (*I Tim.* V). » Abeuntibus post Satanam, ut nec cum Christo ulterius ambularent, Judas adhuc remansit ad insidiandum. Dixit ergo Jesus ad duodecim qui remanserunt : « Nunquid et vos vultis abire? Respondit ergo ei Simon Petrus : Domine, ad quem ibimus? » (*Joan.* VI.) Si a te recedimus, ubi vitam, ubi veritatem, ubi vitæ auctorem, ubi similem veritatis doctorem inveniemus? « Verba vitæ æternæ habes. » Verba tua reverenter audita, et in sinu fidei recondita, præstant vitam æternam.

Verbis tuis vitam æternam promittis, in ministra- A
tione corporis et sanguinis tui, et nos verbis tuis fidem habentes : « Credimus et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei, » id est quia ipsa vita æterna tu es, et non das in carne et sanguine tuo, nisi quod es. « Credimus, inquit, et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei, » id est hoc ipsum credimus et cognovimus, te esse Filium Dei : unde consequens est te verba vitæ æternæ habere, et quæcunque dixisti, vera esse. Vel aliter. Quæcunque dixisti de carne tua manducanda et sanguine tuo bibendo, credimus et cognovimus vera esse, quia tu es Christus Filius Dei. Non dixit, cognovimus et credimus, sed credimus et cognovimus, quod de ea cognitione intelligi potest, quæ per processum fidei intellectum consistit, de qua scriptum est : « Nisi credideritis, non B
intelligetis (*Isa.* VII). » Fides quidem ipsa quædam cognitio est, etiam in his qui simpliciter credunt, et rationem fidei non intelligunt. Cognitio vero usque ad intellectum proficiens, illorum est, qui exercitatos sensus habent ad fidei rationem plenius cognoscendam, parati semper ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quæ in nobis est, fide et spe. Quod in superioribus Christi verbis multi discipulorum scandalizati sunt in fide, alii autem ædificati ad fidem, magna ex hoc consolatio, Deo dispensante, prædicantibus verbum Dei provisa est, si forte in verbis eorum auditores increduli scandalizantur, et retrorsum post Satanam convertuntur. Magna tamen cautela adhibenda est, et cum C
timore semper verbum Dei seminandum.

Hæc verba Christi, quæ ex Evangelio Joannis apposuimus, secuti Patrem Augustinum exposuimus : ubi interdum verbis ipsius, ubi commodum videbatur, sententias ab eo explicitas non præterire, nec eas vel plenius vel brevius explicare curavimus. Nunc post quatuor evangelistarum testimonia, ad astruendam fidem hujus ineffabilis sacramenti, ea qua potuimus diligentia discussa intentionem ad verba apostoli Pauli ad hoc sacramentum pertinentia convertamus; ut confessio fidei nostræ evangelicæ sic et apostolicæ doctrinæ testimoniis subnixa, sicut moles immobilis sua stabilitate fundata consistat; et nulla inventorum, nulla curiosarum violentia quæstionum a sua firmitate labefactari D
queat.

De verbis Apostoli.

« Non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem (*Matth.* XVIII). » Hoc de cibo sentire licet, qui non potest hominem mundare; et de manibus, quæ sine reatu conscientiæ ut quotidie laventur, quotidie inveniuntur illotæ. Verum ad mensam Domini, et ad carnes Agni immaculati, illotis manibus accedere indecens et illicitum est, et omnino tutum non est. « Lavabo, inquit, inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine (*Psal.* XXV). » Detestatio criminum, et justitia bonorum operum, hæc est vera munditia manuum. At qui mundas habet manus, cavere debet, ne attrectet immundum. Nam « qui tetigerit immundum, immundus erit. Qui tangit picem, inquinabitur ab ea (*Eccli.* XIII). » Qui non constringitur reatu proprii criminis, videat ne polluatur consensu alienæ iniquitatis. Hinc Apostolus Timotheum instituens : « Neque communicaveris, inquit, peccatis alienis. Teipsum castum custodi (*I Tim.* V). » Et Corinthiis scribens, arguit in eis, quod fornicatorem publicum de medio sui non tollerent, quasi tanti delicti eum tolerando participes fierent. Ait enim : « Auditur inter vos fornicatio; et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestri, qui hoc fecit (*I Cor.* V). » Et post pauca : « Non est bona gloriatio vestra. Nescitis, quoniam modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum (*ibid.*). » Ecce etsi alias boni viderentur, non bonam dicit gloriationem eorum, de vita videlicet, vel fama, vel conscientia sua; quia consensus alieni criminis per malam patientiam cætera bona corrumpit, et unius exemplum multis perniciosum existit. Volens ergo eos retrahere a tali delicto, cum pluribus modis eos terrere posset, præelegit exemplo de lege Moysi proposito ad condignam reverentiam paschalis hostiæ eos cohortari, ut dignitate tanti sacramenti considerata exhorrescerent indigni accedere, et inter se aliquem indignum sustinere. Quid enim terribilius est homini peccatori ad mensam Domini accedenti, et veram hujus sacramenti fidem habenti, quam cogitare secum, quam immundus, quam ira dignus sit, qui accedit, et quam sanctus et impollutus, et quam justus, ad quem accedit? Propterea memoriam mortis Christi, et immolationem Agni proponens, monet expurgare vetus fermentum, et epulari in azymis sinceritatis et veritatis, reserans quod in lege clausum erat, et illuminans quod in typo fuerat adumbratum.

Expurgate vetus fermentum, etc., usque ad illud; *In azymis sinceritatis et veritatis.*

In Exodo filiis Israel præceptum est agnum immolare, et carnes assas igni edere, et azymos panes cum lactucis agrestibus. Et de azymis sic scriptum est : « Primo mense, decima quarta mensis ad vesperum, comedetis azyma usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis, » etc. (*Exod.* XII). Et infra : « Fecerunt sibi subcinericios panes azymos. Neque enim poterat fermentari, cogentibus exire Ægyptiis, et nullam facere sinentibus moram (*ibid.*). » Filii Israel tum auctoritate divini præcepti, tum angustia temporis, panem fermentare prohibiti sunt. Sed necessitas temporis divinæ dispensationi serviens, quod Deus fieri noluit, fieri non permisit. Incipientibus exire de Ægypto abstinentia fermenti indicitur, et, præcipiente Domino et urgente Ægyptio, non possunt non abstinere, etiamsi velint non abstinere. Egressis autem de Ægypto eadem abstinentia in esu agni indicitur, et ad obedientiam cessat temporis necessitas, et accedit libera voluntas.

Sic cum exitur de regno peccati, et de vana sæculi conversatione, sæpe abstinentia peccati, quæ a Deo imponitur, necessitate temporis nihilominus observatur, sed processu temporis totum fit voluntarium, quod ab initio forte potuit esse extortum. Peccatum vetus fermentum est, quo abstinendum est toto hoc numero septem dierum. Hoc fermento tota massa corrupta est in prævaricatione Adam, et posteris ejus. Unde et vetus dicitur, et ad veterem hominem pertinet, cui longe dissimile est fermentum justitiæ, de quo scriptum est : « Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus (*Matth.* XIII). » Illud vetus fermentum corrumpit et inflat, et novæ conspersioni contrarium est. Est autem conspersio farina per liquorem conglutinata sine fermento, idem et azyma. Nova autem conspersio vel azymus panis Christus est, ab omni corruptione peccati immunis. Et si nos per timorem et humilitatem comminuti sumus, si aquis baptismi vel pœnitentiæ conspersi, et liquore supercœlestis gratiæ perfusi, et per charitatem conglutinati, ne per varia erroris desideria dividamur, tunc nova conspersio vel azymi sumus, et expurgato veteri fermento et corruptione vitæ derelicta, monemur et nos cum Corinthiis, ut simus nova conspersio (*I Cor.* V), id est ut permaneamus sine fermento, sicut per gratiam facti sumus azymi, id est liberi a peccato; vel ut simus nova conspersio, per opera justitiæ ambulantes in novitate vitæ, sicut liberati sumus a corruptione veteris vitæ. Si enim secundum legem a fermento abstinendum fuit in esu paschalis Agni, qui in figura præcessit; multo magis nunc a fermento spiritualiter abstinendum est : « Etenim pascha nostrum immolatus est Christus (*ibid.*). » Pascha nomen solemnitatis est, et solemnis hostiæ. In utraque Christus significatus est. Ipse enim est solemnitas nostra, et gaudium nostrum, et dies lætitiæ et exsultationis nostræ, et hostia nostra pro nobis oblata, et in esum a Deo præparata. Itaque epulemur. Si nova conspersio sumus et panes azymi, quomodo nobis, vel a nobis dicitur, « epulemur; » nisi quia ipsi convivium et convivæ sumus, reficiendi de Christo, qui nobis panis est, qui et de nobis reficitur? De quo scriptum est, quia « pascitur inter lilia (*Cant.* II). » Et in Apocalypsi ipse de se dicit : « Ego sto ad ostium et pulso. Si quis audierit vocem meam, et aperuerit januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum (*Apoc.* III). » Epulemur ergo in conspectu Dei, et delectemur in lætitia, « non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ (*I Cor.* V). » Agnus enim innocens est, qui tollit peccata mundi. Nequitia autem et malitia sic distingui possunt, ut altera intelligatur in iis quæ fiunt contra Deum, altera in iis quæ fiunt contra proximum. Quocunque autem modo discernantur, sic omnis iniquitas fugienda est, ut malitia et nequitia; et vitæ incorruptio sic sectanda est, ut epulari possimus in azymis « sinceritatis, » ab omni iniquitate immaculatos nos servantes; « et veritatis, » bona quæcunque sine dolo et fictione facientes.

Ex eadem Epistola : *Patres nostri omnes sub nube fuerunt*, etc., usque ad illud : *Petra autem erat Christus* (*I Cor.* X).

« Abrahæ dictæ sunt promissiones (*Galat.* III). » Dictæ sunt quidem, et non statim exhibitæ, sed in longa tempora dilatæ. Fides autem promissionum in exspectatione earum crebris signis et virtutibus, signis a Deo factis confirmata est, quibus notam fecit Deus potentiam suam, ne non crederetur potens facere quæ promisisset. In signis autem antiquis patribus visibiliter exhibitis annuntiavit Deus virtutem operum suorum, eorum quæ facturus erat in generatione altera. Qualia enim facturus erat promissiones adimplens, talia fecit antequam adimpleret. Talia, inquam, sed non eadem, sed similia; quæ suæ figuræ similitudine præsignare possent, et præmonstrare promissionum fructum et finem. Promissiones multæ erant, et una; quia multæ in una, et in multis una. Unus enim Christus finis est promissionum, quia ab omnibus justis desideratus et exspectatus, sperabatur populum suum de omni malo, quasi de hostili manu liberaturus, et benedictionem et salutem daturus. Hoc est quod Zacharias dicit : « Locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, prophetarum ejus. Salutem ex inimicis nostris (*Luc.* I), » etc. Fructus promissionum gratia est, quæ datur in baptismo : item gratia, quæ datur in Dominici corporis et sanguinis sacramento. Ibi peccatorum remissio, hic ad capessendam vitam æternam salutaris præparatio. Ibi Christus induitur, hic manducatur. Hi sunt primitivi fructus interim percipiendi, donec evacuetur quod ex parte est, et veniat quod perfectum est, ut videamus Deum deorum in Sion.

Christus autem ipse promissus, et promissor, tandem veniens, sicut ante una cum Patre ipse promiserat, duo sacramenta in aqua, scilicet baptismi et mysterii corporis sui, instituit, quibus nos sanctificaret, et sanctificatos beatificaret. Horum sacramentorum signa præcesserunt in mari, et manna. Ibi figura, hic veritas : quod intuens Apostolus dicit : « Patres nostri omnes sub nube fuerunt (*I Cor.* X). » In Exodo legitur, quod profecti filii Israel de Socoth, castrametati sunt in Ethan, in extremis finibus solitudinis. Dominus autem præcedebat eos, ad ostendendam viam per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris utroque tempore. « Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram populo. » Et infra : « Tollens se angelus Domini qui præcedebat castra Israel abiit post eos, et cum eo pariter columna nubis priora dimittens, post tergum stetit inter castra Ægyptiorum et castra Israel. Et erat nubes tenebrosa et illuminans noctem, ita ut ad se invicem accedere non valeret (*Exod.* XIV). » Historice quidem omnes qui egressi

ues hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis (*Rom.* VIII). » Si qua est ergo fides nostra, si qua spes, si qua charitas, si qua patientia, si qua humilitas; si quid gratiæ, si quid virtutis, si quid laudis coram Deo in nobis est, totum de hoc calice propinatur. Hinc enim manat omnis gratiarum divisio : huc ergo redeat omnis gratiarum actio.

Ex Evangelio Joannis (cap. VI) *:* « Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus, » etc., usque ad illa verba : « Qui credit in me, non sitiet unquam. »

De cibo qui perit et de cibo qui non perit.

Omnis creatura quæ vitam habet, cibum quoque vitæ suæ congruentem habet. Considerate cuncta animantia, cunctaque germinantia in terra; quomodo vivunt, quomodo nutriuntur, quomodo singula de nutrimento sibi accommodato quasi de cibo sibi contemperato pascuntur. Ignis quoque, quamvis vitam non habeat, unde pascitur, unde nutritur? quod consumit et devorat, pabulum ignis est, juxta quod propheta ait : « Vestimentum mistum sanguine erit in combustionem, et cibum ignis (*Isa.* IX). » Sensus quoque corporei suis delectationibus pascuntur. Species desiderabilis et pulchritudo concupiscibilis desiderium est oculorum, nec satiatur oculus visu, nec auris auditu. Sensus mentis suas habent delicias in oblectationibus suis, præter illas delectationes quas ex sensibus corporeis hauriunt. Memoria, intelligentia et voluntas, unde nutriuntur et pascuntur, unde delectantur et confortantur? Omnis autem rationalis creatura, sive angelus bonus vel malus, sive homo bonus vel malus, cibo suo pascitur, secundum qualitatem vitæ, qua feliciter vel infeliciter, bene vel male vivit. Pascuntur angeli boni laude et amore et visione Dei. Hæc est eorum vitalis refectio, vitam eorum in æternum conservans : quæ semper reficit, et nunquam deficit : a qua accipiunt, ut et ipsi nunquam deficiant. Cibus vero angeli apostatæ iniquitas ejus, qua semper contra Deum superbus est; et malitia qua semper nobis malevolus est, hæc enim ei placent, sicut e diverso humilitas et charitas semper illi displicent, a quibus semper tam jejunus, quam vacuus. Cibus vero ejus, quem diximus, quasi quædam fames est, qua semper esurit perditionem hominum, quos a se captos devoret, et quasi in corpus suum ad consentiendum sibi trajiciat. De peccatis ergo hominum, sive de ipsis peccatoribus pascitur, et avidius, si quos justos invenire valeat, adversus quos prævaleat. Hinc scriptum est : « Cibus ejus electus (*Habac.* I). » Ipse vero a malis glutitur, cum consilium suggestionis ejus in intimi sensus ventre recipitur, sicut scriptum est : « Dedisti eum escam populis Æthiopum (*Psal.* LXXIII). » Et quicunque malis accedunt infracti, vel fraude deducti, tum a diabolo, tum ab ipsis malis deglutiuntur. Hinc Psalmista ait : « Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis : Cum exsurgerent ho-

A mines in nos, forte vivos deglutissent nos (*Psal.* CXXIII). » Et item : « Non dicant in cordibus suis : Euge, euge animæ nostræ, nec dicant, devorabimus eum (*Psal.* XXXIV). » Illi quoque, qui per invidiam et contentionem se lacerant et carpunt, vicissim se comedunt. Unde Apostolus ad Galatas ait : « Quod si invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini (*Galat.* V). » Talibus escis, iniquitate scilicet et malitia, nutritur et confortatur vita malorum, vita mala. Vita vero bonorum vita bona, quam longe est ab iniquitate, et malitia, tam dissimilibus alimentis sustentatur et roboratur. Cibus enim justorum est, tum justitia, sicut scriptum est : « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam (*Matth.* V); » tum ipse justitiæ auctor Christus,
B qui dicit : « Ego sum panis vivus (*Joan.* VI). » Hunc panem comedunt omnes justi, ut justi sint et juste vivant; sine quo nulla est vita bona, nulla beata. Illi etiam qui verbo vel exemplo justorum Christo lucrifiunt, et in partem justorum cedunt, cibi sunt eorum, per quos ad Christum accedunt, juxta quod Petro dictum est : « Macta et manduca (*Act.* X). » Cibus autem temporalis, quo corporalis vita sustentatur, vires et sensus corporis, ut valeant et vigeant, confortat et conservat, sed usu consumitur. Spiritualis vero cibus vires animæ et sensus corroborat et conservat, nec usu consumitur; sed quæ bona sunt nutriens et augens, contraria, id est vitia et peccata consumit. Unde justi, quia in eis
C et ab eis peccata consumuntur, ea quodammodo comedere dicuntur, secundum illud, quod scriptum est, ut in bonam partem accipiatur : « Peccata populi mei comedent (*Osee* IV); » secundum quem modum et illud in bonam partem accipi potest : « Dedisti eum escam populis Æthiopum (*Psal.* LXXIII). » Ad eum vero cibum, quo bona vita nutritur et sustentatur, ut per hanc ad vitam beatam perveniatur, hæc Domini verba pertinent : de quibus quomodo intelligenda sint, consequenter dicendum est.

Operamini, non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus.

Post miraculum de quinque panibus et duobus piscibus, turbæ venerunt Capharnaum, quærentes
D Dominum : et cum ex insperato invenissent eum trans mare dixerunt ei : « Rabbi, quando huc venisti? Respondit Jesus, et dixit eis : Amen, amen dico vobis : Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis (*Joan.* VI). » Signa quidem viderant, quibus poterant divinitatem ejus cognoscere; sed, quia occasione temporalis refectionis, non devotione fidei, eum sequebantur : hanc ipsam eorum intentionem eis aperiens, ut vel sic Deum cognoscerent, mox ostendit pro quo et quali cibo magis laborandum sit, dicens : « Operamini, non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. » Hoc intelligi potest de justitia, cujus amore pascuntur justi; quam gratis dat filius hominis, gratis justificans

impium. Justitia autem permanet in vitam æternam, secundum illud : « Justitia ejus manet in sæculum sæculi (*Psal.* CXI). » Et illud : « Justi autem in perpetuum vivent (*Sap.* V). » Cibum operantur, qui perit, quicunque operantur iniquitatem ; et qui præter fidem Christi quæ bona putant, operantur, et qui per occasionem, et non per veritatem, Christum sequuntur. Cibus autem qui non perit, justitia est; ea quæ ex fide est Christi Jesu, et ipse dator hujus justitiæ Jesus Christus : qui cum esset apud Patrem panis angelorum, inter homines homo fieri voluit, ut panem angelorum manducaret homo. Dans autem fidem, quæ per dilectionem operatur; dat ut in ipsum credatur, ut ipse diligatur, ut ipsi sicut vero Deo serviatur. Denique seipsum dat manducandum, nobis autem operantibus dat. Propter quod dicit : « Operamini ; » etiam cum omne meritum nostrum præveniens, gratis dat. Hinc Apostolus ait : « Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis ; Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur (*Ephes.* II). » Cibum autem permanentem in vitam æternam filius hominis dat per sacramentum dispensationis, qua fieri voluit filius hominis. Nec dare non potest, quamvis filius hominis est : hunc enim Pater signavit Deus. Hunc quippe Pater, ut cibum talem nobis daret, proprio signo singularis sanctitatis a cæteris discrevit, ungens eum oleo exsultationis præ participibus suis. Hoc autem quod dictum est : « Signavit Pater, » sic expositum sit, secundum beatum Augustinum. Cæterum secundum beatum Hilarium si expositio requiritur, ipsa ejus verba in sua sinceritate ponenda sunt. Dicit itaque in libro octavo *De Trinitate :* « Unigenitus Dei, et per sacramentum salutis nostræ hominis filius, volens proprietatis nobis paternæ in se significare speciem, signatum se a Deo Patre ait. Et hoc ideo, quia vitæ æternæ escam filius hominis esset daturus, ut per hoc potestas in eo dandæ ad æternitatem escæ intelligi posset; quia omnem in se paternæ formæ plenitudinem signantis Dei contineret, ut quod signasset Deus, non aliud ex se, quam formam Dei signantis afferret. » In eo quod dixerat Dominus : « Operamini cibum, qui permanet in vitam æternam, » intellexerunt illi, se admoneri ad opera Dei facienda. Quærunt ergo, quid faciendo opera Dei valeant operari. Respondit Jesus, et dixit eis : « Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille (*Joan.* VI). » Quærebant ergo illi de operibus, quasi de multis ; ille respondet de opere Dei, quasi de uno, ut ostendat omnia opera bona ex uno procedere. Cui simile est, quod Psalmista dicit : « Opera manuum nostrarum dirige super nos, et opus manuum nostrarum dirige (*Psal.* LXXXIX). » Fides vero operans per dilectionem ipsa est opus Dei, et initium bonorum operum in nobis : « Sine fide enim impossibile est placere Deo (*Hebr.* XI) » Quærentibus ergo eis, quæ sint opera Dei, quia nondum fidem habebant, sine qua opera Dei

A operari non valebant, invitantur ad fidem, quæ est opus Dei, ut videlicet in eum credant, quem misit Deus. Intelligentes illi hoc ab ipso de se dici, dixerunt ei : « Quod ergo tu facis signum, ut videamus et credamus tibi? Quid operaris? » (*Joan.* VI.) Ecce Judæi signa petunt, nec sufficit eis signum de quinque panibus. Parum enim est hoc ut credatur Christus tam potens, ut possit dare cibum permanentem in vitam æternam, quia dedit panes hordeaceos. Quia Moyses tanta non promisit, per quem manna de cœlis datum est eis. Comparant ergo signum per Moysen factum huic signo de quinque panibus, tanquam majus minori, quasi fide indignum sit, quod de se dixerat. Dicunt itaque : « Patres nostri manna manducaverunt in deserto, sicut B scriptum est : Panem de cœlo dedit eis manducare (*ibid.*). » Ad hoc quod dixerat, panem de cœlo patribus datum, respondet Christus, ostendens verum panem de cœlo non esse datum per Moysen, sed nunc a Patre. Dicit ergo eis : « Amen, amen dico vobis : Non Moyses dedit vobis panem de cœlo; sed Pater meus dat vobis panem de cœlo. Verus enim panis est, qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo (*ibid.*). » Pater meus dat vobis panem verum. Panis enim Dei est, qui descendit de cœlo, et dat vitam mundo. Illi vero carnaliter hæc intelligentes, dixerunt ad eum : « Domine, semper da nobis panem hunc (*ibid.*). » Quomodo mulier Samaritana, cui dictum est : « Qui biberit ex aqua, quam C ego dabo, non sitiet in æternum (*Joan.* IV) ; » continuo hoc secundum corpus accipiens, et corporali indigentia carere volens : « Domine, inquit, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire (*ibid.*). » Sic et isti : « Domine, da nobis hunc panem, » videlicet qui reficiat, et non deficiat : propter quod miraculum de quinque panibus cum regem facere voluerunt. Ipse vero revocat eos ad se, et quem panem dixit, evidentius aperit, dicens : « Ego sum panis vitæ. Qui venit ad me, non esuriet; et qui credit in me, non sitiet unquam (*Joan.* VI). » Qui venit ad me, hoc est, quod ait, « et qui credit in me ; » et quod dixit, « non esuriet, » hoc intelligendum est, et non sitiet unquam. Utroque enim significatur æterna satietas, D ubi nulla est egestas. Sapientia tamen dicit : « Qui edunt me, adhuc esurient; et qui bibunt me, adhuc sitient (*Eccli.* XXIV). » Christus qui est Dei sapientia in præsenti non manducatur in satietate desiderii; sed in desiderio satietatis, et quanto plus ejus suavitas gustatur, tanto magis desiderium irritatur. Propterea qui edunt me, adhuc esurient, donec veniat satietas. Cum autem in bonis repletum fuerit desiderium, tunc nec esurient, neque sitient amplius. Potest etiam secundum futurum statum intelligi, quod dictum est : « Qui edunt me, adhuc esurient, » etc. Est enim in illa æterna satietate quasi quædam esuries, non egestatis, sed felicitatis ; ubi semper manducare appetunt, qui manducare nunquam nolunt, et in satietate nun-

quam fastidiunt. Est enim satietas sine fastidio, et desiderium sine suspirio. Christus enim in decore suo semper admirabilis, semper est et desiderabilis, in quem desiderant angeli prospicere. Ergo et cum habetur, desideratur; et cum tenetur, quæritur, sicut scriptum est: « Quærite faciem ejus semper (*Psal.* CV). » Semper enim quæritur, qui ad hoc diligitur, ut semper habeatur. Itaque et qui inveniunt, adhuc quærunt; et qui edunt, adhuc esuriunt; et qui bibunt, adhuc sitiunt. Sed hæc inquisitio omnem sollicitudinem tollit, sed hæc esuries omnem esuriem pellit, sed hæc sitis omnem sitim exstinguit. Non est egestatis, sed consummatæ felicitatis. De illa enim quæ egestatis est, dicitur: « Qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet unquam. » De ea vero quæ felicitatis est, dicitur: « Qui edunt me, adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitient. » Possunt autem pro eodem accipi esuries et sitis, sive in egestate, sive in felicitate. Quod si distinctio aliqua requiritur, occasionem dat Psalmista requirentibus eam, cum dicit: « Panis cor hominis confirmat, et vinum lætificat cor hominis (*Psal.* CIII). » Christus in se credentibus cibus est et potus, panis et vinum: panis, cum confirmat et solidat, de quo Petrus ait: « Deus omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu, modicum passos, ipse perficiet, confirmabit solidabitque (*I Petr.* V). » Potus vel vinum est, cum lætificat. Ad quem Propheta: « Lætifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi (*Psal.* LXXXV). » Quidquid in nobis est forte et validum et firmum, lætum aut jucundum, in mandatis Dei faciendis, in malis tolerandis, in exsecutione obedientiæ, in defensione justitiæ; totum hoc robur est et firmamentum hujus panis, aut lætificatio hujus potus. Beati qui fortiter et hilariter agunt. Et quia hoc a se nemo habet, beati qui avide desiderant, quæ justa et honesta sunt, sectari; et in omnibus ab eo confortari, et exhilarari, qui dicit: « Beati qui esuriunt justitiam (*Matth.* V). » Quod si Christus secundum præsentem justorum fortitudinem et lætitiam panis est et potus, quanto magis in futuro hoc erit, secundum quod justis tunc erit? In superioribus Christi verbis adverti potest, cibum hunc qui permanet in vitam æternam, dici panem de cœlo, panem verum, panem Dei, panem vitæ: et ejus utilitas ostenditur, quod vitam dat mundo, et quod esuriem et sitim in perpetuum excludit. Panis ergo de cœlo dicitur, ut ostendatur, unde sit, et discernatur a terreno pane, qui perit. Panis verus dicitur a manna, quod in figura hujus veritatis præcessit. Panis Dei dicitur, ut discernatur a pane, qui arte hominis pistoris conficitur et paratur: hic enim a Deo paratus et præparatus est, sicut scriptum est: « Parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio ejus (*Psal.* LXIV). » Panis vitæ dicitur, ut discernatur a pane hoc corruptibili, qui nec vitæ est, nec vitam dat, sed vix et ægre ad

A tempus vitam servat. Hic autem vita est, et vitam dat, et vitam servat, quæ morti mortisque causæ nihil debeat.

Amen, amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam, etc., usque ad illud: *Qui manducat ex hoc pane, vivet in æternum* (*Joan.* VI).

Christus est panis vitæ, credentibus in eum. In Christum credere hoc est panem vitæ manducare, hoc est Christum in se habere, hoc est etiam vitam æternam habere. Hoc ostendere volens Christus dicit: « Qui credit in me, habet vitam æternam. » Et quid dixerit declarans, addit: « Ego sum panis vitæ (*ibid.*). » Compendio dici potuit: Qui credit in me, habet me, propterea vitam æternam habet. Habet quidem in causa, habet in B merito, habet in spe, habet in pignore, habet unde habeat. Denique qui Christum habet in se, vitam æternam habet nondum revelatam in se, sed in Christo absconditam, quem habet in se. Vita enim nostra abscondita est cum Christo in Deo. Hæc ergo optima gratia, quæ nobis in Christo reposita est, jam habetur in Christo, ex eo quod Christus habetur hujus gratiæ repromissor et dator, custosque fidelis, habens eam penes se depositam, et redditurus eam in die revelationis gloriæ filiorum Dei « Ego sum, inquit, panis vitæ. » Hoc prius dixerat, et hujus repetitio confirmatio est, vel forte munerum ejus distinctio, ut utriusque vitæ, et illius, quæ nunc bona est; et illius, quæ futura est beata, unus ipse dator intelligatur, et C auctor: « Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt (*Joan.* VI). » Hoc de morte spirituali intelligendum est. Quare mortui sunt? Quia quod videbant, credebant; et quod non videbant, non intelligebant. Ideo patres vestri, quia similes estis illorum, et infidelium filiorum infideles patres. Quantum pertinet ad mortem istam corporalem, et nos morimur, qui manducamus panem de cœlo descendentem; quantum pertinet ad mortem spiritualem, manducavit manna Moyses, manducavit Aaron, manducaverunt et multi, qui Deo placuerunt, et mortui non sunt. Quare non sunt mortui? Quia spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustaverunt, ut spiritualiter satiarentur. « Hic est, inquit, D panis vivus de cœlo descendens, ut si quis ex eo manducaverit, non moriatur (*ibid*). » Hic ipse panis, id est Christus, qui infidelibus loquebatur, significatus est per manna, sed plus potest quam manna. Manna enim ipsum nec fidelibus nec infidelibus præstare potuit, ut spiritualiter non morerentur, sed Christus qui in manna significatus est, quem intellexerunt in manna antiqui justi, et in ipsum venturum crediderunt, omnibus credentibus in eum præstat, ut spiritualiter non moriantur. Propterea dicit: « Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex eo manducaverit, non moriatur. » Hic nunc in terra, nunc in oculis vestris, non cordis, sed carnis, est panis de cœlo descendens. Et

mox se esse hunc panem, aperit, dicens : « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. » Ecce nunc panis vivus dicitur, qui panis vitæ antea dictus est. Vivus autem panis est, quia vitam habet in se manentem et quia potest spiritualem mortem auferre, et vitam conferre. Nam de morte auferenda præmittit, dicens : « Ut si quis ex eo manducaverit, non moriatur. » De vita vero conferenda, subjungit : « Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. »

Et panis quem ego dabo, caro mea est, etc. usque ad illud : *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Verbum Dei aliis dat escam, aliis ipsum est esca. Escam enim dat, sicut scriptum est : « Omnia a te exspectant, Domine, ut des illis escam in tempore (*Psal.* CIII). » Et iterum : « Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das illis escam in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione (*Psal.* CXLIV). » Rationali autem creaturæ, quæ sola justitiæ et beatitudinis particeps esse potest, si per propriam voluntatem ab ea non est aversa, sed per amorem obedientiæ ad illum conversa, ut non sibi, sed illi vivat, sic cibum dat, unde vivat, ut sit illi cibus, cujus participatione bene et beate vivat. Postquam ergo dixerat se esse panem vivum, qui de cœlo descendit, et qui vitam æternam dare potest, in quo significavit se Deum esse, et vitam angelorum et hominum ; consequenter, ut plus mirentur, ostendit, assumptam carnem cibum esse vitalem, et a se dari pro mundi vita, dicens : « Et panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita. » Corpus Christi caro est secundum proprietatem naturæ : et panis dicitur, vel quia sub specie panis offertur, vel quia per panem pro similitudine virtutis suæ nonnunquam significatur : « Litigabant ergo Judæi (*Joan.* VI). » Hoc quando caperet caro, quod dixit panem carnem ? Vocatur caro, quod non capit caro ; et ideo magis non capit caro, quia vocatur caro. Hoc enim exhorruerunt, hoc ad se multum esse dixerunt, hoc non posse fieri putaverunt : unde et litigabant ad invicem, dicentes : « Quomodo potest hic carnem suam dare nobis ad manducandum? (*ibid.*) » Quomodo nunc piam inquisitionem significat credentis ut ibi : « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco ? (*Luc.* I) » Nunc impiam negationem non credentis, ut hic : « Dixit ergo eis Jesus : Amen, amen dico vobis. » Ac si diceret : Etsi ignoretis, etsi credere detrectetis ; tamen verum est, quod nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis. Hoc intelligendum est de spirituali vita qua juste vivitur, et de æterna qua beate vivitur. Neutram vero habebit, qui non manducat.

Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus (Joan. VI).

Quod dixerat non habere eum, qui non manducat, illud idem ostendit habere illum, qui manducat, dicens : « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. » Jam nunc habet, sicut prædiximus, vel secundum spiritum, etsi non secundum carnem. Spiritus enim justorum Deo adhærentes, ab ejus dilectione nunquam separabuntur ; et ideo semper vivent. Unde et dicitur : « Non est Deus mortuorum, sed viventium (*Matth.* XXII). » Et iterum scriptum est : « Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace (*Sap.* III). » Ex his verbis poterant illi cogitare, non esse illum moriturum corporali morte, qui hanc carnem manducaret. Huic cogitationi occurrit, dicens : « Et ego resuscitabo eum. » Quasi diceret : Non nego eum corporali morte moriturum, qui carnem meam manducat. Morietur quidem secundum carnem, sed resuscitabo eum, ut nec caro vita æterna fraudetur ; sed hoc erit in novissimo die. Mox ut ostendat, hunc cibum sufficientem esse omnem indigentiam tollere, et vitam, et omnem sufficientiam præstare, adjungit : « Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. » Cum cibo et potu id appetant homines, ut vivant et non esuriant, neque sitiant, hoc veraciter non præstat nisi iste cibus et potus, qui eos, a quibus sumitur, immortales et incorruptibiles facit. Hic ergo vere est cibus, qui vere præstat, quod in cibo appetitur ; unde carni et animæ vitam et omnem sufficientiam præstare potest, ut nullius ultra indigeat. Hinc pro utriusque indigentia tollenda Propheta clamat : « Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea (*Psal.* LXII). »

QUI MANDUCAT MEAM CARNEM. Christus duobus modis manducatur ; quia duobus modis participatur. Una est participatio per fidem : non eam nunc dico, quæ in mortuis, id est peccatoribus mortua est ; sed eam, ex qua justus vivit, de qua superius dictum est : « Qui credit in me, habet vitam æternam (*Joan.* VI). » Hæc autem fides sine charitate non est. Per fidem autem justificamur, et participes amicitiæ Dei efficimur ; per fidem habitat Christus in cordibus nostris, et se nobis cognoscendum indulget, et participandum. Verbum Patri coæternum, unum cum Patre Deum verum cognoscunt angeli per speciem ; per fidem Unigenitum, qui est in sinu Patris, de cœlo ad nos missum, et propter nos incarnatum, panem vivum, qui de cœlo descendit, manducamus. Cognoscentes per fidem carnem pro nobis acceptam, nobis in cibum datam, carnem Christi manducamus. Est ergo fides unitatis, et fides unionis, et fides communionis. Fide unitatis credimus Filium unum esse cum Patre, sicut ipse dicit : « Ego et Pater unum sumus (*Joan.* X). » Huic fidei adjuncta est fides Trinitatis. Non enim fidem unitatis in Deo, id est unius divinitatis, plene habet, nisi qui credit, singulas trium personarum esse unum Deum, et omnes tres simul non esse nisi unum Deum. Mysterium enim unitatis in Trinitate continet mysterium Trinitatis in unitate. Et sine fide Trinitatis fides unius Dei plena non est ; quia Trinitas unus

Deus est. Fide unionis credimus, quod unigenitus Filius Dei humanam naturam in unitate personæ per mysterium Incarnationis sibi habet unitam. Huic fidei adjuncta est fides unitatis, qua credimus, unam esse personam in duabus naturis. Non enim plenam fidem habet hujus unionis, qui credit duas naturas in una persona non uniri, vel personam in duabus naturis dividi. Fide communionis credimus sacrosanctam Christi carnem vivificatricem et sanctificatricem nobis dispensari, et communicari in remissionem peccatorum; Deo mirabiliter dispensante; qui hoc ipsum a nobis voluit in alimoniam sumi, quod a se voluit pro nobis, et de nobis assumi. Huic fidei adjuncta est fides passionis, quæ in oblatione sacræ communionis repræsentatur, ubi et mors Domini annuntiatur.

Summa autem fidei nostræ hæc est, cognoscere Christum in Patre, Christum in carne, Christum in altaris participatione. Omnia autem fidei mysteria ad hanc summam colliguntur, et quæcunque scripta sunt in lege et psalmis et prophetis, ad hunc finem diriguntur, ut Christus cognoscatur, et agnitus diligatur. Quicunque igitur justificatus per fidem, digne et pie et fideliter sentit de sacramento unitatis, sacramento unionis, et communionis, hic panem angelorum qui in cœlo est, hic panem vivum qui de cœlo descendit, hic carnem Christi manducat, hic ipsum manducando participat, et participando manducat. Hoc dictum sit de uno modo manducandi, quo Christus fidetenus a justis manducatur; pro quo uno tres modi distingui possunt, secundum fidem unitatis, unionis et communionis. Aliud est enim credere de divinitate Christi quod dignum est, aliud de humanitate ejus quod verum est; aut secundum gratiam dispensationis, qua se voluit de nostra carne vestiri; aut secundum gratiam dispensationis, qua nos voluit sua carne cibari. Verumtamen plures modi ad unum modum generalem colliguntur; quia una est fides catholica mysteria continens divinitatis Christi et Incarnationis, et sacræ communionis. De quo modo beatus Augustinus dicit : « Crede et manducasti. » Alius vero modus est, cum Christus non tantum fide et virtute sacræ communionis in corde nostro suscipitur, vel susceptus habetur; sed esu et usu et perceptione ipsius corporis et sanguinis sui intra nos recipitur, ut sit in nobis non solum per præsentiam divinitatis, a qua conditi sumus, sed etiam per præsentiam corporis, quo redempti sumus, sicut ipse repromisit, et dixit : « Ecce ego vobiscum sum, usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII). » Dicit itaque : « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo (*Joan.* VI). »

ET BIBIT MEUM SANGUINEM. Sicut caro Christi duobus modis manducatur, sic et sanguis Christi duobus modis bibitur; haustu scilicet ipsius sanguinis in sacramento ac virtute fidei, ex qua justus vivit, quæ est etiam virtus sacramenti. Quantum ad proprietatem substantiæ pertinet, aliud est caro, aliud est sanguis. Quantum ad sacramentum pertinet, alia est visibilis species, quæ carnem Christi significat, et carnem non sine sanguine continet; alia est visibilis species, quæ sanguinem significat, et sanguinem non sine carne continet. Quantum ad repræsentationem rei gestæ, caro Christi sub specie panis oblata seipsam repræsentat alio modo in cruce oblatam; et sanguis sub specie vini oblatus seipsum repræsentat de corpore Christi in cruce fusum : hoc pariter intelligendum admonens, quod Christus qui sanguinem suum pro nobis fudit, animam suam pro nobis posuit. Nam, sicut in Levitico scriptum est : « Anima omnis carnis in sanguine est (*Levit.* XVII). » Cum itaque caro et sanguis Christi diversa sint, et in diversis speciebus significentur, et diversis modis sese repræsentent, una tamen utriusque virtus esse ostenditur ex eo quod dicit : « Qui manducat carnem meam, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam; » et ex eo quod postea additur : « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo. » Quicunque vero fide Incarnationis et passionis Christi vivificatur, ut juste vivat, id est ut non sibi, sed Christo et in Christo vivat, hic carnem Christi ore fidei manducat, et sanguinem Christi bibit. Nec manducatur caro in virtute fidei, nisi et sanguis bibatur; nec bibitur sanguis, nisi caro manducetur, quia una est virtus utriusque, qua utrumque participatur; et una utriusque utilitas, quæ in utroque per fidem obtinetur. Credenti enim vita æterna datur, sicut Christus dicit : « Qui credit in me, habet vitam æternam. » Manducanti et bibenti datur, sicut ipse iterum dicit : « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. » Quod autem fides etiam ad potum pertineat, ostenditur, ex eo quod dicit : « Qui credit in me, non sitiet unquam. » Per fidem ergo manducatur caro Christi, et per fidem bibitur sanguis Christi. Fide enim veneramur remedium salutis nostræ, et in carne et in sanguine Christi, nec dividuntur in fide, quæ non separantur in virtute. Hæc est fides, quæ justificat et vivificat, de qua Apostolus dicit : « Justitia Dei per fidem Jesu Christi, in omnes et super omnes qui credunt (*Rom.* III). »

IN ME MANET, ET EGO IN ILLO. Superius ostendit quantam conferat utilitatem caro Christi, si manducetur, et sanguis ejus, si bibatur; nunc autem ostendit quantam familiaritatis et honoris conferat gratiam. Hoc enim præstat, ut ille sit in Christo, et Christus in illo qui manducat. Magna est hæc et inæstimabilis gratia, mansionem in Christo habere, et mansionem Christo præbere. Sicut credendo manducamus, sic perseveranter diligendo in Christo manemus. Deus enim charitas est; et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. Hinc ipse Christus dicit : « Manete in dilectione mea (*Joan.* XV). » In Christo itaque manet qui in tentatione non recedit, sed in omnibus fortiter agit, vincendi fiducia, et perseverandi constantia. Hinc est fru-

ctus justitiæ qui manet, quem afferunt justi, quia in Christo manent, sicut palmites in vite, qui non possunt fructum facere, nisi manserint in vite. Est autem dilectio, qua a Deo diligimur, et est dilectio, qua Deum diligimus. In utraque manemus, si Christum diligere perseveramus. Custodit enim Dominus diligentes se. Est enim quædam dilectio, qua fratres et proximos nostros in Christo diligimus, sicut membra Christi, et corporis ejus, quod est Ecclesia. Omnia hujus corporis membra uno spiritu vivificantur, videlicet Spiritu sancto, sicut omnia membra hominis vivunt de uno spiritu hominis. Qui autem de spiritu Christi non vivunt, hi de corpore ejus non sunt, nec membra ejus sunt, nec in Christo manent. At qui servant unitatem spiritus in vinculo pacis; qui jus fraternitatis et spiritualis societatis inviolabiliter servant; qui ab ecclesiastica unitate nec per hæreses, nec per schismata, nec per vitæ vel morum vitia se separant, hi in corpore Christi et in Christo manent; quia vere Christum participant, et participando manducant. Propter quod dicit: « Qui manducat meam carnem, in me manet. » Et addit: « Et ego in illo (*Joan.* VI). » Nos confirmavit, ille jugiter in nobis operatur, ut maneamus et confirmemur in illo; « quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in æternum (*Psal.* CXVI). » Hinc ipse dicit: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (*Joan.* XIV). » Qui dicit: « Ego diligentes me diligo (*Prov.* VIII); » in his qui perseverant diligere, mansionem facit Deus, ut maneant, manens ipse in manentibus in se. Sed quid est, quod dicit: « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum: » quasi prius Christus a nobis diligatur, quam nos diligamur a Patre, vel quam ad nos veniat, et mansionem faciat Filius una cum Patre, cum Joannes dicat: « In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum; sed quia ipse prior dilexit nos? » (*I Joan.* IV.) Facilis autem occurrit responsio considerantibus quod et dilexit nos, et elegit in Filio, secundum propositum gratiæ suæ, ante mundi constitutionem; et quod nos diligit vocando et justificando, gratiam suam adaugendo, et per profectum justitiæ ad perfectum ducendo, et in dilectione sua confirmando. Sicut enim profectu malitiæ mali obdurantur, et consuetudine peccandi obstinati redduntur, sic boni quodam ordine gratiæ incipientis et proficientis a Deo præveniente, et veniente, et manente, ad perseverantiam confirmantur. Hoc autem ordine ad vitam æternam perveniunt. « Qui » enim « perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* X). » Christus itaque prævenit diligendo, et diligit præveniendo; quem qui diligit, diligetur a Patre dilectionis exhibitione, et abundantioris gratiæ collatione. Potest autem et alio modo intelligi, quod dictum est: « Pater meus diliget eum. » « Si quis, » inquit, « diligit me, sermonem meum servabit (*Joan.* XIV), » id est perseverabit servare. Parum est enim si servat, si non et servabit. Laus enim non fingentis, non sibi blandientis, non tepide aut leviter amantis, sola est perseverantia. Hinc Propheta ait: « Diligam te, Domine, » id est diligere perseverabo. Quod ut faciam, non mihi sine te sufficio, sed tu es « fortitudo mea (*Psal.* XVII). » Pater, « inquit, meus diliget eum, » id est perseverantem obedire perseverabit diligere. Non quod dilectio Dei levis sit et mutabilis, qui electos suos dilexit ante mundi constitutionem: et Christus, cum dilexisset suos, in finem dilexit eos, sed perseveranter diligit, quos in sua dilectione mansuros custodit; et gratiam suam ei subtrahit, qui se gratiæ ipsius indignum facit. Dicens ergo Christus: « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo (*Joan.* VI), » patenter insinuat quod qui in ipsum credit, et qui ipsum manducat, nonnisi ipsum manducando confortatur, ut in Christo maneat, donec ad vitam æternam perveniat. Hinc justus orat: « Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis (*Psal.* LXVII). » Hic ergo cibus, cum plena fide et digna veneratione manducatur, justitiam dat et perseverantiam, et vitam æternam, ut justificati per fidem et in charitate radicati, in eo securi maneamus, qui factus est nobis in domum refugii, et in locum munitum, quia in nobis sine fine manet, sicut scriptum est: « Lætentur omnes qui sperant in te; in æternum exsultabunt, et habitabis in eis (*Psal.* V). »

Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem. Et qui manducat me, vivet propter me.

Hæc verba secundum beatum Augustinum sic intelliguntur, qui in sermone 26 super Joannem, sic ait: « Missio quippe ejus exinanitio suimet ipsius est, et formæ servilis acceptio. » Quod recte intelligitur, servata etiam filii cum Patre æqualitate naturæ. Major est enim Pater homine filio, sed æqualem habet Deum Filium, cum idem ipse sit et Deus et homo, Dei Filius et hominis filius, unus Jesus Christus. In qua sententia si recte accipiuntur hæc verba, ita dixit: « Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivet propter me; » ac si diceret: Ut ego vivam propter Patrem, id est ad illum tanquam majorem referam vitam me, exinanitio mea fecit, in qua me misit. Ut autem quisquam vivat propter me, participatio facit, qua manducat me. Ego itaque humiliatus vivo propter Patrem, ille erectus vivit propter me. Si autem ita dictum est: Vivo propter Patrem, quia ipse de illo, non ille de ipso, sine detrimento æqualitatis dictum est. Nec tamen dicendo: « Et qui manducat me, et ipse vivet propter me, eamdem nostram et suam æqualitatem significavit, sed gratiam mediatoris ostendit. » Hæc Augustinus. Quid ergo in his verbis Christi nobis intimatur, nisi ipsum a Deo Patre missum fuisse, ad hoc in mundum venisse, ut manducantes eum, id est cre-

dentes in eum, vivant propter ipsum, sicut ipse vivit propter Patrem? Vivit autem Christus propter Patrem, aut ut beatus Hilarius, vivit per Patrem, quia de Patre est, Deus de Deo, vita de vita. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso. Hoc secundum vitam, qua vivit apud Patrem. Secundum vero vitam, qua vixit apud homines homo, propter Patrem vixit; quia Patrem in vita clarificavit, voluntatem ejus faciens, et in omnibus honorem deferens. Nos autem vivimus propter ipsum, si totum quod vivimus referamus ad ipsum, de cujus munere venit quod juste vivimus, de cujus virtute speramus, quod beatissime victuri sumus. Hinc Psalmista dicit : « Laudabo Dominum in vita mea (*Psal.* CXLV). » Et iterum : « Deus, vitam meam annuntiavi tibi (*Psal.* LV) » In hac autem comparatione qua nunc utitur Christus, bina et bina mutua collatione sese respiciunt. Missio enim et manducatio per similem efficientiam sibi conferri possunt. Efficit enim missio, ut vivat Christus per Patrem, in quantum minor est Patre, efficit manducatio, ut nos vivamus propter Christum, qui mediator Dei et hominum Patri reconciliat viventes propter se, sicut ille vivit propter Patrem. Vita Christi propter Patrem, et vita nostra propter Christum, per similem causam et intentionem et finem, id est procedendo, tendendo, perveniendo sese respiciunt. Nam et hæc et illa illuc redit, unde incipit; ad illum refertur, a quo confertur; illi redditur, a quo accipitur. Quod Christus dicit : « Qui manducat me, vivet propter me (*Joan.* VI): » duobus modis recte intelligitur, aut ratione affectus, aut ratione signi. Id enim efficit hæc manducatio, ut vivamus propter Christum; hoc est, per gratiam ejus ad gloriam ejus; et quod vivimus propter Christum, signum est, quia manducamus Christum. Similiter duobus modis intelligi potest, quod præmissum est : « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo (*ibid.*). » In Christo enim manere, manducationis effectus est et signum; ac si diceretur : Signum quia manducat et bibit, hoc est si manet in me, si vivit propter me.

Hic est panis, qui de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.

Attendite quoties Christus eadem replicat, quoties inculcat, Patrem hunc panem dedisse, hunc panem de cœlo descendisse, hunc panem vitam æternam dare. Ut quid hoc? Utique ad astruendam fidem divinitatis suæ, ut indubitanter Deus esse credatur, qui Patrem habeat Deum; qui in cœlo fuerit, et de cœlo descenderit, qui velit manducari, et non possit consumi; qui vitam æternam possit dare, et in novissimo die a mortuis suscitare. Propterea quasi repetendo dicit : « Hic est panis, qui de cœlo descendit. » Et ut ostendat hunc panem plus esse et posse, quam manna, addit : « Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. »

***Hæc dixit in Synagoga dicens*, etc. usque ad illud : *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt* (*Joan.* VI).**

Qui aderant, plures non intelligendo scandalizati sunt; et multi hæc audientes non ex inimicis, sed ex discipulis ejus, dixerunt : « Durus est hic sermo. Quis potest eum audire? » Si discipuli durum habuerunt istum sermonem, quid inimici? Intellexerunt illi, quod disponeret Jesus carnem veluti concisam distribuere credentibus in se : « Sciens autem Jesus apud semetipsum, quia murmurabant de hoc discipuli ejus (*ibid.*) : » (sic enim apud se ista dixerunt, ut ab illo non audirentur; sed ille qui eos noverat in semetipsis, audiens apud semetipsum,) « respondit et dixit : Hoc vos scandizat; » quia dixi, carnem meam ad manducandum, et sanguinem meum ad bibendum dari? Hoc vos nempe scandalizat : « Si ergo videritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius? » Quid est hoc? Hinc solvit quod eos moverat; hinc aperuit, unde scandalizati sunt; hinc plane, si intelligerent. Illi enim putabant, eum per divisionem erogaturum corpus suum, ille dixit se ascensurum in cœlum, utique integrum. Cum videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius, certe vel tunc videbitis, quia non eo modo quo putatis, erogat corpus; certe vel tunc intelligetis, quia gratia non consumitur morsibus. Alio loco Christus dicit : « Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo (*Joan.* III). » Unde intelligitur, secundum unitatem personæ, et tunc eum, et prius fuisse in cœlo, qui propter humanitatem exaltandam nunc ascensurus dicitur in cœlum. Deinde adjungit : « Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. » O Domine, magister bone, quomodo caro non prodest quidquam, cum tu dixeris: « Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis? » (*Joan.* VI.) An vita non prodest quidquam? Et propter quid sumus, nisi ut habeamus vitam æternam, quam tua carne promittis? Quid ergo caro non prodest quidquam? Quomodo contraria non sunt : « Caro mea vere est cibus, et caro non prodest quidquam? » Dignum videretur secundum clementiam et benignitatem Christi, ut qui in verbis ejus scandalizati sunt non credentes, ab errore incredulitatis suæ, per declarationem sermonum, quæ illuminat, et intellectum dat parvulis, revocarentur ad agnitionem veritatis et pietatem fidei; quatenus de carne Christi digne sentirent; sicut ipse credi voluit, et nobis credere expedit. Nunc autem scandalizatis, quasi eos in errore relinquere volens, dicit : « Caro non prodest quidquam. » Quis enim de carne Christi indigne sentiens non libenter audiat : « Caro non prodest quidquam? » Nam qui

incredulus est, hinc forte assertionis suæ testimonium assumet, qua utilitati tanti sacramenti contradicere præsumet. Sed verus est sermo, qui de illo scriptus est : « Ecce hic positus est in ruinam, et in resurrectionem multorum (*Luc.* II). » Doctrina ejus aliis est odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem. Sciens ergo quibus loqueretur, dixit quod oportuit; sicut illis dici oportuit, qui post miracula, et manifesta divinitatis ejus documenta verbis ejus credere renuerunt. Cogitabant illi carnem carnaliter, non spiritualiter; secundum sensum carnis, et sapientiam carnis. Carnalis autem sensus non prodest quidquam. Ipsa etiam caro impie et irreverenter et carnaliter cogitata, sicut ea quæ in cadavere dilaniatur, vel in macello venditur. Taliter cogitantibus, id est non credentibus, non prodest quidquam. Dicturus autem : « Caro non prodest quidquam, » præsumit, « Spiritus est, qui vivificat; » alterum propter bonos, alterum propter malos. Spiritus enim Dei per spiritualem intelligentiam, id est per veram Christi fidem, et per spiritualem sapientiam, hoc est per veram Christi dilectionem, justos vivificat, ut spiritualiter intelligant, et spiritualiter vivant. Ad quos pertinet, quod hic dicitur : « Spiritus est, qui vivificat; » et quod præmittitur : « Caro mea vere est cibus. » At qui a spirituali intelligentia, hoc est a fide Christi alieni sunt, aut qui fidem habentes, a spirituali sapientia, hoc est a charitate Christi, vacui sunt, hi a spiritu Dei non vivificantur, nec Christi carnem spiritualiter manducant, ita scilicet ut vivant et maneant in illo, et ipse in eis. Propterea illis, quibus caro non prodest quidquam, dicitur : « Caro non prodest quidquam. » Quod ergo Christus de carne videtur contraria dicere, quasi prosit et non prosit, eo pertinet ut intelligatur, spiritualibus, qui a spiritu Christi vivificantur, prodesse; carnalibus vero, qui Spiritu Dei non aguntur, omnino non prodesse. Secundum hunc modum loquitur Apostolus de lege. Nam quodam loco legem quasi inutilem aut malam ostendere volens, dicit : « Littera occidit (*II Cor.* III). » Et iterum : « Lex iram operatur (*Rom.* IV). » Et : « Virtus vero peccati, lex (*I Cor.* XV). » Sed hæc dicuntur propter malos, et contra malos, in quibus occasione mandati concupiscentia augetur, et per legis prævaricationem lex contemnitur. Lex enim hostem demonstrat et instigat, et contra hostem non adjuvat; concupiscentiam vetat, et excitat; prævaricationem addit et punit. Alio loco dicit : « Lex sancta est et bona (*Rom.* VII), » Et iterum : « Lex spiritualis est (*ibid.*); » et hoc propter bonos. Sic de fide et de scientia variatur locutio; quia aliis et aliis prodesse possunt, aut non prodesse. Christus dicit : « Qui credit in me, habet vitam æternam (*Joan.* VI). » Apostolus dicit : « Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum (*I Cor.* XIII). » Propheta dicit : « Bonitatem, et disciplinam, et scientiam doce me (*Psal.* CXVIII). » Apostolus dicit : « Scientia inflat, charitas vero ædificat (*I Cor.* VIII). » Sicut ergo fides vel scientia sola sine charitate, et sicut littera legis sine spiritu legis nihil prodest; sic caro sine spiritu, hoc est sine gratia fidei et charitatis, nihil prodest. Et quemadmodum Apostolus dicit : « Littera occidit, spiritus autem vivificat (*II Cor.* III); » sic Christus dicit : « Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam. » Quomodo autem spiritus vivificet, ostendere volens, adjungit : « Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. » Quid est, spiritus et vita sunt? Spiritualiter intelligenda sunt. Intellexisti spiritualiter : « Spiritus et vita sunt; » intellexisti carnaliter etiam sic illa : « spiritus et vita sunt, » sed tibi non sunt. Spiritus et vita sunt, quia per inspirationem spiritualis gratiæ vitam, qua bene vivitur, præstant et servant.

Sunt quidam ex vobis, qui non credunt, etc., usque ad illud : *Credimus et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei* (*Joan.* VI).

Inter discipulos Christi erant quidam credentes, quidam non credentes : et inter non credentes erat Judas, qui traditurus erat eum. Christus omnes noverat, qui essent credentes, et qui non credentes, et quis esset traditurus eum, et qui essent discessuri ab eo. Sed antequam discedant, qui discessuri sunt, ostendit quod non omnium est fides; sed eorum, quibus datum est ad Christum venire a Patre suo. Mysterium quippe fidei non caro et sanguis, sed Pater qui in cœlis est, revelare potest. Ille aliis dat, ut credant, aliis non dat. Quare aliis non dat, ipse novit : hoc scire non datur, et in re tam incomprehensibili, tam abscondita ab oculis nostris, nihil possumus, nisi per admirationem exclamare, et dicere : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus (*Rom.* XI)! » Multi autem discipulorum, qui non crediderunt, abierunt retro, sed post Satanam, non post Christum. Petro, cum consilium daret Domino, ne moreretur, dictum est a Domino : « Redi post me, Satana; non enim sapis, quæ Dei sunt (*Matth.* XVI). » Non illum repulit Dominus ire post Satanam, sed quia voluit præcedere Dominum, appellavit eum Satanam, et fecit ire post se, ut non esset Satanas. Petro dicitur : « Redi post me, » de istis vero dicitur : « Abierunt retro, » et intelligitur post Satanam; sicut de quibusdam feminis dicit Apostolus : « Quædam enim conversæ sunt retro post Satanam (*I Tim.* V). » Abeuntibus post Satanam, ut nec cum Christo ulterius ambularent, Judas adhuc remansit ad insidiandum. Dixit ergo Jesus ad duodecim qui remanserunt : « Nunquid et vos vultis abire? Respondit ergo ei Simon Petrus : Domine, ad quem ibimus? » (*Joan.* VI.) Si a te recedimus, ubi vitam, ubi veritatem, ubi vitæ auctorem, ubi similem veritatis doctorem inveniemus? « Verba vitæ æternæ habes. » Verba tua reverenter audita, et in sinu fidei recondita, præstant vitam æternam.

Et sument de sanguine agni, etc. (*Exod.* XII.)

Domus, in quibus habitamus, ipsi nos sumus, si tamen apud nosmetipsos manemus, et non extra nos per desideria erroris educimur. Postes domorum sunt firmitas cordis et corporis in fortitudine et patientia. Super utrumque ergo postem sanguis agni ponitur, quando passionem Christi per afflictionem utriusque, mentis scilicet et corporis, compatiendo imitatur. Parum est enim super unum postem sanguinem ponere; quia homini Christiano necessaria est disciplina castigatione mentis pariter et corporis. Nam quod per prophetam dicitur: « Scindite corda vestra et non vestimenta vestra (*Joel.* II), » scissionem vestimentorum, hoc est afflictionem corporum non interdicit; sed non solam sufficere ostendit. Sic Dominus cum dicit: « Misericordiam volo, et non sacrificium (*Ose.* VI), » misericordiam quidem præcipue requirit, sine qua nec sacrificium sufficit. Superliminare est pia intentio, in quo sanguis ponitur, cum intentio cogitationis ad imitationem passionis Christi dirigitur. Alio quoque modo in superliminari sanguis ponitur, cum crux passionis in fronte portatur. Unde ad eum qui in medio candelabrorum a propheta Ezechiele aspiciebatur similis Filio hominis, Dominus dicit: « Transi per mediam civitatem Jerusalem, et signa thau super frontes virorum gementium, et dolentium super cunctis abominationibus quæ sunt in medio ejus (*Ezech.* IX). » Et sex viris qui steterunt juxta altare æneum, dixit: « Transite per civitatem sequentes eum, et percutite (*ibid.*). Et post pauca: « Omnem super quem videritis thau ne occidatis; et a sanctuario meo incipite (*ibid.*). » Et in Apocalypsi legitur: « Habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis (*Apoc.* XIV). Et in Exodo: Facies laminam de auro purissimo, in quo sculpes opere cælatoris, Sanctum Domino: ligabisque eam vitta hyacinthina, et erit super tiaram, eminens fronti pontificis (*Exod.* XXVIII). » Quid per frontem rectius intelligitur, quam publica et inconfusibilis confessio crucis Christi? Oportet enim servum Christi inconfusibilem esse in humilitate Christi, non solum prædicanda, sed et imitanda, sicut et Christus inconfusibilis exstitit, qui sustinuit crucem confusione contempta. Unde Apostolus Timotheum admonet, dicens: « Sollicite cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem (*II Tim.* II). » Hæc est autem fidelis confessio, lingua et vita, verbo et exemplo, sermonibus pariter et moribus, Christum annuntiare, improperium Christi sustinere; humilitatem, paupertatem et omnem vilitatem pro Christo non erubescere. Hinc per prophetam dicitur: « Posui faciem meam ut petram durissimam, et scio quoniam non confundar (*Isa.* L). » Ab his autem qui sanguinem ponunt in superliminari, qui thau vel nomen Dei habent scriptum in fronte, longe sunt illi qui a turpibus et ob turpia laudari non solum non erubescunt, sed et concupiscunt; quorum gloria in confusione est, et unde A deberent confundi, inde gloriosos se reputant, et more meretricis frontem obdurant, erubescenda non erubescentes, sicut scriptum est: « Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere (*Jerem.* III). » Alio etiam modo sanguinem agni super utrumque postem, et in superliminari ponimus, quando sanguinem Christi ore corporis et cordis sumimus, et totam spem nostram quæ sursum est, non in virtute nostra ponimus, sed sanguine hujus agni signamus. Nam qui perfectiores aliis inveniuntur, martyres scilicet Christi, non in suo sanguine laverunt stolas suas, sed candidas eas fecerunt in sanguine Agni. Non enim sanguis eorum, quamvis innocens, quamvis mundus, sufficiebat ad emundationem peccatorum. Sanguinem itaque agni B super utrumque postem ponimus, cum corpus et animam Dominici sanguinis perceptione communimus. In superliminari sanguinem ponimus, cum hujus sanguinis virtute salvari credimus, qui justitiæ nostræ fiduciam non habemus.

Et edent nocte illa carnes assas igni (*Exod.* XII).

Nocte agnum comedimus, quia modo in sacramento Dominicum corpus accipimus. Profundum enim est mysterium, et sacro tectum velamine. Nocte comedimus, quia adhuc conscientias nostras invicem non videmus, nec propria delicta, nec qualis quisque accedat, plene intelligimus. Delicta enim quis intelligit? Carnes assas igni comedimus, si de carne Christi digne sentimus, quæ de Spiritu sancto C concepta igne charitatis, operante Verbo Dei, unita est, et pro salute mundi passioni exposita, et igne passionis sicut holocaustum concremata in odorem suavissimum Domino. Potest etiam ignis referri ad charitatem, qua nos Christum diligere debemus, sine qua ad carnes agni nemo dignus accedit. Propterea jubemur carnes igni comedere, et recte. Nam quod ardenter amatur, jugi meditatione in corde versatur et calore amoris, quasi in corde assatur. Assum ergo comeditur, cum exemplum passionis Christi per amorem imitationis avide sumitur, et intra nos recipitur.

Et azymos panes cum lactucis agrestibus (*ibid.*).

In singulis verbis aliquid utile nobis suggeritur, et aliqua gratia ædificationis continetur. Ecce hic D azymos panes edere monemur cum lactucis agrestibus. Utquid hoc? Aut qui sunt panes azymi, vel lactucæ agrestes? Justitia pura et incorrupta ipsa panis est, et vitalis refectio, unde quis juste vivat. De qua scriptum est: « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam (*Matth.* V). » Et ille, dudum per inobedientiam justitiæ desertor, nunc autem per pœnitentiam ad cor rediens, dicit: « Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum (*Psal.* CV). » Panes ergo azymi sunt omnes virtutes mentis bene constitutæ, si veræ sint et sinceræ; et nihilominus ipsa opera justitiæ, si sine fictione, et sine admistione peccati fiant. Panes itaque sine fermento comedit, qui recta opera sine corruptione vanæ gloriæ facit, qui sollicite agit, ne per malam intentionem bonum

Sic cum exitur de regno peccati, et de vana sæculi conversatione, sæpe abstinentia peccati, quæ a Deo imponitur, necessitate temporis nihilominus observatur, sed processu temporis totum fit voluntarium, quod ab initio forte potuit esse extortum. Peccatum vetus fermentum est, quo abstinendum est toto hoc numero septem dierum. Hoc fermento tota massa corrupta est in prævaricatione Adam, et posteris ejus. Unde et vetus dicitur, et ad veterem hominem pertinet, cui longe dissimile est fermentum justitiæ, de quo scriptum est: « Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus (*Matth.* XIII). » Illud vetus fermentum corrumpit et inflat, et novæ conspersioni contrarium est. Est autem conspersio farina per liquorem conglutinata sine fermento, idem et azyma. Nova autem conspersio vel azymus panis Christus est, ab omni corruptione peccati immunis. Et si nos per timorem et humilitatem comminuti sumus, si aquis baptismi vel pœnitentiæ conspersi, et liquore supercœlestis gratiæ perfusi, et per charitatem conglutinati, ne per varia erroris desideria dividamur, tunc nova conspersio vel azymi sumus, et expurgato veteri fermento et corruptione vitæ derelicta, monemur et nos cum Corinthiis, ut simus nova conspersio (*I Cor.* V), id est ut permaneamus sine fermento, sicut per gratiam facti sumus azymi, id est liberi a peccato; vel ut simus nova conspersio, per opera justitiæ ambulantes in novitate vitæ, sicut liberati sumus a corruptione veteris vitæ. Si enim secundum legem a fermento abstinendum fuit in esu paschalis Agni, qui in figura præcessit; multo magis nunc a fermento spiritualiter abstinendum est: « Etenim pascha nostrum immolatus est Christus (*ibid.*). » Pascha nomen solemnitatis est, et solemnis hostiæ. In utraque Christus significatus est. Ipse enim est solemnitas nostra, et gaudium nostrum, et dies lætitiæ et exsultationis nostræ, et hostia nostra pro nobis oblata, et in esum a Deo præparata. Itaque epulemur. Si nova conspersio sumus et panes azymi, quomodo nobis, vel a nobis dicitur, « epulemur; » nisi quia ipsi convivium et convivæ sumus, reficiendi de Christo, qui nobis panis est, qui et de nobis reficitur? De quo scriptum est, quia « pascitur inter lilia (*Cant.* II). » Et in Apocalypsi ipse de se dicit: « Ego sto ad ostium et pulso. Si quis audierit vocem meam, et aperuerit januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum (*Apoc.* III). » Epulemur ergo in conspectu Dei, et delectemur in lætitia, « non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ (*I Cor.* V). » Agnus enim innocens est, qui tollit peccata mundi. Nequitia autem et malitia sic distingui possunt, ut altera intelligatur in iis quæ fiunt contra Deum, altera in iis quæ fiunt contra proximum. Quocunque autem modo discernantur, sic omnis iniquitas fugienda est, ut malitia et nequitia; et vitæ incorruptio sic sectanda est, ut epulari possimus in azymis « sinceritatis, » ab omni A iniquitate immaculatos nos servantes; « et veritatis, » bona quæcunque sine dolo et fictione facientes.

Ex eadem Epistola: *Patres nostri omnes sub nube fuerunt*, etc., usque ad illud: *Petra autem erat Christus* (*I Cor.* X).

« Abrahæ dictæ sunt promissiones (*Galat.* III). » Dictæ sunt quidem, et non statim exhibitæ, sed in longa tempora dilatæ. Fides autem promissionum in exspectatione earum crebris signis et virtutibus, signis a Deo factis confirmata est, quibus notam fecit Deus potentiam suam, ne non crederetur potens facere quæ promisisset. In signis autem antiquis patribus visibiliter exhibitis annuntiavit Deus virtutem operum suorum, eorum quæ facturus erat B in generatione altera. Qualia enim facturus erat promissiones adimplens, talia fecit antequam adimpleret. Talia, inquam, sed non eadem, sed similia; quæ suæ figuræ similitudine præsignare possent, et præmonstrare promissionum fructum et finem. Promissiones multæ erant, et una; quia multæ in una, et in multis una. Unus enim Christus finis est promissionum, quia ab omnibus justis desideratus et exspectatus, sperabatur populum suum de omni malo, quasi de hostili manu liberaturus, et benedictionem et salutem daturus. Hoc est quod Zacharias dicit: « Locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, prophetarum ejus. Salutem ex inimicis nostris (*Luc.* I), » etc. Fructus promissionum gratia est, quæ datur in baptismo: item gratia, C quæ datur in Dominici corporis et sanguinis sacramento. Ibi peccatorum remissio, hic ad capessendam vitam æternam salutaris præparatio. Ibi Christus induitur, hic manducatur. Hi sunt primitivi fructus interim percipiendi, donec evacuetur quod ex parte est, et veniat quod perfectum est, ut videamus Deum deorum in Sion.

Christus autem ipse promissus, et promissor, tandem veniens, sicut ante una cum Patre ipse promiserat, duo sacramenta in aqua, scilicet baptismi et mysterii corporis sui, instituit, quibus nos sanctificaret, et sanctificatos beatificaret. Horum sacramentorum signa præcesserunt in mari, et manna. Ibi figura, hic veritas: quod intuens Apostolus D dicit: « Patres nostri omnes sub nube fuerunt (*I Cor.* X). » In Exodo legitur, quod profecti filii Israel de Socoth, castrametati sunt in Ethan, in extremis finibus solitudinis. Dominus autem præcedebat eos, ad ostendendam viam per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris utroque tempore. « Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram populo. » Et infra: « Tollens se angelus Domini qui præcedebat castra Israel abiit post eos, et cum eo pariter columna nubis priora dimittens, post tergum stetit inter castra Ægyptiorum et castra Israel. Et erat nubes tenebrosa et illuminans noctem, ita ut ad se invicem accedere non valeret (*Exod.* XIV). » Historice quidem omnes qui egressi

Verbis tuis vitam æternam promittis, in ministratione corporis et sanguinis tui, et nos verbis tuis fidem habentes : « Credimus et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei, » id est quia ipsa vita æterna tu es, et non das in carne et sanguine tuo, nisi quod es. « Credimus, inquit, et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei, » id est hoc ipsum credimus et cognovimus, te esse Filium Dei : unde consequens est te verba vitæ æternæ habere, et quæcunque dixisti, vera esse. Vel aliter. Quæcunque dixisti de carne tua manducanda et sanguine tuo bibendo, credimus et cognovimus vera esse, quia tu es Christus Filius Dei. Non dixit, cognovimus et credimus, sed credimus et cognovimus, quod de ea cognitione intelligi potest, quæ per processum fidei intellectum consistit, de qua scriptum est : « Nisi credideritis, non intelligetis (*Isa.* VII). » Fides quidem ipsa quædam cognitio est, etiam in his qui simpliciter credunt, et rationem fidei non intelligunt. Cognitio vero usque ad intellectum proficiens, illorum est, qui exercitatos sensus habent ad fidei rationem plenius cognoscendam, parati semper ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quæ in nobis est, fide et spe. Quod in superioribus Christi verbis multi discipulorum scandalizati sunt in fide, alii autem ædificati ad fidem, magna ex hoc consolatio, Deo dispensante, prædicantibus verbum Dei provisa est, si forte in verbis eorum auditores increduli scandalizantur, et retrorsum post Satanam convertuntur. Magna tamen cautela adhibenda est, et cum timore semper verbum Dei seminandum.

Hæc verba Christi, quæ ex Evangelio Joannis apposuimus, secuti Patrem Augustinum exposuimus : ubi interdum verbis ipsius, ubi commodum videbatur, sententias ab eo explicitas non præterire, nec eas vel plenius vel brevius explicare curavimus. Nunc post quatuor evangelistarum testimonia, ad astruendam fidem hujus ineffabilis sacramenti, ea qua potuimus diligentia discussa intentionem ad verba apostoli Pauli ad hoc sacramentum pertinentia convertamus; ut confessio fidei nostræ evangelicæ sic et apostolicæ doctrinæ testimoniis subnixa, sicut moles immobilis sua stabilitate fundata consistat : et nulla inventorum, nulla curiosarum violentia quæstionum a sua firmitate labefactari queat.

De verbis Apostoli.

« Non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem (*Matth.* XVIII). » Hoc de cibo sentire licet, qui non potest hominem mundare; et de manibus, quæ sine reatu conscientiæ ut quotidie laventur, quotidie inveniuntur illotæ. Verum ad mensam Domini, et ad carnes Agni immaculati, illotis manibus accedere indecens et illicitum est, et omnino tutum non est. « Lavabo, inquit, inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine (*Psal.* XXV). » Detestatio criminum, et justitia bonorum operum, hæc est vera munditia manuum. At qui mundas habet manus, cavere debet, ne attrectet immundum. Nam « qui tetigerit immundum, immundus erit. Qui tangit picem, inquinabitur ab ea (*Eccli.* XIII). » Qui non constringitur reatu proprii criminis, videat ne polluatur consensu alienæ iniquitatis. Hinc Apostolus Timotheum instituens : « Neque communicaveris, inquit, peccatis alienis. Teipsum castum custodi (*I Tim.* V). » Et Corinthiis scribens, arguit in eis, quod fornicatorem publicum de medio sui non tollerent, quasi tanti delicti eum tolerando participes fierent. Ait enim : « Auditur inter vos fornicatio; et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestri, qui hoc fecit (*I Cor.* V). » Et post pauca : « Non est bona gloriatio vestra. Nescitis, quoniam modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum (*ibid.*). » Ecce etsi alias boni viderentur, non bonam dicit gloriationem eorum, de vita videlicet, vel fama, vel conscientia sua; quia consensus alieni criminis per malam patientiam cætera bona corrumpit, et unius exemplum multis perniciosum existit. Volens ergo eos retrahere a tali delicto, cum pluribus modis eos terrere posset, præelegit exemplo de lege Moysi proposito ad condignam reverentiam paschalis hostiæ eos cohortari, ut dignitate tanti sacramenti considerata exhorrescerent indigni accedere, et inter se aliquem indignum sustinere. Quid enim terribilius est homini peccatori ad mensam Domini accedenti, et veram hujus sacramenti fidem habenti, quam cogitare secum, quam immundus, quam ira dignus sit, qui accedit, et quam sanctus et impollutus, et quam justus, ad quem accedit? Propterea memoriam mortis Christi, et immolationem Agni proponens, monet expurgare vetus fermentum, et epulari in azymis sinceritatis et veritatis, reserans quod in lege clausum erat, et illuminans quod in typo fuerat adumbratum.

Expurgate vetus fermentum, etc., usque ad illud; *In azymis sinceritatis et veritatis.*

In Exodo filiis Israel præceptum est agnum immolare, et carnes assas igni edere, et azymos panes cum lactucis agrestibus. Et de azymis sic scriptum est : « Primo mense, decima quarta mensis ad vesperum, comedetis azyma usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis, » etc. (*Exod.* XII). Et infra : « Fecerunt sibi subcinericios panes azymos. Neque enim poterat fermentari, cogentibus exire Ægyptiis, et nullam facere sinentibus moram (*ibid.*). » Filii Israel tum auctoritate divini præcepti, tum angustia temporis, panem fermentare prohibiti sunt. Sed necessitas temporis divinæ dispensationi serviens, quod Deus fieri noluit, fieri non permisit. Incipientibus exire de Ægypto abstinentia fermenti indicitur, et, præcipiente Domino et urgente Ægyptio, non possunt non abstinere, etiamsi velint non abstinere. Egressis autem de Ægypto eadem abstinentia in esu agni indicitur, et ad obedientiam cessat temporis necessitas, et accedit libera voluntas.

Sic cum exitur de regno peccati, et de vana sæculi conversatione, sæpe abstinentia peccati, quæ a Deo imponitur, necessitate temporis nihilominus observatur, sed processu temporis totum fit voluntarium, quod ab initio forte potuit esse extortum. Peccatum vetus fermentum est, quo abstinendum est toto hoc numero septem dierum. Hoc fermento tota massa corrupta est in prævaricatione Adam, et posteris ejus. Unde et vetus dicitur, et ad veterem hominem pertinet, cui longe dissimile est fermentum justitiæ, de quo scriptum est: « Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus (*Matth.* XIII). » Illud vetus fermentum corrumpit et inflat, et novæ conspersioni contrarium est. Est autem conspersio farina per liquorem conglutinata sine fermento, idem et azyma. Nova autem conspersio vel azymus panis Christus est, ab omni corruptione peccati immunis. Et si nos per timorem et humilitatem comminuti sumus, si aquis baptismi vel pœnitentiæ conspersi, et liquore supercœlestis gratiæ perfusi, et per charitatem conglutinati, ne per varia erroris desideria dividamur, tunc nova conspersio vel azymi sumus, et expurgato veteri fermento et corruptione vitæ derelicta, monemur et nos cum Corinthiis, ut simus nova conspersio (*I Cor.* V), id est ut permaneamus sine fermento, sicut per gratiam facti sumus azymi, id est liberi a peccato; vel ut simus nova conspersio, per opera justitiæ ambulantes in novitate vitæ, sicut liberati sumus a corruptione veteris vitæ. Si enim secundum legem a fermento abstinendum fuit in esu paschalis Agni, qui in figura præcessit; multo magis nunc a fermento spiritualiter abstinendum est: « Etenim pascha nostrum immolatus est Christus (*ibid.*). » Pascha nomen solemnitatis est, et solemnis hostiæ. In utraque Christus significatus est. Ipse enim est solemnitas nostra, et gaudium nostrum, et dies lætitiæ et exsultationis nostræ, et hostia nostra pro nobis oblata, et in esum a Deo præparata. Itaque epulemur. Si nova conspersio sumus et panes azymi, quomodo nobis, vel a nobis dicitur, « epulemur; » nisi quia ipsi convivium et convivæ sumus, reficiendi de Christo, qui nobis panis est, qui et de nobis reficitur? De quo scriptum est, quia « pascitur inter lilia (*Cant.* II). » Et in Apocalypsi ipse de se dicit: « Ego sto ad ostium et pulso. Si quis audierit vocem meam, et aperuerit januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum (*Apoc.* III). » Epulemur ergo in conspectu Dei, et delectemur in lætitia, « non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ (*I Cor.* V). » Agnus enim innocens est, qui tollit peccata mundi. Nequitia autem et malitia sic distingui possunt, ut altera intelligatur in iis quæ fiunt contra Deum, altera in iis quæ fiunt contra proximum. Quocunque autem modo discernantur, sic omnis iniquitas fugienda est, ut malitia et nequitia; et vitæ incorruptio sic sectanda est, ut epulari possimus in azymis « sinceritatis, » ab omni

A iniquitate immaculatos nos servantes; « et veritatis, » bona quæcunque sine dolo et fictione facientes.

Ex eadem Epistola: *Patres nostri omnes sub nube fuerunt*, etc., usque ad illud: *Petra autem erat Christus* (*I Cor.* X).

« Abrahæ dictæ sunt promissiones (*Galat.* III). » Dictæ sunt quidem, et non statim exhibitæ, sed in longa tempora dilatæ. Fides autem promissionum in exspectatione earum crebris signis et virtutibus, signis a Deo factis confirmata est, quibus notam fecit Deus potentiam suam, ne non crederetur potens facere quæ promisisset. In signis autem antiquis patribus visibiliter exhibitis annuntiavit Deus virtutem operum suorum, eorum quæ facturus erat B in generatione altera. Qualia enim facturus erat promissiones adimplens, talia fecit antequam adimpleret. Talia, inquam, sed non eadem, sed similia; quæ suæ figuræ similitudine præsignare possent, et præmonstrare promissionum fructum et finem. Promissiones multæ erant, et una; quia multæ in una, et in multis una. Unus enim Christus finis est promissionum, quia ab omnibus justis desideratus et exspectatus, sperabatur populum suum de omni malo, quasi de hostili manu liberaturus, et benedictionem et salutem daturus. Hoc est quod Zacharias dicit: « Locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, prophetarum ejus. Salutem ex inimicis nostris (*Luc.* I), » etc. Fructus promissionum gratia est, quæ datur in baptismo: item gratia, C quæ datur in Dominici corporis et sanguinis sacramento. Ibi peccatorum remissio, hic ad capessendam vitam æternam salutaris præparatio. Ibi Christus induitur, hic manducatur. Hi sunt primitivi fructus interim percipiendi, donec evacuetur quod ex parte est, et veniat quod perfectum est, ut videamus Deum deorum in Sion.

Christus autem ipse promissus, et promissor, tandem veniens, sicut ante una cum Patre ipse promiserat, duo sacramenta in aqua, scilicet baptismi et mysterii corporis sui, instituit, quibus nos sanctificaret, et sanctificatos beatificaret. Horum sacramentorum signa præcesserunt in mari, et manna. Ibi figura, hic veritas: quod intuens Apostolus D dicit: « Patres nostri omnes sub nube fuerunt (*I Cor.* X). » In Exodo legitur, quod profecti filii Israel de Socoth, castrametati sunt in Ethan, in extremis finibus solitudinis. Dominus autem præcedebat eos, ad ostendendam viam per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris utroque tempore. « Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram populo. » Et infra: « Tollens se angelus Domini qui præcedebat castra Israel abiit post eos, et cum eo pariter columna nubis priora dimittens, post tergum stetit inter castra Ægyptiorum et castra Israel. Et erat nubes tenebrosa et illuminans noctem, ita ut ad se invicem accedere non valeret (*Exod.* XIV). » Historice quidem omnes qui egressi

sunt de Ægypto, sub nube fuerunt, quia nunquam defecit columna nubis per diem. Spiritualiter autem omnes antiqui justi sub nube fuerunt. Nubes obscuritas figurarum, nubes Christus vel Spiritus sanctus protegens et obumbrans. Item nubes Christus, quasi adhuc absconditus, et nondum manifeste revelatus. Nubes quoque fides typicis mysteriis involuta, et futurorum exspectatione suspensa. Si autem illi sub nube fuerunt, qui mirabiliter promissa et mirabiliter gesta fideliter et spiritualiter intellexerunt, de quibus scriptum est : «Pavit eos in innocentia cordis sui, et in intellectibus manuum suarum (*Psal.* LXXVII),» operum videlicet suorum, « deduxit eos) : » quanto magis sub nube fuerunt, sed cæcitatis et ignorantiæ, de quibus scriptum est : « Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua (*Psal.* CV). » Et iterum : « Obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Chanaan, terribilia in mari Rubro (*ibid*). » Et item : « Non crediderunt verbo ejus (*ibid*).» Opera ergo et verba Dei alii intellexerunt, alii non intellexerunt, alii crediderunt, alii non crediderunt. Signa autem operum Dei quasi quædam verba fuerunt, juxta quod scriptum est : « Posuit in eis verba signorum suorum (*Psal.* CIV). » Qui significationes verborum et signorum spiritualiter intellexerunt, et qui spiritualiter non intellexerunt, sub nube fuerunt. Una siquidem nubes, quæ stetit inter castra Ægyptiorum et castra Israel, tenebrosa erat, et illuminans noctem. Christus enim alios justo judicio excæcat, alios misericorditer illuminat. Aliis est lapis offensionis, et petra scandali; aliis est lapis in caput anguli (*I Petr.* II); aliis Deus est Dei Filius; aliis homo peccator est, æstimatus cum descendentibus in lacum (*Psal.* LXXXVII).

Et omnes mare transierunt (*I Cor.* X).

Historice filii Israel ambulaverunt per siccum in medio mari, et operuit aqua tribulantes eos, unus ex eis non remansit (*Psal.* CV). Forma baptismi hæc est, ubi spiritualis Pharao et omnis equitatus ejus submergitur. Quæ spiritualis intelligentia antiquis Patribus ex multis Scripturarum locis manifesta fuisse dignoscitur. Nam in Canticis canticorum sponsus ad sponsam loquitur, dicens : « Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea (*Cant.* I). » Et apud Ezechielem Dominus : « Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris (*Ezech.* XXXVI). » Et in eodem propheta scriptum est : « Aquæ descendebant in latus templi dextrum ad medium altaris (*Ezech.* XLVII). » Et infra : « Omnis anima vivens quæ serpit, quocunque venerit torrens vivet (*ibid*).» Et in Michæa : « Deponet iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra (*Mich.* VII). » Et in Zacharia : « In die illa erit fons patens domui Jacob, et habitatoribus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ (*Zachar.* XIII).» Et infra : « In die illa exibunt aquæ vivæ de Jerusalem : medium earum ad mare orientale, et medium earum ad mare novissimum (*Zachar.* XIV).» Si moralis intelligentia in superioribus Apostoli verbis requiritur, vide et considera quomodo omnes justi qui fuerunt a diebus antiquis, sub nube divinæ miserationis protecti sunt, et quomodo mare transierunt, hoc videlicet sæculum tam turbulentum, tam fluidum, ubi omnes qui Ægyptio more vivunt, in profundo vitiorum, inter desideria errorum lubricæ vitæ fluctibus involvuntur; justi vero inter divisiones tentationum, quæ a dextris sunt, et quæ a sinistris, sicco vestigio et impolluto calle pertranseunt.

Et omnes in Moyse baptizati sunt, in nube et in mari (*I Cor.* X).

Inde baptizati, unde purificati. Deus enim fide purificans corda eorum, in rebus mirabiliter gestis per Moysen, et circa Moysen, et in ostensione signorum quæ fecit in nube et in mari, hoc agebat, ut purificarentur ab errore Ægyptiæ superstitionis, et verus Deus crederetur, a quo missus esset Moyses, « Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob (*Exod.* III).» Hoc etiam agebat in omnibus mirabilibus suis, ut in fide unius veri Dei confirmati, indubitanter crederent et exspectarent quandoque venturum, qui benedictionem et salutem daret secundum fidem promissionum, quæ dictæ sunt Abrahæ et semini ejus. In omnibus itaque beneficiis antiquis patribus exhibitis, memor fuit Deus testamenti sui, quod habuit ad Abraham puerum suum; ut et ipsi ejusdem sacramenti memores confiterentur memoriæ sanctitatis ejus, et de impensis beneficiis sic præsentem acciperent consolationem ut inesse cernerent repromissæ benedictionis significationem. Longa enim dilatio, et nulla interim consolatio, quid esse poterat nisi promissionis desperatio? Frequens autem signorum ostensio, et benedictionum crebra consolatio, dictæ fuit repromissionis rememoratio, rerumque futurarum præostensio. Moyses itaque populi liberator, et doctor, et legislator, Christum præmonstrabat, qui est judex noster, et rex noster, et legifer noster. Nubes quoque et ipsa Christum præmonstrabat in fide obnubilatum, in lege, et Prophetis, et psalmis absconditum, in carne velandum. Denique scriptum est : « Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos, in columna nubis loquebatur ad eos (*Psal.* XCVIII).» Hoc autem in figura contingebat illis. Cujus rei veritatem Apostolus declarans dicit : « Multifarie multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio (*Hebr.* I).» Mare, ut prædictum est, baptisma præfigurabat; illud sane baptisma, quod singulariter et principaliter dicitur baptisma : de quo Apostolus dicit : « Unum baptisma (*Ephes.* IV).» Erant siquidem apud Judæos secundum varia ablutionum genera, varia baptismata, sicut idem Apostolus insinuat dicens : « In cibis et potibus, et variis baptismatibus (*Hebr.* IX).» Illi in Moyse baptizati sunt, nos autem in Christo; sed non sic illi in Moyse, sicut nos in

Christo. Moyses quippe famulus Dei a Deo missus, ut ipse dicebat, verba Dei populo nuntiavit; et suis pariter et Dei verbis fidem fecit sequentibus signis. Signa autem in manu Moysi ostensa, non Moysi, sed Dei virtute facta sunt, quibus fides aut cœpit, aut crevit in illis qui crediderunt, et fide purificati Deo placuerunt. Adjuti sunt ergo per ministerium et exemplum Moysi ut crederent: at ipsius fidei, quam admiratione signorum permoti habuerunt, auctor fuit, non Moyses, sed Deus, cui crediderunt, et credendo placuerunt. Habemus itaque fidem unius veri Dei, qui dictus est « Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob (*Exod.* III), » a quo et Moyses ad eos missus est. Habentes quoque fidem venturi Salvatoris, secundum repromissionem dictam Abrahæ, Isaac et Jacob; et secundum exemplum fidei eorum baptizati sunt, non a Moyse, sed in Moyse. Baptizati enim ab illo, ab eo autem purificati, a quo ut crederent divinitus sunt inspirati. Spiritualiter ergo baptizati sunt non exterius abluti, sed interius sanctificati. Sic illi spiritualiter baptizati, sicut nos spiritualiter circumcisi. Virtute itaque et gratia Christi baptizati sunt illi, sicut et nos; quia per fidem Christi, cujus ipse auctor et consummator est, sanctificati sunt illi, sicut et nos. Illos enim sanctificabat Christus tunc per fidem, sicut et nos. Neque enim ille non erat, qui de se dicit: « Antequam Abraham fieret, ego sum (*Joan.* VIII). » Nam et Apostolus de Moyse loquens, dicit: quia « majores divitias æstimabat thesauro Ægyptiorum improperium Christi (*Hebr.* XI). » Cum autem magnalia, mirabilia, et terribilia in manu Moysi facta sint, quibus poterat fides initiari aut confirmari, ut credentes sanctificarentur; quid sibi vult quod Apostolus ea signa, quæ facta sunt in nube et in mari, insinuat; cætera subticens, quæ in decem plagis contra Pharaonem et Ægyptum ostensa sunt? Forte per hoc quod dicit, « in Moyse, » cætera omnia intelligi voluit quæ non expressit. Nubem autem et mare propter quamcunque rationem expressit. Et forte nubem nominavit, quia clementiæ signum est. Nam aqua in sanguinem versa, et rana, et musca, cæteraque plagarum genera magis iram indicant. Nubes autem protegens et obumbrans, nunc præcedens, nunc subsequens filios Israel, divina clementia protectos et circumdatos indicabat, et Christum protectorem figurabat. Mare autem nominat Apostolus; quia sicut ante prælibavimus, signum baptismi est.

Et omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt (*I Cor.* X).

Spiritualis esca quomodo dici potest illud visibile manna? Quia non arte vel labore hominum, sed a Deo angelorum forte ministerio præparata est. Unde et panis angelorum dicitur, et panis cœli, sicut scriptum est: « Panem angelorum manducavit homo (*Psal.* LXXVII). » Et item: « Panem cœli dedit eis (*ibid.*). » Hæc autem esca de cœlo data corpora nutriebat et confortabat. Vere corporalis esca est,

A sed spiritualis secundum dictam rationem dici potest; vel quia spiritualem escam significat, id est Christum, qui vere est cibus spirituum, et resurrectio corporum. Cibus autem spirituum est, sicut vita eorum. Justi autem qui spiritualiter vivunt, inde spiritualiter cibantur et sustentantur; unde accipiunt, ut spiritualiter vivant. At justus ex fide vivit, in quantum juste vivit. Fide ergo participatur, quod justis præstat, ut spiritualiter et juste vivant. Christum enim manducare, hoc est spiritualis vitæ sustentationem ab ipso accipere; et hoc est in ipsum credere, et hoc est de ipso sicut illi in illo vivunt, vivere. Hæc autem spiritualis esca duobus modis manducatur, gustu fidei et perceptione sacramenti. Unus modus cœpit ab institutione B novi sacrificii: alter mox ab ipso initio hujus nostræ fidei. Quicunque enim justi fuerunt, hanc spiritualem escam manducaverunt, quia in Christum crediderunt, spiritualiter vixerunt, et ejus participatione, ut spiritualiter viverent, acceperunt. Visibile autem manna multi manducaverunt et mortui sunt, morte scilicet spirituali, quia spiritualiter non vixerunt; et multi visibile manna non manducaverunt, et spiritualiter vixerunt, et ideo spiritualem escam manducaverunt. Manna enim visibile signum erat hujus nostri sacramenti, et spiritualis escæ, quæ hoc sacramento continetur. Hoc autem nostrum sacramentum sub specie visibili spiritualem escam, id est Christum, in se continet; et spiritualem C gratiam, qua spiritualiter vivitur, percipientibus conferre prævalet. Manna autem visibile, nec spiritualem gratiam plene in se continebat nec gratiam vitæ spiritualis conferebat, sed spiritualem escam, quæ spiritualem vitam dare posset, significabat. Qui ergo visibile manna perceperunt, nec crediderunt, nec spiritualiter intellexerunt, et ideo spiritualiter non vixerunt: hi corporalem escam ad corporalem refectionem, non spiritualem, manducaverunt. Qui vero fidem quam nos eamdem habuerunt, et spirituale manna, panem scilicet cœli et panem angelorum, id est Christum de cœlo venturum crediderunt; et hac fide justificati spiritualiter vixerunt: hi spiritualem escam quam nos eamdem manducaverunt. Sed nos eamdem spiritualem escam D ore pariter sumimus et corde; illi vero visibile manna ore gustaverunt, invisibile autem et spirituale manna, id est Christum, corde crediderunt. Ore ergo aliud nos, aliud illi: corde vero idem nos et illi. Hæc autem spiritualis esca, id est Christus, panis cœli est, et panis angelorum. Hunc enim panem angelus manducat in cœlo modo adhuc nobis incognito, adhuc inexperto; hunc eumdem manducat peregrinus homo pro modulo suo, sicut scriptum est: « Panem angelorum manducavit homo. »

Et omnes eumdem potum spiritualem biberunt (*I Cor.* X.)

Sicut manna de cœlo datum significat spiritualem escam, qua cibantur omnes sancti, ut spiritualiter vivant, sicut decet sanctos; sic aqua, quæ

de petra fluxit, significat spiritualem potum, quo potantur quicunque spiritualiter gratiæ participes efficiuntur. « Petra autem erat Christus (*ibid*). » Ecce cognovimus, Apostolo interpretante, quid significet petra, quæ aquam produxit: inquiramus ex verbis ipsius Domini, et item ex verbis Apostoli, quæ sit spiritualiter aqua de Christo manans sicut de fonte vitæ: et quis spiritualiter potus, quo potamur omnes, qui in Christum credimus: « Qui credit, inquit Christus, in me, sicut dicit Scriptura. Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dicit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum (*Joan.* VII). » Et Apostolus: « Omnes uno spiritu potati sumus (*I Cor.* XII), » ecce aqua quæ de petra profluxit, ecce potus spiritualis, quem omnes justi biberunt. Hoc potu ardor sitis exstinguitur; hujus spiritus munere sanctorum desiderium feliciter adimpletur. Consolator enim spiritus est, et mœrentium corda lætificat. Omnes justi in hoc spiritu lætificati sunt, omnes hunc spiritum acceperunt: et propter hoc omnes eumdem potum spiritualem biberunt.

Bibebant autem de spirituali. (*I Cor.* x.)

Præmittens Apostolus de spirituali potu, et subnectens de consequente eos petra, et interponens in medio, « Bibebant autem de spirituali: » dubium reliquit, quomodo intelligendum sit, quod dicit: « Bibebant autem de spirituali, » videlicet an de spirituali potu, an de spirituali petra. Sed si ad potum quis hoc referre velit, vix apparet, quomodo distingui possit, bibebant de spirituali potu, et bibebant spiritualem potum. Si autem plus est bibere spiritualem potum quam bibere de spirituali potu, quid necesse fuit, post id quod majus est, adjungere quod minus est? Si autem idem est, quid necesse fuit idem repetere? Sed solet repetitio nonnunquam fieri ut aliquid addatur. Si ergo additionis causa repetitio facta est, verbis ex parte mutatis, sic accipi potest, quasi fieret verbis non mutatis, ut nullam vim habeat ipsa verborum mutatio, tanquam diceretur: Biberunt potum spiritualem; bibebant autem de spirituali, hoc est potum spiritualem, consequente eos petra. Hoc enim additur, ut ostendatur unde manaverit spiritualis potus, quem bibebant. Porro, sicut placet hoc ad petram referri, ut de spirituali petra bibisse dicantur, eos consequente, modus locutionis est; sicut de cisterna vel vinea dicitur quis bibere, cum vel aquam de cisterna bibit, vel de vinea vinum. Spiritualis autem petra Christus est; spiritualis potus Spiritus sanctus est, qui de Christo procedit, et a Christo datur secundum diversorum divisiones charismatum, credentibus in eum. Potest etiam spiritualis potus pro calice accipi. Calix autem Christi tribus modis dicitur, vel sanguis ipse Christi, qui pro multis fusus est, quem et nos bibimus in altari, vel passio Christi quæ nos ad compatiendum obligavit, vel imitatio passionis ejus, qua vicissitudinem pro modulo nostro, et gratiarum actionem pro nobis passo compatiendo referimus. Spiritualem itaque potum biberunt, non solum qui haustu Dominici sanguinis in ipsius sacramenti perceptione potati sunt, sed et omnes justi, qui a diebus antiquis fidem passionis Christi habuerunt, et in ea fide spiritualiter vixerunt, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis mortificantes; et similitudinem passionis Christi in patientia tribulationum suarum præferentes. Non est enim justus, qui non patitur.

Consequente eos petra.

Juxta historicum intellectum, petra consequebatur eos, id est satisfaciebat et obsequebatur voluntati eorum; quia, ut quidam putant, quocunque irent, aquæ inundantes secutæ sunt, sicut scriptum est: « Eduxit aquam de petra, et deduxit tanquam flumina aquas (*Psal.* LXXVII). » Et iterum: « Disrupit petram, et fluxerunt aquæ, abierunt in sicco flumina (*Psal.* XIV). » Potest hoc et aliter intelligi. Mortua Maria, et deficiente aqua in deserto Sin, in loco, qui dicitur Cades, murmuravit populus contra Moysen. Quæ murmuratio tantum valuit, ut et ipse Moyses aliquatenus cessisse videretur: unde cum per silicem bis percussum egrederentur aquæ largissimæ, audivit a Domino: « Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis (*Num.* 20). » Populi ergo in seditionem versi paulominus defecerant a cultu Dei et prope erat ut fugerent a Domino, et Deo suo, nisi signo dato retinerentur, et quasi fugitivi comprehenderentur, consequente eos petra, ne abirent, et quodammodo revocante, ut redirent.

Secundum intellectum mysticum, Christus in deserto hujus mundi suos comitatur, et non deserit sperantes in se.

Petra autem erat Christus

Solet res quæ significat, nomine rei quam significat nominari. Erat non per substantiam, sed per significationem. In signis coram antiquis justis a Deo mirabiliter factis mystica significatio secuturæ veritatis inerat, majoribus et perfectioribus manifesta, simplicioribus forte occulta. Omnes autem pietatem fidei habentes signa divinitus facta quasi sancta venerati sunt, et rerum venerabilium novitate et stupore perculsi, in Dei timore vel amore et fidei devotione confirmati sunt. Nec præjudicat pietati fidei si qui forte simpliciter ignorabant, quid significabat manna, quid nubes, quid mare, quid petra, dummodo pie crederent, quod ratio illius temporis exigebat, quæ ad fidem unius Dei et venturi Salvatoris pertinerent. Non enim scientia mysticæ significationis ab omnibus requirebatur; sed pietas fidei ad justitiam reputabatur, et ignorantia unius Dei et Salvatoris mundi singulis non credentibus imputabatur. Hinc de quibusdam infidelibus scriptum est: « Ignis accensus est in Jacob, et ira ascendit in Israel; quia non crediderunt in Deo, nec speraverunt in salutari ejus (*Psal.* LXXVII). » In Deo autem credere et in Christo salutari ejus fiduciam salutis ha-

viventes. De qualibus Psalmista dicit: « Manducaverunt, et saturati sunt nimis, et desiderium eorum attulit eis Dominus, non sunt fraudati a desiderio suo. Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos (*Psal.* LXXVII). » Et Isaias: « Ecce gaudium et lætitia, occidere vitulos, et jugulare arietes, comedere carnes, et bibere vinum. Comedamus et bibamus, cras enim moriemur. Et revelata est in auribus meis vox Domini exercituum. Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, dicit Dominus (*Isai.* XXII). » Horum bona transitoria, et levia, et illicita desideria, per coturnices, sive volatilia pennata, quia volatica sunt, et cito pertranseunt, significari possunt. Hæ sunt carnes, quas pluit Dominus; non solum bona carnalia, quæ ipse dat, et pluit super bonos et malos: sed pluit super peccatores laqueos, et dimittit eos in desideria cordis eorum. Hæ autem carnes recte apud Psalmistam pulveri et arenæ comparantur, tum pro multitudine divitiarum, quibus abundant, sicut scriptum est: « Ecce ipsi peccatores et abundantes in sæculo, obtinuerunt divitias (*Psal.* LXXII); » tum quia pulvere terrenæ cogitationis fœdantur, qui hæc temporalia male habent; et quanto damnabilius, tanto sterilius et infructuosius possident. Spiritualibus quoque bonis sæpe abutuntur mali; qui significati sunt per malos, qui manna manducaverunt, de quibus Dominus dicit in Evangelio: « Patres vestri manducaverunt manna, in deserto, et mortui sunt (*Joan.* VI). » Item carnes possunt aliter accipi, sicut colligi potest ex verbis B. Augustini super illum locum psalmi: « Et pluit super eos, sicut pulverem carnes. » Sunt quidam boni in Ecclesia, infirmi, et quasi carnales, qui profunda fidei mysteria, et perfectioris vitæ instituta capere et apprehendere non possunt, sed parvula fide minimis præceptis contenti simpliciter credunt, et innocenter vivunt. Talibus pluit Deus carnes, sive volatilia pennata; quia ex nubibus, id est de prædicatoribus ministrantur eis signa vocum carne edita, et per aerem transcurrentia, sicut volatilia, de verbis prædicationis carnalibus congruentibus, et parvula fide, et innocentia vitæ, quasi carnibus pascuntur. Hinc Paulus dicit: « Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ (*Rom.* VI). » Et iterum: « Non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus (*I Cor.* III). » Secundum Origenem vero per carnes perfectionis doctrina, per vesperam finis perfectionis significatur; vel per carnes ad vesperam, Verbum in vespera mundi incarnatum.

Mane quoque jacuit ros per circuitum castrorum (*Exod.* XVI).

Cum omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum descendens a Patre luminum (*Jac.* I), per manna possit significari, principaliter tamen in eo Christus significatur, sive ut est in cœlo, sive ut fuit in carne, inter homines homo, sive ut est in sacramento altaris, sive ut est in lege

A et prophetis, sive ut est in verbo prædicationis sive ut est in cordibus electorum per fidem, sive ut est ubicunque per gratiam. Mane ergo ros jacuit per circuitum castrorum, quando per resurrectionem Christi mane factam, et initio gratiæ gentibus revelatæ, verbum Dei per circuitum gentium et nationum, vel Ecclesiarum, vel cordium fidelium, disseminatum, et quasi per circuitum castrorum sparsum jacuit, in credentibus humiliter et reverenter susceptum. Ibi autem jacuit, ubi remansit. Ecclesiæ autem per orbem terrarum longe lateque constitutæ castra sunt, per quorum circuitum circumferentibus apostolis verbum Dei, Christus prædicatus est. Hinc Apostolus ait: « In virtute Spiritus sancti, ita ut ab Jerusalem per circuitum usque B ad Illyricum repleverim Evangelium Christi (*Rom.* XV). » Quod autem verbum Dei ros sit, ostendit, qui dicit: « Fluat ut ros eloquium meum (*Deut.* XXXII) »

Cumque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, etc. (*Exod.* XVI).

Cum ros et manna, ut dictum est, communiter possint Christum significare, vel gratiam Christi, sive verbum Christi, distincte tamen hoc loco verbum Christi in rore significatur. Hic ros per prædicationem apostolorum circumquaque diffusus terram operuit, juxta illud Isaiæ: « Repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientis (*Isai.* XI): » et tunc manna in solitudine apparuit, id est Christus gentibus innotuit, secundum illud: « Rorate cœli desuper, et nubes pluant justum (*Isai.* C XLV). » Ecclesia, vel fidelis anima, secundum statum priorum temporum solitudini comparari potest; quia ante conversionem solæ bestiæ habitabant in ea, hoc est in gentilitate homines morum qualitate bestiis similes, vel in anima bestiales affectiones. Potest autem secundum præsentem statum solitudo dici, vel in Ecclesia, vel in anima: quia tumultum et frequentiam errorum et vitiorum fugiens, ad quietem mentis se convertit. Unde et pœnitens dicit: « Similis factus sum pellicano solitudinis (*Psal.* CI). » Et iterum: « Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine (*Psal.* LIV). » Manna minutum erat; quia totum quod de Christo creditur vel prædicatur, propter ejus inæstimabilem humilitatem, D quasi propter nimiam exiguitatem, subtile est et incomprehensibile: et hoc est apud fideles, apud infideles autem contemptibile et parvum. Unde apud Danielem Christus parvus lapis præcisus de monte dicitur: et ipse regnum cœlorum grano sinapis comparat. Manna quasi pilo tonsum erat, non solum quia Christus tonsionibus persequentium sese exposuit, sed quia positus est in signum, cui contradiceretur. Et verbum fidei in pilo contradictionis tonditur, quia a multis impugnatur, et in ipsa tonsione litterali sensu exuitur, sicut solet folliculis frumentum, vel milium, vel aliquid tale, quod in mortario pilo teritur. Christus ergo tonsione passionis et pilo crucis mortalitate exutus est. Christus per pruinam variis de causis potest significari:

ut ad mensam Christi accedatur. Fugienda est et similitudo idololatriæ, quæ est spiritualis fornicatio, omnis scilicet, quæ a Deo separat, peccati delectatio. Omne enim quod vero Deo præponitur, quod in amore primum et mente primum est, hoc pro Deo colitur, hoc in idolum reputatur.

Ut prudentibus loquor : vos ipsi judicate quæ dico. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? (*I Cor.* x.)

Quasi altum quid dicturus Apostolus, judicium discretionis ab his quibus loquitur, ut a prudentibus, requirit, ut diligenter dijudicent quod dicturus est, et attendant quid sit, quid possit calix Domini, et participatio corporis Christi. Et primo ostendit quid sit, incipiens a calice ; deinde subjungens de pane. Quod mirum quare fecerit, aut ordinem contra ordinem evangelistarum mutaverit, cum et ipse alio loco de pane præmittat, et de calice subjungat. Hujus autem mutationis causa forte hæc est. Ante pauca præmissa locutus fuerat de esca spirituali, et potu spirituali, et novissime de potu : et sic paucis interpositis, de calice adjunxit, dicens : « Calix benedictionis, cui benedicimus, » etc. Per calicem hic potum intellige. Hic autem calix a Deo benedicitur, et ob hanc causam calix benedictionis dicitur, et nos participantes per eum benedicimur, id est in donis spiritualibus multiplicamur ; et ob hanc quoque causam calix benedictionis dicitur, cui benedicimus nos quicunque fideles, gratias agendo, laudando, et super omnes calices exaltando et dicendo : « Calix meus inebrians quam præclarus est ! » (*Psal.* xxii.) Præ cæteris nempe omnibus hic clarus est. Talis enim potus non est tam dulcis, tam salubris, tam inebrians, tam lætificans, tam bene mentem immutans. Vel nos sacerdotes benedicimus, prece mystica consecramus, Christum benedicentem repræsentamus. Ipse est enim qui benedicit, nobis ministrantibus ille invisibiliter operatur ; ille potenter mutat, creaturæ efficaciter imperat, et ubi præcipit virtus, incunctanter sequitur effectus. De hoc calice quid digne sentire possumus ? quid enim est ? Nonne communicatio sanguinis Christi est ? Quæ est fidelis responsio, nisi quia communicatio sanguinis Christi est ? Hic enim calix, qui a nobis benedicitur, et in quo benedicimur nos, sanguis Christi est, nobis communicatus, id est nobis et pro nobis communiter datus. Nobis in poculum salutis, pro nobis in pretium redemptionis. Nec aliud est calix benedictionis, vel in cœna Domini vel in mensa Domini, hoc est in altari, quam sanguis Christi, qui pro communi salute fusus est. Hac auctoritate Apostoli potus iste communionis nomen habere potest, ut sacra communio dicatur. Communicatio enim intelligi potest, quia in commune datur vel accipitur ; communio vero, quia in commune habetur. Alia etiam ratione potest dici communio. Hic enim sanguis charitatem operatur in nobis, per quam omnia communia fiunt ; et quæ propria sunt singulorum, communia omnium.

Et panis quem benedicimus, nonne participatio corporis Domini est? (*I Cor.* x.)

Ostenso, quid sit hic calix, mox ostendit, quid sit panis, quem frangimus in sacramento. De fractione quæ dicenda videbantur, superius diximus. Hic autem panis quid sit, nullatenus nobis pro certitudine fidei dubitandum est. Unde Apostolus dicit : « Nonne participatio corporis Domini est ? » Ac si diceret : Manifestum est quia participatio corporis Domini est. Quis enim fidelium inde dubitet ? Participatio corporis intelligenda est, corpus ad participandum nobis datum. Quamvis Apostolus dicat : « Communicatio sanguinis, et participatio corporis, » quasi distinctionem aliquam significans, pie tamen dici potest, communicatio corporis, et participatio sanguinis. Utroque enim communicando participamus, et participando communicamus. Verumtamen si aliqua distinctio requiritur, pie dici potest, quod participatio fractioni congruit, sicut participatio pani, qui frangitur. Dividitur enim, ut unusquisque partem suam accipiat. Hic autem panis in substantia semper integer manet ; et tamen in sacramento frangitur, ad significandum, quod in diversis diversa operatur. Divisiones enim gratiarum sunt. Sacramentum Dominici corporis et sanguinis gratia est. Unde et Eucharistia dicitur, id est bona gratia. Hoc sacramentum totum et integrum a singulis percipientibus æqualiter sumitur ; sed non in singulis æqualiter operatur. Operatrix itaque gratia communis est digne sumentibus ; sed per effectum quem habet in singulis, gratias dividit his et illis. Ergo communio sanguinis referri potest ad operatricis gratiæ communionem : participatio vero corporis ad diversarum gratiarum participationem. Hæc autem partitio gratiarum, cum a Christo dispensetur virtute carnis et sanguinis sui (una est enim virtus utriusque), congruentius tamen repræsentari potest in altari per fractionem panis, quam per aspersionem sanguinis. Aspersio enim sanguinis sine periculo et irreverentia sacramenti ibi fieri non potest : fractio sacramentalis fieri potest.

Quoniam unus panis unum corpus multi, etc.

Postquam ostendit quid sit calix benedictionis, et panis quem frangimus, consequenter adjungit quid in nobis possint : hoc est, quid in nobis efficiant, et quæ sit virtus et effectus eorum. Nam quia unam communem operatricem gratiam et dispensatricem in se continent, et partitiones multarum gratiarum per affectum suum multis tribuunt : unitatem spiritualem in nobis efficiunt, ut omnes in Christo unum simus. Per divisionem quidem gratiarum multi sumus : alii majorem, alii minorem ; alii hanc, alii illam gratiam habentes ; alii incipientes, alii proficientes : alii simplices, alii prudentes ; alii quasi parvuli, alii quasi adulti, alii quasi senes perfectione maturi, ut ex multarum personis facierum per multos gratiæ agantur. Unitas Ecclesiæ ex personis innumerabilibus diversi

sexus, diversæ conditionis, diversi ordinis, diversæque perfectionis, multis modis solet significari. Hoc autem loco ab Apostolo significatur per unitatem panis, et unitatem corporis. Unus panis ex multis granis conficitur, unum corpus ex multis membris componitur. Per charitatem proximi unus panis, per charitatem Dei unum corpus, multi sumus. Unus panis Deo, qui dilectione fraterna qua invicem nos diligimus delectatur, et quasi de nobis reficitur. Unus panis etiam nobis ipsi ad alterutrum sumus. Mutua enim nostra dilectio, mutua est nobis consolatio, mutuaque refectio. Unde et singuli alterius membra sumus, quia invicem condolemus, et invicem congaudemus : mala nostra ut et bona, quæ videntur singulorum propria, per affectum fraternæ charitatis reputantes communia. Unum corpus sumus per charitatem qua Christus diligitur sicut sponsus, qui et Ecclesiam diligit sicut corpus suum. Hinc Apostolus ad Ephesios : « Christus caput est Ecclesiæ : ipse salvator corporis ejus (*Ephes.* v). » Et infra : « Viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua. Qui uxorem suam diligit, se ipsum diligit. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit ; sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam, quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus, et de ossibus ejus (*ibid.*). » Ecclesia igitur, sicut sponsa Christi, ita et corpus Christi est, et de spiritu ejus vivit : sicut corpus hominis de spiritu hominis vivificatur. Recte ergo per unitatem corporis significata est unitas Christi et Ecclesiæ, quam operatur charitas Christi, qua ab Ecclesia diligitur : diligens ipse prior, ut a dilecta diligatur. Dilectio autem Dei magis nos Deo unit, et vicinius conjungit, quam dilectio proximi ; sicut corpus nostrum conjunctius est nobis, quam panis, non solum antequam sumatur, sed cum in corpus trajicitur, et intra corpus recipitur. Et sicut panis corpori necessarius est, et corpus nutrit ; sic dilectio proximi necessaria est ad nutriendum et augendum dilectionem Dei. Verumtamen dilectio Dei et causa et dignitate prior est, et semper præponenda. Unde nonnunquam fit ut justissime offendatur proximus, ne offendatur Deus. Unus itaque panis unum corpus multi sumus. Qui multi? « Omnes qui de uno pane, et de uno calice participamur. » Ecce hic ostenditur participatio ad calicem sicut ad panem pertinere. Nec immerito : una est enim virtus utriusque ; et sicut hostia, quæ et panis dicitur et corpus, in nobis efficit ut unus panis et unum corpus simus : sic et calix. Sed cum ratio similitudinis, qua unus panis unum corpus dicimur et sumus, solum panem vel corpus respiciat : gratiam tamen qua unus panis, unum corpus sumus, participatio tam calicis quam panis conferre credenda est. Participatio igitur utrique convenit, sed significatio magis alteri congruit. In his verbis ostendit Apostolus participationem de uno pane et de uno calice operari in nobis unitatem fraternæ societatis, qua propter Christum socialiter vivimus, et

A alter alterius sumus membra : et item unitatem Christi et Ecclesiæ, qua etiam Christi membra sumus, qui est caput nostrum, in quo omnes unum sumus, sicut Apostolus ad Galatas scribens dicit : « Non est Judæus, neque Græcus ; non est servus neque liber ; non est masculus neque femina, omnes enim vos unum estis in Christo Jesu (*Gal.* III). » Ad hanc unitatem pertinent, qui de pane et de calice participant, non solo ore, sed pio corde, hoc est qui in Christo vivunt, et Christum habent inhabitantem per fidem in cordibus suis. Nam qui ex fide vivit, non sibi, sed Christo et in Christo vivit ; et credendo manducat et participat, et participando in Christo manet una cum multis, quia unus panis unum corpus sumus. De hac enim participatione B intelligendum est quod Apostolus dicit. Nam qui corpus Christi et calicem solo ore percipiunt, et Christum in corde non suscipiunt, ut de ipso et in ipso vivant, sicut a fide qua vivit justus extranei sunt, et a societate justorum alieni sunt, non habentes cum illis cor unum et animam unam : et propterea membra Christi non sunt, nec de corpore ejus sunt, quamvis in Ecclesia quæ est corpus ejus esse videantur. Hinc Apostolus post interrogationem. « Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est ? » subjungit : « Quoniam unus panis unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane et de uno calice participamus. » Ac si aperte dicat : Panis quem frangimus, vere est par- C ticipatio corporis Domini ; quoniam effectus hoc indicat. Efficit enim, quod nullus alius cibus efficere potest, nisi solum corpus Domini. Quid est hoc? Videlicet quod unus panis unum corpus multi sumus. Fides quippe carnis assumptæ de nobis, et sanguinis effusi pro nobis, et utriusque ad usum concessi nobis, amorem Christi et propter Christum amorem proximi nobis infundit. Qui infusus nos Christo et in Christo unit, ut compleatur quod ipse pro nobis postulat dicens : « Non pro his rogo tantum, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint (*Joan.* XVII). »

D *Videte Israel secundum carnem. Nonne qui edunt hostias participes sunt altaris? Quid ergo? Dico quod idolis immolatum sit aliquid? aut quod idolum sit aliquid? Sed quæ immolant gentes, dæmonibus immolant, et non Deo* (*I Cor.* x).

Similitudo adducitur de legalibus sacrificiis, ad intelligendum quod de idolothyto vult intelligi. Qui edebant hostias, religioni sacrificandi consentiebant, et hunc suæ voluntatis consensum ipso esu immolatorum ostendebant. Si enim non consentirent, non ederent. Propterea qui edebant participes erant altaris. Nam de immolatis partem capiebant, et se illi religioni partem capiendo et edendo sociatos esse manifestabant. Hoc est, quod Apostolus dicit : « Videte Israel secundum carnem. » Ac si diceret : Vos qui estis Israel secundum spiritum, Deum videntes, et spiritualia intelligentes, videte Israel

Verbis tuis vitam æternam promittis, in ministratione corporis et sanguinis tui, et nos verbis tuis fidem habentes: « Credimus et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei, » id est quia ipsa vita æterna tu es, et non das in carne et sanguine tuo, nisi quod es. « Credimus, inquit, et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei, » id est hoc ipsum credimus et cognovimus, te esse Filium Dei: unde consequens est te verba vitæ æternæ habere, et quæcunque dixisti, vera esse. Vel aliter. Quæcunque dixisti de carne tua manducanda et sanguine tuo bibendo, credimus et cognovimus vera esse, quia tu es Christus Filius Dei. Non dixit, cognovimus et credimus, sed credimus et cognovimus, quod de ea cognitione intelligi potest, quæ per processum fidei intellectum consistit, de qua scriptum est: « Nisi credideritis, non intelligetis (*Isa.* VII). » Fides quidem ipsa quædam cognitio est, etiam in his qui simpliciter credunt, et rationem fidei non intelligunt. Cognitio vero usque ad intellectum proficiens, illorum est, qui exercitatos sensus habent ad fidei rationem plenius cognoscendam, parati semper ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quæ in nobis est, fide et spe. Quod in superioribus Christi verbis multi discipulorum scandalizati sunt in fide, alii autem ædificati ad fidem, magna ex hoc consolatio, Deo dispensante, prædicantibus verbum Dei provisa est, si forte in verbis eorum auditores increduli scandalizantur, et retrorsum post Satanam convertuntur. Magna tamen cautela adhibenda est, et cum timore semper verbum Dei seminandum.

Hæc verba Christi, quæ ex Evangelio Joannis apposuimus, secuti Patrem Augustinum exposuimus: ubi interdum verbis ipsius, ubi commodum videbatur, sententias ab eo explicitas non præterire, nec eas vel plenius vel brevius explicare curavimus. Nunc post quatuor evangelistarum testimonia, ad astruendam fidem hujus ineffabilis sacramenti, ea qua potuimus diligentia discussa intentionem ad verba apostoli Pauli ad hoc sacramentum pertinentia convertamus; ut confessio fidei nostræ evangelicæ sic et apostolicæ doctrinæ testimoniis subnixa, sicut moles immobilis sua stabilitate fundata consistat: et nulla inventorum, nulla curiosarum violentia quæstionum a sua firmitate labefactari queat.

De verbis Apostoli.

« Non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem (*Matth.* XVIII). » Hoc de cibo sentire licet, qui non potest hominem mundare; et de manibus, quæ sine reatu conscientiæ ut quotidie laventur, quotidie inveniuntur illotæ. Verum ad mensam Domini, et ad carnes Agni immaculati, illotis manibus accedere indecens et illicitum est, et omnino tutum non est. « Lavabo, inquit, inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine (*Psal.* XXV). » Detestatio criminum, et justitia bonorum operum, hæc est vera munditia manuum. At qui mundas habet manus, cavere debet, ne attrectet immundum. Nam « qui tetigerit immundum, immundus erit. Qui tangit picem, inquinabitur ab ea (*Eccli.* XIII). » Qui non constringitur reatu proprii criminis, videat ne polluatur consensu alienæ iniquitatis. Hinc Apostolus Timotheum instituens: « Neque communicaveris, inquit, peccatis alienis. Teipsum castum custodi (*I Tim.* V). » Et Corinthiis scribens, arguit in eis, quod fornicatorem publicum de medio sui non tollerent, quasi tanti delicti eum tolerando participes fierent. Ait enim: « Auditur inter vos fornicatio; et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestri, qui hoc fecit (*I Cor.* V). » Et post pauca: « Non est bona gloriatio vestra. Nescitis, quoniam modicum fermentum totam massam corrumpit? Expurgate vetus fermentum (*ibid.*). » Ecce etsi alias boni viderentur, non bonam dicit gloriationem eorum, de vita videlicet, vel fama, vel conscientia sua; quia consensus alieni criminis per malam patientiam cætera bona corrumpit, et unius exemplum multis perniciosum existit. Volens ergo eos retrahere a tali delicto, cum pluribus modis eos terrere posset, prælegit exemplo de lege Moysi proposito ad condignam reverentiam paschalis hostiæ eos cohortari, ut dignitate tanti sacramenti considerata exhorrescerent indigni accedere, et inter se aliquem indignum sustinere. Quid enim terribilius est homini peccatori ad mensam Domini accedenti, et veram hujus sacramenti fidem habenti, quam cogitare secum, quam immundus, quam ira dignus sit, qui accedit, et quam sanctus et impollutus, et quam justus, ad quem accedit? Propterea memoriam mortis Christi, et immolationem Agni proponens, monet expurgare vetus fermentum, et epulari in azymis sinceritatis et veritatis, reserans quod in lege clausum erat, et illuminans quod in typo fuerat adumbratum.

Expurgate vetus fermentum, etc., usque ad illud; *In azymis sinceritatis et veritatis.*

In Exodo filiis Israel præceptum est agnum immolare, et carnes assas igni edere, et azymos panes cum lactucis agrestibus. Et de azymis sic scriptum est: « Primo mense, decima quarta mensis ad vesperum, comedetis azyma usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis, » etc. (*Exod.* XII). Et infra: « Fecerunt sibi subcinericios panes azymos. Neque enim poterat fermentari, cogentibus exire Ægyptiis, et nullam facere sinentibus moram (*ibid.*). » Filii Israel tum auctoritate divini præcepti, tum angustia temporis, panem fermentare prohibiti sunt. Sed necessitas temporis divinæ dispensationi serviens, quod Deus fieri noluit, fieri non permisit. Incipientibus exire de Ægypto abstinentia fermenti indicitur, et, præcipiente Domino et urgente Ægyptio, non possunt non abstinere, etiamsi velint non abstinere. Egressis autem de Ægypto eadem abstinentia in esu agni indicitur, et ad obedientiam cessat temporis necessitas, et accedit libera voluntas.

Sic cum exitur de regno peccati, et de vana sæculi conversatione, sæpe abstinentia peccati, quæ a Deo imponitur, necessitate temporis nihilominus observatur, sed processu temporis totum fit voluntarium, quod ab initio forte potuit esse extortum. Peccatum vetus fermentum est, quo abstinendum est toto hoc numero septem dierum. Hoc fermento tota massa corrupta est in prævaricatione Adam, et posteris ejus. Unde et vetus dicitur, et ad veterem hominem pertinet, cui longe dissimile est fermentum justitiæ, de quo scriptum est : « Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus (*Matth.* XIII). » Illud vetus fermentum corrumpit et inflat, et novæ conspersioni contrarium est. Est autem conspersio farina per liquorem conglutinata sine fermento, idem et azyma. Nova autem conspersio vel azymus panis Christus est, ab omni corruptione peccati immunis. Et si nos per timorem et humilitatem comminuti sumus, si aquis baptismi vel pœnitentiæ conspersi, et liquore supercœlestis gratiæ perfusi, et per charitatem conglutinati, ne per varia erroris desideria dividamur, tunc nova conspersio vel azymi sumus, et expurgato veteri fermento et corruptione vitæ derelicta, monemur et nos cum Corinthiis, ut simus nova conspersio (*I Cor.* V), id est ut permaneamus sine fermento, sicut per gratiam facti sumus azymi, id est liberi a peccato; vel ut simus nova conspersio, per opera justitiæ ambulantes in novitate vitæ, sicut liberati sumus a corruptione veteris vitæ. Si enim secundum legem a fermento abstinendum fuit in esu paschalis Agni, qui in figura præcessit; multo magis nunc a fermento spiritualiter abstinendum est : « Etenim pascha nostrum immolatus est Christus (*ibid.*). » Pascha nomen solemnitatis est, et solemnis hostiæ. In utraque Christus significatus est. Ipse enim est solemnitas nostra, et gaudium nostrum, et dies lætitiæ et exsultationis nostræ, et hostia nostra pro nobis oblata, et in esum a Deo præparata. Itaque epulemur. Si nova conspersio sumus et panes azymi, quomodo nobis, vel a nobis dicitur, « epulemur; » nisi quia ipsi convivium et convivæ sumus, reficiendi de Christo, qui nobis panis est, qui et de nobis reficitur? De quo scriptum est, quia « pascitur inter lilia (*Cant.* II). » Et in Apocalypsi ipse de se dicit : « Ego sto ad ostium et pulso. Si quis audierit vocem meam, et aperuerit januam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum (*Apoc.* III). » Epulemur ergo in conspectu Dei, et delectemur in lætitia, « non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ (*I Cor.* V). » Agnus enim innocens est, qui tollit peccata mundi. Nequitia autem et malitia sic distingui possunt, ut altera intelligatur in iis quæ fiunt contra Deum, altera in iis quæ fiunt contra proximum. Quocunque autem modo discernantur, sic omnis iniquitas fugienda est, ut malitia et nequitia; et vitæ incorruptio sic sectanda est, ut epulari possimus in azymis « sinceritatis, » ab omni

A iniquitate immaculatos nos servantes; « et veritatis, » bona quæcunque sine dolo et fictione facientes.

Ex eadem Epistola : *Patres nostri omnes sub nube fuerunt*, etc., usque ad illud : *Petra autem erat Christus* (*I Cor.* X).

« Abrahæ dictæ sunt promissiones (*Galat.* III). » Dictæ sunt quidem, et non statim exhibitæ, sed in longa tempora dilatæ. Fides autem promissionum in exspectatione earum crebris signis et virtutibus, signis a Deo factis confirmata est, quibus notam fecit Deus potentiam suam, ne non crederetur potens facere quæ promisisset. In signis autem antiquis patribus visibiliter exhibitis annuntiavit Deus virtutem operum suorum, eorum quæ facturus erat B in generatione altera. Qualia enim facturus erat promissiones adimplens, talia fecit antequam adimpleret. Talia, inquam, sed non eadem, sed similia; quæ suæ figuræ similitudine præsignare possent, et præmonstrare promissionum fructum et finem. Promissiones multæ erant, et una; quia multæ in una, et in multis una. Unus enim Christus finis est promissionum, quia ab omnibus justis desideratus et exspectatus, sperabatur populum suum de omni malo, quasi de hostili manu liberaturus, et benedictionem et salutem daturus. Hoc est quod Zacharias dicit : « Locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, prophetarum ejus. Salutem ex inimicis nostris (*Luc.* I), » etc. Fructus promissionum gratia est, quæ datur in baptismo : item gratia, C quæ datur in Dominici corporis et sanguinis sacramento. Ibi peccatorum remissio, hic ad capessendam vitam æternam salutaris præparatio. Ibi Christus induitur, hic manducatur. Hi sunt primitivi fructus interim percipiendi, donec evacuetur quod ex parte est, et veniat quod perfectum est, ut videamus Deum deorum in Sion.

Christus autem ipse promissus, et promissor, tandem veniens, sicut ante una cum Patre ipse promiserat, duo sacramenta in aqua, scilicet baptismi et mysterii corporis sui, instituit, quibus nos sanctificaret, et sanctificatos beatificaret. Horum sacramentorum signa præcesserunt in mari, et manna. Ibi figura, hic veritas : quod intuens Apostolus D dicit : « Patres nostri omnes sub nube fuerunt (*I Cor.* X). » In Exodo legitur, quod profecti filii Israel de Socoth, castrametati sunt in Ethan, in extremis finibus solitudinis. Dominus autem præcedebat eos, ad ostendendam viam per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris utroque tempore. « Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram populo. » Et infra : « Tollens se angelus Domini qui præcedebat castra Israel abiit post eos, et cum eo pariter columna nubis priora dimittens, post tergum stetit inter castra Ægyptiorum et castra Israel. Et erat nubes tenebrosa et illuminans noctem, ita ut ad se invicem accedere non valeret (*Exod.* XIV). » Historice quidem omnes qui egressi

sunt de Ægypto, sub nube fuerunt, quia nunquam defecit columna nubis per diem. Spiritualiter autem omnes antiqui justi sub nube fuerunt. Nubes obscuritas figurarum, nubes Christus vel Spiritus sanctus protegens et obumbrans. Item nubes Christus, quasi adhuc absconditus, et nondum manifeste revelatus. Nubes quoque fides typicis mysteriis involuta, et futurorum exspectatione suspensa. Si autem illi sub nube fuerunt, qui mirabiliter promissa et mirabiliter gesta fideliter et spiritualiter intellexerunt, de quibus scriptum est: «Pavit eos in innocentia cordis sui, et in intellectibus manuum suarum (*Psal.* LXXVII),» operum videlicet suorum, «deduxit eos): » quanto magis sub nube fuerunt, sed cæcitatis et ignorantiæ, de quibus scriptum est: « Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua (*Psal.* CV).» Et iterum: « Obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Chanaan, terribilia in mari Rubro (*ibid*). » Et item: « Non crediderunt verbo ejus (*ibid*).» Opera ergo et verba Dei alii intellexerunt, alii non intellexerunt, alii crediderunt, alii non crediderunt. Signa autem operum Dei quasi quædam verba fuerunt, juxta quod scriptum est: « Posuit in eis verba signorum suorum (*Psal.* CIV). » Qui significationes verborum et signorum spiritualiter intellexerunt, et qui spiritualiter non intellexerunt, sub nube fuerunt. Una siquidem nubes, quæ stetit inter castra Ægyptiorum et castra Israel, tenebrosa erat, et illuminans noctem. Christus enim alios justo judicio excæcat, alios misericorditer illuminat. Aliis est lapis offensionis, et petra scandali; aliis est lapis in caput anguli (*I Petr.* II); aliis Deus est Dei Filius; aliis homo peccator est, æstimatus cum descendentibus in lacum (*Psal.* LXXXVII).

Et omnes mare transierunt (I Cor. x).

Historice filii Israel ambulaverunt per siccum in medio mari, et operuit aqua tribulantes eos, unus ex eis non remansit (*Psal.* CV). Forma baptismi hæc est, ubi spiritualis Pharao et omnis equitatus ejus submergitur. Quæ spiritualis intelligentia antiquis Patribus ex multis Scripturarum locis manifesta fuisse dignoscitur. Nam in Canticis canticorum sponsus ad sponsam loquitur, dicens: « Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea (*Cant.* I). » Et apud Ezechielem Dominus: « Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris (*Ezech.* XXXVI). » Et in eodem propheta scriptum est: « Aquæ descendebant in latus templi dextrum ad medium altaris (*Ezech.* XLVII). » Et infra: « Omnis anima vivens quæ serpit, quocunque venerit torrens vivet (*ibid*).» Et in Michæa: « Deponet iniquitates nostras, et projiciet in profundum maris omnia peccata nostra (*Mich.* VII). » Et in Zacharia: « In die illa erit fons patens domui Jacob, et habitatoribus Jerusalem, in ablutionem peccatoris et menstruatæ (*Zachar.* XIII).» Et infra: « In die illa exibunt aquæ vivæ de Jerusalem: medium earum ad mare orientale, et medium earum ad mare novissimum (*Zachar.* XIV).» Si moralis intelligentia in superioribus Apostoli verbis requiritur, vide et considera quomodo omnes justi qui fuerunt a diebus antiquis, sub nube divinæ miserationis protecti sunt, et quomodo mare transierunt, hoc videlicet sæculum tam turbulentum, tam fluidum, ubi omnes qui Ægyptio more vivunt, in profundo vitiorum, inter desideria errorum lubricæ vitæ fluctibus involvuntur; justi vero inter divisiones tentationum, quæ a dextris sunt, et quæ a sinistris, sicco vestigio et impolluto calle pertranseunt.

Et omnes in Moyse baptizati sunt, in nube et in mari (I Cor. x).

Inde baptizati, unde purificati. Deus enim fide purificans corda eorum, in rebus mirabiliter gestis per Moysen, et circa Moysen, et in ostensione signorum quæ fecit in nube et in mari, hoc agebat, ut purificarentur ab errore Ægyptiæ superstitionis, et verus Deus crederetur, a quo missus esset Moyses, « Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob (*Exod.* III).» Hoc etiam agebat in omnibus mirabilibus suis, ut in fide unius veri Dei confirmati, indubitanter crederent et exspectarent quandoque venturum, qui benedictionem et salutem daret secundum fidem promissionum, quæ dictæ sunt Abrahæ et semini ejus. In omnibus itaque beneficiis antiquis patribus exhibitis, memor fuit Deus testamenti sui, quod habuit ad Abraham puerum suum; ut et ipsi ejusdem sacramenti memores confiterentur memoriæ sanctitatis ejus, et de impensis beneficiis sic præsentem acciperent consolationem ut inesse cernerent repromissæ benedictionis significationem. Longa enim dilatio, et nulla interim consolatio, quid esse poterat nisi promissionis desperatio? Frequens autem signorum ostensio, et benedictionum crebra consolatio, dictæ fuit repromissionis rememoratio, rerumque futurarum præostensio. Moyses itaque populi liberator, et doctor, et legislator, Christum præmonstrabat, qui est judex noster, et rex noster, et legifer noster. Nubes quoque et ipsa Christum præmonstrabat in fide obnubilatum, in lege, et Prophetis, et psalmis absconditum, in carne velandum. Denique scriptum est: « Invocabant Dominum, et ipse exaudiebat eos, in columna nubis loquebatur ad eos (*Psal.* XCVIII).» Hoc autem in figura contingebat illis. Cujus rei veritatem Apostolus declarans dicit: « Multifarie multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio (*Hebr.* I).» Mare, ut prædictum est, baptisma præfigurabat; illud sane baptisma, quod singulariter et principaliter dicitur baptisma: de quo Apostolus dicit: « Unum baptisma (*Ephes.* IV).» Erant siquidem apud Judæos secundum varia ablutionum genera, varia baptismata, sicut idem Apostolus insinuat dicens: « In cibis et potibus, et variis baptismatibus (*Hebr.* IX).» Illi in Moyse baptizati sunt, nos autem in Christo; sed non sic illi in Moyse, sicut nos in

Christo. Moyses quippe famulus Dei a Deo missus, ut ipse dicebat, verba Dei populo nuntiavit; et suis pariter et Dei verbis fidem fecit sequentibus signis. Signa autem in manu Moysi ostensa, non Moysi, sed Dei virtute facta sunt, quibus fides aut cœpit, aut crevit in illis qui crediderunt, et fide purificati Deo placuerunt. Adjuti sunt ergo per ministerium et exemplum Moysi ut crederent : at ipsius fidei, quam admiratione signorum permoti habuerunt, auctor fuit, non Moyses, sed Deus, cui crediderunt, et credendo placuerunt. Habemus itaque fidem unius veri Dei, qui dictus est « Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob (*Exod.* III), » a quo et Moyses ad eos missus est. Habentes quoque fidem venturi Salvatoris, secundum repromissionem dictam Abrahæ, Isaac et Jacob ; et secundum exemplum fidei eorum baptizati sunt, non a Moyse, sed in Moyse. Baptizati enim ab illo, ab eo autem purificati, a quo ut crederent divinitus sunt inspirati. Spiritualiter ergo baptizati sunt non exterius abluti, sed interius sanctificati. Sic illi spiritualiter baptizati, sicut nos spiritualiter circumcisi. Virtute itaque et gratia Christi baptizati sunt illi, sicut et nos ; quia per fidem Christi, cujus ipse auctor et consummator est, sanctificati sunt illi, sicut et nos. Illos enim sanctificabat Christus tunc per fidem, sicut et nos. Neque enim ille non erat, qui de se dicit : « Antequam Abraham fieret, ego sum (*Joan.* VIII). » Nam et Apostolus de Moyse loquens, dicit : quia « majores divitias æstimabat thesauro Ægyptiorum improperium Christi (*Hebr.* XI). » Cum autem magnalia, mirabilia, et terribilia in manu Moysi facta sint, quibus poterat fides initiari aut confirmari, ut credentes sanctificarentur ; quid sibi vult quod Apostolus ea signa, quæ facta sunt in nube et in mari, insinuat ; cætera subticens, quæ in decem plagis contra Pharaonem et Ægyptum ostensa sunt? Forte per hoc quod dicit, « in Moyse, » cætera omnia intelligi voluit quæ non expressit. Nubem autem et mare propter quamcunque rationem expressit. Et forte nubem nominavit, quia clementiæ signum est. Nam aqua in sanguinem versa, et rana, et musca, cæteraque plagarum genera magis iram indicant. Nubes autem protegens et obumbrans, nunc præcedens, nunc subsequens filios Israel, divina clementia protectos et circumdatos indicabat, et Christum protectorem figurabat. Mare autem nominat Apostolus ; quia sicut ante prælibavimus, signum baptismi est.

Et omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt (*I Cor.* x).

Spiritualis esca quomodo dici potest illud visibile manna ? Quia non arte vel labore hominum, sed a Deo angelorum forte ministerio præparata est. Unde et panis angelorum dicitur, et panis cœli, sicut scriptum est : « Panem angelorum manducavit homo (*Psal.* LXXVII). » Et item : « Panem cœli dedit eis (*ibid.*). » Hæc autem esca de cœlo data corpora nutriebat et confortabat. Vere corporalis esca est, sed spiritualis secundum dictam rationem dici potest ; vel quia spiritualem escam significat, id est Christum, qui vere est cibus spirituum, et resurrectio corporum. Cibus autem spirituum est, sicut vita eorum. Justi autem qui spiritualiter vivunt, inde spiritualiter cibantur et sustentantur ; unde accipiunt, ut spiritualiter vivant. At justus ex fide vivit, in quantum juste vivit. Fide ergo participatur, quod justis præstat, ut spiritualiter et juste vivant. Christum enim manducare, hoc est spiritualis vitæ sustentationem ab ipso accipere ; et hoc est in ipsum credere, et hoc est de ipso sicut illi in illo vivunt, vivere. Hæc autem spiritualis esca duobus modis manducatur, gustu fidei et perceptione sacramenti. Unus modus cœpit ab institutione novi sacrificii : alter mox ab ipso initio hujus nostræ fidei. Quicunque enim justi fuerunt, hanc spiritualem escam manducaverunt, quia in Christum crediderunt, spiritualiter vixerunt, et ejus participatione, ut spiritualiter viverent, acceperunt. Visibile autem manna multi manducaverunt et mortui sunt, morte scilicet spirituali, quia spiritualiter non vixerunt ; et multi visibile manna non manducaverunt, et spiritualiter vixerunt, et ideo spiritualem escam manducaverunt. Manna enim visibile signum erat hujus nostri sacramenti, et spiritualis escæ, quæ hoc sacramento continetur. Hoc autem nostrum sacramentum sub specie visibili spiritualem escam, id est Christum, in se continet ; et spiritualem gratiam, qua spiritualiter vivitur, percipientibus conferre prævalet. Manna autem visibile, nec spiritualem gratiam plene in se continebat nec gratiam vitæ spiritualis conferebat, sed spiritualem escam, quæ spiritualem vitam dare posset, significabat. Qui ergo visibile manna perceperunt, nec crediderunt, nec spiritualiter intellexerunt, et ideo spiritualiter non vixerunt : hi corporalem escam ad corporalem refectionem, non spiritualem, manducaverunt. Qui vero fidem quam nos eamdem habuerunt, et spirituale manna, panem scilicet cœli et panem angelorum, id est Christum de cœlo venturum crediderunt ; et hac fide justificati spiritualiter vixerunt : hi spiritualem escam quam nos eamdem manducaverunt. Sed nos eamdem spiritualem escam ore pariter sumimus et corde ; illi vero visibile manna ore gustaverunt, invisibile autem et spirituale manna, id est Christum, corde crediderunt. Ore ergo aliud nos, aliud illi : corde vero idem nos et illi. Hæc autem spiritualis esca, id est Christus, panis cœli est, et panis angelorum. Hunc enim panem angelus manducat in cœlo modo adhuc nobis incognito, adhuc inexperto ; hunc eumdem manducat peregrinus homo pro modulo suo, sicut scriptum est : « Panem angelorum manducavit homo. »

Et omnes eumdem potum spiritualem biberunt (*I Cor.* x.)

Sicut manna de cœlo datum significat spiritualem escam, qua cibantur omnes sancti, ut spiritualiter vivant, sicut decet sanctos ; sic aqua, quæ

de petra fluxit, significat spiritualem potum, quo potantur quicunque spiritualiter gratiæ participes efficiuntur. « Petra autem erat Christus (*ibid*). » Ecce cognovimus, Apostolo interpretante, quid significet petra, quæ aquam produxit: inquiramus ex verbis ipsius Domini, et item ex verbis Apostoli, quæ sit spiritualiter aqua de Christo manans sicut de fonte vitæ: et quis spiritualiter potus, quo potamur omnes, qui in Christum credimus: « Qui credit, inquit Christus, in me, sicut dicit Scriptura. Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dicit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum (*Joan.* VII). » Et Apostolus: « Omnes uno spiritu potati sumus (*I Cor.* XII), » ecce aqua quæ de petra profluxit, ecce potus spiritualis, quem omnes justi biberunt. Hoc potu ardor sitis exstinguitur; hujus spiritus munere sanctorum desiderium feliciter adimpletur. Consolator enim spiritus est, et mœrentium corda lætificat. Omnes justi in hoc spiritu lætificati sunt, omnes hunc spiritum acceperunt: et propter hoc omnes eumdem potum spiritualem biberunt.

Bibebant autem de spirituali. (I Cor. X.)

Præmittens Apostolus de spirituali potu, et subnectens de consequente eos petra, et interponens in medio, « Bibebant autem de spirituali: » dubium reliquit, quomodo intelligendum sit, quod dicit: « Bibebant autem de spirituali, » videlicet an de spirituali potu, an de spirituali petra. Sed si ad potum quis hoc referre velit, vix apparet, quomodo distingui possit, bibebant de spirituali potu, et bibebant spiritualem potum. Si autem plus est bibere spiritualem potum quam bibere de spirituali potu, quid necesse fuit, post id quod majus est, adjungere quod minus est? Si autem idem est, quid necesse fuit idem repetere? Sed solet repetitio nonnunquam fieri ut aliquid addatur. Si ergo additionis causa repetitio facta est, verbis ex parte mutatis, sic accipi potest, quasi fieret verbis non mutatis, ut nullam vim habeat ipsa verborum mutatio, tanquam diceretur: Biberunt potum spiritualem; bibebant autem de spirituali, hoc est potum spiritualem, consequente eos petra. Hoc enim additur, ut ostendatur unde manaverit spiritualis potus, quem bibebant. Porro, sicut placet hoc ad petram referri, ut de spirituali petra bibisse dicantur, eos consequente, modus locutionis est; sicut de cisterna vel vinea dicitur quis bibere, cum vel aquam de cisterna bibit, vel de vinea vinum. Spiritualis autem petra Christus est; spiritualis potus Spiritus sanctus est, qui de Christo procedit, et a Christo datur secundum diversorum divisiones charismatum, credentibus in eum. Potest etiam spiritualis potus pro calice accipi. Calix autem Christi tribus modis dicitur, vel sanguis ipse Christi, qui pro multis fusus est, quem et nos bibimus in altari, vel passio Christi quæ nos ad compatiendum obligavit, vel imitatio passionis ejus, qua vicissitudinem pro modulo nostro, et gratiarum actionem pro nobis passo compatiendo referimus. Spiritualem itaque potum biberunt, non solum qui haustu Dominici sanguinis in ipsius sacramenti perceptione potati sunt, sed et omnes justi, qui a diebus antiquis fidem passionis Christi habuerunt, et in ea fide spiritualiter vixerunt, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis mortificantes; et similitudinem passionis Christi in patientia tribulationum suarum præferentes. Non est enim justus, qui non patitur.

Consequente eos petra.

Juxta historicum intellectum, petra consequebatur eos, id est satisfaciebat et obsequebatur voluntati eorum; quia, ut quidam putant, quocunque irent, aquæ inundantes secutæ sunt, sicut scriptum est: « Eduxit aquam de petra, et deduxit tanquam flumina aquas (*Psal.* LXXVII). » Et iterum: « Disrupit petram, et fluxerunt aquæ, abierunt in sicco flumina (*Psal.* XIV). » Potest hoc et aliter intelligi. Mortua Maria, et deficiente aqua in deserto Sin, in loco, qui dicitur Cades, murmuravit populus contra Moysen. Quæ murmuratio tantum valuit, ut et ipse Moyses aliquatenus cessisse videretur: unde cum per silicem bis percussum egrederentur aquæ largissimæ, audivit a Domino: « Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis (*Num.* 20). » Populi ergo in seditionem versi paulominus defecerant a cultu Dei et prope erat ut fugerent a Domino, et Deo suo, nisi signo dato retinerentur, et quasi fugitivi comprehenderentur, consequente eos petra, ne abirent, et quodammodo revocante, ut redirent.

Secundum intellectum mysticum, Christus in deserto hujus mundi suos comitatur, et non deserit sperantes in se.

Petra autem erat Christus

Solet res quæ significat, nomine rei quam significat nominari. Erat non per substantiam, sed per significationem. In signis coram antiquis justis a Deo mirabiliter factis mystica significatio secuturæ veritatis inerat, majoribus et perfectioribus manifesta, simplicioribus forte occulta. Omnes autem pietatem fidei habentes signa divinitus facta quasi sancta venerati sunt, et rerum venerabilium novitate et stupore permoti, in Dei timore vel amore et fidei devotione confirmati sunt. Nec præjudicat pietati fidei si qui forte simpliciter ignorabant, quid significabat manna, quid nubes, quid mare, quid petra, dummodo pie crederent, quod ratio illius temporis exigebat, quæ ad fidem unius Dei et venturi Salvatoris pertinerent. Non enim scientia mysticæ significationis ab omnibus requirebatur; sed pietas fidei ad justitiam reputabatur, et ignorantia unius Dei et Salvatoris mundi singulis non credentibus imputabatur. Hinc de quibusdam infidelibus scriptum est: « Ignis accensus est in Jacob, et ira ascendit in Israel; quia non crediderunt in Deo, nec speraverunt in salutari ejus (*Psal.* LXXVII). » In Deo autem credere et in Christo salutari ejus fiduciam salutis ha-

bere, sicut nobis nunc, ita et illis tunc necessaria erant ad salutem; sed signorum significatio occulta inspiratione perfectioribus intimabatur, signorum veneratio simplicioribus proponebatur, ut virtutem Dei in mirabilibus ejus agnoscerent ad facienda quæ vellet et sicut vellet. Et nunc quoque quam multi sunt in Ecclesia Dei, qui significationem, vel quæ tunc fuerunt, signorum, vel quæ nunc sunt, sacramentorum non norunt: qui fidei Ecclesiæ simpliciter adhærentes, et nihil impie de Deo sentientes, Deum venerantur in sacramentis ab eo institutis, æstimantes divinam virtutem et sanctificationis gratiam illis inesse, ut in Deum credentibus ad salutem possint prodesse. Non igitur oportet omnes qui fidem habent, mystici eloquii prudentes esse, vel signorum aut sacramentorum profunda penetrare; sed mysteriorum intelligentia magis est illis necessaria quibus docendi et regendi dispensatio est credita. Hinc Dominus ad discipulos loquens, ait: « Vobis datum est nosse mysterium regni Dei; cæteris autem in parabolis (*Luc.* VIII). Petra autem erat Christus. » Hæc est petra, de qua ipse Christus dicit: « Supra hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferni non prævalebunt adversus eam (*Matth.* XVI). » Hæc est petra, de qua dictum est: « Statuit supra petram pedes meos (*Psal.* XXXIX). » Et iterum: « Petra refugium herinaciis (*Psal.* CIII). » Christus ergo petra est, quia sanctorum firmitas est, confirmans eos in virtute sua per immobilem fidei constantiam, per immobilem securitatis fiduciam, per interminabilem dilectionis perseverantiam. Christus petra est, utpote firmus in promissione sua, firmus in dilectione sua; interdum inexorabilis in ira sua, sæpe immobilis in sententia sua, sæpe quasi durus in tribulatione nostra. Domine Deus, ut salva pace tua loquar, quoties in orationibus meis pro tribulationibus et tentationibus meis, etsi non te durum nomino, durum tamen cogito. Quoties in corde meo revolvo. Petra autem erat Christus; quoties dico, ut quid, Domine, repellis orationem meam, avertis faciem tuam a me (*Psal.* L); quousque irasceris super orationem servi tui? (*Psal.* LXXIX.) Verumtamen quia dixisti: « Oportet semper orare, et non deficere (*Luc.* XVIII), » quia improbitatem et importunitatem quærendi, petendi et pulsandi non fastidis, non dimittam te nisi benedixeris mihi. Experiar, te auxiliante, si possim sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo, et si dederis mihi virgam disciplinæ; qua rectitudine actionis et directione cordis silicem iræ tuæ bis valeam percutere, et duritiam frangere; scio quia egredientur aquæ largissimæ, ut populus bibere possit, et jumenta, et ego inter jumenta. Sed exemplo Moysi timeo hæsitationem cordis, quam tu detestaris. Postulare enim in fide debeo, et non hæsitare. Tu, Domine, qui probas fidem, adjuva incredulitatem meam; serva quod placet, tolle quod displicet.

—

Ex eadem epistola, infra: « Charissimi, fugite ab idolorum cultura, usque ad hæc verba: *Non potestis mensæ Domini participes fieri et mensæ dæmoniorum* (*I Cor.* X).

Vitæ humanæ societas et mutui amoris jucunditas cum multis indiciis vicissim possint significari, et ex signis vicissim intelligi; uno familiarius modo et expressius intimantur in convescendi consuetudine, et unius mensæ participatione. Cum enim cibus quasi vita sit vitæ, qui unum cibum communiter participant, ipsam vitam mutua benevolentia communicare se indicant, dum ipsius subsidium vitæ communiter assumunt ad usum vitæ, quibus communis est usus vitæ. Familiaritas hominum in convictu nutriri solet ex communi victu, et vel amicus est, qui convescitur, aut amicum se simulat, ut credatis; quæ simulatio peccatum Judæ cumulavit, qui convescendo se non prodidit, ut magistrum proderet. Cui dictum est: « Tu vero homo unanimis; dux meus, et notus meus. Qui simul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulavimus cum consensu (*Psal.* LIV). » Post vitam, quæ communiter participatur et post mortem, quo socialiter tam sibi quam alteri vita amatur, nihil magis communioni congruit, quam alimentum vitæ, cujus communione significatur communio amicitiæ. Neque enim fas est communis mensæ fieri participem, qui dilectionis ad convescendum se sentit expertem. Communio autem mensæ Dominicæ a corporali mensa, quæ indigentibus communis esse debet, hoc amplius habet, quod communionem veræ amicitiæ non solum indicat, sed perficit et consummat. Hujus communionis quanta sit virtus, et quanta sit gratia Apostolus ostendit, volens nos a mensa et societate et amicitia dæmoniorum retrahere, et ad mensam Christi, ejusque societatem et amicitiam invitare. Omnis amicitia, sive hominum inter se, sive Dei et hominum, sive hominum et dæmoniorum, suo modo colitur propria muneris vel obsequii oblatione, aut affectati muneris delectatione. Ille quidem superbus et refuga angelus, cum affectasset similis esse Altissimo, et similitudinem altitudinis non posset assequi in veritate, voluit eam adipisci in stulta hominum opinione, ut vel putaretur Deus, et pro Deo coleretur. Quos ergo seduxit, ad hoc induxit ut in idolis manufactis ipsum adorarent, ipsi pro salute supplicarent, ipsi vota offerrent, ipsi immolarent, et in ipsius veneratione immolata gustarent et mensæ ejus participes essent: et hæc omnia ut placatum haberent, et amicitiæ ejus participes fierent. Ille ergo, quia videri voluit, quod esse non potuit, qui est superbiæ typus, idololatriam instituit, quam vera Christi religio postea destruxit in veris cultoribus Christi, qui in ejus societatem vocati sunt, ad mensam ejus invitati, cujus participatione efficiantur participes amicitiæ Dei. Hujus mensæ laudem commemoraturus Apostolus, præmonet fugere ab idolorum cultura. « Quæ enim conventio Christi ad Belial? » (*I Cor.* X.) Fugienda est idololatria,

nobis præscripta sic intelligenda sunt et sic accipienda, ut in occasionem nostræ supernæque salutis, convertantur, prout ratio causarum dictaverit; quibus aut necessitati cedere, aut infirmitati aliquid indulgentius concedere oportuerit. In omnibus autem, quæ circa alios disponimus, quamvis districtius interdum agendum sit: misericordiam cogitare debemus ut et ipsi misericordiam a Deo consequamur. Sic enim tortulæ ex manna factæ erunt saporis quasi panis oleati. Postquam autem ostendit Scriptura quomodo manna frangerent, tererent, et tortulas facientes coquerent, curavit adjicere quod cum rore manna descenderet. Verbum Dei cum perfundit, ros est; cum reficit, manna est. Cum prædicatur, perfundit; cum digne suscipitur et custoditur, reficit. Manna ergo descendit cum rore; quia verbum Dei in corda fidelium pervenit ex prophetarum et apostolorum prædicatione. Hinc Apostolus ait: « Quomodo credent ei quem non audierunt? » etc. (*Rom.* x.) Et post pauca: « Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei (*ibid.*). » Verbum ergo in corde, manna est; verbum in ore, ros est; nihilominus tamen et manna est. Nocte descendit ros, sicut scriptum est: « Cum quietum silentium continerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus exsiliens de cœlo, a regalibus sedibus venit (*Sap.* xviii). »

Item de libro Numerorum: *Tædere cœpit itineris* (*Num.* xi).

Multi divinis mancipati obsequiis, et arctiorem vitam professi, tandem laboriosæ disciplinæ pertæsi, quæ nonnisi fine vitæ finienda est, contra Moysen, hoc est contra ipsum Deum legislatorem, vel contra ipsius legem, quasi supra modum insuavem murmurant, et in solitudine non habentes panem absconditum, qui suavior est, et aquas furtivas, quæ dulciores sunt, dicunt: « Deest panis, non sunt aquæ. » Manna cœleste supra modum fastidientes adjiciunt, dicentes: « Anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo. » Isti quippe post novitium fervorem inchoatæ conversionis tepidi facti, deteriores sunt quam frigidi; quos et Dominus ex ore suo evomit, quia prius sibi quasi incorporatos, post ad vomitum suum justo judicio suo redire permittit; unde et dicit: « Utinam esses calidus vel frigidus, nunc autem quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo (*Apoc.* iii). » Cibum autem illum levissimum dicebant fastidiosi, vel quia sine aliquo suo labore a Deo eis præparabatur, vel quia nullo pretio comparabatur, vel quia præ nimia abundantia minus illis sapiebat, ideoque contemnebatur. Sic et verbum Dei nonnunquam ex facilitate intelligendi, et ex desiderio ciborum Ægypti fastidiosis animis vilescit, et in tædium vertitur. Nec sufficit eis panis vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris, quin mussitantes, dicant: « Deest panis, non sunt aquæ. »

In Deuteronomio: *Dedit tibi cibum*, etc. (*Deut.* viii).

Audi nunc, o Judæe, et intellige ex lege tua; si ei credere placet, diligenter disce, quid sit manna.

A Ne dicas amplius: « Quid est hoc? » Ignorabas tu, et patres tui, infideles quidem sicut tu, et ideo patres tui, hunc cibum non intelligens, quid esset, et ad quid tibi datus esset, scrutare Scripturas, in quibus te putas habere vitam, scrutare legem, in qua confidis? Ecce ipsa tibi non involute, non obscure, sed manifeste et aperte ostendit tibi quid sit verum manna, et ad quid Deus tibi dederit cibum manna? Non ob aliud, quam ob id, quod hic scriptum est, quod litteris tuis insertum est, quod auribus tuis sæpe inculcatum est, quod oculis tuis ingestum est, « ut ostenderet, inquit, tibi, quod non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod egrederetur ex ore Domini. » Frustra tibi manna datum est, si nondum vides ostensionem quæ tibi in manna data

B est. Ad ostensionem datum est, aliquid ostendit. Vivit quidem homo, secundum hanc corporalem vitam, de pane corporali, id est cibo corporali, ad quem pertinet corporale manna. Nam, teste Scriptura, de manna panes flebant, sed secundum spiritualem vitam non vivit in hoc pane, ad quem pertinet corporale manna, sed in omni verbo Dei, quod ostensum est in manna. Quomodo enim ostenditur hominem vivere in verbo Dei, per manna, nisi et ipsum verbum ostenditur tibi per manna? Sed frustra tibi ostenditur, quod detrectas credere, quod non potes videre, sicut de te per Isaiam dicitur: « Quis cæcus, nisi servus meus; et quis surdus, nisi ad quem nuntios meos misi? (*Isa.* xlii.) » Nobis

C autem ostendit Deus, quod abscondit ab oculis tuis, abscondens faciem suam a domo Jacob, verum manna esse, quod egreditur ex ore Dei, Christum scilicet Dei virtutem, et Dei sapientiam, qui apud Salomonem dicit: « Ego ex ore Altissimi prodii (*Eccli.* xxxiv). » Hoc est verbum quod dixit Deus, « et facta sunt; mandavit, et creata sunt (*Psal.* cxlviii) » universa, hoc est verbum, quod testificatum est a lege et prophetis; et quoniam prophetæ, in quibus locutus est Deus, os Dei dicuntur, omne verbum quo prædicatur hoc verbum a prophetis, ex ore Dei egreditur, ut in eo vivat homo. Verbum egrediens ex ore Dei, tribus modis dicitur. Verbum in Patre, a Patre genitum, Patrique coæternum, verbum in ore prædicantis, verbum in corde credentis. Verbum in cor-

D de credentis fides est vel charitas, vel quæcunque virtus animæ, quæ dici potest insitum verbum. Verbum autem fidei occulto susurrio loquitur Deus in corde, sicut scriptum est: « Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus (*Matth.* xvi). » Omne autem verbum quod egreditur ex ore Dei in manna ostensum. Nam Christus manna est, et verbum prædicationis manna est, intimum verbum quod loquitur in corde Deus manna est, et utrumque istorum in Christo manna est, et in utroque Christus manna.

Ex libro Josue: *Defecit manna postquam*, etc. (*Josue.* v.)

Filii Israel exeuntes de deserto et ascendentes de Jordane, decimo die primi mensis castrametati

sunt in Galgal, ibique secunda circumcisione purgati fecerunt phase quarto decimo die mensis ad vesperam in campestribus Jericho, et comederunt de frugibus terræ die altero azymos panes et polentam ejusdem anni; et tunc defecit manna. Manna verbum Dei est in lege et in Evangelio. Manna autem divini verbi secundum figuralia legis tunc defecit, quando Christus luna quarta decima ad vesperam cum discipulis suis verum pascha celebravit, et fructum terræ promissionis comedendum dedit. Per fruges enim terræ significari potest ipse Christus, de quo scriptum est : « Terra nostra dabit fructum suum (*Psal.* XLIV), » vel fruges justitiæ et perfectionis evangelicæ : qua incipiente, cessavit manna secundum justitiam quæ erat ex operibus legis. Recte ergo phase et esus frugum terræ manna finivit; quia mors Christi et lex Evangelii figuralibus legis terminum ponunt.

Ex libro Sapientiæ : *Angelorum esca nutriri jussisti populum tuum*, etc. (*Sap.* XVI).

In Exodo scriptum est de manna, quod gustus ejus esset quasi similæ cum melle (*Exod.* XVI); in libro Numerorum scriptum est, quod esset saporis quasi panis oleati (*Num.* XI); hic vero dicitur, quod omne delectamentum in se haberet, et omnis saporis suavitatem; et quod deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat convertebatur. Pro tanta varietate dubitari potest de sapore mannæ. Si vero unicuique sapiebat secundum suam voluntatem quomodo ostenditur certum habere saporem quasi similæ cum melle, vel quasi panis oleati; vel quid necesse fuit ut manna fastidirent, et pepones, et cucumeres, et cepe, et allia desiderarent, si omnium sapor in manna eis repræsentabatur? Sed dici potest, quod manna proprie et naturaliter saporem habebat sicut similæ cum melle, et ex parte quasi panis oleati, sicut solet unum condimentum ex diversis speciebus confectum diversos simul sapores repræsentare; vel quod non coctum haberet saporem quasi similæ cum melle, coctum vero quasi panis oleati. Hunc siquidem commemorat Scriptura, ubi de manna cocto mentionem facit : quibus autem isti duo sapores non sufficiebant, alterutro duorum modorum, sive misti scilicet, sive divisi, manna, sicut ex hac Scriptura videtur, quemcunque alium saporem, juxta desiderium suum, referebat. Et sicut illi qui in mellito poculo dulcedinem mellis sentiunt, possunt tamen mellis suavitatem, sicut est in favo plenius gustandam desiderare, sic illi poterant pepones et cucumeres, cepe et allia desiderare, quamvis omnium horum sapores in manna experti, forte omnino, sicut in propriis speciebus sentire consueverant, vel identitatis fastidio victi, sicut est humana curiositas varietate semper gaudere, poterant sapores in manna gustatos in aliis quoque rebus levitatis causa gustatos affectare, sicut solent vini amatores ejusdem vini saporem in altero scypho post alterum levitatis vel curiositatis suæ vitio attentare. Sic videtur manna certos habere sapores,

A quos Scriptura determinat, et tamen multipliciter sapere, secundum varia desideria, sed ut multipliciter saperet non in illo esse, sed in illis, quibus varie sapiebat. Hanc opinionem juvare potest, quod unus idemque fructus, sicut usu probamus, diversis modis aliis et aliis sapit, dum unus contendit eum esse minus dulcem, alius magis dulcem, alius nec dulcem. Cui simile est, si tamen vera est opinio, quod sermo unus per apostolos in quacunque lingua pronuntiatus, in auribus audientium varie sonabat, ad uniuscujusque intelligentiam, juxta propriam ipsius linguam. Verumtamen huic opinioni obsistere videtur, quod Scriptura dicit : « Ad quod quisque volebat, convertebatur (*Sap.* VI), » ut causam varietatis in ipso manna ponere videatur. Nisi B forte sic dictum sit, « convertebatur, » quod ita gustantibus videbatur.

Quoniam autem quod incertum est variis opinionibus solet esse obnoxium, sufficere nobis debet in re ambigua modum cogitare, quo potuit esse possibile, quod Scriptura dicit, ne fides Scripturæ de aliqua conjectura impossibilitatis in corde nostro vacillet. Possumus adhuc aliter dicere, quod videlicet manna eam gratiam saporis haberet, quæ posset quamcunque saporis suavitatem vel vincere, vel æquare, omnique desiderio quidquid in cibis desideraretur satisfacere. Hoc si verum est, convertebatur manna ad quod quisque volebat, non desiderati saporis repræsentatione, sed pari vel potiori recom- C pensatione, sicut sitim aquæ tam aquæ quam vini potio refrigerare potest; altera juxta votum, altera supra votum. Spirituale autem manna, cui nihil deest in ulla saporis gratia, tanto dulcius et suavius sapit, quanto plenius omne desiderium vincit. Deus qui bonitas est, cujus substantia charitas est, cujus essentia benignitas est, volens substantiam suam ostendere quam dulcis naturæ est, et dulcedinem suam quam habebat in filios, quam suavissimæ benignitatis est propter nimiam charitatem, qua nos dilexit, Filium suum panem angelorum in mundum, misit : « Sic enim Deus dilexit mundum, ut unigenitum suum daret (*Joan.* III). » Hoc est verum manna, quod pluit Dominus ad manducandum. « Etenim cœli distillaverunt a facie Dei Sinai (*Psal.* D LXVII). » Hæc est pluvia voluntaria, quam segregavit Deus hæreditati suæ : Hoc est quod paravit in dulcedine sua pauperi Deus. Christus autem pro omnibus descendens, et omnibus condescendens, ineffabili gratia suavitatis omnes ad se allicit, neminem abjicit, omnes ad pœnitentiam recipit, omnibus se excipientibus suavissime sapit, omnibus piis desideriis solus ipse sufficit et satisfacit; et habens in se omne delectamentum et condimentum, et omnis saporis suavitatem, aliis et aliis aliter et aliter se contemperat, juxta cujusque desiderium, appetitum et affectum. Sunt enim justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda (*Psal.* XVIII), tam multæ quidem, quam multæ sunt viæ in Christo ad Christum. Hoc cuique sapit, secundum quod elegit et diligit. Sunt

diversi ordines et mores justorum, diversæ professiones et conversationes, diversa vota et studia; et his omnibus se indulget benignitas Christi, qui suavis est universis, omnibus se impertiens, et singulis sui saporis condimenta dispertiens. Aliter enim sapit pœnitenti et incipienti, aliter proficienti et aliter pervenienti; aliter in vita activa, aliter in contemplativa; aliter utenti hoc mundo, aliter non utenti; aliter cælibi, aliter conjugato; aliter abstinenti qui sapit inter diem et diem, aliter ei qui sapit omnem diem. Dulce sapit manna, cum necessitates relevat, cum infirmitates curat, cum tentationes mitigat, cum conatus adjuvat, et spem confortat. Dulcis Jesus, et dulce nomen ejus, et memoriale ejus in desiderio animæ. Dulcis est, cum vota suscipit, cum singultus reprimit, cum suspiria finit, cum lacrymas abstergit. Dulcis in puritate vitæ, dulcis in pace conscientiæ, dulcis in spe visionis suæ. Dulcis in oratione, dulcis in sermone, dulcis in lectione, dulcis in contemplatione, dulcis in compunctione, et in cordis jubilatione. Dulcis in ore, dulcis in corde, dulcis in amore: amor ipse dulcedinis, et dulcedo amoris. Cujus inæstimabilis suavitas prima est in donis, summa in deliciis: qui gustaverunt adhuc esurient, et qui esurient, saturabuntur, et satiati semper memoriam abundantiæ suavitatis ejus eructabunt.

Rursus de Epistola prima ad Corinthios: Convenientibus vobis in unum, etc. (*I Cor.* XI).

Post doctrinam eorum quæ spectant ad honestatem, consequenter agit de his, quæ necessaria sunt ad salutem, hoc est de sacramento altaris, in quo Corinthii maxime errabant. Conveniebant enim in Ecclesia ad manducandum et bibendum, et postmodum saturati et inebriati corpori Christi et sanguini communicabant. In quo reprehenduntur in duobus: tum quia pauperes ad cœnam suam non vocabant; tum quia pransi et non jejuni tanto sacramento communicabant. Christus revera post cœnam corpus suum et sanguinem discipulis dedit, sicut beatus Augustinus dicit, quo vehementius commendaret, volens hoc ultimum memoriæ eorum tenacius infigere. Vel sicut alibi habetur, celebrato cum discipulis pascha more Judæorum, novum pascha inchoavit, donans corpus suum et sanguinem discipulis in sacramento panis et vini; significans illud pascha de cætero non esse tenendum, instituens et præcipiens illud, quod in fine fecit ad retinendum. « Jam non est Dominicam cœnam manducare (*ibid.*) » hoc est, non convenitis, tanquam ad Dominicam cœnam manducandum, sed tanquam ad vestram, qui nil pauperibus erogatis. Quod probat: « Unusquisque enim suam cœnam præsumit. » Vel aliter: Convenientibus vobis jam non est, id est non licet, Dominicam cœnam manducare; hoc est corpori et sanguini Domini communicare. Et quare illis jam non licet, subdit, quia unusquisque cœnam suam præsumit, id est sumit ante cœnam Dominicam, et ita pransi sumitis Dominicam cœnam: quod jam non licet, sed solum jejunis. Et secundum hanc lectionem manifestam habemus hic ab Apostolo auctoritatem quod nonnisi jejuni debemus hoc sacramentum accipere. Alibi autem in toto Apostolo ita manifeste non habetur: « Quoniam Dominus Jesus. » Quia circa hoc sacramentum salus nostra consistit, et eo nullum est in Ecclesia majus, præter seriem apostolicam quædam hic quæri solent, quæ, quia fidei necessaria sunt, prætermitti non debent.

Notandum tamen primo et sane intelligendum, quia in fine cujusdam glossæ super hunc locum habetur, quia « caro Christi pro salute corporis, sanguis pro anima nostra. » Nonne utrumque, hoc est caro Christi et sanguis, utrumque in nobis operatur, hoc est salutem animæ et corporis? quare ergo dividit, quasi non utrumque utriusque salutis sit effectivum? Alibi dicit Apostolus: « Christus mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram (*Rom.* V); » tamen et mors Christi utrumque operatur in nobis, scilicet peccatorum remissionem, et nostram justificationem, et resurrectio utrumque. Consimiliter dictum est quod caro Christi salutem corporis, et animæ salutem operatur sanguis; licet utrumque utriusque salutem operetur in nobis. Caro enim magis proprie ad corpus, sanguis vero ad animam referri solet; quia sedes animæ in sanguine est. Amplius autem, quia caro sumitur in specie panis, qui est cibus corporis et substentatio; sanguis vero in specie vini quod generat lætitiam mentis. Panis enim cor hominis confirmat, et vinum lætificat; sub utraque specie sumitur totus Christus. Si autem sub altera tantum sumeretur, ab alterius tantum, id est animæ vel corporis salutem valere significaretur. Sed quæritur, quare sacramentum in hac specie panis et vini potius celebretur, quam aliarum rerum. Ideo, quia ipse auctor et dator hujus sacramenti sub his speciebus illud consecravit et dedit; et ideo in specie panis de frumento, quia ipse se granum frumenti nominavit quod cæteris granis dignius est et utilius. Sunt autem tria circa hoc sacramentum attendenda; significantia tantum, significata et significantia, et significata tantum. Significantia tantum, species visibiles: quæ sacramenta dicuntur, juxta illud: « Sacramentum est visibile signum invisibilis gratiæ Dei. » Significata et significantia sunt ipsum corpus et sanguis Christi. Corpus enim Christi per speciem panis ibi designatur, sanguis vero per speciem vini. Item corpus Christi, quod ibi sumitur, corpus significat Ecclesiæ, sanguis vero charitatem, sumpta proprietate significandi a natura specierum visibilium, in quibus sumuntur, quemadmodum in hac Epistola dictum est. Significata tantum sunt corpus Christi, quod est Ecclesia, et charitas, per quam unitur capiti suo, quod est Christus, et in qua tanquam in sanguine vita est hujus corporis.

Item quæritur utrum substantia panis transeat in corpus Christi, et substantia vini in sanguinem,

quod omnino credendum est. Si ergo substantia illa panis materialis per sacerdotalem benedictionem transit in verum corpus Christi, et vinum in sanguinem, substantia panis erit corpus Christi; ergo aliqua substantia quæ non est nata de Virgine erit corpus Christi. Non est verum. Sicut substantia humana est Deus, non tamen aliqua substantia, quæ non sit ab æterno, est Deus, vel, aliquid, quod non sit ab æterno. De accidentibus illis quæ post consecrationem videntur et sentiuntur, in quo subjecto remaneant, solet quæri. Et sunt, qui dicant, illa in aere fundari; sunt qui in oculis intuentium, sunt qui sine subjecto illa manere credant: quod verisimilius videtur, licet contra naturam eorum hoc es e videatur. Non enim quærendus est hic ordo naturæ, ubi supra naturam est, quod totum agitur. De fractione etiam quæri solet, cujus rei sit, id est quid ibi frangatur, et quid partes illæ significent fractionis. Dicunt quidam, solum sacramentum ibi frangi, eo quod corpus Christi impassibile sit, et nullam recipiat fractionem, nullam partium divisionem. Sed quomodo vera tunc erit illa confessio Berengarii, quæ Romæ coram papa, præsentibus 113 episcopis, facta est, et scripta? Confessus etenim panem et vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam verum corpus et sanguinem Christi esse, et sensualiter non solum sacramentum, sed in veritate manibus sacerdotum tractari et frangi, et fidelium dentibus atteri. Ecce dicit, quia corpus Christi frangitur in veritate, fidelium dentibus atteritur. Eadem ratione ibidem in veritate videtur non solum oculis cordis, sed corporis. Error Berengarii fuit, quod post consecrationem panis, panis remanebat et solum sacramentum corporis Christi, non verum corpus ejus ibi erat. Sua vero confessione, fidei expressit veritatem, dicens, non solum sacramentum fractioni illi subesse, quod prius crediderat, sed corpus Christi in veritate. Corpus enim Christi in veritate est, quod videtur, quod frangitur, et fidelium dentibus atteritur. Sed quomodo, inquis, impassibile frangitur, quomodo indivisibile dividitur? Respondemus Quomodo Deus mori potuit, si immortalis fuit, quomodo comprehendi, si incomprehensibilis? Secundum aliud et aliud dicis et tamen unus et idem. Sic unum et idem corpus impassibile, et tamen frangitur; sed secundum aliud et aliud, utrumque tamen in veritate, quod secundum se et in se impassibile est, in sacramento dividitur, in sacramento videtur, et dentibus fidelium atteritur. Hæc tamen omnia in veritate, et in phantasmate nihil. Quod autem in tres dividitur portiones, est propter sacramentum corporis Christi, id est capitis et membrorum. Una enim duarum, quæ extra calicem remanent, caput hujus corporis jam impassibile, jam glorificatum significat; altera membra illa corporis hujus, quæ jam impassibilia, et jam glorificata, capiti suo in requie conjunguntur; tertia, quæ sanguini admiscetur, illa membra corporis hujus figurat, quæ non- dum mortem evaserunt; quæ adhuc in laboribus hujus vitæ detinentur.

Quæritur autem de aqua, quare in hoc sacrificio apponatur, et utrum ut vinum in sanguinem convertatur. Non ideo apponitur, ut quorumdam fortassis habet opinio, quia pariter cum sanguine fluxit de latere Christi. Illa enim significavit aquam baptismatis, quod purificandi virtutem habet a sanguine Christi. Ideo tamen pariter sanguis et aqua, quia nec sine sanguine salus, nec sine baptismo. Aqua vero, quæ in calice ponitur, ut dicunt, significat populum, qui per Christi passionem est redemptus. Unde si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis. Si enim vinum tantum quis offerat sine aqua, simpliciter vel ignoranter, consecrat quidem, sed pœnitentiam agere debet. Quod autem aqua vertatur in sanguinem, nobis videtur. Si enim per vinum Judaicus populus designatur, quod plerumque fit, et per aquam gentiles, cum uterque sit de corpore Christi, utrumque in sanguinem, hoc est vinum et aqua, converti videtur. Quæritur etiam utrum debeat concedi, quod Christus quotidie immoletur. De quo Augustinus: « Semel immolatus est in seipso Christus, et tamen quotidie immolatur in sacramento. vocaturque, ipsa carnis immolatio, quæ sacerdotis manibus fit, Christi passio et mors, et crucifixio, non rei veritate, sed significati mysterio. » Immolatio hæc non est occisionis, sed significationis, et repræsentationis. Quæri præterea solet utrum corpus Christi sumptum a nobis vadat in ventrem, aut aliquid tale. Hujusmodi quæstionem utinam nemo faceret! cam tamen facienti S. Ambrosius respondet: « Non iste panis est, qui vadit in corpus, sed panis vitæ est æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit. Si mucidum fiat, si a muribus corrodatur, vel aliquid minus honestum circa ipsum fiat, sacramentum tamen, etsi videatur, nihil tale contaminat. Ipsum enim nullius immunditiæ sordes attengunt, etsi circa speciem sacramenti videantur accidere. »

Hic calix. Continens pro contento, calix pro sanguine, quia in calice sanguis. Calix in Scriptura pluribus modis accipitur. Aliquando per calicem sanguis Christi designatur, sicut hic, et in psalmo: « Calix meus inebrians quam præclarus est! (*Psal.* XXII.) » Aliquando ipsa mors Christi, et suorum, ut ibi: « Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? » (*Matth.* XX.) Quæ ideo calix dicitur, quia ad mensuram est, ut ejus acerbitas sustinentis patientiam non excedat. Dicitur etiam calix pœna malorum, ut ibi: « Pluet super peccatores laqueo: ignis sulphur et spiritus procellarum, pars calicis eorum (*Psal.* X), » quia eis ad mensuram sunt genera tormentorum.

Hic calix est novum testamentum, id est Novi Testamenti confirmatio; quia morte testatoris confirmatur. Quare hoc Testamentum Novum, et aliud Vetus dicatur? Dici potest, quod hoc ad similitudinem novi panni dicitur, qui colorem habet, et splen-

: calorem charitatis et splendorem boni ope- A
etus Testamentum similitudinem tenet Veteris
menti in deformitate et frigiditate. Deformita-
rocul dubio habent observantiæ illæ Veteris Te-
nti, et sacrificiorum ritus. Habent et frigidita-
quia timore fiunt et non amore.

s *erit corporis et sanguinis Domini*, hoc est,
n Dominicæ mortis incurret. Non enim mino-
i facit injuriam, qui in vase eum locat im-
o, quam qui eum crucis affixit patibulo. Vel
rit corporis, etc., quia beneficium mortis ejus,
um in se est, evacuat, ut Christus frustra esse
us videatur: « Probet autem se, » interro-
conscientiam: cujus semper debet esse re-
io, quia non est dignus ad tantum sacramen-
ccedere. Sed interest, quomodo. Si enim eum B
ientia de criminali accusat, et accipit, judicium
anducat et bibit. Si vero in mortali peccato se
venit, quia sine quotidianis non est, pœniteat
is, et communicet dicens cum illo centurione:
ine, non sum dignus, » etc. (*Matth.* VIII.)
ergo? Nonne dignus est communicare? Non
communicat? Alioqui judicium sibi manducat
it. Et, si dignus est, et dicit se indignum,
tur, et ita fit indignus. Quomodo non est men-
Apostolus, ubi ait: « Non sum dignus vocari
lus (*I Cor.* XV), » et tamen dignus erat; nec
ui dicit se indignum communicare, et tamen
est. Excellentiam enim tanti sacramenti con-
t et propria merita, quæ tantæ rei æquiparari
ssunt. Ex misericordia ergo Dei est, quod di- C
st, qui parvum bonum ei reputat pro majori,
em Abrahæ ei reputavit pro justitia, ut ibi di-
est.

andum autem quod S. Augustinus duos man-
di Christum modos assignat: unum, quo man-
ducant eum boni et mali; alterum, quo tantum boni. Unum sacramentaliter, alterum spiritualiter. Unde et idem dicit: « Qui discordat a Christo, nec carnem Christi manducat, nec sanguinem bibit, etsi tantæ rei sacramentum ad judicium quotidie accipit. » Hæc verba, nisi cautum et catholicum habuerint interpretem, simplicitatem fidei facile decipient. Dictorum ergo intelligentia ex causis est assumenda dicendi. Ideo enim dicit eum qui a Christo discordat Christi carnem non manducare; quia per hanc manducationem Christo non incorporatur. Causam habet, sed effectum non sequitur. Non manducat quia ad utilitatem sibi non manducat. Sicut nec habere dicitur quis, quod ad utilitatem suam non habet. Ut ibi: « Ei autem qui non habet, et quod habet, auferetur ab eo (*Matth.* XXV). »

Quod si nos judicaverimus. Quomodo homo se debeat judicare S. Augustinus in libro homiliarum, *De pœnitentia*, his verbis ostendit, dicens: « Versetur ante oculos imago futuri judicii et ascendat homo adversus se tribunal mentis suæ, et constituat se ante faciem suam atque, constituto in corde judicio, adsit accusatrix cogitatio, et testis conscientia, et carnifex timor. Inde quidam sanguis animi confitentis per lacrymas profluat. Postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet participatione corporis et sanguinis Domini, ut qui separari a regno timet per ultimam sententiam, ad tempus per ecclesiasticam disciplinam a sacramento cœlestis panis separetur. Indigne enim accipit, si tunc accipit, cum deberet agere pœnitentiam. » Sed hoc de publice pœnitentibus, hoc est extra Ecclesiam agentibus, dictum esse videtur. Cæteri, nondum peracta pœnitentia, communicare possunt et debent statutis temporibus.

ANNO DOMINI MCXC.

BONACURSUS

EX HÆRETICO CATHOLICUS

VITA HÆRETICORUM

Quam patefecit Bonacursus, quondam hæreticus, nunc autem Catholicus

(*Spicil.* ed. in-fol., t. I, p. 208

MANIFESTATIO HÆRESIS CATHARORUM (1), QUAM FECIT BONACURSUS, QUI QUONDAM FUIT MAGISTER ILLORUM, MEDIOLANI, CORAM POPULO. A

In nomine Domini nostri Jesu Christi.

Dominus noster Jesus Christus, qui Ecclesiam suam semper et ubique protegit et gubernat, atque fidem catholicam confirmat et conservat, errores illorum, qui Cathari vocantur, manifestare et aperire per suam sanctam misericordiam volens; quemdam episcopum doctorem, Bonacursum nomine, misericorditer gratia sancti Spiritus illuminavit, et ad sinum sanctæ matris Ecclesiæ per gratiam renovavit; unde immensas laudes Deo omnibusque sanctis referamus. Illorum quidem hæresis non solum formidabilis, verum etiam ad loquendum seu ad audiendum nimis est terribilis atque exsecrabilis. Nam quidam illorum dicunt Deum creasse omnia elementa, alii dicunt illa elementa diabolum creasse; sententia tamen omnium est, illa elementa diabolum divisisse. Dicunt etiam eumdem diabolum Adam de limo terræ fecisse, et quemdam angelum lucis in eo summa vi inclusisse, de quo credunt dictum esse in Evangelio: « Homo quidam descendebat a Jerusalem in Jericho, etc. (*Luc.* x). » Evam dicunt fecisse, cum qua concubuit, et inde natus est Cain, de sanguine cujus dicunt natos esse canes, ideoque tam fideles sunt hominibus. Conjunctio Adæ cum Eva, ut dicunt, fuit pomum vetitum. Alium errorem inducunt, scilicet omnia quæ facta sunt in aere, in mari et in terra, facta esse a diabolo, sicut homines, animata et inanimata. Ex filiabus Evæ et dæmonibus dicunt natos esse gigantes, qui cognoverunt per dæmones patres suos diabolum omnia creasse. Unde diabolus dolens eos ista scire, dixit: « Pœnitet me fecisse hominem (*Gen.* vi). » Unde quia Noe hoc ignoravit, a diluvio liberatus est, cui dicunt dictum esse a diabolo: « Ingredere in arcam (*Gen.* vii). » Enoc ab eodem translatum esse dicunt. B

Iterum asserunt, quæcunque sunt facta vel dicta Abrahæ, Isaac et Jacob, a dæmone dicta et facta esse. Dicunt etiam quod diabolus Moysi in rubo apparuit, et locutus est ei. Insuper miracula quæ facta sunt in conspectu Pharaonis per Moysen; et quod filii Israel per mare Rubrum transierunt, et educti sunt in terram promissionis; et de locutione Dei ad ipsum, et de lege quam dedit illi Deus: omnia ista dicunt et credunt esse facta ab ipso dia-

(1) Cathari, de quibus hic agitur, longe diversi sunt a vetustis illis Catharis seu Novatianis, qui Gallieni imp. et Stephani papæ I temporibus emersere: quod nosse poteris, lector, si antiquam cum recentiori conferas hæresim. Catharorum Mediolani Ecclesiam oppugnantium fit mentio in *Italia sacra* auctore Ughello, ubi de Galdino Mediolanensi archiepiscopo agitur: « Cæterum Galdinus cum Ecclesiam suam divino auxilio fere ad pristinum reduxisset decorem.... plenusque charitate redivivam hæresim Catharorum impugnavisset, » etc. Hæc Ughellus ad an. 1173. Sed nihil prorsus de Bonacurso, qui forsitan paulo post vivebat.

Meminit Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, ad an. 1163, quorumdam Catharorum, quos Ekbertus abbas S. Florini refutare conatus est Coloniæ, — « ita ut penitus contradicere non valerent, etc. Sed cum in suo proposito pertinacissime persisterent, ab Ecclesia prorsus ejecti sunt, et in manus laicorum traditi, qui eos extra urbem educentes, ignibus tradiderunt, etc. Adversus Catharos istos S. Hildegardis, per Spiritum sanctum inspirata, ad canonicos majoris Ecclesiæ Moguntinæ C scripsit epistolam, etc. Cataphrygi sive Cathari eo dicti, ait Trithemius, quod se mundos et solos Christianos esse dicebant. » Catharorum nefandissimas hæreses postea anno 1216 amplexati sunt Albigenses, qui comitatum Tolosanum ac plurimas Galliæ urbes veneno suo inficere cœperunt, et veluti amentes debacchari Addit Acherius descriptum esse hoc opusculum a D. Jacobo Lannoy, e codice Cisterciensis cœnobii; Baluzius vero monet de Bonacurso videri posse specimen Antiquarum lectionum Labbei, pag. 206.

nagistro eorum. De dictis sanctorum prophe- A
i dicunt quædam esse revelata a Spiritu Dei,
am a spiritu maligno. Unde Apostolus: «Omnia
te; quod bonum est, tenete (*I Thess.* v). »
propter adulterium et homicidium damnant.
In curru a diabolo delatum esse dicunt. De
a Deo Zachariæ misso, angelum diaboli as-
t. Ipsum quoque Joannem, quo nemo major
stante Domino, damnant. Quare? Quia Domi-
icit in Evangelio: « Qui minor est in regno
um, major est illo (*Matth.* xi). » Et quia
avit de Christo, cum dixit: « Tu es qui ven-
es, an alium exspectamus? » (*Luc.* vii.) Ma-
matrem Domini nostri credunt natam fuisse...
risto dicunt, quod non habuit animatum cor-
non manducavit, neque bibit, sed nec aliqua B
dum hominem fecit, sed videbatur ita. Dex-
latronem dicunt in inferno esse. Non credunt
s Christi resurrexisse, nec in cœlum assum-
fuisse, neque carnis resurrectionem, nec
tum descendisse in infernum. Non credunt
n æqualem Patri, quia dixit: « Pater major
st (*Joan.* xiv). » Crucem dicunt characterem
estiæ, quæ in Apocalypsi esse legitur, et abo-
ionem stantem in loco sancto. Beatum Syl-
um dicunt Antichristum fuisse, de quo legitur
istolis: « Filius perditionis » est, « qui extol-
supra omne quod dicitur Deus (*II Thess.* ii). »
npore illo dicunt Ecclesiam esse perditam.
m credunt in conjugio salvari posse.
tores autem damnant omnes; videlicet Am- C
am, Gregorium, Augustinum, Hieronymum,
s universaliter damnant. Si quis manducave-
rnem, vel ova, seu caseum, vel aliquid bestia-
turæ, quod damnationem sibi manducat. Per
mum aquæ Spiritum sanctum nullo modo cre-
posse accipi; nec aliquam substantiam visibi-
redunt ullo modo in corpus Christi posse con-
Credunt etiam, [quod] omnis qui jurat, dam-
ir, et credunt nullum posse salvari, nisi qua-
ua impositione manuum, quam baptismum
lant, et renovationem sancti Spiritus. Ipsum
lum credunt esse solem, lunam dicunt esse
, et per singulos menses dicunt eos fornicari,
cum aliqua meretrice. Omnes stellas credunt D
læmones. Ad ultimum dicunt sine illis nemi-
posse salvari. Ecce talis est hæresis Catharo-
a qua Deus avertat universalitatem Catholico-
Amen.

NTRA HÆRETICOS QUI CATHARI VOCANTUR.

ristus Dei Filius, Dominus et Redemptor noster,
im Patre et Spiritu sancto unus est Deus, ven-
præscius erroris, hoc modo suos communit
ulos: « Videte, » inquit, « ne quis vos sedu-
multi enim venient in nomine meo, dicentes:
sum Christus, et multos seducent (*Matth.*
. » Ac paucis intermissis subjungit: «Et multi
loprophetæ surgent, et seducent multos. Et
iam abundavit iniquitas, refrigescet charitas
multorum (*ibid.*) » Et iterum: « Surgent, inquit, pseudochristi et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi (*ibid.*). » Petrus etiam apostolus in Epistola ii: « Fuerunt et pseudoprophetæ in populo, sicut et in nobis erunt magistri mendaces, qui introducunt sectas perditionis, et eum qui emit eos, Deum esse negant; superinducentes sibi sectas perditionis, audaces, sibi placentes, qui sectas faciunt blasphemantes. Hi vero irrationabilia velut pecora sunt. Naturaliter in captionem et in perniciem in his quæ ignorant, blasphemantes, in corruptione sua peribunt (*II Petr.* ii). » Paulus quoque in Epistola III ad Timotheum: « Spiritus, » inquit, « manifeste dicit, quod in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritus erroris, et doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, etc. (*I Tim.* iv). »

Et quis tam parvi sensus est, qui non apertissime intelligat istud esse tempus, de quo prophetiæ prædictæ loquuntur? Nonne jam civitates, suburbia, villas et castella hujusmodi pseudoprophetis plena esse videmus? Qui verbi semen suis conculcantes pedibus, zizaniam sui erroris seminare non desistunt, atque sponsam Christi, sanctam videlicet Ecclesiam, pestifero veneno nimia importunitate corrumpere nituntur. Quapropter velocius surgentes non ultra differamus, sed gladio spiritus celeriter arrepto illis obviemus ac viriliter resistamus, et quam pestifera illorum sit doctrina, Scripturæ sacræ testimonio apertissime ostendamus. Ascendamus ex adverso et opponamus nos murum pro domo Israel contra inimicos crucis Christi, ne propheticæ maledictioni subjacentes audiamus: « Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine (*Jer.* xlviii). » Apprehendamus arma et scutum, et exsurgamus in adjutorium Domini. Effundamus gladio et expugnemus eos qui persequuntur et dispergere nituntur oves Domini, de illius adjutorio confidentes, qui dixit: « Dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri (*Luc.* xxi). » Prosternamus istos seductores, quos videmus quosdam errores suos Scripturarum testimonio perverso intellectu confirmare, quosdam vero corrupti sensus magis dæmonum instinctu fingere, quam Scripturarum auctoritate fulcire. Quod ergo Scripturæ testimonio asserere nituntur, ejusdem testimonio omnino destruamus. Quod autem velut deliramenta conjicere videntur, tanquam sint indigna responsione, pedibus conculcemus.

CAP. I. *Quod omnia, tam visibilia quam invisibilia, a Deo creata sunt omnipotente.*

Joannes cap. i: « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. »: Item: « In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit (*ibid.*). » Paulus in Epistola ad Colossenses, cap. ii: « Quia in ipso condita sunt universa in cœlo et in terra, visibilia et invisibilia; sive throni, sive dominationes, sive potestates, sive

principatus, omnia per ipsum et in ipso creata A sunt. » Ad Hebræos, cap. I : « Et tu in principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli; ipsi peribunt, tu autem in æternum permanebis. » Item cap. III : « Omnis domus fabricatur ab aliquo; qui autem omnia creavit, Deus est. » In Actibus apostolorum : « Tu autem, Domine, fecisti cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt; da servis tuis cum fiducia loqui verbum tuum (*Act.* IV). » Item : « Quam domum ædificabitis mihi; aut quis locus requietionis meæ? Nonne manus mea fecit hæc omnia? » (*Act.* VII.) Item cap. XVII : « Paulus ego annuntio vobis Deum, qui fecit hunc mundum, et omnia quæ in eo sunt; in quo vivimus et movemur et stamus. » In Apocalypsi : « Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam et honorem et virtutem, quia tu creasti omnia, et propter tuam voluntatem erant, et creata sunt (*Apoc.* IV). » Item : « Timete Dominum et date illi honorem, quia venit hora judicii ejus; et adorate eum qui fecit cœlum et terram, et omnia quæ in eis sunt, et fontes aquarum (*Apoc.* XIV). »

CAP. II. *Quod omnipotens Deus Adam et Evam, atque omne genus hominum creavit.*

Matthæus cap. XIX : « Quod fecit ab initio, masculum et feminam fecit eos. Et dixit : Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, » etc. Marcus cap. X : « Ab initio creaturæ masculum et feminam fecit eos Deus. » Lucas cap. III : « Et ipse (Jesus) erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph, qui fuit Eli, » usque, « qui fuit Adam, qui fuit Dei. » Item cap. XI : « Stulti, nonne qui quod deforis est, fecit, etiam id quod intus est, fecit? » Paulus in Epistola ad Galatas cap. I : « Cum autem complacuit ei qui me segregavit de utero matris meæ, » etc. Matthæus cap. V : « Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos. » In Actibus apostolorum cap. XIV : « Et quidem non sine testimonio nos relinquit, benefaciens, de cœlo dans pluviam et tempora fructifera, implens cibo, et lætitia corda nostra. »

CAP III. *De lege Moysi servi Dei, quod ab omnipotenti Deo data sit.*

Matthæus cap. V : « Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas; non veni solvere legem, sed adimplere. » Item : « Omnia quæcunque vultis ut homines vobis faciant, et vos illis facite similiter. Hoc est enim lex et prophetæ (*Matth.* VII). » Item cap. XIX : « Et ecce unus accedens, ait illi : Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? Qui dixit ei : Cur me interrogas de bono? unus est bonus Deus : si vis ingredi ad vitam, serva mandata. Dixit illi : Quæ? Jesus autem dixit illi : Non homicidium facies; non adulterabis; non facies furtum; nec falsum testimonium dices. Honora patrem tuum et matrem; et diliges proximum tuum, sicut teipsum. » Lucas cap. II : « Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini. » Item cap. XVI : « Habent Moysen et prophetas, audiant illos. Si Moysen et prophetas non audierint, neque si quis ex mortuis surrexerit, credent. » Paulus in Epistola ad Rom. cap. VII : « Lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum et bonum. » In Epistola ad Galatas cap. III : « Quid igitur, lex propter transgressionem posita est? » Item sequenti : « Ea lex pædagogus noster fuit in Christo (*ibid.*). »

CAP. IV. *Joannes Baptista, Abraham, Isaac et Jacob, et Moyses sint electi et amici Dei.* B

Lucas cap. I : « Ait Angelus Domini : Ne timeas Zacharia; quoniam exaudita est deprecatio tua, et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem, et erit tibi gaudium et exsultatio, et multi in nativitate ejus gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino; vinum et siceram non bibet, et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ, et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipsorum. Et ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ, » etc. In Matthæo Dominus dixit ad turbas de Joanne : « Quid existis videre? prophetam? Et etiam dico vobis, et plus quam prophetam. Hic est de quo scriptum est : « Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præ- C parabit viam tuam ante te. Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista. Qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo (*Matth.* XI). » Item Lucas cap. XIII : « Cum videritis Abraham, Isaac et Jacob, et omnes prophetas in regno Dei, vos expelli foras. Et venient ab Oriente et Occidente, ab Aquilone et Austro, et accumbent in regno Dei. Ecce sunt novissimi qui erant primi, et sunt primi qui erant novissimi. » In Actibus apostolorum cap. III : « Deus Abraham, Deus Isaac et Deus Jacob, Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum. » Et infra : « Vos estis filii prophetarum et testamenti, quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham : In semine D tuo benedicentur omnes familiæ terræ (*ibid.*). » In Apocalypsi cap. XV : « Et vidi tanquam mare vitreum mistum igne, et eos qui vicerunt bestiam, et magnitudinem ejus, et numerum nominis ejus, stantes supra mare vitreum, habentes citharas, et cantantes canticum Moysi servi Dei, et canticum Agni, dicentes : Magna et mirabilia opera tua, Domine Deus omnipotens. »

CAP. V. *Quod conjugium a Deo sit institutum, et quod in eo possumus salvari.*

Matthæus cap. V, dictum est : « Qui dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii; ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari; et qui dimissam duxerit, adulter est. » Item cap. XIX :

accesserunt ad eum Phærisæi tentantes et di-
: Si licet homini dimittere uxorem suam
que ex causa. Qui respondens ait : Non
quod qui fecit ab initio, masculum et femi-
fecit eos. Et dixit : Propter hoc relinquet
patrem et matrem suam, et adhærebit uxori
et erunt duo in carne una. Itaque jam non
duo, sed una caro. Quos ergo conjunxit Deus,
non separet. Dicunt illi : Quid ergo mandavit
s dare libellum repudii, et dimittere? Ait
Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri
sit vobis dimittere uxores vestras, ab initio
non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicun-
dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationis
m, et aliam duxerit, mœchatur; qui et dimis-
» etc. Paulus in Epistola ad Corinthios prima
: « De quibus autem scripsistis mihi, bo-
st homini mulierem non tangere; propter
fornicationem unusquisque suam uxorem
t, et unaquæque virum habeat. Uxori vir de-
reddat, et uxor viro. Mulier sui corporis
atem non habet, sed vir. Similiter autem et
i corporis potestatem non habet, sed mulier.
fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad
s, ut vacetis orationi, et iterum revertimini
psum, ne tentet vos Satanas propter inconti-
m vestram. » Item : « Alligatus es uxori? noli
re solutionem. Solutus es ab uxore? noli quæ-
xorem. Si autem acceperis uxorem, non pec-
Qui matrimonio jungit virginem suam, bene
et qui non jungit, melius facit. Mulier alligata
gi, quanto tempore vir ejus vivit. Quod si
erit vir ejus, liberata est a lege viri; cui vult,
, tantum in Domino; beatior autem erit, si
rmanserit secundum meum consilium. Puto
quod et ego spiritum Dei habeam (*I Cor.*
Ad Timotheum cap. v : « Volo juniores nubere,
procreare, matresfamilias esse, nullam occa-
n dare adversario maledicti gratia (*I Tim.* v). »

VI. *Quod Filius Dei veram carnem assumpsit, qua dormivit, manducavit et bibit, etiam post surrectionem.*

thæus cap. I : « Jacob genuit Joseph virum
, de qua natus est Jesus qui vocatur Christus. »
ap. VIII : « Ipse vero dormiebat, et accesse-
t suscitaverunt. » Item cap. XI : « Venit Filius
is manducans et bibens. » Lucas cap. XXIV :
uid turbati estis, et cogitationes ascendunt
da vestra? Videte manus meas et pedes meos,
go sum ; palpate et videte, quia spiritus car-
t ossa non habet, sicut me videtis habere.
n hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes.
autem illis non credentibus et mirantibus
audio dixit : Habetis hic aliquid quod man-
r? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, et
mellis. Et cum manducasset coram eis, su-
reliquias dedit eis. » Joannes cap. I : « Et
m caro factum est, et habitavit in nobis. »

In Epistola Joannis prima cap. IV : « Omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est; et omnis qui solvit Jesum, ex Deo non est, et hic Antichristus est, de quo audistis, quia venit, et nunc jam est in mundo. » In Apocalypsi cap. I : « Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. »

CAP. VII. *Quod panis qui in altare ponitur, et vinum convertatur post sanctificationem in corpus et sanguinem Domini, et quod nullus, nisi qui manducaverit, salvetur.*

Matthæus cap. XXVI : « Cœnantibus discipulis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait : Accipite et comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, dedit eis dicens : Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. » Ecce habes, o hæretice, quod panis et vinum post benedictionem convertuntur in corpus et sanguinem Domini. Nam quod ante benedictionem panis dicitur, post benedictionem corpus et sanguinem manifeste asserit; quod qui non manducaverit, vitam non habebit, qui vero manducaverit, vitam obtinebit. Unde Dominus in Evangelio secundum Joannem : « Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam; et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea verus est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo (*Joan.* VI). » Apostolus quoque in Epistola I ad Corinthios cap. X : « Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Domini est? Et panis quem frangimus, nonne participatio Christi est? » Et infra cap. XI : « Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit, et dixit : Accipite et manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem. Similiter et postquam cœnavit, dicens : Hic est calix novi testamenti in meo sanguine, hoc facite in meam commemorationem. Quotiescunque bibetis, » etc. usque : « Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini. »

CAP. VIII. *De resurrectione mortuorum in die novissimo.*

Lucas cap. XX : « Filii hujus sæculi nubunt et tradunt ad nuptias; illi autem qui digni habentur sæculo illo ex resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores, neque ultra mori poterunt; æquales enim angelis sunt, et filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis. Quod resurgent mortui, et Moyses ostendit secus rubum, sicut dixit : Deum Abraham et Deum Isaac et Deum Jacob;

Deus autem non est mortuorum, sed vivorum, omnes enim vivunt ei.» Joannes cap. VI: «Hæc est voluntas Patris mei qui misit me, ut omne quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die: hæc est autem voluntas Patris mei qui me misit, ut omnis qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam; et ego resuscitabo eum in novissimo die.» Paulus in Epistola I ad Cor. cap. XV: «Si Christus prædicatur quod resurrexerit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est, neque resurrexit? Si autem Christus non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est et fides nostra.» Et multa alia quæ de resurrectione in hoc capitulo loquitur Apostolus, usque: «Mysterium ecce vobis dico, omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba; canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti, et nos immutabimur, » etc.

CAP. IX. *Quod carnes, caseus, ova et lac absque peccato manducari possunt.*

Matthæus cap. XV: «Audite et intelligite nunc. Quod intrat in os, non coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.» Paulus in Epistola ad Rom. cap. XIV: «Is qui manducat, non manducantem non spernat; et qui non manducat, manducantem non judicet.» Item: «Scio et confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est.» Item: «Omnia quidem munda sunt, sed malum est homini qui per offendiculum manducat.» Paulus in Epistola I ad Cor. cap. X: «Omne quod in macello vænit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam: Domini est terra et plenitudo ejus.» Item: «Si quis infidelium vocat vos ad cœnam, et vultis ire, omne quod vobis ponitur, manducate.» Ad Coloss. cap. II. «Nemo vos judicet in cibo aut in potu.» Ad Tim. cap. IV: «Spiritus manifeste dicit, quod in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam, prohibentium nubere, abstinere a cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et his qui cognoverunt veritatem. Quod omnis creatura Dei bona, et nihil rejiciendum quod gratiarum actione percipitur; sanctificatur enim per verbum Dei et orationem.» Ad Tit. cap. I: «Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum, si in iniquitate sunt eorum mens et conscientia.»

CAP. X. *Quod veritatem jurare necessitate exigente, cupiditate amota, non sit damnabile.*

Super hoc quod dicis, o idiota cauteriate, mortale esse jurare, pro eo quod Dominus dicit, «non jurare omnino, sit sermo vester, est, est; non, non (*Matth.* V); » sic respondemus, quia non præcipiendo, sed hortando et monendo hoc dixit, nec tum præcepti necessitatem imposuit, sed consilium dedit; sed nec qui veritatem jurat necessitate cogente, cupiditate amota, damnabile quiddam facit. Et quid est jurare, nisi mentis certitudinem pro manifesta utilitate verbis confirmare? Nam et ipse Dominus juravit, ubi dicit: «Amen, amen dico vobis (*Joan.* I).» Et Apostolus ubi dicit in Epistola sua: «Invoco Deum testem et animam meam (*II Cor.* I).» Et iterum: «Deus mihi testis est (*Rom.* I).» Item in Epistola ad Hebræos cap. VI: «Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem juraret majorem, juravit per se ipsum, dicens: Nisi benedicens benedicam te, et multiplicans multiplicabo te. Et sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem. Homines enim per majorem sui jurant, et omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum.» Item in Apocalypsi cap. X: «Et Angelus Domini, quem supra mare vidi stantem et super terram, levavit manum suam ad cœlum, et juravit per viventem in sæcula sæculorum, qui creavit cœlum et ea quæ in eo sunt, et terram et ea quæ in ea sunt, et mare et ea quæ in eo sunt, quia tempus amplius non erit.» His itaque auctoritatibus colligere aperte possumus, quod non jurare, consilium est, non præceptum. Unde mentiri manifeste comprobaris, o hæretice, [qui] mortale asseris juramentum esse; quia sicut omne id quod in parte decernitur, mortem irrogat non impletum; ita ea quæ [consuluntur] potius quam jubentur, facta prosunt, non facta [non] nocent.

ADVERSUS HÆRETICOS QUI PASAGII NUNCUPANTUR.

Qualis sit eorum error, qui Pasagii vocantur, et quam illorum sit nefanda fides et doctrina, non jam paucis, sed quam pluribus apparet. Sed quia sunt nonnulli ad quorum notitiam nondum pervenit, tum pro istorum cautela et salute, tum pro illorum confusione et pudore, quod de eis sentio, scribere non piget, ut quo magis fuerit eorum nota dementia, eo amplius a cunctis contemnatur et conculcetur. Quia sicut bona sciri debent ut exerceantur, ita etiam mala scire convenit ut penitus vitentur.

Adverte ergo tu qui nescis, quam perversa sit illorum fides et doctrina. In primis enim dicunt, quod Mosaica lex sit ad litteram observanda, et quod Sabbatum et circumcisio et aliæ legales observantiæ adhuc habere statum debeant. Dicunt etiam quod Christus Dei Filius non sit æqualis Patri, et quod Pater et Filius et Spiritus sanctus, istæ tres personæ non sint unus Deus et una substantia. Præterea ad augmentum sui erroris, omnes Ecclesiæ doctores, et universaliter totam Ecclesiam Romanam judicant et condemnant. Sed quia hunc suum errorem Novi Testamenti ac prophetarum testimonio [asserere] nituntur, proprio illorum gladio, Christi suffragante gratia, sicut David Goliam, eumdem suffocemus.

CAP. I. *Quod lex Mosaica sit spiritualiter observanda.*

In Matthæo : « Omnia quæcunque vultis ut vobis faciant homines, et vos facite illis similiter ; hæc est enim lex et prophetæ (*Matth.* VII). » Item Luc. cap. XVI : « Omnis enim lex et prophetæ usque ad Joannem per fidem sine operibus legis. » Item ad Rom. cap. VI : « Non enim sub lege estis, sed sub gratia. » Item. seq. cap. : « An ignoratis, fratres (scientibus enim legem loquor), quod lex dominatur in homine, quanto tempore vivit. Nam quæ sub viro mulier, vivente viro alligata est legi ; si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum altero viro. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. Itaque, fratres mei, et vos mortificati estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius, qui ex morte resurrexit, ut fructificaremus Deo. Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificaremus morti. Nunc autem soluti sumus a mortis lege, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus et in vetustate litteræ (*Rom.* VII). » Item cap. X : « Ignorantes autem Dei justitiam, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti ; finis enim legis ad justitiam omni credenti. » Et infra : « Qui diligit proximum, legem implevit (*Rom.* XIII). » Paulus in Epistola II ad Cor. cap. V : « Vetera transierunt, et ecce omnia facta sunt nova. » In eadem Epistola cap. III : « Littera occidit, spiritus autem vivificat. » Item et ad Gal. cap. III : « Quid igitur lex ? Propter transgressiones posita, donec veniret semen cui promiserat, » etc. Et infra : « Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur ; at ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo (*ibid.*). » Item cap. V : « Omnis lex enim in uno sermone completur : Diliges proximum tuum sicut te ipsum. » Et infra : « Si spiritu ducimini, non estis sub lege (*ibid.*). » In Epistola ad Timoth. prima cap. I : « Scimus autem quoniam bona est lex, si quis ea legitime utatur, scientes hoc, quod justo non est lex, sed injustis et subditis, impiis et peccatoribus, » etc. In Epistola ad Hebræos, cap. VII : « Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem et inutilitatem. » Item cap. VIII : « Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et consummabo super domum Israel et super domum Juda testamentum novum, non secundum testamentum quod feci patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terra Ægypti ; dicendo autem novum, veteravit prius ; quod antiquatur et senescit, prope interitum est. » Item cap. VII : « Nam » supradicto « translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat. »

Decessatio est Sabbati, quod ad litteram non sit observandum.

Joannes cap. V : « Dicebant illi qui sanatus fuerat : Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. Respondit eis : Qui me sanum fecit, ille mihi dixit : Tolle grabatum tuum et ambula. » Item : Judæi « propterea persequebantur Jesum, quia hæc faciebat in Sabbato. Jesus autem respondit eis : Pater meus usque modo operatur ; propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere, qui non solum solvebat Sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo (*ibid.*). » Paulus ad Colossenses cap. II : « Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in participatione diei festi neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum ; corpus autem Christi. » Isidorus : « Si crimen, Sabbati otia non observare ; cur Jesus Nave discipulus ac successor Moysi, præcipiente Domino, septem diebus continuis, inter quos utique Sabbatum erat, exercitum et arma produxit, atque circumeunte arca, tubisque clangentibus Jericho muros subvertit ? » Quid igitur iterum de Machabæis eloquar, de quibus scriptum est : Et nolebant Judæi in die Sabbati vindicare se de alienigenis, postea consilio accepto, pugnaverunt die Sabbati, et triumphaverunt de hostibus. Quilibet testimonio edocemur non pertinere ad fidem istum Sabbati elementarium diem, sed alium specialem. Nam hoc carnale Sabbatum non est datum propter purificationem, sed propter tentationem, dicente Domino : « Ut tentem eos, utrum ambulent in viis meis, an non ; sex diebus colligetis manna, septimo non colligetis (*Exod.* XVI). » Itaque dicit, *ut tentem eos*, ut appareat non fuisse præceptum propter justificationem, sed propter tentationem. Hinc est quod per Ezechielem prophetam loquitur, dicens : « Dedi eis præcepta non bona (*Ezech.* XX), » id est quæ carnaliter observata suos observatores non servant. Utique quædam carnali populo carnaliter agenda permissa sunt, quæ tamen veniente Evangelio cessaverunt, sicut per prophetam dicit : « Cessare faciam omne gaudium ejus et Sabbata ejus (*Osee* II). » Sed quæritur : Si non, inquiunt, custodiendum Sabbatum, quare dictum est in mandatis Domini : « Memento ut diem Sabbati sanctifices ; sex diebus operaberis, et facies opera tua ; septima autem die Sabbata Domini Dei tui sunt, non facies in ea omne opus (*Exod.* XX). » In opere enim sex dierum sex millia annorum demonstrabant. Mille enim anni apud Deum unius diei spatio comparantur, sicut Propheta testatur : « Quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies una (*Psal.* LXXXIX). » Horum dierum Sabbatum, septimi millesimi anni tempus, ac requies futuri regni et sæculi est ; ubi jam nulla erit opera rerum, sed requies sola sanctorum. Est quippe aliud Sabbatum, de quo per Isaiam dicitur : « Et erit quippe mensis ex mense Sabbatum (*Isa.* LXIII). » *Mensis ex mense*, id est ex perfectione bonæ operationis perfectum gaudium æternæ vitæ. *Et erit Sabbatum ex Sabbatis*, quia qui hic cessaverit a perverso opere, illic quiescet in cœlesti retributione. Sed iterum quæritur, quare dixerit Jeremias : « Custodite animas vestras, et nolite portare pondera in die Sabbati (*Jer.* XVII). » Audi ergo ejusdem prophetiæ mysterium. Pondera portans in Sabbato, qui

credens in Christo non desinit a peccato; ipse enim est requies animarum, sicut iste dicit: « Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris (*Matth.* XI). » Adhuc tertio quæritur, quare ille homo qui colligebat ligna in die Sabbati, atrociter jussu Dei fuerit a populo trucidatus. Intelligant ergo quod hæc omnia in figura accidebant illis, scripta sunt enim ad correptionem nostram. Ille enim pristinus carnalisque est, qui dicit Sabbatum violari usquedum ligna colligent, propter quod [qui] est punitus, formam insinuat ejus, qui cum carnali opere in die judicii fuerit inventus, pellendus est ab omnibus angelis, et statim morte novissima puniendus. Sic ergo quæcunque illis Judæis per legem acciderint, formaliter intelligenda sunt.

De circumcisione, quod spiritaliter non ad litteram sit observanda.

Paulus in Epistola ad Romanos cap. II: « Non enim qui in manifesto, Judæus est; neque quæ in manifesto, in carne, est circumcisio; sed qui in abscondito, Judæus est; et circumcisio carnis in spiritu, non littera, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est. » Item Gal. cap. V: « Ecce ego Paulus dico, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. » In Epistola ad Colossenses cap. II: « Circumcisi estis circumcisione [non] manufacta, in exspoliatione corporis [peccatorum] carnis, [in circumcisione Christi.] »

Ratio quare circumcisio Abrahæ data sit, et pro qua significatione.

Isidorus: Accipe nunc primam causam circumcisionis. Quia enim secundum carnem erat Christus nasciturus, in quo cunctarum gentium fuerat benedictio repromissa, et [ab] Abraham usque ad Christum multa erant sæcula futura: prævidens Deus genus Abrahæ, ne reliquis gentibus misceretur, et paulatim propago ejus fieret incerta, populum Judaicum circumcisionis signo notavit, ut videret inter Ægyptios, Assyrios, inter Babylones, sive Chaldæos, hoc signaculo ab his sive a cæteris gentibus, quod distingueretur. Denique per quadraginta annos in eremo nullus est circumcisus, ibi quippe sine alterius commistione vivebant; at ubi Jordanis alveum populus Israeliticus transmeavit, atque in terram promissionis pervenit, signum circumcisionis futuro ex commistione gentium prævidit errori. Quam rationabiliter custodiendam esse credimus, quousque nasceretur Christus, qui ex semine Abrahæ fuerat repromissus, quod non jam per circumcisionem carnis, sed per amputationem vitiorum mundaret corda omnium gentium. Unde Moyses ait: « In novissimis diebus circumcidet cor tuum et cor seminis tui (*Deut.* XXX). » Et Dominus per Isaiam annuntiavit, dicens: « Ne memineris priorum, et antiqua non intueamini, ecce nova faciam quæ nunc orientur, et cognoscetis ea (*Isa.* XLIII). » Et bene cultris lapideis circumcisio fiebat, secunda namque fiet petra, quæ Christus est, per quem spiritali circumcisione credentes purgantur ab omnibus illecebris vitiorum.

A CAP. II. *Quod Christus sit Deus, Patri æqualis et consubstantialis.*

Joannes cap. I: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. » Item cap. V: « Propterea magis quærebant Judæi Christum interficere, quod non [solum] solvebat Sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. » Item cap. XIV: « Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis. Dicit ei Jesus: Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? et Pater in me est. » Et infra: « Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt (cap. XVI). » Item cap. XX: « Respondit Thomas et dixit: Domi-
B nus meus et Deus meus. Dixit ei Jesus: Quia vidisti me et credidisti, beati qui non viderunt, et crediderunt. » Item in ultimo cap. XXI, dixit ei Petrus: « Domine, tu omnia nosti, tu scis quia amo te. » In Apocalypsi cap. I: « Ego sum A et Ω, principium et finis. » Et infra: « Ego sum primus et novissimus; et fui mortuus, et ecce sum vivens in sæcula sæculorum (*ibid.*). »

CAP. III. *Quod Christus sit genitus, et quod idem cum Patre.*

Isidorus: « Tecum principium in die virtutis tuæ, ex utero ante luciferum genui te (*Psal.* CIX). » Ex utero itaque, id est ex illa intima et incomprehensibili Patris substantia. Et iterum: « Eructavit cor meum verbum bonum (*Psal.* XLIV). » Et alibi: « Fi-
C lius meus es tu, ego hodie genui te (*Psal.* II). » Cui reges obediunt, et gentes serviunt, et adorabunt reges terræ, « Omnes gentes servient ei (*Psal.* XI). » Hunc Filium Dei in Daniele rex ille impius aspiciens, dixit: « Ecce ego video viros quatuor solutos ambulantes in medio ignis, et species quarti similis Filio Dei (*Dan.* III). » Si objicitur quod in Daniele Filius Dei superius etiam Angelus nominatur, assentio; nam et Christus Dei Filius Angelus dicitur. Sicut enim ait propheta de ipso: « Venit ad templum sanctum suum dominator, quem vos quæritis, et Angelus Testamenti, quem vos vultis (*Mal.* III). » Christus in eo quod a Patre genitus est, Filius Dei vocatur; in eo quod a Patre missus ad annuntiandum patribus legitur, Angelus annuntiat. « Vox Domini red-
D dentis retributionem inimicis suis (*Isa.* LXVI), » ipsis videlicet qui non credunt Judæis. « Antequam parturiret, peperit, et antequam veniret partus ejus, peperit masculum (*ibid.*). » Ac si aperte dicat: Antequam Christum Virgo parturiret in carne, genuit Filium in deitate, sicut scriptum est de eo: « Egressus ejus a principio a diebus æternitatis (*Mich.* V). » Et iterum: « Ante solem permanet nomen ejus, et ante lunam et stellas (*Psal.* LXXI). » Quod et ipse Dei Filius, Verbum, virtus et sapientia de sua nativitate confirmat, dicens: « Necdum erant abyssi, et ego jam concepta eram; necdum fontes aquarum eruperant, nec montes gravi mole constiterant; ante colles ego parturiebar, adhuc terram non fecerat, et flumina, et cardines orbis terræ. Quando

præparabat cœlos, aderam; quando certa lege et gyro vallabat abyssos, quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens (*Prov.* VIII). » Illud denuo quæritur, quomodo idem sit genitus, dum sacræ nativitatis ejus arcana nec Apostolus dicit, nec propheta comperit, nec angelus scivit, nec creatura agnovit, Isaia testante, qui ait: « Generationem ejus quis enarrabit? » (*Isa.* LIII.) Idcirco si ejus nativitas a propheta non potuit enarrari, quis confitetur nosse, quando potuit a Patre Filius generari? Hinc est et illud in libro Job: « Sapientiam Dei Patris unde invenies? Latet enim ab oculis hominum, et a volucre cœli absconsa est (*Job* XXVIII), » id est etiam ipsis angelis incognita. Christus enim ex Patre ita emicuit, ut splendor a lumine, ut verbum ab ore, ut sapientia ex corde.

Item quod Christus sit Deus, declarat Isaias, utramque personam unum Deum demonstrans. « Tu es, inquit, Deus, et in te est Deus (*Isa.* XLV). » In eo quod dicit, « Tu es Deus, » Patrem ostendit; in eo quod subjecit, « In te est Deus, » Filium declarat. Sed ut eumdem Patrem et Filium unum Deum ostenderet, subjecit: « Non est absque te Deus. Vere tu es Deus absconditus Deus Israel (*ibid.*). » Alio quoque in loco idem Isaias totam Trinitatem in digitorum numero comprehendens, sic prædicat dicens: « Quis mensus est pugillo aquas, et cœlos palmo quis ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terræ? (*Isa.* XL.) » In tribus quippe digitis propheta trinam divinæ omnipotentiæ personam, et unitatem quæ una eademque in Trinitate est, in tribus digitis declaravit. Item quod Christus sit Deus, ostendit Jeremias in libro Baruch, ubi dicit: « Hic est, inquit, Deus noster, et non est alius præter eum, invenit omnem viam scientiæ, et ostendit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo; post in terra visus est, et cum hominibus conversatus est (*Bar.* III). » Sed hinc non putant Christum esse Deum, eo quod audierint in monte Sinai vocem Domini intonantis: « Audi, inquit, Israel, Deus unus est Dominus Deus tuus (*Deut.* VI). » Et iterum: « Ego Deus, et præter me non est alius (*Deut.* XXXII). » Et illud: « Ego sum Dominus Deus, et non mutor, gloriam meam alteri non dabo (*Mal.* III). » Dum ergo legunt hoc perfidi et errore cæcati, Christum Deum esse non credunt. Agnoscant ergo proinde illis eo tempore hæc prædicta fuisse, ne forte ab unitate fidei recedentes in multos fictos deos transirent, atque idola gentilitatis colerent; quod et fecerunt.

CAP. IV. *Quod Spiritus sanctus est Deus, et quod idem Spiritus cum Patre et Filio sit una substantia; et unus Deus omnipotens est, non tres dii.*

In Evangelio Joannis cap. IV: « Spiritus est Deus. » Job XXXIII: « Spiritus Domini fecit me, et spiraculum Omnipotentis vivificavit me. Ecce me sicut et te fecit Deus. » In secundo libro Regum: « Dixit David filius Isai: Dixit vir cui constitutum est de Christo Dei Jacob, egregius Psalmista Israel: Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam

A meam (*II Reg.* XXIII). » Quis autem esset, adjecit: « Deus Israel mihi locutus est, fortis Israel, dominator omnium justus (*ibid.*). » Dicendo enim Christum Dei Jacob, et Filium et Patrem ostendit. Item dicendo, « Spiritus Domini locutus est per me, » et Spiritum sanctum evidenter aperuit. Item in Psalmis: « Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum (*Psal.* XXXII). » In persona autem Domini Patrem accipimus, in Verbo Filium credimus, in spiritu oris ejus Spiritum sanctum intelligimus. In Genesi etiam par significatio Trinitatis per pluralitatem personarum exprimitur, ubi dicit Deus: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram (*Gen.* I). » Ubi tamen ut unitatem Deitatis ostenderet, confestim adjecit, dicens: « Et creavit

B Deus hominem ad imaginem suam (*ibid.*). » In Isaia quoque Trinitas declaratur, eodem Filio dicente: « Et nunc Dominus Deus misit me, et Spiritus ejus (*Isa.* XXXVI). » Ecce duæ personæ, Dominus et Spiritus ejus qui mittunt, et tertia persona ejusdem Domini quæ mittitur. Alio in loco idem Isaias totam Trinitatem in digitorum numero comprehendens sic prædicat, dicens: « Quis mensus est pugillo aquas, et cœlos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terræ? (*Isa.* XL.) » In tribus quippe propheta digitis trinam divinæ omnipotentiæ æqualitatem sub quadam mysterii lance libratam, et parilitatem virtutis, comparationem et unitatem potentiæ, quæ una eademque in Trinitate est, in tribus

C digitis declaravit. Item Joannes in Epistola I cap. V: « Spiritus enim est qui testificatur [quia Spiritus est] quoniam Christus est veritas, quia tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater et Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt. »

CAP. V. *Quod sit morticinum, et quod quædam in lege per significationem ad esum prohibita sunt.*

Morticinum autem puto, quod ad escam usus hominum non admisit, eo quod non occisorum, sed mortuorum animalium mortua caro est, nec apta ad salutem corporis, cujus causa sumimus alimentum. Nam quod esum de sanguine antiquis in figuram præceptum est, id est ne caro cum sanguine manducetur, sed dejecto sanguine carnes manducari jubentur, hæc præfigurari fatetur beatus Augustinus

D in libro XII contra Faustum, ne vita pristina, quasi suffocata in conscientia teneatur, sed habeat effusionem per confessionem. In Actibus apostolorum (cap. XV) hoc legi præceptum esse ab apostolis, ut abstinerent gentes tantum a fornicatione, et ab immolatis, et a sanguine, id est nequaquam ederent carnem, cujus sanguis non esset effusus. Quod alii non sic intelligunt, sed a sanguine præceptum esse abstinendum, ne quis homicidio se contaminet; seu forte quamdam rem facilem propter tunc invenerunt apostoli, quam cum Israelitis etiam gentes communiter observarent. Nunc autem illa Veritatis sententia a cunctis firmiter est tenenda: « Non quod intrat in os, coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore hominis, coinquinat hominem (*Matth.*

xv). » Item Isidorus : Per illa animalia quæ nec ruminant, nec ungulas dividunt, infideles figurantur, quod neque bona a malis separant, nec Dei præcepta ruminant tractando; per corvos exprimuntur, qui humanum sanguinem fundunt; per accipitres et milvos, qui aliena rapiunt; per cygnos, elati; per pisces qui squamis et pennis carent, illi qui squamis virtutum, et pennis cœlestis conversationis carent : et ideo super aquas saltus dare non possunt, id est nequeunt penetrare cœlestia.

ADVERSUS ARNALDISTAS.

Quod pro malitia clericorum sacramenta Ecclesiæ dicunt esse vitanda; inclina aurem tuam et audi, aperi oculos tuos et vide, emunda cor tuum et intellige. Sicut arca Noe munda et immunda continuit animalia, ita in præsenti Ecclesia malos esse permistos bonis, nemo est qui ambigere debeat. Quod si malis, dum tolerantur vel ignorantur, officium ecclesiasticum commissum fuerit, aut forte bonus post acceptum beneficium malus esse incipit, tu quis es qui alienum servum judices? Suo domino stat, aut cadit; potestatem etenim officii quam accepit, non amittit, quandiu Ecclesiæ judicio a prælato suo damnatus fuerit. Sacramenta itaque ecclesiastica ab eo si tu digne acceperis, quamvis indigne ministraverit, tibi non sibi profutura accipe. Audi ergo testimonia in hoc ipsum ex Veteri Testamento ac Novo scripta, et ex scriptis sanctorum doctorum, scilicet Gregorii, Ambrosii, Hieronymi, Augustini et cæterorum auctoritates, de Veteri ac de Novo Testamento. In primo libro Regum, invenies quod Eli sacerdos graviter peccavit, quod filios suos delinquentes sustinuit. Item Saul « fecit malum in oculis Domini (*I Reg.* xv), » et inunctus est David in Regem a Samuele privatim, et Spiritus Domini recessit a Saule, et directus est in David; et tamen David obediebat Sauli ut regi, et habebat et sustinebat ut regem, quandiu Saul vixit. In secundo libro Regum Oza extendit manum ad arcam Dei, et tenuit eam, iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, et percussit eum super temeritatem, qui mortuus est ibi juxta arcam. Matthæus cap. vii : « Nolite judicare, et non judicabimini. » Item c. xiii : « Sinite utraque ad messem crescere, et in tempore messis dicam messoribus : Colligite primum zizaniam, et alligate eam in fasciculos ad comburendum ; triticum autem congregate in horreum meum. » Item cap. xiii : « Sic erit in consummatione sæculi, exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in camino ignis, ibi erit fletus et stridor dentium. » Item cap. xxiii : « Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi : omnia ergo quæcunque dixerint vobis, servate et facite; secundum vero opera illorum nolite facere, dicunt enim, et non faciunt. » Marc. cap. i : « Vade, ostende te sacerdotibus, et offer pro emundatione tua quæ præcepit Moyses in testimonium illis. » Joannes cap. xi : « Caiphas cum esset pontifex anni illius, dixit eis : Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit nobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. Hoc autem a semetipso non dixit : sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit. » Augustinus : Si fuerit justus minister, computo eum cum Paulo, qui gloriam suam non quærit, dicens : « Ego plantavi, Apollo rigavit, Dominus autem incrementum dedit (*II Cor.* iii). » Si vero superbus minister fuerit, cum Zabulon computatur, sed non contaminatur donum Christi, quia per illum purus fluvius transit, et venit ad fertilem terram. Scio quoque quod lapis ex aqua fructum ferre non potest, sed per lapideos canales transit aqua ad areolas. In lapideo canali nihil generatur, sed hortus multum fructum affert; specialis enim virtus sacramenti, ut et lex pura illuminandis excipitur, sed per immundos transitus non coinquinatur. Item in libro De corpore Domini : intra Catholicam Ecclesiam in mysterio corporis et sanguinis Domini nihil a bono majus, nihil a malo minus perficitur sacerdote, quia non in merito consecrantis, sed in verbo perficitur Creatoris et virtute Spiritus sancti. Si enim merito sacerdotis, nequaquam ad Christum pertineret. Nunc autem sicut et ipse est qui baptizat, ita ipse est qui per Spiritum sanctum hanc suam efficit carnem, et transfundit sanguinem; credendum est enim quod in verbis Christi sacramenta conficiantur, et cujus prius creantur imperio, ejus utique recreantur in melius. Item in libro ii contra Epistolam Parmeniani : Omnia sacramenta cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus, sicut et verbum Domini. Unde dictum est : Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite. Gregorius : Non nocet malitia episcopi neque ad baptismum infantis, neque ad consecrationem Ecclesiæ, quia baptisma a Deo datur, non ab homine venit. Sic Eucharistia et alia quæcunque in altari ponuntur, non ab homine, sed a Deo sanctificationem accipiunt. Augustinus in libro De verbo Domini : Recedite et exite inde, et immundum ne tetigeritis, sed contactu cordis, non corporis. Quid est enim tangere immundum, nisi facere quod pertinet ad correptionem illorum, quantum pro uniuscujusque gradu atque persona, salva pace, fieri potest? Displicuit tibi quod quisquam peccaverit, non tetigisti immundum, redarguisti, corripuisti, monuisti, adhibuisti etiam, si res exigat, congruam, et quæ unitatem non violet, disciplinam, existi inde : Clamavit Moyses ista, clamavit Isaias, clamavit Jeremias, clamavit Ezechiel. Videamus si populum Dei dimiserunt, et se ad gentes alias transtulerunt. Quam multum et quam vehementer Jeremias increpuit peccatores et sceleratos! tamen inter eos unus, cum templum intrabat, eadem sacramenta celebrabat, in eadem sceleratorum hominum congregatione vivebat, sed clamando exibat inde. Hoc est ergo exire inde, hoc est immundum non tangere, et voluntati non consentire, et ore non parcere.

CIRCA ANNUM DOMINI MCXC.

BERNARDI ABBATIS FONTIS CALIDI

ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS

ADVERSUS WALDENSIUM SECTAM

LIBER

(GALLAND., *Vet. Patr. Biblioth.*, XVI, 520)

PROLOGUS.

I. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præsidente domino Lucio (1), inclytæ recordationis; subito extulerunt caput novi hæretici, qui quodam præsagio futurorum sortiti vocabulum, dicti sunt Valdenses; nimirum a Valle densa; eo quod profundis et densis errorum tenebris involvantur. Hi, quamvis a præfato summo pontifice condemnati, virus suæ perfidiæ longe, lateque per orbem temerario ausu evomuerunt.

II. Ea propter contra eos pro Ecclesia Dei do- A minus Bernardus Narbonensis archiepiscopus, religione et Dei honestate insignis, zelans legem Dei, se fortem murum opposuit. Accitis itaque pluribus tam clericis quam laicis, religiosis ac sæcularibus, ad judicium vocavit. Quid plura? Causa diligentissime investigata, condemnati sunt.

III. Nihilominus tamen postea, et clam et publice semen suæ nequitiæ spargere ausi sunt. Unde rursum, quamvis ex abundanti, ad disceptationem vocati sunt (2), per quosdam tam clericos quam laicos. Et, ne lis diutius protraheretur, electus est ab

(1) Lucius III sedere cœpit anno 1181.

(2) Hujus disceptationis et abbatis Fontis-Calidi meminit Bossuet (*Hist. des Variations*, l. XI, n. 75-79) his verbis: « Le pontificat du pape Luce III commence en 1181, c'est-à-dire, après que Valdo eut B paru dans Lyon. Il lui fallut bien vingt ans à s'étendre et à former un corps de secte qui méritât d'être regardé. Alors donc Lucius III les condamna; et, comme son pontificat n'a duré que quatre ans, il faut que cette première condamnation des Vaudois soit arrivée entre l'année 1181, où ce pape fut élevé à la chaire de saint Pierre, et l'année 1185, où il mourut... Après la mort de ce pape, comme, malgré son décret, ces hérétiques s'étendaient beaucoup, et que Bernard, archevêque de Narbonne, qui les condamna de nouveau après un grand examen, ne put arrêter le cours de cette secte, plusieurs personnes pieuses, ecclésiastiques et autres, procurèrent une conférence pour les ramener à l'amiable. On choisit de part et d'autre pour arbitre de la conférence un saint prêtre nommé Raimond de Daventrie, homme illustre par sa naissance, mais encore plus illustre par sa sainte vie. L'assemblée fut fort solennelle, et la dispute fut C longue. On produisit de part et d'autre des passages de l'Ecriture, dont on prétendait s'appuyer. Les Vaudois furent condamnés et déclarés hérétiques sur tous les chefs de l'accusation. On voit par là que les Vaudois, quoique condamnés, n'avaient pas encore rompu toutes mesures avec l'Eglise romaine, puisqu'ils convinrent d'un arbitre catholique et prêtre. L'abbé de Font-Cauld, qui fut présent à la conférence, a rédigé par écrit, avec beaucoup de netteté et de jugement, les points débattus et les passages qu'on employa de part et d'autre: de sorte qu'il n'y a rien de meilleur pour connaître tout l'état de la question telle qu'elle était alors et au commencement de la secte. La dispute roule principalement sur l'obéissance qui était due aux pasteurs. On voit que les Vaudois la leur refusaient, et que, malgré toutes les défenses, ils se croyaient en droit de prêcher, hommes et femmes. Comme cette désobéissance ne pouvait être fondée que sur l'indignité des pasteurs, les catholiques, en prouvant l'obéissance qui leur est due, prouvent qu'elle est due même à ceux qui sont mauvais, et que, quel que soit le canal, la grâce ne laisse pas de se répandre sur les fidèles. Pour la même raison, on fait voir que les médisances contre les pasteurs... sont défendues par la loi de Dieu. Dans la suite, on attaque la liberté que se donnaient les laïques de prêcher sans la permission des pasteurs, et même malgré leurs défenses; et on fait voir que ces prédications séditieuses tendent à la subversion des faibles et des ignorants. Surtout on prouve par l'Ecriture que les femmes qui n'ont que le silence en partage, ne doivent pas se mêler d'enseigner. Enfin on montre aux Vaudois le tort qu'ils ont de rejeter la prière pour les morts, qui avait tant de fondement dans l'Ecriture, et une suite si évidente dans la tradition: et, comme ces hérétiques s'absentaient des églises pour prier entre eux en particulier dans leurs maisons, on leur fait voir qu'ils ne devaient pas abandonner la maison d'oraison, dont toute l'Ecriture et le Fils de Dieu lui-même avaient tant recommandé la sainteté. »

utraque parte judex quidam sacerdos, Raimundus scilicet de Daventria; vir siquidem religiosus ac timens Deum, nobilis genere, sed conversatione nobilior.

IV. Assignata igitur die causæ adveniente, congregatis invicem partibus, aliisque quam plurimis clericis et laicis, de quibusdam capitulis, in quibus male sentiebant, a veris Catholicis accusati sunt: eisque per singula respondentibus, hinc inde diu disputatum est, et ab utraque parte multæ productæ auctoritates. Auditis igitur partium allegationibus; præfatus judex per scriptum definitivam dedit sententiam, et hæreticos esse in capitulis, de quibus accusati fuerant, pronuntiavit.

V. Quibus autem auctoritatibus vel rationibus suam assertionem defenderent; quidve eis a nobis Catholicis responsum sit; aut quibus Scripturarum testimoniis fidem tueremur Catholicam, præsenti inteximus opusculo; adjectis etiam quibusdam aliis tractatibus contra alias hæreses. Hæc autem omnia fecimus maxime ad instruendos, vel commonendos quosdam clericos, qui vel imperitia, vel librorum inopia laborantes, hostibus veritatis non resistendo, facti sunt in offensionem et scandalum fidelibus, quibus præsunt. Eos namque in fide Catholica non roborant, nec alimentis sanctarum Scripturarum reficiunt. Unde quasi jejuni in via præsentis sæculi, viribus spiritualibus destituti deficiunt, ne ad patriam, scilicet paradisum, valeant remeare. Justa quidem est causa majoris mali præscripti, dejici a caulis ovium Christi lupos rapaces, id est dæmones hæreticos et tyrannos, nec voce prædicationis, nec baculo disciplinæ seu severitatis.

VI. Suscipiant igitur, quæso, a nostra parvitate, si placet, exiguum munus hujus opusculi, mandentque memoriæ auctoritates sanctorum Patrum, ut, miserante Deo, habeant arma impenetrabilia contra rectores tenebrarum, contra fabulatores mendacii, contra cultores perversorum dogmatum, id est dæmones hæreticos; quatenus Dei gratia prævia, et de ipsis valeant triumphare, et pro regimine atque doctrina subjectorum a summo pastore immarcescibilem gloriæ coronam percipere mereantur.

CAPUT PRIMUM.

Est contra hoc, quod dicunt, Non esse obediendum summo pontifici, aliisve prælatis.

I. In primis igitur arguuntur de inobedientia; quia scilicet non obediunt Ecclesiæ Romanæ, quæ plenitudinem habet potestatis ligandi et solvendi, et dignitatem cæteras Ecclesias dispensandi.

II. Præterea, nec episcopis, nec sacerdotibus obtemperant; cum, teste beato Gregorio, locum discipulorum Christi habeant episcopi, et auctoritatem ligandi et solvendi, qui locum regiminis sortiuntur. Hac ergo auctoritate Romana Ecclesia, cæterique episcopi, utpote quibus dictum est: « Quodcunque alligaveritis super terram, erit ligatum et in cœlo; et quodcunque solveritis super terram, erit solutum et in cœlis (*Matth.* XVI), » præfatos hæreticos excommunicationis vinculo innodarunt: « In promptu habentes, » cum Apostolo, « ulcisci omnem inobedientiam (*II Cor.* X). — Nihil autem, » ut ait Augustinus super Joannem, « sic debet formidare Christianus, quam separari a corpore Christi. » Si enim separatur a corpore Dei, non est membrum ejus, non vegetatur Spiritu ejus. « Quisquis autem, » inquit Apostolus, « non habet spiritum Christi, hic non est ejus (*Rom.* VIII). » Item illud de verbis Apostoli: « Omnis Christianus, dilectissimi, qui a sacerdotibus excommunicatur, Satanæ tradi dicitur. Quomodo? scilicet, quia extra Ecclesiam est diabolus; sicut in Ecclesia Christus. Ac per hoc quasi diabolo traditur, qui ab ecclesiastica communione removetur. Unde illos, quos tunc Apostolus Satanæ traditos esse prædicat, excommunicatos a se esse demonstrat. » Hinc est etiam, quod idem Apostolus ait ad Thessalonicenses: « Si quis non obedierit verbo nostro per epistolam, hunc notate; et ne commisceamini cum illo, ut confundatur (*II Thess.* III). » Ecce Apostolus mandat inobedientem sibi reprehendi, et a cæterorum communione vel convictu abjici, ut sic abjectus erubescat.

III. Ad Hebræos quoque ait: « Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris (*Hebr.* XIII). » Ad Timotheum quoque ait: « Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime, qui laborant in verbo et doctrina (*I Tim.* V). » Duplex honor est presbyteris, ut eorum scilicet præceptis obediatur et cum debita reverentia exteriora subsidia ministrentur. Dominus quoque ut ostenderet obedientiam exhibendam esse prælatis, ait: « Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, servate et facite (*Matth.* XXIII). » Et rursum: « Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me spernit (*Luc.* X). »

IV. Cum igitur Christus et apostoli præcipiant obediendum esse episcopis et presbyteris: quicunque eis non obediunt, consequenter Christo et ejus apostolis inobedientes existunt. Omnis autem prævaricatio et inobedientia, teste Apostolo, « accipit justam mercedis retributionem (*Hebr.* II). » Quomodo ergo effugient, qui Christi et discipulorum ejus præcepta neglexerint? Quoniam itaque inobedientes existunt, habendi sunt quasi ethnici et publicani, Domino dicente: « Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus (*Matth.* XVIII). »

V. Præterea ab eorum communione est abstinendum, sicut ex præscriptis Apostoli verbis ad Thessalonicenses patet. Nam et per legem Mosaicam, si quis imperio sacerdotis non obedierit, occidendus est; ne ex malo inobedientiæ populus corrumpatur. Unde in Deuteronomio: « Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo

tempore ministrat Domino Deo tuo; ex decreto judicis morietur homo ille, et auferes malum de medio Israel : cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia (*Deut.* XVII).» Ecce hinc patet, quantum est crimen inobedientiæ; cum is, qui sacerdoti non obediebat, corporali gladio occidebatur. In tempore vero gratiæ, quia Deus non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat (*Ezech.* XXXIII); non occiditur corporaliter, sed spiritali gladio feritur, cum a communione fidelium per sententiam episcopi separatur, ut sic abjectus erubescat et resipiscat.

VI. Quicunque etiam inobedientes sunt, infideles esse convincuntur, Samuele dicente : « Quia peccatum ariolandi est, repugnare; » et, « quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere (*I Reg.* XV).» Super quem locum ait beatus Gregorius : « Sola est obedientia, quæ fidei meritum possidet, sine qua quisque infidelis convincitur, etsi fidelis esse videatur.» Inobedientiæ quoque vitium inter mortalia crimina connumerat Apostolus dicens : «Gentiles repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia (*Rom.* I).» Et post pauca : «Inventores malorum, parentibus non obedientes (*ibid.*),» parentibus scilicet, sicut doctores orthodoxi exponunt, carnalibus vel spiritualibus. Et paulo post : « Qui talia agunt, digni sunt morte : non solum autem, qui ea agunt, sed etiam, qui facientibus consentiunt (*ibid.*).» Consentire autem est, secundum Ambrosium, si cum quis possit reprehendere, taceat, aut hoc audiens, aduletur.

VII. Nec mirum si inobedientes potestatibus Ecclesiasticis, digni sunt morte æterna. Teste enim Apostolo: « Non est potestas, nisi a Deo, quæ autem a Deo sunt, ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt (*Rom.* XIII).» Audiant ergo præfati erronei, et qui eis consentiunt, Apostoli præceptum dicentis : «Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit (*ibid.*).» « Spiritus » quippe « sanctus, » sicut Apostolus ait in Actibus apostolorum, «posuit episcopos» super gregem suum « regere Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo (*Act.* XX).» Qui ergo episcopis resistit per contumaciam, in Spiritum sanctum peccat. Nam et Judæis murmurantibus contra Moysen et Aaron, responsum est : « Nec contra nos murmur vestrum, sed contra Deum (*Exod.* XVI).» Hinc Judas Jacobi ait : « Væ illis, qui in contradictione Core perierunt ! » (*Jud.* 11) Core quippe, et ejus complices insurrexerunt contra Moysen et Aaron sacerdotes Domini; et confestim igne cœlitus misso. combusti sunt. Contradictione ergo Core pereunt, qui sacerdotum imperio contradicunt, et ideo ignis æterni incendio concremantur. Unde « væ, » id est, æterna damnatio est illis.

VIII. Præterea per inobedientiam Adæ peccatores A constituti sunt multi; et per obedientiam Christi, qui obediens fuit Patri usque ad mortem, justi constituti sunt multi. Quicunque ergo inobedientes exsistunt, veteris hominis imaginem portant. Contra quod Apostolus ait : « Sicut portavimus imaginem terreni, portemus imaginem cœlestis (*I Cor.* XV),» virtutem obedientiæ induentes, ut qui per inobedientiam paradiso ejecti sumus, per obedientiam quasi per aliam viam cum magis redeamus. « Melior est enim obedientia, quam victimæ; et auscultare magis quam offerre adipem arietum (*I Reg.* XV).» Quia, per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Et Salomon : « Vir obediens loquetur victorias (*Prov.* XXI).» Quia dum alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in B corde superamus. Ex his omnibus patet quanta sit virtus obedientiæ, quantumque crimen inobedientiæ.

CAPUT II.

Tractat de dignitate prælatorum, et quod eis sit deferendum et obediendum.

I. Ut vero luce clarius pateat, quantum sacerdotes excellant cæteris, et quod eis sit deferendum et obediendum, ex verbis Salvatoris potest perpendi, qui curato a lepra ait : « Vade, ostende te sacerdoti, et offer munus, quod præcepit Moyses in testimonium illis (*Luc.* V). » Sacerdotum quippe est discernere et judicare, qui sint Catholici, quive hæretica contagione respersi. Inde est, quod cum multos languentes Dominus sanaverit, leprosos C tantum ad sacerdotes misit. In leprosi quippe corpore varius color, designat in hæretico homine veritatem falsitati permistam. Plane Dominus noluit leprosum, licet mundatum, hominum cœtibus aggregari, sine judicio sacerdotis, ut aperte ostenderet eum, qui ab unitate Catholica erraverit, licet forte resipuerit, sine sacerdotali judicio, conventibus fidelium minime aggregandum. Et in signum devotionis et humilitatis jubetur oblationem facere sacerdoti, ut ei se subjectum pariter innuat, cujus manum divino intuitu osculando, hostiam immolet.

II. Item clerici pascunt; alii, quasi oves, pascuntur; et de altari vivunt illi, isti vero offerre debent. Illi possunt peccatores tradere Satanæ; isti D vero ante eos sedere; nec sine eorum consilio, quæ Dei sunt, agere debent. Unde Hieronymus ad Heliodorum : « Alia causa est monachi, alia clerici; clerici oves pascunt, ego pascor. Illi, de altari vivunt, mihi securis quasi ad radicem infructuosæ arboris ponitur. Si munus ad altare non defero, mihi ante presbyterum sedere non licet. Illi, si peccavero, licet me tradere Satanæ in interitum carnis, ut spiritus sit salvus in die Domini.» Idem ad Rusticum : « Ecclesia habet senatum, cœtum presbyterorum, sine quorum consilio nihil monachis agere licet. Roboam filius Salomonis ideo perdidit regnum, quia audire noluit presbyteros suos. Senatum quoque Romani habebant, quorum consilio cuncta

agebant, et nos habemus senatum nostrum, cœtum presbyterorum.»

III. Præterea, cum quis de lege divina dubitat, confestim ad sacerdotes currere debet, et interrogare. Ipsi sunt enim, per quos Creator omnium fidelium plebes pascere disposuit. Hinc est enim, quod Dominus discipulis suis quinque, vel septem panes tradidit, ut ponerent ante turbas. Spiritualem enim doctrinam sacerdotibus, qui in locum discipulorum successerunt, ministrat; ut, quasi boni dispensatores familiæ Dei animarum alimenta ministrent, ne in via hujus sæculi ab hoc cibo jejuni deficiant. Hinc scriptum est : « Quis putas est fidelis dispensator et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? » Unde et Dominus Paulum, adhuc Saulum, in via quidem prosternit, sed quid eum oporteat facere, non docet; sed in civitatem ad discipulum Ananiam docendum mittit. Nec angelus, qui centurioni viro religioso apparet, eidem formam fide tradidit, sed Simeonem accersiri jubet, ut per eum, quid oporteat facere, instruatur.

IV. Ex quibus aperte datur intelligi, quod nullus præsumere debet docere aliquem viam perfectionis, nisi sit in civitate, id est in sancta Ecclesia, et Christi sit discipulus : cum Christus, vel ejus angelus Saulum vel centurionem docere noluerint, ut magisterium Ecclesiæ inviolabiliter custodiendum esse ostenderent; et a nullis omnino attentandum, nisi ab his, qui in locum discipulorum successerunt, id est ab episcopis et viris ecclesiasticis, quibus id officii Dominus delegavit, sicut scriptum est, Malachia attestante : « Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus; quia angelus Domini exercituum est.» Ecce, quanta sit dignitas sacerdotis. Ipse est enim, sicut in Ezechiele legitur, gazophylacium in domo Domini, qui thesaurum sapientiæ et scientiæ in pectore suo custodit, et ex cujus ore, Domino præcipiente, lex requirenda est. Quod ipse Dominus, teste Evangelio, per exemplum docuit, qui in templo, in medio doctorum sedebat, audiebat illos, et interrogabat, docens pariter in sancta Ecclesia, maxime doctrinam cœlestem addiscendam esse, non in foro, non in plateis, ut tanto melius percipiatur et memoriæ commendetur, quanto in Ecclesia, non rebus temporalibus, sed divinis attentius vacatur.

V. Quantum vero est, quod sacerdos angelus Domini, id est nuntius vocatur? Supernum quippe judicem nuntiare mittitur : ideoque, etsi ex sua despicabilis, tamen ex Domini persona venerandus est. Teste enim beato Gregorio : « Sæpe potens persona famulum habet despectum, per eum suis forte, vel extraneis aliquod responsum mandat; non despicitur persona loquentis servi, quia servatur in corde reverentia mittentis Domini.» Ita ergo quilibet sacerdos, etsi forsitan digne despicitur ab aliquo, in mente tamen sua mittentis Domini reverentiam servare debet is, cui mittitur.

VI. Sacerdotibus etiam peccatores nequitias suas confiteri debent, ut reatus sui vinculis absolvantur. Qua ex re Dominus ait quatriduano mortuo : « Lazare, veni foras (*Joan.* XI). » Qui, cum egressus fuisset vivens, a vinculis per discipulos est solutus, Domino jubente et dicente eis : « Solvite eum, et sinite abire (*ibid.*). » Foras venit mortuus, cum culpam confitetur peccator. Venientem autem foras solvunt discipuli; quia prædicatores Ecclesiæ ei pœnam debent amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri, quod fecit. Sane Judas confessus est peccatum suum, non Christi discipulis, sed Judæis dicens : « Peccavi tradens sanguinem justum (*Matth.* XXVII). » Et non profuit ei confessio.

VII. Nec solum solvunt, sed etiam ligant presbyteri reos, et Satanæ tradunt in interitum carnis, ut spiritus salvus sit. Unde Dominus ait : « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt (*Matth.* XVI). » Teste quippe Gregorio, discipuli, quorum locum tenent episcopi, vice Dei quibusdam peccata retinent, quibusdam relaxant. Apostolus quoque ait de fornicatore : « Judicavi in nomine Domini nostri Jesu Christi, » hoc est vice ejus, vel ad ejus gloriam; « tradere hujusmodi Satanæ, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi (*I Cor.* V). » Satanæ tradit ut corporaliter vexet et sic resipiscat. Vel secundum quosdam, intelligitur mors corporis : sive excommunicare, est tradere Satanæ. Quemadmodum enim diabolus nullum jus habet in hominem, postquam homo per fidem justificatur, sed postquam homo pro culpa, ab Ecclesiæ sacramentis, quæ sunt sibi arma contra Satanam, sequestratur, exinde sub jugo Satanæ religatur.

VIII. Præterea Spiritus sanctus plerumque potius dignitatem sacerdotis pensat, quam meritum, et per eum electis providet. Unde cum esset Caiphas pontifex, prophetavit. Ubi patenter Evangelista donum prophetiæ divino tribuit sacramento dicens : « Cum esset, » id est quia esset summus « pontifex (*Joan.* XI). » Transit quippe aqua per canales lapideos ad areolas aromatum, id est gratiæ spiritualis irrigatio nonnunquam per duras et insensibiles mentes præsidentium, rigat et infundit fidelium animas virtutum aromatibus redolentes consitas.

IX. Beatus quoque Jacobus ostendit, quam sit necessarius et utilis ordo sacerdotum, cum ait : « Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus : et si in peccatis sit, remittentur ei (*Jac.* V). » Ecce oratio sacerdotis et salvat, et per eam Deus infirmum alleviat et peccata remittit. Sic ergo salvat, dum corpori et animæ prodest oratio presbyterorum, relevando infirmitatem et remittendo peccata. Ubi pariter reprehendit eos, qui hæreticos inducunt et presbyteros deserunt; cum Apostolus jubeat presbyteros induci, non hæreticos. Tacite quoque reprehendit quosdam

etiam Christianos, qui cum infirmantur, non ad presbyteros, sed ad medicos mittunt; vel ordine præpostero, postea mittunt: cum sæpe languor animæ sit causa infirmitatis corporis. Unde Dominus paralytici ad se allati prius peccata dimittit, dicens: « Fili, remittuntur tibi peccata tua (*Luc.* v); » et postea, corpus sanat. « Sublata enim causa, tollitur effectus. »

X. Sacerdotum etiam est emergentes de religione Christiana quæstiones decidere. Unde Moyses ascendens in montem ait senioribus Israel: « Exspectate hic, donec revertamur. Habetis Aaron et Hur vobiscum, si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos (*Exod.* xxiv). » Quæstiones quippe nascentes inter fideles de fide aut cultu Christiano, ad episcopos et presbyteros referendæ sunt. Inde est, quod ob hanc, et alias necessarias causas episcopi per singulas civitates, et presbyteri per singulas ecclesias statuuntur ab apostolis. Quapropter Apostolus ait Tito: « Hujus rei gratia, reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi (*Tit.* i). » In Actibus etiam apostolorum habetur, quod Paulus et Barnabas constituerunt per singulas Ecclesias presbyteros.

XI. Notandum vero, quod presbyterorum nomine episcopi accipiuntur, sicut paulo ante ad Titum, et simplices sacerdotes, sicut et paulo supra in Actibus apostolorum. Nam, et versa vice episcoporum nomine, aliquando minores sacerdotes nuncupantur, sicut ad Philippenses, cum ait Apostolus: « Paulus et Timotheus servi Jesu Christi, omnibus sanctis, qui sunt Philippis, cum episcopis et diaconibus (*Phil.* i). » Neque enim in una civitate plures sunt episcopi, aut tacitis sacerdotibus, de episcopis loquens, intersereret de minore ordine, id est diaconorum, nisi quia episcopos vocavit sacerdotes. Interdum vero episcopi, appropriato vocabulo dicuntur majores sacerdotes, sicut et usus quotidianus probat.

XII. His per excessum dictis, sciendum quod in Novo Testamento, orta quæstione, an oporteret credentes circumcidi, legemque Moysi servari: statuerunt Paulus et Barnabas manere credentes ita, ut crediderant, et ut iidem apostoli, et quidam alii ex aliis ascenderent ad apostolos et presbyteros in Jerusalem super hac quæstione. « Conveneruntque apostoli et seniores videre de verbo hoc (*Act.* xv.) » Et simul apostoli et seniores deciderunt quæstionem; et super hoc epistolam decretalem, credentibus exigentibus, direxerunt, sicut in Actibus apostolorum legitur.

XIII. Ex hoc patet exemplo quod, orta dubitatione circa cultum fidei Christianæ, ad summum patriarcham qui vice beati Petri fungitur, aliosque, tam archiepiscopos, qui personas apostolorum, quam episcopos, qui locum obtinent aliorum discipulorum, quos supra in Actibus vocat Lucas nunc presbyteros, nunc seniores, recurrendum est. Si enim apostoli Paulus et Barnabas non præsumpserunt decidere tantam quæstionem; nisi communicato consilio cum apostolis et senioribus, et facta magna inquisitione; pensandum est solerter, quantæ sit præsumptionis et dementiæ, de his, quæ ad fidem Dei ac ejusdem statum pertinent, ab aliis et non a Christi sacerdotibus inquirere. et maxime ab hæreticis vel malis Catholicis.

XIV. Ad hoc, Apostolus ad Corinthios de rebus transitoriis non debere fideles causari apud infideles, sed apud sanctos: «Audet, inquit, aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, et non apud sanctos? Nescitis quoniam angelos judicabimus? Quanto magis sæcularia? Etsi in vobis judicabitur mundus, indigni estis qui de minimis judicetis (*I Cor.* vi). » Et post: « Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum? sed frater cum fratre judicio contendit, et hoc apud infideles? Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos (*ibid.*). » Si ergo negotium de rebus minimis sancti debent judicare, id est fideles, non infideles: multo magis, cum de fide et rebus spiritalibus agitur, vel dubitatur; non ab hæreticis, vel infidelibus, sed a sanctis fidelibus est tractandum et judicandum. Et si infideles indigni sunt, qui de minimis judicent; multo magis sunt indigni de religione Christiana judicare et fide. Maxime cum Moyses moneat unumquemque dicens: « Interroga patrem tuum et annuntiabit tibi; majores tuos, et dicent tibi (*Deut.* xxxii). » Quis est pater, vel majores, quos interrogare debemus, nisi rectores animarum, qui in sancta conversatione nos instituentes, quasi filios spiritales gignunt? Et quia dignitate vel merito nos præcedunt, « majores nostri, » vocantur, qui alio nomine dicuntur « seniores. » Quibus et beatus Petrus ait scribens credentibus: « Seniores, qui in vobis sunt, obsecro, ego consenior et testis Christi passionum, pascite, qui in vobis est, gregem Dei (*I Petr.* v). » et paulo post: « Similiter, adolescentes, subditi estote senioribus (*ibid.*). »

XV. Ecce patenter refert, fidelium grex a quibus debeat pasci, scilicet a senioribus suis. Sicut enim ait beatus Gregorius: « Senes eos sacra Scriptura vocat, qui morum gravitate, non temporum quantitate maturescunt, sicut scriptum est: Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata; cani autem sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata. » Juvenes quoque dicuntur, qui nulla consilii gravitate deprimuntur. Quos apostolorum primus jubet subditos esse senioribus, ut levium levitas, gravium gravitate gravetur, secundum illud: « Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris (*Psal.* xvii). » In quibus verbis reprehenduntur, qui præceptis seniorum, id est prælatorum non obtemperant, et sic apostolo Petro inobedientes existunt.

XVI. Denique, « sacerdotum est, » sicut Dominus

ait eis in persona Aaron sacerdotis et filiorum ejus « discernere inter sanctum et profanum, inter mundum et immundum, et docere omnia legitima, quæ præcepit Deus filiis Israel per manum Moysi, » sicut est in Levitico : « Dixit Dominus ad Aaron : Vinum et omne, quod inebriare potest, non bibetis, tu et filii tui quando intrabitis tabernaculum testimonii, ne moriamini ; quia præceptum est sempiternum in generationes vestras (*Lev.* x). » Et, « ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum, doceatisque filios Israel omnia legitima mea, quæ locutus est Dominus ad eos per manum Moysi (*ibid.*). » Ex qua re liquide apparet, quos presbyterorum est, non aliorum, discernere, qui sint sancti, id est Catholici et qui profani, id est hæretici ; quive mundi a macula criminis, quique immundi, id est criminosi. Quinimo ad eos spectat docere fideles præcepta Dei. Quare damnabile est aliis, qui non sunt de tribu Levi, id est de ordine clericorum, usurpare officium illorum in judicando vel docendo.

XVII. Ecce pauca de multis collegimus, ad ostendendum, quanta sic episcoporum ac sacerdotum dignitas ac auctoritas : quo cognito, qui hactenus eis rebelles fuerunt, humiliter eisdem obtemperent.

CAPUT III.

Contra eos, qui detrahunt rectoribus animarum.

I. Sed quoniam sunt quidam, qui eisdem rectoribus animarum detrahunt, et cum periculo animarum suarum eos reprehendunt ; ad ipsorum correctionem vel pauca dicamus. Audiant ergo qui tales sunt, quod, Apostolo teste, « detractores Deo odibiles, et susurrones, atque contumeliosi digni sunt morte (*Rom.* I). » Detractor vero est qui bona proximi, in quantum potest, minuit ; et mala, quæ in eo non sunt, ei imponit. Susurro vero est, qui mala de proximo ad proximum occulte transfert. Contumeliosus est, qui aliquam turpitudinem dedecoris, vel in dicto, vel in facto libenter infert proximo. Item idem ad Corinthios ait : « Si is qui frater nominatur, est maledicus, » id est detractor, « cum ejusmodi nec cibum sumere (*I Cor.* v). » Et rursum : « Maledici regnum Dei non possidebunt (*I Cor.* vi). »

II. Cum ergo detractor, vel maledicus in communionem fidelium recipiendus non sit et dignus sit morte, utpote, qui non possidebit regnum Dei ; specialiter tamen prohibetur quis maledicere rectori populi. Unde Paulus, cum ab Anania principe sacerdotum jubetur percuti in ore, ignorans esse principem sacerdotum, ait : « Percutiet te Deus, paries dealbate. Et, qui astabant, dixerunt : Summum sacerdotem Dei maledicis ? » Respondit Paulus : « Nesciebam, fratres, quia princeps sacerdotum est. Scriptum est enim : Principem populi tui non maledices. » Ecce autem, principem populi, licet aperte contra legem agentem, et judicantem se percuti, ait non esse maledicendum, et Scripturæ auctoritate hoc probat. Hinc ergo perpendant, qui rectoribus Ecclesiarum maledicunt, quanta damnatione sint digni ; si Apostolus infidelem, et legi contraria agentem, maledicere supersedit, ex quo cognovit principem populi ; et, quod maledixerat, ideo ait se fecisse, quia nesciebat esse principem populi.

III. Præterea, Cham vidit verenda patris sui Noe nudata, et risit ; et ideo in sua posteritate damnatus est, dicente Noe : « Maledictus Chanaan, puer servus erit fratribus suis (*Gen.* IX). » Quia mala præpositorum suorum non arguere, non divulgare temere quis debet ; vel, dum videt, gaudere : alioquin damnabitur in posterum, id est in futuro. Boni vero Noe filii verecunda patris sui, injecto dorsis pallio, aversi venientes operiunt. « Quia, bonis subditis, ut ait beatus Gregorius, sic præpositorum suorum mala displicent, ut tamen hæc ab aliis occultent ; judicantesque factum, et venerantes magisterium, nolunt videre quod tegunt. »

IV. Attendant etiam præfati detractores, quia humiliter sanctus David obedivit Sauli superbo, sed tamen regi, et a Domino electo ; sed persequenti, et occidere ipsum David volenti ; sed denique, exigentibus culpis suis, a Deo reprobato, et David ad regni gubernacula electo a Domino. Cum ergo hæc ita essent, malo regi ita David obedivit, ut scriptum de ipso sit : « Quis in omnibus, sicut David inventus est in regno tuo ingrediens, et egrediens, et pergens ad imperium regis ? » Rursumque, cum persequentem se regem ferire posset, eidem humili se professione prostravit dicens : « Quem persequeris, rex Israel, quem persequeris ? Canem mortuum, et pulicem unum. » Hinc discant subditi : licet humiles, licet innocentes, prælatis sibi a Deo potestatibus, licet contra se sævientibus deferre, non detrahere ; obedire, non contradicere. Idem etiam David, cum servi eum sui ad feriendum Saul in speluncam ingressum, ubi ipsi erant, accederent ; fregit eos responsionibus, quia manum in christum Domini mittere non deberet. Qui tamen occulte surrexit, et oram chlamidis ejus abscidit. Et quia hoc fecerat, post hoc percussit David cor suum. Ecce, dum pensat, a Deo unctum et sibi prælatum, licet se quærentem ut occideret, occidere non vult David ; et quia vel extremam oram chlamidis ejus abscidit, pœnitet. Super hunc locum ait sanctus Gregorius : « Facta præpositorum oris gladio ferienda non sunt, etiam cum recte reprehendenda judicantur. Si quando vero contra eos, vel in minimis lingua labitur, necesse est per afflictionem pœnitentiæ cor crem etur, quatenus ad semetipsum redeat. Et cum præposita potestas deliquerit, ejus contra se judicium, a quo sibi prælata est, perhorrescat. Nam cum in præpositis delinquimus, ejus ordinationi, qui eos nobis prætulit, obviamus. »

V. Ecce auctoritatibus sanctarum Scripturarum et sanctorum exemplis, probavimus, quanta sit reverentia exhibenda, remota obtrectatione, erga prælatos, et eis esse deferendum, non detrahendum, vel

maledicendum : alioquin et Dei præceptis contraimus, et sanctorum vestigiis non instamus.

CAPUT IV.

Contra hoc, quod omnes, etiam laici prædicant. Et quid ad hoc dicant, quidve nos, contra eos.

I. Secundo prædicant omnes passim, et sine delectu conditionis, ætatis vel sexus. Et quoniam in hoc errore multi eorum, qui specietenus Christiani dicuntur, seducuntur; gratia revocandi ipsos, et reliquos confirmandi, cooperante Deo, videamus, quibus rationibus, vel auctoritatibus innitantur ipsi, quidve a Catholicis dicatur contra eas infirmandas, et penitus vacuandas, et tertio loco, quid in sua assertione Catholici inducant.

II. Primo igitur dicunt : ab omni, qui scit verbum Dei in populis seminare, prædicandum esse. Quoniam Jacobus dicit : « Scienti bonum facere, et non facienti, peccatum est illi (*Jac.* IV). » Quare autem, si scimus evangelizare, et cessemus, graviter peccamus? Hanc cum quidam hæresiarcha Scripturam pro se induceret, ei respondit : Legitur in Evangelio diabolum dixisse Domino Jesu : « Scio quis sis, Sanctus Dei. Et comminatus est ei Jesus dicens : Obmutesce (*Marc.* I). » Ecce noluit Dominus per os diaboli prædicari, licet diceret se scire ipsum; ne forte veritati falsitatem promittens deciperet simplices, sicut in exordio feminam seduxit. Sic, sic, responde, ex ore tuo nomen Christi non est annuntiandum, et si scires : ne, more venefici, dum mellita pocula propinare crederis a quolibet simplice, permistum virus infundas. De malis quippe scriptum est : « Fel draconum vinum eorum, et venenum aspidum insanabile (*Deut.* XXXII). » Venenum aspidum insanabile est dogma hæreticorum, quia, quisquis illud bibit, id est libenter audiendo percipit, morte procul dubio non caret.

III. Præterea, non ait Apostolus : « Scienti bonum » docere, sed « facere (*Jac.* IV), » quare intelligendum est de illo, qui bonum quod intelligit, non perficit et ideo peccat : non de illo qui bonum, quod scit docere, non docet. Nec enim omnis homo peccat, qui non docet, quod scit : imo potius peccat, si doceat, cum tamen ipse prævaricator existat. David enim dicente : « Peccatori dixit Deus, quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? » (*Psal.* XLIX.) Hoc Apostolus ait : « Qui alium doces, te ipsum non doces? qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras? » (*Rom.* II.)

IV. Item in favorem erroris sui inducunt illud, pro se : « Qui audit, dicat, veni (*Apoc.* XXII). » Ubi beatus Gregorius ait : « Ut qui in corde vocem superni amoris acceperit, foras etiam proximis vocem exhortationis reddat. » Et rursus inde Gregorius : « In quantum pro divina largitate sufficitis, proximis vestris boni verbi cyathos date. »

V. Ad hoc respondemus : quod si diligenter ista attendantur, eis, de erroneis observationibus non A prosunt. Cum enim ait : « Qui audit dicat, Veni ! » consequenter intelligitur, ut qui non audit intus in corde vocem fraterni amoris; vel qui vocem Dei non audit aure corporis, vel cordis, licet corporis; aut etiam opere non implet, non dicat alii, « veni. » Qui enim verbo Dei non obtemperat, qua fronte ad eamdem obedientiam, quam ipse opere non implet, alium invitet; aut, quomodo in alio ædificat obedientiam, quam in se destruit? Qui ergo verbum Dei non audiunt, imo inobedientes eidem existunt, sicut supra monstratum est, alios docere non debent. Unde et in hac eadem homilia idem sanctus Gregorius ait : « In quantum profecisse pensatis, etiam alios trahite, et in via Dei socios habere desiderate. » Ex his verbis patet, quos admoneat beatus Gregorius, ad exhortandum proximos; eos scilicet, qui profecerant, et in via Dei erant; quos admonet, ut juxta quantitatem profectuum, alios trahant. Sed hæretici non profecerunt, imo defecerunt; et in via Dei non sunt; imo, sicut scriptum : « Errare fecit eos in invio, et non in via (*Psal.* CVI), » quare alios exhortari non debent. Opera enim, si fides desit, sic sunt, tanquam si sint magnæ vires, et cursus celerrimus præter viam.

VI. Item inducunt pro assertione sua illud, quod dicitur in Evangelio Marci : Joannes quidem respondit Domino, dicens : « Magister, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non sequitur nos, et prohibuimus eum. Jesus autem ait : Nolite prohibere eum. Nemo est enim, qui faciat C virtutem in nomine meo, et possit cito male loqui de me, qui enim non est adversum vos, pro vobis est (*Marc.* IX). »

VII. Ecce, inquiunt, iste non sequebatur apostolos; et tamen, quia dæmonia ejiciebat in nomine Christi, Dominus imperat eis, ne prohibeant. Quare, si Christi nomen prædicamus, quamvis non sequamur episcopos, et alios sacerdotes, non tamen debent nos prohibere.

VIII. Sed ad hoc respondemus : quod auctoritas illa non juvat eos; sed lædit. Ille namque et bonum operabatur, quia dæmonia ejiciebat, et in nomine Christi, et sic fidem habebat, et non loquebatur male. Qua de re, licet corporaliter non sequeretur D apostolos; non erat prohibendus a bono opere; quia spiritaliter vivendo per fidem, et opera, apostolos sequebatur, nec perversum dogma introducebat. Sed isti, et infideles sunt; et sunt sine obedientia, « quæ sola fide meritum possidet; » cum « sine fide, » secundum Apostolum, « impossibile sit placere Deo (*Hebr.* XI). » Et ideo eorum opera, a via fidei eos elongant; nec per ea Deo approximant, sed recedunt, et fabricatores sunt mendacii, et cultores perversorum dogmatum. Quare prohibendi sunt, quia sunt adversum Christi sacerdotes. Super hunc quoque locum Catholici doctores scripserunt dicentes : quod in hæreticis et malis Catholicis non sacramenta communia, in quibus nobiscum sunt, non contra; sed divisionem, paci

veritatique contrariam, qua adversum nos sunt, et Dominum non sequuntur nobiscum, detestari et prohibere debemus.

IX. Item aiunt Apostolum sibi suffragari, cum ait: « Quidam autem et propter invidiam, et contentionem; quidam autem et propter bonam voluntatem Christum prædicant (*Phil.* I). » Quidam enim invidebant Apostoli gloriæ, et contendebant habere, conantes se pacificare illi, in laude prædicationis. Alii prædicabant Christum, quia vellent omnes homines ad agnitionem veritatis venire. Et post pauca: « Quid enim? Dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur. Et, in hoc gaudeo; sed, et gaudebo (*ibid.*). » Ecce inquiunt: « Apostolus gaudet, » quocunque modo Christus prædicetur, sive per invidos, sive per bonos, sive bona intentione, sive prava. » Cur igitur episcopi non gaudent similiter, quando a nobis Christus prædicatur, sed contradicunt nobis? Ad hoc dicimus: quod multum refert, a quibus Christus annuntietur: a Catholicis, vel non Catholicis. A Catholicis prædicatur Christus aliquando bonis, aliquando malis, id est invidis, vel habentibus odio fratres, hoc est modo pascunt oves Christi pastores boni, modo mercenarii. De his dicitur: « Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi, quæ dicunt vobis, facite: quæ autem faciunt, facere nolite (*Matth.* XXIII). » De bonis autem dicit Apostolus: « Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem (*Hebr.* XIII). » De non Catholicis vero, id est hæreticis, dicitur: « Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestibus ovium; intrinsecus autem sunt lupi rapaces (*Matth.* VII). » Et quasi quis quæreret, in quo discernerentur veri prophetæ a falsis, subdit Dominus: « A fructibus eorum cognoscetis eos (*ibid.*). » Quia fideles opprimunt, Deum, si non verbis, factis blasphemant. Maxime autem per impatientiam discernuntur in tempore adversitatis. Jejunia enim, et orationes, et hujusmodi, sunt simulatis, sicut et bonis. Igitur discernuntur, non in foliis, id est sermonibus tantum, sed in fructibus. Unde Apostolus: « Veniam cito ad vos, si Dominus voluerit, et cognoscam non sermonem eorum, qui inflati sunt; sed virtutem. Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute (*I Cor.* IV). » Quasi dicat: Non cognoscam eorum folia, sed fructus.

X. Præterea Christus est veritas, sicut idem ait: « Ego sum via, veritas et vita (*Joan.* XIV). » Quare, qui perversum dogma fingit et annuntiat, Christum non prædicat. Igitur Apostolus loquitur de malis Catholicis, id est mercenariis, sed tamen Christum, id est veritatem, annuntiantibus. Isti autem sua mendacia fabricant, et ideo juxta præceptum Domini, attendendum est ab eis, id est diligenter cavendum. Eis itaque prædicantibus, non gaudemus, quia Christum non prædicant, sed falsitatem. Et quia nec rectores sunt, nec mercenarii, sed lupi; quoniam pastores et audiendi sunt et imitandi, ut jam supra per apostolum probavimus. Mercenarii audiendi sunt, in his quæ verbo docent, ut fiant, non imitandi in opere, sicut Dominus, ait: lupi attendendi et vitandi. Unde Apostolus: « Rogo, fratres, ut observetis eos, qui dissensiones et offendicula, præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab illis: hujusmodi enim Christo Domino non serviunt, sed suo ventri: et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium (*Rom.* XVI). » Ecce, quia declinandi sunt tales, et quare? scilicet quia dissentire faciunt, a sensu scilicet fidelium credentes sibi removentes, et etiam offendere in proximum, cum scriptum sit: « Sine offensione estote Judæis et gentibus, et Ecclesiæ Dei (*I Cor.* X). » In his scilicet, quæ licet fieri et non fieri, « ut omnibus per omnia, » id est, vel faciendo, vel non faciendo, « placeatis (*ibid.*), » providete. Vel ideo dissensiones et offendicula simul jungit, quia quicunque aliud sentiunt, quam cæteri fideles, offendunt, « impingentes in lapidem offensionis et petram scandali. » Unde et Apostolus: « Peccantes in fratres, et percutientes eorum conscientiam infirmam, » exemplo scilicet, quod ab eis videtur, « in Christum peccatis (*I Cor.* VIII), » cujus membra sunt. Apostolus igitur jubet dissensiones vitari, cum ait: « Obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata. Sitis autem perfecti in eodem sensu, » idem volendi, « eadem scientia (*I Cor.* I), » idem credendi. Et rursum jubet etiam offendicula caveri, cum ait: « Hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum (*Rom.* XIV). »

XI. Igitur hæretici, qui faciunt dissensiones et offendicula, doctrinæ apostolicæ sunt contrarii, et ideo declinandi sunt.

XII. Rursum pro se inducunt illud, quod Moyses respondit Josue. Cum enim Josue duobus in castris remanentibus et prophetantibus vellet obsistere; ei per Moysem dicitur: « Quid æmularis pro me? Quis tribuat ut omnis populus prophetet: et det eis Dominus spiritum suum (*Num.* XI). » Ecce, inquiunt hæretici, Moyses non invidit prophetantibus, imo desideravit, ut omnis populus prophetaret. Clericorum autem ordo obsistit nobis et invidet prophetantibus, id est exponentibus mysteria verbi Dei. Prophetia quippe est futurorum prænuntiatio, vel absconditorum revelatio, seu occultorum mysteriorum expositio. Sunt igitur clerici similes non Moysi, sed Josue. Et quia sanctorum vestigiis non inhærent, sed invidorum, peccant, et contra nos audiendi non sunt.

XIII. Ad hoc nos dicimus, quia sicut et Moyses, vellemus, ut omnis populus prophetaret, et daret eis Dominus spiritum suum, ut veritatem, quam nos loqui non sufficimus, ora cunctorum sonarent: « Sed unusquisque proprium donum habet a Deo, alius quidem sic, alius vero sic. Quosdam enim dedit apostolos, quosdam autem prophetas, alios

vero evangelistas, alios autem pastores et doctores (*I Cor.* vn). » Simile est quod Apostolus ait: «Volo omnes homines esse sicut me ipsum (*ibid.*); » scilicet continentes, « sed unusquisque habet proprium donum ex Deo, etc. » Deus autem dissensionis non est, sed pacis, sicut in omnibus ecclesiis sanctorum, docet Apostolus. Ergo prophetia omnibus data non est. Et dicimus illis non esse datam. Prophetia enim donum Dei est; isti vero dissensionem et offendicula faciunt, sicut supra dictum est. Quare in eis Deus non est, qui in pacificis et concordibus habitat. Unde Apostolus : « Pacem habete; et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum (*II Cor.* xIII). » Et alibi : « Supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis (*Ephes.* IV). » Isti autem pacem Catholicam nec habent nec amant, sed in populo Christiano dissensionem et discordiam faciunt : ideo quod quidam eos sequuntur, quidam hæsitant, an eos an vero viros catholicos sequi debeant. Quare in eis unitas Spiritus non est, quæ in vinculo pacis servatur.

XIV. Non ergo invidemus eis prophetantibus; quia prophetæ non sunt, nisi forte falsi; de quibus Dominus : «Attendite a falsis prophetis,» etc. (*Matth.* VII.) Et de hujusmodi Jeremias populo Israelitico : « Prophetæ tui videbant tibi falsa, non aperiebant iniquitatem tibi, ut te ad pœnitentiam provocarent (*Thren.* II). » Tales sunt isti, qui populo Christiano viderunt, et prædicant falsa. Et cum scriptum sit : « Clama, ne cesses, annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum (*Isa.* LVIII); » isti econtrario, non annuntiant fidelibus crimina quæ perpetrant quidam, non ad pœnitentiam eos provocant. Merito igitur repelluntur quasi pseudoprophetæ. Et certe Dominus ait : « Surgent pseudochristi, et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi (*Matth.* XXIV). » Temporibus novissimis pseudochristi signa dabunt, et ideo multos seducent. Nec mirum, cum isti qui nulla signa faciunt, multorum fides subvertant; et per dulces sermones seducant corda innocentum.

XV. Ad hoc dicunt quod multi laici, verbum Dei in populo fideli disseminaverunt, sicut fuit beatus Honoratus, et sanctus Equitius, quorum meminit sanctus Gregorius in libro Dialogorum, et in his temporibus sanctus Raimundus, cognomento *Paulus;* ad cujus sanctitatem approbandam, multa fiunt miracula. Denique et primi apostoli idiotæ et sine litteris (*Act.* IV) fuerunt. Et isti omnes, licet laici, verbum Dei prædicaverunt. Quare et nos eorum actus imitantes, repellendi non sumus, imo audiendi.

XVI. Sed ad hoc respondemus, quod revera apostoli, ante vocationem, sine litteris fuerunt; sed « aperuit Dominus eis sensum, ut intelligerent Scripturas (*Luc.* XXIV), » et Spiritum sanctum infudit; et ipsemet misit eos prædicare regnum Dei. Præterea non errores, sed fidem Catholicam et præcepta Domini prædicabant. Et quia nova et inaudita miracula, per Dei gratiam fecerunt : « Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis (*Marc.* XVI). » Sed isti sacras litteras non intelligunt, sicut Apostolus ait : quod « quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quid loquuntur, neque de quibus affirmant (*I Tim.* I). » Non intelligunt, quia carent fide, sine qua nemo potest donum intelligentiæ habere, sicut scriptum est : « Nisi credideritis, non intelligetis (*Isa.* VII). » Item, non intelligunt, quia non faciunt. Si facerent quæ scripta sunt, bene intelligerent, sicut scriptum est : « Intellectus bonus omnibus facientibus eum (*Psal.* CX). » Idem est quod vinea ablata est colonis non reddentibus fructum, et data aliis agricolis, qui reddant fructum temporibus suis. Et talentum est ablatum servo pigro, qui noluit negotiari. Hinc et Dominus Judæis : « Auferetur a vobis regnum Dei, » id est sacræ Scripturæ intelligentia; « et dabitur genti, facienti fructus (*Matth.* XXI). » Spiritum vero sanctum non habent, quia a sancta Ecclesia recesserunt; extra quam nulli datur. Inde est quod Dominus ait discipulis : « Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto (*Luc.* XXIV). » Ecclesia quippe est civitas regis magni, in qua qui sedent, id est humiles, induuntur virtute Altissimi. Unde et Spiritus vehemens « replevit totam domum, ubi erant sedentes (*Act.* II), » id est sanctam Ecclesiam, ubi humiles recipiunt Spiritum sanctum. Scriptum est enim : « Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem, et quietum et trementem sermones meos? » (*Isa.* LXVI.) Ipsi vero humiles non sunt, dum rectoribus ecclesiarum se præferunt. Econtra humilis David, superbum regem sibi prætulit, cum ait : « Quem persequeris, rex Israel, quem persequeris? canem mortuum et pulicem unum (*I Reg.* XXVI). » Notandum, quam humiliter de se senserit, cum se *canem mortuum et pulicem unum* nominaverit. Et quid de Saule, licet reprobato a Deo, quem regem Israel vocavit? Hinc tam hæretici quam alii superbi Christiani attendant, quantum debeant deferre potestatibus ecclesiasticis, vel sæcularibus, quarum merita apud Deum ignorant, si sanctus David tantum veneratus est superbum regem, quem sciebat reprobatum a Deo, seque electum ad regni gubernacula.

XVII. Præterea, ambulant inquiete, « nil operantes, » sicut Apostolus ait de eorum similibus, sed « curiose agentes, » scilicet de alienis, quibus Apostolus jubet, « ut cum silentio operantes, suum panem, » id est proprii laboris, « manducent (*II Thess.* III), » non alienum. Cum ergo superbi sint, et inquieti, non requiescet super eos Spiritus sanctus, qui humiles et quietos inhabitat.

XVIII. Quod vero de sanctis laicis opponunt, quia verbum Dei prædicaverunt; nullo modo objicerent, si verba sancti Gregorii attenderent. Ait enim de sancto Honorato, quod virtute abstinentiæ, humilitate aliisque virtutibus, et insuper miraculis fulsit; itemque ingentis saxi molem venientem super cellam, et interempturam fratres, invocato Christi nomine et signo crucis, per manum dexteram extensam opposito fixit. Hunc alicujus fuisse disciplinæ, se non audisse, testatur Gregorius. In quo hæretici inhærent, dicentes, se instar illius, post se habere discipulos: licet nullum magistrum habuerint. Sed attendant, quæ subdit sanctus Gregorius. Ait enim: « Usus rectæ conversationis est, ut præesse non audeat, qui subesse non didicerit. » Et idem ait: « Quod hæc libertas in exemplum non est trahenda: ne dum quisque se similiter sancto Spiritu impletum, id est non humano magisterio edoctum præsumit, discipulus hominis esse despiciat, et magister erroris fiat, » etc. Et item: « Hæc infirmis veneranda sunt, non imitanda. »

XIX. Sanctus quoque Equitius ab angelo edoctus est, et missus. Nocte quippe speciosus juvenis per visionem ei astitit, et in lingua phlebotomum posuit dicens: « Ecce verba mea posui in ore tuo, egredere ad prædicandum. » Sanctus iste castitate, oratione, animarum zelo, doctrina, humilitate, prophetia et potestate in effugandis spiritibus immundis fulsit. Non est igitur mirum, si iste a Deo edoctus et missus, et tot pollens virtutibus, licet sacrum ordinem non haberet, prædicavit. Sane hujus viri exemplo discant hæretici, quod debeant sine mora obedire et summo pontifici, et episcopis. Vocatus enim a Romano pontifice per Vitalianum defensorem, protinus gratias egit Deo; et illico jussit hora eadem jumenta parari; et Vitalianum vehementissime urgere cœpit, ut eadem hora exire debuissent. Sed quia Vitalianus ex itinere lassatus erat, ad ejus nutum, nocte illa remanserunt. Mane vero facto summus pontifex per alium nuntium mandavit, ut famulus Dei Equitius de monasterio non moveretur. Quo audito, servus Dei, quamvis contristatus, quia non perrexerant, remansit. Ecce, iste sanctus Romano pontifici obediens est, et in eundo, et in remanendo.

XX. Item, eumdem Dei famulum Cadorius episcopus rogavit, ut in congregatione sua susciperet quemdam nomine Basilium, qui in magicis artibus primus, Roma fugiens, in monachico habitu Valeriam petit. Rogatus igitur sanctus Equitius respondit episcopo: « Hunc, quem mihi commendas, pater, non video monachum esse, sed diabolum. » Et episcopus ait: « Occasionem quæris, ne debeas præstare, quod peteris. » Cui sanctus Equitius: « Ego quidem hoc eum denuntio esse, quod video; ne tamen nolle me obedire existimes, faciam quod jubes. » Susceptus igitur in monasterio est. Post dies vero non multos, absente Dei famulo, idem Basilius suis magicis artibus dementavit quamdam virginum sanctimonialium, quibus Equitius præerat. Illa quoque virgo febrire cœpit, ac dixit se statim morituram, nisi Basilius (monachus) adveniret et curaret eam. Missum itaque est repente et Dei famulo nuntiatum, qui et virginem protinus curavit: et Basilium, evidenter a fratribus cognito, quod esset maleficus, a congregatione ejici fecit. Ecce, et episcopo obediens exstitit, in susceptione Basilii; licet per spiritum prophetiæ cognosceret, esse maleficum. His igitur exemplis discant hæretici obedire et Romano pontifici, et cæteris episcopis.

XXI. Sane, quod allegant de sancto Raimundo Paulo, quia cum laicus esset prædicaverit, et Ecclesia eum receperit, verum est. Sed vir catholicæ conversationis, ut dicitur, honeste, permittentibus episcopis, prædicavit, nullum inducens errorem, sed in omnibus orthodoxus, rectoribus ecclesiarum obediens, toto studio ad colligendas Deo animas inardescens, hæreticorum, pro *scire* et *posse* acerrimus expugnator; super fluvium rapidissimum, qui dicitur Durentia, ex eleemosynis fidelium pontem construens, et transitum ab omni exactione, ut dicitur, liberum peregrinis cunctisque viatoribus redimens; cui operi pio, in loco, qui dicitur Boni Pas, cum aliis indigentibus, pro temporis opportunitate vacavit. Desinant ergo hæretici, hunc virum catholicum, pro sui erroris defensione inducere, a cujus vestigiis tam procul deviare noscuntur.

XXII. Hæc diximus, ad confutandas rationes hæreticorum, ostendendo etiam auctoritates sanctarum Scripturarum, quas teste apostolo Petro, ad suam perditionem depravant, qualiter sint intelligendæ. Nunc vero studii sit nostri, proferre in medium, cooperante Spiritu sancto, et auctoritates et rationes, quibus luce clarius constet, eos non debere prædicare verbum Dei, nec a fidelibus esse audiendos.

CAPUT V.

Quod non licet eis verbum Dei ministrare fidelibus.

I. Et quoniam de laicis quæstio est, an verbum Dei seminare valeant in populis; distinguendum est: an sint Catholici, vel non. Nimirum, si sint Catholici, et honestas vitæ eos commendet; si sermo eorum sit sale sapientiæ conditus; et juxta capacitatem singulorum, verbi mensuram dispensare noverunt, certoque loco præfuerint, aut sub obedientia veri Catholici fuerint, secundum quantitatem profectus sui, in scientia, vel opere ad nutum episcoporum, vel presbyterorum, in quorum territorio fuerint, proximos exhortari, ut arbitror, poterunt; si tamen uxoribus alligati non fuerint, nec eos pondus terrenæ sollicitudinis oppressit. Sane, si vita eorum reprehensibilis fuerit, eos audiri necesse non est. Quod enim Dominus ait: « Quæ dicunt, facite, » non est dictum, nisi de his qui sedent su-

per cathedram Moysi, id est de magistris et doctoribus divinæ legis, quos Deus præfecit populo suo. « Peccatori autem dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? » (*Psal.* XLIX.) Hinc etiam David dictum est : « Non ædificabis tu mihi domum; quia vir sanguinum es (*II Reg.* XVI). » Vir sanguinum templum Dei ædificare prohibetur, quia qui adhuc factis carnalibus incubat, necesse est ut instituere spiritualiter proximorum mentes erubescat.

II. « Sermo quoque in gratia semper sit sale sapientiæ conditus, » secundum Apostolum, « ut sciat quomodo oporteat unicuique respondere (*Col.* IV). » Aliter scilicet idiotæ, aliter litterato, aliisque personis. Sed quando hoc laicus distinguere poterit, cum ad hanc scientiam vix cleri pertingant? Et quidem cibus non est aptus, nisi sale conditus; nec sermo est utilis, sine documento sapientiæ. Unde in Levitico : « In omni oblatione offeres sal (*Lev.* II); » id est in omnibus dictis vel factis apostolicam sapientiam habeas. Si ergo apostolicam sapientiam in dictis et factis non habeat, sermo ejus est inutilis, et ideo vitandus. Apostolus enim ait ad Timotheum : « Profana, » id est hæreses, « inaniloquia devita (*II Tim.* II), » id est (quæ sunt) sine fructu, etsi non ita mala, ut profana. « Multum enim proficiunt ad impietatem, » id est contra cultum Dei ; « et sermo eorum, ut cancer serpit (*ibid.*), » paulatim, quæ sana sunt corrumpendo.

III. Ad hæc, qui docet, debet attendere capacitatem audientium, ut mensuram tritici id est divini verbi dispenset, « sicut Deus divisit unicuique mensuram fidei (*II Cor.* X). » Unde Apostolus jubet prophetiam, id est occultorum revelationem ministrari secundum rationem fidei, id est mensuram fidei eorum, quibus manifestari debent occulta; ne velut imperfecta, altioribus suffocetur; vel adulta his, quibus est perficienda, frustretur Alioqui, si in ejus verbo auditor offenderit, apud Deum reus tenebitur doctor. Unde in lege scriptum est: « Si quis aperuerit cisternam, et foderit, et non operuerit eam, cecideritque bos vel asinus in eam, dominus cisternæ reddet pretium jumentorum (*Exod.* XXI). » Cisternam aperire est Scripturæ sacræ arcana penetrari per intellectum. Ille vero cooperit, qui sublimes sensus Scripturæ, coram non capientibus, per silentium tegit. Quisquis autem apud bruta audientium corda non contegit, pœnæ reus addicitur; si per verba ejus in scandalum sive munda, sive immunda mens capitur.

IV. Præterea, si certo loco præfuerint, aut per obedientiam subjacuerint, evidentius innotescunt, et quia sanctæ Ecclesiæ obedientes sint, apertius liquet; cum omnis fere locus in aliqua sit diœcesi, omnisque diœcesis fere limites proprios habeat. Nec hoc solum, sed etiam in qualibet diœcesi constitutæ ecclesiæ propriis limitibus distinguantur diversi modo : quatenus, nec episcopus jura episcopalia, nisi in sua diœcesi ; nec sacerdos in parochia aliena potestatem habeant; cum scriptum sit : Nemo mittat falcem in alienam messem; id est fideles alii commissos nullus judicare præsumat. Et Apostolus : « Tu quis es, qui judicas servum alienum? suo domino stat, aut cadit (*Rom.* XIV). » Si ergo episcopus extra suam diœcesim, vel sacerdos extra suam parochiam potestatem suam exercere regulariter non possunt : quanto minus ignotus homo et laicus in messe aliena, id est in populo alii commisso, falcem verbi sine licentia episcopi vel sacerdotis, ad cujus curam pertinet, mittere poterit? Et certe in vinea non laboraverunt, Evangelio teste, nisi a patrefamilias conducti. Et in alio loco habetur, quod vineam suam locavit paterfamilias agricolis, qui reddent ei fructus temporibus suis. Et certe, licet ipsi non redderent fructus domino, sed econtrario servos ejus cæderent, occiderent et lapidarent, et in fine filium ejus occiderent ; nullus tamen præsumpsit vineam sibi mancipare, quandiu dominus toleravit eorum inutilitatem et malitiam. Quoniam in plebe commissa alii quamvis inutili, quamvis malo, quandiu ab Ecclesia toleratur, sine ejus nutu et licentia, cui credita est, nullus laborare, id est vites inutiles ejicere et fructuosas plantare, ligonem verbi ponere, vineam in superfluis putare, in necessariis propagare præsumit.

V. Denique, quis adeo demens est, ut oves alienas, domino inconsulto, pascere attentet? eo enim ipso suspectus est, quo se ipsum ingerit, maxime si ignotus est. Et iste est, qui « non intrat per ostium, sed ascendit aliunde, et est fur et latro. Fur autem non venit, nisi ut furetur, mactet et perdat (*Joan.* X). » Et certe, ut aiunt doctores, per ostium quis intrat, credendo Filium Dei : et imitando humilitatem ejus, amore ejus, non pro mercede aliis prædicando. Alioqui si infidelis est, vel superbus, vel quæ sua sunt quærat, non quæ Jesu Christi (*Phil.* II), fur est; quod alienum est, suum dicendo ; et latro, occidendo.

VI. Ex his omnibus videtur, nec clerico, nec laico, cujus habitatio ignoratur, (imo etiamsi sciatur, ubi habitet), esse licitum, vineam, id est plebem, et gregem alienum excolere, seu pascere, sine licentia episcopi vel presbyteri, ad cujus curam spectat. Et si quis forte præsumat, poterit ei illud objici : « Quis constituit te principem aut judicem super nos? (*Act.* VII.) » Teste Evangelio legitur, quod quidam de turba dixit Jesu : « Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem. At ille dixit ei, homo, quis me constituit judicem, aut divisorem super vos? (*Luc.* XII.) » Et, si in rebus transitoriis exigitur, ut judex constituatur; ne se quis sponte ingerat, quanto magis in divinis? Apostolo quoque teste : « Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron (*Hebr.* V). » Itaque volens ostendere in vocatione Dei fidem ex auditu verbi Dei, prædicationemque ex fonte divinæ gratiæ manare, ait : « Quomodo invocabunt in quem non crediderunt ; aut quomodo credent ei, quem non

audierunt; quomodo autem audient sine prædicante; quomodo vero prædicabunt, nisi mittantur? »(*Rom.* x.) Ex hac connexione probatur, quod nec invocant aliqui Deum, si non ei credant; nec credunt, si non audierint; nec audiunt, nisi eis aliqui prædicaverint; nec aliqui prædicare debent, nisi mittantur. Prius ergo est a Deo mitti, a quo bona cuncta procedunt; et sic Deo mittenti quisque obedire debet et prædicare. Sic nimirum Moyses mittitur a Deo filiis Israel, et post multas excusationes ne mittatur habitas, Deo in voluntate persistenti, obtemperat. Sic Isaias, sic et alii sancti prophetæ, non nisi missi populum Dei docuerunt.

VII. In Novo quoque Testamento, apostoli aliique discipuli a Domino missi sunt prædicare verbum Dei. Unde et apostoli dicuntur, id est *missi*. Apostoli quoque Paulus et Barnabas a Spiritu sancto missi sunt, discipulis tamen jejunantibus, orantibus et imponentibus illis manus, et segregantibus in opus, ad quod assumpti erant; nec prædicandi officium accipiunt, quo usque ista et a Deo et a discipulis facta fuerunt. Deinde apostoli per singulas ecclesias presbyteros constituerunt. Sanctus quoque Paulus præcipit Tito, ut per singulas civitates presbyteros, id est episcopos, constituat.

VIII. Ex his patet, quod quidam mittuntur a Deo tantum; quidam a Deo et homine; quidam, nec a Deo, nec ab homine. A Deo tantum, ut Moyses, Joannes Baptista, et præscriptus sanctus Equitius. Scilicet beato Gregorio teste: « Istorum libertas vitæ ab infirmis in exemplum non est trahenda; ne dum quisque se similiter sancto Spiritu impletum præsumit, discipulus hominis esse despiciat, et magister erroris fiat. » A Deo mittuntur et homine, ut apostoli a Christo, Deo scilicet et homine, et alii ab apostolis vel episcopis eorum locum tenentibus. Hinc est quod Apostolus ait episcopis, quos ipse constituerat: « Attendite vobis, et universo gregi, in quo Spiritus sanctus posuit vos episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo (*Act.* xx). » Ecce, sicut liber Actuum apostolorum refert, ipse constituerat, et tamen a Spiritu sancto missos ait: Sunt alii, qui a Deo non mittuntur; sed extremitate præsumptionis per se veniunt; et ut subtilius seducant, a Deo se missos mentiuntur; quibus vere potest illud propheticum coaptari: « Væ, qui prophetant de corde suo; qui ambulant post spiritum suum. Qui dicunt, dicit Dominus: et Dominus non misit eos (*Ezech.* xiii). » De quibus Salvator in Evangelio Joannis loquitur: « Omnes qui ante me venerunt, fures sunt et latrones (*Joan.* x). » Qui venerunt, non, qui missi sunt. Ipse enim ait: « Veniebant, et ego non mittebam eos. » In venientibus, præsumptio temeritatis; in missis vero, obsequium servitutis est. *Væ* igitur, id est æterna damnatio est his qui dicunt se missos, et non sunt; quasi mendacibus, furibus et latronibus, et præsumptuosis. Sane quia qui a Deo mittuntur, signa evidentissima habent; virtutes, scilicet charitatem,

A pacem, patientiam, continentiam, benignitatem, humilitatem, et ejus individuam comitem obedientiam. Hinc beatus Jacobus ait: « Quæ de sursum est sapientia, primum pudica est, deinde pacifica, modesta, suasibilis, bonis consentiens, plena misericordia, et fructibus bonis, non judicans, sine simulatione (*Jac.* iii). » Ecce evidentia signa sapientiæ a Deo datæ!

IX. Qui vero a Deo mittuntur et homine, habent testimonium apertum, quod missi sunt. Qui vero per se veniunt, nec sunt missi; nec habent testimonium hominis mittentis, nec Dei, si caruerint charitate, humilitate et obedientia; quæ, teste Beda, est individua comes humilitatis.

B X. Ex his omnibus certo certius est, eos, qui sacrum ordinem non habent, non facile in plebe Dei audiendos; id est nisi evidentia signa habeant, quod a Deo sunt missi. Et si rectoribus sanctæ Ecclesiæ obedientes non fuerint, patet, quod non sunt missi, sed per se venerunt. « Quia » enim « omnis potestas a Deo est; et quæ a Deo sunt, ordinata sunt, qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit; qui autem Dei ordinationi resistit, damnationem sibi acquirit (*Rom.* xiii). »

XI. Præterea, qui uxores habent, aut pondere terrenæ sollicitudinis opprimuntur, ad disseminandum verbum Dei idonei non sunt. Apostolo namque teste: « Qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est (*I Cor.* C vii). » Prædicator quippe verbi Dei ab omni cura terrena cor liberum habere debet, ut tanto perspicacius aliis fugienda videat, quanto hoc ipse per scientiam et vitam verius declinat. Non enim proprie maculam in rebus considerat oculus, quem pulvis gravat. Hinc enim Dominus ait primis sanctæ Ecclesiæ doctoribus: « Nolite portare sacculum, neque peram (*Luc.* x). » Quid autem per peram significatur, nisi onera sæculi? Hinc et primus Ecclesiæ pastor ait: « Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. Instituamus, » inquit, « super hoc opus viros boni testimonii, plenos Spiritu sancto, et sapientia, nos orationi, et ministerio verbi instantes erimus (*Act.* vi). »

XII. Cum igitur omnia supra dicta in doctore D divini sermonis attendenda sint, formidolosum est committere laico talentum verbi, maxime cum hoc commissum sit sacerdotibus, scilicet docere omnia legitima, quæ præcepit Deus filiis Israel per manum Moysi, Malachia dicente: « Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus; quia angelus Domini exercituum est (*Mal.* ii). » Hæc dicta sunt, si laicus fuerit Catholicus; scilicet, ut sine licentia episcopi vel presbyteri, in ejus messe, id est plebe, falcem verbi non mittat, nec familiæ, super quam Dominus eum non constituit, det tritici mensuram, aut se ingerens gregem pascat alienum, aut in vinea laboret aliena non vocatus

CAPUT VI.

Respondetur objectioni, qua dicunt cum Apostolo: Obedire oportet Deo, non hominibus; *et de quibusdam aliis.*

I. Sane sive laicus, sive clericus in hæresim lapsus fuerit, a fidelibus audiendus non est, sed vitandus. Hæreticus vero est, qui antiquam, seu alterius hæresim sequitur, vel novam fingit. Tales sunt qui dicunt, non esse obediendum episcopis, sacerdotibus, nec, quod dictu horribile est! sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Istos tales hæreticos esse seu infideles, ex eo constat, quod supra dictum est: « Sola enim est obedientia, quæ fidei meritum possidet; » qua sine, quisque infidelis convincitur, etsi fidelis esse videatur.

II. Sed, inquiunt, obedimus Deo, non hominibus, sequentes Petrum qui dixit: « Obedire oportet Deo magis quam hominibus (*Act* v). » Dominus quippe præceperat discipulis dicens: « Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ (*Marc.* xvi). » Principes vero sacerdotum et magistratus templi, et seniores prohibuerant, ne docerent, aut loquerentur in nomine Jesu. Videns ergo Petrus Christum jussisse, ut docerent omnem creaturam: et econtra, principes Judæorum prohibuisse, dixit: « Obedire oportet Deo magis quam hominibus. »

III. Sed ex hac scriptura præscripti hæretici errorem suum defendere nequeunt. Non est enim eis a Deo injunctum, ut doceant. Illi enim, quos Dominus mittit sicut prædictum est, evidentia signa humilitatis, cujus individua comes est obedientia, et charitatis, aliarumque virtutum et miraculorum habent: « Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis (*Marc.* xvi). » Hæc signa illi non habent; quare nec a Deo missi sunt, nec loqui debent. Unde, cum beatus Job vocasset amicos suos, in specie hæreticorum, « fabricatores mendacii, et cultores perversorum dogmatum, » subdit: « Utinam taceretis, ut putaremini sapientes! » (*Job* xiii.) Item: « Nunquid indiget Deus vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos? (*ibid*) » Et item: « Nunquid habebunt finem verba ventosa? » (*Job* xvi.) Et rursum: « Rugæ meæ testimonium dicunt contra me: et suscitatur falsiloquus contra faciem meam contradicens mihi (*ibid.*). » Et item: « Verbosi amici mei (*ibid.*). » Et item: « Attendite ad me, et obstupescite, et superponite digitum ori vestro (*Job* xxi). » Et item: « Responsio vestra ostensa est repugnare veritati (*ibid.*). » Dominus quoque dixit ad Eliphaz Themanitem: « Iratus est furor meus in te, et in duos amicos tuos; quia non estis locuti coram me rectum sicut servus meus Job (*Job* xlii). » Teste vero Gregorio, Job habet typum sanctæ Ecclesiæ, et ejus amici figuram hæreticorum; qui eo dicuntur *amici*, quod sanctæ Ecclesiæ in quibusdam sacramentis communicant; sed in erroribus, quos sectantur, vel fingunt, dicuntur *fabricatores mendacii*. Et quia in ipsis de-
A fendendis laborant, dicuntur *cultores perversorum dogmatum*. Et quoniam eorum malitia latet, vocantur *rugæ*, qui dicunt testimonium contra sanctam Ecclesiam, dum eam simul oppugnant, non rationibus, sed sermonibus falsis et inutilibus; et ideo dicuntur *falsiloqui et verbosi*, et eorum verba *ventosa*. Et ideo eis expedit tacere. Unde, et optat Job ut taceant; et ut superponant digitum ori, et attendant rectores sanctæ Ecclesiæ loquentes; implentes illud Jacobi (cap. i): « Sit autem omnis homo velox ad audiendum, et tardus ad loquendum. »

IV. Provocant vero iram Dei in se, quia aliter quam sancta Ecclesia, docent. Qua de re, nec eorum sacrificia, nec orationes Deus suscipit; sed, si
B eis pœnitentibus sancta Ecclesia pro eis offerat, vel oret, suscipit. Unde et Dominus ait amicis Job: « Sumite vobis septem tauros, et septem arietes, et ite ad servum meum Job; et offerat holocaustum pro vobis; Job autem servus meus, orabit pro vobis; faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur in stultitiam. Neque enim locuti estis coram me rectum, sicut servus meus Job. Et fecerunt sicut fuerat ad eos locutus Dominus; et suscepit Dominus faciem Job, et conversus est ad pœnitentiam Job, cum oraret ille pro amicis suis (*Job* xlii). »

V. Desinant ergo hæretici verbosari; et relicto superbo principatu, quasi immolatis tauris et arietibus, pœnitendo ad sanctam redeant Ecclesiam;
C quæ sacrificiis et precibus, pro eorum erratibus intercedit; quoniam, extraneam, nullius sacrificium, vel oratio suscipitur.

VI. Apostolos igitur a Deo esse missos, vitæ honestas, miraculorum novitas, doctrinæ integritas testabantur. Qua de causa, Judæis infidelibus, Domini crucifixoribus, ac discipulorum persecutoribus, præcipientibus aliud, ut scilicet nomen Domini exstingueretur, quasi blasphemantibus Deum, apostoli obedire non debuerunt; sed Domino cooperanti, et sermonem confirmanti sequentibus signis, qui et eos miserat. Sed econtra, præscripti omnino Deo non obediunt, et insuper obediunt infidelibus hominibus, id est hæresiarchis; quidam vero, nec Deo, nec hominibus. Deo quippe non
D obedire ex eo constat, quia non obediunt, quibus Dominus jussit obediri, scilicet qui sedent super cathedra Moysi, id est episcopis et sacerdotibus, qui locum Moysi tenent, dum populo Dei præsunt, regunt et Dei præcepta docent, ac perversos corripiunt. Hinc scriptum est: « Super cathedram Moysi sedent Scribæ et Pharisæi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis, servate et facite (*Matth.* xxiii). » Præterea Apostolus ait: « Obedite præpositis vestris, et subjacete eis (*Hebr.* xiii). » Et Petrus: « Adolescentes, subditi estote senioribus (*I Petr.* v). » Seniores vero vocat pastores gregis; de quibus supra dixerat: « Pascite, qui in vobis est, gregem Dei (*ibid.*). »

VII. Ex his certissime apparet, prænominatos

hæreticos nec Deo, nec apostolis obedire. Quidam vero in reprobum sensum traditi, hominibus perfidis, ut hæresiarchis obediunt, contemptis pastoribus Catholicis. Alii, quasi oves sine pastore, nullius obedientiæ subjacent, quod lex Dei vocat « filios Belial (*III Reg.* xxi), » hoc est « absque jugo. » Sane Dominus oves, quas per se paverat, ascensurus ad cœlos, non sine pastore reliquit; sed beato Petro commendavit dicens : « Simon Joannis diligis me plus his? pasce oves meas (*Joan.* xxi). » Quo exemplo instructi apostoli atque apostolici viri, per successiones temporum fidelibus Dei pastores præficere curaverunt. Nam et grex sine pastore perit, et exercitus sine duce, et urbs sine domino, et regio sine rectore dissipatur, sicut scriptum est : « Ubi non est gubernator, corruit populus (*Prov.* xi). »

VIII. Ex his et hujusmodi attendant inimici veritatis, quantum desipiant, qui sine gubernatore Deo, vel homine exsistere præsumunt. Ex verbis igitur beati Petri, quibus se obedire Deo, non hominibus, astruere nitebantur, quasi Goliath proprio gladio jugulantur; dum nec Deo, nec hominibus catholicis obedire convincuntur. Eapropter, quasi infideles, et anathematizati, vitandi sunt, nec salutandi, nec in communionem recipiendi; sed fugiendi, et de medio tollendi. Hinc Apostolus ait : « Nolite jugum ducere cum infidelibus : quæ enim participatio justitiæ cum iniquis? Aut, quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli, cum infideli? qui autem consensus templo Dei, cum idolis? » (*II Cor.* vi). Item idem Apostolus : « Sed licet nos, aut angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus et nunc iterum dico : « Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit (*Gal.* i). » Et idem : « Hæreticum hominem post unam et alteram correptionem devita, sciens quia subversus est qui hujusmodi est; » id est perditus est, qui et ita incorreptibilis, « et delinquit proprio judicio condemnatus (*Tit.* iii). »

IX. Alii judicio Ecclesiæ, ab ea, pro suis criminibus ejiciuntur; sed hæretici suo judicio ab ea recedunt. Idem præcipit Thessalonicensibus : « Ne commisceantur ei, qui non obedierit verbo (*II Thess.* iii) » ejusdem Apostoli. Hinc et beatus Joannes : « Omnis qui recedit, et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet (*II Joan.* ix). » Et post pauca : « Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum; nec ave ei dixeritis. Qui enim dicit ille ave, communicat operibus malignis (*II Joan.*, x). » Hinc et beatus Paulus : « Denuntiamus vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis (*II Thess.* iii) » Et item : « Profana, et inaniloquia devita : multum enim proficiunt ad impietatem, » etc. (*II Tim.* ii.) Et iterum : « Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci (*Hebr.* xiii). » Et item : « Auferte malum ex vobis ipsis (*I Cor.* v), » quod fit, cum malus homo a communione Ecclesiæ per disciplinam ecclesiasticam ejicitur. Et item : « Currebatis bene, quis vos impedivit veritati non obedire? Nemini consenseritis. Persuasio enim non est ex eo, qui vocat vos, » scilicet Deo, « sed ex diabolo. Modicum fermentum totam massam corrumpit (*Gal.* v). » Et item : « Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem et redarguite (*Ephes.* v). » Et iterum : « Nemo vos decipiat in sublimitate sermonum (*Col.* ii), » quæ scilicet non est, nisi in verbis. Et iterum Joannes : « Nolite credere omni spiritui; sed probate spiritus, si ex Deo sunt (*I Joan.* iv). » Et beatus Petrus : « Charissimus frater noster Paulus, secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut et in omnibus Epistolis : in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, et instabiles depravant, sicut et cæteras scripturas, ad suam ipsorum damnationem. Vos igitur, fratres, præscientes, custodite vosmetipsos, ne insipientium errore traducti, excidatis a propria firmitate (*II Petr.* iii). »

X. Hæc sacrarum Scripturarum verba, quasi commonitoria salutis fidelibus Christi cogitanda, memoriterque retinenda excerpsimus; ut aperte sciant, non esse participationem, seu societatem habendam cum perfidis hæreticis, nec audiendos, quasi anathematizatos, sed vitandos quasi perditos et manifeste incorrigibiles, nec eis commiscendum esse, quasi inobedientibus, nec salutandos, aut in domum recipiendos, quasi antichristos, sed quasi profanos et inaniloquos devitandos. Trahunt nempe ad impietatem et more cancri, paulatim sana membra, id est fideles, corrumpunt, atque quasi fermentum eos, qui sibi participant, quasi massam similæ, amissa naturali dulcedine Catholicæ unitatis inflant ad superbiam, et acidos reddunt, id est sibi conformes mente, sed et mente corruptos, ut ait Apostolus, et qui veritate privati sunt, existimantes quæstum esse pietatem, dum pro quæstu, non pro futuris prædicant. Hinc est quod non est eis communicandum, sed magis sunt redarguendi.

XI. Unde et Apostolus utens verbis Isaiæ, quasi filiis ait : « Exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus. Et immundum ne tetigeritis. Et ego recipiam vos, et ero vobis in patrem, et vos eritis mihi in filios et filias, dicit Dominus omnipotens (*II Cor.* vi). » Separatur a malis, qui eorum opera non imitatur. Immundum non tangit qui peccatis non consentit. Exit, qui ore non parcit, sed quantum licet, corrigit. Hæc est cœlestis vox, quam Joannes audivit dicentem : « Exite de illa, populus meus, et ne participes sitis delictorum ejus, et de plagis ejus non accipiatis : quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum, et recordatus est Dominus iniquitatum ejus (*Apoc.* xviii). » Hic duobus modis non maculant nos, si eis non consentimus; sed redarguimus, quasi agentes opera tenebrarum,

et quasi depravatores sanctarum Scripturarum, quasi infideles et insipientes, et corruptores mentium, et quasi lupos spirituales, qui rapiunt et dispergunt gregem Domini, sicut scriptum est: « Intrinsecus sunt lupi rapaces (*Matth.* VII). » Habentes animum venenatum, et intentionem, et exterius si copia detur, persequendo, et interius corrumpendo, et more spinarum, vel tribulorum, cruentantes eos, qui sibi appropinquant, et conscindentes, sicut scriptum est: « Nunquid colligunt de spinis uvas? aut de tribulis ficus? » (*Matth.* VII.)

CAPUT VII.

Declaratur, quos maxime seducant, quos non.

I. Ostenso, quantum noceant hæretici in populo Dei, videamus, cooperante Spiritu sancto, quos maxime seducant.

II. Seducunt ergo mulieres, viros, non viriliter, sed muliebriter agentes: imperitos, mendaces; eos, qui non obediunt veritati, sed consentiunt iniquitati; avaros; denique eos, qui non habent signum in frontibus suis, id est charitatem in cordibus. Seducunt mulieres prius, per eas viros; ut diabolus prius Evam, et per eam Adam. Sic et Job per ejus uxorem subvertere voluit dicentem: « Adhuc permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, et morere (*Job* II). » Sic et per uxorem Pilati dicentem ei: « Nil tibi et justo illi: multa enim passa sum hodie per visum propter illum (*Matth.* XXVII). » Mysterium passionis Domini voluit impedire, ne per ejus mortem, amitteret imperium. Hinc Apostolus de pseudochristis et hæreticis ait Timotheo: « Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes; et hos devita. Ex his enim sunt, qui penetrant domos; et mulierculas ducunt captivas, oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis (*II Tim.* III). »

III. Ecce patet, quia seducunt non firmos, sed mulieres seductibiles, dignas seduci, utpote oneratas peccatis. Seducunt et viros femineæ debilitatis, sicut scriptum est: « Congregatio taurorum in vaccis populorum (*Psal.* LXVII). » Tauros vocat hæreticos; qui sunt superbi et indomiti cum vitiis; qui congregantur in vaccis populorum, hoc est in illis, qui facile possunt seduci.

IV. Seducunt et imperitos. Unde in Proverbiis: « Mulier stulta et clamosa, plenaque illecebris vitiorum, et nihil omnino sciens, etc., » ait: « qui est parvulus, declinet ad me (*Prov.* IX). » Mulier stulta et clamosa est hæretica pravitas. Stulta scilicet per fatuum intellectum; et clamosa per garrulitatem; « plenaque illecebris vitiorum; et nihil omnium sciens, » ait: « qui est parvulus declinet ad me. » Parvulus est omnis stultus, deficiens sensu.

V. Seducunt et innocentes, scilicet simplices. Unde Apostolus: « Per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium (*Rom.* XVI). » Seducunt et corde humiles; unde in Proverbiis: « Generatio quæ pro dentibus gladios habet, et commandit molaribus suis, ut comedat inopes de terra, et pauperes (*Prov.* XXX). » Ex omnibus hæretici pro dentibus gladios habent; quia eorum pravi doctores percutere magis quam mederi, occidere potius quam vivificare noverunt. Hi inopes de terra comedunt, dum quosdam sensu tardiores seducendo, in suo corpore velut mortuos tangunt. Similiter et pauperes ex omnibus, hoc est corde humiles, de congregatione fidelium supplantare conantur.

VI. Seducere nituntur rectos corde. Unde: « Ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde (*Psal.* X). » Peccatores, id est hæretici, intenderunt arcum, hoc est scripturam Veteris et Novi Testamenti ad se detorserunt, juxta suum errorem eam interpretantes; *et paraverunt sagittas suas*, hoc est venenata verba in corde; et hoc ideo, *ut sagittent rectos corde in obscuro*, id est in ambiguis. Vel sic: *in obscuro*, id est in simplici sensu, et propter carnales et imperitos obscurato. Vel, *in obscura luna*, id est Ecclesia, quæ obscurata fuit in exordio fidei, vel quæ obscuratur nebulis blasphemorum; vel, cum cædibus martyrum cruentatur. In hac obscuritate sagittant hæretici. Quia sciunt hæc tempora decipiendis infirmis accommoda. Illis autem subversis, arbitrantur etiam sic attrahere rectos corde. Vel, filii Ecclesiæ dicuntur obscura luna, dum peccant; in qua hæretici sagittant; cum per tales ministros Ecclesiæ sacramenta præparent per quos quosdam infirmos decipiunt, cum ministrorum merita attendere suggerunt.

VII. Ex his patet quod seducunt infirmos et inscios. Quod ne fiat, Apostolus admonet dicens: « Ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia, ad circumventionem erroris (*Ephes.* IV). » Non simus, inquit, garruli intellectu; *fluctuantes*, id est modo bene, modo male agentes; *et circumferamur*, alio urgente omni vento doctrinæ. Doctrina pravorum, quasi ventus tempestatis impellit ignorantem et infirmum ad perditionem, id est naufragium. Quæ doctrina fit in nequitia et astutia hominum, id est per homines nequam in se, et ad simplicium deceptionem astutos; quorum doctrina semper fit ad circumventionem erroris; hoc est ut aliqua circumventione in errorem inducant. Hinc ergo alibi ait: « Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas, » etc. (*Ephes.* V). Et iterum: « Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote, sensibus autem perfecti estote (*I Cor.* XIV). »

VIII. Sane sapientes et fortes non seducunt. Unde in Proverbiis: « Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum (*Prov.* I). » Oculi pennatorum, animæ sunt beatorum, virtutum pennis suffultæ; quæ acuto visu cœlestia contemplantes, ad superna evolant. Ante quorum intuitum frustra ab impiis deceptionis rete prætenditur; quia divinitus adjutæ, cunctos

eorum laqueos facile transcendentes, ad supernam pertranseunt scientiam.

IX. Seducunt et eos, qui veritatem, seu charitatem non recipiunt. Vel, si recipiunt, non recipiunt ut salvi fiant; et eos, qui consentiunt iniquitati. Unde Apostolus volens de diabolo, qui jam per pseudochristos operatur mysterium iniquitatis, ostendere, quos decipiat per Antichristum, ait : « Destruet illustratione adventus sui eum, cujus est adventus secundum operationem Satanæ in omni virtute et signis, et prodigiis mendacibus et in omni seductione iniquitatis, iis qui pereunt : eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qui non veritati, sed consenserunt iniquitati (*II Thess.* II) »

X. Et Dominus in Evangelio Joannis : « Ego veni in nomine Patris mei et non accipitis me. Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis (*Joan.* v). » Ecce qui veritatem, quæ Christus est, non recipit, districto Dei judicio, credit mendacio et recipit erroris operatorem : et qui veris Dei signis non credidit, credit mendacibus ut qui a veritate se elongavit et ejus signis; jungitur mendaci per mendacia signa. Unde et David de reprobis : « Secundum opera manuum ejus tribue ipsis : redde retributionem eorum ipsis; quoniam non intellexerunt opera Domini, et in opera manuum ejus destrues illos et non ædificabis eos (*Psal.* XXVII). »

XI. Denique seducunt eos, in quibus non est signum Dei, id est charitas, seu virtus fidei. Unde in Apocalypsi præceptum est in specie hæreticorum locustis, ne læderent fenum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis. Quid heic terra significat, nisi sanctam Ecclesiam, sicut scriptum est : « Terra in æternum stat? (*Eccle.* I) » Hujus terræ fenum, sunt incipientes, adhuc formidantes æstum tribulationum; sed tamen fidei et unitati Ecclesiæ totis radicibus pro posse inhærentes. Viride vero quid aliud significat, nisi eos, qui virorem sui ostendunt, qui vitam fidei operum profectibus ostendunt? Quid vero arbor significat, nisi contemplatione et operum seu virtutum excellentia sublimes?

XII. His igitur tribus fidelium generibus hæretici non nocent; sed his, qui non habent « signum Dei » id est charitatem. « In quo, » ut beatus Joannes ait, « manifesti sunt filii Dei et filii diaboli (*I Joan.* III). » Et Dominus : « In hoc cognoscent, quia mei eritis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem (*Joan.* XIII). Vel *signum Dei*, est virtus Dei; de qua idem Joannes : « Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides vestra (*I Joan.* v). » Hi igitur qui hoc signum non habent, dignum est ut lædantur; ut « qui in sordibus sunt, sordescant adhuc (*Apoc.* XXII); » et consummetur nequitia peccatorum (*Psal.* VII). » Digni sunt, ut tales habeant magistros, qui magistrum unum contempserunt Deum, per quos cæcos cæci in foveam cadant. Hic in Osee hæresiarchis dicitur : « Laqueus facti estis speculationi omnes vos, et expansum rete super Thabor (*Ose.* v). » Laqueus sunt et rete, per quos qui signo Dei carent irretiuntur in speculatione cœlestium, quam illis promittunt.

XIII. Merito vero per locustas instabiles, saltantes, ore nocentes frugibus, plus quam cætera minuta animalia, hæretici designantur. Quia, « in veritate non steterunt, sed exierunt ex nobis; quia non erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. » Et in disceptatione positi quasi saltant, dum in aliquo errore convicti ad aliquam fugiunt, imo saltant, umbram rationis, ne victi videantur. Ore vero nocent; quia, sicut scriptum est : « Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorum (*Psal.* XIII). » Acuerunt linguas suas sicut serpentes, ut per dulces sermones et benedictiones seducant corda innocentium. Et ideo venenum aspidum est eis, non in labiis, sed sub labiis; quia non aperte, sed occulte lædunt et more serpentium per linguam morsu venenum erroris insanabile immittunt. Unde et plus quam cæteri pravi homines, qui per minuta animalia figurantur, ore nocent frugibus, id est operibus et virtutibus quorumdam fidelium. Quia ea, quæ nec penitus auferunt, quandoque vitiant et corrumpunt : ut aut ex toto priventur fide Catholica; aut in fide hæsitent. Quod quantum sit malum, ex verbis beati Jacobi patet, qui ait : « Qui vero hæsitat, » in fide scilicet, « similis est fluctui maris, qui a vento movetur, etc. Non ergo æstimet homo ille, quod aliquid accipiat a Domino (*Jac.* I). »

XIV. Sane et avari, plerumque exigentibus culpis suis merentur seduci. Unde legitur, diabolum dixisse contra Achab regem, sed idololatram : « Ego decipiam Achab. Et dictum est : In quo decipies? Qui respondit : Egrediar et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus (*II Par.* XVIII). » Achab enim rex, peccatis magnis præcedentibus, dignus erat ut tali deceptione debuisset damnari : quatenus, qui sæpe volens ceciderat in culpam, quandoque nolens caperetur ad pœnam. Occulta justitia licentia malignis spiritibus datur; ut quos volentes in peccati laqueo strangulant, in peccati pœna etiam nolentes trahant.

XV. Item is, qui vitam reprobam non mutat, a perpetrandis peccatis animum non avertit, cum a propheta aliquid requirit, illa audit Deo disponente, quæ meretur audire damnandus. Ecce et domus Israel a cultu Dei sub idolorum servitute recesserat et tamen ad prophetas, a quibus decipi consueverat, spe veniebat prospera requirens. Cum vero ex ore prophetarum, perversa agens, prospera audiret; quid aliud superna judicia agebant, nisi, ut peccator populus in suo corde caperetur? quatenus, qui perfidiam sequendo deliquerat, sic prophetarum suorum blandis sermonibus deciperetur; ut jam nec pertimesceret, quia deliquisset : et tanto post du-

rius raperetur ad pœnam, quanto nunc securius viveret in culpa.

XVI. Sed ecce, largiente Deo, genus humanum veram fidem publice fatetur, subdi cuilibet creaturæ in adoratione renuit. Securus ergo, prophetam quilibet fide positus consulit; quia hoc auditurus est, quod audire fidem decet. Fidenter dico, si ab immunditiis aliis, atque a pravis actibus recessit, securus est. Nam cum Paulus clamet, « et avaritia, quæ est idolorum servitus (*Gal.* v); » quisquis adhuc avaritiæ subjectus est, a cultu idolorum liber non est. Si ergo is, qui avaritiæ anhelat, in fide quidem positus esse videtur, sed aliena ambit, accipere honores mundi desiderat, temporalem gloriam concupiscit atque de hac eadem gloria prophetam consulat; justum valde est ut ex culpæ suæ merito a prophetæ ore prospera audiat; quatenus, si verba Dei audire in sacro eloquio noluit, ut terrena despiceret, cœlestia amaret; illud, Deo judice, ex prophetæ sui ore audiat, unde amplius obligatus cadat.

XVII. Ecce ex his patet, quod avari a cultu idolorum liberi non sunt, quamvis in fide positi videantur. Unde, Deo judice, illud ex prophetæ sui ore audiunt, unde obligati cadant. Et ut generaliter dicamus qui vitam reprobam non mutat, ille audiet, Deo disponente, quæ meretur audire damnandus; ut sic cæcorum duces sint cæci.

CAPUT VIII.

Contra hoc, quod mulieres prædicare posse dicunt.

I. Præter errores jam dictos, graviter errant; quia feminas, quas suo consortio admittunt, docere permittunt, cum hoc sit apostolicæ doctrinæ contrarium. Scriptum est enim : « Mulieres in ecclesiis taceant. Non enim permittitur eis loqui. Si quid autem volunt discere; domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in ecclesia (*I Cor.* xiv); » ecce Apostolus jubet, ut mulieres taceant in ecclesiis materialibus, vel in congregationibus fidelium, non quidem ab oratione vel laude Dei, sed a doctrina; et ne quæ in ecclesia aliquid interrogent sub occasione docendi, sed domi viros suos. Unde apertius alibi ait : « Mulier in silentio discat cum omni subjectione : docere mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio. Adam enim primum formatus est, deinde Eva. Et Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit (*I Tim.* ii). » Ecce aperte Apostolus dicit, ut mulier, etiam cum discit sileat, nec doctorem Ecclesiæ interroget. Docere quoque non permittitur, vel dominari in virum duabus de causis : tum scilicet, quia post virum formata est; tum etiam, quia seducta fuit in prævaricatione Dominici præcepti, quasi diceret : Et non vir.

II. Igitur ratione temporis, et culpa exigente, docere non permittitur, vel dominari in virum; nec doctorem interrogare; quia pro peccato quod ipsa induxit, semper verecunda, conspectum publicum fugere potius debet, quam quærere. Beatus quoque Petrus ait : « Mulieres subditæ sint viris suis, ut et si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant; considerantes in timore sanctam conversationem vestram (*I Petr.* iii). » Ecce, hic dicitur aperte, quomodo fideles mulieres debent lucrifacere viros infideles, scilicet exemplo sanctæ conversationis, sine verbo prædicationis. Unde colligitur, quia si virum docere non potest verbo, sed opere tantum, multo minus alios docere potest verbo. Timendum est enim, ne hostis antiquus arte pristina utens, per mulieris verbum virum seducat. Sic ait ad Job per mulierem : « Adhuc permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, » id est maledic « et morere (*Job*, ii). » Sed vir in quiete et tribulatione perfectus, repulit eam dicens : « Quasi una de stultis mulieribus locuta es (*ibid.*). » Et sic in sterquilinio positus superavit eum, qui primum hominem in paradiso prostravit. Hinc et in lege dicitur mulieri : « Sub viri potestate eris (*Gen.* iii). » Hinc et Apostolo teste : « Mulier si comam nutriat, gloria est illi; quoniam capilli pro velamine dati sunt ei (*I Cor.* xi). » Ecce, quæ debet esse gloria mulieris, scilicet velare se ipsam in signum scilicet subjectionis : « Caput enim mulieris vir (*Ephes.* v). » Et iterum : « Omnis mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum (*I Cor.* xi). » Et iterum : « Non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Ideo non debet mulier potestatem habere supra caput et propter angelos (*ibid.*); » quibus scilicet grata est, sacrata et pia significatio.

III. Qua ergo temeritate præsumat mulier verba Dei publice docere, quæ ipsum Deum orare, aut prophetare non debet, nisi velata? Et si caput mulieris est vir, qua fronte audeat docere virum, scilicet caput suum? Et si in signum subjectionis et pudoris velamen debet habere, reminiscatur peccati, pro quo ex prima prævaricatione punita est, et viro subjecta; nec legem libertatis docere præsumat subjecta. Hinc in decretis dist. 23, per concilium Carthaginense VI jubetur : « Mulier, quamvis docta et sancta, viros in conventu docere non præsumat. Laicus autem, præsentibus clericis, nisi ipsis rogantibus, docere non audeat. »

IV. Præterea gloriosa Dei Mater et Virgo, quæ « conservabat omnia verba » sibi ostensa, « conferens in corde suo (*Luc.* ii), » non legitur prædicasse. Sed nec Maria Magdalena, aut aliqua de mulieribus, quæ secutæ sunt Dominum.

V. Sed, dicunt inimici veritatis, mulieres debere docere; eo quod Apostolus dicat ad Titum : « Anus similiter, » scilicet exhortare, ut sint, « in habitu sancto; non criminatrices, non multo vino servientes, bene docentes; ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament; filios suos diligant, prudentes, castas, sobrias, curam domus habentes, benignas, subditas viris suis, ut non blasphemetur verbum Domini (*Tit.* ii). » Ad quod notandum est, Apostolum non dicere, ut publice

viros anus doceant, sed privatæ adolescentulas, ita tamen ut eas prudentiam illam doceant quam consequenter subdit. Nec tamen nisi anus docere permittit; quæ sicut ætate, sic morum maturitate adolescentulas excedunt; ut præter ea, quæ cum senibus communia habent, quæ superius dixit Apostolus; scilicet, ut sint sobrii, pudici, pudentes, sani in fide, in dilectione et patientia; habeant quæ pro sexu illo propria subjungit Apostolus dicens : ut sint « in habitu sancto,» etc. Repelluntur igitur, ne doceant mulieres hæresim sapientes, secundum prædicta autem verba, ne doceant, nisi sint anus moribus et ætate, et ne doceant, nisi adolescentulas : imo, omnino interdicitur eis, ne doceant; ideo scilicet quia non sunt sanæ in fide, sine qua esse convincitur, quisquis obediens non est, ut superius monstratum est.

VI. Item hunc errorem confirmare nituntur exemplo Annæ prophetissæ, quæ Evangelio teste in ipsa hora, qua Dominus oblatus est in templo, superveniens confitebatur Domino et loquebatur de illo omnibus, qui exspectabant redemptionem Israel.

VII. Sed attendant, qualis erat Anna. Erat quippe, viro mortuo, vidua usque annos octoginta quatuor; « quæ non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die (*Luc.* II). » Merito ergo tam diuturnæ abstinentiæ, continentiæ, et continuæ orationis data est ei prophetia. Adducat quis talem feminam : et ego libenter audiam, non docentem, sed confitentem sua peccata Deo, vel confitentem Domino confessione laudis. Nec dicitur hic, quia prædicavit vel docuit; sed « locuta est de Christo omnibus, qui exspectabant redemptionem Israel (*ibid.*). » Non est idem, prædicare et loqui. Omnis enim, qui prædicat vel docet, loquitur; sed non omnis, qui loquitur, prædicat aut docet. Loquitur enim quis, dum orat, nec tamen dicitur docere. Loquebatur ergo de Christo, confitendo, id est laudando vel prophetando, non docendo. Diversa enim sunt dona Spiritus, scilicet prophetia et doctrina; quod potest perpendi ex verbis Apostoli dicentis : « Nunc autem, fratres, si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in revelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina? » (*Ibid.*) Et iterum : « Cum convenitis, fratres, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsin habet, linguam habet, interpretationem habet. Omnia ad ædificationem fiant (*I Cor.* XIV). » Et iterum : Vos estis corpus Christi, et membrum de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum (*I Cor.* XII). » Et iterum : « Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ; alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alteri gratia sanitatum in uno Spiritu; alteri operatio virtutum, alteri prophetia, alteri discretio spirituum, alteri gratia linguarum, alteri interpretatio sermonum (*ibid.*). » Cum igitur aliud sit donum prophetiæ, aliud sermo doctrinæ, secure concesserim, Annam, seu quasdam mulieres prophetasse; nec tamen consequenter dicendum erit, easdem docuisse; alioqui male posuit Apostolus eadem quasi diversa.

CAPUT IX.

Contra hoc quod dicunt defunctis fidelibus non prodesse vivorum eleemosynas, jejunia, missarum solemnia, aliasve orationes.

I. Et quoniam mos est male errantium, nisi continuo resipiscant, in deteriora labi, « ut qui nocent noceant adhuc; et qui in sordibus sunt, sordescant adhuc; ut et consummetur nequitia peccatorum (*Apoc.* XXII); » audent jam insani hæretici, eis quos seducunt, dicere : defunctis nihil prodesse fidelium vivorum eleemosynas, jejunia, orationes, nec etiam missarum solemnia, seu orationes pro eis factas. Hæc hæresis refellenda est prius auctoritatibus canonicis; deinde scripturis Patrum catholicorum, seu rationibus catholicis.

II. Legitur ergo in libro Machabæorum : « Quod vir fortissimus Judas, facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, » etc. (*II Mach.* XII.) Ecce vir fide plenus, zelo legis Dei accensus, pro populo Dei multum orans, Deo devotus, tyrannis resistens, pro lege Dei sui certans usque ad mortem, pro his « qui cum pietate dormitionem acceperant (*ibid.*), » duodecim millia drachmas misit Hierosolymam offerri. Hoc Ecclesia catholica legit devote, prædicat publice et servat in exemplo, offerens pro fidelibus defunctis, ut a cunctis reatibus absoluti, cum Deo sine fine lætentur.

III. Et certe legimus in Novo Testamento, circumcisionem, aliaque nonnulla Veteris Testamenti instituta, debere cessare; nusquam vero legitur sacrificia pro fidelibus defunctis esse prohibita : cum certo certius sit, quædam peccata nonnullorum fidelium hic solvi, quædam in futuro. Unde et in libro Machabæorum habetur : « Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur (*ibid.*). » Inde etiam Dominus ait : « Qui autem dixerit (verbum) contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro (*Matth.* XII). » In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam vero in futuro posse laxari. Quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur, parvis scilicet, minimisque peccatis; sicut est assiduus otiosus sermo, immoderatus risus, peccatum curæ rei familiaris; quæ vix sine culpa vel ab ipsis agitur, qui culpam qualiter declinare valeant, sciunt; aut in non gravibus rebus error ignorantiæ. Hinc et beatus Augustinus ait in Enchiridio : « Neque negandum est defunctorum animas, pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium mediatori offertur, vel eleemosynæ in ecclesia fiunt. » Et iterum : « Cum sacrificia sive altaris, sive quarum-

cunque eleemosynarum pro baptizatis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt; pro valde malis, etsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescunque vivorum consolationes sunt; pro non valde malis, propitiationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe ut tolerabilior fiat ipsa damnatio. »

IV. Præterea, quod preces viventium prosint defunctis fidelibus, exemplis constat non paucis. Ecce enim, cum teste beato Gregorio, Germanus Capuanus episcopus, ex præcepto medicorum, pro corporis salute Angulanas thermas ingressus esset ut lavaretur, Paschasium sedis apostolicæ diaconum jam defunctum, qui miræ sanctitatis fuerat, eleemosynarum maxime operibus vacans, cultor pauperum, et contemptor sui, stantem et obsequentem in caloribus invenit. Et inquisitus, quid illic tantus vir faceret? Respondit: se in pœnali illo loco deputatum, ideo tantum, quia contra Symmachum pro Laurentio senserat; ut eo spreto, Laurentius summus pontifex crearetur; aliis fidelibus contra sentientibus, qui et prævaluerunt. « Sed quæso, inquit, te pro me Dominum deprecare: atque in hoc cognosces, quod exauditus sis; si huc rediens, me non invenies. » Qua de re vir Domini Germanus se in precibus strinxit. Et post paucos dies rediit, sed jam prædictum Paschasium in loco eodem minime invenit.

V. In eodem quoque libro, Petro interrogante quidnam esse possit quo mortuorum valeat animabus prodesse, respondet beatus Gregorius: « Si culpæ post mortem insolubiles non sunt, multum solet animas, etiam post mortem, sacra oblatio hostiæ salutaris adjuvare; ita ut hoc nonnunquam ipsæ defunctorum animæ videantur expetere. » Presbyter enim quidam in diœcesi Centumcellensis urbis, in aquis calidis, quoties necessitas corporis exigebat, lavari consueverat; cum quidam vir incognitus cum magno famulatu de pedibus calceamenta abstrahebat, vestimenta suscipiebat, exeunti a caloribus sabana præbebat, atque omne ministerium peragebat. Cumque hoc sæpius fieret, quadam die duas oblationum coronas obsequenti sibi viro pro benedictione obtulit; petens ut benigne susciperet, quod ei charitatis gratia offerebat; quam oblationem humiliter renuens, inter cætera ait: « Si mihi patrocinari vis, omnipotenti Deo pro me offer hunc panem, ut pro peccatis intervenias: et tunc te auditum esse cognosces, cum huc ad lavandum veneris, et me non inveneris. » In quibus verbis disparuit; et is qui homo esse videbatur, evanescendo innotuit, quia spiritus fuit. Idem vero presbyter, hebdomada se continua pro eo in lacrymis afflixit, salutarem hostiam quotidie obtulit, et reversus post ad balneum eum jam minime invenit. Qua ex re, quantum prosit animabus immolatio sacræ oblationis ostenditur, quando hanc et ipsi mortuorum spiritus a viventibus petunt et signa indicant, quibus per eam absoluti videantur.

VI. Monachus quoque quidam in monasterio Beati Gregorii in ultima ægritudine pro tribus aureis, quos absconderat quasi proprios, a fratribus contemptus est; ut ejus morti interesse nollent, et fratrum sepultura careret. A morte vero ejus xxx diebus evolutis, consulente beato Gregorio, xxx diebus continuis salutaris est hostia immolata. Et post hoc, apparens cuidam per visionem nocte, dixit sibi bene esse; quia communionem receperat, cum præcedenti die tricesima oblatio fuisset impleta pro eo.

VII. Ecce his patet exemplis, multum prodesse spiritibus defunctorum preces, et immolationem hostiæ salutaris; cum per ista a peccato dissensionis seu schismatis prædictus Paschasius, et a peccato proprietatis post amaritudinem animi habitam in exitu, et post ignis purgatorii cruciatum xxx dierum, præscriptus monachus sit absolutus.

VIII. Hoc etiam roboratur, et amoto omni dubietatis scrupulo confirmatur testimonio, et longissima consuetudine catholicæ Ecclesiæ, Apostolo teste, « columna et firmamentum veritatis (*I Tim.* III). » Orat namque pro defunctis fidelibus, non solum alias, sed etiam inter sacra missarum solemnia. Et certe, si nulla alia suppeteret auctoritas, exemplum, aut ratio, sufficere deberet sanctæ Ecclesiæ tanto tempore approbata consuetudo. Nam, si « in ore duorum aut trium testium stat omne verbum (*II Cor.* XV); » quanto magis si tota Ecclesia, ubique terrarum hoc concorditer clamat; Spiritus enim sanctus, sicut Dominus ait, docet (eam) omnem veritatem. Hic replevit orbem terrarum, id est sanctam Ecclesiam, quæ est ubique terrarum; et ideo non permittit errare ipsam. Hæc est enim septem lucernæ supra candelabrum tabernaculi. Septiformis quippe gratia Spiritus sancti, catholicam illustrat Ecclesiam, ne tenebris errorum involvatur.

IX. His etiam adminiculantur rationes catholicæ. Etenim, ut ait Augustinus: « Quidam vivendi modus nec tam bonus est, ut non requirat ista post mortem; nec tam malus, ut ei non prosint ista post mortem. Est vero talis in bono, ut non requirat ista: et itque rursus talis in malo, ut nec his valeat, cum de hac vita transierit, adjuvari. Ergo pro non valde malis propitiationes sunt, pro valde bonis gratiarum actiones; pro valde malis nulla sunt adjumenta mortuorum, sed vivorum qualescunque consolationes. »

X. Nec mirum, si viventium beneficia, vel orationes mortuis corporaliter prosint in quibusdam culpis solvendis; cum prosint etiam mortuis in anima ad infidelitatis vel aliorum criminum labem abolendam. Oravit quippe beatus Stephanus pro lapidantibus, et conversus est Paulus. Oraverunt pro paralytico, quem portabant quatuor viri, et dimissa sunt ei peccata, et corporis salus reparata.

XI. Item, Christus corporaliter positus in monu-

mento, spiritu in infernum descendens eduxit inde suos : quid igitur mirum si electi, ad loca purgationis descendentes, inde postea educantur, cum pro ipsis illa victima immoletur, quæ singulariter ab æterno interitu animam salvat, quæ mortem Unigeniti nobis per mysterium reparat? Et si oratio pro alio facta confert ei; quid mirum, si eleemosynam aut jejunium pro alio exhibitum ei prosit? Sunt illa enim verba Apostoli : « Sine intermissione orate (*I Thess.* v). » Ait sanctus Augustinus : « Justus nunquam desinit orare, nisi desinat justus esse. Semper orat, qui semper bene agit. »

XII. Item : « Sicut in uno corpore multa membra habemus; omnia autem membra non eumdem actum habent : ita multi unum corpus sumus in Christo; singuli autem alter alterius membra, Deus autem temperavit corpus, ut non sit schisma, » id est discordia, « in corpore (*Rom.* xii), » id est in Ecclesia, ubi debet esse unitas. « Sed in id ipsum pro invicem sollicita sunt membra (*I Cor.* xii). » Sollicita, inquam, sint in id sollicitudinis, quod sit ipsum, id est indifferens, ut non minus pro alio, quam pro se (laboret). « Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra. Sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra (*ibid*). »

XIII. Ex his patet quod sicut per camdem animam diversa membra vivunt et colligantur; sic et per eumdem Spiritum Christi diversa ejus membra reguntur et in unitate conservantur. Inde est quod pro se invicem solliciti sunt omnes fideles in Christi corpore constituti; ut si quid patitur unus, compatiantur cæteri. Et ideo, fidelibus in igne purgatorio patientibus, cæteri compatientes solliciti sunt pro eis : « Sollicitudine » vero « non pigri (*Rom.* xii), » sed quasi pro se laborant, pro eis absolvendis. Inde est quod jejunando, vigilando, eleemosynis aliisque piis actibus insistendo, orationibus instando, talibus remediis et vivis et defunctis in Christi corpore per unitatem fidei et compagem dilectionis constitutis subvenire procurat.

XIV. Et nimirum « sanctus et verus, qui habet clavem David, qui claudit, et nemo aperit, aperit et nemo claudit, qui habet claves mortis et inferni, desiderium pauperum exaudit, et aures ejus in preces eorum (*Apoc.* iii), » ut eos solvat, quos Ecclesia solvit; eos liget, quos Ecclesia ligat, sicut ipse ait : « Quodcunque ligaveritis super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcunque solveritis super terram, erit solutum et in cœlo (*Matth.* xvi). » Ideoque si quos Ecclesia solvit super terram, solvuntur et in cœlo, sive viventes et morientes fideles. Ait enim : *Quodcunque.*

XV. Legitur etiam in libro Dialogorum, quod beatus Benedictus pro vitio linguæ, nisi se corrigerent, duas sanctimoniales excommunicavit; quæ, pristinis moribus non mutatis, post paululum defunctæ sunt, et in ecclesia sepultæ. Sed dum sanctæ communionis hostia fieret, ab ecclesia exire videbantur. Tunc beato Benedicto indicatum est; qui A protinus, manu sua dedit oblationem, jubens, ut pro eis offerretur. Quæ dum pro eis fuisset immolata, non sunt visæ ulterius ab ecclesia exire. Communionem quippe a Domino per servum Domini receperant. Ecce et ex hoc patet, quantum prosit oblatio fidelium spiritibus defunctorum. Ut enim caro judicare de spiritibus possit, hoc largiri dignatus est, factus pro hominibus Deus caro

XVI. Sed ad hoc objiciunt inimici veritatis; post mortem hanc, prædicta nulli prodesse. Et ad sui erroris assertionem inducunt hæc testimonia. Dominus enim dicit : « Ambulate, dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant (*Joan.* xii). » Et Apostolus : « Ecce, nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis (*II Cor.* vi). » Et iterum : « Dum B tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei (*Gal.* vi). » Et Salomon : « Quodcunque potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erit apud inferos, quo tu properas (*Eccle.* ix). » Et David : « Quoniam in sæculum misericordia ejus (*Psal.* cxvii). » Ex his verbis liquet, quod post mortem tenebris pœnarum involvitur, qui in hac luce viam Dei perambulare contempserit. Hic enim bene operantibus misericordia Dei tribuitur. Malis vero post hanc vitam non misericordia, sed judicium Dei erit. Quia tunc nullum possunt sibi comparare subsidium, aut salutem. Quapropter viventium beneficiis defuncti salutem acquirere nequeunt, aut C rationem. Item teste Apostolo : « Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum (*II Cor.* v). » Ecce, secundum hæc verba unusquisque reportabit in judicio bonum vel malum, quod gessit in proprio corpore. Ex quo datur intelligi, non prodesse sibi, quod alius gessit pro eo, post solutionem corporis.

XVII. Ad hoc sciendum, has auctoritates hoc innuere, quod post mortem nullus potest comparare sibi aliquod meritum. Nullus enim, qui in hac vita neglexerit, postquam obierit, Deum poterit promereri. Verumtamen, si quis in fide operante per dilectionem ultimum clauserit diem, fidelium precibus, aut piis actibus poterit adjuvari. Heic enim meruit, D ut ab ipsis fidelibus juvaretur, quia inter ipsos fideles fideliter vivendo fidem servavit, et inter membra corporis Christi membrum exstitit. Hinc beatus Augustinus ait : « Heic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam, vel gravari. Nemo se præparet, qui hoc neglexit, cum abierit, Deum promereri. » Non igitur ista, quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi apostolicæ sunt adversa sententiæ, qua dictum est : « Omnes astabimus ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque secundum ea, quæ per corpus gessit, sive bonum, sive malum (*Rom.* xiv). » Quia etiam hoc meritum sibi quisque cum in corpore viveret, comparavit, ut ei possent ista prodesse. Nec enim omnibus prosunt. Et quare non omnibus pro-

sunt, nisi propter differentiam vitæ, quam quisque A gessit in corpore? Hinc et beatus Gregorius loquens ait: « Hoc sciendum est, quia illic saltem de minimis nihil quisque dignæ purgationis obtinebit, nisi bonis hoc actibus in hac adhuc vita positus, ut illic obtineat, promereatur. » Inde est quod ait, quia supradictus Paschasius « ex suarum eleemosynarum largitate obtinuit hoc, ut tunc potuisset promereri veniam, cum jam nil posset operari. » Quod autem ait Apostolus *per corpus*, intelligendum est, per tempus quo vixit in corpore.

CAPUT X.

Contra eos qui negant ignem purgatorium, et aiunt, spiritus a carne solutos continuo ire ad cœlum, vel infernum.

I. Sunt vero hæretici quidam, qui asserunt animas a carne solutas continuo ascendere in cœlum, aut descendere in inferni supplicium. Negant enim ignem purgationis. His obloquuntur auctoritates, exempla, ratioque Catholica. Apostolus enim ait: Christum esse fundamentum; atque subjungit: « Si quis superædificaverit supra hoc fundamentum aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet; si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse tamen salvus erit; sic tamen quasi per ignem (*I Cor.* III). » Hoc de igne futuræ purgationis potest accipi.

II. Pensandum igitur sollicite est, quia illum dixit per ignem posse salvari; non qui super hoc fundamentum ferrum, æs vel plumbum ædificat, id est peccata majora, et idcirco duriora, atque tunc insolubilia; sed ligna, fenum, stipulam, id est minima peccata atque levissima, quæ ignis facile consumat. Item Augustinus in Enchiridio: « Incredibile non est, aut inveniri, aut latere nonnullos fideles, per ignem quemdam purgatorium, quanto magis minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius, citiusque salvari; non tamen tales, de qualibus dictum est, quod regnum Dei non possidebunt, nisi convenienter pœnitentibus eadem crimina remittantur. Convenienter autem dixi, ut steriles in eleemosynis non sint. » Item beatus Joannes Baptista ait populo de Christo: « Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni (*Marc.* I). » Purgat quippe Dominus peccata in baptismate et igni tribulationis temporalis, seu ignis purgationis. Item scriptum est: « Pone ollam super prunas vacuam, donec incalescat et liquefiat æs, et consumatur rubigo (*Ezech.* XIV). » Olla est, quævis anima fidelis nunc plena virtutibus et operibus bonis, nunc vacua, id est imperfecta. Et quia in sanctis desideriis et operibus perfecta plane non est, (sed) peccatorum venialium rubigine est fœdata; et ideo super prunas ignis purgatorii poni jubetur, quousque crucietur ignis ardore, et sordes peccatorum levium in igne consumantur. Tanta enim erit mora permanendi in igne, quanta erit rubigo peccati.

CAPUT XI.

Contra eos qui dicunt, eosdem spiritus defunctorum ante judicium, nec cœlum, nec infernum ingredi, sed aliis contineri receptaculis.

I. Sunt econtra alii qui dicunt, animas nec cœlum, nec infernum ingredi ante judicium. Sed animas justorum placidis contineri receptaculis; reproborum vero spiritus, in locis pœnalibus. Piorum vero receptacula vocari paradisum; sicut malorum loca pœnalia, infernum. Post judicium vero electos sidereas possidere mansiones, et reprobos inferni cruciatibus torqueri.

II. Sed et hi in sua assertione falluntur. Tria quippe sunt loca quæ spiritus a carne solutos recipiunt. Paradisus recipit spiritus perfectorum. Infer- B nus valde malos. Ignis purgationis eos, qui nec valde boni sunt nec valde mali. Et sic, valde bonos suscipit locus valde bonus; valde malos locus summe malus; mediocriter malos locus mediocriter malus, id est levior inferno, sed pejor mundo. De valde bonis erat Apostolus, qui dicebat: « Cupio dissolvi, et esse cum Christo (*Philipp.* I). » Christus autem est in dextera Dei Patris, ubi etiam interpellat pro nobis. Quocirca, qui cum Christo esse post dissolutionem corporis cupiebat, haud dubium quin in cœlo, ubi Christus est, esse desiderabat. Unde evidentius ad Corinthios ait: « Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non C manufactam æternam in cœlis (*II Cor.* V). » Ecce, sine omni ambiguitate scit Apostolus, post dissolutionem terrestris domus, id est corporis, quod est de terra, se habere in cœlis domum æternam, non manufactam, id est ministerio alterius, sed ex Deo, id est operatione divina. Hinc et Dominus: « Ubi fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ (*Luc.* XVII). » Quia animæ spirituales, soluta mole corporis ascendunt ad cœlum, ubi Christus est non solum secundum naturam divinam, sed et secundum humanam, in qua corporaliter cœlos ascendit.

III. Et iterum: « Si quis mihi ministrat, me sequatur; et ubi ego sum, illic et minister meus erit (*Joan.* XII). » Et iterum: « Si abiero, et præparavero vobis locum, iterum venio, et accipiam vos ad D me ipsum, ut ubi ego sum, et vos sitis (*Joan.* XIV); » et rursum: « Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi ego sum, et illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi (*Joan.* XVII). » Magna itaque est merces amoris et operis boni, esse cum Christo. Revera inæstimabilis honor, ut sit adoptivus cum unico; ut sit ubi est unicus, non coæqualiter divinitati, sed consociatus æternitati.

IV. De valde malis ait Apostolus: « Nolite errare, neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt (*I Cor.* VI). » Et in Apocalypsi Dominus: « Timidis et incredulis, et exsecratis et homicidis,

fornicatoribus, et veneficis, et idololatris, et omnibus mendacibus; pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure, quod est mors secunda (*Apoc.* XXI). » Ecce, magna committentes crimina, non possidebunt regnum Dei, sed detrudentur in infernum.

V. Sane levia peccata committentes ad ignem transeunt purgatorium, ut purgentur; si tamen bonis actibus in hac adhuc vita positi, ut illuc veniant, obtineant; quos Apostolus ait salvari, sic tamen « quasi per ignem (*I Cor.* III), » ut prædictum est.

CAPUT XII.

Contra eos qui in ecclesia orare nolunt, nec ecclesiam esse nuncupandam asserunt. Ubi probatur et ecclesiam esse vocandam, et ibi esse orandum, et in magna veneratione habendam. Ubi etiam respondetur cuidam eorumdem hæreticorum objectioni, qua ex verbis beati Stephani aiunt, quod Excelsus non habitat in manufactis (*Act.* VII), *et ideo nec in ecclesia.*

I. Præterea apponunt iniquitatem super iniquitatem et domum Dei, domum utique orationis contemnentes, malunt orare in stabulis, vel in cubiculis, seu in thalamis, quam in ecclesia. Et ad majorem contemptum, mulierculis et insipientibus persuadere nituntur, non esse ecclesiam, nec sic debere vocari.

II. Contra quos sacræ Scripturæ proferimus testimonia: « ut hoc præscientes fideles, » sicut beatus Petrus docet, « custodiant semetipsos ne insipientium errore traducti, a propria excidant firmitate (*II Petr.* III). » Attendendum igitur est quod domus Dei domus orationis vocatur, et ecclesia. Quantaque sit ei reverentia exhibenda, scriptum est in libro Evangeliorum; quod Dominus invenit in templo vendentes boves et oves, et columbas, et nummularios sedentes; et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque et boves, et nummulariorum effundens æs, mensas subvertit. Et his qui columbas vendebant dixit: « Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis (*Joan.* II). » Hæc Joannes. Marcus vero ait quod non sinebat Dominus « ut quisquam transferret vas per templum, et docebat dicens eis: Nonne scriptum est quia domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus? Vos autem fecistis eam speluncam latronum (*Marc.* XI). » Et his gestis, secundum Lucam, « erat quotidie docens in templo (*Luc.* XXI). »

III. Ecce evidenter patet quod templum vocat *domum Patris sui*; et *domum suam*; et *domum orationis* non solum sibi, vel apostolis, sed cunctis gentibus, id est electis ex Judæis et gentibus. Hæretici vero, nec domum Dei, nec domum orationis vocant, nec in ea cum electis orare curant; sed malunt in domibus suis, quam in domo Dei orare. In quo patet, nec verbis, nec opere Dominum Jesum Christum sequi; dum templum, quod ipse tantopere veneratur et sermone et opere, ipsi blasphemant; nec in eo, ubi gentibus orandum esse prædixit, orant. Bestiam namque, hoc est Antichri-

A stum sequuntur, id est imitantur; qui sicut in Apocalypsi dicitur: « Aperuit os suum in blasphemias, blasphemare nomen ejus, et tabernaculum ejus, et eos qui in cœlo habitant (*Apoc.* XIII). »

IV. Blasphemant tabernaculum Dei, dum dicunt, potius in cubiculis vel stabulis, quam in domo Dei orandum. Blasphemant nomen Dei, dum dicunt, non creasse aut regere mundum. Blasphemant eos, qui in cœlo habitant dum dicunt, apostolos, martyres civesque cœli nullam posse opem conferre supplicantibus.

V. Præterea, in templo docebat, sicut dictum est: « Et erat docens quotidie in templo (*Luc.* XXI). » Ibi doctores audiebat, sicut scriptum est de parentibus ejus, « quia invenerunt illum in templo seden-
B tem in medio doctorum, audientem illos et interrogantem (*Luc.* II). » Et cum dicerent: « dolentes quærebamus te (*ibid.*), » respondit: « Quid est, quod me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse » (*Ibid.*)? Ecce inventus in templo, respondet, illud esse Patris sui, et oportere se esse in eo.

VI. Adhuc scriptum est in Evangelio Lucæ de discipulis Domini post ascensionem: « Et erant semper in templo laudantes et benedicentes Deum (*Luc.* XXIV). » Et post adventum sancti Spiritus, sicut in Actibus apostolorum habetur: « Erant quotidie perdurantes unanimiter in templo (*Act.* II). » Et iterum: « Petrus et Joannes ascendebant in
C templum ad horam orationis nonam (*Act.* III); » et tunc claudum ex utero matris suæ reparaverunt.

VII. Item angelus Domini, educens apostolos de carcere, ait: « Ite, et stantes in templo loquimini plebi omnia verba vitæ hujus. Qui cum audissent, intraverunt diluculo in templum, et docebant (*Act.* V). » Item: « Paulo oranti in templo contigit fieri in stuporem mentis, et videre Jesum (*Act.* XXII). » Anna quoque vidua « non discedebat in templo serviens nocte ac die (*Luc.* II). » Simeon etiam, « Justus et timoratus, exspectans consolationem Israel; et Spiritus sanctus erat in eo. Et venit in Spiritu in templum; et accepit Jesum in ulnas suas, et benedixit Deum (*ibid.*). »

D VIII. Ex his patet quod apostoli in templo orant laudantque Deum; et videt Paulus Jesum: *ibique* ex præcepto angeli docent: Anna etiam a templo non discedebat serviens Domino die ac nocte. Vir quoque sanctus Simeon, Spiritu sancto plenus in eodem Spiritu venit in templum, et accipit Jesum, et benedicit. Quare ergo impii hæretici jactant se servare Evangelium et sequi apostolos; cum non in templo orent, sed in thalamo, nec ibi doceant, sed in foro, et quidam clam in domo?

IX. O insensati! nunquid molestum est vobis, si Deus in qualibet urbe, villa et castro domum habeat, ut honoretur a suis; cum multi vestrum habeant non unam, sed plures ad vestras voluntates? Item vos habetis domos, aliam ad manducandum,

aliam ad dormiendum, aliam ad alios usus: Cur invidetis populo Christiano, si habeat domum ad orandum, laudandumve Deum, seu ad docendum verba vitæ? Item, quia Deus omnium est, non unius solius, ab omnibus in communi est orandus.

X. Quod autem domus orationis dicatur ecclesia, et auctoritate et ratione probatur. Ecclesia quippe dicitur nunc convocatio fidelium, nunc congregatio malorum, nunc domus Dei, ad quam plerumque et hi, et illi conveniunt. Ecclesia dicitur convocatio fidelium; unde scriptum: « Paulus vinctus Jesu Christi, et Timotheus frater Philemoni dilecto et adjutori nostro, et Appiæ sorori charissimæ, et Archippo commilitoni nostro, et Ecclesiæ quæ in domo sua est. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo (*Phil.* II). » Ecclesia dicitur congregatio malorum, unde David: « Odivi ecclesiam malignantium (*Psal.* XXV) » Ecclesia quoque dicitur domus orationis: unde Apostolus ad Corinthios: « Convenientibus vobis in ecclesia, audio scissuras esse, et ex parte credo (*I Cor.* XI). » Et paulo post: « Convenientibus vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare. Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Nunquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis et confunditis eos, qui non habent? » (*Ibid.*) Aperte ait, quia Corinthii, quorum quidam erant boni, quidam mali, conveniebant in ecclesia, id est in domo orationis, sicut expositores authentici dicunt. Et ideo subjungit: « Convenientibus vobis in unum. » Quid est « in unum convenire, » nisi in unum locum simul venire; quem locum superius nominavit ecclesiam? Et quoniam in illo loco, id est in ecclesia, se reficiebant, reprehendit eos dicens: « Nunquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? Aut ecclesiam Dei contemnitis? » hoc est non habetis alia loca, ubi vos reficiatis? aut cum habeatis alia loca ecclesiam Dei, id est domum orationis contemnitis, ibi manducando aut bibendo? quasi diceret: ecclesia non domus ad manducandum, vel bibendum, sed ad orandum; et ideo, si domos habetis ad manducandum vel bibendum, ibi vos reficite, non in domo orationis, id est in ecclesia. Quocirca, qui in ecclesia Dei manducat aut bibit, ipsam contemnit, maxime si habeat domum ad manducandum. Ecclesia namque Dei, non est domus ad manducandum et bibendum; sed domus orationis

XI. Ex his patet ecclesiam Dei dici hoc loco domum orationis. Alioqui, si quis dicat, ecclesiam Dei dici heic fideles, intendat quanta sequatur absurditas. Apostolus quippe reprehendit heic Corinthios comedentes in ecclesia Dei. Et, si ecclesia Dei intelligitur heic fidelium convocatio, consequenter videbitur eos, qui comedunt in conventu fidelium reprehendere; et sic reprehensibilis erit Dominus, qui manducavit et bibit cum discipulis. Ad hæc, consequetur, non esse manducandum cum aliquo; aut manducandum esse tantum cum infidelibus; quod sentire, est summa dementia. Restat igitur, ut ecclesiam Dei intelligamus ibi domum orationis. Unde et ecclesia dicitur per etymologiam, ædes clericorum: non quod ipsi tantum in ea conveniant; sed quia cæteris fidelibus frequentius; et quia eorum est eam custodire, claudere, aperire et divina ibi celebrare mysteria.

XII. Nec mirum si ecclesia Dei dicitur tam convocatio fidelium quam locus orationis, ubi conveniunt; sicut et domus dicitur mansio aliqua, et manentes in ea. Cum enim legitur Dominum intrasse in domum principis Pharisæorum, Sabbato manducare panem (*Luc.* XIV); domus significat mansiones. Cum autem legitur de regulo; quia « credidit ipse, et domus ejus tota (*ibid.*); » domus significat manentes in domo. Civitas quoque significat locum civium aliquorum; et cives ibi manentes. Locum significat, cum dicitur: « Videns civitatem, flevit Jesus (*Luc.* XIX). » Cives significat, cum dicitur: « Cum intrasset Jesus Hierosolymam, commota est universa civitas, dicens: quis est hic? » (*Matth.* X.) Neque enim murorum ambitus, aut locus ipse dicebat, « quis est hic? » sed cives immanentes.

XIII. Synagoga quoque dicitur locus orationis, in quo Judæi congregabantur. Et ipsi enim Judæi hinc aiunt ad Dominum de centurione: « Synagogam ipse ædificavit nobis (*Luc.* VII); » significantes nomine synagogæ domum, quam eis ædificaverat ad orandum. Joannes quoque ait angelo Smyrnæ Ecclesiæ: « Blasphemaris ab his qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ (*Apoc.* II). » Quo in loco, sine omni scrupulo Judæos vocat synagogam Satanæ.

XIV. Manifestum est igitur tum auctoritate Apostoli, tum inductione præscriptorum similium, Ecclesiam Dei dici, tam domum orationis, quam convocationem fidelium. In ecclesia enim materiali, varietas, sive multitudo lapidum, aut lignorum significat diversos ordines fidelium: pavimentum et tectum, subditos et prælatos: fenestræ per quas lux cœli infunditur, doctores per quos cæteri fideles illustrantur, qui luce sermonis Dei illuminantur. Fundamentum, quod totum pondus Ecclesiæ sustinet, Christus est, qui mores nostros sustinet; ostium, fides; altare, Deus; latitudo ecclesiæ, charitas; altitudo, spes; longitudo, perseverantia; lampades seu candelæ, Scripturæ, sive virtutes; cymbala, signum jubilationis. Cum ergo materialis ecclesia significet spiritualem, non inconvenienter ejus nomen accipit. Quia plerumque signum censetur nomine rei, cujus est signum. Hinc Propheta ait de manna: « Panem angelorum manducavit homo (*Psal.* LXXVII); » non quia esset panis angelorum; sed quia significabat illum. Et Apostolus ait de petra quæ fundebat aquam Judæis: « Consequente

eos petra, petra autem erat Christus (*I Cor.* x); » non quia petra esset Christus; sed quia significabat Christum, qui aqua sapientiæ eos potat.

XV. Cum autem dicimus, in domo orationis, id est in ecclesia orandum, inimici veritatis contra nos inducunt illud Evangelicum : « Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito; et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi (*Matth.* vi). » Ex his enim aiunt orandum esse in cubiculo, non in ecclesia.

XVI. Sed, si orandum est in cubiculo, non in ecclesia; Jesus Christus in cujus ore dolus non fuit, erravit, cum vocavit domum orationis, si ibi non oratur. Si autem verum dixit, imo quia verum Veritas dixit, domus orationis est quia ibi orandum est. Item si in ecclesia orandum non est, peccaverunt Petrus et Joannes, qui ascenderunt ad templum ad horam orationis nonam. Item peccavit Paulus; peccavit Anna, quæ non discedebat a templo, jejuniis et orationibus serviens nocte ac die; quod utique sentire, extremæ dementiæ est. Constet igitur, orandum esse in ecclesia, tum auctoritate Christi, tum exemplis apostolorum, aliorumque sanctorum.

XVII. Orandum tamen est ubique sicut Apostolus ait : « Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus, sine ira et disceptatione : similiter et mulieres (*I Tim.* ii). » Et Propheta : « In omni loco dominationis ejus, benedic, anima mea, Domino (*Psal.* cii). » Cum ergo ubique sit orandum, voluit Deus specialiter esse locum orationi deputatum, scilicet tantum ad orandum et serviendum Deo, ut tanto attentius fiat oratio, quanto ibi soli vacatur Deo, ne quid aliud fiat. Alia quippe loca, pluribus sunt plerumque negotiis implicita. Et ideo, si ibi oret quis, velit, nolit, nonnunquam interrumpitur. « Muscæ namque morientes perdunt suavitatem unguenti (*Eccle.* x). » Causæ quippe temporales muscarum more, per insolentiam se ingerentes, corda orantium confundunt; ne orationes, quæ per se, velut aromata fragrarent, suavem reddant Deo in orantibus odorem.

XVIII. Cum ergo ait Dominus, ut oraturus intret in cubiculum, non statuit, ut lectus materialis sit locus orationis, nusquam enim hoc fecit : nusquam vocavit lectum, vel thalamum, domum orationis. Sane templum vocat domum Dei, et domum orationis. Non ergo intelligendum est de lecto maritali, sed spirituali. Vocat igitur cubiculum, secretum cordis; ubi si bona est conscientia, suaviter quis pausat; si vero mala, vehementer gravatur. Oraturus itaque quis, secretum cordis intrare debet; ut non tantum ore, sed et corde oret. Cubiculum cordis intret, ne mens per exteriora fusa, fructum orationis perdat. In se vero reversa, tanto facilius per orationem impetret, quanto cunctis aliis spretis, soli Deo vacare contendit. Et ideo, quandiu orationi insistitur claudendum est ostium, id est auditus cordis per circumspectionem muniendus; ut desideria illicita coerceantur, nec concupiscentia carnalis admittatur; sed tota cordis intentione Pater cœlestis oretur eo attentius : quo clauso cordis aditu, a supervenientibus non interrumpitur curis. Hæc est oratio, quæ cœlum penetrat. Hæc pulsat aures Patris cœlestis. Hæc impetrat, si quid postulat. Unde subditur : « Et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi (*Matth.* vi). »

XIX. Præterea, quia in ecclesia orare nolunt, contra nos prætendunt excusationes in peccatis, et inducunt illud quod beatus Stephanus ait in Actibus apostolorum : « Salomon ædificavit Deo domum; sed non Excelsus in manufactis habitat, sicut Propheta dicit : Cœlum mihi sedes est; terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus? Aut quis locus requietionis meæ est? Nonne manus mea fecit hæc omnia? (*Act.* vii.) » Et, inquiunt, si Excelsus non habitat in manufactis, non habitat in ecclesiis factis manu hominum. Si autem ibi non habitat, cur iremus illuc ad orandum?

XX. Ad quod respondemus, sic intelligendum : « Deus non habitat in manufactis, » id est non ibi clauditur, aut continetur in manufactis. Immensus est enim, et incircumscriptus Deus, et illocalis et ideo non circumscribitur; aut continetur in loco. Cui enim cœlum sedes est, et terra scabellum, quomodo contineretur in aliqua domo? Cum habitas in domo tua, ibi includeris, nec uspiam alibi es. Non sic habitat Deus in manufactis templis, ut sic ibi includatur, quatenus nusquam sit alibi.

XXI. Præterea, « Spiritus est Deus (*II Cor.* iii), » sicut idem ait : et ideo loco corporali non continetur; sed habitat per gratiam in cordibus electorum. Unde Apostolus ad Ephesios : « Det vobis Pater Domini nostri Jesu Christi habitare Christum per fidem in cordibus vestris (*Ephes.* iii). » Fides enim tua de Christo, Christus (est) in corde tuo. Hinc et Propheta; « Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus (*Psal.* lxxvii). » Ecce, quomodo habitavit Deus in tabernaculo suo. Habitavit enim ibi in hominibus. Sic habitat Deus in ecclesiis, habitando in hominibus : et ideo potius habitat ibi, quam alibi. Quia interdum plures ibi conveniunt, et cum majori devotione, ac ferventiori fide concurrunt; servitur Deo obsecrationibus, et perceptione sacri pabuli, id est corporis Christi, et divini verbi. Cum igitur semper et ubique sit Deus in cordibus electorum; plenius et perfectius eos replet in ecclesiis, cum in suo obsequio eos viderit promptiores. Verumtamen, si Deus ubique est, cum dicat : « Cœlum et terram ego impleo (*Isa.* xxiii); » in manufactis est, continens ac regens; sed non ibi ita inhabitat, ut in cordibus electorum : hic enim inhabitat etiam per gratiam; in illis vero est per essentiam, potentiam, et præsentiam.

CIRCA ANNUM DOMINI MCXCI-XCII

HENRICUS SEPTIMELLENSIS

NOTITIA

(Polyc. LEYSER, *Historia poetarum et poematum medii ævi*, Halæ Magdeb., 1721, in-8°, pag. 450)

Henricus Septimellensis, ex Etruria oriundus, pago quodam agri Florentini qui septimo ab urbe Florentia lapide Lucam euntibus occurrit, id quod in exemplo Elegiæ manuscripto notaverat Marq. Gudius. Alias Samariensis, vulgo Henricus Pauper appellatur in codice quodam manuscripto bibliothecæ Paulinæ academiæ Lipsiensis (1). Florentinus dicitur in glossa manuscripta codicis Helmstadiensis. Genus suum agreste esse et tenue ipse fatetur auctor (2). Studiis operam dedit Boloniæ (3). Adeo pauper fuisse proditur, ut cum papyrus deesset, versus suos in veteri et attrito pellicio describere cogeretur (4). Fuit poeta sæculi XIII, ut vult Christianus Daumius (5). Scripsit carmen, cujus mentio fiet, A. 1191, aut 1192, quod ex libri II versibus 61, 62, 63, 64, patet. Anno enim 1193 Henricus VI Siciliam omnem expugnavit, cum antea idem infeliciter tentasset, quam adversam expeditionem innuit auctor. Meminit etiam (6) tanquam rei noviter gestæ captivitatis a Richardo, Angliæ rege, anno 1192 perpessæ.

Scripsit Elegiam *De diversitate fortunæ et philosophiæ consolatione*, ut inscribitur in codice ms. bibliothecæ Paulinæ academiæ Lipsiensis (7). Gavisus antea summa felicitate, et postea ad summam inopiam redactus carmen hoc composuit (8). Scripsit hunc librum ad episcopum Florentinum (9). Mille versus habet Elegia (10). Dividitur carmen in quatuor libros. In primo queritur Henricus de sua miseria et adversitatibus hujus mundi. In tertio introducit Philosophiam ipsum acriter reprehendentem. In quarto eamdem ipsum consolantem (11). Evulgavit opus hoc Christianus Daumius (12) ex ms. codice bibliothecæ Lipsiensis, quæ tamen dimidiam solum ejus partem suppeditaverat (13); et ex membranis Florentinis (14). Forte et usus est Marq. Gudii manuscripta (15). Excusa est editio Daumiana anno 1684 aut postea (16). Caruerat editor exemplari ms. equitis Lucensis Marii Florentini, cujus manuscriptum cum nonnullis obscuris in excuso locis contulit Barthol. Beverinus, et ad Daumium misit (17). Caruit et codice quodam ms. Pataviensi (18). Notas se textui additurum promisit Christianus Daumius (19). Exstat alioqui cum commento manuscripto in bibliotheca academiæ Lipsiensis (20).

Recepi in me novam Henrici Septimellensis editionem, ignorans tum typis jam esse a Daumio vulgatam. Quamvis vero postea de editione Daumiana certior fuerim factus, tamen quoniam et rarior occurrit et forte minus nostra correcta est, in proposito persistam, daboque carmen integrum.

Adhibui ejus rei gratia duos codices, quorum prior in Helmstadiensi academica bibliotheca antiquiori, posterior in illustri ducali Guelpherbytana, in quam ex Marquardi Gudii penu delatus est, servatur. Ex his posterior codex variorum aliorum codicum manuscriptorum, ad quæ correctus est, vicem præstat.

(1) V. Joach. Felleri Catalogum p. 289. n. 9.
(2) V. Henrici Elegia lib. II, v. 205.
(3) V. Henricus l. c. lib. III, v. 71.
(4) V. Mich. Neandri Ethice vetus et sapiens eo. Lips. 1590. P. III. p. 259.
(5) Epist. ad Joannem Gebhardum in epistolis philologico-criticis ed. Chemnicii 1709, p. 184.
(6) Elegiæ lib. III, v. 164.
(7) V. Fellerus l. c.
(8) V. Glossa ms. codicis Helmstadiensis.
(9) V. Glossa ms. cit.
(10) V. Glossa cit. et Henricus, Eleg. lib. IV, v. 246.
(11) V. Glossa cit.
(12) V. Daumii epistolas philologico-criticas p. 163, 164.
(13) V. Daumius l. c. p. 178.
(14) V Daumius l. c. p. 184.
(15) V. Daumius l. c. p. 178.
(16) V. Daumius l. c. p. 257.
(17) V. Daumius l. c. p. 265.
(18) V. Daumius p. 163.
(19) L. c.
(20) V. Felleri catalog. p. 289, n. 9.

HENRICI SEPTIMELLENSIS

ELEGIA

DE DIVERSITATE FORTUNÆ

ET

PHILOSOPHIÆ CONSOLATIONE.

LIBER PRIMUS.

Quomodo sola sedet probitas? flet, et ingemit aleph (21). A
Facta velut vidua, quæ prius uxor erat.
Cui de te, fortuna, querar? cui? Nescio. Quare
Perfida me cogis turpia probra pati?
Gentibus opprobrium sum, crebraque fabula vulgi.
Dedecus agnoscit tota platea meum.
Me digito monstrant. Subsannant dentibus omnes.
Ut monstrum monstror dedecorosus ego.
Mordeor opprobriis. De me mala cantica cantat
Vulgus, et horrendus sum sibi (22) psalmus ego.
Fama per antiphrasim cantat, multumque cachinnum B
De me ludificans impia turba movet.
Concutit a tergo mihi multa ciconia rostrum.
Hic aures asini fingit, et ille canem.
Turba molendini; grex furni; concio templi,
In mea fecundis vocibus acta sonant.
Si me commendat Naso; si musa Maronis;
Si tuba Lucani, vix bona fama foret.
Quem semel horrendis maculis infamia nigrat
Ad bene tergendum multa laborat aqua.
Fata Neronizant (23) in me. Mihi triste prophetant
Astra poli. Mihi dat tristia signa polus.
O dolor! o pudor! o gravitas! o tristia fata!
Sum miser et nulli sum miserendus ego. C
O bona prosperitas, ubi nunc es? Nunc mea versa est
In luctum cithara. Fit lacrymosa lyra.
O mala dulcedo, subito quæ sumpta venenas,
Quæ nunc compensas mellea felle gravi.
O felix, qui non est usus prosperitate,
Nam venit ex sola prosperitate dolor.
Non sine felle suo dulcet fortuna, nec albet
Absque nigredine. Nec mons sine valle fuit
Cui multum mellis, multum dedit ipsa veneni.
Mel vomuit primum felleus ipse sapor.
Ut gravius cadit hic, quem format forma gigantis,
Quam nanus, cujus parvula forma sedet;
Ut plumbum gravius pluma, paleaque lapillus:
Sic gravius cadit hic qui bona multa tulit.
Hinc ego, qui fueram satur omni prosperitate,
Hoc verum fateor omnibus esse modis.
Numinis ambiguos vultus (24) deprendo. Novercam
Sentio fortunam, quæ modo mater erat.
Sum miser, et miseri nullus miserans miseretur.
In pejus veniunt omnia fata mihi.
Temperat assidue pro me fortuna venenum,
Quo sitit (25) illa caput mortificare meum.
Nil agit infelix, perii. Nequit ergo nocere
Amplius. Exstincto vulnera nulla nocent
Heu quid agam! quid agam? Plorabo. Sufficit istud?
Non: Quia fata mihi deteriora parant.
Quid tibi, magne, tuli? Quid? Jupiter? Unde nocendi
Ista sitis? Cœlo fulmina nulla tuli.
Nec petii thalamos Junonis, nec volui. Nec
Sæva giganteis fratribus arma dedi.
Cur mihi, sæve, noces? cur? cur? dic, nescio. Nescis.
Ergo quid innocuo, Jupiter alte, noces?
Hic nimis insanum redolet. Caret et Salomone (26),
Qui nocet innocuo, quique nocere cupit.
Nam nimis iratus, nimis ille superbus, et ultor,

(21) Aleph est prima littera sono suo gementem referens.

(22) Pro *ipsi*. Frequens scilicet in scriptoribus medii ævi usus est pronominis reciproci.

(23) Crudeliter insurgunt.

(24) Fortunæ bini sunt vultus, prosper et adversus.

(25) Desiderat.

(26) Salomon pro *sapientia*.

Qui ferit insontem, crimine dante locum.
Quid me persequeris? O quam victoria parva (27)
Est: miserum multis lædere posse malis!
Desine. Quid mirum, Davum (28) si vincat Achilles
Et si Tersitem conterat Hector equo.
Nam quoties miserum probus expugnare laborat
Se misero similem nititur esse probus.
Ad lacrymas redeo, quarum mihi copia, quarum
Excursus salis potibus ora rigant.
Est cibus anxietas; lacrymæ sunt pocula; pœna
Panis; vina dolor; est mihi vita mori.
Quod patior pallor loquitur, maciesque figurat,
Indicat exsanguis turpiter alba cutis.
Nam facies habitum mentis studiumque fatetur,
Mensque quod intus agit nuntiat illa foris,
Internique status liber est, et pagina, vultus.
Exterior macies intus amara legit (29).
Heu miser, heu cæcus, heu demens! Semina mundi
Iratos animos in mea fata trahunt.
Est mihi terra nocens, ignis gravis, unda nociva.
Aer tristitia perfidiore nocet.
Sic mihi septenis nocet impia turba planetis.
Quilibet in nostra morte planeta furit.
Saturnus falcem, fulmen fert Jupiter, arma
Mars, sol fervorem, dira venena Venus,
Mercurius virgam, rapidas fert luna sagittas.
Septem septena concitat arma cohors;
Quo fugiam? vel quid faciam? Mors undique claudit,
Ne fugiam, cunctas imperiosa vias.
Væ mihi! væ misero! væ prosperitate carenti!
Væ cui scire datur, quidquid in orbe nocet!
Ex quo prima parens vetito (30) jejunia fregit,
Nullus in hoc misero tam miser orbe fuit.
Nec Tityus (31) lacerus (32), refugis nec Tantalus undis,
Nec male qui rexit lora paterna puer (33).
Orbatus Niobes; Job vermes; sibila (34) Cadmi;
Hæc collecta (35) mihi prosperitate vigent.
Ergo quis infelix patitur pejora? Quis ille
Tristanus (36), qui me tristia plura tulit.

A Obruor oceano, sævisque reverberor undis.
Nesciat hinc reditum mersa carina suum.
Decidit in cautes incauta carina. Procellas
Sustinet innumeras invidiosa ratis.
Me si tanta pati natura volebat amara,
Ponere debuerat perfidiore (37) loco.
Aut gelida Scythia nivium (38), vel solis in ortu,
Aut ubi soligeris occidit (39) ardor equis.
Aut ubi perfidior quadrangulus orbis habetur,
Vel quo perpetuum torrida zona calet,
Aut aliquo pejore loco, qui gente vacaret,
Quo minus opprobrii cognita fama foret.
Dulcius est miseris aliena vivere terra,
Quam propria male, qua singula probra patent.
B Malo meum sciri longinquis dedecus Indis,
Quam quos vicinos efficit ipse locus.
Hic inter notos socios miser, inter amicos,
Quod nugor, querula fertilitate premor.
Omnibus invideo melioribus. Invida semper
Mens tantum rodi pro meliore solet.
Quod sub sole vigent, fateor tot me meliores,
Sim licet Arturus (40), qualis habebor ero,
Omnibus invideo, nullus mihi. Mens dolet hinc, quod
Reciproca caret hic transitione dolor.
Nam caret invidia miser, imo miserrimus ille
Qui nimis omnimoda prosperitate caret.
Quid sim? quid fuerim? cujas? ubi? quis vocer? unde
C Natus? homo vel humus? nescio montis inops.
Me domini, socii, noti, quod magis est, et amici
Proh! scelus, in medio deseruere mari.
Dum zephyrus flabat, multis sociabar amicis:
Nunc omnes aquilo turbine flante fugat.
Ut philomela canens frondes sonitumque canorum,
Et nemus et silvas frigore tacta fugit.
Sic hiemis casus horrendaque nubila vitans
Omnis in adversis rebus amicus abest.
Delicias veris sequitur, sed tempora brumæ
Deserit, ablato remige falsus amor.
D Vultur edax, corvusque niger, præsagaque (41) cornix,
Ventris ad ingluviem semper adesse parant.

(27) Ms. Helmstad. *prava.*

(28) Ms. H. *Darium. Darius dicitur fuisse in bello Trojano nullius reputationis quia ad pugnandum non valuit, et Achilles fortis et magnæ reputationis.* Ita Glossa ms. cod. Helmstad.

(29) Ostendit.

(30) Pomo.

(31) Tityus, filius Jovis ex Elura, ab Apolline sagittis confectus, cujus cor vultures et apud inferos depascere non desistunt.

(32) Laceratus.

(33) Phaeton.

(34) Serpentes.

(35) Ms. Helmst. *collata* i. e. comparata.

(36) *Tristianus fuit quidam miles, qui multa mala sustinuit.* Ita Glossa ms. cod. Helmst. ad h. l.

(37) Pejore.

(38) Scythia terra nivium.

(39) Ms. Helmst. *concidit.*

(40) Ad hæc Glossa ms. codicis Helmstadiensis: *Arturus dicitur fuisse Britanniæ multum probus et honorandus, qui iniens certamen cum quadam bellua perdidit milites suos, tandem interfecit eamdem belluam, nec tamen domi revertebatur, etiam postquam fuit mortuus, unde adhuc a Britannis exspectatur ut veniat. Vult ergo Hinnius quod si esset filius Arturi, tunc esset satis despectus.*

(41) Astuta.

Leccatrix (42) mel; musca, lupusque cadavera ; sic nunc (43). A
Prædam, non homines, pens paret ista sequi.
Vilis amicitiæ species, quam (44) qualibet aura
Quam variis variat fluctibus orba (45) dea.
Si tales olim Eurialus Nisusque fuissent,
Non durasset eis ille perennis amor,
Verus amor miserum non dedignatur amicum:
Vera fides tantum nescit amœna sequi.
Participat flores, et grandem grandinis iram
In concussa fero turbine vera fides.
Taliter unanimes loquitur scriptura sodales,
Quos strinxit vero vimine verus amor.
Prævalet hoc solo mala sors, quod monstrat amicos.
Qui bene qui male sit monstrat, utramque fidem. B
Ut fornax aurum, mare navem, mucro catenas;
Sic gravior corda casus amica probat.
Nam citius sociis sociabitur unica Phœnix,
Atque lupi citius pace fruentur ovis.
Et prius Arturus veniet vetus ille Britannus (46),
Quam ferat adversis falsus amicus opem.
Job collata meis angustia vincitur, inde
Quod conjux fuit, et ternus amicus ei.
Ast ego desertus non illam cerno, nec illos.
Me præter nihilum constat habere nihil.
Si Codrus foret hic, essem nunc codrior illo:
Nam nihil hic habuit. Ast ego plura nihil. C
Tot mea sunt, quod non sine me regina jaceret;
Si foret hoc verum pauper ubique jacet.
Temporibus cunctis jejunus prosperitatis
Morte minante nimis, asperiora gemo.
Ver dedit indicium; mala sed mihi contulit æstas;
Nutrit et autumnus; frigida pascit hiems.
Nocte dieque malum me scyphis potat amarum,
Ut vigeant in me gaudia nulla mei.
Luce queror, lacrymas fundo, suspiria ructo,
Scindo genas, plango pectora, rumpo comas.
Colloquium turbæ tamen est solatia luce,
Et minuit pœnas lectio crebra meas.
Nocturna longe minor est angustia lucis,
Quæ mea non minimo corda dolore ligat. D
Nocte furit furiis nimium furor impius in me (47),
Qui mea majori vulnere corda vorat.
Nocte gemo, gemino gemitus, cumulusque dolorum
Crescit, corque coquit crebra gehenna meum.
Væ mihi, sermo meus, mea fabula crebra dolenti,
Dum tali mecum voce dolenda loquor.
Sævit, et innumeris cor lanceat (48) ira sagittis,
Pœnarumque fero turbine turba furit.
Volvor et evolvor, lectus bene mollis acutis
Urticat spinis tristia membra meis.
Nunc nimis est altum, nimium nunc decidit unquam
Pulvinar, medium nescit habere modum.
Nunc caput inclino, nunc elevo, parte sinistra
Nunc ruo, nunc dextra; nunc cado, nuncque levor,
Nunc hac, nunc illac, nunc sursum, nunc rotor infra.
Et modo volvo caput, qua mihi parte pedes.
Non ita stare queo, surgo, lectumque revolvo.
Sic modo volvo pedes qua mihi parte caput.
Non sic esse (49) queo, propero, maledico clientem
Quod male cum lecto me facit esse meo.
Vocibus iratis insontem clamo ministrum:
Huc miser Hugo veni! huc maledicte veni!
Quid facis, Hugo? jaces? Lectus meus iste quid hoc est,
Quod male quotidie sternitur? unde locus (50)?
Tunc ipsum colaphis et pugnis verbero diris (51),
Et sic quod patior verbere vendo malum.
Volvit et evolvit, plumasque reverberat ulnis,
Et modo quæ tulerat vindicat acta puer
Tunc iterum jaceo. Dormire puto. Nihil est quod
Uno momento firmiter esse queam.
Sic solet arboreas boreas evellere (52) frondes;
Sic rota mortales, sic aqua sæva rotam.
Nunc calor ignitus, nunc frigus membra gelatum;
Nunc hostiis eis sudor aquosus habet.
Tunc gemo. Tunc oculi lacrymas sua pocula potant.
Imo vomunt gemino fonte rigante genas,
Si sopor irrepsit, quod rarum, somnia ludunt
Multimodis animos motibus ægra meos,
Mergor in Oceano, tenuem taxillor (53) ad assem.
Armatos video currere sæpe deos.
Flumina parva fluunt, aret mare, corruit athlas.
Et geminas fortes (54) concutit orbis ales
Sum velut implumis, quem rodit in ilice cadmus (55),
Quæ diro matrem carmine clamat avis

(42) Apis.
(43) Ms. Helmst. *Leccatrix quærit mel musca lupusque cadaver.*
(44) Interjectio.
(45) Cæca fortuna.
(46) Ms. Helmst. *Britannis.*
(47) Ms. H. *imo*
(48) Ms. H. *lacerat.*
(49) Ms. H. *ita stare.*
(50) Causa, ratio.
(51) Ms. Helmst. *duris.*
(52) Ms. H. *evolvere.*
(53) Taxor, æstimor.
(54) Ms. Helmst. *fortis.*
(55) Serpens.

Sum velut esuriens, qui somniat aurea tecta, A
Usibus et vestes pauper habere suis.
Sum velut exspectans properantem rusticus amnem,
Qui cupit excursis pergere siccus aquis (56).
Sum velut elusus quem detinet alea lusor,
Qui cum perdiderit perdere plura parat.
Sum velut insanus, qui cum plus læditur, hoc plus
Fustibus et jactu liberiore furit.
Ah! nimis infelix, qui sustinet innumeranda,
Qui patitur humeris omnia (57) plura suis.
Tot mala, tot pœnas patior, quod si quis arenam
Conferat in numero, cedat arena meis.
Pagina sit cœlum, sint frondes scriba, sit unda
Incaustum, mala non nostra referre queant. B
Tam gravibus lædor, quod non pejora timesco,
Qui summe miser est plus nequit esse miser.
Sit maledicta dies, in qua concepit, et in qua
Me mater peperit, sit maledicta dies;
Sit maledicta dies, qua suxi pectus, et in qua
In cunis vagii sit maledicta dies.
Sit maledicta dies vitæ de ventre sepulcro
Me transmutasset o Deus illa dies.
Cum dabat ubera mater, ne mala tanta viderem
Debuerat jugulis præsecuisse caput.
Mortua nam melius abscondere membra sepulcro,
Quam vivendo pati deteriora (58) nece
Omnia conjurant in me, Pater alme, misertus
Succurras misero, spes mea, summe pater.
Omnia conjurant in me, tu Kyrieleison,
Succurras misero, summe Creator, ymas (59).

LIBER SECUNDUS.

Finitur primus liber incipit hicque secundus.
Plange miser. Palmas, Henrice miserrime, plange.
Et caput, et dura pectora, plange miser.
Me sic privignum Ramnusia (60) dira noverca
Ardet in horrendis perpetuare malis.
Est fortuna mihi serpente Neronior (61) omni.
Nam serpens fugit. At sæpius illa fugat.
Quando mihi tribuet sors prospera prosperitatem? C
Non hodie, nec cras, quod puto, forsan heri (62)
Cum me blandifero respexerit alea vultu,
Arne (63), retro properas (64) fonte recurre tuo.
Quam male fructificat, quæ nunquam floruit arbor.
Spes quoque messis abest, cum male germen obit.
O pudor! o timor! o dolor! o mala tædia vitæ!
O comes assiduus, plusque furore furor!
Quid faciam? Vos hoc mea dicite turba malorum;
Nam vos auxilium consiliumque meum.
O Deus! o quare subito fortuna rotatu
Cuncta molendinat (65) mobiliore rota? D
Sors mala, sors pejor, sors pessima, sorsque maligna
Facturam (66) turpi proteat (67) arte suam.
O pater! hanc animam, misera quam carne recludis,
Hanc lacrymis plenam suscipe, redde polo
Alme parens, animam, quam pœnæ turma flagellat,
Suscipe, quam Stygiis occat Erinnis equis.
Quam ferit Alecto, quam Thesiphoneque fatigat,
Cui fortuna nocet, quamve Megæra ferit.
Ergo pium pietas te reddat, ut impia cesset
Allecto, miserum quæ lacerare cupit.
Tu quoque vesani promptissima causa doloris
Ausculta, et sceleris, perfida, siste rotam.
Verberibus præceps diris fortuna quid hoc est,
Quod caput affligis insidiosa meum?
Quo rapis, o fera! me? Crœsum facis impia Codrum,
Nestora (68) Tersitem (69), turpius ausa nefas.
Nunquid ego Scarioth (70)? Nunquid sum Pontius? unde
Tam graviter merui tanta flagella pati?
Stulta quid insanis? caput hoc, caput hoc quid acerbas (71)?
Pone modum sceleri, perfida? pone modum.
Deficiunt alii? Me solum sola fatigas.
Sed videas quid agas, ultio raro perit.
Prospice ne tua te pœnarum turba sagittet:

(56) Rusticus aliquis veniens ad magnum fluvium exspectare volebat donec defluente amne sicco pede transire posset.
(57) Ms. H. *crimina*.
(58) Ms. H. *deteriore*.
(59) Quid *ymas* sibi velit non apparet. Deest integrum distichon in codice Guelpherbytanno, nec puto Henrici esse. Stylus non solum repugnat, sed etiam numerus versuum quorum 250, quemque librum absolvunt
(60) Fortuna.
(61) Sævior.
(62) Ironia.
(63) Arnus est fluvius juxta Florentiam curvis ambagibus defluens.
(64) Ms. Helmst. *properans*.
(65) Volvit.
(66) Creaturam.
(67) Mutat.
(68) Ms. Helmst. *Nestore*.
(69) Ex prudente reddis me stultum.
(70) Judas.
(71) Ms. H. *Stulta quid insanis, caput hoc quid pœnis acerbas*.

Nam ferit auctorem (72) sæpe sagitta suum. A
Heu quid agis? quid agis? quid me, quid perfida perdis?
Pone modum sceleri, perfida. Pone modum.
Dic mihi quid feci. Responde, lingua dolosa.
Responde per eum, qui super astra sedet.
Si nobis vesana tui si copia detur,
Dilacerata feris turpiter esca fores.
Quis furor? Unde furis? Quid me furiosa lacessis?
Pone modum sceleri, perfida! pone modum.
Talibus orba suas dictis dea præbuit aures.
Hæc ait, et sceleris circinat (73) ipsa rotam:
Quid mea mordaci laceras vaga fata, Camæna?
Quem fore plus misero plusque dolente (74) dedit. B
Nonne meo mundi clauduntur regna pugillo?
Nonne meum regnum climata cuncta tremunt (75)?
Græcus et Hebræus; et Barbarus, atque Latinus:
Me timet, exorat, me veneratur, amat.
Nonne potestates mundi, mundique minores,
Imperio cogo subdere colla meo?
Nuper Alemannus (76) Siculam delatus in oram
Ludendo (77) Fericam (78) perdidit ipse suam.
Perdidit hic equites, rochos (79), peditesque bovesque (80).
Perdidit et calphos; vix bene tutus abit.
Meque Saladinus (81), nimium vexilla salutis C
Expugnans, hostem sentiet (82) esse suam (83).
Quid veteres referam, quorum fert fama ruinam?
Mater Pompeio, deinde noverca fui.
Verba sic Dario, post verbera; mellea Cyro,
Fellea post, nutrix ingeniosa dedi.
Tu quem fama silet, quam noscit dedecus, iram
Opprobriis laceras opprobriose meam.
Quidve minas (84) agitas? Reus est pro crimine læsæ
Majestatis, et hoc tota propago luet.
Prospice quid facias, nondum perit omne venenum.
Et mea vis nondum desinit esse mea.
Quæ pejora potes, meretrix fortuna, noverca D
Pessima, Medea dirior, hydra ferox?
Ad nihilum veni (85). Restans nunc (86) spiritus ossa
Non habet, in quo nil hæc tua probra valent.
Morte nocere putas? Foret hæc mihi causa salutis.
Dupliciter mors est, morte carere mihi.
Quam lætus, quamcunque Deus donaverit horam,
Suscipiam. Post hanc stercus in ore tuo.
Quid toties varias summis furiosa figuras?
Nunc alacris rides, nunc lacrymosa gemis.
Aurea nunc, nunc sordida, nunc nigra, nunc rubicunda:
Florida nunc, nunc es sordida facta luto.
Proteus esve, vagusque. Movet tua viscera ventus.
Vel tua diabolus viscera crebra movet.
Semper es inconstans, vaga, mobilis, aspera, cæca,
Instabilis, levior, perfida, surda, fera.
Tunc ea subridens: O quanto pulvere noctis
Humanæ mentis lumina cæca latent (87).
Nunquid obaudisti; sermones ponderet unus,
Quisque (88) suos sapiens, cogite ante loqui (89).
Legibus indictis utor. Si legibus: Ergo
Justis. Si justis: jure. Fit ergo bene.
Nonne sua licito sic quilibet utitur arte.
Quod sibi sors dederit utitur omnis homo.
Miles equis, piscator aquis, et clericus hymnis;
Nauta fretis, pugiles marte, poeta metris.
Rusticus asper arat, numerat mercator avarus,
Virgo legit flores, stultus amator amat.
Ast ego, quæ dea sum, qua nulla potentior orbe,
Quem ligat Oceani circulus orbe suo.
Nonne meam licite, stultissime, prosequar artem?
Sic opus est, ut te præcipitando rotem.
Ergo vide quid agas. Sapiens deliberat ante
Quam faciat. Sic tu præmeditare, miser.
Ah! genus humanum mea quantis asperat acta.
Morsibus, atque meum dentibus occat opus.
Si sibi (90) divitias digitis porrexero laxis
Laudibus extollar imperialis ego.
Tunc ego, summa parens, et tunc regina verenda.
Tunc dea summa; deo præferor ipsa Jovi.
Sed si forte meam retinentem clausero dextram,
Morsibus et stimulis mordeor ipsa feris.

(72) Ms. H. *actorem*.
(73) Volvit.
(74) Magis quam doles.
(75) Timent.
(76) Henricus VI, Friderici I imperatoris filius; A. 1191 infelicem in Apuliam expeditionem suscepit adversus Tancredum Siciliæ usurpatorem.
(77) Pugnando.
(78) Ms. H. *Pherisam*. Denotat uxorem Henrici Constantiam, quam Tancredus cepit.
(79) Vocabulum ex terminis technicis ludi scacchici, innuitque hic loci procul dubio duces belli.
(80) Ms. Guelpherb. *minores*.
(81) Saladinus A. 1187. Hierosolymam et Palæstinam occupavit.
(82) Ms. H. *senserat*.
(83) Ms. H. *suum*.
(84) Ms. H. *Quid me minis*.
(85) Ms. Helmst. *eveni*.
(86) Ms. H. *restat nec*.
(87) Ms. Helmst *manent*.
(88) Unusquisque conjungenda ex utroque versu.
(89) Antequam loquatur.
(90) Generi humano.

Tunc ego perjura (91), tunc turpis adultera dicor. A
Tuncque sacerdotem me vitiasse ferunt,
Tu modo sed quare me dentibus asper acutis
Infelix laceras, colloquiisque tuis;
Arbitrio loqueris; nam juris pondus abhorres,
Et dedignaris de ratione loqui.
Sed docet injustam causam partemque tueri,
Qui solis probris certat iniqua loqui.
Sic solet ignarus, cum desunt verba, sophista
Garrulus, ut videat voce tonare sui.
Sic quoque, cum desunt tibi jura, recurris ad ipsam,
Quam bene novisti, garrulitatis opem.
Ergo si qua tuis, quod non puto, mentibus hærent B
Justa, refer; vel tu, quod magis oro, sile.
Tunc ego: Vesanum, meretrix Ramnusia, monstrum?
Non licet hoc solum verba referre mihi.
Tu facis, et dicis. Laceras me perfida factis.
Improperas (92) post hæc facta nefanda mihi.
Nunc scio de facto, quod semper culpa redundat
In miserum, qui non unde tuetur habet.
Lis quoties oritur aquilas ac inter olores,
Culpa solet minimis semper iniqua dari.
Sic quoties certant actæon (93) rexque ferarum,
Pessima qui minor est jura fovere ferunt,
Et quoties rabies sævit Germanica Tuscis,
Oppida testantur levia fracta fidem. C
Tu quoque me. Sed si vim vi depellere possem,
Vel taceas, tua vel parcior ira foret.
Cautius ergo tuas satyras, inimica deorum
Insere vel tibi quæ sunt reticenda vide.
Nam male castigat socios, quem crimen eadem
Labe premit pariter, quam removere studet.
Sic Paris Ægidem; sic Lucius ille Cethegum;
Sic quoque retrogradum mater aquosa (94) suum.
Non igitur studeas alios damnare, quod in te est;
Ne cadat in barbam pœna pudenda tuam.
Nam fatuum nimis est, aliquem damnare se ipsum
Quod tibi ne facias, litigiosa, cave. D
Tu levis et læva, tu præceps, tu furiosa,
Tu ratione carens nescis habere modum.
Te feris atque furis. Laceras mea membra (95) lacessis
Et latus, et latum destruis omne meum.
Tunc ea: Non unum mecum lucrabere nummum,
Qui dominam quæris decorare tuam.
Namque suo servus domino luctando repugnans,
Calcitrat in stimulum perfidus ipse suum.
Discant mortales dominos proprios venerari (96):
Nam qui fraude nocet fraudibus ille perit.
Nunquid Alexander? nunquid tu Cæsar es? unde
Tanta superbia, vel tantus inique furor?
Tu quis es? Unde furis? Te scimus; et unde fuisti;
Quæ sit origo tui; quive fuere patres.
Te decet horrendis vexare ligonibus arva,
Quod genus agresti postulat arte tuum.
Et quis es? Unde venis? cro, cro (97) vesane recede.
Et geme perpetuum, perpetuumque late.
Quidquid agas, quidquid dicas, quidquid patiaris,
Non facit ut retrahas quod mea dextra trahit.
Sic ego primatum, venerandaque sceptra tenebo.
Et pro velle meo, mel tibi felque dabo.
Tu formica brevis, mus parvus, gnanus inanis?
Quid mihi tu facias, gnane pudende? Nihil.
Nil tua probra, minas, generalis œconoma rerum,
Curo, sed in cathedra glorior ipsa mea.
Nec minus unguipotens (98) volucres, leo papiliones;
Nec Polis (99) angustum Tibur (100) avara minus (1).
Nec minus archivolans (2) tremulas generosa cicadas;
Quam tua vaniloqua (3) verba minasque tremam (4).
Quid tua sanna potest. Si quis derisor, et ipse
Derisus turbis omnibus esse solet.
Nictimine (5) sonita deridet nocte volucres;
Nunquid eam lacerat cætera turba die?
Sic qui derident alios ridentur et ipsi.
Nil magis in populis est generale. Nota!
Ergo quiesce, miser! miser, ergo quiesce, quiesce?
Nam leve verba potes ferre, sed acta grave.
Tunc ego: deliris stomachor Ramnusia dictis,

(91) Rectius *perjurans*.
(92) Objicis.
(93) Cervus in quem Actæon mutatus.
(94) Alludit ad fabulam de cancri matre filio gressus obliquos objiciente.
(95) Ms. Helmst, *me mene.*
(96) Ms. H. *vereari.*
(97) Glossa msti Helmestadiensis substituit: *reoch, reoch.* Videntur ambo notare exsibilationem.
(98) Acciper vel aquila.
(99) Constantinopolis.
(100) Roma.
(1) Sensus est. Nec minus Constantinopolis Romam curat. Sine metri damno sensus clarior redderetur versus ita struendo: *Nec minus angustum Tibur avara Polis.*
(2) Aquila.
(3) Ms. Helmst. *vaniloquas.*
(4) Versus integer rectius strueretur hoc modo: *Quam tua verba tremam vaniloquasque minas.*
(5) Noctua.

Dum mihi probra tuis objicis orba metris.
Dum mea veriloquis reoitas convicia verbis,
Nil gravius vero sævior ira tenet.
Non opus est verbis, gladio qui percutit hostem:
Nam satis ad vulnus sufficit ensis atrox.
Improperasne mihi genus ?, usuraria ! monstrum !
Fronte capillata, sed retro rasa caput!
Simia non es. Turpior es. Turpissima rerum
Res es : nescio quid, quam nihil esse velim.
Sim licet agresti tenuique propagine natus.
Non vacat omnimoda nobilitate genus.
Non præsigne genus, nec clarum nomen avorum,
Sed probitas vera nobilitate viget.
In tenui calamo latitat mel sæpe suave.
Et modici fontis temperat unda sitim.
Nil tremis. Unde locus : Bucifal (6) sæpissime muscis,
Et formicarum sæpe fit esca lupus.
Nil adeo validum, quod non quandoque teratur.
Hoc et ab invalido sæpe videre potes.
Vomer humo, lapis unda, pollice gemma, quid ultra ?
Sæpe quod est solidum frangere molle solet.
Non semper Marium, nec semper sæpe rotatum
Volvis Apollonium. Fortior alter erit.
Qui redimens mea probra fero pugnabit agone,
Et tibi forsan atrox auferet ille caput,
Tunc ea : pacificis loquar ex ratione loquelis
Si placet et mecum pacificare velis.
Despicerer nimium, si starem semper eodem
Vel bona, vel mala, vel inter utrumque manens (7).
Omne quod est crebrum, nimio sordescit in usu.
Omne quod est rarum, charius esse solet.
Pullegio piper est generosum vilius Indis,
Vilior herbicolor cautibus aspis (8) ibi.
Carior est grisea gelidis chlamys aspera Gothis
Qua fera carnificum dextera nudat ovem.
Bononiæ (9) claro plus milite clarus habetur
Clarus et horrendus Marte furente pedes.
Non adeo potes, ipse queri. Tibi sæpe benigna,
Et, quamvis nunquam prodiga, larga sui.
Nunc ego sic tibi propono clementior esse,
Si libet et mecum pacificare velis.
Absit, iniqua canis, me tecum pacificare.
Sed tibi pacificet sæva Brunellus (10) iners,
Nam tibi nulla fides; nullus modus; ordine nullo
Vivis, et est socius pro ratione furor.
Tunc ea : judicio non tecum stare recuso,
Ut videat lex hoc Justiniana scelus.
Si bene dicis, habes, quod abest, jus, et rationem:
Si male, præceptis ergo quiesce meis.
Ni melius, quam jura, scias, ignava, rotatus
Staret, quem gyras orbis in orbe tuo.
Sistere judicio furiosæ lege vetantur,
Ergo tibi jus, cum sis furiosa, vetat.
Tunc ea: Vade ferox. Hostis meus esse memento,
Tu quoque vade, hostis esse memento mea.

LIBELLUS TERTIUS.

Finitis binis libris ternum sociemus.
Cum mea lamentans elegiaca (11) facta referrem,
Et cum fortunæ verba inimica darem.
Ecce nitens proba, quæ salomonior (12) est Salomone,
Ante meum mater lumen amœna stetit.
Quam facies elevat, variat quam forma vicissim,
Nunc cœlum, nunc plus, nunc capit illa solum.
Hanc phrenesin dictam septena cohors comitatur,
Præbuit officium cuilibet illa suum.
Prima (13) fovet pueros; alia (14) silogizat; amœnat,
Tertia (15) colloquiis; perticat illa (16) solum;
Hæc abacum (17) monstrat; alia (18) philomenat; et altum
Erigit ad superos septima (19) virgo caput.
His prædicta dea sedit comitata deabus,
Et, quasi compatiens jus patientis, ait:
Quæ lethæa tuus potavit pocula sensus?
Quo tua dormitat mens peregrina loco?
Certe cæcus es, et tua mens exorbitat idem (20)
Tantillum nescis, quod schola docta dedit
Heu quantum pateris. De sola mente dolesco :
Quod tuus hoc peregre tempore sensus abit.
Si foret hic Hypocras (21), et tota medela Salerni,

(6) Bucephalus. Hic innuitur bos.
(7) Ms. Helmst. *tenens*.
(8) Ms. H. *jaspis*. Rectius quod ad sensum versus simul ratio haberetur si scripseris : *Cautibus jaspis*.
(9) Forte *Poloniæ*. Glossa marginalis msti Helmstadiensis alios *Pannoniæ* legere monet.
(10) Asinus a Nigello Wirekero Brunellus dictus.
(11) Miserabilia ms. Helmst. *Elegica*.
(12) Sapientior.
(13) Grammat.
(14) Logica.
(15) Rhetorica.
(16) Geometria.
(17) Arithmetica.
(18) Musica.
(19) Astronomia.
(20) Rectius : *E. certe cæcus. Tua mens exorbitat idem.*
(21) Hippocrates.

Morbida non vel sic mens. tua sana foret. A
Nam nequit antiquum medicina repellere morbum,
Quodque diu crevit durat in esse diu.
Heu doleo super hoc, quod mentem perdis, et omni
Brutescis sensu, bestia factus homo.
Quid tibi cum lacrymis? Lacrymarum copia nullum
Participem voti debilis esse facit.
Qui gemit ingeminat sua damna; dolore dolorem
Ampliat, et duplici funere vivus obit.
Quid tibi et injustæ fortunæ? multaque semper
Passus es opprobrii vincula propter eam.
Vis ipsam non esse vagam? Natura repugnat. B
Quæ dedit instabilem semper et esse vagam
Seminat in spinis naturæ jura retractans.
Garrula divelli rana palude nequit.
Qui cupit auferre naturam seminat herbam,
Cujus in Arturi (22) tempore fructus erit.
Te nimis aura rotat, nimiumque moveris amaris,
Et nimium stolidum te facit esse dolor.
Non hominem redolens hominis denigrat honorem,
Qui nequit adversis prospera juncta pati.
Utitur ignare dulci, non usus amaro;
Namque per oppositum noscitur omne bonum. C
Disce gravanda pati. Patientia temperat iram.
Et diros (23) animos mentis oliva domat.
Nonne recordaris veluti stimulante tyranno
Moriger innocua Seneca morte perit?
Nonne meus Severinus (24) inani jure peremptus
Carcere Papiæ non patienda tulit?
Nonne cupidineus metrosus Naso magister
Expulsus patria pauper et exsul obit?
Quid referam multos, quorum sine crimine vita
Verbera fortunæ non patienda tulit?
Silva capillorum numeratis cederet illis
Quos necis immunes inclyta vita dedit.
Aspera ferre decet. Maturant aspera mentem.
Et bene matura plenius uva sapit. D
Per nimios æstus gelidas transitur ad umbras
Sicque per oppositum dulcia quærit homo.
Laurea pro pœna, pro morte corona, resultat.
Unde laborat homo, præmiat inde labor.
Quid facis, immunde, mundique immunda quid optas!
Immundus mundus quæ tibi munda dabit?
Vivere stulte putasne per omnia sæcula? Per te (25)
Factus es insanus credulitate tua.
Insani sane capitis gravitate laborat,
Qui putat hoc mundo vivere posse diu.
Sensus abest tuus, et tuus intellectus oberrat.
Et tua Lethæis mens peregrinat aquis.
Dic ubi sunt, quæ te docuit, Bononia, quondam?
Hæc, ego, dic, ubi sunt, quæ tibi sæpe dedi;
Te multum fovi, docui te; sæpe rogavi;
Et mea secreta sæpe videre dedi.
Tu mea vitis eras; tu palmitis umbra novelli;
Tu fructus validam spem mihi sæpe dabas,
Te rastris colui, sepis ac munimine cinxi.
Et lapides ex te, et cuncta nocenda, tuli.
Tempus adest fructus; vitis dedit ipsa labruscas
Proque rosa crevit aspera spina mihi.
Heu cadit in spinas, quod ego in te semino, semen;
Et mentem spina suffocat ipsa tuam.
Quod loquor et moneo, quod semino suffocat ipsa
Quæ male multiplicat semen arena suum.
Tu nimium tuus es, nimis et tibi credis, inepte,
Et solus credis providus esse Cato.
Philosophus nimis es, nimiumque platonior ipso (26).
Ultra philosophos mens tua sæpe fluit.
Absque labore sequi Pythagorica cornua cervæ (27)
Virtutem (28) dextro lumine nemo potest.
Ast alia furca est; facilis descensus Averni,
Ut docet archiloqua voce poeta Maro.
Non sine sudore probitatis scanditur arbor;
Nec sine sudore Martia palma venit.
Laudo te, sed in hoc non laudo, quod ipsa caduca
Aufugisse citis gressibus orbe gemis.
Proh dolor! unde doles! proh dolor! unde times? dolor! unde
Ploras? quæ tua sunt, o miseranda cinis?
Primitus in mundo tecum tua quanta tulisti?
Nudus eras primo, et postea nudus eris.
Tunc ego: mira refers, quid et hoc est vera sophia,
Quod dicis? Nimis est hic mihi sermo gravis.
Quis modo tam mitis, tam dulcis tamque benignus,
Quem nimis hæc ultra non ferat ira modum.
Nunc ego cum videam paleis postponere grana,
Cum superet molles nunc saliunca rosas;
Cum fructus hodie ante suos paret edere flores,
Arbor abortivis prodigiosa comis;
Cum, quod grande nefas, tolluntur ad alta nefandi,

(22) Cum Arthurus in Britanniam redibit, id est nunquam.
(23) Ms. Helmst. *duros*.
(24) Boëtius.
(25) Italica formula jurandi. Ms. Helmst. *partim*.
(26) Insignior philosophus ipso Platone.
(27) Littera Y.
(28) Ms. Helmst, *virtutum*.

Et premitur vita deteriore probus ;
Dic mihi : qui mores, quæ vita, quis ordo, Neroni
Urbis et urbis opes, imperiumque dedit ?
Ecce, sed id taceo, multi probitate vetante
Nomen habent, quibus est nominis umbra pudor.
Tunc ea : Deciperis, nec te ignorantia juris
Excusat, nimis es, imperiose, rudis.
Quam gravis hic labor, et quam magna industria mentis,
Noscere veraci cognitione probos.
Sæpe bonos mendax mentitur opinio pravos
Atque e converso promovet ipsa malos.
Omnis quæ niveo volucris plumescit amictu,
Non est si simulet vera columba tamen.
Sæpe sub agnina latet hircus pelle Lycaon ;
Subque Catone pio perfidus ipse Nero.
Econtra, bene scis, inter latet hispida mollis
Tegmina sanguineo tincta rubore rosa.
Tamque duces claros Ithacum (29) prolemque Philippi (30)
Membra per obscuras littera prisca refert.
Multa vides igitur phaleris circumdata fictis,
Quæ se longe aliter, quam videatur, habent.
Injustos habuisse doles fastigia rerum :
Longa tibi status hic causa doloris erit.
Quam sit ad alta trahi miserum mortalibus omen
Nescis. Si scires hoc siluisse velis.
Promovet injustos fortuna volubilis, ut quos
Scandere præcipites fecit ad ima rotet.
Nam graviore ruit turris tumefacta ruina,
Et gravius pulsat alta cupressus humum.
Mens hominum quantis errorum cæca tenebris
Mergitur, ut reputet sola nefanda bonum.
Non felix, qui non, ubi crescat honore, sed hic qui
Non ubi decrescat quo neque possit habet.
Væ tibi ! væ mortale genus ! quod semper ad alta
Niteris, ut lapsu perfidiore cadas.
Hic gladios, hic pocula, sævus et hostis et hospes
Temperat interius dira venena sui.
Aspice cui (31) toties capitolia celsa triumphos
Obtulerant famulum fata tulisse suum.
Aspice quem (32) Babylon cupido potavit in auro.
Fataque quam (33) tulerit Cæsar acerba suis.
Nonne ferox Macedo protectus ab hoste tyrannus
Corda venenatus inter amica perit?
Quid Darium referam? Quid Cyrum? quidve Neronem?
A Nam tenui semper omine pendet honor.
Ecce modernorum priscis exempla relictis.
Paupertate nihil tutius esse potest.
Unicus ille leo, fidei vigor, unicus imo
Murus, et hostis (34) erat, unicus ille timor.
Dux ferus et nostræ Cunradus (35) causa salutis,
Cur quia magnus erat proditione perit (36),
Qui modo regnantes et fortes fregerat arces,
Cui genus et census robora multa dabant ?
Nuper idem (37) misero sub paupertatis amictu
Caput et inclusus Anglicus (38) acta luit.
O cæcum mortale genus ! quid tutius ergo
Paupertate? Fere nil. Nihil absque fece.
Vade per Hispanos, et nigros vade per Indos.
Vade per insidias. Vade per omne nemus.
B Vade per hostiles cuneos, turmasque latronum:
Dummodo sis verus tutus egenus eris.
Quid faciet vacuus coram latrone viator?
Lætus et intrepidus fundet ad astra melos.
Quid rutili torques? quid prosunt ergo tiaræ?
Quid sceptrum ? quid honos ? quid loculusve satur?
Quidve magistratus? et quid pretiosa supellex?
Paupertate nihil tutius esse potest.
Tunc ego : Scire velim, si non nimis esset onustum :
Mundus an hic vitæ deterioris erit?
An proprium, quod amo, scelus exuet? an magis isto,
C Quod jacet, infelix stabit in esse suo.
Dic tamen, unde supra memini, bene cum retulisti :
Inmundus mundus quæ tibi munda dabit.
Tunc ea : Vix umbram gerit hæc. Præludia rerum
Solvere propositum luciditate queunt
Nunquid ad argentum puro venimus ab auro,
Alter ab argento cursus ad æra fuit.
Tertius in ferrum fit cursus ab ære. Quid est nunc?
Decidit in cursu deteriore lutum.
Deficiente luto quid erit ? Veniemus ad ipsum
Stercus, et in tali feteat omnis homo,
Ecce vides, quantis putrescit sordibus iste
D Mundus, et hoc ipso nomen habere nequit.
Omnia degenerant. Pejoribus omnia currunt
Cursibus, et fracto remige navis abit.
Mundus amat, spernit, tenuat, sectatur, abhorret;
Pessima, justitiam, jura ; nefanda, bonum.
Mundus alit fraudes, refovet scelus, arcet honesta,
Recta fugit, violat fœdera, fœda cupit.

(29) Ulysses dicitur Ithacus.
(30) Alexandrum M.
(31) Julio Cæsari.
(32) Crassum.
(33) Ms. Helmst. *quæ*.
(34) Ms. H. *hostilis*.
(35) Marchio de Monteferrato qui pugnaverat contra Saracenos.
(36) Richardus jussit eam occidi. v. Glossa ms. codicis Helmst.
(37) Ms. H. *væ*.
(38) Richardus rex Angliæ captus a. 1192.

Ipsa caput mundi venalis curia papæ
Prostat, et infirmat cætera membra caput.
Sacrum cerne nefas, utrumque pudentius ævo,
Venditur in turpi conditione foro.
Chrisma sacrum, sacer ordo, altaria sacra, sacrata
Dona, quid hæc ultra? Venditur ipse Deus.
O sacra, quæ sacras maculant commercia sedes!
O sacra quæ faciunt cœlica templa forum!
Tale tuus mundus, si mundus jure vocatur:
Tale frequentatum sudat (39) habere forum.
Ecce sed ista pudet circumvaga turba scholarum
Sectantur propria venditione forum.
Citra legis iter proh tam pretiosa propago
Venit servili conditione dolor.
Libertas vitiata fugit, nec quamque vocari
Ingenium talem de ratione decet.
Ecce nefas sese stimulante cupidine nupta
Vendit, et innuptæ contigit illud idem.
Si foret ut quondam Lucretia casta, crumena
Cum sibi porrigitur, cedet amara tibi
Penelope viduæ nunc mercenaria vitæ
Ad nummi sonitus audiet illa preces.
Venditur, o dolor! omnificis sententia nummis,
Judicumque pium copia frangit opum.
Deviat a vero corruptus munere judex,
Falsiloquumque facit jus pia gaza pium.
Luxus edax, livorque macer, malus ardor habendi:
Vastat opes, mordet optima, corda cremat.
Pestis adulatrix, pro ficto risula vultu,
Cuncta potest, satrapis deliciosa comes,
Ecce suo Pylades, scelus! insidiatur Oresti.
Nuptaque sub proprium sanat (40) iniqua virum
Clericus edoctus (41), miles rudis, et leve vulgus;
Negligit, horret, alit; jura, modesta, malum.
Migrat in exsilium virtus, vitiumque triumphat;
Regnat, et in populis grande tribunal habet.
Nescio quo cæco linita papavere dormit,
Mensque Creatorem nescit iniqua suum.
En iterum toto lingua crucifigitur orbe.
En iterum patitur dira flagella Deus.
Vespasiana manus iterum consurgit, et omne
Diruit oceanum, qui scelerata patrat.
Factorem factura suum stimulante tyranno
Delicti factis despicit orba suis.
Inde fames venit, inde gravis discordia regnis,
Inde Chananæis præda cibusque sumus.
Inde premit gladius carnalis spiritualem,
Et vice conversa spiritualis eum.
Hinc subitos Atropos prædatrix occupat artus,
Nec sinit, ut doleat pœniteatque miser.
Jure vides igitur, quod recta ligatio nectit
Immundus mundus hæc duo verba simul.

LIBER QUARTUS.

Utiliter quartum debes hic discere librum.
Hactenus unde dolor, et quæ fomenta doloris,
Vidimus, inventa perfiditate mali.
Nunc opus est, morbus lenis ut medicina refrenet,
Atque hostem faciat hostis abesse suum.
Primitus insanas lacrymarum pelle procellas,
Quarum conjugio perditur omne bonum.
Nam dolor attenuat vires ubi planctus abundat,
Tristitiamque mali decaplatisse sui.
Si mala dat planctus, malus est hic ergo necesse:
Si malus, ergo nocet; si nocet, ergo fuge.
Contra mœrorem cape gaudia; velle refrena;
Atque mali finem semper adesse puta.
Grata superveniet quæ non sperabitur hora,
Quæ compensabit fellea prisca favis.
Una serena dies multorum nubila pensat,
Et luteum tergit, quod facit unda solum.
Fortunam dimitte vagam, permitte vagari,
Quæ nunquam stabili ludere fronte potest.
Contra fortunam sis constans, sis patiens, sis
Ferreus, adversis te neque frangat hiems.
Fortuna ridente gemas, plorante joceris;
Ipsa sit auspicium tempus in omne tuum.
Cuncta rotat fortuna rota, qua cuncta rotantur;
Sic tenui magnus orbis in orbe perit.
Firmus in adversis, piger ad mala, tardus ad iram,
Promptus ad obsequium, tristis ad omne nefas.
Sis tibi discipulus, aliisque magister, et intus.
Sis tuus, extra sed totus alius eris.
Virtutem pete, sed vitium fuge; quod sit honestum
Quære quod utile, quod turpe fugando fuga.
Amplexanda tibi cleri thesaurus honestas,
Et ratio populis heu modo rara comes.
Nec viscosa manus, oleoque nec uncta sit, imo
Inter utrumque tenens, respuat omne nimis
Inter Democritum (42) tristemque Democena (43) curre.
Inde statum libret virga modesta tuum.

(39) Ms. Helmst. *studet.*
(40) Legendum *sannat* et anterius *sub* conjungendum. Rectius forte versus sic strueretur: *Subsannat proprium nuptaque iniqua virum.*
(41) Legendum *indoctus.*
(42) Qui semper ridebat.
(43) Glossa ms. cod. Helmst. ad hanc vocem: *Democenas fuit quidam philosophus, qui semper flevit.*

Stillet in ore favus, sed mente resultet oliva. A
Et non sit totus sensus in ore tuus.
Respue multivagos, stabiles sectare, caduca
Pensa, peccantes argue, siste leves.
Dicta minus sint, facta magis ; sis parcus in hymnis (44),
Parcus in opprobriis, largus ad omne decus,
Factaque si desint, non desint verba benigna ;
Nam multos charos mellea lingua parit.
Majores sectare, patres venerare, minores
Instrue, vel juvenes punge, vel unge senes.
Ebrietatis onus fuge, sperne cupidinis arcum ;
Exsulat hinc virtus hæc ubi jura tenent.
Sibila nec vulgi, nec dona retrograda, cures.
Extra virtutem sit tua cura nihil.
Si petra sit glacies, quid ad hoc? magis utilis esset B
Paganus tibi, quàm claviger uncus homo (45).
Aurum plumbescit. Quid ad hoc? Et nectar acescit :
Quodque monarcha negat sæpe tetrarcha facit.
Ergo Dei porro confidas in bonitate,
Et tua virtutum jure secundet ea.
Natura contentus eris ; mala scandala vita ;
Et tua consilium quælibet acta probent.
Ad tempus lusor (46) nequam delusor amicus
Semper sit minus in corpore, mente magis.
Sacriloquos rimare libros, mansuesce rogatus,
Legibus insuda, nil nisi justa refer. C
Paucis dedecus, omnibus obsequium, caveas ne
Frons rugosa neget, quod manus ipsa facit.
Qui decus oblatum rugosa fronte venenat,
Plus mihi diabolo displicet ille dator.
Dona serenus homo, charumque serenat amicum,
Atque datum facie duplicat ipse suum.
Nil nisi quod dederis promittas, namque trutanam
Esse facit linguam sæpe chiragra manus.
Mallem te podagrum quam taliter esse chiragrum.
Invalidis pedibus auxiliantur equi.
Quod donare velis dones sine spe redeundi :
Ne quod aperta dedit detrahat unca manus ;
Nam dator ablator cancrum gradiendo figurat, D
Quem cancrum facit dedecus esse suum.
Nec circa famulos te pessima consiliatrix
Concitet iratis vocibus ira gravis.
Major enim virtus clementer habere clientes,
Quam quos majores efficit ipse gradus.
Nec sis linguosus, nec in omni famine mutus,
Sed sola studeas utilitate loqui.
In te cognoscas alios : magis utile nil est,
Et magis urbanus nullus in orbe potest.
Ne sit amica tibi prægnans extensio ventris,
Nam nimis est miserum corpus habere cibi.
Nulla minor virtus, socium quam vincere mensa,
Et sacro ventris æquiparare peram.
Hypocritæ vitium, Simonis contagia, quæ nunc
Clericus omnis amat, sint inimica tibi.
Accusare cave, quæ non accusat abusus :
Ne male procedens tu patiaris idem.
Prospera non semper, nec quæras semper amœna :
Non semper dulcis lingitur ore favus.
Non omni pratum festinant tempore flores,
Nec semper viridis purpurat herba solum.
Utere discretis, quibus inclyta vita sit, unde
Non nisi discretum sumere nemo potest.
Namque bonus bona, sed de pravis prava trahuntur.
Dulcia de dulci palmite vina fluunt.
Non rosa dat spinas, quamvis sit filia spinæ.
Nec violæ pungunt, nec paradisus obest.
Plùs tibi sit charum mundum, quam mundus ; amicus,
Quam socius, quam sit sanguinis ipse gradus.
Ne nimium stolida tu credas credulitate ;
Nam plus quam Scarioth tradidit illa viros.
Non magis Iconium Fredericum (47) tradidit olim,
Quam nunc credulitas suspiciosa suos.
Plurima sustineas, jungas medicamina morbis,
Ut multum morbum multa medela fuget.
Ut varias optant diversa negotia leges,
Sic varias physicas invaletudo tremens.
Hæ succos, hæ semen amant, hæ cortice gaudent,
His coma, radices his, medicina favent.
Phreneticos malvæ, colicos absinthia curant,
Empticus anetum, lac quoque spasmus amat.
Sic non officium celebrat quinarius unum
Sensus, sed propria quilibet arte viget.
Ille colores, ille sonos, sapit ille sapores ;
Alter odoratus, alter amœna sapit.
Tu quoque, quem nimio vitium deforme fatigat
Pondere, virtutum pocula plura bibas.
Sit tibi chara tui victoria plus aliena,
Et te plus aliis vincere marte stude.
Crede mihi magis est virtute domare se ipsum,
Quam vice Samsonis sternere mille viros.
Quamlibet officiis, nec quæras quis sit, honora;
Nam multos claros (48) lætus amicat honor.
Gressibus assiduis quisquis bene quærit honorem,
Reciprocis gradibus hunc quoque quærit honor.
Blandus adulator, et proditor impius, æquo
Semper, dum vivis, sint in amore tibi.
Nam naturali blanditor jure tenetur
Risibus et phaleris proditor esse suis.

(44) Laudibus.
(45) Curvus semper attrahens ad se ut uncus.
(46) Lætus, jucundus.
(47) De Friderico I Barbarossa dictum intelligit Christianus Daumius in epistol. philog. critic. p. 164.
(48) Helmst. Caros.

Fistula dulce canit, si non mihi, crede Catoni, A
Dum lyra dulcisono carmine prodit aves.
Nec nimis astutis vulpescat lingua querelis;
Nam dubiam pariunt vulpida verba fidem.
Neve tuum jactes alienum deprecor hymnum;
Ne volucrum synodo nuda cachinnet avis.
Nunquam cervicem sine cauda pingere tentes;
Nam sine fine suo primitiare nocet.
Mutus ad opprobrium, surdusque ad murmura, cæcus
Ad vanum, stolidæ claudus ad artis iter.
Hymnificet de te tua non, sed vox aliena;
Nam bene festivos stercorat illa viros.
Sit tibi plus inimica noverca superbia morum,
Quam quæ Christicolas gens Soladina necat.
Sitque magis solito (49) tibi gustus amoris amarus: B
Nam scio quod scio quod tu fere (50) stultus amas.
Quid tibi cum ganea? quid cum meretricis alumno?
Credis tu paridi? stultus es atque pater.
Spurius ille puer nullum suadebit honestum.
Natus adulterio semper adulter erit.
Quos eremitat amor potius deremitat et ipse,
Fac, amet Hyppolitus, mente Priapus erit.
Est fugiendus ob ista fide jejunus ab omni,
Qui nimis orbiculat seque crumenat, amor,
Proscribas igitur gladiis et fustibus ipsum,
Et fugiendo fuga, quæ fuga sola fugat. C
Nec te pigritiæ consors dilatio tardet:
Ad bona nam cupiens omnia tarda putat.
Nam mora denigrat donum, meritumque minorat,
Sed cita grandificat munera parva manus.
Ne credas solos magnates esse timendos:
Est fidus socius, est et amicus amans.
Major honor Pyladem charumque timere sodalem,
Quam Syriæ regem cæsareosque duces.
Invidiam fugias morsusque sororis iniquæ,
Quæ rapido clarum dente caninat opus.
Nec te prætereat humanæ sortis origo:
Terrea testa, luti gleba, miserque cinis.
Heu caro nostra dolor, plus flore caduca caduco, D
Qui parvo spatio fit puer atque senex.
Quam fragilem textrix contexit aranea telam,
Tam fragili tegitur tegmine vita brevis.
Quamlibet in propriis gradibus probitatis honora:
Optimitas tibi sit plus bonitate placens.
Simplicitate fruens hic Scotica fercula (51) miscet,
Qui plus atque minus æquat honore pari.
Fermentat claros numerosa pecunia mores,
Quæ tibi si fuerit hospes et hostis ego.
Moribus excultus, sincerus mente, molestus
Actibus, exemplum voce, rigore gravis,
Dura, modesta, probis; patiens, maturus, abundans:
Perfer, ama, tribuas: mente, vigore, manu.
Contra ventosas rabies et fulminis ictus,
Plus quercu solida lenis arundo potest.
Prævalet in cunctis discreta molestia rebus.
Qua sine virtutum grande peribit opus
Nam pravis dare nil aliud quam prava fovere,
Unde probis tantum debet adesse manus.
Sint licet obscuri ne spernas corporis artus,
In quibus ingenium plus brevitate potest.
Lampadibus templum ditans, dulcore palatum,
Est brevis et fructu duplice servit apis.
Est brevis accipiter, volucrum tamen obruit agmen:
Et fugat elatum vipera parva bovem.
Sit tibi perpetuum spolians derisio dentes
Hostis, et insidiæ sit dolus illud idem.
Discretus sis et sapiens, urbanus honorus,
Providus, intentus, strenuus, esto vigil.
Scripta legens veterum rigidum sectare Catonem,
Morigerum Senecam, pacificumque Probum.
Dulichium, Arastum, Ciceronem, Nestora, Titum;
Pectore, consilio, more, loquendo, manu.
Indue virtutum trabeam, mentemque tyrannim (52)
Exue, quære bonum despiciasque malum.
Non Hypocras, non ipse suis Podalirius herbis
Non licet ingenium fundat Apollo suum.
Omnia verbosis memorant medicamina linguis,
Quæ si tentarem singula, tempus abit
Et mihi secaneos ubi nostra palatia muros,
Sic stat propositum mentis adire libet.
Ergo dicta tuis jungas medicamina morbis,
Et quæcunque vides proficienda tibi.
Litibus hostis, fraudibus hostis, criminis hostis;
Et quæ depravant omnibus hostis eris.
Juris amicus, honoris amicus, amicus honesti,
Et quæ justificant rebus amicus eris.
Hæc præcepta libens vigili trahe morbidus aure,
Quæ permista simul combibe, sanus eris.
Et licet hæc bona sint, multa potiora relinquo,
Quæ non sunt humeris officiosa tuis.
Hæc tibi sufficiant. Non omnia possumus omnes.
Tu quod habere vales suscipe, velle sive.
Argento fruitur, rutilans cui deficit aurum:
Et violas carpit, qui nequit ungue rosam.
Tunc iter arripiens, ait: Hæc, Henrice, reconde,
Et finem verbis hunc dedit illa: Vale,
O meus alter ego probitatis alumnus et hospes,
Longepres Henricum suscipe mente tuum.

(49) M. Helmst. *salice*.
(50) Ms. H. *vere*.
(51) Scoti consuevere fercula miscere omnia in unam ollam.
(52) Ms. H. *Trutannam*. Glossa addit: *Joculatorem*.

Nulla remota via solidum partitur amorem,
Et quem partitur integritate caret.
Nec mons, nec planum, nec pars speciosa marina,
Disjungunt hos, quos copulat unus amor.
Longepres unde locus quod amor dimittat amorem?
Talis ab opposito dicitur esse locus.
Ergo, ut vivat amor, concordia donat, et unum.
Velle, duos unum mentibus esse facit.
Tuque nec immerito, cui nomen floris adhæret,
Florentine, statum mente resume tuum.
Parco tibi quia parco tuis, flos inclyte, culpis
Ni tua vivifices (53) tisibus acta tuis.
Suscipe millenis citharam, quam dirigo, nervis
Orpheus ignota carminis arte rudis.
Inclyte, cui vivo, si vivo, provide præsul
Florentine, statum scito benigne meum.
Sum passus gravia, graviora, gravissima, quarto
Passio, si velit ars, possit inesse gradu.
Ergo vale præsul. Sum vester. Spiritus iste
Post mortem vester, credite, vester erit.
Vivus et exstinctus te semper amabo. Sed esset
Viventis melior, quam morientis amor (54).

Explicit liber Henrici Florentini.

In msto Helmstadiensi adduntur sequentes hexametri versus :

Assignant causam quidam sic efficientem
Hoc opus exegit metrosus philosophus dux
Ex te nomen habet qui Sangelsinus habetur
Creditur et nomen Henricus quod sibi detur
Henricus veram docuit qui philosophiam
Præscriptos libros dictavit quatuor istos
Pauperis in speciem qui deridetur ubique
Ostendens plures homines nimis impatientes
Quando res perdunt vel corpus debile tremunt
Qui cum fortuna promunt turpissima verba
Et mallent flentes se genuisse parentes
Qui post conversi poscunt ubicunque doceri
In rectamque viam duci per philosophiam
Quæ dat in his libris documenta perophina cunctis
Quæ cuncto populo prosunt veterique novello
Ergo discendi bene sunt isti tibi libri
Versus prædictos dictaverat Hugo sacerdos
Qui propriis librum manibus conscripserat istum.

(53) Ms. Helmst. *Damnifices.*
(54) Quatuor versus postremi superant numerum mille versuum, quo auctor paulo ante Elegiam suam scriptam esse docuit.

ANNO DOMINI MCXCI

LABORANS S. R. E. CARDINALIS

NOTITIA

(ODDIN, *Script. eccles.*, II, 1580)

Laborans S. R. E. presbyter cardinalis, dictus *Laborans* proprio nomine, qui primum quidem fuit diaconus cardinalis S. Mariæ in Porticu, tum postea presbyter cardinalis tituli S. Mariæ trans Tiberim, philosophus et theologus egregius, edidit, ut Baronii cardinalis verbo utar, anno Domini 1182 elaboratissimam *Collectionem canonum.* Item exstat ejusdem opus *De justitia et justo, ad Majonem magnum Siciliæ admiratum;* liber *De vera libertate, ad Hugonem Panormitanum archiepiscopum; epistola ad Hugonem contra Sabellianos rursum reviviscentes;* altera *ad Vivianum cardinalem S. Stephani in Cœlio monte, de appellationibus*, quæ non integra, sed recisa legitur. Continet has omnes Laborantis lucubrationes codex membraneus basilicæ S. Petri in Urbe, ut habet Baronius tomo XII Annalium.

DISQUISITIO CRITICA
IN
DECRETORUM COMPILATIONEM
QUAM M. LABORANS S. R. E. CARDINALIS ADORNAVIT.

Ex codice ms. biblioth. sacros. Vaticanæ basilicæ Principis apostolorum.

(Augustini THEINERI *Disquisitiones criticæ in præcipuas Canonum et Decretalium Collectiones*, Romæ, in collegio Urbano, 1836, in-4°, pag. 399.)

Ex quo J. M. Suaresius, episcopus Vasionensis, A primus Laborantem canonum Collectionem compilasse significavit (1), omnium qui juris canonici historia delectantur, curiositas ac diligentia in eam conversa sunt. Attamen cum clarissimus ille vir hoc uno contentus videretur, ut Mæcenati suo celeberrimo, Francisco scilicet Barberinio, S. R. E. cardinali, persuaderet, maximum tum Romanæ purpuræ decus addi, tum juris scientiæ incrementum accedere posse, si Laborantis opus quam citissime typis ederetur, pauca solummodo in hac re præstitisse dicendus est. Antonius postea Zaccaria, ex societate Jesu, inter historiæ litterariæ cultores hisce ultimis temporibus facile princeps, cum in id potissimum mentem convertisset, ut quæcunque ad sedis apostolicæ auctoritatem tutandam, vel ad ejus splendorem augendum aliquid conferre posse videret, id sedulo arriperet, atque ex bibliothecarum latebris in apertam lucem proferret, diligentissime ea omnia collegit quæ ab antecessore suo utpote ignota relicta erant (2). Hinc non solum accuratissime de ejusmodi celeberrimi cardinalis vita disseruit, quandoquidem ipsum et Alexandro III pontifici maxime acceptum, et ad omnia tum Ecclesiæ, tum reipublicæ negotia procuranda præ cæteris adhibitum fuisse demonstravit, sed operum quoque ejusdem cardinalis diligentissimum examen instituit, ut errores refellere posset, quos Fabricius adversus Laborantem in vulgus disseminare conatus erat.

Attamen in describendo præstantissimo Laborantis opere, canonum nempe Collectione, Zaccaria Ballerinios imitatus est, ac præter externam Collectionis descriptionem nihil protulit quod ipsam operis rationem interioremque ejus naturam patefaceret, simulque demonstraret quomodo cum aliis canonum collectionibus, atque in primis cum Gra- B tiani Decreto cohæreat. Æquum igitur esse duximus ut, cum per opportuna nobis sese occasio præbuerit examinandi codicem qui Laborantis compilationem exhibet, atque unicus est qui hucusque innotuerit, de ipsa paulo fusius in hac nostra Dissertatione disseruimus.

§ I. *Operis partitio.*

Laborans opus universum primitus in quinque libros distribuerat, quorum singulos in partes divisit. Singulas dein partes tum majorem tum minorem rubricarum seu titulorum numerum com- C plectuntur, qui *capitularia* nominantur. Capitularia singula proprias inscriptiones præferunt atque ad instar rubricarum plura vel pauciora, prout argumentorum, quæ in singulis rubricis tractantur, natura exigeret, capitula exhibent. Tum librorum partes, tum partium capitularia numeris distinguuntur, qui in capitulis desunt, quibus licet inscriptiones non desint, nulla tamen summulæ seu argumentorum indices præfixæ sunt, quæ in omnibus anterioribus canonum collectionibus, atque etiam in Gratianeo Decreto inveniuntur.

Liber primus undecim constat partibus quarum prima 16, secunda 12, tertia 6, quarta 18, quinta 14, sexta 51, septima 29, octava 14, nona 14, decima 24, atque undecima 6 capitularia seu titulos habet.

Liber secundus in quatuor partes dividitur quarum prima 23, secunda 28, tertia 40, quarta 21 capitularia continet.

Tertius liber duas tantummodo partes complecti-

(1) *De magistro Laborante, cardinali Florentino, ob summum laborem ita dicto* (a). Exstat inter ejus dissertat. *De chronologia operum S. Augustini, de opere perfecto adversus Julianum, et de crocea veste cardinalium in conclavi*. Romæ 1670, in-4.

(2) *De inedita canonum collectione, quam sæcula XII cardinalis Laborans composuit*. Vide *Syllogen* Gallandianam, II, p. 766-800.

(a) De *Laborantis* nomine vide, infra, fragmenta ex ejusdem libro *De justitia et justo*, ex quibus eruitur nomen istud familiæ proprium, ac non auctori, uti falso Suaresius autumat, *ob summum laborem* inditum fuisse.

tur, earumque altera 10, altera 6 titulos habet.

Liber quartus, cæteris perfectior atque amplior, duodecim partibus et titulis 25, 40, 40, 31, 25, 15, 19, 21, 22, 15, 4 et 18, constat.

Quintus denique liber quatuor partibus ac titulis 10, 8, 12 et 10 coalescit. Hisce quinque libris sextus epilogi instar additus est, qui quinque habet partes, quarum prima 10, secunda 14, tertia 35, quárta 7, et quinta 13 titulos præfert.

Singuli libri præfationem habent, quæ modo brevior, modo prolixior eorum argumentum explicat, illudque cum iis quæ in antecedenti tractantur conjungit (3).

Ad quinti libri calcem brevis additur nota, qua singulorum librorum argumentum denuo indicatur, ac sexti libri natura declaratur. Laborans ita rem explicat :

Liber sextus epilogus est partim præcedentium quinque librorum, singulorum namque materiam ad facultatem intelligentiæ revocat et in adminiculum A *memorandi, sub brevi compendio repræsentat.*

Erit ergo materia primi libri in clerum, et ad officia cleri promotio, et modi promotionis.

Secundi, promotorum depositio et causæ depositionis.

Tertii, depositorum reparatio et modi reparationis.

Quarti pro culparum varietate sine depositione correptio.

Quinti, personarum aliorumve contingentium causæ non descienda pluralitas.

Partes librorum faciunt vel quasi diversa rerum genera, vel quasi diversæ generis species, vel tædium multitudinis copiosæ. Primi namque libri quatuor primæ partes, quatuor veluti generibus distant, septem vero sequentes et quarta generis sunt unius, quia B *circa promotionem materiam libri consistunt. Quinti vero libri partes et sexti, efficiunt tanquam plures unius generis species. At vero secundi, tertii quoque partes et quarti, quo fierent persuasit tædium multitudinis et longæ pluralitatis. Primi rursus tres pri-*

(3) Hasce præfationes hic apponimus, cum Zaccaria illas omiserit.

« Liber primus agit de varietatibus ecclesiasticæ promotionis.

« Quibus et qualiter ad ecclesiasticos ascendere liceat gradus, docuit liber primus. A modo secundus quos e contra, veluti sæpenumero fit, quibusve de causis ex ejusmodi sublimatis liceat vel oporteat degradari compendiosa breviatione docebit. Pestilens ergo Simoniaca hæresis primo notanda, quia prima contra Dei Ecclesiam diabolica suggestione C surrepsit, omneque peccatum quod senile actum constat esse mortiferum, tam fautori quam operario, nihilominus et fautori suo, periculum necessariæ degradationis importat. Veniale vero quia sui reddit inhibita frequentatio crimen, ut ebrietas et aleatio, scilicet deponit, licite quidem, sed non necessario, nisi cum obstinatione tenacius radicatum nequeat explantari. Quoniam autem sic expedit et hæc et alia depositoria de cætero fient plenius planiusque scitis authenticis manifesta.

« Liber tertius hujus excerpti decretorum seu canonum liber, quos degradatorum et quomodo reparari conceditur, partim exemplis, partim canonibus indicat et declarat.

« Quartus hic liber, quæ disciplina sine degradatione fieri valeat, tum exemplis, tum venerandis edocet institutis. Contingit enim frequentius non degradari clericum, neque deponi laicum, sed et hunc atque illum, sit anathemate vel excommunica- D tione confundi, beneficio denudari ; extenuari jejunio, vel amissione mulctari peculii, humiliari exsilio, affici mancipatione custodiæ, vel affligi curiæ servitute, macerari abstinentia, atque aliis tam canonum quam legum vel ecclesiastici arbitrii corripi modis. Quibus autem hæc fiant casibus, *partiliter* ostendetur, sed prius anathematis ab excommunicatione distantia.

« Quintus liber numerum personarum quas exigit causa, qualitates earumdem, et cætera quæ præcipue requiruntur in ipsa, brevitate qua valuerit demonstrabit, dilucidans quorum et quibus in causis intentione vel testificatione convinci clerici vel laici possint atque alia quæ per titulos distinguuntur, asserens etiam primo loco judicialem ordinem in omni causa servandum et sic propositum adoritur,

« Non omnis causa eadem, nec omnis ordo judicialis idem In omni tamen causa servandus est ordo judicialis, dum nihil judicari congruat inauditum. Pro triplice enim causarum themate, triplex est ordo judicialis. Litis etenim cautivum, thema scilicet conflictionis primæ causarum, id est causa propter quam pulsatus vel impetitus vel reus, sive sit, sive fiat, in judicium convocatur, est aliquoties notorium seu simpliciter notum, et aliquoties est ignotum. Ignotum deputatur, quamvis judici notum sit et non aliis, aut aliis et non judici, aut aliis et judici, sed non judicialiter. Dico autem non judicialiter notum judici, si reus non contumaciter absens, sed in jure situs, nec juri convictus est, nec sponte confessus, nec notorie notus, id est populi rumoribus manifestus. Contumacia namque reum qui absens est et præsentem facit. Unde *de illicita* supra lib. IV, p. III, tit. VII. - C. 24, q. 3, c. 6, *Decrevimus*. P. XII. tit. IX. - C. 10, q. 1, c. 10 ; -et in consistorio seu jure sito judici, judicialiter, quod est legitime, notum, id est sufficienter ad judicialem sententiam judici et curiæ manifestum. Unde *Presbyter aut diaconus* infra tit. III. - C. 13, q. 5, c. 2. Sic notorum thematum vel potius ignotorum, nihil adhuc constat sententiæ gladio feriendum. Imo nihil prorsus absque judicio, nec sine provisione pacis generalis. Unde *Nos* infra tit. III. - C. 2. q. I, c. 22. *Cum quisque* supra lib. III, p. I, tit VIII. - C. 23, q. 4, c. 19.

« Notum vero dicitur illud thema, de quo sub examine legitimo is qui fuerat impetitus, in jure aut convictus est aut sponte confessus, vel quod est vulgari certitudine publicatum, hoc tertium notorium vocatur, quasi realiter et simpliciter notum.

« Hæc tria causarum themata, quorum primum dici valet evictum, secundum confessum, tertium per se notum, sicut ab invicem natura discrepant, sic in suis executionibus judiciales habent ordines discrepantes. In probatione siquidem rei, quæ intenditur, quinque vel quatuor esse personæ sub audientia curiæ debent, aliæ quidem ab invicem et ad invicem sibi præsentes. Hæ causæ sunt judex electus, accusator sive impetitor idoneus, testis cum legitimo teste legitimus, accusatus sive reus sive potius dixeris impetitus, defensor congruus, si voluerit impetitus, nisi causa sit criminalis seu capitalis, aut status. Illic enim nec experitur vicarius, nec defendit. Unde *Nullus*, » etc. C. 4, q. 4, c. 1, etc.

mæ partes et si materiam non informent, sunt tamen informantibus et quibusque sequentibus opus.

Rursus autem liber sextus anterioribus est adjectio A *nonnullorum, sine quorum notitia ministri canonum, rusticani quandoque putantur et contemptibiles et ignari.*

—

§ II. *De fontibus quibus Laborans usus est, deque modo quo eos disposuit.*

Ad ejusmodi decretorum opus conficiendum nullam aliam canonum collectionem adhibuit Laborans quam Gratiani Decretum. Mirum sane videri debet quod Gratiani opus, quod simul ac editum fuerat, summis plausibus exceptum atque in academiis non solum sed in foro et in judiciis quoque adhibitum, et juris Romani collectionibus adjunctum fuerat, denuo ex integro mutare ac novo omnino ordine ejusdem argumentum disponere Laborans conaretur. Quodque magis admirationem movet, illud est quod, vix elapso post confectum a Gratiano Decretum triginta annorum spatio, suum opus elaborare cœperit. Gratianus enim Decretum tempore Eugenii III (1145-1153) compilavit, Laborans vero, uti ipse sub finem operis significat, operi suo post viginti annos, quos in illo elucubrando insumpserat, anno 1182 finem imposuit.

Attamen si ipsam Gratianei Decreti indolem atque naturam accuratius perscrutabimur, facillime intelligemus qua de causa hoc consilium ceperit. Hinc præ omnibus ordinem quem Gratianus secutus est explicabimus, ac dein cum ordine quo Laborans suum opus confecit conferre studebimus.

Gratianus, quod omnibus notum est, Collectionem suam in tres partes divisit, quarum prima centum et unum titulos amplectitur, quos Paucopalea, qui primus in eos glossas conscripsit, distinctiones appellavit. Agit hæc prima pars de jure personarum, atque in hunc modum disposita est.

1) Agitur de legibus in genere, tum naturalibus tum positivis, divinis et humanis, de jure Romano, de consuetudine, de jure canonico, ac de ejusdem cum jure civili nexu. *Dist.* 1-14.

2) De juris canonici origine et fontibus, de conciliorum canonibus et R. pontificum litteris decretalibus; de ipsis conciliis, quando et a quibus celebranda, deque eorum auctoritate; de SS. Patribus eorumque auctoritate. *D.* 15-20.

3) Plurimæ denique hujus partis distinctiones (a *D.* 21 usque ad 79) agunt de personis ecclesiasticis, de ipsarum qualitatibus, juribus, officio ac consecratione. Quod porro argumentum ita distribuit: *D.* 22. De dignitate et auctoritate Ecclesiæ Romanæ, cæterarumque principalium, maxime Orientis, Ecclesiarum. *D.* 23. De personarum ecclesiasticarum, a papa usque ad ostiarium ordinatione. *D.* 24. De examinatione ordinandorum. *D.* 25. De ministrorum qualitate atque officiis, incipiendo ab ostiario usque ad episcopum.

D. 26. de episcopi moribus, ut sit *unius uxoris vir. D.* 27-32. De clericorum castitate et continentia universim. *D.* 33. De clericorum qualitatibus, seu de irregularitatibus, ne *bigami, corpore vitiati, usurarii, publice pœnitentes, lusores, in scena ludentes, furiosi, arreptitii, accipientes meretrices in uxores et concubinas habentes* ad sacros ordines admittantur. *D.* 34. De moribus episcopi, B *ut nimiam familiaritatem domesticarum personarum etiam consanguinearum* devitet et ut venatione non distrahatur. *Dist.* 35-38. *De sobrietate, de scientia clericorum, ne libros gentilium legant.*

D. 39-49. De necessaria prudentia episcoporum in rebus sæcularibus ne eorum imperitia Ecclesiæ damnum patiantur, de ornatu interiori episcoporum, uti sint graves in incessu et in habitu, temperantes, hospitales, pudici et docti, non vinolenti, non percussores, non litigiosi, non cupidi, non neophyti, non criminosi et vitiosi. *D.* 50. De lapsu et reparatione clericorum. *D.* 51-59. Quædam alia continent, quæ ex parte jam superius *D.* 33 tractata sunt, uti *de qualitatibus et moribus ordinan-* C *dorum, ne quis saltu promoveatur, ne curiales officiarii et advocati et judices, ne servi a non dominis manumissi, ne corpore vitiati, bigami illiterati, publici pœnitentes, ne filii presbyterorum et nati de fornicatione vel adulterio, ne baptizati in ægritudine ordinentur; ne monachi sine licentia abbatis ordinentur, ne laici litterati subito ordinentur.* D. 60-74 agunt *de statu personarum, quæ promoveri possunt, et quidem de electione episcoporum, archiepiscoporum, presbyterorum quomodo facienda, et quibus jus eligendi et consecrandi competit, de ordinibus non iterandis, et de tonsura, de litteris formatis et dimissoriis.* D. 75-80 agunt *de tempore et die consecrationis episcoporum, nec non de temporibus ordinationum aliorum clericorum, de jejuniis Quatuor Tem-* D *porum eorumque origine et causa, de interstitiis temporum, de ætate sacerdotum ordinandorum; de ordinatione summi pontificis a solis cardinalibus facienda.*

Dist. 81 — 89 sunt fere epilogus earum quæ præcesserunt, ac de necessariis qualitatibus eorum disserunt qui ad sacerdotium admittuntur. Gratianus hic denuo agit, *quod episcopus ordinandus sine crimine sit, et ne clerici cum mulieribus cohabitent, quod prælati immunes a peccato sint, et quod peccatis aliorum consentire non debeant, de vigilantia prælatorum circa res Ecclesiæ, circa defensionem pauperum, miserorum et oppressorum, de hospitalitate maxime episcopis necessaria, de cura episcoporum circa viduas, orphanos, ne cupiditatis causa*

negotiatores sint, et ut episcopi propriam domum et Ecclesiam bene administrent. Dist. 90 agit *de litigiosis corripiendis et non ordinandis.* Dist. 91 et 92. *De cantu ecclesiæ.* Dist. 93. *De obedientia subditorum erga majores.* Dist. 94. *De legato Romani pontificis nec non de ejus potestate.* Dist. 95. *Quod presbyteri subjecti episcopis his præsentibus sacra mysteria celebrare possint.*

Dist. 96, 97, 98 nullum omnino nexum habent cum præcedentibus. Distinctiones siquidem 96 et 97 agunt de laicorum conditione in Ecclesia, *quod laici*, nempe, *quin imo ipsi imperatores nullum ordinare, neque de rebus Ecclesiarum judicare possunt*, quod vero laici et imperatores *et cæteri principes sæculares precibus eorum Ecclesias juvare possint.*

Dist. 98 agit, quin pateat ratio, *de clericis peregrinis et ultramarinis, quod sine testimonio quinque episcoporum non sint recipiendi*, qua de re jam superius Dist. 73, ubi de litteris formatis et dimissoriis sermo instituebatur, agere debuisset. Ultimæ denique tres distinctiones 99, 100, 101, agunt *de primatibus et potestate eorum et quod nullus appellandus sit universalis; de pallio et usu ejus, et quod una provincia in duas non dividatur.*

Jam vero si ordinem a Gratiano in disponendo primæ partis argumento observatum, uti eum hic exposuimus, attente quis examinaverit, facile profitebitur non omnia hic sibi invicem cohærere, imo vero omnia sine delectu ac sine consilio esse consarcinata. Id ipsum etiam atque etiam apparet, si singularum distinctionum rationem ac dispositionem consideres. Sæpe enim argumentum de quo agere deberent vix attingunt, nullibi fere ex integro illud exponunt. Quod si aliquoties paulo accuratius rem examinare, atque adductis omnibus tum pontificum decretalibus tum sanctorum Patrum locis qui ad eam explicandam facere possent, rem ipsam confirmare videtur, sæpe etiam qualibet data occasione ab argumento recedit, et alia quæcunque extranea in medium profert. Pauca exempla sufficiant: In distinctione 6, in qua disserit *de dignitate juris naturalis*, agit quoque *de illusionibus nocturnis, num ad peccatum imputentur;* in distinctione 25, quæ est *de moribus ordinandorum*, postquam can. 3 exposuerat, episcopum ab omni etiam labe veniali immunem esse oportere necesse esse, agit in canone 4 *de igne purgatorio.* In distinctione 26, ubi de bigamis non ordinandis episcopis agit, quærit an bigamiæ labes per baptismum tollatur; tractans in distinctione 29, 30, 31 et 32, de continentia sacerdotum, quæstionem movet de quibusdam juris positivi differentiis dicens, jus positivum ex causis, loco, tempore et persona considerandum esse, ibique multa de Manichæorum superstitionibus congerit.

A Ea quæ in distinctionibus 54-49 habet, potius ad dist. 25 et 26 referenda fuissent, ubi argumentum sane amplissimum incredibili alienarum rerum commixtione perturbat. Nec rectior elucet in dist. 51-61, ubi de variis personarum generibus disserit quæ ad sacerdotium promoveri nequeunt, ac postquam breviter de filiis presbyterorum egerat, ad aliam quæstionem divertit, expendens utrum patrum vitia filiis noceant. Iis quæ dist. 64 et 65 de consecratione ordinandorum profert, plurima immiscet quæ ad cathedrarum prærogativam spectant, et dist. 79 et 81 iterum ad ordinationem episcoporum se convertit, supplens iis quæ alias dixerat: *Hæc de ordinandis*, inquit, *et ordinatoribus atque de singulorum graduum distinctionibus, et officiis*

B *dixisse nos sufficiat. Verum, quia aliquantulum in his immorati sumus, quædam præcedentibus cohærentia sub epilogo ad memoriam subjiciamus. Debet ordinandus in episcopum, ut Apostolus scribit, esse sine crimine*, etc.

Quam male inter se cohæreant, quamque prave ea sint congesta, quæ in dist. 91 usque ad 101 habet, nemo est qui non videat; quare de iis satis superque dixisse credimus.

Non minus ac in argumentorum dispositione hujusmodi ordinis ac consilii defectus in iis deprehenditur quæ Gratianus in singulis distinctionibus ad conjungenda diversa capitula inseruit, nec non in summulis quas capitibus præfixit. Hujusmodi Gra-

C tiani *partes et dicta*, uti vulgo nominantur, ab illis qui glossas in decretum exararunt vix unquam dispiciuntur, utpote quæ parum apte ac prudenter concinnata sunt. Joannes Andreas, qui dicebatur *tuba et pater juris canonici*, ea ubique carpit ac supervacanea esse demonstrat (4).

Certum est Laborantem nostrum probe intellexisse quam multa in Gratiani opere essent reprehendenda, atque hac præsertim de causa totum ipsius argumentum in novum eumque meliorem ordinem digerere voluisse, quod non solum in argumentorum dispositione, sed etiam in seligendis tum conciliorum tum Patrum testimoniis præstitisse dicendus est.

Operæ pretium erit ipsius methodum hic paucis

D exponere.

Universum primæ Gratiani partis argumentum Laborans in primum Collectionis librum recepit, cui præfationis loco *præludium* adjecit, in quo generatim de juris origine et progressu disserit, et generaliora quædam principia exponit. Agit porro æque de jure publico ac de jure ecclesiastico, et maxime juris ecclesiastici veluti fontes conciliorum canones et pontificum decretales agnoscit. Dein brevibus quibusdam animadversionibus concludit, quibus omnium legum finem, quem nullum

(4) « Non obstat, si dicis, librum Decretorum fuisse per papam approbatum, quia nec hoc constat. Et dato, quod constaret, approbatio fuit quoad compilationem, non quoad *dicta Gratiani*, quæ quotidie reprobamus. » Comment. ad cap. 2 De rescriptis (1, 3).

stium esse dicit quam homines meliores perfectioresque reddere, aliaque plura quæ ad legum naturam pertinent, modo in scholis tunc tempore usitato, explicat atque exponit. Hinc *finis*, inquit, *est ad patriam genus humanum officii dispensatione reducere. Auctor, instinctu Divinitatis, ordo pontificalis, ministri, pontifices et sacerdotes.*

Hisce præmissis ipsum opus aggreditur, atque *in prima libri primi parte* de jure naturali et de consuetudine, de diversis ipsorum speciebus nec non de eorum nexu disserit. In exordio legis naturam explicat et de ejus vi ac de ejus auctoritate et usu nonnulla profert.

In parte secunda tractat de origine conciliorum œcumenicorum, de eorum numero, de canone sacræ Scripturæ, de auctoritate congregandi concilia, quando et a quo celebrari debeant, de eulogiis ad concilia deferendis, de sollicitudine episcoporum erga concilia eorumque statuta, de decretalibus epistolis et sanctionibus apostolicis deque earum auctoritate ac tandem de auctoritate doctorum.

In tertia parte agitur de ministris canonum, et de origine ordinis sacerdotalis Novi Testamenti, de primatu Romanæ Ecclesiæ, de ordine et origine sedium patriarchalium, de subjectione sedis Constantinopolitanæ aliarumque.

In parte quarta atque sequentibus, quinta, sexta et septima *de ordinatione clericorum* sermonem instituit, atque a minoribus ordinibus incipiens, omnes et singulos ad sacerdotium usque percenset. Cum vero non pauci sint prius laici dein in inferiores ordines fuere ascripti, ac demum ad sacerdotium promoti, in parte quarta de laicis personis quæ ad sacerdotium admitti possunt, et in quinta de iis quæ ab inferioribus ordinibus ad majores ascendere cupiunt, disserit.

Cuique parti quoddam veluti exordium præponit in quo quæ sit expositurus brevi declarat. Partem ergo quartam ita exorditur : *Quoniam autem minister canonum esse non potest qui non est taxatus in clero, et ex laicorum genere nec ex omni, nec quomodo libet, unde quisquis clericus designatur, assumitur, videndus unde sumendus et quomodo. Siquidem sunt laicorum genera multa, ut liberi, servi, manumissi ac curiales et alii.* Item partem quintam incipit dicens : *Viso quorum examinis servata regula semper aut nunquam aut difficile sit, luculenter ad funiculum pertingere clericorum ; videndum quorum, eadem manente regula, semper aut nunquam aut difficile sit scienter sacrorum ministrorum gradibus applicari. Nam et horum genera plura sunt, ut filii presbyterorum, obnoxii et alii.*

Dein ad episcopos progreditur, disputationemque suam hisce verbis exorditur : *Ad episcopalis tandem excellentiæ culmen non ex quibuscunque generibus hominum licenter ascendunt, nec ex ullis nisi quos canonum providentissima norma designat quibus ad hujus speculæ fasces non liceat aspirare, crimine detenti, bigami, et omnes quos ad sacerdotium vel infra determinavimus non admitti. Quicunque etiam gradus adimunt acquisitos, universa ne gradus acquirantur obsistunt. De talibus in secundo libro dicetur. In hoc autem, ut in ecclesiasticis gradibus, et præcipue pontificali, quodam sub compendio certius ad eorum discretionem communitatemque memoria se posse retinere congaudeat; qualis esse, qualisque non esse debeat vel episcopus, vel presbyter vel diaconus, et quicunque præficiendus est rector Ecclesiæ, tum descriptio notificabit Apostoli, tum cæterorum constitutio Patrum.*

Quæ de episcopis habet, ea libro sexto et septimo complectitur, atque eodem fere modo ac superius, uti de clericis sermonem habens fecerat, qualitates singulas enumerat, quibus episcopus ornatus esse debet, totamque rem summo ordine ac perspicuitate exponit, ita ut longe præferri debeat iis quæ Gratianus de hac eadem re protulerat. Ea enim quæ Gratianus confuse disseruerat, Laborans undequaque colligens, in unum quodammodo conjunxit ac summa perspicuitate disposuit. Unde non ex distinctionibus solum, seu ex prima decreti parte, sed etiam ex secunda, quæ, uti notum est, in causas distribuitur, ac sæpissime de iis etiam rebus tractat quæ omnino in prima parte absolvi debuissent, capitula sua deprompsit (5).

Octava pars ea complectitur quæ ad Romanum pontificem spectant. Hinc de ejusdem auctoritate in patriarchas et in universum clerum disserit, quo in loco ea quoque explicat quæ *ad obedientiam subdi-*

(5) Juvat hic integram partem sextam libri primi in harmoniam cum capitulis Gratianeis revocare ut melius pateat quomodo Laborans Decreto Gratiani usus fuerit.

D. 81, c. 1. D. 25, c. 1, 4. D. 36, c. 3. D. 38, c. 3, 4, 1, 10. D. 37, c. 16. D. 38, c. 18, 5, 2, 7, 8, 12, 13, 14 et 16. (*Paleæ.*) D. 37, c. 1, 2, 3, 5, 6 (*Palea*), 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15. D. 41, c. 1, 4, 2. D. 5, De cons., c. 29 et 30. D. 41, c. 3, 6, 7, 8. D. 42, c. 3, 4, 5, 6 et 7. D. 61, c. 4, 8. D. 43, c. 1, 4. C. 8, q. 1, c. 12. D. 43, c. 2. C. 11, q. 3, c. 22. C. 7, q. 1, c. 41. D. 44, c. 1. D. 49, c. 9. D. 47, c. 10. D. 28, c. 13. D. 35, c. 6, 3, 4, 9, 2. D. 37, c. 4. D. 45, c. 1, 2, 3, 4, 5, 8, 7. C. 17, q. 4, c. 29. C. 23, q. 5, c. 1 et 2. C. 20, q. 4, c. 3. C. 23, q. 8, c. 29. D. 45, c. 18, 16. D. 46, c. 1. D. 47, c. 6 et 7, D. 86, c. 26. D. 51, c. 5. D. 36, c. 2. D. 59, c. 1, 6, 2, 3. D. 60, c. 4. D. 61, c. 7, 6, 9. C. 1, q. 7, c. 18. C. 23, q. 4, c. 33. C. 1, q. 7, c. 19. D. 61, c. 10, 11. D. 39, c. un. D. 89, c. 7. D. 86, c. 8 et 9. D. 76, c. 11. D. 86, c. 12.—Anselm. Lucens. lib. VI, c. 183.—D. 84, c. 2. D. 86, c. 1, 2, 3. D. 45, c. 9, 14, 15, 10, 11, 12, 13, 17. D. 88, c. 6, 15, 16, 17, 18, 19, 21, 22. D. 34, c. 1, 2, 3. D. 34, c. 16. D. 81, c. 24, 25, 29, 31, 26, 27, 28, 32. D. 32, c. 17, 18, 19. D. 34, c. 19. D. 83, c. 2, 3, 4, 5 et 6. D. 86, c. 23, 24. C. 15, q. 7, c. 2. C. 1, q. 7, c. 11. D. 86, c. 4. C. 28, q. 1, c. 13, 14. D. 88, c. 9, 10. D. 31, c. 11.

torum erga prælatos, ad apostolicam legationem ejusque auctoritatem pertineant, et postquam de pallio, de ejus origine et usu pauca protulit, agit tandem de auctoritate sedis apostolicæ deque ejus rescriptis authenticis.

Naturali rerum ordini inhærens in nona parte *de clericorum promotione et de examine promovendorum loquitur, eaque adjungit quæ de interstitiis ac terminis ordinum et de jejunio Quatuor Temporum dicenda erant.*

Eumdem ordinem sectatur in decima parte, in qua ea profert quæ ad *electionem* et *depositionem* singulorum ordinum clericorum pertinent, et incipiens a summo pontifice usque ad inferiorum ordinum clericos progreditur, iisque monachos quoque adjungit.

In ultima denique hujus libri parte explicat quem locum laici in cleri electione habeant habereque possint. Adjicit constitutiones Ludovici, Henrici et Ottonis imperatorum de electione Romanorum pontificum editas (6), quibus Laborans hoc adnotavit : *Ex his ergo constitutionibus et pacto Ludovici imperatoris colligitur imperatores renuntiasse privilegiis quæ de electione summi pontificis, Adrianum papam imperatori Carolo et Leonem papam regi Ottoni fecisse præstruximus. Unde manifestum est electionem Romani pontificis solius esse ordinis clericorum, et electum inconsultis Romanorum regibus ordinandum. Idem videtur et in episcopis observandum, ut scilicet in eis eligendis aut ordinandis, cujusquam laici super clericos nulla sit præeminentia. Fundatoribus tamen Ecclesiarum earumdem eligendi rectores libera est facultas.*

Si igitur Gratiani ordinem cum eo quem secutus est Laborans comparemus, illico patebit hunc omnia et accommodatius disposuisse, et incommodum illud maximum ac fastidiosum evitasse, in quod Gratianus sæpe nimium incidit, cum easdem omnino res semel ac iterum in diversis Collectionis suæ partibus repetit.

Ut vero pateat Laborantem non solum primam Decreti partem in meliorem redegisse formam, sed alias etiam quæ ipsum subsequuntur, operæ pretium est ut hic paucis significemus quomodo Gratianus secundam operis sui partem distribuerit.

Facile cuique patet Gratianum in hac secunda operis parte concinnanda multo quam in prima prudentiorem fuisse. Optimo enim consilio universum argumentum, quod diversa tum clericorum tum laicorum jura officiaque amplectebatur, ita distribuit, ut XXXVI causis, quas judiciali modo propositas in diversas quæstiones divisit, totum absolveretur, atque ecclesiasticis tum pontificum tum conciliorum sanctorumque Patrum decisionibus quæstiones omnes dirimerentur. Cæterum judiciorum methodum secutus rationesque hinc inde pro utraque parte proponens, sæpe inconcinne adeo rem ipsam pertractat, ut aliquando quæstiones aut indecisæ remaneant, aut tanta confusione explicentur, ut certa illius sententia minime appareat.

In prima causa de Simonia deque Simoniacis ordinationibus agens hisce verbis secundam operis partem exorditur, ac primæ adnectit : *Hactenus de electione et ordinatione clericorum tractavimus. Nunc ad Simoniacorum ordinationes transeamus. Et ut facile liqueat quid super hac hæresi sanctorum Patrum decrevit auctoritas, causa deducatur in medium cujus negotium et de scienter a Simoniacis consecratis, et de ordinationibus quæ per pecunias fiunt, contineat.*

Sed et hic Gratianus denuo ab argumento in quod erat ingressus, deflectit, licet de Simoniacis ordinationibus agere proposuerit, plura tamen de rebus minime huc pertinentibus disputat, videlicet : *de baptismate hæreticorum, de natura baptismatis, de ordinatis a falsis episcopis, de his qui cum hæreticis communicant, de remissione peccatorum, ubi quæritur num crimina paterna filiis obsint, de alimentis pauperibus sustentandis ac his similibus.*

Cum vero Simoniaci non raro beneficiis priventur, quin imo deponendi etiam sint, Gratianus in secunda causa ad rem judiciariam Ecclesiæ transit, atque ad ea quæ hic de judiciis, de testibus, de accusationibus aliisque hujusmodi dicturus est, ita gradum fecit : *His breviter præmissis, ad ea veniamus quæ Ecclesia severitate disciplinæ parata est ulcisci, ostendentes quibus accusantibus vel testificantibus quilibet sint convincendi; quo judice quisque debeat condemnari vel absolvi; si causa vitiata fuit, quo remedio possit sublevari; si accusatores defecerint, an reus sit cogendus ad purgationem. Et ut facilius pateat, exemplum ponatur sub oculis; in quo auctoritates hinc inde controversantes distinguantur, et quid sanctorum Patrum sentiat auctoritas, liquido intimetur.*

In causis tertia, quarta, quinta et sexta eamdem rem prosequitur, eamque fusius pertractat, nonnulla tamen permiscet quæ omnino aliena sunt, uti de conciliis et eorumdem celebratione.

In causa septima ab antecedentibus plane digreditur, et disputat de coadjutoribus episcoporum et clericorum ægrotantium, et num vivente episcopo alius poterit in eadem Ecclesia ordinari.

In causa octava ad Simoniacas ordinationes repente revertitur, et quæstionem movet utrum liceat episcopo sibi successorem eligere. Nona causa agit de ordinationibus clericorum, qua de re in parte prima plurimum disseruerat.

In causa decima aliam omnino materiam aggreditur, rerum scilicet ecclesiasticarum administrationem, quomodo ab episcopis peragenda; quam quæstionem in prima item parte discusserat. Sed in causa XI rursus ad judicia revertitur et de foro competenti clericorum agit; in qua tamen re non satis consistit, quippe statim in causa XII denuo ad bona

(6) Ex distinct. LXIII, capp. 28, 29, 30, 31 et 32, ubi animadvertas Laborantem duo capitula, 31 nempe et 32, quæ sub *valearum* nomine vulgo occurrunt, recepisse.

ecclesiastica regreditur, ubi de peculio clericorum et testamentis disserit. In causa XIII complexus est Gratianus jura quædam ecclesiastica decimarum et sepulcrorum, nec non eorumdem jurium præscriptiones. In causa XIV multa miscentur quæ minime inter se cohærent, nempe clericos non debere pro rebus perituris, etiam in judicio provocatos, litigare, neque in rebus Ecclesiæ testimonium ferre; dein ibidem uberius de usuris agit. Causa XV nec cum prioribus nec cum subsequentibus causis cohæret, et agit: 1) de non recipiendis muneribus a clericis pro patrociniis impensis; 2) an sacerdotes ex confessione mulieris sint condemnandi; 3) an episcopi et ministri Ecclesiæ die Dominico causas ventilare possint; 4) an neganti crimen purgatio sit indicenda; 5) an in judiciis confessio cruciatibus sit extorquenda; 6) an episcopus propriomotu sine examine synodali sacerdotes possit damnare et deponere, et 7) an clerici confessi vel convicti de his criminibus, quæ ante ordinationem commiserunt, possint suscepti ordinis officium exsequi, ac etiam de filiis presbyterorum disputat. Ejusmodi porro quæstiones, licet maximi momenti sint, non satis fuse pertractat, et quoniam ad judicia spectant, commodius a Gratiano in superioribus disputata fuissent. Digrediens ab hoc rerum ordine, in causa XVI a clericis ad monachos transit, atque in hac et in sequentibus XVII, XVIII, XIX et XX causis de monasteriis et de rebus ad monasteria pertinentibus disserit. Multa tamen confuse profert, alia æque non minoris momenti vix attingit, et plurima aliena et inutilia *de præscriptionibus et alienationibus rerum ecclesiasticarum, de jure patronatus, de beneficiis, de investitura laicorum* interserit. Cum in ultima causæ XX quæstione quæsierit: *utrum liceat ab uno monasterio transire ad aliud*, iterum ad clerum se convertit, et causa XXI eamdem fere quæstionem in duas tamen divisam quoad clericos spectat proponit: scilicet: 1) *an clericus possit in duabus Ecclesiis inscribi*; 2) *an liceat clericis a sua Ecclesia ad aliam transire*. Sic de clericis sermonem instituens, multa hic repetit de quibus jam in prima parte fuse egerat, de *clericorum* nempe *moribus*, *indumentis*, *negotiationibus et judiciis*.

In causa XXII de juramento et perjurio disputat, ubi quin ulla pateat ratio *de clericorum consueta obedientia episcopis non deneganda* agit. In causa XXIII loquitur *de bello, de injuria, de vindicta*, et ad alia progrediens quærit: 1) *an judices vel ministri reos occidentes peccent*; 2) *an mali ad bonum cogendi*; 3) *an hæretici suis et ecclesiæ eorum bonis spoliandi*, et tandem 4) *an clerici arma movere possint*. In sequenti causa XXIV agit *de excommunicatione et de interdicto, et an excommunicatio ab hæretico valida sit*. Hic autem simul agit de hæresum et schismatum origine, causa, et de præcipuis hæreticorum sectis, ubi Isidori locum celeberrimum ex ejus Etymolog. lib. VIII, c. 5, allegat. Causa XXV tota est *de privilegiis Romanorum pontificum præ-* A *primis auctoritate concessis*, et saltu quonam in causa XXVI ad tractanda ea se convertit quæ ad *sortilegia* et *sortilegos pertinent*, quibus tamen multa aliena immiscet; ac demum in quæstione sexta et septima quærit 1) *an excommunicatus ab episcopo possit reconciliari a presbytero eodem episcopo inconsulto*, et 2) *num morientibus pœnitentia sit imponenda* His expeditis in causa XXVII, XXVIII, XXIX, XXX, XXXI, XXXII et XXXIII de matrimonio et de rebus ad matrimonium pertinentibus agens, rem totam fusius ac rectius quam ullam aliam pertractat, nec ad aliena sese convertit, uti in superioribus eum fecisse animadvertimus.

Quoniam vero in matrimonio et propter matrimonium plurima committuntur peccata, a Gratia- B no ipso aut forte ab alio tractatus *De pœnitentia* causis istis inseritur, post secundam nempe causæ XXXIII quæstionem, ubi plurima de pœnitentia injungenda conjugibus disseruerat. Dubitari minime profecto potest quin Gratianus hujusce tractatus auctor sit; ast vero simile omnino non videtur, illum hic extra locum operi suo inseruisse. Causam enim XXXIII statim prosequitur, et in duabus quæstionibus quæ remanent examinat 1) an actus conjugalis sit prohibitus tempore orationis; 2) an vir sine consensu uxoris, et e converso, vovere possit continentiam, quæ quam longe ab illis distent, quæ in tractatu de pœnitentia habentur, nemo est qui non videat. Causa dein XXXIV materiam de adulterio prosequitur, et sequenti causa XXXV ad C consanguinitatem et affinitatem transit. In ultima denique seu XXXVI causa quædam omissa recolit atque agit 1) *de raptu virginum per oppressionem* et 2) *num raptori liceat raptam nubere?*

Secundam Decreti partem tertia subsequitur, quæ *De consecratione* inscribitur. Nisi objiceretur commune antiquorum testimonium, qui omnes solum hunc De consecratione tractatum, tanquam tertiam Decreti partem commemorant, nihil vero similius esset quam Gratianum huic tractatui alium de pœnitentia præfixisse, atque utrumque a secunda parte separasse. Uterque enim eadem methodo dispositus, atque ita adornatus est, ut minime ad secundam partem pertinuisse videatur. D Quod si dein argumentum ipsum, quod in utroque explicatur, attente consideramus, ac nexum quem uterque cum universo Gratiani Decreto habet perpendimus, alterum qui De consecratione inscribitur, primæ partis, et alterum, qui de pœnitentia agit secundæ partis epilogum esse facillime probari posse confidimus. Sed hæc etiam atque etiam patebunt, si prius Laborantis opus accuratius explicaverimus.

In disponendo secundæ et tertiæ Gratianei operis partis argumento Laborans plura etiam præstitit quam in primo Collectionis suæ libro. Universam enim materiam a Gratiano male digestam ac coacervatam tam bene distribuit ac tam concinne singulas ejusdem partes conjunxit, ut ubique pa[...]

eum certas colligendi regulas sibi præfixisse, atque singula argumenta in illis locis pertractasse in quibus commodissime ad eam methodum revocari poterant quam in ordinando universo opere secutus est.

Hinc in secundo operis sui libro unice agit de degradationibus clericorum, atque in quatuor ejus partibus, quæ 23, 28, 40 et 41 titulos complectuntur, crimina omnia enumerat propter quæ clerici deponendi sunt. Totam hanc rem ita disposuit atque ordinavit, ut singula quæ ad clerum pertinent ex ordine consideret, doctrinam nempe, officia, debitam clericorum erga superiores obedientiam, ac denique ipsorum vitæ rationem. Capitula summo studio et labore ex universa secunda Decreti parte conquisivit; quæque hac illac dispersa et confusa congesta invenerat, ad ordinem et unitatem revocavit. Sequenti tertio libro de restitutione depositorum disserit, atque hunc tractatum bifariam dividit agens 1) *de restitutione depositorum ob crimina manifesta*, et 2) *ob crimina occulta, quorum judicium nonnisi Deo reservatum esse potest.*

Agit porro hic etiam *de misericordia cum qua pœnæ infligi debeant*, sicque gradum facit ad librum quartum, ubi de ecclesiasticis pœnis earumque usu disserit. Incipit enim ab *excommunicatione*, de qua in tribus prioribus libri partibus disputat. In quarta dein parte ad sacrilegium transit, ac locos duos a Gratiano mutuatos, alterum Haimonis C. 20, q. 2, c. 39, et alterum concilii quarti Toletani C. 17, q. 4, c. 31, qui de sacrilegio agunt, præmisit, quibus dein animadversionem quam hic exhibemus subnectit, ut ad sequentia sibi gradum faciat; ait porro. *Sicut esse videtur collegium aliquorum in unum collecta diversitas, ita sacrilegium, sacrorum in unum raptim congesta pluralitas; sed in usu locutionis humanæ dicitur: malignitas ejusmodi rapiendi. Amplius autem est injuriosius rei sacræ, vel ei deputatæ, contactus. Juxta quod Arius sacrilegus exstitit, quia mortem Christum in injuriam tetigit Christi. Etiam sacrilegus exstat quisquis ædem, vel quemlibet Ecclesiæ deputatum, in contumeliam contingit Ecclesiæ; sed etiam ille qui clericis, monachis, Deo devotis est aut peregrinis injurius. Cumque sacrilegium sit in personas, aut res, aut loca, vel tempora, pro varietatibus eorumdem etiam sacrilegiorum fit varietas ultionum.*

In iis vero explicandis quæ ad sacrilegium spectant, tres partes insumit, quartam nempe, quintam et sextam. In septima de perjurio et de juramentis agit, atque in fine hujus partis quosdam veluti libellos ac formas jurandi adjungit, quarum aliquot hic apponimus quæ apud Gratianum desiderantur. Inter ipsas tamen ea præ cæteris est memoranda, quæ tempore schismatis Octaviani ex electione Alexandri III oborti præscripta fuit (7).

In parte octava *de modo excommunicationis, et de modo excommunicatos reconciliandi* disserit, sub cujus finem de hæreticis disputat, atque adducto notissimo Isidori loco animadversiones gravissimas subnectit (8).

In parte nona, decima et undecima *de matrimonio*

(7) « Juramentum calumniæ vel actoris.

« *Ego N. non moveo litem adversus N. animo calumniandi, sed quoniam arbitror me bonam habere causam. Et in tota lite sicubi quæsiero probationes, non per occasionem dilectionis hoc faciam, sed pro inquirenda veritate. Sic me Deus*, etc.

« Reus autem ita jurat de calumnia:

« *Ego N. putans me bona instantia uti, non calumniandi animo ad reluctandum perveni. Et in tota lite*, etc., sicut supra.

« Hoc autem adjiciendum est in sacramento calumniæ, quod utraque pars principalis jurabit; vel illi ad quos in medio judicio migravit, quod nihil penitus dederit judicibus, nec alicui personæ, pro hac causa, nec promiserunt, nec postea dabunt, vel per se vel per aliam mediam quamcunque personam. Exceptis quæ propriis advocatis pro patrocinio vel aliis personis quibus Romanæ leges dare disposuerunt.

« *Ego N. refuto et anathematizo omnem hæresim extollentem se adversus sanctam Romanam et Catholicam Ecclesiam et præcipue schisma et hæresim Octaviani, Guidonis Cremonensis et Joannis Strumensis; ordinationes quoque eorum irritas esse pronuntio, et ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro et sanctæ Romanæ Ecclesiæ et domino meo papæ Alexandro ejusque successoribus canonice intrantibus, et mandatum quod mihi super hoc delicto fecerit, sine fraude observabo. Sic me Deus adjuvet et hæc Dei sancta Evangelia.*

« Juramentum in anima absentis.

« *Ego N. recepi mandatum a N. quod postea mihi ... demandavit, ut videlicet hoc verbum aut factum fuisse, vel esse, vel fore, in anima illius jurarem. ... me Deus adjuvet et hæc sancta Evangelia.* — Et *ego N. in anima ipsius N. juro, hoc ita fuisse, vel esse, vel fore. Sic illum adjuvet Deus et hæc sancta Evangelia.* — Juraturus in anima præsentis ait ei: *Vis et mandas, quod ego jurem in anima tua verbum istud factumve, sic fuisse, vel esse, vel fore?* Et ille: *Volo et mando.* Tunc jurator ait: *Hoc verbum factumve, sic fuisse, vel esse, vel fore, verum est. Sic istum adjuvet Deus et hæc sancta Evangelia.* » — Lib. IV, p. VII, tit. XVIII, fol. 151.

(8) Laborans ita continuat tractatum S. Isidori:

« Præter has autem sectas hæreticorum, quas denotavit Isidorus, alias secundum Epiphanium Cyprium episcopum, vel Philastrium, episcopum Brixiensem, notas reddit Augustinus in libro quem de prope omnibus sibi notis hæresibus scribit ad diaconum Quodvultdeum. Quare commoda satis et breviter hic nomina tantummodo ponimus, non errores, ne tædium forte generet eorum protelanda positio. Sunt ergo: Saturniani, Sampsei, Elcesei, seu Elceseitæ, Sevandiani, Ptolomei, Marciani, Colorbasii, Heraclionitæ, Sinerei, Pepudiani, a loco sive Quintilliani a quadam Quintilla, Theodotiani, Bardasanitæ, Valesiani, Origeniani, ab Origene, non illo tractatore fere omnibus noto, hi sunt inenarrabilis operationis; Melitiani, Vadiani, Semiarriani, Massilliani vel Euchitæ vel Euphemitæ vel Martyriani vel Sathaniani, Seleuchiani vel Hermiani, Proclinianistæ, Ascitæ, Passalorinchitæ qui et Dactylosinchitæ, Rhetoriani, Paterniani, de quibus et Isidorus, sive Materniani seu Venustiani, Abellovitæ, vel Abeliani Abeloitæ. Alii discendente ad inferos Christo, credidisse incredulos et omnes exinde extimant liberatos.

« Has hæreses in prænominato libro late satis et

et de rebus ad matrimonium pertinentibus, de adulterio, de divortio, de consanguinitate et de affinitate agit. Hoc vero argumentum summis, ut ita dicam, labiis attingit, et quæ Gratianus in hoc operis sui tractatu simul collegerat, disjungit et in anterioribus compilationis libris, ubi occasio sese præbuerat, inserit. Hinc ea tantummodo hic profert, quæ alibi nondum attigerat, ita ut hæ partes nonnisi supplementum quoddam eorum, quæ superius exhibuerit, dicendæ sint.

Demum in duodecima parte, quæ totius libri ultima ac omnium brevissima est, ea complectitur quæ ad immunitatem forensem clericorum, ad purgationem accusatorum, ad injusta judicia hisque similia pertinent, ac viam sternunt ad quintum operis librum, qui totus in explicandis Ecclesiæ judiciis versatur.

A Dividitur vero in quatuor partes, in quarum prima de ordine judiciario, de potestate judicia ferendi et de accusatoribus generatim disputat; agit in secunda de testibus et advocatis, in tertia de judicibus et eorum potestate; in quarta denique de appellationibus (9). Hæc ultima pars omnium absolutissima est, eamque Laborans summa tum ecclesiastici tum civilis juris peritia concinnavit, quare in ipsa plurima quoque loca ex jure romano desumpta occurrunt.

Ita Laborans operi suo finem imposuit. Adjecit quidem sextum librum, tamen hic liber, quod in præfatione ipsemet monet, nonnisi epilogus librorum præcedentium dicendus est, cum ea contineat, quæ in aliis aut omissa fuerant, aut opportune tra- B ctari non potuerant.

Excerptus vero est hic liber ex Gratiani tractatu

ab Isidoro positas, eo latius et ibidem pater Augustinus exsequitur.

« Et notandum Semiarianos quasi non plenos Arianos, dum non ejusdem essentiæ cum Patre sed similis esse Filium prædicent. Hi videntur appellari superius Tritoitæ, quia tres deitates quemadmodum tres personas intelligentes, sicque tres deos asseverantes. Macedoniani quoque sed potius a quibusdam Semiariani vocantur, quia in parte nobiscum sunt dicentes Patrem et Filium unius ejusdemque esse naturæ atque substantiæ, vel, ut expressius dicatur, essentiæ, quæ Græce appellatur *usia*. In parte cum Arianis dicentes Spiritum sanctum esse tantummodo creaturam, quamvis secundum alios esse divinitatem Patris et Filii et nullam propriam habere substantiam.

C « Insuper et id notandum quod illi qui apud Isidorum sunt Gnostici, apud Augustinum sunt et Borborolitæ, quasi Cenosi. Qui Cherentiani sunt, et Marinthiani; qui Apostolici sunt, Apotactitæ; qui Cathari sunt, Novatiani; qui Pauliani sunt, et Fotiniani et Archæmoniani, sed apud Innocentium Paullianistæ; qui Fotiniani sunt, et Marcelliani; qui Marcelliani sunt, et Patripassiani et Praxeani et Hermogeniani et Noetiani; qui Macedoniani sunt, et Pneumatomachi vel Semiariani; qui Donatistæ sunt, et Donatiani, et Montenses, et Parmenianistæ; qui Ilevidiani sunt, et Antidicomatitæ; qui Pelagiani sunt, et Cœlestiani a Cœlestio discipulo Pelagii. » — Lib. IV, p. VIII, tit. XV, f. 165.

(9) Juvat hic formulas quasdam in foro ecclesiastico tunc temporis usitatas et a Laborante huic ac primæ parti libri quinti insertas exhibere, quod eo lubentius fecimus, cum insimul res mere historicas contineant.

« Forma appellationis post sententiam.

« *Ego Adelmus sanctæ Reginæ Ecclesiæ minister, licet indignus, contra sententiam domini Gualteri, sanctæ Ravennatensis Ecclesiæ archiepiscopi, injuste in me illatam, pridie Kal. Maii anno Incarnationis Domini* 1105, *feria quarta Romanam appello sedem et apostolos peto.*

« Ante sententiam sic appellandum est : *Ego A. s. r. m. l. ind. sentiens me prægravari domino Gualterio s. r. e. archiepiscopo, sedem Romanam appello et apostolos peto.* — Ante litem vero sic : *Ego Philippus sanctæ Pisanæ Ecclesiæ, Deo miserente canonicus, in hac causa quam inter me et dominum Villanum ejusdem sanctæ Pisanæ Ecclesiæ archiepiscopum videtur forsitan eo præside ventilanda, Pisani collegii suspectum mihi judicium*, vel, *Pisanos suspectos mihi judices*, vel, *Almachium suspectum mihi judicem, reformidans, ante litis initium Romanam appello sedem et dimissorius peto.*

« Unus autem vel duo pro pluribus sic appellabit : *Ego Petrus*, vel, *Nos Petrus et Antonius, syndici canonicorum sanctæ Pisanæ Ecclesiæ, contra sententiam*, etc. Vel : *Sentientes nos prægravari*, etc., *Romanam sedem appellamus et postulamus apostolos.*

« Hujuscemodi appellationes in scriptis fieri debent ; prima tamen die sola sufficit appellare voce ; secunda vero et deinceps, nonnisi inscriptis appellandum est. » — Lib. V, p. V, tit. V, fol. 226.

« *Formula accusationis.*

« Sic ergo videtur quoad leges scribenda esse accusatio, ut ponatur mensis admissi criminis et locus et consul, aut potius imperatoris loco consul, nomen accusantis et accusati, et ejus apud quem accusatur, et dies accusationis. Nam diem vel horam admissi criminis nemo ponere coercetur. In ecclesiasticis autem accusationibus nomen apostolici, ejus cujus tempore crimen admissum est, et ejus cujus tempore post defertur, cum anno Domini in libello accusationis exprimitur. His attentis accusatio sic formatur : *Anno Dominicæ Incarnationis M. C. apostolicam sedem tenente domino papa Calixto, anno apostolatus illius secundo, regnante victoriosissimo Henrico, anno regni ejus quinto, imperii primo, mense maio*, X *Kal. Junii, ego, Leo decanus Ecclesiæ Frisingensis, profiteor me deferre Conradum episcopum Frisingensem, reum adulterii, apud sanctissimum dominum papam Calixtum, quia dico eum adulterium commisisse cum Teberga, illa in civitate Frisinga, in domo Gualdradæ, illius mense Julii, domino papa Gelasio in cathedra B. Petri apostoli residente, anno pontificatus ejus primo, imperante christianissimo illo, anno regni ejus* VIII, imperii VI. *Ego Leo decanus subscribo me professum esse, deferre prædictum Conradum episcopum, reum præfati* D *criminis.*

« Aliter : *Anno ab Incarnatione Domini* 1174, II *Kal. Augusti, ego Jacobus monachus, accuso et reum defero, Petrum abbatem S. Vincentii, apud dominum papam Alexandrum, ex capitulo Innocentii papæ : « Si quis præbendas vel prioratum, » de crimine Simoniæ commisso in Coleaponis cum comite Gisliberto, Bernardo de Fontanella et notario Alexandro, anno Incarn. Dom.* 1167, *in mense Julio, sub gloriosissima rege Willelmo Siciliæ. Ego Jacobus monachus profiteor Petrum abbatem S. Vincentii reum esse criminis Simoniæ, et me probaturum promitto.*

« Aliter : *Ego Lucius profiteor, me reum facere Sejum lege Cornelia De siccariis ex eo quod occidit Mevium Romæ inter statuam Martis et custodiam Mamertinam, prima die mensis Julii, Alexandro papa*, vel *Frederico imperante. Item profitendo me accusare prædictum Sejum, in hoc libello subscribo.* » — Lib. V, p. I, tit. VII, coll. 3, fol. 212.

De consecratione, atque in similitudinem quinque distinctionum, in quas Gratianus illum diviserat, a Laborante in quinque partes divisus est, quæ idem fere argumentum in compendium deductum exhibent. Hinc in prima parte de consecratione ecclesiarum et missarum celebratione, in secunda de sacramento eucharistiæ, in tertia et quarta de baptismo et confirmatione, ubi etiam de *catechismo*, id est de catechizandis parvulis ante baptismum et de exorcizandis baptizandis, sermo instituitur. Ultima denique pars appendix est ad præcedentes, atque agit de aqua aspersionis, de cruce et imaginum cul u.

Cæterum in excerpenda hac ultima Gratianei Decreti parte, Laborans ab eo, qui sibi proprius ac peculiaris est, non discessit excerpendi modo. Etenim raro admodum Gratiani seriem retinuit, capitula non solum ex singulis hujus partis distinctionibus, sed ex prima et secunda Decreti parte conquisivit (10), ac sæpe ea loca, quæ in aliis operis sui libris ex hoc Gratiani tractatu inseruerat, hic adnotat ac librorum titulorumque numeris adjectis indigitat, ubi ea inveniantur (11). Quod demum ad tractatum Gratianeum de pœnitentia inscriptum attinet, qui, uti supra diximus, nullomodo cum iis cohæret, cum quibus in decreto conjungitur, Laborans illum prorsus neglexit, neque in ullam operis sui partem inseruit, quæ de pœnitentia peculiariter ageret. Attamen capita ejusdem tractatus fere singula, ab invicem sejuncta, hac il-

(10) Operæ pretium esse duximus Laborantis integrum librum sextum ad capitula Gratianei tractatus De consecratione revocare.

Lib. VI, p. I, tit. I-X. D. 1, De cons. c. 2, 3, 4, 6, 7, 31, 32, 26, 27, 28, 29, 46, 47, 49, 51, 52, 53. - D. 2. De cons., c. 14, 15, 6, 71. - D. 4, De cons. c. 126. - D. 2. De cons. c. 9. - C. 13, q. 2, c. 24, 16. 17, 19, 21, 23, 29. - D. 1, De cons. c. 61, 37, 38. - D. 23, c. 25. - D. 1, De cons., c. 39. - D. 23, c. 29. - D. 1, De cons., c. 42. - D. 23, c. 32. - D. 1, De cons., c. 43, 44, 45, 46, 67, 68, 6), 70, 72, 73, 54, 55, 56, 71. Huic canoni Pelagii P. II de novem præfationibus in missa cantandis Laborans canonem synodi Placentinæ adjungit dicens: « His antiquis novem præfationibus in concilio Urbani, habito Placentiæ, decima addita est hujusmodi:

« *Æquum et salutare. Qui Unigenitum tuum sancti Spiritus obumbratione concepit et virginitatis gloria permanente, æternum lumen mundi effudit Jesum Christum Dominum nostrum.* »

Laborans addit: « Aliæ præter has decem similiter his probabiles non occurrunt. »

Sequuntur porro Caroli Magni imperatoris epistolæ celeberrimæ ad Alcuinum de Quadragesima, Sexagesima et Septuagesima, nec non fragmentum vetustum de natalitio sanctorum, quod Laborantem auctorem habere videtur quodque ideo hic damus.

« Duas stolas sunt habituri sancti, glorificationem scilicet corporis, et glorificationem animæ. Altera præcedit alteram, stola videlicet animæ, hæc enim in die depositionis carneæ gravitatis et sarcinæ corporalis accipitur. Quæ dies natalis seu natalitium hujus illiusve sancti vocatur. Tunc quippe vir sanctus cum præsenti miseriæ moritur, nascitur æternæ felicitati. Dies, inquit, mortis, dies nativitatis, et sociatur angelicis choris, et ut pro nascente puero fieri solebat antiquitus, pro eo natalitium celebratur in terris, de cujus assumptione gaudium fit in cœlis, et qui veluti cum corporali membro cætera membra congaudent, et non modo semel, ut pro accepta stola jucunditatis animæ sed et secundo, quia pro accipienda stola felicitatis in corpore. Eapropter in martyrologio continetur: Agnetis secundo, subaudi, est gloria celebriter memoranda. Qua gloria, quæ ad secundam stolam, quia confe-retur in die octava, id est novissima, pro qua sextus pes habet in titulo pro octava, idcirco et pro beata Agne et pro cæteris suis membris, in octava natalis eorum sancta jam lætatur Ecclesia, divinæ clementiæ gratias agit, exultat jubilat, solemnizat. Depositiones ergo dies electorum, etiam depositio dicitur. Non autem mors neque mortis, sed tantum situs, utique a dolore, in refrigerium. Item obitus, quem obiens, ad se venientibus piis angelis obviat. Quocirca pro nemine celebranda esse videtur octa-[illegible] sic: transitus ejus intuitu, dicta, ejusdemque sit caro resuscitanda. Juxta quod nulla Christi festivitas habet hujus rationis octavam. Non enim jacet Christus in monumento resuscitandus. Ac per hoc in octava resurrectionis dominicæ paschalis introitus non cantabatur, cum in octava sanctæ Agnes et aliorum natalis introitus iteretur. Verum quia Dominus universorum Christus est, et per septenarium rerum universitas figuratur, propterea septem in celebritate dies habet Christi festivitas. Dedicatio vero ecclesiæ octo dies; pro capite septem primos, pro membris primum rursus obtinet et octavum.

« Nativitas sanctæ Mariæ, non qualem diximus, habet octavam, quia non est pro stola prima, cui adhibeatur in octava secunda. Similiter nec annuntiatio Domini, nec ypopana, nec epiphania, nec decollatio sancti Joannis, neque Natalis Domini, cum de matre nascendo non accepit stolam primam, sed moriendo primam, et resurgendo secundam.

« Modo quælibet octava dies fit sequentis intuitu prima. Dies vero judicii post septenarium hujus temporis affutura, quia non ulterius dies alia subsequitur, octava fiet, et octo beatitudinum collativa. »

Lib. VI, p. II, tit I-XIV. — D. 2, De cons. c. 1, 2, 3, 7, 4, 5, 6, 13, 21, 4, 67, 22, 36, 72, 73, 55, 52, 33, 34, 35, 48, 38, 39, 40, 41, 42, 45, 74, 76, 82, 75, 77, 78, 53, 46, 47, 69, 70, 52, 51, 93, 22, 30.

Lib. VI, p. III, tit. I-XXXVIII. — D. 4, De cons. c. 2, 5, 6, 8, 9, 10, 12, 13, 16, 17, 18. - D. 3, De cons. c. 21, 22, 23, 24, 25, 26. - D. 4, De cons. c. 19, 21, 24, 26, 28, 29, 30, 32, 33, 35, 114, 116, 115, 71, 138, 75, 76, 77, 78, 80, 81, 82, 85, 95, 99, 98, 100, 10 102, 105, 90, 91, 92, 126, 128, 129, 130, 132, 133, 134, 136, 142, 143, 146, 4. - D. 5, De cons., c. 4. - D. 4, De cons. c. 125. - D. 5, De cons. c. 1. - D. 4, De cons. c. 124. - D 3, D cons. c. 18. - D. 4, De cons. c. 123, 149. - D. 5, De cons. c. 11, 12.

Lib. VI, p. IV, tit. I-VII. — D. 4, De cons c. 51, 56, 62, 63, 67, 64, 65, 66, 68, 69, 70.

Lib. VI, p. V, tit. I-III. — D. 4, De cons. c. 127. - D. 3, De cons. c. 20. - D. 5, De cons. c. 10. - D. 4, De cons. 39. - D. 3, De cons., c. 48, 49.

(11) Ita, exempli gratia, citat Laborans p. II, tit. V, post cap. 13. D. 2, De consecratione sequentia capita: *Relatum. Comperimus* supra lib. IV, p. VI, tit. III. *In cœna. Sæculares. Hi. Etsi.* Tit. VI *Si quotiescunque*, supra p. I, tit. V. Quæ capita conspiciuntur capp. 11, 12, 16, 17, 19, 20, et 14 ejusdem distinctionis 2, De cons. - In parte III, tit. XXX ejusdem libri sexti citatur post cap. 142. D. 3, De consecrat., cap. *Firmissime*, quod invenitur in dist. 4, De cons. cap. 3, et ibi adnotat: *Supra lib.* IV, *p.* VIII, *tit.* IX, *col.* 2. *In eodem titulo sunt de baptismo alia.*

hac in diversas compilationis partes distribuit, prout argumentorum, quæ ibi tractabantur natura postulabat (12). Quo in loco laudandus profecto potius quam vituperandus Laborans nobis videtur.

Jam vero ex totius compilationis titulis quos Zaccaria in dissertatione quam supra laudavimus, publici juris fecit melius quam ex quacunque alia re dignosci poterit quomodo Laborans Gratianei Decreti argumentum in novum ordinem redegerit, ac suam compilationem disposuerit, ad hanc proinde dissertationem benevolum lectorem remittimus.

§ III. *De modo quo Laborans capitula ex Gratianeo Decreto desumpta disposuerit. — Fragmenta ex Laborantis libris « De justitia et justo, ad Majonem, magnum Siciliæ admiratum, » et « De vera libertate, ad Hugonem Panormitanum archiepiscopum. »*

Methodus quam, uti superius demonstravimus, Laborans secutus est, postulabat ut capitula ex Gratiani Decreto hinc inde conquisita excerperet atque ordinatim suæ compilationi insereret. Licet hac de causa sæpissime Gratiani seriem invertere, argumentaque ab eo mutuata ad aliam omnino formam revocare debuerit, non raro tamen integras distinctiones, vel quæstiones, si pauca earum capitula excipias, recepit immutatasque suæ compilationi opportune attexuit. Qua de re, cum jam sæpe locuti simus, nihil dicendum superesse putamus, ac potius modum explicabimus quo singularia titulorum capitula conjunxit.

Laborans, Gratianum imitatus, capitula quæque, ubi opportunum videbatur, brevi quadam adnotatione conjungere, atque unius cum altero nexum vocula *unde* significare studuit. Adnotationes vero ipsas non raro cum iisdem Gratiani verbis expressit, quod etiam fecit ubi ea quæ vocantur *dicta Gratiani* insimul cum capitulis recipienda esse duxit. Nonnunquam tamen ea paululum immutavit; quædam etiam in breviorem, quædam in ampliorem formam redegit. Quas Gratianus res historicas commemorat, eas Laborans accuratius narrat, atque alias addit quæ majoris momenti sunt.

Plerumque ingeniose admodum ac mira cum eruditione disputat, tantamque tum Romani, tum ecclesiastici juris scientiam in hisce animadversionibus adhibuit, ut nullibi luculentius illorum temporum fori usus cognosci possit; Laborantem vero in ejusdem fori exercitationibus versatissimum fuisse mirifice pateat. Nos hic quædam tantummodo ex hisce *dictis* adjungimus, quibus loca ex Gratiano desumpta nempe c. 1, q. 1, c. II, *de promotione hæreticorum* (13); c. 16, q. 1, c. 21 et 24, *de promo-*

(12) Pauca exempla. In lib. IV, p. III, tit. XVIII-XXV, capita ex Gratiano desumpta ita se excipiunt. C. 26 q. 7, c. 10, 9, 12 ,- D. 3 , De pœnit. c. 33, 34. D. 1, De pœnit. c. 5. D. 5, De pœnit. c. 4, 5, 6, 7, 8. C. 14, q. 6, c. 1. C. 33. q. 2, c. 15. C. 30, q 2, c. 5. D. 33, q. 2; c. 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 16, 14. C. 26, q. 7, c. 3 C. 12, q. 2, c. 17. C. 32, q. 1, c. 5, et 4, 7, 8, 10, 9. D. 2, De pœnit. cap. 5, 8, 11, etc.

Eodem modo citantur in lib. IV, p. IX, tit. XIV, capitula 7-21 distinct. primæ De pœnitentia.

(13) « Porro quia juxta Leonem et Innocentium videtur quod ordinatio talis haberi rata possit et irrita, quia etiam Constantinopolitana synodus alias rata culpa Maximi revocavit in irritum, ad hæreticorum omnimodam exsufflationem : nam videntur Innocentius, Damasus et Urbanus, si quid potestatis Negzelon, ut putabatur a profanis, accepit vel ordinis alicui tribuit, irritare et deputare quasi non fuerit, quam ob rem Daibertus ostenditur ordinandus ac si non antea fuerit ordinatus. Augustinus autem ad sacramentorum solummodo loquitur veritatem. Sacramentorum namque alia sunt necessitatis, alia dignitatis. Non necessitas legi, sed lex necessitati subjicitur. Sacramenta saluti necessaria, quia iterari non possunt, cum sint vera, auferri vel amitti non debent; sed cum pœnitentia rata esse permittantur. Sacramenta vero dignitatis nisi digne fuerint administrata, ita ut a dignis provehantur et digne esse pro certo desinunt dignitates. Non ut minuatur veritas mysterii, sed officium cesset administranti.

« Objicitur iterum Damaso, Innocentio et Urbano : Semel consecratus, ut ait B. Gregorius, iterum consecrari non debet. Item sacramenta quæ ab hæreticis in forma Ecclesiæ ministrantur, sicut astruit Augustinus, reiterari non debent, ne non homini, sed sacramento fieri videatur injuria. Respondetur autem quia illud Gregorii de his intelligitur qui consecrationem sacerdotalem aut episcopalem acceperunt, qui aut per manus impositionem cum ad Ecclesiam redeunt effectum suæ unctionis accipiunt aut ab ejus administratione perpetuo cessare jubentur. Similiter illud Augustini de eadem mystica unctione et de sacramento baptismatis intelligitur. Sunt autem in Ecclesia alii ordines qui sine sacramenti unctione sola episcopali benedictione cum quadam vasorum vel indumentorum distributione præstantur, ut levitarum et infra, hi quamvis ab hæreticis ordinentur tamen ad Ecclesiam redeuntes in ejusdem suscepti gradus nominis, si alias digni fuerint, ab Ecclesia ordinatur, nec fit in eis iteratio muneris, cum nihil eis ab hæreticis doceatur fuisse collatum.

« Sed mirum tamen est hæreticum posse cuique tribuere maxima et non minima, dare presbyterium et pontificium, non vero posse diaconium et quod infra. Si non potest minima, quomodo poterit maxima ? Quapropter aut diaconus bis ordinari valet aliquis ab hæretico, aut non episcopus neque sacerdos.

« Distinguunt aliqui sic : Hæreticorum aliquis ordinatur foris ab hæretico, alius intus a Catholico, et postmodum fit hæreticus. Qui post Catholicam suam ordinationem fit hæreticus, aut reordinatur ab hæretico aut non. Si reordinatur, per reversionem ad Ecclesiam nec ulteriorem suscipit ordinem, nec retinet jam susceptum. Unde *Saluberrimum* supra lib. III, p. II, tit. III. Si non iterat ordinem, reversus forte retinet jam intus forisve susceptum, sed non alium suscepturus. Unde *Si qui*, *Omnis cujuslibet*, lib. II, p. I, coll. I. *Si quis hæretico* supra. Retinet quidem nisi ad subversionem fidei ordinetur foris. Unde *Convenientibus* p. II, tit. XXIII.

« Qui vero foris ordinatur vel ab illo qui ultimam manus impositionem receperat in ecclesia ultima unctione promotus est, ordinatur, sacramentum accipit ordinis non autem ordinis executionem, id est virtutem sacramenti, quia jam in dante virtus ill

tione monachorum in clerum (14), et c. 23, q. 8, c. 20, *de comitatu bellico episcoporum* illustrantur (15).

Nonnunquam suis animadversionibus quædam immiscuit, quæ ad sui ipsius vitæ conditionem pertinent, quæque non injucunda sunt. Sic ad cap. 23, q. 4, c. 21, narrat quemadmodum, perfectis Lutetiæ

A Parisiorum studiis, per Germaniam iter faciens hospitio fuit receptus, ubi etiam (16) locum in quo natus fuerat commemorat. Codicis librarius in margine tabellam depinxit, quæ Laborantem cum hospite colloquentem ac iter parantem exhibet, quam Ughellius, Italiæ sacræ auctor, tanti fecerat,

non est. Qui sic ordinatur, post reditum non in eo reiterabitur ordo, sed si oportet, per benedictionem sacerdotis et vocationem Spiritus sancti confirmabitur. Unde *Ordinationis* tit. xvi, *Convenientibus* tit. xxiii, *Ab excommunicatis* supra p. iii, tit. iii, *Quod quidquam* supra.

« Præter formam tamen Ecclesiæ nec sacramentum accipit aliquis ordinis veluti nec baptismi. Porro si ab illo suscipit ordinem qui foris ultima est promotionis unctione perfusus, si necessitas vel utilitas interpellat, ordinabitur ut non hactenus ordinatus, quia nedum ordinis exsecutionem virtutemve sacramenti, sed nec sacramentum suscipit ordinis. Unde Daibertus. *Qui perfecte* supra. Quid. igitur illud Augustini est, *Sicut*, inquit, *redeunti non redditur quod foris habebat, sic venienti repetendum non est, quod foris acceperat?* supra cap. *Quod quidam.* Sed hic nihil accipit. Aliquibus autem videtur utrumque possibile, ut videlicet ab eo qui est novissime foris inunctus et minime tribuantur et maxima, sed alterum non deputabile ut de Maximo dictum est qui tamen canonice fuisse creditur ordinatus, supra lib. i, p. ii, tit. x, cap. *Propter.* Nam et Dominus qui cum segete zizania cognoscit in area, eisdem zizaniis est dicturus: Tamen dico vobis, nunquam novi vos; item filios Abrahæ Judæos non deputat filios Abrahæ. Dicit etiam illos ex Deo non esse, cum tamen dicat Apostolus, quoniam ex ipso, per ipsum et in ipso sunt omnia. Sed et idem Apostolus ait, Sine charitate nihil sum, cum reprobus sine charitate sit animal. *Imperiali* supra lib. i, p. viii, tit. xiv: Ast in omnibus id videndum quod sacrosanctæ videtur Ecclesiæ. » — Lib. iv, p. viii, tit. xiii, coll. 2, fol. 156.

(14) Pius P. *Sicut licet canonico regulari parochiam tenere, ita et monacho, uterque vero ex dispensatione. Ecclesiæ potest esse archidiaconus vel episcopus, ita tamen ut unusquisque maneat in suo ordine.*

« Sciendum ergo quod ecclesiastica narrat historia, monachos ante tempus papæ Eusebii, Zosimi et Siricii clericos non fuisse; ait et Leo Augusto *Generaliter* supra lib. i, p. vii, tit. xv, fol. 36.—C. 16, q. 1, c. 40. — Postea quidam ex monachis clerici facti sunt. Deinde processu temporis nonnulli de talibus clericis etiam in presbyteros vel diaconos promoti sunt. Nonnulli vero sunt in *cardinales* a Romanis sublimati pontificibus, vel a plebibus expetiti, cum proprii abbatis assensu ab episcopis sunt ad ministrandum populis instituti. Talibus et taliter eductis e claustro monachis, in populo prædicare licet, et cætera quæ sacerdotali pertinent officio, publice exercere, tum et his universisque sacerdotibus, quia prorsus eadem consecratio non obsistat. Pro eis namque singulis, in consecrando illos, ita singulatim ait episcopus: consecrentur et sanctificentur manus istæ, ut quidquid sacrificaverint consecratum sit et quidquid benedixerint, benedicta sint, et cum his idem subsequens episcopalis benedictio largiatur. Habent igitur ex benedictione consecrationis omnes sacerdotes monachi quæque sicut et non monachi prædicandi totiusque sacerdotalis officii potestatem, exsecutionem vero potestatis non omnes. Qui tamen habent, ex institutione qualiter diximus habent. Sic licet monachis, S. Gregorio et B. Martino et Augustino Anglorum episcopo, prædicare plebibus licuit. Alioquin, nullis est monachis licitum, nisi commonefactis divinitus. In hunc mo-

dum ut B. Gregorius in dialogo refert: S. Benedictus homines montis Cassini perduxit ad fidem, et aram Apollinis erectam ibi subvertit. Item: Cuidam Equitio angelus in somnis apparens eum ad prædicandum misit; qui cum de vitio linguæ conquereretur, angelus *flebotomo* tetigit linguam ejus, et a toto vitio illo curavit. Sciendum quoque est monachos vel alios ad officium clericale, id est administratorium plebibus, hoc est ad animarum curam in ecclesiis sæcularibus institutos monasteriorum tenere guber-
B naculа non debere. Unde *Dudum.* » — C. 18, q. 2, c. 27. — Ad lib. iv, p. iv, tit. xii, fol. 112.

(15) « In Registro etiam legitur quod B. Gregorius civibus Tusciæ ut contra Longobardos arma pararent mandavit et militantibus stipendia decrevit.

« Sed aliud est velle occidere hostes, quod Gregorius formidavit, aliud autem nolle occidi, neque se neque suos, et idcirco velle eos tueri armis et vallare clypeis, ut Leo et idem Gregorius studuerunt, atque etiam apostolus Paulus, ut in Actibus legitur apostolorum. Unde sacerdotes licite possunt his quibus armorum licent exercitia, persuadere vel quibuslibet auctoritate sua ut ea arripiant imperare, quatenus et defensio sint bonis et ultio. Unde *Nostri adversus* » supra tit. xxi. — C. xxiii, q 3, c. 3.

« Rursum autem intelligit Nicolaus esse reprehensibile sine consensu Romani pontificis episcopos ad comitatum proficisci vel castra, quia emendandi moris tunc usque fuerat episcopis galli-
C canis sive tributaria imperatori possideant, fortassis empta vel ecclesiis beneficio collata virorum, unde qui Cæsari solvenda persolvant, tributum scilicet vel armatos, vel ut assint curiæ vel labori castrorum, sive episcopus duntaxat obnoxia, ut decimas et primitias et oblationes quascunque fidelium. Si enim episcopus ad exercitium ultro vadit ut subveniat miseris, pium est. Si invitatus a religioso principe, ut eum salubribus consiliis et orationibus adjuvet, dignum est. Si autem vocatus ut principi debitum reddat obsequium, jus est. Sed nullimodis habet ire nisi a pontifice Romano permissus. Unde *Quo ausu.* » supra lib. ii, p. ii, tit. xiii.— C. 23, q. 8, c. 26. lib. iv, p. v, tit. xxiii. coll. i, fol. 135.

(16) « Autumatur quoque superfluum, orationem vel quidquam boni fieri, ut prædestinati salventur, quoniam quidem ut provisa necessario evenient, ita prædestinati necessario salvabuntur. Ad quod si Laborantem consulis, ipsum et hospitem illius audi.
D Ad floridum Florentinæ patriæ mihi natale solum et ad vallis Arnisanæ, Pontormæ, nativitatis meæ nobile castrum, cui nomen indidit vicinissimus ei pons, et fluvius Orma, de Francorum climate per Alemanniam regressum feliciter a scholis habens, a quodam faustæ memoriæ pio viro, cui sit in cœlo palatium, decenti gratitudine fui receptus hospitio. Cumque vellem protinus ut de meo sumptu mihi quidem Laboranti necessaria pararentur et hospiti: « Absit, ait illico liberaliter bonus hospes! Profecto nempe quoniam tibi fui largitus hospitium, nomine hospitii necessaria cuncta simul fui complexus et adjuncta quieti. » Sic igitur et utique sic, cum in prædestinatione siderea promissa victuro sit civitas, civitatis nomine via quæque civitas accipitur, et in via suffragium, ut sit via, prædestinati sanctitas et suffragium, interventus Ecclesiæ, Unde *obtineri.* » C. 23, q. 4, c. 21. Ad lib. iv, p. v, tit. xx, coll. 3, fol. 139.

ut ejusdem exemplar operi quod *De purpuratis viris Florentinis* edere in animo habebat, inserere voluerit.

Item alibi opus commemorat, quod *de justitia et justo ad Majonem magnum, Siciliæ admiratum* (17), atque aliud quod *De vera libertate ad Hugonem Panormitanum archiepiscopum* conscripserat (18). Auctor in hisce locis semper nomen suum indicat, scilicet *Laborans*, unde eruitur nomen istud familiæ proprium, ac non auctori *ob summum laborem*, uti falso Suaresius autumat, inditum fuisse. Mirum forsitan alicui videri poterit, ut Laborans dum se ipsum pluries in opere nominet, nullibi, ne semel quidem, Gratiani aut ipsius Decreti mentionem faciat. Hoc tamen facillime explicari potest, si perpendimus Gratiani Decretum omnibus notum adeo cognitumque fuisse, ut primo veluti intuitu quilibet nexum perspiceret qui ipsum inter ac Laborantis Collectionem intercedit.

Ad modum dividendi quem Gratianus in Decreto adhibuit, quemque significamus cum de *partibus Gratiani* loquimur, quod attinet, ipsum Laborans æque adhibuit; alio tamen nomine, *collationis* nempe, indicavit.

Cæterum Gratiani distributionem minime sectatus est, neque semper et ubique capitula in collationes dividit; at in illis tantummodo titulis, in quibus major eorum numerus occurrit, collationes fecit, unde patet ideo illum hoc fecisse, ut facilius capitula citari atque inveniri possint. Hinc etiam fit ut hunc dividendi modum non pro integrà quaque parte, uti Gratianus cum partibus tam in distinctionibus quam in quæstionibus fecerat, adhibeat, neque uti Gratianus a primo distinctionis aut quæstionis capitulo incipiat, atque eumdem dividendi modum usque ad finem retineat. Cæterum Laborans non nimis sæpe titulos in collationes distribuit (19), atque ubi illas fecit, pro arbitrio pauciores aut plures adhibuit.

In quo vero Laborans a Gratiano maxime differt, illud præcipue est quod quæstiones in quas hic secundam Decreti partem diviserat, penitus neglexit, ac negligere etiam debuit, si divisionis formam in libros, partes ac titulos adhibere voluit. Cum vero non parum commodi illa Gratianea distributio afferret, eam Laborans alio modo supplere studuit. In suis enim dictis, quibus, uti vidimus, singula capita conjunxit, tum antecedentis, tum consequentis canonis facti speciem exhibet : hac autem proposita, divisionem instituit, quam *distinctionem* appellat. Difficultates quas opponit statim aut adductis aliis canonibus, aut propriis observationibus dissolvit, ac responsionem appellat *solutionem*. Aliquando adjungit : *solvitur ita*. Non raro solutionibus novas opponit difficultates, quas modo *contrarietates* aut *contrarium*, modo breviter hac vocula : *contra*, significat. Responsa quæ ad has difficultates proferuntur appellat, *solutionem contrarii*, vel si paulo post difficultatem solvit, *solutionem contrarii superioris*. Nullibi hanc divisionis rationem in ipso textu commemorat, sed in margine tantum hæc verba, *distinctio*, *solutio*, aut *solutio contrarii superioris* adnotat.

Pauca adhuc dicenda supersunt de modo quo Laborans locos suæ Collectionis citat, ubi a Gratiano omnino differt. Ipsi enim in more est ut locis quibusdam loca parallela ascribat, quæ *concordantes* vocat. Hoc maxime in dictis ab ipso factum vidimus, quæ sæpe ejusmodi tantum locis constant. Horum autem locorum textus tum in antecedenti tum in consequenti aliquo libro aut ex parte aut ex integro exhibetur; quare accurate et librum et partem et titulum significat ubi in opere inveniri potest. Quod si habetur in priori aliquo libro, illud indicat vocula *supra;* si in posteriori, vocula *infra*. Locum ipsum, quem semper *capitulum* vocat, initialibus verbis affert, quæ semper libri, partis et tituli numerum præcedunt. Si vero loca parallela in eodem libro aut libri parte exstant, nunquam librum et partem, sed solummodo titulum adnotat. Capitula tamen titulorum, qui *collationes* habent,

(17) Vide appendicem hujus Dissertat.

(18) Ad c. 1, q. 7, c. 27. Lib. II, p. I, tit. I, coll. 4, fol. 63, Laborans agit hic de simonia, quam omnium criminum summum reputat, ipsoque adulterio gravius. In testimonium vocat S. Clementis P. verba a Gratiano, c. 32, q. 7, c. 16, relata : *Quid in omnibus peccatis adulterio est gravius? secundum namque in pœnis obtinet locum, quoniam quidem primum illi habent, qui aberrant a Deo, etiamsi sobrie vixerint;* quæ verba Laborans deinde ita commentatur : « Sic fere nihil in peccatis est adulterio gravius, etiam est adulterium quam simonia vel apostasia levius. Sed apostasia fit intus, foras exit ibique perficitur. Adulterium vel simonia fit intus et ibi consummatur et permanet. In omnibus ergo peccatis intra Ecclesiam consistentibus, tempore B Clementis ut opinantur, nullum reputabatur adulterio gravius. Nunc autem simoniaca pestis adeo lascivit exuberanter et crevit, quod adulteros excessit ad castos, polluit virgines, fœdavit cœlibes, religiosos infecit et omnia pene mundi collegia maculavit. Unde nil mirum, si nunc in Ecclesia, nulla nec etiam Sabelki, utpote suorum numero et potentatu minora, crimina, possunt hujus milleformis immensitati pestilentiæ comparari. De hac in libello, quem *De vera libertate* composui, sic invenitur : *Simonia penes infaustos quibus est spiritualium gratia venalitas, est famosa peccatrix, quam horrere putetur, impudicus ejus amator et in publico detestatur semper et sæpe damnat ad verba. Gaudet tamen obscenis illis jugari contractibus quotiescunque furtivis ingeniis clandestina sese præbet occasio, vel manifeste furentibus, paralogistica species nuptialis. Igitur hodie simoniacum scelus est adulterio gravius, dignorum scilicet bonitatem plus opprimens, et ab ecclesiæ terminis immobilius, quia tamen superexcrescentis multitudinis et præpotentium mole per industriæ commenta firmatur.* »

(19) En titulos in collationes divisos. Lib. II, p. I, coll. 1, 2, 3 et 4. P. III, tit. XVI, col. 1 et 2. Lib. IV, p. IV, tit. I, coll. 1 et 2. Tit. XXIII, col. 1 et 2. P. V, tit. XXII, col. 1, 3, 4. P. VII, tit. XVIII, coll. 1 et 2. P. VIII, tit. VIII, coll. 1, 2, 3. Tit. IX, coll. 1 et 2. P. IX, tit. VII, coll. 1 et 2. Tit. XXII. coll. 1, 2, 3. P. XI, tit. II, coll. 1, 2. Lib. V, p. I, tit. VII, coll. 1, 2, 3, 4.

cos petra, petra autem erat Christus (*I Cor.* x); » A non quia petra esset Christus; sed quia significabat Christum, qui aqua sapientiæ nos potat.

XV. Cum autem dicimus, in domo orationis, id est in ecclesia orandum, inimici veritatis contra nos inducunt illud Evangelicum: « Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito; et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi (*Matth.* vi). » Ex his enim aiunt orandum esse in cubiculo, non in ecclesia.

XVI. Sed, si orandum est in cubiculo, non in ecclesia; Jesus Christus in cujus ore dolus non fuit, erravit, cum vocavit domum orationis, si ibi non oratur. Si autem verum dixit, imo quia verum Veritas dixit, domus orationis est quia ibi orandum B est. Item si in ecclesia orandum non est, peccaverunt Petrus et Joannes, qui ascenderunt ad templum ad horam orationis nonam. Item peccavit Paulus; peccavit Anna, quæ non discedebat a templo, jejuniis et orationibus serviens nocte ac die; quod utique sentire, extremæ dementiæ est. Constet igitur, orandum esse in ecclesia, tum auctoritate Christi, tum exemplis apostolorum, aliorumque sanctorum.

XVII. Orandum tamen est ubique sicut Apostolus ait: « Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus, sine ira et disceptatione: similiter et mulieres (*I Tim.* ii). » Et Propheta: « In omni loco dominationis ejus, benedic, anima mea, Domino (*Psal.* cii). » Cum ergo ubique sit orandum, vo- C luit Deus specialiter esse locum orationi deputatum, scilicet tantum ad orandum et serviendum Deo, ut tanto attentius fiat oratio, quanto ibi soli vacatur Deo, ne quid aliud fiat. Alia quippe loca, pluribus sunt plerumque negotiis implicita. Et ideo, si ibi oret quis, velit, nolit, nonnunquam interrumpitur. « Muscæ namque morientes perdunt suavitatem unguenti (*Eccle.* x). » Causæ quippe temporales muscarum more, per insolentiam se ingerentes, corda orantium confundunt; ne orationes, quæ per se, velut aromata fragrarent, suavem reddant Deo in orantibus odorem.

XVIII. Cum ergo ait Dominus, ut oraturus intret in cubiculum, non statuit, ut lectus materialis sit D locus orationis, nusquam enim hoc fecit: nusquam vocavit lectum, vel thalamum, domum orationis. Sane templum vocat domum Dei, et domum orationis. Non ergo intelligendum est de lecto maritali, sed spirituali. Vocat igitur cubiculum, secretum cordis; ubi si bona est conscientia, suaviter quis pausat; si vero mala, vehementer gravatur. Oraturus itaque quis, secretum cordis intrare debet; ut non tantum ore, sed et corde oret. Cubiculum cordis intret, ne mens per exteriora fusa, fructum orationis perdat. In se vero reversa, tanto facilius per orationem impetret, quanto cunctis aliis spretis, soli Deo vacare contendit. Et ideo, quandiu orationi insistitur claudendum est ostium, id est

auditus cordis
ut desideria ill
carnalis admit
ter cœlestis or
aditu, a supe
Hæc est orat
aures Patris «
lat. Unde sul
abscondito, r
XIX. Præt
contra nos
et inducunt il
bus apostolo
mum; sed n
Propheta dici
tem scabellu
ficabitis mihi
quietionis m
omnia? (*Act.*
habitat in ma
manu homin
mus illuc ad
XX. Ad q
« Deus non h
clauditur, au
est enim, et
ideo non cir
Cui enim cœ
modo conti
in domo tu
Non sic hab
ibi includatu
XXI. Præ
sicut idem a
tur; sed ha
Unde Apo
Domini no
fidem in c
tua de Ch
Propheta;
culum su
LXXVII). »
naculo s
habitat I
et ideo
dum plu
ac ferv
eratior
poris (
ubiqu
perfe
quio
ubiq
ple
reg
el
in
s

nensis sub Alexandro III anno 1179 habiti canones adscripti sunt, interque illos decretalis quoque ejusdem papæ littera conspicitur, quam *ad magistrum Laborantem S. Mariæ in Porticu diaconum cardinalem, apostolicæ sedis legatum*, Collectionis nempe de qua hic disserimus auctorem, inscripta est. Eamdem decretalem attamen mutilam et sine inscriptione Joannes Wallensis Decretalium Collectioni, quæ inter antiquas vulgo secunda appellatur, inseruit cap. 2 De testibus, lib. II, tit. XII. Gregorius IX eam denuo in cap. 20 De testibus et attestationibus, II, 20, exhibet; diversam tamen utrobique habet inscriptionem, nam apud Joannem A *Marco*, et apud Gregorium *Matthæo* cardinali inscripta est.

Cæterum cum tam pauca habeat Laborans quæ in Gratiani opere minime reperiuntur, merito dicere possumus Decretum maximam ac fere integram Collectionis materiam ipsi suppeditasse.

In quinto vero compilationis nostræ libro plurima habentur loca ex jure Romano, ex Digestis nempe, e Codice atque ex Novellis Constitutionibus desumpta; in quibus colligendis Laborans Gratianum longe superavit. Cæterum ea non ex aliquâ antiquiorum canonum collectione, sed ex ipsis Romanorum legum collectionibus desumpsisse videtur.

§ V. *De collectionis merito, maxime si cum Gratiani Decreto conferatur.*

Cum ordinem et methodum quem tum Laborans tum Gratianus in adornandis canonum collectionibus secuti sunt, attente consideramus, nullum dubium suboriri potest quin Laborans in multis Gratiano palmam præripuerit. Ubique enim deprehendimus ipsum et magis certam et magis absolutam methodum sibi præfixisse, eamque in argumentorum dispositione semper præ oculis habuisse, ita ut universum Laborantis opus ad certa capita reduci facile posse videatur, quæ apprime inter se cohærent, atque ingentem ecclesiasticarum le- B gum copiam ad certas veluti classes revocant.

Laborans totus in eo est ut operis sui systema perquam absolutum undique fiat: hinc studiosorum commodum sæpissime neglexit et cum ubique *concordantias* ac *contrarietates* apponere velit, non raro titulos seu capitularia etiam inserere coactus fuit, in quibus nihil aliud fecit quam capita indigitare quæ alibi inserta conspiciuntur. Aliquot hic nos exempla exhibemus, ut pateat, quantum incommodi hæc forma secum ferat (25).

hoc impetitione absolvimus, et eidem in perpetuum silentium imposuimus, auctoritate apostolica statuentes, ut ille vel alius nomine suo jam dictum episcopum aut vos vel ecclesiam vestram super hoc de cætero non valeat molestare, aut in causam deducere. Decernimus ergo, etc., diffinitionis paginam.» — Lib. IV, p. III, tit. VI, fol. 98 et 99.

« ALEXANDER P. III JOANNI episcopo Casertano.

« Super eo quod ex tuis litteris intelleximus, filium Adalardi latoris præsentium et filium sororis suæ, filiabus Stantionis sororis quondam ejusdem A. quas idem S. non de sorore ipsius, sed de alia, quam post ipsam accepit, sustulerat, esse conjunctos, tuæ prudentiæ præsentibus litteris innotescat, quod si ita est, eos sustinere non debes insimul esse, sed potius sunt ab invicem separandi, qu'a contubernia potius quam matrimonia possunt vocari, cum hujusmodi affines etiam in tertio gradu conjuncti, non debeant insimul remanere. » — Lib. IV, p. IX, tit. VI, fol. 168.

« ALEXANDER III P. archidiacono et capitulo Brundisino.

« Constitutus in præsentia nostra V. lator præsentium, parochianus vester, proposita nobis assertione monstravit quod uxor sua diuturno correpta languore nequaquam ei debitum reddere valens, ut ipsa fieret monialis frequenter ab eo licentiam et instantissimé postulavit. Cui vir ipse tandem quamvis incaute satis et illicite super hoc assensum, ut et idem asserit, præbuit. Verum illa sic ad monasterium transeunte, vir nec se votum castitatis facere, nec ad religionem velle transire, constanter in præsentia multorum proposuit. Procedente vero tempore, cum famula sua dormivit, et filiam ex ea, quemadmodum et ab ipso dicitur, substulit. Metuens ergo continuationem criminis et metuens recidivam, suppliciter a nobis expetiit ut ei licentiam ducendi uxorem, quæ suam infirmitatem sus- C ciperet, clementius indulgeremus. Cum igitur uxor aut vir juxta canonum sanctiones et alterutro consentiente digne nequeat statum conversionis assumere nisi pariter convertatur et alter, licet nonnullis abominabile videatur ut mulier de claustro ad nuptias sæculares debeat revocari, volumus ut prædictam mulierem de monasterio vos per omnia relaxetis, et ut uxorem suam illi, omni excusatione cessante, reddatis. Tolerabilius enim est ut vir antefatus uxorem hujusmodi habeat, quam per adulteria multa discurrat. » — Lib. IV, p. XI, tit. IV, fol. 196.

(25) Prius titulos uti in Laborantis opere inveniuntur dabimus, dein eorumdem titulorum rubricas describemus, quæ ex capitulario quod partem præcedit desumimus, ut ita pateat in hisce titulis argumenta indicari quæ sane majoris momenti sunt ac fusius tractari debuissent.

Lib. V, pars V.

D T. XI. *Quoniam. Si quis episcopus per.* Supra lib. II, p. I, tit. I, coll. 1.

T. XII. *Quicquid.* Ibidem : *Si quis episcopus præ.* Ibidem, coll. 3.

T. XIII. *Omnis cujuslibet*, lib. II, p. I, tit. I, coll. 1. *Si qui presbyteri.* Tit. III, *Saluberrimum*, lib. III, p. II, tit. III.

T. XIV. *Ventum est*, lib. I, p. IV, tit. XI.

T. XV. *Sicut is*, lib. II, p. I, tit. I, coll. 1.

T. XVI. *Qui in qualibet*, lib. I, p. IV, tit. XI.

T. XVII. *Pervenit*, lib. II, p. I, tit. I, coll. III, *Statuimus.* Supra p. IV, tit. VI. Ibidem alia.

T. XVIII. *Quicunque sane. Eos qui. Præsentium.* Supra lib. II, p. I, tit. I, coll. 1.

T. XIX. *Si quis dator.* Ibidem coll. 3.

T. XX. *Patet Simoniacos.* Ibidem coll. 4. *Sane quisquis.* Infra lib. V, p. I, tit. VI, coll. 4.

Rubricæ vero sunt hæ :

T. XI. *Si vel laicus Simoniace manus accepit, aut*

justa collationem affert, eaque citando modo voce *capitulum*, modo voce *paragraphus* utitur. Hunc citandi modum Laborans ipse ad calcem libri primi explicat, uti videre est ex iis quæ in nota apponimus (20).

§ IV. *De fontibus quos præter Gratiani Decretum Laborans adhibuit.*

Laborantem minime fugere potuit, Gratianum ad compilandum decretum, antecessorum suorum et maxime Burchardi, Anselmi et Ivonis collectionibus usum fuisse. Hinc minime dubitari potest, ipsum quoque illas aliquando adiisse, præsertim ut argumenta haberet, quæ in suis *concordantiis* et *contrarietatibus* proponeret.

Ad Burchardi opus quod spectat, quatuor tantummodo capitula ex illo decerpsit, ac peculiariter librum et caput adnotat, quod in nullo alio opere quod laudat, fecit (21); Anselmi et Ivonis operibus raro etiam usus est; quædam exempla in iis exstant quæ in appendice ex Laborantis compilatione dabimus.

Præterea apud Laborantem nonnulla loca detegimus quæ in nulla alia canonum collectione invenire potuimus, quæque ab ipso Laborante collecta videntur. Innocentii II decretalibus litteris, quibus posteriores nullæ in Gratiani decreto habentur, quasdam ab Eugenio III et ab Alexandro III editas adjunxit.

Unicam tantummodo Eugenii III litteram profert; habetur enim in lib. V, p. II, tit. IV, fol. 214, ejusdem decretum *De juramento calumniæ*, quod tamen in initio et in fine mancum est, atque inscriptione destitutum. Bernardus Papiensis idem decretum, integrum tamen, inscriptionemque præferens, in suam compilationem recepit, et titulo *De juramento calumniæ*, qui est libri primi titulus XXIV, inseruit, quod itidem in Gregorii P. IX Decretalium collectione exstat (22).

Ex decretalibus Alexandri III quatuor Collectioni suæ adjecit, quarum ea quæ Henrico archiepiscopo Remensi inscripta est, pariter in Bernardi Papiensis collectione habetur (23); reliquas vero tres neque in ejusdem pontificis regestis neque alibi invenire potuimus, quare illas hic apponimus (24).

Dein in codicis margine passim concilii Latera-

(20) En verba Laborantis: « Illud autem in hoc et in sequentibus libris advertas, quoniam ad concordantias et contrarietates inveniendas: hæc dictio *supra* vel *infra* crebro ponitur utilibet; littera *l* transcisa, vel *p* cum numero, vel *co* cum geminis *ll* transcisis, vel *p* simpliciter, et aliquando nihil. L. id est *liber*, P. cum numero, id est *parte*, T. id est *titulo*, *Co*. cum geminis *ee*, id est *collatione*. P. solum id est *paragrapho*. Si ergo *p* cum numero supponitur, in eodem esse libro in quo est præfata dictio cogitatur. Si *t*, in eadem parte. Si *co*, qualiter diximus, in eodem titulo, *p* vero littera si pura, quod est sine numero, sistitur, in eadem collatione vel titulo. Quod si nihil ad *supra* vel *infra* supponitur, id de quo supra vel infra dicitur, in eadem collatione vel titulo cum *supra* vel *infra* pura posito reperitur. Concordantia vero cui nec supra nec infra subscribitur, ad *infra* vel *supra* quod proximius est refertur. » Fol. 57.

(21) Laborans citat decretum Burchardi bis in textu et quidem ad lib. II, p. III, tit. XIV, cap. 2, ubi adnotat: « Ex Burchardo lib. XIX, cap. *Qui per rixam*, quod est cap. 101 hujus libri. » Simili modo allegat cap. 58 libri XI Decreti Burchardi in lib. II, p. III, tit. XXVI, cap. 1, ubi pariter adnotat: *Theodorus in pœnitentiali et B. lib.* XI. Quod porro loca Burchardiana a Laborante in dictis citata attinet, sunt hæc, ad c. 28, q. 1, c. 11. — Lib. II, p. I, tit. VII:

« Paganorum, non Judæorum mensa permittitur Christianis, quia non pagani sed Judæi per abusionem Scripturæ communis enituntur seducere Christianos. Et tamen ut ex concilio Maguntiensi dicitur in B[urchardo] lib. IV, capituli *Catechumenus* [lib. IX, cap. 20], non debet catechumenus in esu communicare vel osculo, cum baptizatis neophytis, id est novitiis agitur, quorum convictu poterat catechumenus improba vel non probe formari. » Eodem fere modo citat Laborans infra lib. VI, p. V, tit. III, fol. 243, ad cap. 29, Distinct. III, De consecratione, cap. 35, lib. III Decreti Burchardi; in B., lib. III, ex conc. Eliberitano, cap. *Placuit picturas*, statuitur ut picturæ non adorentur, non colantur, neque in ecclesia fiant; verum destitutione authentica istud est et vi generalis consuetudinis abrogatum.

(22) Cap. 2, *De juramento calumniæ* (II, 7).

(23) Cap. 5, 6 et 7, *De appellatione* (II, 20); ibique Gregorius IX, cap. 5, 6 et 7, lib. II, tit. XXVIII. Celeberrimus Mansius epistolam hancce inter Alexandri III epistolas decretales denuo recudit. *Collect. ampliss. concil.* t. XXI, p. 1081.

(24) ALEXANDER III decano et capitulo Saresberiensi.

« Cum Hugo Buvet in nostra esset præsentia constitutus, coram nobis et fratribus nostris instanter proposuit, quod Jocelinus episcopus vester ei eum præbendam de Britford jam pridem canonice contulisset et vos eum in fratrem et canonicum receperatis. Super quo utique et litteras concessionis ejusdem episcopi et vestrum etiam ac quarumdam aliarum personarum testimonium prætendebat. Contra vero dilectus filius noster magister Gislebertus, jam dicti episcopi clericus et canonicus vester, proponebat quod pater ejus præbendam illam usque ad mortem possedit, nec ei aliquo tempore renuntiavit. Adjecit etiam quod licet sibi concessa fuisset, illius ætatis tum temporis fuit, quod curam animarum nequaquam recipere potuit, cum certum sit præbendam illam curam animarum habere et ille quando sibi concedi debuit, ad plus septennis exstitisse dicatur. Cumque in audientia nostra hæc et alia multa hinc inde sæpius proposuissent, nos diligentius attendentes quod pater suus præscriptam præbendam, sicut uterque recognovit, prius habuerit, quare perniciosum erat exemplum, ut ei in eadem quasi hæreditario debet jure succedere, considerantes etiam quod cum præbenda sibi concedi debuit, illius ætatis erat, quod curam non poterat gerere animarum, memoratum episcopum vos et Ecclesiam vestram ab ipsius super

nensis sub Alexandro III anno 1179 habiti canones ascripti sunt, interque illos decretalis quoque ejusdem papæ littera conspicitur, quam *ad magistrum Laborantem S. Mariæ in Porticu diaconum cardinalem, apostolicæ sedis legatum*, Collectionis nempe de qua hic disserimus auctorem, inscripta est. Eamdem decretalem attamen mutilam et sine inscriptione Joannes Wallensis Decretalium Collectioni, quæ inter antiquas vulgo secunda appellatur, inseruit cap. 2 De testibus, lib. II, tit. XII. Gregorius IX eam denuo in cap. 20 De testibus et attestationibus, II, 20, exhibet; diversam tamen utrobique habet inscriptionem, nam apud Joannem A *Marco*, et apud Gregorium *Matthæo* cardinali inscripta est.

Cæterum cum tam pauca habeat Laborans quæ in Gratiani opere minime reperiuntur, merito dicere possumus Decretum maximam ac fere integram Collectionis materiam ipsi suppeditasse.

In quinto vero compilationis nostræ libro plurima habentur loca ex jure Romano, ex Digestis nempe, e Codice atque ex Novellis Constitutionibus desumpta; in quibus colligendis Laborans Gratianum longe superavit. Cæterum ea non ex aliqua antiquiorum canonum collectione, sed ex ipsis Romanorum legum collectionibus desumpsisse videtur.

§ V. *De collectionis merito, maxime si cum Gratiani Decreto conferatur.*

Cum ordinem et methodum quem tum Laborans B tum Gratianus in adornandis canonum collectionibus secuti sunt, attente consideramus, nullum dubium suboriri potest quin Laborans in multis Gratiano palmam præripuerit. Ubique enim deprehendimus ipsum et magis certam et magis absolutam methodum sibi præfixisse, eamque in argumentorum dispositione semper præ oculis habuisse, ita ut universum Laborantis opus ad certa capita reduci facile posse videatur, quæ apprime inter se cohærent, atque ingentem ecclesiasticarum legum copiam ad certas veluti classes revocant.

Laborans totus in eo est ut operis sui systema perquam absolutum undique fiat: hinc studiosorum commodum sæpissime neglexit et cum ubique *concordantias* ac *contrarietates* apponere velit, non raro titulos seu capitularia etiam inserere coactus fuit, in quibus nihil aliud fecit quam capita indigitare quæ alibi inserta conspiciuntur. Aliquot hic nos exempla exhibemus, ut pateat, quantum incommodi hæc forma secum ferat (25).

hoc impetitione absolvimus, et eidem in perpetuum C silentium imposuimus, auctoritate apostolica statuentes, ut ille vel alius nomine suo jam dictum episcopum aut vos vel ecclesiam vestram super hoc de cætero non valeat molestare, aut in causam deducere. Decernimus ergo, etc., diffinitionis paginam. » — Lib. IV, p. III, tit. VI, fol. 98 et 99.

« ALEXANDER P. III JOANNI episcopo Casertano.

« Super eo quod ex tuis litteris intelleximus, filium Adalardi latoris præsentium et filium sororis suæ, filiabus Stantionis sororis quondam ejusdem A. quas idem S. non de sorore ipsius, sed de alia, quam post ipsam accepit, sustulerat, esse conjunctos, tuæ prudentiæ præsentibus litteris innotescat, quod si ita est, eos sustinere non debes insimul esse, sed potius sunt ab invicem separandi, qua contubernia potius quam matrimonia possunt vocari, cum hujusmodi affines etiam in tertio gradu conjuncti, non debeant insimul remanere. » — Lib. IV, p. IX, tit. VI, fol. 168.

« ALEXANDER III P. archidiacono et capitulo Brundisino.

« Constitutus in præsentia nostra V. lator præsentium, parochianus vester, proposita nobis assertione monstravit quod uxor sua diuturno correpta languore nequaquam ei debitum reddere valens, ut ipsa fieret monialis frequenter ab eo licentiam et instantissime postulavit. Cui vir ipse tandem quamvis incaute satis et illicite super hoc assensum, ut et idem asserit, præbuit. Verum illa sic ad monasterium transeunte, vir nec se votum castitatis facere, nec ad religionem velle transire, constanter in præsentia multorum proposuit. Procedente vero tempore, cum famula sua dormivit, et filiam ex ea, quemadmodum et ab ipso dicitur, sustulit. Metuens ergo continuationem criminis et metuens recidivam, suppliciter a nobis expetiit ut ei licentiam ducendi uxorem, quæ suam infirmitatem suscciperet, clementius indulgeremus. Cum igitur uxor aut vir juxta canonum sanctiones et alterutro consentiente digne nequeat statum conversionis assumere nisi pariter convertatur et alter, licet nonnullis abominabile videatur ut mulier de claustro ad nuptias sæculares debeat revocari, volumus ut prædictam mulierem de monasterio vos per omnia relaxetis, et ut uxorem suam illi, omni excusatione cessante, reddatis. Tolerabilius enim est ut vir antefatus uxorem hujusmodi habeat, quam per adulteria multa discurrat. » — Lib. IV, p. XI, tit. IV, fol. 196.

(25) Prius titulos uti in Laborantis opere inveniuntur dabimus, dein eorumdem titulorum rubricas describemus, quæ ex capitulario quod partem præcedit desumimus, ut ita pateat in hisce titulis argumenta indicari quæ sane majoris momenti sunt ac fusius tractari debuissent.

Lib. V, pars V.

D T. XI. *Quoniam. Si quis episcopus per.* Supra. lib. II, p. I, tit. I, coll. 1.

T. XII. *Quicquid.* Ibidem : *Si quis episcopus præ.* Ibidem, coll. 3.

T. XIII. *Omnis cujuslibet*, lib. II, p. I, tit. I. coll 1. *Si qui presbyteri.* Tit. III, *Saluberrimum*, lib. III, p. II, tit. III.

T. XIV. *Ventum est*, lib. I, p. IV, tit. XI.

T. XV. *Sicut is*, lib. II, p. I, tit. I, coll. 1.

T. XVI. *Qui in qualibet*, lib. I, p. IV, tit. XI.

T. XVII. *Pervenit*, lib. II, p. I, tit. I, coll. III, *Statuimus.* Supra p. IV, tit. VI. Ibidem alia.

T. XVIII. *Quicunque sane. Eos qui. Præsentium.* Supra lib. II, p. I, tit. I, coll. 1.

T. XIX. *Si quis dator.* Ibidem coll. 3.

T. XX. *Patet Simoniacos.* Ibidem coll. 4. *Sane quisquis.* Infra lib. V, p. I, tit. VI, coll. 4.

Rubricæ vero sunt hæ :

T. XI. *Si vel laicus Simoniace manus accepit, aut*

secundum mores civitatis, officium transnominentur. Ad stipulativum dictis legitur in hunc modum:

Cap. 1. *Omnes leges*. D. 1, c. 1.

Cap. 2. *Jus generale*, etc. D. 1, c. 2—5.

Cap. 3—9. — D. 1, c. 6—12.

Romani juris species sunt lex et cæteræ supradictæ.

Cap. 10.— D. 2, c. 1.

Cap. 11—17.— D. 2, c. 2—8.

Amplius autem est et alia quædam juris species, anterioribus longe præstantior, auctoritatis videlicet ecclesiasticæ constitutio. Lex utique non sæcularis ad ædificationem pertinens spiritualem, quæ specificato nomine canon, id est regula, nominatur, de pia sanctorum et Christi dispensatione proveniens, naturæ magisterio non adversa. Habet autem et hæc quatuor in se continentia, species, dominicas institutiones, constitutiones apostolicas, decreta pontificum, statuta conciliorum, et his omnibus insunt oracula prophetarum.

Adsunt et aliorum præclara munimina patrum et illustrium gloriosa placita vel documenta virorum.

Decretorum vel canonum sicut et legum, aliud singulare, pertinens uni personæ, vel quæstioni, ut epistola decretalis ad collegium vel ad quemquam, scilicet et privilegium, quod veluti privata lex dicitur; aliud generale, quia multis, quod et ipsum particulare est, aliud universale, quoniam universis.

Rursus aliud temporale, ut: *In viam gentium ne abieritis*, aliud perpetuum, ut: *Prædicate evangelium omni terræ*, aliud locale, ut: *Si clerici ad concilia provocant, non provocent nisi ad Africana concilia*. Infra lib. IV, pars IV, tit. XXVII, capituli *Presbyteri*, aliud ex causa, ut: *Da tributum, Symon, pro me et te;* aliud autem et temporale est et locale pariter et ex causa, ut: Anglorum tertia vel quarta generatione contracta matrimonia non solvantur.

Conciliorum quoque vel synodorum aliud universale tanquam ab universis aut pluribus nationibus celebratum, aliud provinciale celebratum sive ab episcopis unius provinciæ et vel auctoritate romani pontificis, ejus sive præsente legato, vel quia decreta seu canones non promulgat auctoritate primatis aut metropolitæ qui provinciæ præest

Provinciale tamen est et cæteris provinciis ad casus similes amplectendum, cum ad esum agni cui non sufficit Israelita vicinum debeat vocare, unde *de libellis* infr. lib. I, p. II, tit. XII. Ibidem sunt alia. *Norit* lib. IV, p. I, t. II. Nec silendum, quod inter canones statutum conciliorum brevitate nomine generis usitatius dicitur canon, unde *Nicæna* p. II, tit. XXIII. Decretum usu vulgatiore præceptum, prohibitio, vel constitutio pontificum Romanorum, sive in concilio episcoporum, sive in conventu cardinalium roborata. Quod si epistolariter scribatur absenti dicitur epistola decretalis Si vero privilegialiter scribitur, privilegium nuncupatur, seu præsenti detur seu concedatur absenti. Attamen decreti nomen nonnunquam sumitur ut cujuslibet canonis sanctorumque doctrinæ compaginatæ canonibus. Propterea dicitur et quælibet illa canon.

Causa tam decretalium pontificum scilicet, quam synodalium canonum præceptio Christi fuit: *Docete*, inquit, *omnes gentes quodcumque suggeret vobis Paraclitus*.

Materia rationabilis vitæ modus et via patriæ.

Officium moderata discretione jubere et prohibere, remunerare et punire, indulgere quoque vel permittere et monere. Unde,

Cap. 18. *Omnis lex* — D. 3, c. 4.

Finis est ad patriam genus humanum officii dispensatione reducere.

Auctor, instinctu divinitatis, ordo pontificalis.

Ministri, pontifices et sacerdotes.

Ordo non eos condendi qui tempora sequitur conditorum, sed eorum multos in præsentis operis serie singulis adoptandi propositis et per incidentiam circa ea constantibus librorum sequitur ordinem, et in libris ordinem titulorum.

Legum vero finis aliis ostenditur verbis hoc modo.

Cap. 19. *Factæ*. — D. 4, c. ..

Decretalis igitur quædam et canonica doctrina sanctorum, quæ licet parva sit, vastitati cujus est delibatio, non parum tamen in negotiis ecclesiasticis inchoandis tractandis, terminandis expedire videtur, in sex voluminis hujus dividitur libros, quorum generaliter omnium communis est ecclesiastica moralis instructio: Materia digna nimis et in minima copia rationum canonicum volentibus exercere conflictum et dissonantiæ pugnam subinde mediante ratione dissolvi. Et quamquam singuli singulas intentiones principaliter exequantur, nonnulla tamen valde necessaria principalibus incidenter attexunt. Unde, liber primus agere de varietatibus ecclesiasticæ promotionis intendens, alias quædam toti volumini perutilia pro locorum aptitudine non incongrue frequenter annectit. Incipit autem sic: Canonis ergo genus. Sed quorundam capitularium tituli primitus hoc ordine disponuntur.

TITULI CAPITULARIUM PARTIS PRIMÆ.

I. *Quid sit lex, qualis esse debeat, quando sit de ipsa judicandum vel per ipsam.*

II. *Differentia naturalis juris ad alia.*

III. *Non quia secus agitur aliquid ac nempe jus est.*

IV. *Non quia contra jus naturale videtur.*

V. *Quia vero contra est, irritetur.*

VI. *De consuetudine mala.*

VII. *De constitutione sacrilega.*

VIII. *De constitutione minus certæ varietatis, aut certæ.*

IX. *De contraria constitutione.*

X. *De non contraria.*
XI. *De consuetudine legi obvia.*
XII. *De non obvia.*
XIII. *Quæ consuetudo resecanda sit, qualiter, et qua de causa.*
XIV. *De duobus impossibilibus eligendum minus.*
XV. *Indiffinitum est peccandum cuiquam, ne gravius peccet alter.*
XVI. *Regula mitigandi rigoris vel non mitigandi, et qualiter utrumque fiat.*

Ad Præsulem Pampilonensem.

T. I, Cap. 1-5.

Canonis ergo genus lex est, et est eruditio legis ad illicita declinandum sacra præceptio.

Cap. I. *Lex esse.* — D. 4, c. 2.

Horum consideratio cum sit lex, non autem postea, libera est : unde.

Cap. 2. *Quamquam.* — D. 4, c. 3.

Institutarum seu promulgatarum alia firmatur, id est moribus approbatur utentium ; quamvis aliquando forte moribus abroganda, alia non. Quapropter invalida est ut quam Papa Telesphorus de abstinentia sicut in libro sermonum ait Ambrosius promulgavit dicens.

Cap. 3. *Statuimus.* — D. 4, c. 4.

Consensit in idem B. Gregorius hoc modo.

Cap. 4. *Sacerdotes et diaconi.* — D. 4, c. 6. *Denique sacerdotes.*

Hæc etsi pro legibus instituta sint, quia tamen communi usui non placuerunt, aliter agentes de transgressione sua non arguunt. Alioquin juxta canones suscepto privarentur honore, nisi dicantur hæc exhortationes et non decreta. Decreto siquidem importatur necessitas, exhortatione libera excitatur voluntas. Unde *Ita* infra lib. II, p. I, tit. XVI. Ibidem sunt alia. Contra Telesphorum.

Ex concilio Aurelianensi.

Cap. 5. *A sacerdotibus omnibus decretum est, ut ante paschæ solemnitatem non quinquagesima, sed quadragesima teneatur.*

Sed Aurelianense concilium jejunium quadrigenarium non quinquagenarium omnibus vult indici, Telesphorus non omnibus, sed clericis, XL dierum et bidui.

T. II, cap. unicum.

Lex omnis et positionis acceptione digna constitutio, jus naturale sequitur et de naturæ venia sui rivuli trahit originem. Naturale quippe jus illis omnibus esse constat antiquius. Si quod post hominis conditionem jus consuetudinis atque ut creditur a tempore civitatis, quam ædificasse Cain legi cœpit. Sed nec ante formationem hominis irrationabilia ipsa naturalis juris peritia fugiebat. Jus autem constitutionis cœpit a justificationibus traditis Moysi a Domino. Si emeris servum ebreum, etc. Unde.

Cap. 1. *Moyses.* — D. 7, c. 1.

Est immobilitate dignius quia mutatis aliis non mutatur. Est et dignitate præstantius. Quicquid enim juri naturali contrarium, vel scriptura vicii comprehendit, vel mos erroris admisit, ut infra tit. VI, cæterisve liquebit, irritum haberi debet et vanum.

T. III, cap. unicum.

Non tantum quia secus ac permiserit aliquid agi irritatur. Naturæ nempe licentia communia sunt omnibus universa. Jure non consuetudinis vel constitutionis, hoc est meum, illud alterius. Unde :

Cap. 1. *Divinum Jus.* — D. 8, c. 1. *Quo jure. Quicunque vos.* Infra lib. IV, p. V, tit. XXIII, collatio prima, fol. 134. — C. 23, q. 7, c. 1.

T. IV, cap. 1-3.

Est scilicet nec illud irritari quia non juri naturali quoniam sanctioni divinæ non spiritus aut virtutis, sed litteræ præventione repugnat. Jubebatur enim in Levitico : Mulier si masculum parit XL, si vero fœminam, LXXX diebus, et omnis mulier dum menstrua patitur a templi cesset ingressu. Nunc vero fit aliter, unde.

Cap. 1. *Si mulier.* — D. 5, c. 2.
Cap. 2. *Baptizari.* — D. 5, c. 3.

Placuit u. q. p. infra lib. IV, p. VI, tit. XIII, f. 143. *Placuit ut quicunque parvulos.* D. 4, De cons., c. 153.

Cap. 3. *Ex sola causa incontinentiæ.* — D. 5, c. 4. *Ad ejus.*

Contra.

Cum humilitatis. Infra lib. IV, p. VII, tit. XVIII, col. 2, fol. 194. — C. 22, q. 2, c. 9.

T. V, cap. 1-2.

Cap. 1. *Quæ contra.* — D. 8, c. 2.
Cap. 2. *Si consuetudinem.* — D. 8, c. 5.

T. VI, cap. 1-2.

Cap. 1. *Mala consuetudo.* — D. 8, c. 3.
Cap. 2. *Qui contempta.* — D. 8, c. 6.

T. VII, cap. unic.

Cap. 1. *Quicumque legibus imperatorum.* — D. 9, c. 1, *Imperatores.*

Si quis episcopus. Inf. lib. II, p. 1. Ibidem alia. fol. 67. C. 11, q. 3, c. 91.

T. VIII, cap. 1-10.

Cap. 1-4. — D. 9, c. 3-6.
Cap. 5. *Hieron. in secundo prologo bibliothecæ.* Emendatiora sunt exempla Latina quam Græca, Græca quam Ebrea.

Ergo *de Ebreis* inviolatis et *Græci sermonis* incorrupti, fit violatio seu curruptio per hæreticos aut scriptores.

Cap. 6-10. — D. 9, c. 7-11.

T. IX, cap. 1-4.

Cap. 1-4. — D. 10, c. 1-4.

T. X, cap. 1-6.

Cap. 5. — D. 10, c. 7, 8, 13, 9 et 10.

Denique infra lib. IV, p. X, tit. XI, fol. 190. C. 31, q. 1, c. 9. At non oportet omni merito neque semper debitam respondere pœnam.

Cap. 6. — D. 10, c. 12.

T. XI, cap. 1-4.

Cap. 1-4. — D. 11, c. 1-4.

T. XII, cap. 1-8.

Cap. 1-2. — D. 11, c. 5-6.

Resecanda infra tit. XIII, cap. *Omnia.*

Ergo *laudamus*, tolerabilem, non vero superstitiosam et intolerabilem.

Cap. 3-5. — D. 11, c. 7-9.

Cap. 6. — D. 11, c. 11.

Cap. 7-8. — D. 12, c. 3 et 7.

Novit infra lib. IV, p. I, tit. II. — D. 12, c. 8.

Ergo exemplum sine discretione justitiæ, unde supra *Non debent* infra D. VIII, tit. XIV, fol. 42. — D. 12, c. 1.

T. XIII, cap. unicum.

Cap. 1. *Omnia.* — D. 12, c. 12.

T. XIV, cap. 1-3.

Contra jus naturale nulla dispensatio nec duorum impossibilium minus eligendi necessitate recipitur.

Unde :

Cap. 1-2. — D. 13. c. 1-2.

Contra quia ait : *tunc solum sine culpa.*

Cap. 3. *Nullatenus sine culpa*, et infra lib. IV. p. II, tit. IX, cap. *Vir*, fol. 91. — C. 33, q. 4, c. 7. Sed ibi solvitur. *Si quid* p. III, tit. XXIX, fol. 100, ex *Anselm. Lucens.* lib. X, cap. 54.

In malis p. II, tit. XIV, fol. 145. — C. 22, q. 4. c. 5. Ibidem alia.

T. XV, cap. unicum.

Cap. 1. *Quod.* — D. 14, c. 1.

Offerebat. Non solum. Infra lib. IV, p. XI, tit. II, coll. 2, fol. 193. — C. 32, q. 7, c. 12, et C. 32, q. 8, c. un.

T. XVI, cap. 1-7.

Cap. 1. *Sicut quædam.* — D. 14, c. 2.

Cap. 2-3. — D. 29, c. 2 et 1.

Ex causa fuit repudium, sicut dedit et Christus ipsum tributum.

Cap. 3. *Necesse.* — D. 29, c. 3.

Scias frater. Infra lib. IV, p. IV, tit. XXIII, coll. 2, fol. 120. — C. 7, q. 1, c. 35. *Occidit.* P. V. tit. III, fol. 125. — C. 23, q. 8, c. 14.

Cap. 4. *Necessaria.* — C. 1, q. 7, c. 6.

Cap. 5. *Priscis.* — D. 55. c. 1.

Hoc concessit Gelasius videns italicam ecclesiam propter angustias famum et belli omnium fere clericorum officio destitutam. Innocentius vero concessit ordinatos a Bonoso hæreticos suscipi, ne nimium pax ecclesiæ turbaretur. Unde :

Cap. 6. *Quod pro.* — C. 1, q. 7, c. 7.

Ordo legitimus in talibus hic est. Nam vide supra. Infra lib. IV, p. VIII, tit. VIII, coll. 2, cap. *Arianos*, fol. 155. — C. 1, q. 1, c. 93.

Cessare, non ut ejiciatur sic susceptus, sed ne alius ejusmodi suscipiatur, nisi non omittenda, vehementer adhortetur provisionis industria.

Cap. 7. *Etsi.* — C. 1, q. 7, c. 23.

A TITULI CAPITULARIUM

PRIMÆ PARTIS LIBRI TERTII.

B INCIPIT LIBER TERTIUS.

Tertius hujus excerpti decretorum seu canonum liber, quos degradatorum et quo modo reparari conceditur, partim exemplis partim canonibus judicat et declarat.

T. I, cap. unicum.

Maria namque soror Aaron, de peccato murmurationis in Moysen, pœnitendo, mundata fuit ab elefantia, et spiritum prophetiæ recepit. Aaron post conflationem vituli in summum consecratus est sacerdotem. Achab de interfectione Nabithæ viri sanctissimi pœnitens, in solio regni permansit. Et ut innumera utriusque testamenti subticeamus exempla, postquam Paulus Stephanum lapidavit apostolus fuit C *electus a Domino. Post negationem Petrus factus est princeps apostolorum. Plerique redeuntes ab hæresi, suis officiis restituti, ex quibus nonnulli sunt et quatenus in fascibus agerent pontificii sublimati, ut Augustinus et plures alii.*

Cap. 1. *Joannes Chrysostomus.* — D. 50, c. 13 (*Palea*).

T. II, cap. 1-10.

Cap. 1-2. — D. 50, c. 14 et 15.

Cap. 3. — D. 50, c. 20.

Cap. 4. — D. 50, c. 19.

Cap. 5 et 6. — D. 50, c. 24 (*Palea*).

Cap. 7, 8 et 9. — D. 50, c. 16, 17 et 18.

Si quis presbyter. Supra lib. II, p. III, tit. XVIII. — D. 50, c. 22, *Contumaces*, p. IV, tit. VII. — D. D 50, c. 21.

Cap. 10. — D. 82, c. 5.

(*Laborans exhibet hujus canonis inscriptionem : « Ex concilio Gangrensi. »*)

T. III, cap. 1-9.

Cap. 1-3. — D. 50. c. 1, 9 et 10.

Adrianus P.

Cap. 4. *Si quis episcopus a synodo depositus est, non licet illum saltem a quolibet episcopo nominari.*

Postquam. Supra lib. I, p. IX, tit. XI, fol. 47. — D. 50, c. 11.

Cap. 5, 6 et 7. — D. 50, c. 3, 2 et 4.

De his supra lib. I, p. V, tit. X, fol. 17. — D. 50, c. 6. *Si episcopus.* Lib. II, p. III, tit. VIII, fol. 73.

— D. 50, c. 34. *Si quis vero voluntate*. Tit. XXVI, coll. 2, fol. 27.— D. 50, c. 11.

Cap. 8. — D. 50, c. 31.

Contra. *Ministret* igitur altario in minimis officiis, ut sunt incensi præparatio, candelariorum deportatio et hujusmodi.

Cap. 9. — D. 50, c. 30.

T. IV, cap. 1-22.

Cap. 1.— D. 50, c. 23 (*Palea*).

Cap. 2.— D. 50, c. 25.

Domino. Supra lib. I, p. II, tit. XII.— D. 50, c. 28.

Quia. lib. II, p. IV, tit. XVI.— D. 50, c. 38.

Cap. 3, 4 et 5.— D. 50, c. 29, 26 et 27.

Cap. 6.— Ans. Lucens. VIII, cap. 10.

Cap. 7.— C. 26, q. 7, c. 5.

Synodus VIII.

Cap. 8. *Hoc sit*, etc.

Gregorius.

Cap. 9. *A tempore*, etc.

Antiqui. Infra lib. IV, p. IX, tit. XVIII, fol. 178. — C. 33, q. 2, c. 19.

Cap. 10.— C. 26, q. 7, c. 2.

Cap. 11.— C. 26, q. 7, c. 10.

Servata R. libelli et juramenti et synodalis absolutionis. Unde *Si quis*. Supra lib. II, p. :., tit. XXIII. *Ego N. refuto*.

Infra lib. IV, p. VI, tit. XVIII. De eo p. I, tit. VI.

Cap. 12.— C. 26, q. 7, c. 1.

Cap. 13 et 14.— C. 26, q. 6, c. 7, 8.

Ægrotantes. Infra lib. VI, p. III, tit. X.

Alexander P. I.

Cap. 15. *Sacerdos*, etc.

Cap. 16. *Sicut baptismus*, etc.

Cap. 17. — C. 26, q. 6, c. 6.

Cap. 18. — D. 1 De pœnit., c. 86.

Cap. 19. — C. 26, q. 6, c. 1.

Cap. 20. — C. 26, q. 6, c. 14.

C. Carth. II.

Cap. 21. *Crismatis confectio*.

Cap. 22. — C. 26, q. 6, c. 4.

Verum quando vel ut pœnitendi veritas agnoscatur, ejus indicat libelli series, cujus est initium: *Memini vir illustris, quem ego Laborans, nondum Romæ cardinalis, sed Capuæ canonicus*, ad ammiratum Siciliæ de justitia et justo deque multis aliis, eo flagitante contexui.

T. V.

De clericis Supra lib. I, p. V, tit. X. *Hi qui al*. lib. II, p. III, tit. XXVI, coll. 1. *Quia* P. IV, tit. XVI.

T. VI, cap. 1-2.

Cap. 1 et 2. — D. 50, c. 53 et 54.

Post depositionem a presbyterio, Theodosius fuit episcopus, et Leontius patriarcha. Unde *Joannes Chrysostomus* supra tit. 1.

A T. VII, cap. unicum.

Cap. 1. — C. 1, q. 7, c. 16.

Sicut quidam. Supra lib. I, p. I, tit. XVI. Ibidem alia.

T. VIII, cap. unicum.

Reparatio tamen est interdum ad majora subvectio, dispensativæ contigit tumidæ pœnitentium vel astute vel aliter indignorum. Imo ne dissolvatur pax ecclesiæ, quia multitudine fulcitur noxius vel indignus, non dejicitur, sed in honoris officio tollatur et quandoque provehitur ad majora. Unde:

L. P. Cap. 1. — C. 23, q. 4, c. 19.

T. IX.

Cæterum et ob memoriam culpæ vel causæ recusatur a multitudine, quamquam fructuosam pœnitentiam egerit, nequaquam tamen videtur contra B scandalum reparandus, nedum altius attollendus. Unde. *De his* supra lib. II, p. III, tit. IX.

T. X, cap. unicum.

Attamen est minore neglecto, majus scandalum fugiendum. Unde *Duo mala* lib. I, p. I, tit. XIV.

Cap. 1. — C. 11, q. 3, c. 65.

Obscure positum hoc adverbium istud *injustæ* dilucidæ ponitur. Infra lib. V, p. III, tit. III, *Pro sententia*.

Tituli capitularium partis secundæ.

I. *Soli Deo, judicium reatus, et rei nemini cognitæ, deputantes* (scilicet canones).

C II. *Soli per confessionem presbytero manifestum reum vel indignum, suo statui dimittentes*.

III. *Moderationem canonum esse Romani pontificis judicantes*.

IV. *Officio reddito pristinum locum aliquibus non impie denegantes*.

V. *Degradatis, locum pœnitentiæ, et si fieri potest, necessaria providentes*.

VI. *Degradando, ne degradetur, pœnas misericorditer infligentes*.

T. I, cap. 1-10.

Depositionis igitur omnia jam superius et consequenter ordinata capitula, penes ecclesiam tenent, sed in rebus manifestis ecclesiæ. Nam de occultis et incognitis, sibi soli retinuit judicare seu condemD nare divinitas. Unde.

Cap. 1 et 2. — C. 2, q. 5, c. 20 et 22.

Mennam. Infra lib. IV, p. V, tit. V. — C. 2, q. 5, c. 7. Contra quod etiam dictum est, superstitiosa adinventio, et temptare dominum.

Cap. 3. *Gregorius M*.

Si vir, etc.

Solutio. Sed verum judicium, id est verum juramentum, sibi judicialiter datum, vel argumentum, verum judici, ut si pateat virum caruisse potentia. Unde *Instrumenta*. Infra lib. IV, p. X, tit. XIV (*locus iste invenitur in Pseudo-Ivonis Decreto, lib. XVI, cap.* 138).

Item contra.

Cap. 4. *Plures.* — C. 16, q. 1, c. 54.

Sed Dei judicio, id est discretione cujuspiam mediatoris in cujus ore pacem loquatur Dei spiritus, et vocem ejus audiant.

Item contra.

Cap. 5 et 6. — C. 2, q. 5, c. 23 et 26.

Solutio. Verum, non temptatur Deus, ubi secundum quod præcipit agitur. Hoc etenim purgandi per eucharistiam genus, sumptum videtur a sacrificio zelotipiæ quod dominus in lege constituit. Ait enim in libro Numerorum ad Moysen.

Cap. 7. *Loquere filiis*, etc.

Item contra.

Cap. 8 et 9. — C. 2, q. 5, c. 24 et 25 (*Laborans citat canones istos ex concilio Guarmatiensi*).

Probabile judicium vel divinum, juramentum intelligi, vel experimentum in eucharistiæ perceptione. Amplius et omnino contra.

Cap. 10. *Nobilis.* C. 2, q. 5, c. 14.

Porro, non est canonica censura hæc, sed est ad duritiam impetentis, canonica legitimæ censuræ permissio. Purgatio igitur alia est vulgaris, ut igniti ferri, alia canonica, ut solummodo juramenti. Unde *Mennam.* Infra lib. IV, p. V, tit. V. Ibidem alia. Vulgaris non est nisi personæ servilis, aut suspectæ serviliter. Ingenuæ, canonica sola, quia habes utrumque, sic Burchardus lib. VI, *Qui presbyterum*, cap. 5. *Nobilis* supra. Cum igitur in ingenuum mala fama non subest, canonica non est exigenda purgatio. Unde. *Quod autem.* Infra lib. V, p. tit. VIII. Item nec si ex inimicorum fictione subest. Unde. *Auditum* lib. IV, p. V, tit. V. Sin ex verisimili suspicione sit orta, purgatione tolletur. Unde *Presbyter vel ibidem* et ibidem alia. Quod si clericus in populo diffamatur, præsente populo emundetur. Unde. *Presbyter si. Consultu.* Ibidem. Si dumtaxat in clero, coram solummodo clero purgetur. Unde. *De crimine.* Ibidem. At vero episcopus, cum XII debebit expiari collegis. Unde. *Consultu.* Ibidem. Presbyter cum VII, diaconus cum III, subdiaconus et infra, poterit tantummodo simplici manu. Unde. *Si legitime: Presbyter si.* Ibidem. Hoc regulariter. Cæterum in arbitrio consistit episcopi, quota manu se quisquis ille purificet. Unde. *Consultu.* Ibidem. Si autem infamatus idoneare se possit et nolit, sit in suspenso quamdiu se non reddit idoneum. Si vero non potest, impotentiæ suspensio sit coæva, aut si forte sit æquus, maneat quousque sinistra fama quiescat, ut in annum quintum, unde fortasse habetur. *Si episcopo*, supra.

T. II.

De his vero, supra lib. II, p. III, tit. IX. — D. 50, c. 34.

T. III, cap. 1-6.

Eorum vero, quibus gradus aufertur, aliis post canonice transactam pœnitentiam dispositione quam provida restauratur; aliis, quia non digne eos pœ-

A nitet, vel eorum pœnitentia fructibus non apparet, vel non occurrit exstitisse restitutionem de canonibus eis indultam, sed usque qua prohibitam, vel licet sint immunes a crimine, quia tamen sacramentum vana species mentiretur ut in digamis, irreparabiliter manet ablatus.

Est tamen in manu romani pontificis, digitus et in digito discretio, rigiditas et flexura, quo pro discretivo libramine suæ sanctæ deliberationis et providentiæ, valeat canonum moderari censuris, ut et rigescant mitia, et rigida mitescant, lenitati succedat asperitas, et asperitati prout expedit, si tamen expediat quæ nondum forte contingit, dispensatoria lenitas. Unde *Dispensationes* supra p. I, tit. VII. Ibidem alia.

B Fit autem ipsa dispensatio multiformis in his, quæ rigor canonum non admittit, sed prompte respuit vel condemnat. Librat namque proposita negotiorum secundum res officii et juxta quantitates rerum. Duæ siquidem res, sunt officio dispensatoris in administrandi ratiocinatione propositæ, adeptio scilicet commodi, quia est utilitas et honestas, et evitatio incommodi, quæ est inutilitas et turpitudo. Invenitur autem commodum vel incommodum, alie sui generis et majus et minus, et commodum incommodo. Commodorum debito semper omittitur minus ut contingat majus, si necessarium sit alterutrum non possibile utrumque. In commodis autem contra quia semper admittitur minus ut evitetur

C majus, si necessarium sit alterutrum, et sint impossibiliter simul ambo. Sin oppositæ conferantur solum minus bonum omittitur pro majore vitando malo, si necessarium sit alterutrum. Quantitas rerum seu commodorum et contra maxime consideratur ex qualitatibus personarum et exigentia temporum. Personarum nomine populum quoque recipimus usu rhetoricorum, et quosque plures in idipsum una voluntate devinctos. Quocirca persona est, unus aut plures. Unus autem quando est, aut est cum pluribus aut sola. Quando vero plures, aut extirpari valet pestis zizaniorum tritico non avulso, quæ dici valeat quasi sola, aut nequit eradicari sine tritico et exterminio pacis ecclesiæ generalis. Non

D in talem facit ea: non dandæ sententiæ, sed in solam, vel quasi sententia detur ex canone nisi moderatione provisoria supportetur. Hanc moderationem, de varietate fit evenire causarum, quibus cessantibus, rigor vigilans non mollescit. Fit enim ut levigetur asperitas, imminentia necessitatis, intuitu pietatis, consideratione personæ, prospicientia utilitatis et cautela contrarii, imminentia necessitatis, ut cum tempore Gelasii P. esset italica ecclesia propter belli famisque letigeram cladem omnium clericorum officio destituta, adeo ut plerisque populis subsidia regendarum deessent animarum, concessit idem pontifex de monachis ac de laicis clericos assumi, dicens: *Necessaria* supra lib. I, p. I, tit. XVI. Ibidem alia.

Dixi *non in talem facit canon* et contra, quoniam alius est canon dandæ sententiæ, qui et sententiæ causam ponit, et in futurum dictat, ut, qui facit hoc vel fecit, abstineatur, alius vero date, qui et sententiæ causam punit et dictat in præsens, ut, eum qui fecit hoc vel faciet, abstinemus. Canonum canones noti sunt.

Cap. 1. — C. 1, q. 7, c. 13.

Non debet. Episcopus non, supra lib. I, p. X, tit. II. — D. 65, c. 2 et 3.

Cap. 2. — C. 1, q. 7, c. 14.

Cum quisque, supra p. I, tit. VIII. — C. 23, q. 4, c. 19.

Cap. 3. — C. 1, q. 7, c. 13.

Intuitu pietatis, ut de illiteratis et corpore vitiatis promotis in clerum, et de episcopis subito factis ex laicis. Unde.

Cap. 4. — C. 1, q. 7, c. 12.

Exigunt supra lib. I, p. VI, tit. XXVII. — C. 1, q. 7, c. 18. Consideratione personæ, *Tanta* tit. XLII. — C. 1, q. 7, c. 11. Prospicientia utilitatis et cautela contrarii, unde *Tali*. p. IV, tit. XV. — C. 1, q. 7, c. 17.

Maximum. p. VI, tit. XXVII. — C. 1, q. 7, c. 19.

Cap. 5. — C. 1, q. 7, c. 20.

Si quis vol., supra lib. II, p. II, tit. XXIII. — C. 1, q. 7, c. 8.

Cap. 6. — C. 1, q. 7, c. 21.

Dispensatio igitur est circumstantiarum plene rationabilis in agendis observatio. Circumstantias dico personas, res, causas, tempora, loca, rigorem, enitatem, et quas alias agendis accommodas, industria dispensatoris advertit.

T. IV.

Plerumque autem officio restaurato non restaurantur et locus, ne scilicet vel sui tituli scandalizetur ecclesia vel ipsius ut sit memoria restituti. Unde *Valet* supra lib. I, p. VII, tit. II. — D. 81, c. 9. *De his vero* lib. II, p. III, tit. IX. — D. 50, c. 34

T. V, cap. unicum.

Cui tamen locus honoris offertur, eidem ab episcopo locus est idoneus vel invito ad pœnitentiam providendus, et indigenti vitæ substantiaculum, si potest fieri, providendum. Unde *Sacerdos autem* supra lib. I, p. VII, tit. II. — D. 81, c. 7. Ibidem alia. *Presbyter aut* lib. II, p. III, tit. IX. — D. 81, c. 12.

Cap. 1. — D. 81, c. 16.

T. VI.

Disciplinalis in clerum series, ea non præpostera vel obliqua sed esse recta conjicitur, ut a lenibus transeatur ad aspera, et a minimis intendatur ad maxima. Quamvis ideo medicinalis hæc operatio antidota minora ponat et lenia, ne majora sit opus apponi vel aspera. Tangit verbo ne verberet, minatur vultu, ne vulneret, sed et vulnerat miseranter, ut liberet. Primum ergo videtur, ut qui excesserit, arguatur aut moneatur ut expedit. Unde ammonitio debet annuere vindictam. Infra lib. IV, p. IV, tit. VII, cap. *Indigne*. — C. 12, q. 2, c. 21. Item, Si peccaverit in te frater tuus argue eum. Sequitur ut qui argui negligit, excludatur, vel a proprio suspendatur officio. *Præter hoc. Si qui sunt*. P. II, tit. XXXIX. Deinde ut contumax beneficio despolietur. Unde *Si quis*. *Eos etiam*. Tit. XXI. Deinde ut contumacior gradu privetur officii. Unde *Decernimus* supra lib. II, p. III, tit. XXVI, coll. 1. Ibidem alia. Audi ut obstinatus anathematis gladio procellatur. Unde *Tam sacerdos. Nulla major* Infra lib. IV, p. VIII, tit. VII, cap. *corripiantur*. — C. 24, q. 3, c. 17. Ibidem alia. Fit autem et alio provisoriæ artis ordine disciplina.

Explicit liber tertius.

ANNO DOMINI MXLVIII-MCCL

LAURENTII DE LEODIO

ET CONTINUATORUM EJUS

GESTA EPISCOPORUM VIRDUNENSIUM

ET

ABBATUM S. VITONI

ED. GEORGIUS WAITZ, PROF. PUBL. GOTTING.

(PERTZ, *Monum. Germ. hist.*, XII, 486)

Cum sæculo XII plurimæ Lotharingiæ Ecclesiæ libris gauderent de gestis episcoporum abbatumve scriptis, etiam Virdunenses id studuerunt, ne qui post Mettenses primi talem assecuti essent honorem nunc ab aliis superarentur. Bertarii igitur continuatione (SS. IV, p. 45 sqq. [*Patrol.* t. CXXXII]) in medio s. XI desinente, res per centum fere annos ad suam usque ætatem gestas enarrandas curavit monachus S. Vitoni, Hugo nomine. Qui ordinis sui fratrem ex cœnobio S. Laurentii Leodiensi, litterarum studio his temporibus præcellenti (1), Virdunum transgressum, et ipsum ut videtur Laurentium dictum (2), commovit ut munus illud susciperet. Neque Laurentius, quamvis per unum tantum annum Virduni deguerit (3), abnuit quæ petebantur, clarorum virorum gesta oblivione premi ægre passus.

Librum Alberoni episcopo inscripsit epistola præmissa, qua ea retulit quæ a Bertario omissa de historia Virdunensi undecunque colligere poterat, eaque partim falso gloriæ patriæ studio huc relata, partim vero ex genuinis monumentis sumpta. Ipsa historia inde ab a. 1048 (rectius 1047) ad. 1144 usque deducta, ex quibus fontibus hausta sit, Laurentius nusquam indicavit, sed vero se studuisse palam professus est (4), « quicunque melius insinuaverit, meliorem sententiam in omnibus sequi paratus; » neque perperam gesta tacere voluit, cum « historiam necessaria veritate sequi oportuerit, » id tamen cavens ne ullius « crimen verbis exaggeraret. » Et sane cauta opus erat prudentia, cum de lite illa inter papas et imperatores acta, in qua episcopi Virdunenses et abbates Sancti Vitoni contrarias partes tenuerant, ipsi esset agendum. Qua illo tempore feliciter sopita, partium studio se abripi minime passus est, etsi animum Ecclesiæ propensiorem celare noluerit. Cæterum res quas narravit plerasque bene habuit compertas, ab Hugone ille (5) aliisque fortasse monasterii fratribus edoctus. Quamvis enim primis annis in rebus publicis Lotharingiæ tradendis Laurentius nonnunquam errores commiserit, per majorem libri partem istorum argui nequit. Usque ad finem sæc. XII cum Hugone Flaviniacensi, qui easdem fere res tetigit, cujus liber vero non longe propagatus Laurentio haud innotuit, hic comparari potest. Postea aliis historiæ Virdunensis monumentis plane destituti, certo quidem fundamento caremus, quo innisi fidem ipsius pensare possimus. Sed de his potissimum temporibus testes rerum gnaros Laurentius Virduni reperisse censendus est, quorum ope ita usus est ut Ecclesiæ historiam satis accuratam et plenam componeret. Quam etiam sermo locuples et nonnunquam ornatior lectoribus commendat. Præterea de Laurentii vita nihil constat, neque de mortis tempore quidquam compertum habemus. Fortasse tamen historiam a 1144 scriptam postea secundis curis pertractavit, fortasse etiam longius illam continuandam suscepit. Quamvis enim a. 1144, Alberonis episcopi anno 14, se in libro scribendo occupatum fuisse et calamum deposuisse apertis verbis dicat (6), semel tamen ille 15 annis sedere refertur (7). Præterea continuatio exstat longe quidem ultra Laurentii tempora deducta, sed non uni scriptori, ut videtur, tribuenda, cujus prima verba ita ad Lau-

NOTÆ.

(1) Cf. Raineri librum *De claris scriptoribus monasterii sui*, ap. Pez, *Thes. anecd.* IV, 3, p. 20 sqq. *Hist. litter. de France*, x, p. 99.

(2) Codices qui exstant auctoris nomen haud satis aperte exprimunt. Qui infra 1. nominatur inscriptione plane caret, et præfationis textu vero *L* litteram ponit; alter 2. dictus hoc loco *L* in *I* mutasse videtur et epistolæ ad Alberonem episcopum scriptæ hanc præmisit rubram : *Epistola Joannis monachi ad dominum Alberonem episcopum.* Sed hæc non ma- digna esse fide inde apparet quod verba : *de diensi cœnobio Beati Laurentii* plane omissa sunt. lo XVI tum apographum Ambianense (Archiv. *397), tum* Wassebourg, rerum Virdunensium scriptor egregius, Laurentii nomen indicarunt, quod jure retinere possumus.

(3) C. 34 ; cf. Epistola : *Ante hunc annum ad urbem vestri regiminis adductus.* Ideo non a. 1140, ut Hist. litter. auctor scripsit XII, p. 222, sed a. 1143 vel 1142 Laurentius Virdunum venit.

(4) Epilogus : *Petimus ut de hoc opusculo nemo nobis calumpniam struat, quia, cum sola vera nos scripsisse putemus*, etc.

(5) C. 32 : *Hugo — cujus hortatu et relatu hoc totum opusculum confecimus.*

(6) Epilogus; cf. c. 32 : *Ante hoc biennium, qui fuit a. d. i. 1142.*

(7) C. 32; cf. quæ de hoc loco annotavi.

rentii librum se referunt (8), ut hunc ipsum, neque alienum scriptorem, te audire putes. Hac vero parte S. Vitoni patroni elevatio a. 1147 ab Eugenio papa celebrata narratur, res fausta et monasterio honorificentissima, quam ut posteris traderet, et versibus quamvis rudibus et impolitis, celebraret, et ipse Laurentius adduci poterat. Albericus tamen, qui solus inter medii ævi scriptores, quod sciam, Laurentium exscripsit, nonnisi primam eamque potiorem libri partem noverat (9).

Postea Gesta episcoporum et abbatum Virdunensium duo, ut videtur scriptores longius continuarunt, alter ab a. 1156-1187, alter ad a. usque 1250. Hæc pariter atque annorum 1144-1147 historiam eidem s. XIII scriptori alii tribuerunt; quibus quo minus assentiamur præsertim eo impedimur, quod narrationem bis plane abruptam videmus (10). Quare tres continuationis partes distinximus, primam ipsi Laurentio, ut opinamur, ascribendam, alias duas a monachis S. Vitoni scriptas, qui illum neque rerum cognitione neque sermonis elegantia æquarunt.

Hoc opus jam a Dacherio (*Spicilegium* XII. p. 274 sqq., ed. 2. II, p. 241 sqq.), Calmeto (*Hist. Lotharingiæ* I. Probb. p. 206 sqq., ed. 2. II, p. XVIII sqq.) et frustatim a Bouqueti continuatoribus (XI, p. 249-251. XIII, p. 628-640. XV, p. 208) editum, cum nobis recudendum esset, codices adivimus in bibliotheca publica Virdunensi etiamnum exstantes eosdem quos in Bertarii editione curanda secuti sumus.

1 Codex, nunc N. 3 notatus, qui duabus partibus constat (cf. SS. IV, p. 39), f. 248 sqq. Laurentii librum continet manu s. XIII scriptum, quem plerumque sequi potuimus, quamvis in singulis verbis exprimendis sæpius a more sæculi XII medii recedat; ponit enim librarius ubique *e* pro *æ* et *œ*, sæpius *y* pro *i* (*epytaphyum*, *antystes*, *archydiac.*, *Sophya*, *Phylippus*, *Ytalia*) et quæ sunt ejusmodi; nonnunquam etiam errores commisit, semel vel bis Laurentii verba omisit (11). Continuatio eadem ut videtur manu, sed alio atramento addita est.

2 Codex N. 36 signatus s. XIII, f. 126 sqq. Laurentii librum exhibet, Joanni monacho tributum. Quamvis hac voluminis parte non eædem genuini textus mutationes deprehendantur quæ in Bertarii historia offendant, nonnullis tamen locis quædam addita sunt Laurentio vix tribuenda. Neque ipsa verba mendis carent. Quare me Virduni versantem impeditum esse quo minus integrum codicem exscriberem vix est quod doleamus. Laurentii libro finito hæc legitur subscriptio (f. 147): ***Petrus de Flandria me scripsit, sed non me dictavit.*** Continuatio nulla adjecta est; sequuntur: *Nomina pontificum qui fuerunt post Alberonem*, diversis manibus scripta.

3 Idem volumen nunc prima eaque antiquiori parte, quæ s. XII exarata est, fragmenta continet ex Laurentii historia sumpta, quæ magni faciamus oportet, quippe quæ ipsius ætati sint propiora et lectiones codicis 1. plerisque locis ita confirment, ut hoc magna fiducia niti possimus.

Quibus subsidiis fulti, s. XVI et XVII apographa, quæ in bibliothecis Parisiensi (*Archiv.* VIII, p. 325), Ambianensi et Hagis Comitum (*ibid.* p. 569) asservantur, adhibere noluimus, neque editiones ex iisdem ut videtur codicibus sumptas magni fecimus (12) Brevia vero fragmenta a Wasseburgio *Antiquitatum Belgicarum* voluminibus (13) inserta ipsum perbono usum esse libri exemplari ostendunt, quod cum 3. maxime convenit.

Idem Wasseburgius integram fere Laurentii necnon continuatorum narrationem in suas retulit paginas, eamque perpetuo quasi commentario instruxit atque illustravit. Quem Calmet secutus plura de suo addidit. Uterque in villarum Virdunensium nominibus explicandis non parvam quidem curam posuisse videtur; neque tamen ubique pari diligentia errores caverunt; quos nonnunquam Roussel (14) emendavit, alios vero intactos reliquit. Apud hos quos singulis locis nominavi scriptores fides sit interpretationum. Præterea chartas attuli quotquot episcoporum gesta hic relata illustrare videbantur.

Subsequuntur *Annales S. Vitoni* in codice bibliothecæ Virdunensis n. 3. (cf. Vol. IV, p. 7) manu s. XV exscripti, sed ex antiquiori fonte procul dubio hausti, qui ad annos pontificum Virdunensium et abbatum S. Vitoni constituendos faciunt, præterea vero pauca tantum continent memoria digna. Eorum partem Labbeus negligentius descripsit et publici juris fecit (*Bibl. nova manuscriptorum* I, p. 400). Quæ minutis litteris expressa sunt ex veterum annalium exemplari sumpta esse videntur, quod ad Annales S. Vincentii Metenses Vol. III, p. 153 editos prope accedit. His impressis, jam rerum Virdunensium scriptores quotquot medio ævo scripti ad nos pervenerunt omnes hanc nostram collectionem recepisse, lectores mecum gaudebunt.

G. Waitz.

NOTÆ.

(8) C. 1: ***Pii et venerabilis Patris nostri Segardi præconiis, a quo non longe superius digressi sumus.***

(9) V. hac de re Wilmans, Archiv. X, p. 225. Anno quoque 1131 paucis additis Albericus Laurentium sequi videtur; de translatione vero S. Vitoni et Eugenii papæ itinere Virdunensi nihil tradit. Neque continuationem posteriorem novisse videtur. Nam quæ a. 1181 de Arnulphi episcopi morte narrantur aliunde haurire poterat.

(10) C. 7. prior narratio verbis finita erat: ***Henrico vero succedit Albertus, vir admodum strenuus.*** Quæ sequuntur: *Altercatione tamen orta*, etc., aperte alium scriptorem arguunt, qui Albertum cum Roberto de episcopatu dimicasse novit, præterea vero de ipsius historia usque ad a. 1208 nihil compertum habuit.

(11) C. 34: ***Illa autem domus desolata remanet usque nunc***, etc., quæ fortasse tempori, quo codex scriptus est, haud satis convenire videbantur. Verum librarius etiam hæc in exemplari suo invenit, quippe qui prima vocabula scripserit sed mox eraserit. Alium locum c. 33, qui nunc deest, signo apposito in margine supplere voluisse videtur.

(12) Alium codicem Leodii fuisse Miræus testatur de SS. ecclesiasticis c. 362, p. 63. Idem: ***Nos***, inquit, ***eorum exemplar ms. olim dono dedimus Joanni Cordesio canonico Lemovicensi, cum Lutetiæ ageremus.***

(13) Le premier (le second) volume des ***Antiquitez de la Gaule Belgicque.*** 1549. fol. Librum in Germania rariorem bibliotheca regia Hannoverana mihi suppeditavit.

(14) ***Histoire ecclésiastique et civile de Verdun***, par un chanoine de la même ville, Paris 1745. 4.

INCIPIUNT
GESTA VIRDUNENSIUM EPISCOPORUM ET ABBATUM[1].

Venerabili A. [2] gratia Dei Virdunensium præsuli et omni ejus ecclesiæ frater L. [3] de Leodiensi cœnobio beati Laurentii secundum utrumque hominem feliciter in Christo vivere.

Ante hunc annum ad urbem vestri regiminis adductus, maxime in ea deprehendi illud Ecclesiastis (cap. 1), quia omnia sub sole tendunt ad interitum, et priorum quorum non est memoria. Involvit omnia mortalitas, et fortissimorum regum et tyrannorum, quodque magis doleamus, sanctissimorum quoque martyrum et confessorum non solum gesta, sed etiam ipsa tollit ab hominibus et sepelit cum ossibus nomina. Ecce sancti prædecessores vestri Sanctinus, Maurus, Salvinus, Arator, Pulcronius, Possessor, Firminus, Vitonus et multi alii, quo tempore vixerint, quæ mira, quæ gesta vivi effecerint, hodie nescimus, et indignam, proh nefas! patronorum nostrorum patimur ignorantiam, quorum meritis illustramur. De ipso etiam nomine beatissimi Vitoni his pene in ambiguo est. Antiqua monimenta (15) eum Videnum [4] appellant; cui vocabulo vulgaris lingua magis consonat. Si qua inveniuntur de his [5], omnia incerta et quasi per nebulam narrantur, ut vix digna fide reputentur. Et quidem primum istorum beatum Sanctinum aliqui de 72 discipulis Salvatoris [6] fuisse ferunt. Verum Bertharius [7], qui eorum catalogum [8] prout novit digessit, * ponit (16), quod in multis legitur, fuisse sancti Dionysii Parisiensis [9] discipulus et Meldensium episcopus, indeque verbo prædicationis huic Virdunensium urbi angelica [10] visitatione illuxisse **. Fratres Theologii [11] monasterii dicunt, de suo cœnobio sex monachos vel abbates vestræ [12] ecclesiæ episcopos datos (17). Laudanda est tamen Bertharii pia industria, qui de ipsis cineribus et ruinis incensæ urbis et ecclesiæ [13] omnia, prout potuit, prædecessorum [14] præsulum saltem vel nuda nomina eruit, vel quædam gestorum nobis [15] scintillavit [16]. Nam ipsam tantillam de nostris præsulibus notitiam ab ipso accepimus. Non enim pro parvo duxerim, quod insignia gesta magnorum beneficio scriptorum eripiuntur ab interitu oblivionis. Refert Hieronymus (18) in prologo super Vita sancti Hilarionis, quod Alexander Magnus Macedo, quem vel arietem vel pardum vel hircum [17] caprarum Daniel (cap. VIII) vocat, cum ad Achillis tumulum venisset: « Felicem te, ait, o juvenis, qui magno frueris præcone [18] meritorum; » Homerum videlicet significans. Hæc hactenus dicta sint, ut ab omnibus nostris quaqua versum gesta patrum exquirantur et memoriæ posterorum transmittantur, ut de proximo habeant quos maxime imitentur. Nam quæque civitas magis suorum amplexatur exempla. Proinde et de istius civitatis antiquo statu, quæ diversis litteris comprehensa invenimus, hic in unum breviter collecta vobis transcribimus.

Quorum primum illud de Romana historia occurrit, quæ dum decennale bellum Caii Julii Cæsaris in Gallias describit, hujus oppidi tunc firmissimi ita his verbis meminit (19): « Interea Draptes unaque Lecterius, » haut dubio duces Gallorum, « cum

* duas de ipso opiniones ponit: primam, quæ et valentior est 2.

** alteram, quod in Vita sancti Servatii legitur Sanctinus urbis Clavorum episcopus concilio Agrippinensi, ubi agitur de heresiarche (*sic*) Effrathe depositione et beati Severini subrogatione, interfuisse. Cui de his duabus opinionibus magis fidem adhibeam, vix invenio, nisi quod aliqui, ut hoc utrumque constat, duos Sanctinos diversis temporibus autumant (20) Virdunensi cathedre presedisse, quorum primum idem vel Salvatoris de 72 discipulum vel illum Meldensem episcopum martyrem fuisse volunt. *add.* 2.

VARIÆ LECTIONES.

[1] 2. *habet rubram:* Epistola Johannis monachi ad domnum Alberonem episcopum. [2] A. 1. 2. *i. e.* Alberoni. [3] 1. *e corr.* 2. *ubi verba* de L. c. b. L. *desunt.* [4] videnuum 2. [5] hiis 1. *sæpius.* [6] s. f. f. *desunt* 1. [7] bertarius 2. [8] cathalogum 1. [9] parisiacensis 2. [10] a. v. *desunt* 2. [11] teolegii 2. [12] nostre 2. [13] ecclesia 2. [14] predescessorum 2. [15] *deest* 2. [16] scintillant 1. [17] hyrcum 1. *ubi etiam* Danyel, Achyllis, *alia ejusmodi.* [18] preconio 1.

NOTÆ.

(15) Quæ fuerint non constat. Neque Bertarius (SS. IV, p. 41) neque Hugo Flaviniacensis (SS. VIII, p. 328) hæc referunt.

(16) C. 1.

(17) Intelliguntur Paulus, Gisloaldus, Gerebertus, Armoinus, Bertalamus et Abbo: v. Calmet, *Hist. de Lorraine*, *I*, p. 464. Alibi de 12 episcopis ex Theologiensi monasterio ascitis sermo est; vid. Clouet, *Hist. ecclésiastique de la province de Trèves*, I, p. 583.

(18) Ed. Vallars II, p. 13.

(19) Orosius (et Historia miscella) ex Cæsare. Quæ hic de Uxelloduno (*Issoudun*) narrat, Laurentius ad Veredunum refert.

(20) Ap. Orosium oppidum haud nominatur, in Historiæ miscellæ editionibus vero *Lugdunum* legitur.

adesse Caninium [19] et legiones, » sine dubio Romanorum, « in finibus [20] suis viderent, undique collectis copiis, oppidum Verodunum (21-22) occupant. Hoc oppidum in editissima montis arce pendebat, duabus partibus per abrupta latera non parvo flumine cingebatur. Medio deinde descensu largissimo fonte securum pluri maque introrsum copia frumenti tutum, irritos [21] procul discursus hostium despiciebat. Caninius, quod solum Romana provisione potuit [22], ambos duces cum parte copiarum plurima in campo evocatos, maximo prælio superavit. Nam uno ex ducibus [23] interfecto, alterum cum paucissimis fugavit. Nullus in oppidum rediit; sed ad id oppugnandum Cæsare opus fuit. Itaque certior per nuntios factus Cæsar accurrit, circumspectisque omnibus, videt, si [24] expugnare vi moliatur, ludo et spectaculo hostium delendum esse exercitum suum; unum solummodo esse præsidii, si quoquomodo [25] hostes aqua arceantur. Sed et hoc quoque nisi Cæsar non potuisset. Siquidem fons, quo ad potum utebantur, medio devexi montis latere fundebatur. Cæsar ad proximum fontis admoveri vineas turrimque extrui jussit. Fit ilico concursus magnus ex oppido. Quibus sine periculo prœliantibus Romanis, quamvis pertinaciter obsisterent crebriusque succederent, complures tamen trucidabantur. Igitur extruitur agger et turris pedum LX, cujus vertex adæquari ad locum fontis possit; ut vel ex æquo tela conici queant vel præcipitata desuper saxorum volumina non timeri. Oppidani autem ubi exanimari siti non solum pecora sua, verum etiam infirmiores hominum ætates vident, cuppas pice sœvo [26] et scindulis replent. Ac deinde immiso igne in prona præcipitant, easque ipsi toto oppido effusi sequuntur. Ardentibus machinis, cum grave prœlium suis Cæsar ac periculosum videret, cohortes in circuitu oppidi ire velociter imperat atque undique subito vastum clamorem attollere. Quo facto consternati oppidani, dum recurrere ad muniendum oppidum volunt, ab oppugnatione turris et demolitione aggeris recesserunt. Illi tamen qui ad incidendas fontis venas sub obtentu aggeris tuti cuniculos perfodiebant, repertos in abstruso aquarum meatus per multa dividendo tenuari in semetipsis consumique fecerunt. Oppidani, fonte siccato, ultima correpti [27] desperatione, deditionem sui faciunt. Cæsar autem omnibus qui arma tulerant manus sustulit et vitam reliquit, quo testatior esset etiam posteris pœna improborum. Multum enim ad coercendam audaciam valet propositum punitionis exemplum, cum ipsa miseri præsens [28] forma viventis et ad recordationem ammonet conscios et ad sciscitationem cogit ignaros. Exhaustis atque demolitis Gallis, securus Cæsar in Italiam cum legionibus rediit, nullos post se Gallorum motus pertimescens; certo sciens, minime se aliquos, qui vel moveri audeant vel si moveantur timendi sint, reliquisse. » Hæc Romana historia.

Ultimum igitur prœlium Cæsari in Gallias Verodunum castrum fuit, de quo possis merito conicere, quanti nominis et virtutis jam tunc fuerit, in quo illa præceps victoria fortunati Cæsaris tantis moris præ omnibus Gallorum bellis diu hæserit; cujus oppidani soli post omnes Gallos victos extremam belli manum pro libertate etiam contra ipsum Cæsarem conseruerint; quibus captis et domitis, Cæsar jam nil sibi de aliis teste historia timuerit. Et quoniam nullum [29] antiquius Verodunicæ antiquitatis testimonium invenimus, ut hoc factum certa temporis nota signemus, erat tunc, juxta quod ex historiis colligere possumus, annus ab urbe Roma condita [30] septingentesimus, annus Olimpiadis centesimæ octogesimæ secundæ secundus, annus [31] ante dominicam incarnationem quinquagesimus secundus. Publica porro est omnium sententia, quod vestri pontificatus diebus, dum intra urbem in operibus foderetur, ipse occultus aquæ jam exhaustæ meatus, de quo hic sermo est, de sub terra inventus sit. Situs quoque loci quamvis ex antiquitate mutatus sit, tamen ita fuisse ut hic describitur oculis conicientibus facile patet. Tunc istud oppidum Veludunum aut Veredunum et hic et in aliis antiquorum scriptis vocatum invenimus, unde nunc nomen Virduni remansit. Nam etiam Antoninus, socius Cæsaris (23), in suo Itinerario [32] (24), ubi urbes oppida et municipia, per quæ publicarum viarum tractus ferebatur, dinumerat, hoc oppidum Verodunum castrum vocare invenitur.

Vocabatur et urbs Clavorum, quod vel murus ejus clavatus fuisse (25), vel quod quædam hostilis obsidio clavis ferreis a civibus extra projectis impedita fuisse et ita soluta [33] discessisse ab urbe a quibusdam narretur. Quamvis incolas loci Clabos urbemque Claboniam vel Clabiam gentiliter fuisse vocatam vulgaris opinio sit. Sed [34] ut cetera bellorum monimenta, quæ huic oppido incubuisse scimus, numeremus : sub Martiano [35] imperatore, ab Attila rege Hunorum, qui omnes Gallias ut singularis aper de silva devastavit, ista urbs et ecclesia excisa et eversa profecto creditur. Quo tempore sanctum

VARIÆ LECTIONES.

[19] cavinium 1. *et infra*. [20] s. f. 1. [21] *ita* 2. *in* 1. *haud patet*. [22] *ita* 2. *in* 1. *haud patet*. [23] duobus 1. [24] se 2. [25] quomodo 1. [26] *corr.* sepo 2. [27] d. c. 2. [28] f. p. 1. [29] *deest* 1. n. antiquitus 1? 2? [30] c. unde s. 1. [31] vero *post add*. 2. [32] iteneracio 2. [33] s. suis 2. [34] Set 2. [35] martiniano 1.

NOTÆ.

(21-22) Quod omni fide carere, recte nuper monuit Clouet l. l. I, p. 96.

(23) Antonio Cæsaris æquali Antonini imperatoris itinerarium perperam ascribitur.

(24) Ed. Wesseling p. 364.

(25) Cf. Hugo Flavin. l. l. p. 292.

episcopum Pulcronium [36] fuisse volunt (26). Tempore quoque beati Madelvei ipsam ecclesiam fuisse combustam, vita ejus narrat (27). Sub Hildino quoque dignæ memoriæ episcopo, quomodo rex Karolus ecclesiam [37] Theologiam cum rebus aliis Virdunensi ecclesiæ ablatam cuidam Adelelmo dederit, quantaque episcopus inde mala pro recuperatione sustinuerit, testis est ejusdem Hildini scripta lamentatio, et Nicholai [38] papæ epistola (28) pro ipso Adelelmo. Anno quoque Dadonis [39] episcopi 37, ignis civitatem et totam ecclesiam consumpsit. Ibi libri et memoriæ sanctorum patrum et monimenta rerum ecclesiæ combusta sunt (29). Narrant quædam litteræ, quod Boso Guntrannus, vir tirannicus, et iste Dado episcopus mutuis cædibus prædis et incendiis sese devastaverunt. Exstat et carta Dadonis præsulis [40] de Hattone et Berhardo [41] episcopis et de se super ecclesiastico statu multa insignia narrantis et confirmantis (30). Sub istis [42] episcopis incursio Normannorum inter Gallias facta est, et cum aliis hoc episcopium vehementer afflixit, quosdam etiam canonicos Sancti Vitoni Sanctique Germani, incensis ecclesiis, martirizavit, ut invenimus etiam in epitaphio, cujus hoc extremum est:

Haimo [43] *tuus germanus obit cum cæde piorum,*
Pro Domino moritur et tibi junctus adest;
Et quartodeno Martis hunc ante Kalendas
Normanni jugulant; æthere martyr ovat.

Berhardus [44] episcopus in destructa sancti Vitoni basilica octo canonicos relocavit et res suas ipsi ecclesiæ reconsignavit. Anno quoque primo Bernuini præsulis crudelissima gens Hungrorum [45] istud episcopium irrupit, omnia pene incendit, homines aut necavit aut abduxit. Refert Vita Sancti Basoli tunc eos divinitus fuisse repulsos a cœnobio Belliloci, quod est [46] in honore sancti Mauricii (31). De istis infortuniis exstat epistola Virdunensis cleri (32).

Ista quia Berthàrius [47] in pontificalibus gestis omiserat, ut hic unum breviter colligerem et pro commendatione transcriberem vobis, amantissimus vester [48] venerabilis Hugo, monachus noster, nimia instantia me invitum compulit. Et quoniam quæ abhinc sequuntur usque ad tempus Theoderici [49] pontificis a quodam digesta inveniuntur (33), prædictus commonitor noster, ut ab ipso Theoderico usque in præsens tempus omnia quæ evenerant compilarem oppido, insistens exegit. Ubi quæ de bonis narrata sunt, quoniam omnibus bonis placitura scio, si quorum delicta, quæ historiam tenens [50] non potui tacere, annotata sunt, oro ut nemo mihi indignetur, cum ego nullius crimen verbis exaggeraverim et historiam necessaria veritate sequi oportuerit.

FINIT EPISTOLA.

INCIPIT [51] PROLOGUS SEQUENTIS OPERIS DE GESTIS VIRDUNENSIUM PONTIFICUM.

Scribimus ad laudem et gloriam beatæ Dei genitricis Mariæ semper Virginis, quæ in hoc ejus Virdunensium episcopatu gesta sunt pace vel bello memorabilia et digna relatu. Et quoniam priorum pontificum hujus urbis gesta, prout potuerunt colligi, litteris continentur usque ad tempora Theoderici [52] episcopi, ab ipso Theoderico sumimus relationis principium, ducturi usque in hodiernum diem. Quod opusculum domino Alberoni episcopo, utpote de ejus prædecessoribus scriptum et in ipso finitum, merito dedicamus.

1. Igitur anno Dominicæ Incarnationis secundum Dionysium 1048 [1047] [53] (34) post venerabilem Richardum Theodericus sedit hujus Virdunensium urbis [54] episcopus, a beato Sanctino, primo [55] nostro præsule, tricesimus septimus [56], vir genere, moribus et sapientia præditus. Hic natura Teutonicus [57] et Basiliensis ecclesiæ fuerat canonicus, patre nobilissimo quodam Guezelone [58] natus. Eodem anno Walerannus post abbatem sanctæ memoriæ Richardum institutus est abbas in hoc cœnobio Sancti Vitoni, jam pridem monachus [59] ejusdem ex comite Fran-

VARIÆ LECTIONES.

[36] pulchronium 2. [37] abbatiam 2. [38] Nicolai 2. [39] dadoni 2. [40] episcopi 2. [41] berarhdo 1. [42] ipsis 2. [43] Haymo 1. *ubi etiam* epytaphyo *et quam sæpissime* y *pro* i. [44] berardus 1. [45] hunorum 1. [46] *post add.* 2. [47] bertarius 2. [48] *fortasse:* vestri? [49] teoderici 2. *et infra.* [50] tenens *corr.* texens 2. [51] *deest* 2. [52] teoderici 2. *sæpius.* [53] *e corr.* 2. [54] *deest* 2. [55] p. ut referunt 2. [56] XL^{m} *e corr.* 2. [57] theuthonicus 2. [58] gocelone 2. [59] monachus 2.

NOTÆ.

(26) Cf. Vita S. Lupi Trec., Acta SS. Jul. VII, p. 70.

(27) Præter Hugonis relationem de Madelvei vita ex antiquiore, ut videtur, libro haustam nonnisi brevis ejus notitia apud Surium VII, 744 legitur, quæ hæc non continet; apud Hugonem vero p. 345 leguntur.

(28) Quam frustra quæsivi; cf. Calmet I, p. 638, n. Roussel p. 132.

(29) V. locum SS. IV, p. 38 editum.

(30) V. SS. IV, p. 37.

(31) V. SS. IV, p. 517 n.

(32) Quæ perdita esse videtur; nisi intelligat epistolam episcopo Virdunensi inscriptam, a Dacherio et Martenio editam, qua origines et vastationes Hungarorum exponuntur. De qua cf. præsertim Roussel p. CLI.

(33) SS. IV, p. 45-51.

(34) Annum 1047 rectius Hugo Flav. SS. VIII, p. 406 indicare videtur.

corum Bretuliensi (35). Nam in bello, quod apud Barrum dux Gozelo et Godefridus filius ejus contra Odonem comitem, totis Franciæ viribus Lothariam invadentem, nobiliter confecit, ubi et ipse Odo occubuit, idem Walerannus sub prædicto Odone militavit, succisoque [60] calcaneo graviter vulneratus, dum vitæ diffideret, ab abbate Richardo susceptus, jam tunc decimum annum agebat in palæstra monastici ordinis. Hic per quindecim annos huic cœnobio præfuit, cum quo etiam abbatiam Aremarensem (36) ex dono Tiebaldi comitis, filii memorati Odonis, regendam suscepit; ubi et nunc tumulatus requiescit.

2. Illis diebus contra imperatorem Heinricum [61] secundum rebellaverat dux et marchio Godefridus [62], Gozelonis ducis filius, pro sublato sibi Mosellano ducatu, quem cum patre duce tenuerat loco patroni post obitum Theoderici, ducis Barrensis, qui fuit filius nobilissimi ducis Frederici et Beatricis, Hugonis Capitonis, Francorum regis sororis. Filius hujus Theoderici fuit junior Fredericus, qui mortuus est (*an.* 1033) ante patrem suum (37) in primo flore juventutis [63]. Cujus Frederici duæ filiæ, post obitum ejus nobiliter educatæ, Beatrix data est a rege uxor Bonefacio, Italiæ marchioni, et Sophia Ludovico [64] de Monzione comiti. Ducatus autem patris earum quia neutro [65] istorum cessit, sed datus est (38) a rege Gerardo Castiniensi (39) comiti (*an.* 1048), ideo hic Godefridus, qui [66] patronus eis datus erat, justa in [67] imperatorem arma movisse visus [68] est sibi. Hunc idem imperator inter multa alia comitatu [69] hujus urbis, quem a prædecessoribus suis tenebat, jam in curia sua exheredaverat, ipsumque comitatum Richardo urbis episcopo manu dederat, ut alteri, quem idoneum judicasset, illum traderet. Pro quo ipsi pontifici idem dux dicitur extitisse infensus. Sed etiam antea sub tempore Ramberti episcopi nobilissimum comitem Chisneiensem Ludovicum [70], filium Ottonis [71] comitis et patrem alterius Ludovici domni pontificis nostri Alberonis avi, Bullonienses [72], milites patris ejusdem ducis, intra urbem oppressum extinxerant, eo quod illum episcopalis auctoritas prædicto urbis [73] comitatui [74] præfecisset. Eadem ducis infensio Theodericum mox [75] episcopum infestabat, quia et ipse nominati comitatus principatum ei non recognoverat. Secundo anno episcopatus ejus ipse dux et Balduinus comes Flandrorum cum manu valida hanc urbem irruperunt (*an.* 1047) et in odio Cæsaris succenderunt (40), multimoda strage commissa. Volebat autem dux monasteria urbis illæsa ab igne servare; sed subito majorem ecclesiam Sanctæ Dei Genitricis victrix flamma comprehendit, et duce turmaque militari frustra obnitente, penitus absumpsit. Plurimus thesaurus et litteralia monimenta rerum ecclesiæ ibi combusta sunt. Tantum ipsa civitas, tantum ipsa ecclesia tunc rerum pertulit dispendia [76], ut multi cives, multi clerici locum istum fugerint alias dispersi [77]. Fama est, viginti quatuor canonicos de ipsa concremata ecclesia tunc Hungariam præ inopia profectos, quos constat nunquam fuisse reversos. Proinde dux iram Dei metuens, pacem cum episcopo fecit, centenas potestatum ecclesiæ et prædia quæ invaserat reddidit, publicæ pœnitentiæ se addixit. Nam pene nudus et discalciatus, genuumque et brachiorum poplitibus flexis, rependo se per terram trahens, ita ex summo urbis usque [78] ante majus altare ecclesiæ quam incenderat processit. Ibi quoque multis verberibus, ut dicitur, se submisit (41). Villas quoque sui juris Pusvillare [79] et Areium (42) cum portu et piscatura, et plurima deinde donaria [80] in opus reædificandæ ecclesiæ contulit, satis tamen minora malis illatis. Ipsum urbis comitatum quasi legitimam [81] a patribus hereditatem sibi vendicavit. Cumque imperatori infestissimus Neomagum palatium miri artificii et irreparabiliter [82] exusserit, nobilissimum Albertum (43) de Longui castro, quem super se ille ducem statuerat, bello exemerit, omnem Lothariam [83] cædibus incendiis rapinisque vexaverit (*an.* 1047): tamen per viginti duos annos, quibus postea vixit (44) benignus solis Virdunensibus fuit, et per venerabilem Ermenfridum, Virdunensis ecclesiæ archidiaconum, regi reconciliari meruit (*an.* 1049); qui postea Italiam pergens, nobile obsequium Bonefacio marchioni præstitit, eoque mortuo, Beatricem ejus [84] uxorem duxit, filiamque ipsorum (45) unicam Mathildam [85] filio suo Godefrido desponsavit; et [86] exinde ambo marchiones Italiæ et duces

VARIÆ LECTIONES.

[60] et succiso 2. [61] henricum 1. 2. [62] dictus gibbosus *rec. manu add.* 2. [63] juventis 2. [64] lodouvico 1 [65] neutro *corr.* neutri 2. [66] *deest* 1. [67] e. contra 2. (*e corr.* ?) [68] visus *corr.* nisus 2. *ubi* sibi *deest*. [69] comitatum 2. [70] ludouvicum 1. *et post*. [71] odonis 2. [72] bullionenses 2. [73] urbi 2. [74] comitatu 1. [75] *deest* 2. [76] dispendium pert 2. [77] dilapsi 2. [78] *deest* 2. [79] pufuillare 1 ? [80] dona 2. [81] legitimam 2. [82] inr. 2. [83] l. bello c. 1. [84] u. e. 2. [85] matildem 2. [86] *deest* 2.

NOTÆ.

(35) *De Breteuil*. Gelduinus nominatur ab Hugone Flav. SS. VIII, pag. 406.

(36) *Moustier-Ramey*.

(37) Hoc errori tribuendum esse videtur; cf. Stenzel. Frank Kaisser II, p. 116.

(38) Quod diu post Friderici mortem factum est; v. Stenzel l. l.

(39) *De Chatenois*.

(40) V. Herimanni Aug. Annales a. 1047. SS. V, p. 127.

(41) Cf. Lamberti Annales SS. V, p. 154.

(42) *Peuvillers* (Puviller Rouss.) et *Arey* prope Mettim. Wass. et Calm.

(43) Qui ante Gerhardum supra dictum Lotharingiæ præfectus erat.

(44) Obiit a. 1069 Decemb. 24.

(45) Beatricis et Bonifacii.

Lothariæ fuerunt. Hujus Beatricis hortatu idem dux, A celebrato intra hanc urbem comitum et principum generali concilio, multa urbi et ecclesiæ utilia disposuit; quod etiam in ecclesiasticis annotatum est privilegiis (46), moriens quoque, in ipsa ecclesia quam concremaverat sepeliri se mandavit. Godefridus quoque, filius [87] et successor ejus, per octo annos, quibus dux præfuit (*an.* 1069), nunquam molestus sed bonus nostris exstitit, et moriens (*an.* 1076, *Febr.* 26) Gemmatium (47) prædium sui juris Virdunensi ecclesiæ, in qua requiescit, contulit.

3. Porro in reædificanda a fundamento ecclesia vel mœnibus incensæ urbis magnus labor, magna sollicitudo et industria Theoderici episcopi claruit; unde et est ei in posteros memoria benedictionis. In hoc opus reædificationis Wazo, venerabilis Leodiensium episcopus, quinquaginta libras argenti dedit. Fredericus quoque comes Tullensis usuarium Argunnæ (48) sui nemoris tam ad reædificandam quam ad retinendam ecclesiam contradidit. Tunc etiam Ermenfridus archidiaconus, sapientiæ morum et sanctitatis gratia præditus, ex donariis principum et fidelium, quæ ei pro suis meritis et obsequiis large impenderant, ecclesiam Sanctæ Mariæ Magdalenæ a se jam fundatam consummavit et in usus Deo ibi servientium pro posse ditavit. Sane juvit eum præ omnibus ad hoc opus reædificationis [88] venerandus vir nobilis et advocatus [89] urbis, qui cum Bertranda uxore devota liberalitate ipsum, supra quo fundata est ecclesia, et multa alia alodia obtulit [90], et non modicum famulorum gregem superadjecit; in qua etiam requiescit, scripto super eum condigno epitaphio [91]. Præterea ipse Ermenfridus fama suæ religiositatis, hortatu quoque et familiaritate multos clericorum de terris remotis post se traxit, et huic suæ ecclesiæ itemque sanctæ Dei Genitricis inseruit, per quorum industriam utraque ecclesia in omni augmento rerum et religionis effloruit. — Unum istorum Martinum scolasticum non præterierim, qui mortis in agonia constitutus, cum jam biduo loqui non potuisset, subito cunctis mirantibus matutinas laudes beatæ Dei genitricis sollempniter incepit et inoffense percecinit; indeque missale officium ingressus, post decantatam celebriter communionem: *Illumina faciem tuam super servum tuum* (49), inter sacra verba confectum bonis operibus spiritum exhalavit.

4. His diebus papa Romanus [sanctus [92]] Leo IX, primum Tullensis episcopus, Gallias veniens, Remis sinodum celebravit (*an.* 1049, *Oct.*), ubi et ossa beati Remigii, dedicata ejus ecclesia, transtulit. Inde eum precatu ipsius Ermenfridi ad consecrandam prædictam ecclesiam Theodericus episcopus honorifice ad hanc urbem adduxit. Ab ipso sancto papa, assistentibus tribus archiepiscopis, Everardo Treverorum, Alinardo Lugdunensium, Hugone Crisopolitanorum plurimis quoque episcopis, dedicata est ipsa ecclesia anno tertio episcopatus domni Theoderici. Ipse papa miseratus ruinas incensæ urbis et ecclesiæ, clerumque et populum sibi mox venienti prostratum, ecclesiæ Beatæ Dei Genitricis pro omnibus monimentis incensis B rerum quas tenebat privilegium fecit (50); itemque ecclesiæ quam consecrarat (51), et cœnobio beati Vitoni (52). Veniensque Leodium, Fredericum, fratrem ducis Godefridi, archidiaconum Sancti Lamberti, inde secum duxit, et monachum indeque abbatem Cassini montis ac postea septimum sui levitam instituit; qui etiam tertius ab eo papa post Victorem in cathedra beati Petri sedit, Stephanus vocatus a Romanis; succedentibus ei Benedicto et Nicholao, qui nobis quædam privilegia fecit, indeque Alexandro et Gregorio VII. Item papa tunc in sinodo Remis Linguonensem episcopum Hugonem, fratrem Waleranni [93] abbatis, deposuerat (*Oct.* 5) pro quibusdam criminalibus cau- C sis (53). At Hugo papam usque Romam secutus, ut misericordiam ejus experiretur, plenam sinodum, cui ille præsidebat, nudus et discalciatus intravit, virgas quibus cæderetur manu tremula deferens, et ore lacrimali hanc antiphonam canens: *Dedit pater pœnitenti filio stolam primam pariter et annulum, nam et calciamenta* [94] *illi tribuens, celebravit magnum convivium. Habemus stolam primam in lavacro et annulum fidei signaculum.* Eum ita videntes, omnes [95] in singultus [96] proruperunt, lacrymas fuderunt, questibus sinodum repleverunt. Ipse papa præ ceteris condoluit, et cunctis supplici reo suffragia ferentibus, eum absolvit utque pius pater pœnitenti filio stolam primam et annulum amissi pontificatus indui et sandalia pacis recal- D ciari edixit, dum solummodo ecclesia sua quam læserat vel quælibet alia eum [recipere [97]] dignaretur episcopum. Ita ille a cunctis absolvi meruit, repatriare cœpit. Languorem itinerando [98] incidit,

VARIÆ LECTIONES.

[87] *deest* 1. [88] *deest* 2, *ubi* uuenerandus. [89] u. a. 2. [90] optulit 2. [91] epytaphio 1, cum digno epitaphio 2. [92] *deest* 2. [93] wallcranni 2. [94] calcimenta 2. [95] *deest* 1. [96] singultibus 1. [97] *deest* 1 *post add.* 2. [98] itenerando 2.

NOTÆ.

(46) Cf. Godefridi charta ex registro monasterii S. Vitoni descripta apud Wassebourg f. CCXLI. Calmet, Probb. 1, p. 451.

(47) *Jametz* Rouss.

(48) *Argonne.*

(49) Cantatur Dominica Septuagesimæ.

(50) Quod vide apud Mabillon *De arte dipl.* Supl. p. 99 et Roussel *Probb.* p. 3 (Jaffé, *Reg. pontif.* n. 319

(51) Ap. Calmet 1, *Probb.* p. 423 (Jaffé, n. 3192).

(52) Jaffé n. 3190.

(53) Vide Anselmi hist. dedicationis ecclesiæ Sancti Remigii apud Mabillon, Acta VI, 1, p. 721 sqq.

habitum monachi sub nomine nostri cœnobii, cui A præsidebat frater suus, a comitibus suis Cluniacensibus monachis quæsivit, accepit, feliciter excessit, inter obitus nostrorum asscriptus [99] est.

5. At Theodericus præsul plurimas deinceps molestias a militibus pertulit. Nam cum urbem et episcopatum, quod illi ante affligebant, in libertate sibi ab eis vendicaret, comes Rodulfus [100] de Crispeio (54), vitricus Philippi [1] Francorum regis, istam urbem iterum incendit, eo quod episcopus denegabat ei viginti annuas libras, quas a prædecessoribus accipiebat ne regionem istam impugnaret. Item Alo de Duno castro, vir ingenuus, dum episcopus præsidium ejus in Rouro (55) vico, quem ille ex episcopio violenter invaserat. obsidens expugnaret, istam urbem conflagravit, absentiam episcopi et militantium ejus aucupatus. Uterque tamen per industriam episcopi armis repressus ac repulsus est, et res episcopii suæ libertati vendicata est. Ita sub hoc episcopo urbs ista tertio succensa est.

6. Præterea idem præsul Manassem [2] comitem de castro Retexto (56) armis suorum coercuit ab invasione ecclesiasticæ rei. Adversus castrum Sanctæ Manehildis (57) sibi infestissimum armatam expeditionem movit. Quo metu castrenses perterriti, ei in medio itineris claves castri miserunt, suppliciter pacem petierunt [3], obsidionem precibus evaserunt. Sed episcopus, ne nihil ad ecclesiam reportaret triumphi, eandem expeditionem in castrum Santumnium [4] (58) æque sibi infensum [5] convertit, illud obsedit, cepit et diruit. Hoc utrumque castrum erat prædicti Manassæ comitis. Dudonem [6], virum ingenuum, fratresque ejus, filios Hauberti [7], sibi insurgentes similiter domuit, et munitione ante Clarum-montem (59) firmata, ipsum castrum super eos cepit.

7. Duce quoque Godefrido Gibboso in Frisia sicarie mortuo (*an.* 1076) et in hac urbe a duce Godefrido tertio, quem ex sorore nepotem sui hæredem ille moriens designaverat, juxta patrem honorifice sepulto, nisus est ipse episcopus auferre ipsum urbis comitatum desub jugo Bulloniensis [8] principatus, qui nimis urbem oppressisse videbatur. Unde ipsi Godefrido Boloniensi, qui Bullionico castro possesso in ducatum successit, illum abstulit; ratus opportunum tempus, quia illi ut minus legitimo duci rex et multi regni primates armis insurrexerunt, et nobilissimo Alberto Namucensi [9] comiti, qui unus erat ejus hostium, eundem comitatum beneficavit. Cum etiam idem Albertus Bullionium castrum quasi magis sibi hereditarium super prædictum Godefridum obsedisset, ei cum omnibus sui episcopii viribus suppetias venit. Sed dux bellicosissimus inclusis suis cito affuit, et contracto exercitu, obsidionem hostium solvit, multis nobilium interfectis. Subinde plurimum offensus episcopo [10], comitem de Grandi-prato Heinricum [11], primo sibi graviter rebellantem, cum armis cepisset, solvit a vinculis et Virdunico hostem territorio misit. Qui jussa ejus non segniter B exsecutus, plura hostilia ferro, flamma prædisque in nostros commisit. Ipse quoque dux in Sathanaco [12] (60) sui juris oppido castrum firmavit prominens in finibus episcopii, per quod in nostros graves inimicitias exercebat. Unde et episcopus illud obsedit, contractis undique auxiliariis et prædicto Alberto cum omnibus suis: cum ecce in auxilium suis adest dux, iterum accinctus [13] valida manu bellatorum. Acerrime pugnatum est, cruentissime concussum est, donec fessus uterque exercitus jussu ductorum a cæde [14] revocatus est. Actum anno episcopatus ejusdem Theoderici quadragesimo; ubi et multi nobiles occubuerunt (*an.* 1086 ?). Neutræ parti victoria cessit; sed episco- C pus, non soluta obsidione, suos tentoriis, dux autem suos castro recepit. Missisque inde cursoribus velocissimis, a tota Germania et Francia per fratres suos Eustachium [15] et Balduinum cogebat exercitum sibi in auxilium. Quos ubi pontifex super se irruere certissimo nuntio accepit, expavit, sanguine judicium facere extimuit, obsidionem solvit, eodem nuntio hoc ipsum agente, hortante et monente. Ipse erat Heinricus venerabilis Leodiensium præsul, cujus frater, Fredericus comes Tullensis, fratrisque filii [16] Rainaldus et Petrus, post in Jerosolymitana expeditione insignes habendi, tunc ibi sub Theoderico præsule militabant, eratque ipse et nostro pontifici et duci Godefrido carus et fidelis; episcopo quidem, quia sub eo in Virdunensi ecclesia prima scolarum tirocinia

VARIÆ LECTIONES.

[99] ascriptus 1. [100] rodulphus 1. [1] phylippi 1, philippi 2. [2] manassen 2, [3] pecierunt 1. [4] sapumnium 2, *sed* um *e corr.* Saptiminium *ed.* castrum de Setunia *Albericus edit.* [5] impensum 1. [6] Odonem *ed.* [7] haiberti 2, Humberti *ed.* [8] bullionensis 2. [9] namnensi 1. [10] epc. 1, 2. [11] henricum 1, 2, *semper.* [12] satanaco 2. [13] accintus 2. [14] sede 2. [15] eustacium 1. [16] *deest* 1, *ubi* fratrisque *corr.* fratresque.

NOTÆ.

(54) *Crepy.*

(55) *Rouvre.* Calm. Rouss.; sed ille alio loco (infra c. 12.) *fortasse*, inquit, *Rouvroy.* — *Rouvres* villa prope Estain sita est, Rouvroy inter Spincourt et Montmedy.

(56) *Rethel.*

(57) *S. Menehould.*

(58) Fortasse *Sampigny* ad Mosam. CALM. Ita etiam Wass.; sed dubia movet Rouss.

(59) *Clermont-en-Argonne.*

(60) *Stenay.*

A Lothariæ fuerunt. Hujus Beatricis hortatu idem dux, celebrato intra hanc urbem comitum et principum generali concilio, multa urbi et ecclesiæ utilia disposuit; quod etiam in ecclesiasticis annotatum est privilegiis (46), moriens quoque, in ipsa ecclesia quam concremaverat sepeliri se mandavit. Godefridus quoque, filius [87] et successor ejus, per octo annos, quibus dux præfuit (*an.* 1069), nunquam molestus sed bonus nostris exstitit, et moriens (*an.* 1076, *Febr.* 26) Gemmatium (47) prædium sui juris Virdunensi ecclesiæ, in qua requiescit, contulit.

3. Porro in reædificanda a fundamento ecclesia vel mœnibus incensæ urbis magnus labor, magna sollicitudo et industria Theoderici episcopi claruit; unde et est ei in posteros memoria benedictionis. B In hoc opus reædificationis Wazo, venerabilis Leodiensium episcopus, quinquaginta libras argenti dedit. Fredericus quoque comes Tullensis usuarium Argunnæ (48) sui nemoris tam ad reædificandam quam ad retinendam ecclesiam contradidit. Tunc etiam Ermenfridus archidiaconus, sapientiæ morum et sanctitatis gratia præditus, ex donariis principum et fidelium, quæ ei pro suis meritis et obsequiis large impenderant, ecclesiam Sanctæ Mariæ Magdalenæ a se jam fundatam consummavit et in usus Deo ibi servientium pro posse ditavit. Sane juvit eum præ omnibus ad hoc opus reædificationis [88] venerandus vir nobilis et advocatus [89] urbis, qui cum Bertranda uxore devota liberalitate C ipsum, supra quo fundata est ecclesia, et multa alia alodia obtulit [90], et non modicum famulorum gregem superadjecit; in qua etiam requiescit, scripto super eum condigno epitaphio [91]. Præterea ipse Ermenfridus fama suæ religiositatis, hortatu quoque et familiaritate multos clericorum de terris remotis post se traxit, et huic suæ ecclesiæ itemque sanctæ Dei Genitricis inseruit, per quorum industriam utraque ecclesia in omni augmento rerum et religionis effloruit. — Unum istorum Martinum scolasticum non præterierim, qui mortis in agonia constitutus, cum jam biduo loqui non potuisset, subito cunctis mirantibus matutinas laudes beatæ Dei genitricis sollempniter incepit et inoffense percecinit; indeque missale officium ingressus, D post decantatam celebriter communionem: *Illumina faciem tuam super servum tuum* (49), inter sacra verba confectum bonis operibus spiritum exhalavit.

4. His diebus papa Romanus [sanctus [92]] Leo IX, primum Tullensis episcopus, Gallias veniens, Remis sinodum celebravit (*an.* 1049, *Oct.*), ubi et ossa beati Remigii, dedicata ejus ecclesia, transtulit. Inde eum precatu ipsius Ermenfridi ad consecrandam prædictam ecclesiam Theodericus episcopus honorifice ad hanc urbem adduxit. Ab ipso sancto papa, assistentibus tribus archiepiscopis, Everardo Treverorum, Alinardo Lugdunensium, Hugone Crisopolitanorum plurimis quoque episcopis, dedicata est ipsa ecclesia anno tertio episcopatus domni Theoderici. Ipse papa miseratus ruinas incensæ urbis et ecclesiæ, clerumque et populum sibi mox venienti prostratum, ecclesiæ Beatæ Dei Genitricis pro omnibus monimentis incensis rerum quas tenebat privilegium fecit (50); itemque ecclesiæ quam consecrarat (51), et cœnobio beati Vitoni (52). Veniensque Leodium, Fredericum, fratrem ducis Godefridi, archidiaconum Sancti Lamberti, inde secum duxit, et monachum indeque abbatem Cassini montis ac postea septimum sui levitam instituit; qui etiam tertius ab eo papa post Victorem in cathedra beati Petri sedit, Stephanus vocatus a Romanis; succedentibus ei Benedicto et Nicholao, qui nobis quædam privilegia fecit, indeque Alexandro et Gregorio VII. Item papa tunc in sinodo Remis Linguonensem episcopum Hugonem, fratrem Waleranni [93] abbatis, deposuerat (*Oct.* 5) pro quibusdam criminalibus causis (53). At Hugo papam usque Romam secutus, ut misericordiam ejus experiretur, plenam sinodum, cui ille præsidebat, nudus et discalciatus intravit, virgas quibus cæderetur manu tremula deferens, et ore lacrimali hanc antiphonam canens: *Dedit pater pœnitenti filio stolam primam pariter et annulum, nam et calciamenta [94] illi tribuens, celebravit magnum convivium. Habemus stolam primam in lavacro et annulum fidei signaculum.* Eum ita videntes, omnes [95] in singultus [96] proruperunt, lacrymas fuderunt, questibus sinodum repleverunt. Ipse papa præ ceteris condoluit, et cunctis supplici reo suffragia ferentibus, eum absolvit utque pius pater pœnitenti filio stolam primam et annulum amissi pontificatus indui et sandalia pacis recalciari edixit, dum solummodo ecclesia sua quam læserat vel quælibet alia eum [recipere [97]] dignaretur episcopum. Ita ille a cunctis absolvi meruit, repatriare cœpit. Languorem itinerando [98] incidit,

VARIÆ LECTIONES.

[87] *deest* 1. [88] *deest* 2, *ubi* uenerandus. [89] u. a. 2. [90] optulit 2. [91] epytaphio 1, cum digno epitaphio 2. [92] *deest* 2. [93] walleranni 2. [94] calcimenta 2. [95] *deest* 1. [96] singultibus 1. [97] *deest* 1 *post add.* 2. [98] itenerando 2.

NOTÆ.

(46) Cf. Godefridi charta ex registro monasterii S. Vitoni descripta apud Wassebourg f. CCXLI. Calmet, Probb. I, p. 451.

(47) *Jametz* Rouss.

(48) *Argonne.*

(49) Cantatur Dominica Septuagesimæ.

(50) *Quod* vide apud Mabillon *De arte dipl. Supl. p. 99 et Roussel Probb.* p. 3 (Jaffé, *Reg. pontif.* n. 319

(51) Ap. Calmet I, *Probb.* p. 423 (Jaffé, n. 3192).

(52) Jaffé n. 3190.

(53) Vide Anselmi hist. dedicationis ecclesiæ Sancti Remigii apud Mabillon, Acta VI, 1, p. 721 sqq.

habitum monachi sub nomine nostri cœnobii, cui præsidebat frater suus, a comitibus suis Cluniacensibus monachis quæsivit, accepit, feliciter excessit, inter obitus nostrorum asscriptus [99] est.

5. At Theodericus præsul plurimas deinceps molestias a militibus pertulit. Nam cum urbem et episcopatum, quod illi ante affligebant, in libertate sibi ab eis vendicaret, comes Rodulfus [100] de Crispeio (54), vitricus Philippi [1] Francorum regis, istam urbem iterum incendit, eo quod episcopus denegabat ei viginti annuas libras, quas a prædecessoribus accipiebat ne regionem istam impugnaret. Item Alo de Duno castro, vir ingenuus, dum episcopus præsidium ejus in Rouro (55) vico, quem ille ex episcopio violenter invaserat, obsidens expugnaret, istam urbem conflagravit, absentiam episcopi et militantium ejus aucupatus. Uterque tamen per industriam episcopi armis repressus ac repulsus est, et res episcopii suæ libertati vendicata est. Ita sub hoc episcopo urbs ista tertio succensa est.

6. Præterea idem præsul Manassem [2] comitem de castro Retexto (56) armis suorum coercuit ab invasione ecclesiasticæ rei. Adversus castrum Sanctæ Manehildis (57) sibi infestissimum armatam expeditionem movit. Quo metu castrenses perterriti, ei in medio itineris claves castri miserunt, suppliciter pacem petierunt [3], obsidionem precibus evaserunt. Sed episcopus, ne nihil ad ecclesiam reportaret triumphi, eandem expeditionem in castrum Santumnium [4] (58) æque sibi infensum [5] convertit, illud obsedit, cepit et diruit. Hoc utrumque castrum erat prædicti Manassæ comitis. Dudonem [6], virum ingenuum, fratresque ejus, filios Hauberti [7], sibi insurgentes similiter domuit, et munitione ante Clarum-montem (59) firmata, ipsum castrum super eos cepit.

7. Duce quoque Godefrido Gibboso in Frisia sicarie mortuo (*an.* 1076) et in hac urbe a duce Godefrido tertio, quem ex sorore nepotem sui hæredem ille moriens designaverat, juxta patrem honorifice sepulto, nisus est ipse episcopus auferre ipsum urbis comitatum desub jugo Bulloniensis [8] principatus, qui nimis urbem oppressisse videbatur. Unde ipsi Godefrido Boloniensi, qui Bullionico castro possesso in ducatum successit, illum abstulit; ratus opportunum tempus, quia illi ut minus legitimo duci rex et multi regni primates armis insurrexerunt, et nobilissimo Alberto Namucensi [9] comiti, qui unus erat ejus hostium, eundem comitatum beneficavit. Cum etiam idem Albertus Bullionium castrum quasi magis sibi hereditarium super prædictum Godefridum obsedisset, ei cum omnibus sui episcopii viribus suppetias venit. Sed dux bellicosissimus inclusis suis cito affuit, et contracto exercitu, obsidionem hostium solvit, multis nobilium interfectis. Subinde plurimum offensus episcopo [10], comitem de Grandi-prato Heinricum [11], primo sibi graviter rebellantem, cum armis cepisset, solvit a vinculis et Virdunico hostem territorio misit. Qui jussa ejus non segniter exsecutus, plura hostilia ferro, flamma prædisque in nostros commisit. Ipse quoque dux in Sathanaco [12] (60) sui juris oppido castrum firmavit prominens in finibus episcopii, per quod in nostros graves inimicitias exercebat. Unde et episcopus illud obsedit, contractis undique auxiliariis et prædicto Alberto cum omnibus suis: cum ecce in auxilium suis adest dux, iterum accinctus [13] valida manu bellatorum. Acerrime pugnatum est, cruentissime concussum est, donec fessus uterque exercitus jussu ductorum a cæde [14] revocatus est. Actum anno episcopatus ejusdem Theoderici quadragesimo; ubi et multi nobiles occubuerunt (*an.* 1086 ?). Neutræ parti victoria cessit; sed episcopus, non soluta obsidione, suos tentoriis, dux autem suos castro recepit. Missisque inde cursoribus velocissimis, a tota Germania et Francia per fratres suos Eustachium [15] et Balduinum cogebat exercitum sibi in auxilium. Quos ubi pontifex super se irruere certissimo nuntio accepit, expavit, sanguine judicium facere extimuit, obsidionem solvit, eodem nuntio hoc ipsum agente, hortante et monente. Ipse erat Heinricus venerabilis Leodiensium præsul, cujus frater, Fredericus comes Tullensis, fratrisque filii [16] Rainaldus et Petrus, post in Jerosolymitana expeditione insignes habendi, tunc ibi sub Theoderico præsule militabant, eratque ipse et nostro pontifici et duci Godefrido carus et fidelis; episcopo quidem, quia sub eo in Virdunensi ecclesia prima scolarum tirocinia

VARIÆ LECTIONES.

[99] ascriptus 1. [100] rodulphus 1. [1] phylippi 1, philippi 2. [2] manassen 2, [3] pecierunt 1. [4] sapumnium 2, *sed* um *e corr.* Saptiminium *ed.* castrum de Setunia *Albericus edit.* [5] impensum 1. [6] Odonem *ed.* [7] haiberti 2, Humberti *ed.* [8] bullionensis 2. [9] namuensi 1. [10] epc. 1, 2. [11] henricum 1, 2, *semper.* [12] satanaco 2. [13] accintus 2. [14] sede 2. [15] eustacium 1. [16] *deest* 1, *ubi* fratrisque *corr.* fratresque.

NOTÆ.

(54) *Crepy.*

(55) *Rouvre.* Calm. Rouss.; sed ille alio loco (infra c. 12.) *fortasse*, inquit, *Rouvroy.* — *Rouvres* villa prope Estain sita est, Rouvroy inter Spincourt et Montmedy.

(56) *Rethel.*

(57) *S. Menehould.*

(58) Fortasse *Sampigny* ad Mosam. CALM. Ita etiam Wass.; sed dubia movet Rouss.

(59) *Clermont-en-Argonne.*

(60) *Stenay.*

Cap. 4. *Plures*. — C. 16, q. 1, c. 54.

Sed Dei judicio, id est discretione cujuspiam mediatoris in cujus ore pacem loquatur Dei spiritus, et vocem ejus audiant.

Item contra.

Cap. 5 et 6. — C. 2, q. 5, c. 23 et 26.

Solutio. Verum, non temptatur Deus, ubi secundum quod præcipit agitur. Hoc etenim purgandi per eucharistiam genus, sumptum videtur a sacrificio zelotipiæ quod dominus in lege constituit. Ait enim in libro Numerorum ad Moysen.

Cap. 7. *Loquere filiis*, etc.

Item contra.

Cap. 8 et 9. — C. 2, q. 5, c. 24 et 25 (*Laborans citat canones istos ex concilio Guarmatiensi*).

Probabile judicium vel divinum, juramentum intelligi, vel experimentum in eucharistiæ perceptione. Amplius et omnino contra.

Cap. 10. *Nobilis*. C. 2, q. 5, c. 14.

Porro, non est canonica censura hæc, sed est ad duritiam impetentis, canonica legitimæ censuræ permissio. Purgatio igitur alia est vulgaris, ut igniti ferri, alia canonica, ut solummodo juramenti. Unde *Mennum*. Infra lib. IV, p. V, tit. V. Ibidem alia. Vulgaris non est nisi personæ servilis, aut suspectæ serviliter. Ingenuæ, canonica sola, quia habes utrumque, sic Burchardus lib. VI, *Qui presbyterum*, cap. 5. *Nobilis* supra. Cum igitur in ingenuum mala fama non subest, canonica non est exigenda purgatio. Unde. *Quod autem*. Infra lib. V, p. tit. VIII. Item nec si ex inimicorum fictione subest. Unde. *Auditum* lib. IV, p. V, tit. V. Sin ex verisimili suspicione sit orta, purgatione tolletur. Unde *Presbyter vel ibidem* et ibidem alia. Quod si clericus in populo diffamatur, præsente populo emundetur. Unde. *Presbyter si*. *Consultu*. Ibidem. Si duntaxat in clero, coram solummodo clero purgetur. Unde. *De crimine*. Ibidem. At vero episcopus, cum XII debebit expiari collegis. Unde. *Consultu*. Ibidem. Presbyter cum VII, diaconus cum III, subdiaconus et infra, poterit tantummodo simplici manu. Unde. *Si legitime : Presbyter si*. Ibidem. Hoc regulariter. Cæterum in arbitrio consistit episcopi, quota manu se quisquis ille purificet. Unde. *Consultu*. Ibidem. Si autem infamatus idoneare se possit et nolit, sit in suspenso quamdiu se non reddit idoneum. Si vero non potest, impotentiæ suspensio sit coæva, aut si forte sit æquus, maneat quousque sinistra fama quiescat, ut in annum quintum, unde fortasse habetur. *Si episcopo*, supra.

T. II.

De his vero, supra lib. II, p. III, tit. IX. — D. 50, c. 34.

T. III, cap. 1-6.

Eorum vero, quibus gradus aufertur, aliis post canonice transactam pœnitentiam dispositione quam provida restauratur ; aliis, quia non digne eos pœ- A nitet, vel eorum pœnitentia fructibus non apparet, vel non occurrit exstitisse restitutionem de canonibus eis indultam, sed usque qua prohibitam, vel licet sint immunes a crimine, quia tamen sacramentum vana species mentiretur ut in digamis, irreparabiliter manet ablatus.

Est tamen in manu romani pontificis, digitus et in digito discretio, rigiditas et flexura, quo pro discretivo libramine suæ sanctæ deliberationis et providentiæ, valeat canonum moderari censuris, ut et rigescant mitia, et rigida mitescant, lenitati succedat asperitas, et asperitati prout expedit, si tamen expediat quæ nondum forte contingit, dispensatoria lenitas. Unde *Dispensationes* supra p. I, tit. VII. Ibidem alia.

B Fit autem ipsa dispensatio multiformis in his, quæ rigor canonum non admittit, sed prompte respuit vel condemnat. Librat namque proposita negotiorum secundum res officii et juxta quantitates rerum. Duæ siquidem res, sunt officio dispensatoris in administrandi ratiocinatione propositæ, adeptio scilicet commodi, quia est utilitas et honestas, et evitatio incommodi, quæ est inutilitas et turpitudo. Invenitur autem commodum vel incommodum, alio sui generis et majus et minus, et commodum incommodo. Commodorum debito semper omittitur minus ut contingat majus, si necessarium sit alterutrum non possibile utrumque. In commodis autem contra quia semper admittitur minus ut evitetur C majus, si necessarium sit alterutrum, et sint impossibiliter simul ambo. Sin oppositæ conferantur solum minus bonum omittitur pro majore vitando malo, si necessarium sit alterutrum. Quantitas rerum seu commodorum et contra maxime consideratur ex qualitatibus personarum et exigentia temporum. Personarum nomine populum quoque recipimus usu rhetoricorum, et quosque plures in idipsum una voluntate devinctos. Quocirca persona est, unus aut plures. Unus autem quando est, aut est cum pluribus aut sola. Quando vero plures, aut extirpari valet pestis zizaniorum tritico non avulso, quæ dici valeat quasi sola, aut nequit eradicari sine tritico et exterminio pacis ecclesiæ generalis. Non D in talem facit ea : non dandæ sententiæ, sed in solam, vel quasi sententia detur ex canone nisi moderatione provisoria supportetur. Hanc moderationem, de varietate fit evenire causarum, quibus cessantibus, rigor vigilans non mollescit. Fit enim ut levigetur asperitas, imminentia necessitatis, intuitu pietatis, consideratione personæ, prospicientia utilitatis et cautela contrarii, imminentia necessitatis, ut cum tempore Gelasii P. esset italica ecclesia propter belli famisque letigeram cladem omnium clericorum officio destituta, adeo ut plerisque populis subsidia regendarum deessent animarum, concessit idem pontifex de monachis ac de laicis clericos assumi, dicens : *Necessaria* supra lib. I, p. I, tit. XVI. Ibidem alia.

Dixi *non in talem facit canon* et contra, quoniam A alius est canon dandæ sententiæ, qui et sententiæ causam ponit, et in futurum dictat, ut, qui facit hoc vel fecit, abstineatur, alius vero date, qui et sententiæ causam punit et dictat in præsens, ut, eum qui fecit hoc vel faciet, abstinemus. Canonum canones noti sunt.

Cap. 1. — C. 1, q. 7, c. 13.

Non debet. Episcopus non, supra lib. I, p. X, tit. II. — D. 65, c. 2 et 3.

Cap. 2. — C. 1, q. 7, c. 14.

Cum quisque, supra p. I, tit. VIII. — C. 23, q. 4, c. 19.

Cap. 3. — C. 1, q. 7, c. 13.

Intuitu pietatis, ut de illiteratis et corpore vitiatis promotis in clerum, et de episcopis subito factis ex laicis. Unde.

Cap. 4. — C. 1, q. 7, c. 12.

Exigunt supra lib. I, p. VI, tit. XXVII. — C. 1, q. 7, c. 18. Consideratione personæ, *Tanta* tit. XLII. — C. 1, q. 7, c. 11. Prospicientia utilitatis et cautela contrarii, unde *Tali*. p. IV, tit. XV. — C. 1, q. 7, c. 17.

Maximum. p. VI, tit. XXVII. — C. 1, q. 7, c. 19.

Cap. 5. — C. 1, q. 7, c. 20.

Si quis vol., supra lib. II, p. II, tit. XXIII. — C. 1, q. 7, c. 8.

Cap. 6. — C. 1, q. 7, c. 21.

Dispensatio igitur est circumstantiarum plene rationabilis in agendis observatio. Circumstantias C dico personas, res, causas, tempora, loca, rigorem, enitatem, et quas alias agendis accommodas, industria dispensatoris advertit.

T. IV.

Plerumque autem officio restaurato non restaurantur et locus, ne scilicet vel sui tituli scandalizetur ecclesia vel ipsius ut sit memoria restituti. Unde *Valet* supra lib. I, p. VII, tit. II. — D. 81, c. 9. *De his vero* lib. II, p. III, tit. IX. — D. 50, c. 34

T. V, cap. unicum.

Cui tamen locus honoris offertur, eidem ab episcopo locus est idoneus vel invito ad pœnitentiam providendus, et indigenti vitæ substantiaculum, si potest fieri, providendum. Unde *Sacerdos autem* supra lib. I, p. VII, tit. II. — D. 81, c. 7. Ibidem alia. *Presbyter aut* lib. II, p. III, tit. IX. — D. 81, c. 12.

Cap. 1. — D. 81, c. 16.

T. VI.

Disciplinalis in clerum series, ea non præpostera B vel obliqua sed esse recta conjicitur, ut a lenibus transeatur ad aspera, et a minimis intendatur ad maxima. Quamvis ideo medicinalis hæc operatio antidota minora ponat et lenia, ne majora sit opus apponi vel aspera. Tangit verbo ne verberet, minatur vultu, ne vulneret, sed et vulnerat miseranter, ut liberet. Primum ergo videtur, ut qui excesserit, arguatur aut moneatur ut expedit. Unde ammonitio debet annuere vindictam. Infra lib. IV, p. IV, tit. VII, cap. *Indigne*. — C. 12, q. 2, c. 21. Item, Si peccaverit in te frater tuus argue eum. Sequitur ut qui argui negligit, excludatur, vel a proprio suspendatur officio. *Præter hoc. Si qui sunt*. P. II, tit. XXXIX. Deinde ut contumax beneficio despolietur. Unde *Si quis. Eos etiam*. Tit. XXI. Deinde ut contumacior gradu privetur officii. Unde *Decernimus* supra lib. II, p. III, tit. XXVI, coll. 1. Ibidem alia. Audi ut obstinatus anathematis gladio procellatur. Unde *Tam sacerdos. Nulla major* Infra lib. IV, p. VIII, tit. VII, cap. *corripiantur*. — C. 24, q. 3, c. 17. Ibidem alia. Fit autem et alio provisoriæ artis ordine disciplina.

Explicit liber tertius.

ANNO DOMINI MXLVIII-MCCL

LAURENTII DE LEODIO

ET CONTINUATORUM EJUS

GESTA EPISCOPORUM VIRDUNENSIUM

ET

ABBATUM S. VITONI

ED. GEORGIUS WAITZ, PROF. PUBL. GOTTING.

(PERTZ, *Monum. Germ. hist.*, XII, 486)

Cum sæculo XII plurimæ Lotharingiæ Ecclesiæ libris gauderent de gestis episcoporum abbatumve scriptis, etiam Virdunenses id studuerunt, ne qui post Mettenses primi talem assecuti essent honorem nunc ab aliis superarentur. Bertarii igitur continuatione (SS. IV, p. 45 sqq. [*Patrol.* t. CXXXII]) in medio s. XI desinente, res per centum fere annos ad suam usque ætatem gestas enarrandas curavit monachus S. Vitoni, Hugo nomine. Qui ordinis sui fratrem ex cœnobio S. Laurentii Leodiensi, litterarum studio his temporibus præcellenti (1), Virdunum transgressum, et ipsum ut videtur Laurentium dictum (2), commovit ut munus illud susciperet. Neque Laurentius, quamvis per unum tantum annum Virduni degerit (3), abnuit quæ petebantur, clarorum virorum gesta oblivione premi ægre passus.

Librum Alberoni episcopo inscripsit epistola præmissa, qua ea retulit quæ a Bertario omissa de historia Virdunensi undecunque colligere poterat, eaque partim falso gloriæ patriæ studio huc relata, partim vero ex genuinis monumentis sumpta. Ipsa historia inde ab a. 1048 (rectius 1047) ad. 1144 usque deducta, ex quibus fontibus hausta sit, Laurentius nusquam indicavit, sed vero se studuisse palam professus est (4), « quicunque melius insinuaverit, meliorem sententiam in omnibus sequi paratus; » neque perperam gesta tacere voluit, cum « historiam necessaria veritate sequi oportuerit, » id tamen cavens ne ullius « crimen verbis exaggeraret. » Et sane cauta opus erat prudentia, cum de lite illa inter papas et imperatores acta, in qua episcopi Virdunenses et abbates Sancti Vitoni contrarias partes tenuerant, ipsi esset agendum. Qua illo tempore feliciter sopita, partium studio se abripi minime passus est, etsi animum Ecclesiæ propensiorem celare noluerit. Cæterum res quas narravit plerasque bene habuit compertas, ab Hugone illo (5) aliisque fortasse monasterii fratribus edoctus. Quamvis enim primis annis in rebus publicis Lotharingiæ tradendis Laurentius nonnunquam errores commiserit, per majorem libri partem istorum argui nequit. Usque ad finem sæc. XII cum Hugone Flaviniacensi, qui easdem fere res tetigit, cujus liber vero non longe propagatus Laurentio haud innotuit, hic comparari potest. Postea aliis historiæ Virdunensis monumentis plane destituti, certo quidem fundamento caremus, quo innisi fidem ipsius pensare possimus. Sed de his potissimum temporibus testes rerum gnaros Laurentius Virduni reperisse censendus est, quorum ope ita usus est ut Ecclesiæ historiam satis accuratam et plenam componeret. Quam etiam sermo locuples et nonnunquam ornatior lectoribus commendat. Præterea de Laurentii vita nihil constat, neque de mortis tempore quidquam compertum habemus. Fortasse tamen historiam a 1144 scriptam postea secundis curis pertractavit, fortasse etiam longius illam continuandam suscepit. Quamvis enim a. 1144, Alberonis episcopi anno 14, se in libro scribendo occupatum fuisse et calamum deposuisse apertis verbis dicat (6), semel tamen ille 15 annis sedere refertur (7). Præterea continuatio exstat longe quidem ultra Laurentii tempora deducta, sed non uni scriptori, ut videtur, tribuenda, cujus prima verba ita ad Lau-

NOTÆ.

(1) Cf. Raineri librum *De claris scriptoribus monasterii sui*, ap. Pez, *Thes. anecd.* IV, 3, p. 20 sqq. *Hist. litter. de France*, x, p. 99.

(2) Codices qui exstant auctoris nomen haud satis aperte exprimunt. Qui infra 1. nominatur inscriptione plane caret, et præfationis textu vero *L* litteram ponit; alter 2. dictus hoc loco *L* in *I* mutasse videtur et epistolæ ad Alberonem episcopum scriptæ hanc præmisit rubram : *Epistola Joannis monachi ad domnum Alberonem episcopum*. Sed hæc non magna digna esse fide inde apparet quod verba : *de Leodiensi cœnobio Beati Laurentii* plane omissa sunt. Sæculo XVI tum apographum Ambianense (Archiv. *VIII, p. 397*), tum Wassebourg, rerum Virdunensium scriptor egregius, Laurentii nomen indicarunt, quod jure retinere possumus.

(3) C. 34; cf. Epistola : *Ante hunc annum ad urbem vestri regiminis adductus*. Ideo non a. 1140, ut Hist. litter. auctor scripsit XII, p. 222, sed a. 1143 vel 1142 Laurentius Virdunum venit.

(4) Epilogus : *Petimus ut de hoc opusculo nemo nobis calumpniam struat, quia, cum sola vera nos scripsisse putemus*, etc.

(5) C. 32 : *Hugo — cujus hortatu et relatu hoc totum opusculum confecimus*.

(6) Epilogus; cf. c. 32 : *Ante hoc biennium, qui fuit a. d. i. 1142*.

(7) C. 32; cf. quæ de hoc loco annotavi.

rentii librum se referunt (8), ut hunc ipsum, neque alienum scriptorem, te audire putes. Hac vero parte S. Vitoni patroni elevatio a. 1147 ab Eugenio papa celebrata narratur, res fausta et monasterio honorificentissima, quam ut posteris traderet, et versibus quamvis rudibus et impolitis, celebraret, et ipse Laurentius adduci poterat. Albericus tamen, qui solus inter medii ævi scriptores, quod sciam, Laurentium exscripsit, nonnisi primam eamque potiorem libri partem noverat (9).

Postea Gesta episcoporum et abbatum Virdunensium duo, ut videtur scriptores longius continuarunt, alter ab a. 1156-1187, alter ad a. usque 1250. Hæc pariter atque annorum 1144-1147 historiam eidem s. XIII scriptori alii tribuerunt; quibus quo minus assentiamur præsertim eo impedimur, quod narrationem bis plane abruptam videmus (10). Quare tres continuationis partes distinximus, primam ipsi Laurentio, ut opinamur, ascribendam, alias duas a monachis S. Vitoni scriptas, qui illum neque rerum cognitione neque sermonis elegantia æquarunt.

Hoc opus jam a Dacherio (*Spicilegium* XII, p. 274 sqq., ed. 2. II, p. 241 sqq.), Calmeto (*Hist. Lotharingiæ* I. Probb. p. 206 sqq., ed. 2. II, p. XVIII sqq.) et frustatim a Bouqueti continuatoribus (XI, p. 249-251. XIII, p. 628-640. XV, p. 208) editum, cum nobis recudendum esset, codices adivimus in bibliotheca publica Virdunensi etiamnum exstantes eosdem quos in Bertarii editione curanda secuti sumus.

1 Codex, nunc N. 3 notatus, qui duabus partibus constat (cf. SS. IV, p. 39), f. 248 sqq. Laurentii librum continet manu s. XIII scriptum, quem plerumque sequi potuimus, quamvis in singulis verbis exprimendis sæpius a more sæculi XII medii recedat; ponit enim librarius ubique *e* pro *æ* et *œ*, sæpius *y* pro *i* (*epytaphyum, antystes, archydiac., Sophya, Phylippus, Ytalia*) et quæ sunt ejusmodi; nonnunquam etiam errores commisit, semel vel bis Laurentii verba omisit (11). Continuatio eadem ut videtur manu, sed alio atramento addita est.

2 Codex N. 36 signatus s. XIII, f. 126 sqq. Laurentii librum exhibet, Joanni monacho tributum. Quamvis hac voluminis parte non eædem genuini textus mutationes deprehendantur quæ in Bertarii historia offendant, nonnullis tamen locis quædam addita sunt Laurentio vix tribuenda. Neque ipsa verba mendis carent. Quare me Virduni versantem impeditum esse quo minus integrum codicem exscriberem vix est quod doleamus. Laurentii libro finito hæc legitur subscriptio (f. 147): *Petrus de Flandria me scripsit, sed non me dictavit.* Continuatio nulla adjecta est; sequuntur: *Nomina pontificum qui fuerunt post Alberonem*, diversis manibus scripta.

3 Idem volumen nunc prima eaque antiquiori parte, quæ s. XII exarata est, fragmenta continet ex Laurentii historia sumpta, quæ magni faciamus oportet, quippe quæ ipsius ætati sint propiora et lectiones codicis 1. plerisque locis ita confirment, ut hoc magna fiducia niti possimus.

Quibus subsidiis fulti, s. XVI et XVII apographa, quæ in bibliothecis Parisiensi (*Archiv.* VIII, p. 325), Ambianensi et Hagis Comitum (*ibid.* p. 569) asservantur, adhibere noluimus, neque editiones ex iisdem ut videtur codicibus sumptas magni fecimus (12) Brevia vero fragmenta a Wasseburgio *Antiquitatum Belgicarum* voluminibus (13) inserta ipsum perbono usum esse libri exemplari ostendunt, quod cum 3. maxime convenit.

Idem Wasseburgius integram fere Laurentii necnon continuatorum narrationem in suas retulit paginas, eamque perpetuo quasi commentario instruxit atque illustravit. Quem Calmet secutus plura de suo addidit. Uterque in villarum Virdunensium nominibus explicandis non parvam quidem curam posuisse videtur; neque tamen ubique pari diligentia errores caverunt; quos nonnunquam Roussel (14) emendavit, alios vero intactos reliquit. Apud hos quos singulis locis nominavi scriptores fides sit interpretationum. Præterea chartas attuli quotquot episcoporum gesta hic relata illustrare videbantur.

Subsequuntur *Annales S. Vitoni* in codice bibliothecæ Virdunensis n. 3. (cf. Vol. IV, p. 7) manu s. XV exscripti, sed ex antiquiori fonte procul dubio hausti, qui ad annos pontificum Virdunensium et abbatum S. Vitoni constituendos faciunt, præterea vero pauca tantum continent memoria digna. Eorum partem Labbeus negligentius descripsit et publici juris fecit (*Bibl. nova manuscriptorum* I, p. 400). Quæ minutis litteris expressa sunt ex veterum annalium exemplari sumpta esse videntur, quod ad Annales S. Vincentii Mettenses Vol. III, p. 153 editos prope accedit. His impressis, jam rerum Virdunensium scriptores quotquot medio ævo scripti ad nos pervenerunt omnes hanc nostram collectionem recepisse, lectores mecum gaudebunt.

G. Waitz.

NOTÆ.

(8) C. 1: *Pii et venerabilis Patris nostri Segardi præconiis, a quo non longe superius digressi sumus.*

(9) V. hac de re Wilmans, Archiv. X, p. 225. Anno quoque 1131 paucis additis Albericus Laurentium sequi videtur; de translatione vero S. Vitoni et Eugenii papæ itinere Virdunensi nihil tradit. Neque continuationem posteriorem novisse videtur. Nam quæ a. 1181 de Arnulphi episcopi morte narrantur aliunde haurire poterat.

(10) C. 7. prior narratio verbis finita erat: *Henrico vero succedit Albertus, vir admodum strenuus.* Quæ sequuntur: *Altercatione tamen orta*, etc., aperte alium scriptorem arguunt, qui Albertum cum Roberto de episcopatu dimicasse novit, præterea vero de ipsius historia usque ad a. 1208 nihil compertum habuit.

(11) C. 34: *Illa autem domus desolata remanet usque nunc*, etc., quæ fortasse tempori, quo codex scriptus est, haud satis convenire videbantur. Verum librarius etiam hæc in exemplari suo invenit, quippe qui prima vocabula scripserit sed mox eraserit. Alium locum c. 33, qui nunc deest, signo apposito in margine supplere voluisse videtur.

(12) Alium codicem Leodii fuisse Miræus testatur de SS. ecclesiasticis c. 362, p. 63. Idem: *Nos*, inquit, *eorum exemplar ms. olim dono dedimus Joanni Cordesio canonico Lemovicensi, cum Lutetiæ ageremus.*

(13) Le premier (le second) volume des *Antiquitez de la Gaule Belgicque.* 1549. fol. Librum in Germania rariorem bibliotheca regia Hannoverana mihi suppeditavit.

(14) *Histoire ecclésiastique et civile de Verdun*..., par un chanoine de la même ville, Paris 1745. 4.

INCIPIUNT
GESTA VIRDUNENSIUM EPISCOPORUM ET ABBATUM[1].

Venerabili A.[2] gratia Dei Virdunensium præsuli A et omni ejus ecclesiæ frater L.[3] de Leodiensi cœnobio beati Laurentii secundum utrumque hominem feliciter in Christo vivere.

Ante hunc annum ad urbem vestri regiminis adductus, maxime in ea deprehendi illud Ecclesiastis (cap. 1), quia omnia sub sole tendunt ad interitum, et priorum quorum non est memoria. Involvit omnia mortalitas, et fortissimorum regum et tyrannorum, quodque magis doleamus, sanctissimorum quoque martyrum et confessorum non solum gesta, sed etiam ipsa tollit ab hominibus et sepelit cum ossibus nomina. Ecce sancti prædecessores vestri Sanctinus, Maurus, Salvinus, Arator, Pulcronius, Possessor, Firminus, Vitonus et multi alii, quo tempore B vixerint, quæ mira, quæ gesta vivi effecerint, hodie nescimus, et indignam, proh nefas! patronorum nostrorum patimur ignorantiam, quorum meritis illustramur. De ipso etiam nomine beatissimi Vitoni his pene in ambiguo est. Antiqua monimenta (15) eum Videnum[4] appellant; cui vocabulo vulgaris lingua magis consonat. Si qua inveniuntur de his[5], omnia incerta et quasi per nebulam narrantur, ut vix digna fide reputentur. Et quidem primum istorum beatum Sanctinum aliqui de 72 discipulis Salvatoris[6] fuisse ferunt. Verum Bertharius[7], qui eorum catalogum[8] prout novit digessit, * ponit (16), quod in multis legitur, fuisse sancti Dionysii Parisiensis[9] discipulus et Meldensium episcopus, indeque verbo prædicationis huic Virdunensium urbi angelica[10] visitatione illuxisse **. Fratres Theologii[11] monasterii dicunt, de suo cœnobio sex monachos vel abbates vestræ[12] ecclesiæ episcopos datos (17). Laudanda est tamen Berthurii pia industria, qui de ipsis cineribus et ruinis incensæ urbis et ecclesiæ[13] omnia, prout potuit, prædecessorum[14] præsulum saltem vel nuda nomina eruit, vel quædam gestorum nobis[15] scintillavit[16]. Nam ipsam tantillam de nostris præsulibus notitiam ab ipso accepimus. Non enim pro parvo duxerim, quod insignia gesta magnorum beneficio scriptorum eripiuntur ab interitu oblivionis. Refert Hieronymus (18) in prologo super Vita sancti Hilarionis, quod Alexander Magnus Macedo, quem vel arietem vel pardum vel hircum[17] caprarum Daniel (cap. VIII) vocat, cum ad Achillis tumulum venisset: « Felicem te, ait, o juvenis, qui magno frueris præcone[18] meritorum; » Homerum videlicet significans. Hæc hactenus dicta sint, ut ab omnibus nostris quaqua versum gesta patrum exquirantur et memoriæ posterorum transmittantur, ut de proximo habeant quos maxime imitentur. Nam quæque civitas magis suorum amplexatur exempla. Proinde et de istius civitatis antiquo statu, quæ diversis litteris comprehensa invenimus, hic in unum breviter collecta vobis transcribimus.

Quorum primum illud de Romana historia occurrit, quæ dum decennale bellum Caii Julii Cæsaris in Gallias describit, hujus oppidi tunc firmissimi ita his verbis meminit (19): « Interea Draptes unaque Lecterius, » haut dubio duces Gallorum, « cum

* duas de ipso opiniones ponit: primam, quæ et valentior est 2.

** alteram, quod in Vita sancti Servatii legitur Sanctinus urbis Clavorum episcopus concilio Agrippinensi, ubi agitur de heresiarche (*sic*) Effrathe depositione et beati Severini subrogatione, interfuisse. Cui de his duabus opinionibus magis fidem adhibeam, vix invenio, nisi quod aliqui, ut hoc utrumque constat, duos Sanctinos diversis temporibus autumant (20) Virdunensi cathedre presedisse, quorum primum idem vel Salvatoris de 72 discipulum vel illum Meldensem episcopum martyrem fuisse volunt. *add.* 2.

VARIÆ LECTIONES.

[1] 2. *habet rubram:* Epistola Johannis monachi ad domnum Alberonem episcopum. [2] A. 1. 2. *i. e.* Alberoni. [3] l. *e corr.* 2. *ubi verba* de L. c. b. L. *desunt*. [4] videnum 2. [5] hiis 1. *sæpius*. [6] s. f. f. *desunt* 1. [7] bertarius 2. [8] cathalogum 1. [9] parisiacensis 2. [10] a. v. *desunt* 2. [11] teolegii 2. [12] nostre 2. [13] ecclesia 2. [14] predescessorum 2. [15] *deest* 2. [16] scintillant 1. [17] hyrcum 1. *ubi etiam* Danyel, Achyllis, *alia ejusmodi.* [18] preconio 1.

NOTÆ.

(15) Quæ fuerint non constat. Neque Bertarius (SS. IV, p. 41) neque Hugo Flaviniacensis (SS. VIII, p. 328) hæc referunt.

(16) C. 1.

(17) Intelliguntur Paulus, Gisloaldus, Gerebertus, Armoinus, Bertalamus et Abbo: v. Calmet, *Hist. de Lorraine*, *I*, p. 464. Alibi de 12 episcopis ex Theologiensi monasterio ascitis sermo est; vid. Clouet, *Hist. ecclésiastique de la province de Trèves*, I, p. 583.

(18) Ed. Vallars II, p. 13.

(19) Orosius (et Historia miscella) ex Cæsare. Quæ hic de Uxelloduno (*Issoudun*) narrat, Laurentius ad Veredunum refert.

(20) Ap. Orosium oppidum haud nominatur, in Historiæ miscellæ editionibus vero *Lugdunum* legitur.

adesse Caninium [19] et legiones, » sine dubio Romanorum, « in finibus [20] suis viderent, undique collectis copiis, oppidum Verodunum (21-22) occupant. Hoc oppidum in editissima montis arce pendebat, duabus partibus per abrupta latera non parvo flumine cingebatur. Medio deinde descensu largissimo fonte securum plurimaque introrsum copia frumenti tutum, irritos [21] procul discursus hostium despiciebat. Caninius, quod solum Romana provisione potuit [22], ambos duces cum parte copiarum plurima in campo evocatos, maximo prælio superavit. Nam uno ex ducibus [23] interfecto, alterum cum paucissimis fugavit. Nullus in oppidum rediit; sed ad id oppugnandum Cæsare opus fuit. Itaque certior per nuntios factus Cæsar accurrit, circumspectisque omnibus, videt, si [24] expugnare vi moliatur, ludo et spectaculo hostium delendum esse exercitum suum; unum solummodo esse præsidii, si quoquomodo [25] hostes aqua arceantur. Sed et hoc quoque nisi Cæsar non potuisset. Siquidem fons, quo ad potum utebantur, medio devexi montis latere fundebatur. Cæsar ad proximum fontis admoveri vineas turrimque extrui jussit. Fit ilico concursus magnus ex oppido. Quibus sine periculo prœliantibus Romanis, quamvis pertinaciter obsisterent crebriusque succederent, complures tamen trucidabantur. Igitur extruitur agger et turris pedum LX, cujus vertex adæquari ad locum fontis possit; ut vel ex æquo tela conici queant vel præcipitata desuper saxorum volumina non timeri. Oppidani autem ubi exanimari siti non solum pecora sua, verum etiam infirmiores hominum ætates vident, cuppas pice sœvo [26] et scindulis replent. Ac deinde immiso igne in prona præcipitant, easque ipsi toto oppido effusi sequuntur. Ardentibus machinis, cum grave prœlium suis Cæsar ac periculosum videret, cohortes in circuitu oppidi ire velociter imperat atque undique subito vastum clamorem attollere. Quo facto consternati oppidani, dum recurrere ad muniendum oppidum volunt, ab oppugnatione turris et demolitione aggeris recesserunt. Illi tamen qui ad incidendas fontis venas sub obtentu aggeris tuti cuniculos perfodiebant, repertos in abstruso aquarum meatus per multa dividendo tenuari in semetipsis consumique fecerunt. Oppidani, fonte siccato, ultima correpti [27] desperatione, deditionem sui faciunt. Cæsar autem omnibus qui arma tulerant manus sustulit et vitam reliquit, quo testatior esset etiam posteris pœna improborum. Multum enim ad coercendam audaciam valet propositum punitionis

A exemplum, cum ipsa miseri præsens [28] forma viventis et ad recordationem ammonet conscios et ad sciscitationem cogit ignaros. Exhaustis atque demolitis Gallis, securus Cæsar in Italiam cum legionibus rediit, nullos post se Gallorum motus pertimescens; certo sciens, minime se aliquos, qui vel moveri audeant vel si moveantur timendi sint, reliquisse. » Hæc Romana historia.

Ultimum igitur prœlium Cæsari in Gallias Verodunum castrum fuit, de quo possis merito conicere, quanti nominis et virtutis jam tunc fuerit, in quo illa præceps victoria fortunati Cæsaris tantis moris præ omnibus Gallorum bellis diu hæserit; cujus oppidani soli post omnes Gallos victos extremam belli manum pro libertate etiam contra ipsum Cæ- B sarem consequerint; quibus captis et domitis, Cæsar jam nil sibi de aliis teste historia timuerit. Et quoniam nullum [29] antiquius Verodunicæ antiquitatis testimonium invenimus, ut hoc factum certa temporis nota signemus, erat tunc, juxta quod ex historiis colligere possumus, annus ab urbe Roma condita [30] septingentesimus, annus Olimpiadis centesimæ octogesimæ secundæ secundus, annus [31] ante dominicam incarnationem quinquagesimus secundus. Publica porro est omnium sententia, quod vestri pontificatus diebus, dum intra urbem in operibus foderetur, ipse occultus aquæ jam exhaustæ meatus, de quo hic sermo est, de sub terra inventus sit. Situs quoque loci quamvis ex antiquitate C mutatus sit, tamen ita fuisse ut hic describitur oculis conicientibus facile patet. Tunc istud oppidum Veludunum aut Veredunum et hic et in aliis antiquorum scriptis vocatum invenimus, unde nunc nomen Virduni remansit. Nam etiam Antoninus, socius Cæsaris (23), in suo Itinerario [32] (24), ubi urbes oppida et municipia, per quæ publicarum viarum tractus ferebatur, dinumerat, hoc oppidum Verodunum castrum vocare invenitur.

Vocabatur et urbs Clavorum, quod vel murus ejus clavatus fuisse (25), vel quod quædam hostilis obsidio clavis ferreis a civibus extra projectis impedita fuisse et ita soluta [33] discess'sse ab urbe a quibusdam narretur. Quamvis incolas loci Clabos urbemque Claboniam vel Clabiam gentiliter fuisse D vocatam vulgaris opinio sit. Sed [34] ut cetera bellorum monimenta, quæ huic oppido incubuisse scimus, numeremus : sub Martiano [35] imperatore, ab Attila rege Hunorum, qui omnes Gallias ut singularis aper de silva devastavit, ista urbs et ecclesia excisa et eversa profecto creditur. Quo tempore sanctum

VARIÆ LECTIONES.

[19] cavinium 1. *et infra*. [20] s. f. 1. [21] *ita* 2. *in* 1. *haud patet*. [22] *ita* 2. *in* 1. *haud patet*. [23] duobus 1. [24] se 2. [25] quomodo 1. [26] *corr.* sepo 2. [27] d. c. 2. [28] f. p. 1. [29] *deest* 1. n. antiquitus 1? 2? [30] c. unde s. 1. [31] vero *post add*. 2. [32] iteneracio 2. [33] s. suis 2. [34] Set 2. [35] martiniano 1.

NOTÆ.

(21-22) Quod omni fide carere, recte nuper monuit Clouet l. l. I, p. 96.

(23) Antonio Cæsaris æquali Antonini imperatoris itinerarium perperam ascribitur.

(24) Ed. Wesseling p. 364.

(25) Cf. Hugo Flavin. l. l. p. 292.

episcopum Pulcronium [36] fuisse volunt (26). Tempore quoque beati Madelvei ipsam ecclesiam fuisse combustam, vita ejus narrat (27). Sub Hildino quoque dignæ memoriæ episcopo, quomodo rex Karolus ecclesiam [37] Theologiam cum rebus aliis Virdunensi ecclesiæ ablatam cuidam Adelelmo dederit, quantaque episcopus inde mala pro recuperatione sustinuerit, testis est ejusdem Hildini scripta lamentatio, et Nicholai [38] papæ epistola (28) pro ipso Adelelmo. Anno quoque Dadonis [39] episcopi 37, ignis civitatem et totam ecclesiam consumpsit. Ibi libri et memoriæ sanctorum patrum et monimenta rerum ecclesiæ combusta sunt (29). Narrant quædam litteræ, quod Boso Guntrannus, vir tirannicus, et iste Dado episcopus mutuis cædibus prædis et incendiis sese devastaverunt. Exstat et carta Dadonis præsulis [40] de Hattone et Berhardo [41] episcopis et de se super ecclesiastico statu multa insignia narrantis et confirmantis (30). Sub istis [42] episcopis incursio Normannorum inter Gallias facta est, et cum aliis hoc episcopium vehementer afflixit, quosdam etiam canonicos Sancti Vitoni Sanctique Germani, incensis ecclesiis, martirizavit, ut invenimus etiam in epitaphio, cujus hoc extremum est :

Haimo [43] *tuus germanus obit cum cæde piorum,*
Pro Domino moritur et tibi junctus adest ;
A *Et quartodeno Martis hunc ante Kalendas*
Normanni jugulant ; æthere martyr ovat.

Berhardus [44] episcopus in destructa sancti Vitoni basilica octo canonicos relocavit et res suas ipsi ecclesiæ reconsignavit. Anno quoque primo Bernoini præsulis crudelissima gens Hungrorum [45] istud episcopium irrupit, omnia pene incendit, homines aut necavit aut abduxit. Refert Vita Sancti Basoli tunc eos divinitus fuisse repulsos a cœnobio Belliloci, quod est [46] in honore sancti Mauricii (31). De istis infortuniis exstat epistola Virdunensis cleri (32).

Ista quia Bertharius [47] in pontificalibus gestis omiserat, ut hic unum breviter colligerem et pro commendatione transcriberem vobis, amantissimus vester [48] venerabilis Hugo, monachus noster, nimia B instantia me invitum compulit. Et quoniam quæ abhinc sequuntur usque ad tempus Theoderici [49] pontificis a quodam digesta inveniuntur (33), prædictus commonitor noster, ut ab ipso Theoderico usque in præsens tempus omnia quæ evenérant compilarem oppido, insistens exegit. Ubi quæ de bonis narrata sunt, quoniam omnibus bonis placitura scio, si quorum delicta, quæ historiam tenens [50] non potui tacere, annotata sunt, oro ut nemo mihi indignetur, cum ego nullius crimen verbis exaggeraverim et historiam necessaria veritate sequi oportuerit.

FINIT EPISTOLA.

INCIPIT [51] PROLOGUS SEQUENTIS OPERIS DE GESTIS VIRDUNENSIUM PONTIFICUM.

Scribimus ad laudem et gloriam beatæ Dei genitricis Mariæ semper Virginis, quæ in hoc ejus Virdunensium episcopatu gesta sunt pace vel bello memorabilia et digna relatu. Et quoniam priorum pontificum hujus urbis gesta, prout potuerunt colligi, litteris continentur usque ad tempora Theoderici [52] episcopi, ab ipso Theoderico sumimus relationis principium, ducturi usque in hodiernum diem. Quod opusculum domino Alberoni episcopo, utpote de ejus prædecessoribus scriptum et in ipso finitum, merito dedicamus.

C 1. Igitur anno Dominicæ Incarnationis secundum Dionysium 1048 [1047] [53] (34) post venerabilem Richardum Theodericus sedit hujus Virdunensium urbis [54] episcopus, a beato Sanctino, primo [55] nostro præsule, tricesimus septimus [56], vir genere, moribus et sapientia præditus. Hic natura Teutonicus [57] et Basiliensis ecclesiæ fuerat canonicus, patre nobilissimo quodam Guezelone [58] natus. Eodem anno Waleramnus post abbatem sanctæ memoriæ Richardum institutus est abbas in hoc cœnobio Sancti Vitoni, jam pridem monachus [59] ejusdem ex comite Fran-

VARIÆ LECTIONES.

[36] pulchronium 2. [37] abbatiam 2. [38] Nicolai 2. [39] dadoni 2. [40] episcopi 2. [41] berarhdo 1. [42] ipsis 2. [43] Haymo 1. *ubi etiam* epytaphyo *et quam sæpissime* y *pro* i. [44] berardus 1. [45] hunorum 1. [46] *post add.* 2. [47] bertarius 2. [48] *fortasse :* vestri? [49] teoderici 2. *et infra.* [50] tenens *corr.* texens 2. [51] *deest* 2. [52] teoderici 2. *sæpius.* [53] *e corr.* 2. [54] *deest* 2. [55] p. ut referunt 2. [56] XL^m^ *e corr.* 2. [57] theuthonicus 2. [58] gocelone 2. [59] monachus 2.

NOTÆ.

(26) Cf. Vita S. Lupi Trec., Acta SS. Jul. VII, p. 70.

(27) Præter Hugonis relationem de Madelvei vita ex antiquiore, ut videtur, libro haustam nonnisi brevis ejus notitia apud Surium VII, 744 legitur, quæ hæc non continet; apud Hugonem vero p. 345 leguntur.

(28) Quam frustra quæsivi; cf. Calmet I, p. 638, n. Roussel p. 132.

(29) V. locum SS. IV, p. 38 editum.

(30) V. SS. IV, p. 37.

(31) V. SS. IV, p. 517 n.

(32) Quæ perdita esse videtur; nisi intelligat epistolam episcopo Virdunensi inscriptam, a Dacherio et Martenio editam, qua origines et vastationes Hungarorum exponuntur. De qua cf. præsertim Roussel p. CLI.

(33) SS. IV, p. 45-51.

(34) Annum 1047 rectius Hugo Flav. SS. VIII, p. 406 indicare videtur.

corum Bretuliensi (35). Nam in bello, quod apud Barrum dux Gozelo et Godefridus filius ejus contra Odonem comitem, totis Franciæ viribus Lothariam invadentem, nobiliter confecit, ubi et ipse Odo occubuit, idem Walerannus sub prædicto Odone militavit, succisoque [60] calcaneo graviter vulneratus, dum vitæ diffideret, ab abbate Richardo susceptus, jam tunc decimum annum agebat in palæstra monastici ordinis. Hic per quindecim annos huic cœnobio præfuit, cum quo etiam abbatiam Aremarensem (36) ex dono Tiebaldi comitis, filii memorati Odonis, regendam suscepit; ubi et nunc tumulatus requiescit.

2. Illis diebus contra imperatorem Heinricum [61] secundum rebellaverat dux et marchio Godefridus [62], Gozelonis ducis filius, pro sublato sibi Mosellano ducatu, quem cum patre duce tenuerat loco patroni post obitum Theoderici, ducis Barrensis, qui fuit filius nobilissimi ducis Frederici et Beatricis, Hugonis Capitonis, Francorum regis sororis. Filius hujus Theoderici fuit junior Fredericus, qui mortuus est (*an.* 1033) ante patrem suum (37) in primo flore juventutis [63]. Cujus Frederici duæ filiæ, post obitum ejus nobiliter educatæ, Beatrix data est a rege uxor Bonefacio, Italiæ marchioni, et Sophia Ludovico [64] de Monzione comiti. Ducatus autem patris earum quia neutro [65] istorum cessit, sed datus est (38) a rege Gerardo Castiniensi (39) comiti (*an.* 1048), ideo hic Godefridus, qui [66] patronus eis datus erat, justa in [67] imperatorem arma movisse visus [68] est sibi. Hunc idem imperator inter multa alia comitatu [69] hujus urbis, quem a prædecessoribus suis tenebat, jam in curia sua exheredaverat, ipsumque comitatum Richardo urbis episcopo manu dederat, ut alteri, quem idoneum judicasset, illum traderet. Pro quo ipsi pontifici idem dux dicitur extitisse infensus. Sed etiam antea sub tempore Ramberti episcopi nobilissimum comitem Chisneiensem Ludovicum [70], filium Ottonis [71] comitis et patrem alterius Ludovici domni pontificis nostri Alberonis avi, Bullonienses [72], milites patris ejusdem ducis, intra urbem oppressum extinxerant, eo quod illum episcopalis auctoritas prædicto urbis [73] comitatui [74] præfecisset. Eadem ducis infensio Theodericum mox [75]

A episcopum infestabat, quia et ipse nominati comitatus principatum ei non recognoverat. Secundo anno episcopatus ejus ipse dux et Balduinus comes Flandrorum cum manu valida hanc urbem irruperunt (*an.* 1047) et in odio Cæsaris succenderunt (40), multimoda strage commissa. Volebat autem dux monasteria urbis illæsa ab igne servare; sed subito majorem ecclesiam Sanctæ Dei Genitricis victrix flamma comprehendit, et duce turmaque militari frustra obnitente, penitus absumpsit. Plurimus thesaurus et litteralia monimenta rerum ecclesiæ ibi combusta sunt. Tantum ipsa civitas, tantum ipsa ecclesia tunc rerum pertulit dispendia [76], ut multi cives, multi clerici locum istum fugerint alias dispersi [77]. Fama est, viginti quatuor canonicos de
B ipsa concremata ecclesia tunc Hungariam præ inopia profectos, quos constat nunquam fuisse reversos. Proinde dux iram Dei metuens, pacem cum episcopo fecit, centenas potestatum ecclesiæ et prædia quæ invaserat reddidit, publicæ pœnitentiæ se addixit. Nam pene nudus et discalciatus, genuumque et brachiorum poplitibus flexis, rependo se per terram trahens, ita ex summo urbis usque [78] ante majus altare ecclesiæ quam incenderat processit. Ibi quoque multis verberibus, ut dicitur, se submisit (41). Villas quoque sui juris Pusvillare [79] et Areium (42) cum portu et piscatura, et plurima deinde donaria [80] in opus reædificandæ ecclesiæ contulit, satis tamen minora malis illatis. Ipsum urbis comitatum quasi
C legitimam [81] a patribus hereditatem sibi vendicavit. Cumque imperatori infestissimus Neomagum palatium miri artificii et irreparabiliter [82] exusserit, nobilissimum Albertum (43) de Longui castro, quem super se ille ducem statuerat, bello exemerit, omnem Lothariam [83] cædibus incendiis rapinisque vexaverit (*an.* 1047): tamen per viginti duos annos, quibus postea vixit (44) benignus solis Virdunensibus fuit, et per venerabilem Ermenfridum, Virdunensis ecclesiæ archidiaconum, regi reconciliari meruit (*an.* 1049); qui postea Italiam pergens, nobile obsequium Bonefacio marchioni præstitit, eoque mortuo, Beatricem ejus [84] uxorem duxit, filiamque ipsorum (45) unicam Mathildam [85] filio suo Godefrido desponsavit; et [86] exinde ambo marchiones Italiæ et duces

VARIÆ LECTIONES.

[60] et succiso 2. [61] henricum 1. 2. [62] dictus gibbosus *rec. manu add.* 2. [63] juventis 2. [64] lodouvico 1 [65] neutro *corr.* neutri 2. [66] *deest* 1. [67] e. contra 2. (*e corr.* ?) [68] visus *corr.* nisus 2. *ubi* sibi *deest.* [69] comitatum 2. [70] ludouvicum 1. *et post.* [71] odonis 2. [72] bullionenses 2. [73] urbi 2. [74] comitatu 1. [75] *deest* 2. [76] dispendium pert 2. [77] dilapsi 2. [78] *deest* 2. [79] pufuillare 1 ? [80] dona 2. [81] legitimam 2. [82] inr. 2. [83] l. bello c. 1. [84] u. e. 2. [85] matildem 2. [86] *deest* 2.

NOTÆ.

(35) *De Breteuil.* Gelduinus nominatur ab Hugone Flav. SS. VIII, pag. 406.

(36) *Moustier-Ramey.*

(37) Hoc errori tribuendum esse videtur; cf. Stenzel. Frank Kaisser II, p. 116.

(38) Quod diu post Friderici mortem factum est; v. Stenzel l. l.

(39) *De Chatenois.*

(40) V. Herimanni Aug. Annales a. 1047. SS. V, p. 127.

(41) Cf. Lamberti Annales SS. V, p. 154.

(42) *Peuvillers* (Puviller Russ.) et *Arey* prope Mettim. Wass. et Calm.

(43) Qui ante Gerhardum supra dictum Lotharingiæ præfectus erat.

(44) Obiit a. 1069 Decemb. 24.

(45) Beatricis et Bonifacii.

Lothariæ fuerunt. Hujus Beatricis hortatu idem dux, celebrato intra hanc urbem comitum et principum generali concilio, multa urbi et ecclesiæ utilia disposuit; quod etiam in ecclesiasticis annotatum est privilegiis (46), moriens quoque, in ipsa ecclesia quam concremaverat sepeliri se mandavit. Godefridus quoque, filius [87] et successor ejus, per octo annos, quibus dux præfuit (*an.* 1069), nunquam molestus sed bonus nostris exstitit, et moriens (*an.* 1076, *Febr.* 26) Gemmatium (47) prædium sui juris Virdunensi ecclesiæ, in qua requiescit, contulit.

3. Porro in reædificanda a fundamento ecclesia vel mœnibus incensæ urbis magnus labor, magna sollicitudo et industria Theoderici episcopi claruit; unde et est ei in posteros memoria benedictionis. In hoc opus reædificationis Wazo, venerabilis Leodiensium episcopus, quinquaginta libras argenti dedit. Fredericus quoque comes Tullensis usuarium Argunnæ (48) sui nemoris tam ad reædificandam quam ad retinendam ecclesiam contradidit. Tunc etiam Ermenfridus archidiaconus, sapientiæ morum et sanctitatis gratia præditus, ex donariis principum et fidelium, quæ ei pro suis meritis et obsequiis large impenderant, ecclesiam Sanctæ Mariæ Magdalenæ a se jam fundatam consummavit et in usus Deo ibi servientium pro posse ditavit. Sane juvit eum præ omnibus ad hoc opus reædificationis [88] venerandus vir nobilis et advocatus [89] urbis, qui cum Bertranda uxore devota liberalitate ipsum, supra quo fundata est ecclesia, et multa alia alodia obtulit [90], et non modicum famulorum gregem superadjecit; in qua etiam requiescit, scripto super eum condigno epitaphio [91]. Præterea ipse Ermenfridus fama suæ religiositatis, hortatu quoque et familiaritate multos clericorum de terris remotis post se traxit, et huic suæ ecclesiæ itemque sanctæ Dei Genitricis inseruit, per quorum industriam utraque ecclesia in omni augmento rerum et religionis effloruit. — Unum istorum Martinum scolasticum non præterierim, qui mortis in agonia constitutus, cum jam biduo loqui non potuisset, subito cunctis mirantibus matutinas laudes beatæ Dei genitricis sollempniter incepit et inoffense percecinit; indeque missale officium ingressus, post decantatam celebriter communionem: *Illumina faciem tuam super servum tuum* (49), inter sacra verba confectum bonis operibus spiritum exhalavit.

4. His diebus papa Romanus [sanctus [92]] Leo IX, primum Tullensis episcopus, Gallias veniens, Remis sinodum celebravit (*an.* 1049, *Oct.*), ubi et ossa beati Remigii, dedicata ejus ecclesia, transtulit. Inde eum precatu ipsius Ermenfridi ad consecrandam prædictam ecclesiam Theodericus episcopus honorifice ad hanc urbem adduxit. Ab ipso sancto papa, assistentibus tribus archiepiscopis, Everardo Treverorum, Alinardo Lugdunensium, Hugone Crisopolitanorum plurimis quoque episcopis, dedicata est ipsa ecclesia anno tertio episcopatus domni Theoderici. Ipse papa miseratus ruinas incensæ urbis et ecclesiæ, clerumque et populum sibi mox venienti prostratum, ecclesiæ Beatæ Dei Genitricis pro omnibus monimentis incensis rerum quas tenebat privilegium fecit (50); itemque ecclesiæ quam consecrarat (51), et cœnobio beati Vitoni (52). Veniensque Leodium, Fredericum, fratrem ducis Godefridi, archidiaconum Sancti Lamberti, inde secum duxit, et monachum indeque abbatem Cassini montis ac postea septimum sui levitam instituit; qui etiam tertius ab eo papa post Victorem in cathedra beati Petri sedit, Stephanus vocatus a Romanis; succedentibus ei Benedicto et Nicholao, qui nobis quædam privilegia fecit, indeque Alexandro et Gregorio VII. Item papa tunc in sinodo Remis Linguonensem episcopum Hugonem, fratrem Waleranni [93] abbatis, deposuerat (*Oct.* 5) pro quibusdam criminalibus causis (53). At Hugo papam usque Romam secutus, ut misericordiam ejus experiretur, plenam sinodum, cui ille præsidebat, nudus et discalciatus intravit, virgas quibus cæderetur manu tremula deferens, et ore lacrimali hanc antiphonam canens: *Dedit pater pœnitenti filio stolam primam pariter et annulum, nam et calciamenta* [94] *illi tribuens, celebravit magnum convivium. Habemus stolam primam in lavacro et annulum fidei signaculum.* Eum ita videntes, omnes [95] in singultus [96] proruperunt, lacrymas fuderunt, questibus sinodum repleverunt. Ipse papa præ ceteris condoluit, et cunctis supplici reo suffragia ferentibus, eum absolvit utque pius pater pœnitenti filio stolam primam et annulum amissi pontificatus indui et sandalia pacis recalciari edixit, dum solummodo ecclesia sua quam læserat vel quælibet alia eum [recipere [97]] dignaretur episcopum. Ita ille a cunctis absolvi meruit, repatriare cœpit. Languorem itinerando [98] incidit,

VARIÆ LECTIONES.

[87] *deest* 1. [88] *deest* 2, *ubi* uenerandus. [89] u. a. 2. [90] optulit 2. [91] epytaphio 1, cum digno epitaphio 2. [92] *deest* 2. [93] walleranni 2. [94] calcimenta 2. [95] *deest* 1. [96] singultibus 1. [97] *deest* 1 *post add.* 2. [98] itenerando 2.

NOTÆ.

(46) Cf. Godefridi charta ex registro monasterii S. Vitoni descripta apud Wassebourg f. CCXLI. Calmet, Probb. I, p. 451.
(47) *Jametz* Rouss.
(48) *Argonne.*
(49) Cantatur Dominica Septuagesimæ.
(50) Quod vide apud Mabillon *De arte dipl.* Supl. p. 99 et Roussel *Probb.* p. 3 (Jaffé, *Reg. pontif.* n. 319
(51) Ap. Calmet I, *Probb.* p. 423 (Jaffé, n. 3192).
(52) Jaffé n. 3190.
(53) Vide Anselmi hist. dedicationis ecclesiæ Sancti Remigii apud Mabillon, Acta VI, 1, p. 721 sqq.

habitum monachi sub nomine nostri cœnobii, cui præsidebat frater suus, a comitibus suis Cluniacensibus monachis quæsivit, accepit, feliciter excessit, inter obitus nostrorum asscriptus [99] est.

5. At Theodericus præsul plurimas deinceps molestias a militibus pertulit. Nam cum urbem et episcopatum, quod illi ante affligebant, in libertate sibi ab eis vendicaret, comes Rodulfus [100] de Crispeio (54), vitricus Philippi [1] Francorum regis, istam urbem iterum incendit, eo quod episcopus denegabat ei viginti annuas libras, quas a prædecessoribus accipiebat ne regionem istam impugnaret. Item Alo de Duno castro, vir ingenuus, dum episcopus præsidium ejus in Rouro (55) vico, quem ille ex episcopio violenter invaserat, obsidens expugnaret, istam urbem conflagravit, absentiam episcopi et militantium ejus aucupatus. Uterque tamen per industriam episcopi armis repressus ac repulsus est, et res episcopii suæ libertati vendicata est. Ita sub hoc episcopo urbs ista tertio succensa est.

6. Præterea idem præsul Manassem [2] comitem de castro Retexto (56) armis suorum coercuit ab invasione ecclesiasticæ rei. Adversus castrum Sanctæ Manehildis (57) sibi infestissimum armatam expeditionem movit. Quo metu castrenses perterriti, ei in medio itineris claves castri miserunt, suppliciter pacem petierunt [3], obsidionem precibus evaserunt. Sed episcopus, ne nihil ad ecclesiam reportaret triumphi, eandem expeditionem in castrum Sautummium [4] (58) æque sibi infensum [5] convertit, illud obsedit, cepit et diruit. Hoc utrumque castrum erat prædicti Manassæ comitis. Dudonem [6], virum ingenuum, fratresque ejus, filios Hauberti [7], sibi insurgentes similiter domuit, et munitione ante Clarum-montem (59) firmata, ipsum castrum super eos cepit.

7. Duce quoque Godefrido Gibboso in Frisia sicarie mortuo (*an.* 1076) et in hac urbe a duce Godefrido tertio, quem ex sorore nepotem sui hæredem ille moriens designaverat, juxta patrem honorifice sepulto, nisus est ipse episcopus auferre ipsum urbis comitatum desub jugo Bulloniensis [8] principatus, qui nimis urbem oppressisse videbatur. Unde ipsi Godefrido Boloniensi, qui Bullionico castro possesso in ducatum successit, illum abstulit; ratus opportunum tempus, quia illi ut minus legitimo duci rex et multi regni primates armis insurrexerunt, et nobilissimo Alberto Namucensi [9] comiti, qui unus erat ejus hostium, eundem comitatum beneficavit. Cum etiam idem Albertus Bullionium castrum quasi magis sibi hereditarium super prædictum Godefridum obsedisset, ei cum omnibus sui episcopii viribus suppetias venit. Sed dux bellicosissimus inclusis suis cito affuit, et contracto exercitu, obsidionem hostium solvit, multis nobilium interfectis. Subinde plurimum offensus episcopo [10], comitem de Grandi-prato Heinricum [11], primo sibi graviter rebellantem, cum armis cepisset, solvit a vinculis et Virdunico hostem territorio misit. Qui jussa ejus non segniter exsecutus, plura hostilia ferro, flamma prædisque in nostros commisit. Ipse quoque dux in Sathanaco [12] (60) sui juris oppido castrum firmavit prominens in finibus episcopii, per quod in nostros graves inimicitias exercebat. Unde et episcopus illud obsedit, contractis undique auxiliariis et prædicto Alberto cum omnibus suis: cum ecce in auxilium suis adest dux, iterum accinctus [13] valida manu bellatorum. Acerrime pugnatum est, cruentissime concussum est, donec fessus uterque exercitus jussu ductorum a cæde [14] revocatus est. Actum anno episcopatus ejusdem Theoderici quadragesimo; ubi et multi nobiles occubuerunt (*an.* 1086 ?). Neutræ parti victoria cessit; sed episcopus, non soluta obsidione, suos tentoriis, dux antem suos castro recepit. Missisque inde cursoribus velocissimis, a tota Germania et Francia per fratres suos Eustachium [15] et Balduinum cogebat exercitum sibi in auxilium. Quos ubi pontifex super se irruere certissimo nuntio accepit, expavit, sanguine judicium facere extimuit, obsidionem solvit, eodem nuntio hoc ipsum agente, hortante et monente. Ipse erat Heinricus venerabilis Leodiensium præsul; cujus frater, Fredericus comes Tullensis, fratrisque filii [16] Rainaldus et Petrus, post in Jerosolymitana expeditione insignes habendi, tunc ibi sub Theoderico præsule militabant, eratque ipse et nostro pontifici et duci Godefrido carus et fidelis; episcopo quidem, quia sub eo in Virdunensi ecclesia prima scolarum tirocinia

VARIÆ LECTIONES.

[99] ascriptus 1. [100] rodulphus 1. [1] phylippi 1, philippi 2. [2] manassen 2, [3] pecierunt 1. [4] sapumnium 2, *sed* um *e corr.* Saptiminium *ed.* castrum de Setunia *Albericus edit.* [5] impensum 1. [6] Odonem *ed.* [7] haiberti 2, Humberti *ed.* [8] bullionensis 2. [9] namuensi 1. [10] epc. 1, 2. [11] henricum 1, 2, *semper.* [12] satanaco 2. [13] accintus 2. [14] sede 2. [15] eustacium 1. [16] *deest* 1, *ubi* fratrisque *corr.* fratresque.

NOTÆ.

(54) *Crepy.*

(55) *Rouvre.* Calm. Rouss.; sed ille alio loco (infra c. 12.) *fortasse*, inquit, *Rouvroy.* — *Rouvres* villa prope Estain sita est, Rouvroy inter Spincourt et Montmedy.

(56) *Rethel.*

(57) *S. Menehould.*

(58) Fortasse *Sampigny* ad Mosam. CALM. Ita etiam Wass.; sed dubia movet Rouss.

(59) *Clermont-en-Argonne.*

(60) *Stenay.*

transegerat et ab eo archidiaconatum susceperat, duci autem, quia opera ejus ante illud septennium ex Virdunensi archidiacono in Leodiensem episcopum assumptus fuerat. Heinrico enim [17] tertio imperatori expeditionem agenti contra Rodulfum ducem, qui assumpto diademate ex obedientia Romanæ ecclesiæ regnum susceperat et jam Saxoniam occupaverat, idem Godefridus dux reconciliatus, cum multo milite in auxilium venerat; cum ecce, interfecto Rodulfo (*an.* 1080), dum celebratur victoria, nobiles legati Leodiensis ecclesiæ venerunt, quærentes sibi ex [18] dono et sententia Cæsaris episcopum (61). Tunc, agente eodem duce, in gratia ejus imperatoria majestas donum delati pontificii eisdem nuntiis Heinrico archidiacono in hac urbe transmisit. Quem et ipse dux ut dulcem consanguineum abhinc usque Leodium comitatus, illi urbi pontificem assignavit, ubi ille inter prædecessores præsules omni merito effulsit. Theodericus igitur, verus libertatis defensor, ita ut retulimus, etiam supra vires pro patria pugnabat. Tempore hujus episcopi Kal. Augusti hora matutinali fulmen de cælo irrumpens ecclesiam, in medio psallentis cleri ruit, et Dominicum presbiterum, qui collectam canebat, et Algerum subdiaconum, qui choro præsidebat, percussos exanimavit [19], cæteris consternatis.

8. Dicamus aliquid et de liberalitate ac devotione ejus. Semel Jerosolimam ad sepulcrum Domini, multotiens autem Romam ivit, ad sanctos apostolos oraturus vel apud apostolicam sedem causas sibi creditæ ecclesiæ acturus. Ipsius euntis liberalitas ipsi Græcorum imperatori itemque papæ Romano visa est mirabilis et prædicabilis. Gervasio [20] Remorum [21] archiepiscopo, qui magna Francigenarum comitatus frequentia eum usque Virdunum visitatum venerat, festum suæ curialitatis recompensavit, cum non minori comitatu Lothariorum ad eum revisendum usque Remorum muros accessit. Gervasius super portas Remorum clausas per duos cantores ei in occursum occinit: *Commovisti terram et conturbasti eam* (*Psal.* LIX). Cui ille itidem duobus cantoribus respondit: *Sana contritiones ejus, quia commota est* (*ibid.*), et inde apud Sanctum Remigium missam celebrans, in memoriam sui capellam suam magni pretii ibidem repatrians dimisit. Ecclesiæ suæ Duram prædium cum omnibus appenditiis magno pretio ab imperatore Heinrico tertio (62) Miroalht (63) quoque castrum cum foreste et abbatiam Juveniaci (64) a Mathilde [22] marchisa acquisivit. Ut de aliis ecclesiis taceam, nostro, id est beati Vitoni, cœnobio omnia altaria ecclesiarum, quas nobis prædecessores ejus contulerant, bannum quoque montis Sancti Vitoni dedit et confirmavit. Et quia sub Grimoldo [23] abbate, qui Waleranno mortuo (65) huic loco per quindecim [24] annos præsedit, religio per quorundam insolentiam deperibat [25], quia per illum non poterat corrigi, eum amovit et venerabilem Rodulfum, Sancti Agerici monachum, religione, scientia et moribus insignitum, substituit, qui per se aliasque probabiles personas a sua et [26] Sancti Agerici ecclesia expostulatas summam ordinis et plurimo bona huic loco induxit. Nam et bonus odor religionis ipsorum etiam de remotis terris plures industrios huic ecclesiæ tunc attraxit et associavit [27], quorum probitate usque modo locus iste nobilitari et magnificari promeruit. Tunc ecclesia Beati Agerici, de qua hic abbas assumptus est, ita florebat viris religiosis, ut illa contemporalitate de filiis ejus duodecim abbates per diversas ecclesias ordinati sint, omnes magnorum gestorum viri.

9. Veniamus ad locum gravissimum, in quo, quod graviter dolemus, periculosa tempora plurimum laudibus digni episcopi detraxerunt. Causa talis est. Anno episcopatus ejus XXXVI inter regnum et sacerdotium [28] illa digladiabilis seditio jam surrexerat, quæ totum Romanum imperium involvit. Romanorum enim papa Gregorius VII [29] imperatorem Heinricum [30] pro suis criminibus, quæ plurima ferebantur, excommunicaverat (*an.* 1076); videlicet pro conjuge regina Praxede, quam ignominiose servorum stupris et opprobriis [31] submiserat, pro variis injusticiis et ecclesiarum oppressionibus [32], et præcipue quia investituras ecclesiarum per baculum et annulum dare ex consuetudine priorum contra antiquos sacros canones, cum ab eo sub anathemate esset inhibitus, non omittebat. At Heinricus super hoc infensus Romam bello irrupit (*an.* 1083), ipsum papam missarum solempnia celebrantem sacrilege cepit et in vincula conjecit, indeque a duce Apuliæ ereptum, Roma eum exturbavit, et geminata injustitia quemdam Wicbertum [33] Ravennatium pseudopræsulem, qui per septem annos apostolicæ sedi inobediens, rebellis et anathematizatus fuerat, cathedræ ejus intrusit. Tunc omne regnum in se ip-

VARIÆ LECTIONES.

[17] autem 2. [18] et 1. [19] examinavit *corr.* exanimavit 1, 2. [20] G. quoque 2. [21] rhemorum 2. [22] mathylde 1 *ut sæpissime* y *pro* i; matilde m. adq. 2. [23] grimolde 2. [24] XV *ut videtur corr.* XVI 2. [25] deperiebat 2. [26] *erasum* 2. [27] ads. 2. [28] ecclesiam 2. [29] duodecimus 1. [30] H. tercium 2. [31] obp. 2. [32] obp. 2. [33] wicbertum 1.

NOTÆ.

(61) Initium episcopatus Henrici Leodiensis episcopi perperam illigatur cum nece Rodulphi regis. Anno quidem 1080 Rodulphus interfectus est, Henricus vero a. 1075 ad infulas Leodienses assumptus est. Bouq, Cont.

(62) V. Heinrici chartam a. 1086 apud Calmet, Probb. p. 483.

(63) *Mirevaux*. In charta Heinrici III dicitur *castellum Merenvaldi cum foreste quæ dicitur Wavria*.

(64) *Juvigny*; cf. Chron. Sancti Huberti cap. 44 SS. VIII, p. 591.

(65) Anno 1060. V. Ann. S. Benigni Divion. SS. V, p. 42 et Hugo Flav. VIII, p. 109.

sum[34] divisum est, tunc omnis civitas in duas partes separata est, aliis causam cæsarianæ curiæ, aliis sanctæ sedis apostolicæ defendentibus et adversam partem insequentibus. Sedes quidem apostolica hostes suos anathemate omnes percutiens, a sacris mysteriis arcebat; imperialis autem curia sibi infensos captivans et exsulans, honoribus privabat. Demum ferro cæde et igne pars utraque suos inimicos persequebatur. In hac quoque urbe duæ partes factæ sunt. Episcopus quidem male a suis inductus et vel amore vel timore principis nimis depressus[35], declinavit post partes Cæsaris; venerabilis vero Rodulfus cum suis fratribus apostolicæ sedi studiosus adhæsit. Hinc inter eos soluta est vetus illa pia amicitia[36], adeo ut episcopus ipsum abbatem cum suis plurimis injuriis affectos ab hac ecclesia perturbaverit (66). Sed pulsis pro justitia ipsa contraria in bono mox cessere. Nam fratres Burgundiam ducti, a venerando abbate Divionensis ecclesiæ Gerontone[37] per septennium, quo idem præsul supervixit, velut angeli Dei recepti sunt, et bene in omnibus usi, eaque occasione nostræ et illi ecclesiæ germana fraternitas intervenit dignior et firmior, ut credimus, quam illa inter Sabinos et Romanos olim. Rodulfo autem abbati apostolicus privilegium dedit, omnes ab Heinriciano[38] scismate resipiscentes reconciliandi in tribus episcopatibus, id est Virdunensium, Metensium, Tullensium. In[39] his diebus Fulcradus abbas Sancti Pauli consensu prædicti pontificis hanc abbatiam cum quibusdam suorum invasit. Sub eo ista ecclesia amisit tria valde pretiosa pallia, duas magni pretii cappas, duo candelabra argentea sex marcarum, foraturia[40] vini (67) civitatis et pugillum (68), ecclesias etiam de Marleio (69) et de Metionis, multaque alia. Hunc Fulcradum et Richerum decanum ipsis diebus cum idem præsul legatos misisset ad sigillandum[41] altare Sancti Michaelis (70), pro eo quod illa ecclesia se a Virdunensi ad Tullensem episcopatum transferri vellet et ad audien-

A tiam vocata Virdunum venire nollet, familia ejusdem ecclesiæ invasos eos[42] ab ecclesia protraxit, et vinctos[43] apud Barrum incarceravit. Quamobrem ipsam villam et ecclesiam ab hostico episcopali contigit concremari. Sed ipsum Richerum, sanctæ memoriæ decanum, itemque de clero Engebertum, Hairicum, Gezonem et Bosonem dignos omni laude fidei fervoris et religionis duxerim, quorum instantia ita ecclesiasticus ordo tunc invalueral, ut omnis clerus sub eis ductoribus insimul lectionem cibum, dormitorium et chorum nullo excusato frequentarent, nolentes[44] autem[45], etiam nobiliores, districtius urgerentur. Sed episcopum tandem senectute et nimia corporis gravedine fessum dum extremus dies urgeret, nec adesset

B qui eum apostolicæ sedi reconciliaret, abbas Rodulfus ad eum reconciliandum duos de suis monachis direxit, Gerardum, quondam archidiaconum, et Gerbertum, postea Sancti Mauricii abbatem. Quos ille lecto suo assistentes nutibus, quia loqui non poterat, mox salutavit, reconciliari petiit et meruit. Eis enim offensas ejus in apostolicam sedem per capitula proponentibus, ipse ad singula supplicibus oculis, manibus et tunsione pectoris similis pœnitenti culpam fateri et veniam petere videbatur. At ubi proposuerunt ei : *Profitere culpam*[46] *de monachis Sancti Vitoni, quos expulisti*, tunc vero duobus pugnis crebrius pectora tutudit, altius ingemuit, profundius suspiravit, ita ut omnes videntes pro-

C rumperent in[47] lacrymas. Hinc ab illis[48] absolutus, post paululum spiritum reddidit (*an.* 1089, *Apr.* 28). Illi[49] sane hanc ejus satisfactionem retulerunt ad venerabilem Rodulfum. Rodulfus autem ad sinodum, cui præsidebat legatus apostolicæ sedis Hugo, quondam Diensis præsul, tunc Lugdunensis archiepiscopus, approbataque est satisfactio ejus ab omnibus. Sedit in episcopatu annis 43 (71); vir in multis idoneus et laudabilis, nisi hæc macula esset in gloria ejus in extremis[50]

10. Anno Dominicæ Incarnationis millesimo octo-

VARIÆ LECTIONES.

[34] *deest* 2. [35] depsus 1. [36] amiticia 1. [37] gerentone 1. [38] heinritiano 2. [39] *deest* 2. [40] *ita* 1 forat... *corr.* foratagia 2. [41] sig. *post corr.* sugillandum 2. [42] scilicet Fulcradum et Richerum *post superscr.* 2. [43] vinctum 1. [44] volentes 1. [45] *jam deest* 1 *ubi* etiam ut *e corr.* [46] pater culpam de m. s. u. *e corr.* 2. [47] in. l. *post add.* 2. [48] eis 2. [49] Ille 2. [50] esset in extremis 2.

NOTÆ.

(66) An. 1085. V. Hæc plenius narrata ap. Hugonem Vird. SS. VIII, p. 468.

(67) In litteris Honorii papæ hac de causa scriptis (Wassebourg f. CCLXXXIV. Bouquet cont. XV, p. 257) legitur : *decimas foratici vini civitatis*. Idem esse videtur quod foragia vini. Qua de re Ducangius (ed. Henschel III, p. 344) : « jus, inquit, quod domino feudi competit... pro prætio a domino imposito vino quod a tabernariis et cauponibus distrahitur. »

(68) Apud Ducangium (ed. Henschel V, p. 507) hoc de loco legitur : « Idem videtur quod jus mensuræ vel moltæ, pensitatio scilicet quam a vasallis exigit dominus pro frumenti mensura vel molitura in molendinis suis. » Cf. Honorii litteras l. l., qui : *Mercatum*, inquit, *de monte Sancti Vitoni et theloneum cum pugillo frumenti placitum et correctionem mensurarum, decimas*, etc.

(69) Prope Mettim; v. Hugo l. l. p. 363 Marle et Menon. Wass.

(70) *S. Mihiel.* Qua de re cf. Calmet I, p. 1234.

(71) Ex ipsius Laurentii computatione Theodericus 40 vel 41 tantum annis sedit, a. 1048-1088; sed in his annis indicandis errasse videtur.

gesimo octavo (72) post Theodericum electus est A decanus Metensis ecclesiæ Richerus [51], vir pius et honestus. Qui, quoniam alia via non patebat, ductus est ad curiam, contra vetitum apostolicæ sedis a Cæsare pontificalem baculum suscepit, fratres suos Albertum (73), Bezelinum [52] et Johannem, viros nobilissimos, ei dedit obsides, quod a fidelitate et communione ejus nunquam recederet. Rediens honorifice recipi meruit; sed quia Romanæ ecclesiæ offensam incurrerat, septem (74) annis sine episcopali benedictione permansit, donec abbas Rodulfus, quem cum omnibus suis [53] mox electus honorifice revocaverat, dato consilio, eum Lugdunum Burgundiæ duxit, ubi eum prædictus Hugo archipræsul post abjurationem Heinricianæ partis in sancto paschali [54] Sabbato (*an.* 1093, *Apr.* 16) in B presbyterum consecravit, in die autem festo (*Apr.* 17) in antistitem promovit. Inde cum gratia et honore apostolicæ sedis reversus, a coepiscopis suis Poppone Metensi et Pibone Tullensi, agente ipso Rodulfo, decentissime a tota urbe susceptus est in dominica Misericordias Domini (*Mai.* 1). Ipse ut nuntius pacis et sidus salutare mox cuncta serenavit, bellis episcopio consopitis. Solus Heinricus de Grandi-prato antiquas adhuc inimicitias exercebat. Qui quoniam, latrocinanti similis, clanculo deprædatus quæcumque posset, mox refugiebat, facile opprimi non poterat. Quod cum ei Cathalaunis forte convento exprobrasset Petrus comes, filius Frederici Tullensis, unus de baronibus episcopi, ille ferociter respondit: *Die illo ante Virdu-* C *num veniam; occurre mihi, si audes, et comparemus nos in campo.* Quod cum Petrus hilariter excepisset, utrique fide interposita juraverunt sibi, quod non dimitterent. Venit dies constitutus, et Petrus cum baronibus episcopi promissum hostem Virduni exspectabat armatus. Heinricus per quosdam ex urbe sibi intimos et familiares, quibus deferentibus omnia nostrorum molimina addiscebat, quæ fiebant agnovit et adventum suum distulit. Eadem nostri eum facere arbitrantes, quasi desperarent eum venturum, urbe exeunt, reditum ad sua simulant. At Heinricus ex solitis nuntiis eos ad sua lapsos audiens, mox cum suis ante Virdunum advolat, ex proximis vicis prædam agitat, iterque suum solito recursat. Sed D nostri, qui arte [55] reditum simulaverant, transverso tramite viam redituri hostis jam tenebant. Cives etiam armati prædones e vestigio sequebantur. Ita a fronte et a tergo hostes invasi, valideque [56] pugna commissa, multi interfecti, plures sauciati [57] et capti sunt; reliqui cum ipso comite vitabundi fugerunt. Militantium quidem usque ad sexies [58] vicenos, equorum et armorum tanta refertur copia capta, ut pene nostri inde ditescerent. Heinricus tamen ab impugnatione Virdunensis ecclesiæ non destitit, donec judicium horrendæ mortis incurrit. Auditis enim a duce Godefrido et clarissimis commilitonibus ejus rebus pro Jerosolimis bene gestis (*an.* 1099), secundam expeditionem post eos animo intendit, Virdunum venit, crucem iturus accepit; sed Dei ira præoccupatus et amentia captus, re infecta ibidem misere exspiravit [59].

11. Dudo quoque de Claro-monte [60], qui res episcopii profligaverat, cum mansuetudinem præsulis non curans hospitatus esset Virduni, a clericatis [61] est ibi captus et ergastulo inclusus. Quod a tali hominum genere commissum cum primates et barones indignarentur, clericati [62] pro satisfactione ei quisque per unum stadium scolarem librum detulerunt (75).

12. Anno [63] consecrationis Richeri in episcopatum Urbanus papa apud Clarummontem Arverniæ sinodum celebravit (*an.* 1095), ubi [64] dona et legatos suos Richerus ei transmisit. In ea sinodo inter alia plurima prædictus papa vocem per omnem occidentis ecclesiam emisit [65], ut militares suas bellicas vires Deo voventes moverent expeditionem ad liberanda sacra loca Jerosolimæ [66], quæ deficiente brachio Constantinopolitani imperii Sarracena profanitas invaserat. Ad quam vocem omnes nationes motæ sunt, et abjuratis civilibus armis, quibus gravabantur regna occidentis et septemtrionis [67], multi nobilium arma Deo voverunt in Turcos pro sacris locis. Inter hos de nostro territorio eminebant duo fratres, dux Godefridus et comes Balduinus, itemque [68] Balduinus de Retexto castro, nepos Manassæ comitis supra memorati; qui omnes tres [69] sanctæ civitatis armis receptæ alter post alterum magnanimi reges fuerunt. Ipse Godefridus sanctum iter meditans (*an.* 1096), arma quæ in nos moverat abjuravit [70], pacem cum episcopo Richero composuit, Mosacum (76) et Sathanacum [71] (77) cum castro

VARIÆ LECTIONES.

[51] rycherus 1, *ut sæpissime* y *pro* i. [52] bezelium 2. [53] monachis *superscr.* 2. [54] pascali 2. [55] artum 2. [56] validique 1. [57] santiati 1. [58] sexcies 1. [59] exp. 1. [60] clarofonte 1. [61] clericis *e corr.* 2. [62] clerici *e corr.* 2. [63] Anno Incarnationis Dominicæ millesimo nonagesimo V° Urbanus *incipit fragmentum cod.* 3. [64] ubi — transmisit *desunt* 3, *qui pergit:* in qua sinodo. [65] misit 2. [66] iher. 2. [67] septentr. 2. [68] i. b. *desunt* 1, 3. [69] res 1. [70] abjuavit 1, arma — abjuravit *desunt* 3. [71] satanacum 2.

NOTÆ.

(72) 1089. Hugo Flavin, p. 472.

(73) *De Brie*, Albericus.

(74) Richerum jam a. 1093 ecclesiæ reconciliatum esse, Hugo tradit p. 473.

(75) *Chose notable pour ce que c'estoit une manière d'amende honorable observée de ce temps là et au précédent.* WASS.

(76) *Mousay* prope *Stenay*

(77) *Stenay.*

quod in nos firmaverat [72], cum omnibus appenditiis sanctæ Mariæ in perpetuum [73] tradidit. Unde episcopus auri et argenti pondera plurima, quæ de episcopii ecclesiis collegerat, ei in sumptum sacræ expeditionis contulit, et prædicta alodia [74] sanctæ Dei genitrici confirmans, stantibus [75] in stola de toto episcopio presbiteris, anatematizavit [76], si quis ea deinceps auferret mensis Virdunensis cleri. Cumque ipsa alodia Mathildis marchisa, relicta ducis Godefridi Gibbosi, ut sibi a patribus hereditaria reclamaret, iterum præsul eadem ab ipsa matrona multo pretio in Walestatensi [77] (78) sinodo per legatos suos Gerbertum abbatem et Azelinum [78] cantorem redemit, et ab omni exactionis et reclamationis nodo libera Paschalis papa in eadem [79] sinodo sub anathemate, itemque Richerus pontifex, in sua sede iterata simili excommunicatione in eum quicumque auferre temptaret, ea Virdunensi ecclesiæ in perpetuum [80] confirmaverunt. Comitatum quoque urbis, de quo totiens discordia processerat, ab eodem duce receptum, in gratia ipsius Balduino fratri ejus dedit. Quem idem Balduinus, sanctum iter cum fratre duce aggressus [81], mox post modicum reddidit, et episcopus receptum Theoderico Barrensi comiti, donis et obsequiis ejus delinitus, ex consilio suorum tradidit, ut, quia plurimum pro loco et viribus prodesse et nocere videbatur, totus nostræ utilitati intenderet. Idem dux castrum Falconii-montis (79), quod [82] in episcopio firmaverat, ne in posterum noceret, abiens fecit everti. Castrum quoque Bullionum [83] cum omnibus appenditiis Sancto Lamberto Leodii contulit, accipiens ab episcopo loci Otberto [84] mille trecentas marcas [85] argenti et libram auri in opus sacri itineris. Ita insignis ille Bullionensium [86] principatus primum a comite Godefrido, patre Adelberonis nostri præsulis et duorum ducum Godefridi et Gozelonis, duorum quoque [87] comitum Herimanni [88] et Frederici—qui omnes cum sua numerosa progenie vel fortitudine in bello vel religione in ecclesia præ ceteris claruerunt, istum [89] quoque locum cum matre sua Mathilde præ cunctis mortalibus ditaverunt (80) — feliciter cœptus, in isto Godefrido felicius et sanctius est finitus et per multos est [90] divisus. Nam [91] et ducatus ejus cæsarea manu primum Lemburgensi, postea datus est Lovaniensi comitatui; Briacensem [92] quoque potestatem (81) Albertus frater episcopi sub fide marchisæ Mathildis, relictæ Godefridi Gibbosi, sibi vendicavit. Idem Albertus a [93] fratre episcopo [94] Richero, ut [95] in rebus agendis ei adesset, Rourum vicum [96] episcopi [97] in vita sua tantum [98] in usufructuario accepit; quem nunc injuste sibi vendicant ejus posteri. — Porro dux Godefridus cum suis gloriosis commilitonibus, transmisso Ellesponto [99], Niceam, Bithiniam, Asiam, Pamphiliam, Frigiam et maximam urbem Antiochiam [100] innumeris pugnæ obsidionis famisque laboribus cepit, et gentiles ejecit (*an.* 1098). Syriam [1] quoque et Judeam aggressus, sacra loca et sanctam urbem armis recepit anno [2] ab incarnatione vitæ Principis millesimo undecentesimo, et pro Lothariorum ducatu regnum Sanctæ Urbis a Deo promeruit, quamvis ipse nunquam se [3] regem sed advocatum ejus passus sit appellari. Eodem anno felici obitu excesserunt [4] Urbanus papa, qui Victori successerat, ecclesiastici privilegii adversus cæsaream violentiam ardentissimus defensor, et venerabilis Rodulfus abbas (82), apostolicæ sedis tenacissimus suffragator, eorumque sedis et fervoris successores facti sunt Paschalis [5] papa et Laurentius abbas.

13. Interea rex Heinricus, quia Richerus episcopus, ipso abjurato, ad apostolicam sedem se contulisset, audivit; indignatus obsides datos repetiit, unum eorum Johannem in vincula conjecit. Alii duo fratrem episcopum convenerunt, ut ab obsidatu suo eos liberaret jure gentium. Ille undique constrictus, similisque beato Martino, qui sub Maximo nefariam episcoporum communionem Treveris invitus inivit, curiam adiit, satisfactionem cæsari obtulit [6], ei communicavit, de cetero firmam fidelitatem ei repromisit, et ita obsides absolvit. Rediens a divino officio, tanquam reus apostolicæ sedis, se per triennium suspendit; in quo spatio hæc nostra ecclesia ei non communicavit. Quod a quibusdam dum ei invidiose suggereretur, ille repellens eos, dicebat: *Sinite servos Dei, sinite; meliores enim sunt me.*

VARIÆ LECTIONES.

[72] formaverat 3. [73] imp. 2, 3. [74] allodia 1, *et infra.* [75] in stola stantibus 1, in stolis (*post deleta*) st. in stola 2. [76] anathem. 1, *et infra.* [77] warlestatensi 2, 3. [78] ascelinum 3. [79] eodem *corr.* eadem 3. [80] imperp. 3. [81] aggressus 3. [82] quod in *desunt* 3. [83] bullonum 3. [84] olberto 1, olberto 2, 3. [85] marchas 3. [86] bullon. 3. [87] duorumque 3, *Wass. f. CCXLVII.* [88] hermanni 1. [89] ci. æcclesiam sancti Vitonicum 3. [90] *deest.* 3. *Wass.* [91] Nam — comitatui *infra post* posteri *scripta sed postea huc relata sunt* 1. [92] buacensem 1. [93] a fr. *desunt* 1. [94] r. e. 2. [95] in r. a. ut ei 1, *Wass. f. CCXLII.* [96] Ronrunnicum *Wass.* [97] episcopii tantum in 2. [98] *deest* 1, *Wass. et hoc loco* 2. [99] hellesp. 1. [100] anthyochiam 1. [1] Siriam 2. [2] anno incarnationis dominicæ 1098, 3. [3] regem se 3. [4] excessit U. p. *desinit* 3, *Pergit* c. 13. [5] pascalis 2, *et infra.* [6] opt. 2.

NOTÆ.

(78) Guastalla; v. chartam ap. Calmet I, Probb. p. 524, non in ipso concilio (a. 1106. Oct.), sed sequenti anno (Febr.) editam, cui Paschalis papa confirmationem adjecit, nulla tamen anathematis mentione facta.

(79) *Montfaucon.*

(80) Cf. Cont. Bertarii c. 9. SS. IV, p. 49

(81) *Brie.*

(82) V. Hugo Flav. l. l. p. 481.

Tantæ humilitatis et patientiæ fuit, nulli molestiam unquam [7] per se inferens. Demum Laurentium abbatem et Widonem archidiaconum cum aliis legatos pro se Romam misit, communionem et gratiam apostolicæ sedis expetiit. Ipsos legatos Paschalis papa primum de communione sui episcopi absolvit, deinde litteras pro absolvendo episcopo ad Hugonem Lugdunensem archiepiscopum eis dedit. Richerus Lugdunum venit, ab illo suo consecratore absolvi petiit et meruit. Rediens Virdunum non prius intravit, quam omnes canonici et monachi apud Sanctum Vitonum convenerunt. Ille [8] pariter omnes pro communione, quam secum in excommunicatione habuerant, absolvit, et fidem apostolicæ sedi servandam jurare compulit. Cetera sub Richero præsule prospera fuere. Ipse [9] anno episcopatus sui 18, die festo apostolorum Petri et Pauli (*an.* 1107, *Jun.* 29) in nostro [10] cœnobio missarum sollempnia celebravit, ipsis apostolis et Sancto Vitono super altare alodium Pauli-crucis (83) et bannum Marculfi-curtis (84) ex privilegio tradidit, animam [11] et corpus suum eis commendavit, sepulturam suam in hoc [12] ipsorum cœnobio delegavit [13]. Inde Vosagum ad Valdentiam (85) alodium ecclesiæ [14] ivit, ægritudinem incidit, navigio per Mosellam relatus est Treveris, a Brunone [15], urbis archiepiscopo, inunctus viaticoque munitus, in pace obiit. Corpus ejus lotum idem Bruno munificentissime suis propriis pontificalibus indumentis induit, et vehiculo illud Guido archidiaconus revexit, ipsumque Richardus [16], Albanensis episcopus, Romanæ sedis legatus, apud Sanctum Vitonum, sicut ille disposuerat, licet nolente clero, honorifice sepelivit [17] ante altare beati Laurentii anno Domini [18] millesimo centesimo septimo (86).

14. Is Richardus quondam Metensis [19] canonicus pro fide apostolicæ sedis cum Herimanno [20] episcopo [suo [21]] a rege et Guicbertinis [22] expulsus fuerat, ideoque Romana Ecclesia ita eum extulerat. Hujus frater Arnulfus sub Laurentio abbate tunc erat noster conversus, qui et post obiit monachus. Qui et ipse cum adhuc esset miles, tanta fide apostolicæ sedi inhæserat [23], ut Lanzoni abbati Sancti Vincentii [24], qui et ipse cum Herimanno [25] præsule erat ejectus, quemdam Cononem, abbatiæ ejus a Wicbertinis subintronizatum, Divionem Burgundiæ captum et vinctum direxerit. Iste cellam apud Bucconis-villam (87) alodium sui juris ædificavit et beato Vitono cum omnibus tradidit.

15. Ante illos dies Remorum archiepiscopus Manasses vita decesserat (*an.* 1106), et illa ecclesia Richardum Virdunensem archidiaconum in pastorem sibi elegerat; qui, fratre Heinrico comite (88) jam mortuo, et altero fratre Balduino, qui post illum aliam expeditionem pro Jerosolimis moverat, a Turcis martyrizato, comitatum Grandis prati tunc regebat. Proinde Paschalis papa per litteras et legatum suum prædictum Albanensem episcopum eidem archidiacono mandavit, ut ab ipso Albanorum præsule in diaconum ordinaretur — erat enim adhuc subdiaconus — et sic consecraretur Remorum archiepiscopus. Sed Richardus nichil in his obedivit, et irritus legatus recessit. Interim enim Richero præsule mortuo [26], clerus Virdunensis eumdem Richardum in pontificem sibi delegit [27]. Quam electionem ille, priori postposita, pluris habuit, Metimque ductus, de manu regis baculum pontificii suscepit, et [28] rediens cum Treverorum [29] archiepiscopo susceptus est cum laudibus. Ipse quoque rex cum imperiali curia subsecutus (*an.* 1107, *Mai*), eodem die susceptus est cum totius urbis applausu. Die [30] tertio ipsius Richardi suggestu idem rex castrum Clari-montis obsedit et ad deditionem compulit, quia Guido de ipso castro vexabat [31] res episcopii. Ipse [32] rex Heinricus IV (89), primum annum tunc agebat in regno post patris obitum; quem patrem sanctæ ecclesiæ graviter insurgentem quamvis ipse filius custodiæ mancipaverit, regni insignibus spoliaverit et usque ad mortem persecutus sit, tamen ejusdem mortui [33] imitator ecclesiam impugnando extitit. Interim Paschalis papa [34] Trecas Franciæ [35] sinodum tenuit, ubi inter [36] alia cum ageret de Guicbertinis, fertur dixisse: « Richardum [37] Virdunensem, qui se [38] tradidit regiæ curiæ, et nos

VARIÆ LECTIONES.

[7] unquam m. 2. [8] Illi 1, 2. [9] Anno inc. dominicæ 1107. Richerus episcopus die *pergit* 3. [10] in ecclesia sancti Vitoni m. s. 3. [11] animum 3. [12] in prefata ecclesia d. 3. [13] delegit 1. [14] *deest* 1. [15] bruonone 3. [16] richadus 2. [17] *desinit* 3. *pergit* c. 15. [18] dominicæ Incarnationis 2. [19] mettensis 1, *hoc loco.* [20] hermanno 1. [21] *deest* 1. [22] guibertinis 1. [23] adh. 2. [24] metensis *post add.* 2. [25] hermanno 1. [26] Defuncto igitur Richero presule clerus V. R. archidiaconem in p. del. sibi. Qui Mettis profectus, de *pergit* 3. [27] elegit 2. [28] et — applausu *desunt* 3. [29] treverorum 2. [30] Die vero t. 3. [31] vastabat 3. [32] Ipse — extitit *desunt* 3. [33] mortis *corr.* patris 2. [34] p. qui successor Urbani extiterat 3. [35] *deest* 3. [36] c. i. a. ag. de guibertnis 3. [37] ricardum 2, *sæpius.* [38] h) t. se c. r. 3.

NOTÆ.

(83) *Palecroix-les-Verdun.*

(84) *Maulcourt.* Wass. et Calm.: de quo loco Rouss. tacet.

(85) *Veldenz* ad Mosellam inter Treveros et Trarbach. Calm.

(86) Epitaphium ab ipso, ut dicitur, compositum ex registris abbatiæ Sancti Vitoni editum est apud Wassebourg fol. CCLXIII.

(87) *Bouzonville.*

(88) Grandis-Prati.

(89) Quartus imperator, quintus rex.

tradimus eum Sathanæ.» Inde archiepiscopo Trevirorum [39] aliisque denuntiavit eum excommunicatum. In sequenti quadragesima cum pene omnes religiosi communionem Richardi et cleri sui [40] vitarent, iter ad papam intendens, mandavit suis, ut ab archiepiscopo de sui communione facerent se absolvi. Romam ivit, absolutionem a papa petiit, et [41] multis sermonibus ultro citroque habitis, hoc ultimum a papa audivit: « Nisi prius [42] investituræ episcopatus, quam de manu laici, id est regis, suscepisti, abrenuntiaveris, et nisi te non amplius de eodem nisi permissione nostra intromissurum firmaveris, omnino a nobis absolvi non poteris.» Super hoc responso Richardus se velle consilium quærere dixit, ab aspectu papæ exiit (*an.* 1108?), nunquam rediit [43], sed comminatus suis, si amplius eum pro excommunicato haberent, quod eos et omnia eorum in exterminium daret, Roma exiit, et coactis suis, repatriavit. Papa post illum has litteras misit:

« Paschalis episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Laurentio, abbati Sancti Vitoni, salutem et apostoli cam benedictionem. Richardus Virdunensis ad nos veniens nullam [44] reatus sui satisfactionem ecclesiæ fecit. Unde nec a nobis in communionem susceptus, nec a vinculo excommunicationis absolutus est. Quapropter dilectioni tuæ mandamus, ut illius consortium omnino devites, et tam eum quam et [45] fautores [46] ejus a nobis excommunicatos esse denunties et omnes qui [47] et scienter communicant.»

Clerus Virdunensis, qui ab initio profectionis Richardi ad Romam ab archiepiscopo erat absolutus, reverso Richardo, ipsam reconciliationem irritam fecit, quia gratia vel timore ejus oppressus ei excommunicato communicavit. Quod si quis renuisset, factione illius opprimebatur donec cederet [48]. At Laurentius abbas, respectu Dei plenus, per omnia apostolicæ sedi obediebat, et omnes ei commissi. Proinde cotidie [49] conflabatur et in dies ingravescebat discordia inter duas ecclesias, id est Sanctæ Dei Genitricis et Sancti Vitoni; quia filii earum non communicabant alterutris, et quando clerus ex more stationem apud Sanctum Vitonum celebrabat, collectis clericorum monachi, ut antea solebant, non intererant, sed post discessum eorum omnia quæ illi contigerant aqua lustrationis expiabant.

16. Interea Guido archidiaconus, qui comes Richardi Romam ierat, sed, dum acutis febribus infirmaretur, ab eo repatriante dimissus Bononiæ æger remanserat, ab Italia rediit; clerum Virdu-

A nensem Richardo communicare audivit; sibi, si Virdunum reverteretur, proinde timuit; alias divertit. Dum enim in Italia ægrotans, vitæ diffidens, quæsisset, qui sibi viaticum et necessaria animæ subministraret, neminem invenit, quia omnes eum ut excommunicatum vitabant, et nisi de communione Richardi et cleri Virdunensis culpam fateretur, eum post mortem in sterquilinio sepeliendum minabantur. Tandem, ut reconciliaretur, vovit Deo sub periculo mortis, quia Richardo et fautoribus ejus numquam communicaret, nisi ille a papa absolutus esset, hoc ei injungentibus tribus Mutinensis ecclesiæ canonicis tunc ægroto, et post Parmensi episcopo, qui vices papæ agebat, idem [50] imponente ei jam [51] sano. Vitans ergo communionem Richardi
B et cleri Virdunensis, ut absque eorum communione inter eos bonis suis uti posset, per amicos rogavit. Sed [52] Richardus et clerus gravissime hoc acceperunt, et missis litteris, ut usque ad quadraginta dies veniret, satisfacturus quod consortium eorum vitasset, ei Metis posito mandaverunt. Interim Richardus omnia ejus bona quæ Virduni repperit, invasit et dissipavit, eumque capere ubicumque inveniretur suis mandavit. Guido enim [53] per affines et amicos, deinde per abbates et episcopos, maxime per suum archiepiscopum eum [54] convenit. At ubi nichil per eos profecit, sumptis eorum in sui suffragium litteris, Romam rediit. Ultra Cluniacum veniens, Richardum Albanensem episcopum obviam
C habuit; ei sciscitanti causam sui itineris aperuit. Ille eum secum, omisso itinere, retinuit, Virdunum ad Richardum pro eo et pro abbate Laurentio, quem rebus et ecclesia sua privaverat, monitorias et precatorias litteras misit; sed tandem post repulsam litterarum et precum suarum reverso nuntio, cum ad papam cum suis litteris transmisit. Guidonem papa excepit, consolatus est, decem septimanis secum retinuit, demum cum his duabus epistolis remisit (*an.* 1109?):

« Paschalis [55] episcopus, servus servorum Dei, abbatibus et ceteris clericis, Raynaldo de Monzione comiti, Raynardo Tullensi et ceteris laicis [56] de archidiaconatu Guidonis salutem et apostolicam benedictionem. Pro catholicæ unitatis dilectione
D Guidonem archidiaconum vestrum a Richardo, Virdunensis ecclesiæ invasore, bonis suis exspoliatum audivimus. Quamobrem caritati vestræ nostris eum præsentibus litteris commendamus. Præcipimus enim, ut ipsi de ecclesiis ad monasteria pertinentibus consueta justicia et a clericis seu laicis obedientia debita sicut archidiacono impendatur. Alioquin, donec obediant, divinis officiis careant et

VARIÆ LECTIONES.

[39] treverorum 1, 2. [40] et derisui 1, *desunt* 3. [41] et—habitis *desunt* 3. [42] p. (post) 3. [43] exiit 2. [44] *deest Wass. f. CCLXVII, ubi infra* non fecit. [45] *deest Wass.* [46] factores 3. *Wass.* [47] et omnes qui *Wass.* [48] *desinit* 3. [49] cottidie 1. [50] iddem 2. [51] tam 2. [52] Set 2, *ubi plerumque* s;. [53] *deest* 2. [54] *deest* 1. [55] *reliqua cum codice* 2. *conferre non potui.* [56] laycis *Wass. f. CCLXVIII.* clericis 1.

decimas suæ plebis amittant. Vos autem, filii, qui- A bus Deus secularem potestatem dedit, et qui armis justiciam contuemini, pro beati Petri reverentia ejus adjutores existite, et ejus adversarios viriliter cohibete. Id ipsum de venerabili viro abbate Sancti Vitoni tam vobis quam reliquis Virdunensium partium præcipimus, qui pro eadem catholicæ unitatis dilectione loco suo rebusque suis privatus est. Præfatum autem Guidonem noveritis apud nos diaconum ordinatum. »

Hanc epistolam quibus transmittebatur Guido dedit. Item alia :

« Paschalis episcopus, servus servorum Dei, fratribus Virdunensis ecclesiæ catholicis salutem et apostolicam benedictionem. Richardum vestræ occupatorem ecclesiæ a sancta Romana ecclesia pro B suis meritis excommunicatum etsi actenus non legistis, certius tamen et audisse et scire credimus. Nunc autem vobis omnibus scripto nuntiamus, ut eum excommunicatum scientes communionem ejus omnimodis caveatis. Sane abbatem Sancti Vitoni et archidiaconum Guidonem pro catholicæ unitatis dilectione dignitatibus et rebus suis privatos audivimus. Præcipimus ergo, si qua penes vos beati Petri et nostri obedientia est, ut locis suis bonisque restituantur. Si autem præsentibus litteris obedire contempnitis, nos ecclesiam vestram a divinis officiis interdicimus. Qui vero ab hujus erroris macula se resipueriut [57], confratris nostri Treverensis archiepiscopi seu supradicti abbatis consilio catholicæ unitati reconcilientur. Præfatum autem Guidonem noveritis apud nos diaconum ordinatum. Data Laterani xv Kal. Aprilis. »

17. Has litteras Guido deferens, Virdunum venit, apud Sanctum Vitonum aliquot diebus occulte se continuit, ratione nitens animos sibi cleri conciliare. Postquam id frustra esse et pertinaciam augeri sensit, quadam se mentis constantia armavit, reverentia Romanæ sedis tutum se fore saltem apud clerum credidit, matutinis horis — die enim miliciam Richardi timebat — ecclesiam sanctæ Dei genitricis intravit; collecto ibi toto clero in festo sancti Jacobi (Jul. 25), altari astans epistolam superposuit, et voce patria dixit : *Si quis hic catholicus est, ecce litteras domni apostolici accipiat, legat* D *et obediat.* Mox clerici, qui de eo reverso certi majorem in eum iram conceperant, tumultuarie in eum irruunt, altari inhærentem et pignora sanctorum complexantem, eis eversis, usque ad medium chori per capillos abstrahunt, pugnis et calcibus in eum seviunt. At ille extorquens se manibus eorum, fugit in atrium Sanctæ Mariæ Magdalenæ — venerabatur enim ab omnibus maxime pro consecratione sancti Leonis noni, — illis a tergo insequentibus et incondite [58] civitatem tanquam ad latronem clamore in eum excitantibus. Ibi quoque, ubi tutiorem se pro sanctitate loci crediderat, capitur, verberatur, ligatur, Richardo deductus præsentatur. A quo post convitia et minas ad castrum Grandisprati destinatur, artissimo specu immergitur, fame, nuditate, vinculis premitur, nullo amicorum ad consolationem ejus admisso, sed tantum his, qui atrocia nuntiarent, qui terrorem incuterent. A quibus omnia mala intentantibus oppressus, coactus et invitus Richardo et clero pro libitu eorum se satisfacturum promisit, fidem eis fecit, osculum dedit, ad horam communicavit, ita carcerem evasit. Mox suæ libertati redditus, Albanensem episcopum Richardum adiit, omnia retulit, de coacta communione Richardi absolvi petiit. His auditis, Richardus et clerus Virdunensis infremuerunt, et minaces nuntios alios atque subinde alios cum litteris ut reverteretur miserunt. Ille se manibus eorum jam merito non credens, et in omni loco nullam audientiam vel justiciam cum eis subterfugiens, ab eis conductum pro salute sui corporis quæsivit, eis pollicitantibus quos vellet conductores denominavit. Quibus non datis, totum hoc negotium infectum remansit, et præbendam [59] et honorem Guidonis in Virdunensi ecclesia Richardus aliis dedit. Clerus in Guidonem criminosas litteras compilavit, quas ille validis argumentis irritas fecit. Apologeticum de se scripsit, in quo longa oratione hanc omnem C tragœdiam depinxit. Romana ecclesia Guidonem ut sibi emeritum suscepit et coluit, Albanensemque episcopatum post mortem venerabilis Richardi ei delegavit. Sed ante consecrationem ipse, ut dicitur, obiit.

18. Anno dominicæ incarnationis millesimo centesimo undecimo, Heinricus quartus rex, post vestigia perfidi patris incedens, cum investituras ecclesiarum violenter sibi vendicaret, et papa sub anathemate hoc ei interdiceret, Romam ivit specie quasi papæ satisfacturus. Sed post tertium fidei sacramentum subito in ecclesia beati Petri, aliis hoc nefas fugientibus, ipse manu sua Paschalem papam cum cardinalibus cepit, suis pontificalibus exuit, loco immundo alios [60] cardinales intrusit, maceravit, ad libitum sui pœnis et minis inflexit, illicita sacramenta et sacrilega privilegia, ut rex ex more investituras ecclesiarum teneret et per baculum et anulum daret neque pro aliquo eum commisso umquam papa excommunicaret, violenter ab eis per scriptum extorsit et per omne regnum omnibus suis misit ac transcribi et teneri jussit. Quod Richardus mox adeptus scriptum [61], ad Sanctum Vitonum detulit, accitis fratribus legit, et exprobrans : *Ecce*, inquit, *ecce, quo tribulationes vestræ*,

VARIÆ LECTIONES.

[57] m. resipuerit... reconcilietur *Wass.* [58] incondito 1 [59] oredam 1. [60] alias 1. [61] scripsit 1 ? *ed.*

quo exilia vestra, quæ per annos triginta plus minusve passi estis, devenerunt; ecce omnia in cœnum devoluta sunt. Quid [62] referam, quosdam comites ejus os suum in cœlum elevasse, grandia de rege disputasse, eum regem pariter et summum sacerdotem — quod nec apud ullos hereticos dictum invenitur — prædicasse, ejus juris esse, ut præsules faciat vel deponat, dialecticasse? Fratrum conventus — nec etiam Laurentius venerabilis aderat — audiens, erubuit, ingemuit, et quia turris Romanæ fidei cesserat, nullus eorum fuit qui aperiret os et ganniret; tantum intendebant, quem eventnm tanta ruina inveniret. Interea qui erant principes in exercitu Domini Richardus Albanensis et Guido, post papa, tunc archiepiscopus Viennensis, aliæque similes columpnæ Transalpinæ ecclesiæ contra hanc Cæsaris iniquitatem simul collecti conclamaverunt, ad erigendam et fulciendam Romanæ ecclesiæ turrim ut viri fortitudinis se mutuo adhortati applicuerunt, violatores Romanæ ecclesiæ anathematizaverunt, data privilegia pravilegia rectius vocantes dampnaverunt, ipsum papam, qui violentiam passus dederat, in suam sententiam cogentes, ea dampnare et anathematizare compulerunt.

19. Ita inde regno atque inde ecclesia suas partes tota vi fulcientibus, cum Richardus et clerus Virdunensis regias partes plus justo defensarent, ecce tota tempestas eodem anno super abbatem Laurentium et ejus ecclesiam incubuit, quia hi soli inter eos Romanæ ecclesiæ audebant obedire et eis non communicare. Istis Richardus et clerus Virdunensis post Guidonem elapsum omne scandalum intentantes, laicos devotionis causa ad eos venientes publice cædebant, et ne ultra venirent jubendo denuntiabant. Confratres autem clericos, si ob devotionem ab eis communicati fuissent, eorum fraternitatem [63] negare cogebant, et communioni datæ ab eis iterum suam superponebant. Hairico denique piæ memoriæ canonico, qui devotissimus eorum confrater pluribus eos donariis foverat, in extremis agenti, viaticum itemque sepulturam ab eis petenti, Richardus interminans mandavit, quia, si hoc fecisset, eum mortuum non alicubi nisi intra domum suam ruderarie tumulari faceret. Idem aliis clericis hoc faciebant, monachos ab illis communicandis domibus seratis arcebant, a sepeliendis cum injuria repellebant.

20. Interea festivitas Sancti Vitoni venerat (*Nov.* 9), in qua ad primas vesperas et missam collecta cleri ex more pulsatis signis convenire solet. In hac quoniam deprehenderant [64] ante suum adventum monachos suam collectam explere, ne collectis [65] eorum interessent, eis vespertinam horam cantantibus improvisi supervenerunt, cum necdum signa pulsata, necdum certa esset hora, ostiolum chori, quia necdum exspectabantur, clausum offenderunt, indignati pulsaverunt, tumultuarie clamaverunt. Nec sic tamen aperiebatur, ne, quod intendebant, se immiscendo turbarent fratrum collectam. Tandem a suis reserato ostio, quidam eorum unum de fratribus conversum, qui ne eis aperiretur obstiterat, impellunt, distrahunt, barbam et capillos ei vellicant, corpus contundunt, monachis aspicientibus, dolentibus, subvenire non audentibus. Inde non celebratis vesperis redeunt, unum scolarem sanguine infectum Richardo statuunt, a converso prædicto astruentes hoc ei factum; illum ad vindictam pro sua et ipsorum ira mox accensum secum adducunt, tota civitate commota et confluente ad idem spectaculum. Illa vespera et die altero, in medio claustri, fratrum ordine expulso, Richardus cum suis concionabatur contra venerabilem Laurentium. Et multis dictis et auditis, divinum officium abusivo ordine ei interdixit, et in fine imposuit pro crimine, quod imperatori et sibi esset rebellis nec servaret fidem, sed insuper sperneret communionem eorum; ideo dignum esse, ut omnia temporalia, quæ de imperatore et post eum de se tenebat, reus utriusque, amitteret. Ita rebus et potestate abbatiæ intus et extra violenter eum privavit, claves ærarii et librarii rusticis ecclesiæ, custodiam vero claustri clericis commisit. Insuper mercatum et vias episcopii publicas Laurentio et suis interdixit, adeo ut quidam in illis deprehensi injuriis sint submissi. Tantæ violentiæ venerabilis abbas cessit, locum ad tempus mutavit, quosdam sibi commissorum secum duxit, reliquis ut sequerentur mandavit. Qui non segniter jussum exsecuti, cotidiana [66] fuga dilabebantur custodiam clericorum frustrati. Clerici residuos eorum, quia [67] tantum juvenes remanserant, ut sibi communicarent, omnimodis agebant. Et allata Treverorum archiepiscopi epistola ad eos clericalis communionis commonitoria, et abbate Sancti Hucberti Roberto multisque aliis ad hanc pacem impellentibus, eos in suam communionem transire fecerunt. Laurentius factum audivit, doluit, litteris missis, ut spreta illa communione omnes ad se [68] egrederentur, imperavit. Nocte insequenti, quidam Hugo fervidæ et dignæ indolis, cui reliqui pene innitebantur, qui etiam de secunda fuga jam ante retractus et vinctus fuerat, tertia fuga dilapsus, cum socio quodam Riczone evasit. Destituti alii qui remanserant, versantes consilium effugiendi, die altero prælata cruce cum processione monasterio exeunt, et per

VARIÆ LECTIONES.

[62] Quis 1. [63] fraternitatem *corr.* confraternitatem 1. [64] deprehendant 1. [65] collectos 1. [66] cottid. 1 *semper*. [67] qui 1 [68] o. sibi obedientes *ed. ex* 2?

mediam urbem transeunt, ad Pauli-crucem (90) suam cellam evadunt, tota urbe post eos lamentante et dampnationem Richardi detestante, ipso quoque Richardo graviter dolente. Nam traditur, quia a quibusdam clericorum vel monachorum etiam nolens impellebatur in eos, inter quos maxime notatur Theodericus primicerius. De quo quid memorem, qualiter, clericis fugatis, domibus eorum effractis [69], primiceriatum invaserit, ut illum canonica censura bis amiserit et cæsarea violentia reinvaserit, quomodo avunculo suo episcopo Theoderico in extremis agenti, ne catholicæ unitati reconciliaretur, coram Herimanno [70] Metensium episcopo interdixerit, qualia cæsari inde scripserit?

21. Laurentius abbas fratres dispersos colligens, oportunis cellis seniores collocavit, juniores vero Burgundiam misit, ubi a venerando abbate Divionensis ecclesiæ Gerentone affectuosius quam dici possit propter fraternitatem prius initam sunt recepti et per triennium, quo Richardus supervixit, sunt ibidem commorati. Ipsa ecclesia se in omnibus per eos profecisse testatur et lætatur (91).

22. Tanta [71] commotio sub Richardo in Virdunensi ecclesia surrexerat; sed nec minor ipsi territorio inerat. Causa bellorum ab initio principatus ejus talis erat. Homines ejus de castro Deusluwart [72] (92) civem Metensem ceperant. Quem dum vinctum tenerent, indignati Metenses ipsum castrum obsederant et captum diruerant. Quod postquam Richardus reædificavit, comitem urbis Raynaldum, filium Theoderici, quod castro episcopii non succurrisset ab hoste muneratus, in jus vocavit. Qui cum ad audientiam non venisset, Richardus, collecto nobilium conventu, ei comitatum urbis adjudicavit. Guillermo [73] Luceburgensium [74] comiti, quia fortior aliis videbatur, eum tradidit. Cui etiam in pretio bellici stipendii pro ducentis libris Mosacum et Sathanacum [75] oppigneravit [76], parvipendens excommunicationem a præsule [77] Richero super illis prolatam (93). Ita [78] sub eo Virdunensis ecclesia Mosacum et Sathanacum usque nunc amisit. Subinde Raynaldo comitatum urbis sibi armis defensante et Guillermo cum ope Richardi sibi vendicante, cædibus, incendiis, rapinis omnia miscebantur, Raynaldus tamen gravius solus a duobus urgebatur. Primo impetu belli amisit vicum Sancti Michaelis (94) et castrum incensum [79] et eversum. Deinde cotidiano armorum impulsu totus ejus patrius comitatus sedit in ruina præter castella et rara loca natura et arte virisque munita. Ad hæc quoque expugnanda imperatorem Richardus evocavit. Qui, moto exercitu, Raynaldum intra Barrum obsedit, et castro diruto eum captum abduxit (95). Demum intervenientibus pro eo de toto regno nobilissimis consanguineis, custodia solvit cum omnibus suis, ut sibi cognatum ad propria remisit, tantummodo hominium sibi ab eo suscepit. Richardus autem videns omnia contraria, Romanam ecclesiam infensam, cæsarem parum fidum, quippe qui gravissimum sibi hostem carcere solvisset, ipsum Raynaldum contra se nova moliri, se [80] jam per septem annos sine benedictione episcopali et sub anathemate apostolicæ sedis degere, animo excidit, versabatque consilium, ut se eriperet tot malis. Et collecta multa pecunia, Jerosolimitanum iter vovit, et imprimis Laurentium abbatem in pleno nobilium conventu ad apostolicam audientiam tanquam in se reum invitavit, invitationemque ejus, quod ab eo exspoliatus [81] sumptum eundi non haberet, renuenti, necessaria itineris ei repromisit, quæ tamen ituro mox omnia denegavit. Ipse autem subinde a Laurentio, ut legato et monacho suo vice sua responderet, ante apostolicum invitatus, cum ingenti pompa, comitatus Hugonem Trecanensium comitem, tunc in Jerosolimam movit. Italiam veniens, Tyberiam (96) quo [82] papam esse audierat, ut ab eo veniam peteret, divertit, et cunctis sociis ad eum de more peregrinorum admissis, ipse solus in medio lutulentæ plateæ, ante conspectum apostolici per fenestras [83] solarii aspicientis, stratus in terram pronus [84] corruit, flebiliter exclamavit: *Miserere mei, miserere mei, pie pater!* dixit. Paschalis jam de via ejus per Guidonem archidiaconum [85] et Rodulfum monachum, Laurentii abbatis nuntium, certus, tamen ita videns eum, indoluit, et flexus ad pietatem dixit: *Gratia tui cras Romam revertar; veni mecum, et in Romana cardinalium curia faciam in te misericordiam Domini ex consilio eorum.*

VARIÆ LECTIONES.

[69] efractis 1. [70] hermanno 1. [71] *pergit* 3. [72] desluardo 1. [73] Guilermo 3 *et infra*. [74] luxeburg. 1. [75] satanacum 3. [76] 3 *post add.*: imperatore nesciente He. et fratribus ecclesiæ renitentibus. [77] presule *corr.* predecessore 3. [78] Ita amisit *desunt* 3. [79] inc. est et 1. [80] si 1. [81] exp. 3. [82] qua que 3. [83] ecteras 1 *fortasse* ectetas *legendum est; cf. c.* 30. [84] *deest* 3. [85] archidiaconem 3.

NOTÆ.

(90) V. c. 13.

(91) Cf. hac de re Laurentii abbatis apologeticum apud Wassebourg f. CCLXXVI. Bouquet cont. XV, p. 207.

(92) *Dieulewart*; de quo loco cf. Roussel p. 183 n.

(93) V. supra c. 12.

(94) *Saint-Mihiel*.

(95) Vide Ann. S. Vincentii Mett. a. 1114, SS. III, p. 158.

(96) Tibur. ibi Paschalis papa mensibus Maio et Junio anni 1114 moratus est; v. Jaffe Reg. pag. 507.

— *Reddo*, ait, *tibi baculum pontificii, tu tantum hic absolve me, neque compellas* [86] *Romam ire, quia omnino non possum hunc comitatum meum in Jerosolimam dimittere*. Quid plura? Ubi abnuit papa nisi Romæ eum absolvere, ille a facie ejus dolens discessit, cum suis ivit, languore quem jam inciderat ingravescente lectica vectitari cœpit : cum ecce ita eunti Richardus Albanensis obviavit, et ammirans : *Quisnam es tu?* inquit. At ille cum suspiriis : *Ego sum*, ait, *miser et exsul Richardus Virdunensis*. Audiens ille, obstupuit, et : *Quidnam cum domino papa egisti?* dixit : *Heu! heu! nihil*, inquit; *nullam enim misericordiam inveni, et ecce morior in peccatis meis, nisi cito succurreris*. Et narratis quæ facta sunt : *Succurram tibi ut potero*, dixit : *exspecta* [87] *me hic, ut postquam locutus fuero pro te papæ et Romanis, impetratam reconciliationem deferam tibi*. Dixit, et illo gratias agente, pertransivit, Romam acceleravit; veniam illi impetratam deferens, iter ad eum velox retrorsit : cum ecce peregrini ei occurrunt [88] nuntiantes Richardum jam mortuum jamque sepultum. Obierat autem apud Cassinum montem anno septimo quo Virdunensis ecclesiæ erat electus, necdum tamen consecratus episcopus; et vacavit episcopatus annis tribus [89] semis *.

23. Illis diebus abbas Laurentius ad sua, unde expulsus erat, rediit, suos revocavit, thesaurum, quem ecclesiæ suæ subtractum invenit, ut sibi redderetur per archiepiscopum effecit. Clerus quoque certus de morte Richardi, absolvi se ab eodem metropolitano expetivit. Guillermus quoque comes cum Raynaldo in pace convenit (97), reddito ei comitatu urbis, nolentibus tamen ipsis urbanis. Unde ipsi duo ad expugnandum Virdunum conduxere validas copias pugnatorum. Sed burgenses primo indutias petierunt, eisque datis, cum hostes recederent, eis incurrunt, et grave [90] utrisque a partibus bellum commissum; inde Raynaldus saucius reportatur.

24. (*An.* 1117.) Interea quidam Heinricus, litteris et mundana sapientia præditus et Guintoniensis [91] (98) Angliæ archidiaconus, qui inde venerat cum filia regis Anglorum Mathilde, quam duxerat rex Romanorum, in obsequiis ejus positus, per eam ab ipso rege donum episcopatus Virdunensium accepit; et præmissis Virdunum legatis, donis et promissis animos habitatorum urbis post se inclinavit, ita ut ipse legatos subsecutus cum honore susceptus sit ab eis. Cui cum mox communicassent, Laurentius abbas cum suis ab eorum communione refugit. Bruno quoque metropolitanus electionem ejus improbavit; Guido etiam Viennensis, legatus apostolicæ sedis, eum excommunicavit. Ipse demum Heinricus, a venerabili Laurentio post annum consultus ut se redderet in manum apostolici, iter ad Romam movit; a cæsarianis in via captus et elapsus, Mediolanum usque pervenit; Johanni Cremensi, qui cardinalis presbyter erat, ibi invento, quonam iret aperivit. Johannes in ipso itinere cæsarianos versari dicens, eum vice papæ suscepit, absolvit, in episcopum consecrari fecit, ad suos remisit. Eum revertentem jam prævenerant legati regis, ut sibi mitteretur, Virdunensibus mandantis. Veniens clausas urbis portas et animos eorum infensos invenit, ad Hadonis-castrum (99) secessit; inde arma intentabat et minabatur urbi. Quamobrem urbs et clerus ad deponendum eum consurrexit, ad archiepiscopos apostolicæ sedis legatos, ad ipsum quoque papam accusans eum malæ intrusionis.

25. Interea, defuncto papa Paschali (*an.* 1118), Romanorum ecclesia Johannem Gaitanum apocrisarium in papam statuit et Gelasium cognominavit; cum rex Romam accelerans, omnibus eis jam esset timori; a cujus etiam facie fuga sunt dilapsi. At rex veniens electum eorum improbavit, et Mauritium Burdinum, Bracarensem Hispaniæ quondam episcopum, tunc depositum, Romanæ cathedræ intrusit. Cujus violentiam Gelasius in Gallias aufugit et post annum Cluniaci obiit (*an.* 1119, *Jan.*), Guidone Viennensi, qui Calixtus secundus, substituto a Romanis. Qui partes ecclesiasticas corroborans sinodum Remis celebravit (*Oct.*), ubi inter plurima, ne investituræ ecclesiarum per baculum et anulum a laicis fierent, sub anathemate interdixit, et sanctæ memoriæ Fredericum, quem Deus tot signis clarificavit, in episcopum Leodiensem consecravit. In ea sinodo Heinricus per cardinales sibi conciliatos contra suorum accusationem prævaluit, et confirmationem episcopii [92] accepit : rediens tamen non est receptus a suis, nisi ab abbate Laurentio, qui, et ipse non ei favens, commendatorias pro eo litteras papæ susceperat. Tunc Heinricus causam

* *In 3 eadem manu post additum est* : Hunc finem habuit Richardus Vird. electus. Redeuntibus autem hominibus suis, qui eum in peregrinatione comitati fuerant, misit argenti vasa quam plurima per Gozelonem familiarem suum et domus suæ propositum ad liberationem et redemptionem castri Sathanaci et Mosaci, adjurans eum districte, ut prefatam pecuniam solveret memorato comiti Guillermo de Luceborg.

VARIÆ LECTIONES.

[86] c. me 1. [87] exp. 3. [88] occurrerunt 3. [89] *post add.* et 3. [90] gravis 1. [91] guinnton. 1. [92] episcopi 1.

NOTÆ.

(97) Cf. Wassebourg f. CCLXXI.
(98) *Winchester.*
(99) *Hatton-châtel.*

suam Raynaldo comiti, qui et ipse a Virdunensibus non recipiebatur, communicans, eum in suos accendit. Ambo cum magnis copiis Virdunum accedunt, et resistentibus civibus pugna valide commissa, intrógressi, ignem immittunt, quo ecclesiæ Salvatoris Sanctique Petri (100) Sanctique Agerici combustæ sunt cum maxima circumadjacente urbis parte. Cædis et prædæ neque modus neque numerus fuit. Die altera urbs reddita et confirmata est in manu Raynaldi, et Heinricus sedit in cathedra[93] episcopii, et in tanto tumultu capta urbe, a clero coacto, non canente sed lamentante: *Sustinuimus pacem et non venit, Domine; quæsivimus bona, et ecce turbatio* (*Jer.* XIV, 19), receptus, mox ad missarum sollempnia accedit, adhuc fumante holocausto, et sub tam recenti vulnere urbis et suarum ovium ruinis, ductu et causa sui perpetratis. Sequenti luce cives male de Raynaldo confisi, ad ecclesiam sanctæ Dei Genitricis tanquam ad asylum misericordiæ confugiunt. Ubi ab illo obsessi, capti et rebus sunt exspoliati.

26. Anno dominicæ incarnationis 1122 Calixtus papa, missis ad imperatorem — erat enim sibi genere proximus — cardinalibus, sedavit illam maximam discordiam, quæ a tempore Gregorii VII regnum et ecclesiam turbaverat, investituras ecclesiarum et regalia beati Petri cæsare exfestucante et reconciliationem suscipiente; et ita regnum et ecclesia ab ipsa peste requievit. Eodem anno, quia Virdunenses secretis nuntiis ad aures imperatoris deploraverant, quanta mala passi[94] pro eo essent, Heinrico de Grandi-prato imperator comitatum urbis commiserat, ut gratia sui civibus subveniret, mandaverat. Ille civibus loquutus et quid faceret docens et doctus, cum equitatu matutinis horis Virdunum accedit, et adulterinis clavibus intromittitur. In tali tumultu discurrentibus militibus, episcopus sompno excutitur, et re agnita, se turpi fuga nudus pene proripiens, Mosam enatat et ad Raynaldum cursitat; qui, civium et Heinrici comitis cognito pridem molimine, ad sua conservanda recesserat, custodia urbis episcopo commissa. Raynaldus, tristibus auditis, mox contraxit hosticum, accedit Virdunum, et convolantibus ad arma Heinrico et civibus, pugnat et vincit, non tamen urbem recipere potuit. At comes Heinricus, ne viribus esset inferior, quosque fortissimos a Flandria et alias stipendio contrahit, et hostem

A duo latera urbis iterum assilientem fortissime repellit, plures ex eo capit. Comitatum ejus ubique superior infestat, cædibus, flammis et prædis vexat, eum publico certamine secus Oscaram (1) villam superat. Raynaldus ad artes se conferens, in castrum Clari-montis stipendiarios milites collocat, qui cotidiano incursu hostem infestent. Heinricus, ut artem hostis arte deluderet, suos stipendiarios instruit et monet, ut illos de Claro-monte ad congressionem eliciant diuque fatigent. Ipse subito superveniens, hostes jam lassos cum manu valida fortiter invadit, in castrum compellit, subsecutus ignem immittit, et omnes illos cum castro redditos turpissime ut latrones per gulam captos abducit. Raynaldus, jam dampnatis armis, de pace

B meditatur, et mediante Frederico Tullensi comite, apud Kaladiam (2) ipse et Heinricus de pace tractant. Heinricus comitatum urbis ei tradidit, illo paciscente, quod fautores ejus cives non sit læsurus, et permittente ei quos ceperat exspoliare. Ita civitas sub Raynaldo comite et Heinrico pontifice demum requiescit. Ipse pontifex Raynaldo dedit Dunum castrum et quatuor villas episcopii, id est Rouretum (3) et Malaudimontem (4) et Montem Sanctæ Luciæ (5) et rusticos[95] de Arnuncort et de Domno-Remigio[96] (6), pro pignore triginta librarum. Petro vero de Mirvalt (7) dedit quicquid habebat ad Ronnei-villam (8) et ad utramque[97] Aseuniam (9), exceptis quatuor fami-

C liis, pro adjutorio sibi impenso. Ipse deinceps securum se existimans, bellis suis itemque regni et ecclesiæ consopitis, voluptate resolvitur contra decus episcopi. Proinde suscitavit contra eum Deus animos vulgi seditionibus multis ei incurrentis, cleri quoque, missis legatis usque ad aures papæ[98], eum accusantis de incontinentia ac simonia, de dilapidatione rerum ecclesiæ. Præponderabat causa venerabilis Laurentii, qui ad aures Lotharii dignissimi cæsaris et legatorum apostolicæ sedis ipsiusque apostolici querimoniam adversus eum agebat, quod quædam suæ ecclesiæ sub tempore discordiæ inter regnum et ecclesiam a prædecessoribus ejus sublata sibi, multotiens conventus, non restitueret. Heinricus obstinato animo, ad audien-

D tiam evocatus Calixti papæ, non venit, neque ablata Laurentio, ut jubebatur, restituit.

27. Calixto defuncto (*an.* 1124) Honorius successit; apud quem clerus accusationem et Laurentius

VARIÆ LECTIONES.

[93] cathedra 1. [94] *deest* 1. [95] curticellas *ed ex.* 2? [96] donno r. 1. [97] utranque 1. [98] pace *rec manu corr.* pape 1.

NOTÆ.

(100) *Saint-Pierre-le-Chairé.* Rouss.

(1) *Osche*, tribus leucis a Virduno.

(2) *La Chalade*, ad rivum Biemme.

(3) *Rouveroy ou Rouvret est un nom assez commun. Il y en a un dans le duché de Bar, un autre au marquisat d'Atton-le-Châtel, et qui est situé sur la Meuse au-dessous de Saint-Mihiel.* Rouss.

(4) Malaudmont prope Commercy. Rouss.

(5) *La Montagne de Ste-Lucie, apparemment celle où sont aujourd'hui les Minimes proche Sampigny.* Calm.

(6) *Ernecourt et Dom-Remy.*

(7) *Mirevaux.*

(8) *Romméville?* Wass. et Calm., sed dubitat Rouss.

(9) *Azane et Sommazane, dans la paroisse de Til, doyenné de Chaumont.* Rouss.

proclamationem suam iteravit. Honorius eum missis litteris evocat, et ut ablata restituat abbati, mandat (10), suspendens interim eum a divino officio. Ille suspensus quidem extitit, sed neutrum mandatum iterum complevit. Papa eum secundo jam gravius evocante, ille sibi timuit; fultus muneribus et excusatoribus, Romam venit; cardinales sibi concilians, ante papam in jus stetit. In quem cum accusatores præsentes capitula criminalia etiam scripto protulissent, excusatores episcopi, ut eos repellerent quasi indignos audientia, impingebant eis quædam crimina. Cumque utræque partes in contumeliosa verba prorumperent et lis in infinitum protenderetur, Honorius a venerabili Laurentio, qui et ipse præsens aderat, requisivit: *Tu, pater, quid dicis de his criminibus episcopo illatis?* Et ille: *Domine*, ait, *ego non vidi, sed populus clamat.* Rapuit papa verbum ex ore ejus, et quia, faventibus episcopo cardinalibus et lite nichil certi sinente, nullam poterat determinare sententiam, causam ipsam discutiendam Matheo Albanensi episcopo, legato suo in Galliis posito, mandavit (11). Matheus episcopum et accusatores Cathalaunum ad sui præsentiam evocavit (12), ubi tam ipse quam episcopus et accusatores, Remensem multosque alios episcopos abbatesque et sapientes et religiosos viros ad suffragia suæ causæ asciverunt. Heinricus primo capit consilium a Bernardo, sanctæ memoriæ abbate Clarevallensi, cujus consiliis regna et ecclesiæ Galliarum hodieque innituntur. Ille consulit, gravissimum esse invitis præesse violenter, ideoque, priusquam ignominiosa in eum accusatio ad publicam tantorum virorum [99] audientiam veniat, solus omnibus cedat, episcopatui abrenuntiet, ne publicam contumeliam incurreret. Credidit se ille consilio ejus, et eo prolocutore astans consilio [100] dicit, quoniam clerus et populus suis communibus odiis ei insurrexissent, et maxime hi quos exaltasset et ecclesiasticis honoribus accumulasset in opprobrium ejus et depositionem conspirassent, se nolle eis invitis præesse; sed ne amplius ecclesiæ scandalo esset, longos contentionis funes jam se solvere (13). Inde baculum reddit et abrenuntiat episcopatui, ac recedit anno 13 ex quo illum susceperat de manu cæsaris. Qui ne tristis abiret, prædictus abbas satis curialem pro eo a majoribus concilii collationem decem marcarum exegit, quibus ei vadimonia ejus in eadem urbe redemit. Extant multæ litteræ tam papæ quam Virdunensis ecclesiæ super ejus accusatione vel depositione.

28. Virdunensis ecclesia ab ipso concilio commonefacta, ut præteritis malis instructa, personam religione fultam præficeret, sibi Ursionem abbatem Sancti Dyonisii Remensis in episcopum elegit. Qui Virdunum ductus, pontificalia negotia et terræ juridicia etsi maxime vellet curare, nec poterat, nec noverat; sed apud Sanctum Vitonum se continens, secretam, ut consueverat, vitam agebat. Ejus lenitudo mox tyrannis facta est despectui et episcopio pluribus fuit incommodis. Ierat siquidem ad curiam regis gratia suæ confirmationis, et ecce Raynaldus comes, dominium sibi urbis meditatus, inopinate Virdunum venit, magnas copias militantium, latomorum, fossorum et diversi generis artificum, secum eo cum non modico apparatu adduxit, pomerium pontificalis domus succidit et extirpavit, et quia locus ille aptissimus erat, ibi turrim sumptuosissimam, firmissimam et amplissimam extruxit, in ea præsidio fidelissimos sibi collocavit, per eam toti urbi totique episcopio imperare cœpit (14). Quid referam domos clericorum fractas resque distractas, ipsum clerum fugatum ac perturbatum, populum in his omnibus nec mutire ausum? Ipsum episcopum redeuntem a curia idem hostis insidiis circumvenit, comitantes eum eo clericos et clientes cepit. Episcopus fuga lapsus, Virdunum quasi perdidisset, non rediit, ne videret quod non poterat audire, quod non valebat ullo pacto cohibere. Proinde ipsa ecclesia a divino officio se ipsam suspenderat. Ita populus libertatem, clerus pontificem, ecclesia divini psallentii vocem insimul amiserant, et tota Virdunensium gloria videbatur esse translata: cum ecce beata Dei genitrix rebus suorum desperatis evidentissime alluxit, ecclesiamque suam, cujus per prædictam turbulentorum annorum tempestatem tecta erant diruta, cujus testudo fœtebat luto plena, et imbribus pervia, cujus oratorium incultum, altaria stabant neglecta et luminaria extincta, splendore cœlestium miraculorum irradiavit, serenavit, clarificavit et in cunctis celebrem reddidit. Ipsa miracula, quanta inclaruerint, ordo quidem hic inserere postulat, sed parvum nostri ingenium non sustinet has grandes laudum materias, præcipue cum venerabilis decanus Guillermus, vir limatioris ingenii et sapientiæ, ea digniori stilo, ut audivi, descripserit

VARIÆ LECTIONES.

[99] *deest* 1. [100] consilio 1.

NOTÆ.

(10) V. papæ litteras apud Wassebourg f. CCLXXXIV, CCLXXXV, Bouquet cont. XV, pag. 257, 258.

(11) V. papæ mandatum ap. Wassebourg f. CCLXXXV. Bouquet XV, p. 269.

(12) *In purificatione beatæ Mariæ Virginis*, Albericus a. 1129.

(13) Cf. Bernardi Clarevall. epistolam 48.

(14) *On voit encore le lieu où était ce fort, et les débris qui en restent ont conservé le nom de Tour de Voué.* CALM.

(15). Sed quoniam tanti meriti non sumus, ut pro merito Dei genitricem in suis miraculis laudemus, saltim eum, qui de bono thesauro cordis præconia miraculorum ejus [1] laudans extulit, parum laudabimus; est enim vir multa laude non tantum in hoc sed etiam in aliis dignus. Nec enim parva laus est inter bonos esse meliorem. Quis, non solummodo suorum sed etiam aliorum, eo est studiosior in divinam paginam legendo, in optimos de quibuscumque locis libros exquirendo, in eos transcribendo? Jam illam nominabilem bibliothecam Ptolomei Philadelfi vel Eusebii Pamphili sibi congerere videtur, dampnans avaritiam, quæ clerum nostri temporis occupavit. Quis suorum est eo devotior in Dei servitium die ac nocte frequentando? Quis eo ferventior in hospitalitatem exhibendo? Domus ejus videtur esse hodie publicum xenodochium servorum Dei. Ex fructu cognoscitur arbor et ex studiis suis homo, et de isto pro talibus dicimus: *Vere bonus homo, vere bona arbor;* nam et radix ejus et terra de qua pululavit bona apparuit ipso experimento. Pater enim ejus Gyczelo fertili devotione obtulit nostro cœnobio quicquid habebat apud Baroniscurtem (16) in campis, in silvis, in molendino et pratis. Corpus quoque et animam suam superaddicere et monachum profiteri in eodem cœnobio deliberat; sed abbas Laurentius, vir sine avaritia, pium ejus votum pio consilio a se ad Gorziense cœnobium sancti Gorgonii divertit, ut, quia idem Gyczelo advocatus illius ecclesiæ fuerat, ei se ipsum impenderet, cui dum seculo deserviret, obnoxius in quibusdam fuisset. Mater quoque ejusdem decani Helluildis [2] super hæc omnia dona meriti argenteum calicem insignem beato Vitono dedit.

29. Anno dominicæ incarnationis 1131 gloriosus imperator Lotharius, qui post Heinricum regnavit, Leodii in media quadragesima (*Mart.*) maximum nobilium conventum pro disponendis regni et ecclesiæ negociis celebravit; ubi et Romanorum papa Innocentius II, quem Petrus Leo ei subintronizatus Roma exturbaverat, occurrit, suffragiumque imploravit et meruit. Eo et Ursio Virdunensis electus advenit, et quia pœnitebat eum suscepti pontificatus, et Virdunenses ipsius electionis, ad aures ipsius augusti et apostolici causam suæ impossibilitatis ipse peroravit, se expostulavit [3] episcopalia reddidit. At hi qui capita Virdunensis ecclesiæ et populi ibi reperti sunt, mox ab imperatore jussi, ut de tanto conventu quem meliorem nossent eligerent et præsentarent sibi. Illi, versato diu consilio, domnum Alberonem, ecclesiæ suæ archidiaconum, filium Arnulfi comitis Chisneiensium, in præsulem elegerunt. Electionem ejus curia laudavit, principum qui noverant cœtus acclamavit, imperatoria majestas confirmavit, datis ei per sceptrum temporalibus episcopii. Apostolicus et ipse approbavit, utque omnia canonice procederent, electam personam ad Virdunensem ecclesiam mox remisit; ut cum ipsius ecclesiæ et potissimum venerabilis abbatis Laurentii assensu et testimonio sibi Parisius occurreret, imperavit, ut sic eidem ibi, visa suorum publica electione, confirmaret spiritualia pontifici. Virdunensis civitas et ecclesia, audito nomine electi sui, exultavit, spem [4] recuperandæ per eum libertatis jam quodam præsagio concepit, venientem cum gaudio suscepit, eum cum testimonio publici assensus ad papam Parisius Franciæ transmisit. A quo in sancto paschali sabbato (*Apr.* 18) in presbyterum, die autem festo (*Apr.* 19) in episcopum est consecratus, et mox cum honore et gratia apostolicæ sedis est dimissus. Redeunti fere octo comitantes sub specie [5] peregrinorum se in itinere adjunxerunt; quorum qui major erat quod esset [6] gener imperatoris et dux Bavariæ, unus ex his qui circa episcopum erant ex vultu sed dubie recognovit, et episcopo secrete nuntiavit. Idem Heinricus ab episcopo requisitus, secrete quia ipse esset patefecit, se sub specie peregrinorum loca sanctorum et ritus populorum ac tyrannorum invisisse ac nunc inde redire, retulit, et inde conductui ipsius præsulis se usque Treverim, quo tunc imperator erat, commisit. Episcopus eum, rebus silentio suppressis, secum Virdunum duxit, et post celebratam sui a cunctis susceptionem eum usque Treverim comitatus, imperatori lætissimo et gratias agenti incolumem assignavit. Ipse quoque dux episcopo vicem beneficii reddidit, singulis clientibus eum comitatis singulos enses, quos meliores a principibus regiis exegerat, præbuit. Petrum clericum ejus, cujus contubernio plurimum usus fuerat, ad se venire Bawariam rogavit, venienti quædam ecclesiastica insignia contradidit.

30. [7] Interea qui continebantur præsidio Virdunicæ turris, erant in laqueum magnum et diabolicum [8] malum toti urbi. Longum est referre, prætereuntia vehicula, redas et omnia onera victualia vulgi, cleri, adventantium vel redeuntium mercimoniorum, quotiens illi disturbaverint, quotiens turri intraxerint, pro libitu alia sibi vendicaverint, alia redimi fecerint, adeo ut publicus patriæ commeatus, qui per mediam urbem tendebatur alias, tunc sit distortus, et emporio nostro antea celebri hodieque perseveret inde inflictum dispendium. Præ-

VARIÆ LECTIONES.

[1] Cujus laudes 1. [2] Helluyldis 1. [3] se absolvi postulavit *ed.* [4] spetie 1. [5] spem 1. [6] Henricus *add. ed.* [7] *in cod. nulla capitis distinctio.* [8] diabolum 1.

NOTÆ.

(15) Quem librum perditum luget Wassebourg f. (16) *Baroncourt.*

tereuntes et etiam peregrini beatæ Dei genitricis, A eo ad suffragium ejus propter audita miracula undique confluentes, ab illis desuper saxis et sagittis appetebantur. Proinde agebat domnus episcopus apud comitem Raynaldum, ut illam turrim removeret, vel, quia nec in hoc acquiescebat, a tantis illicitis compesceret. Quid narrem, quotiens eum super hoc convenerit monuerit et rogaverit, quanta promissa, quanta pacta proposuerit, quomodo intra ecclesiam sanctæ Dei genitricis eum adjuraverit? omnibus sanctorum feretris de tota urbe coram allatis, omnibus monachis et clericis et omnibus populis ante eum prostratis, apud Delluardum (17) castrum in præsentia domni Mathei, Albanensis episcopi et Romanæ sedis legati, et multorum præsulum B atque nobilium ad pedes ipsius comitis se ipsum prostravit, cum ille semper pertinax repugnaret et omnia petita negaret. Episcopus, quia cor ejus in omnibus clausum invenit, ad divina præsidia se contulit, Christo et ejus genitrici totam causam commisit; et res in omnibus prospere cessit. Siquidem comes securus et nichil ausuros burgenses, quia revera desperaverant, extimans, custodiam turris commiserat paucis, quorum etiam aliqui erant extranei ac ideo minimæ fidei. Horum unus a primicerio ecclesiæ Alberto, inde ab episcopo secrete conventus, et quibusdam pactis illectus, tradendam eis turrim repromisit statuto die, id est sancti penthecostes (*An.* 1134, *Jun.* 3); et apertis signis datis, ipso [a] sancto die post prandium socios extra turrim C ad ectetas (18) antemurales evocavit, lusu aleæ ibidem eos diu tenuit, eis demum maxime ludo intendentibus, ipse sub irata facie, quasi ludus non bene sibi ab eis duceretur, surrexit, ab eis in turrim se proripuit, et eis exclusis et pro ludo ducentibus — nec enim suspicio erat — ostium turris firmissimo obice firmavit, et per summum turris signum proditionis episcopo designatum protulit, id est lineum amictum capitis circumtulit. Episcopus videns — exspectans enim aspiciebat —, irruente in se spiritu Domini, accensis animis totus exiliit, et animam et corpus pro libertate patriæ et ovium suarum dare paratus, signum belli ab ecclesia insonare fecit, et cum clericis ac omnibus urbanis, quos D ante horam negocio celato in arma paratos esse jusserat, accurrit, sanctuariis simul delatis. Tota virtute turris ab eis assilitur, custodes exclusi lapidibus, armis et omni genere nocendi ab omnibus impetuntur; fortiter resistentes, igne immisso in turris materialibus, victi demum cedunt et episcopo se reddunt. Turrim captam cum suis episcopus intrat, et victricia pignera virginum Virginis [10] in summo ejus pro triumpho exaltantur, et summo jubilorum præconio concelebrantur etiam a peregrinis, quorum multitudinem miracula tunc eo frequenter evenientia catervatim undequessecus attrahebant. Nam ipsis diebus cœlestium signorum splendor solito celebrior inclaruerat, ipsam victoriam et turris ruinam, etiam vulgo interprete, pueris vaticinantibus, præsagiens. Fama rei mox totam patriam replevit et Raynaldi animum plus quam credi possit consternavit, eo magis quod suos custodes in suæ turris ergastulo custodiebantur immersi. Secunda die penthecostes (*Jun.* 4) ante Virdunum advolat, ad congressiones provocat; sed episcopus suos, ne in arma furiis accensi hostis involent, revocat et intra muros continet. Hostis ut urbem tribus lateribus infestaret, tribus castellis præsidia imponit, id est ipse apud Amblivium (19), filius ejus Hugo apud Eventronis-villam [11] (20), Helias primarius ejus apud Rosetum (21), collectis armatorum copiis, præsident, continuis excursibus urbem infestant, episcopium vastant, de villis redemptionem exacervant. Episcopus armatorum copias necessario conducit, libertatem suorum vendicat, armis Heliæ apud Rosetum, qui gravius urbi ingruebat, subito insurgit, ignem castro immittit, ipsum hostem cum tota pube suorum capit, abducit, ergastulo Virdunicæ turris, quam ipse faciendam mensus fuerat, intrudit, impellentibus eum cunctis. Raynaldus [12] par pari referre nitens, Mosellanum ducem Simonem, multos comites et barones conducit, cum his in Amblivio egressus Virdunum intendit: cum ecce procul visa est eis summitas templi gloriosæ Virginis, divino respectu animus in eis excidit, inhorruit; aliis ac subinde aliis captatis consiliis, palam dux et alii principes compellant, ne Christo et ejus genitrici bellum inferant; in aliis bellis socias vires promittunt, in isto non audere se proclamant. Ita rebus infectis iter ad sua retorquent, et Raynaldus, adhuc spirans minarum, alios exercitus colligebat. Præterea ab initio captæ Virdunicæ turris Raynaldus exquirebat per Alberonem metropolitanum ab episcopo, ut suam turrim sibi redderet. Quod quia ille recusaverat, iterum per fratrem suum Stephanum Metensium præsulem mille promissis et pactis expetebat ab eo, ut eam ab episcopali dono sibi [13] tenendam concederet, et quia id quoque negaverat,

VARIÆ LECTIONES.

[a] datis. Ipso 1. [10] *deest.* 1. [11] eventonis v. 1. Guentonis v. *ed.* [12] Reynaldus 1. *hoc loco.* [13] sibi — dono *desunt* 1.

NOTÆ.

(17) Idem quod supra c. 22 Deusluwart nominatur.

(18) Ducange (ed. Henschel VI, p. 934) legendum esse putat *zetas*, i. e speculas quæ muris immineunt sed Calmet locum affert Hieronymi, qui hoc vocabulo græco in Ezechielis versione 41, 13, 16, usus: *Ecthetas*, inquit, *Romæ appellant solaria de cœnaculorum parietibus eminentia sive meniana, ab eo qui primus invenit* (Opera ed. Vallars V, p. 504).

(19) *Ambly*, quæ quatuor leucis a Virduno distat.

(20) *Watronville.*

(21) *Rosay, près d'Estain.* WASS. *Rosat est un château de la paroisse de Rouvres.* ROUSS.

per multos mediatores orabat, ut saltem Cbisneiensi comiti Alberto ex episcopali dono eam annueret, qui, quoniam fratre episcopi Ottone comite natus et gener erat ejusdem Raynaldi, fidus utrisque haberetur. Insuper magna pars cleri et populi idem episcopo suggerebant, urgebant et omnimodis instabant propter gravem sibi tumultum et timorem pejorum. Verum dignissimus pontifex reputans et in animo, quia ipsa turris reddilu tyrannis fieri in posterum ad destructionem omni urbi et ecclesiæ, omnium peticioni abnuit, contestans se malle mori vel longa terrarum fuga exulari, quam tantum hostem et scandalum reimmittere libertati ovium suarum; sed licet illæ oves malo timore suscipere vellent lupum venientem ad se in vestimento ovium, se tamen certaturum, ut ab eis auferret hostem immanissimum. Inde ipsam turrim evertit [14], refugientibus hoc clero et populo præ terrore gravissimi hostis, et inde urbem muro cingere cœpit, ratus id quod erat, quia diruta turri jam cessaret hostis, sublato fructu et causa pugnandi.

31. At Raynaldus, eversa turri, hominibus suis captis, insuper causam belli ejus detestantibus et refugientibus primatibus et amicis, æger anxiebatur, iraque et dolore extra se rapiebatur: cum ecce subito fortissimum languorem incurrit, se divinitus percussum extimuit; infectis minis pacem meditans, fratrem suum Stephanum episcopum ad colloquium Alberonis episcopi, ut pro pace tractanda treugas peteret, direxit. Ille veniens, mandata perfecit, et deinde inter fratrem suum et episcopum nostrum factus est mediator firmissimæ pacis (22). Ita per industriam dignissimi Alberonis pontificis ablatus est gravissimus hostis a cervicibus nostris, et urbs nostra pacem, ecclesia divini psallentii vocem, utræque autem plenissimam libertatem receperunt, quam amiserant per triennium regnantibus malis. Post hæc episcopus cum valida manu ad Amblivium castellum, quod episcopio nimis infestum fuerat et adhuc quidam maligni contra eum retinebant, accedit. Cumque in itinere paululum gustans remoratur, præcurrentes pedites idem castellum aggressi irrumpunt, invadunt et incendunt, et militantibus cum episcopo mox ad hæc visa subsecutis, castrum exterminatur, præda et omnes deintus capti et vincti abducuntur, laus triumphalis proinde Christo et ejus matri celebratur.

32. [15] Nichilominus et vigor monastici ordinis in quibusdam per industriam ejusdem præsulis refloruit. Nam ecclesia beati Pauli intra urbem tunc sorduerat divulsa, dilacerata et dissipata, cujus deripuerant filii Belial, eam inhabitantes, terram et omnia bona ejus. Horreo enim dicere, quantis illecebris inservierint, quam nefarie servitio Domini nocte dieque detraherent, quomodo monachum professi non se fortissimos cœnobitas, sed teterrimos sarabaitas et gyrovagos in dedecus sancti ordinis nostri exhiberent. Quid memorem, quotiens abbates eorum aliique monachicæ disciplinæ ferventiores, ab aliis ecclesiis per episcopum ad eorum correctionem destinati, consortia pestilentium refugerint, ab eis vel cæsi vel ad omnem amaritudinem provocati, quotiens duces nequitiæ ipsorum commoniti, correpti et etiam ergastulati, post omnem emendationis promissionem ad majores abbominationes mox proruperint et omnem sociorum gregem post se traxerint? Inde episcopus ut fidelis agricola ecclesiasticæ vineæ hanc plantationem degenerem et aridam post non tres annos, sed post multa triennia, post multiplices fossiones correctionum, post multimodos stercorum cophinos foventium adhortationum, quia nullam referebat spem fructificandi, ne amplius terram possessam occuparet, ferro abscisionis extirpavit, et novellam clericorum monastici ordinis, quæ nunc germinat sicut paradisus Dei [16], ibi inseruit; quos Norbertus Magdeburgensis archipræsul, vir magnus in ecclesia, de professoribus sui ordinis delegaverat ei. Pace tamen omnium dixerim, quia, ut de aliis taceam, ego plurimum graver de facta ibi abjectione monachicæ professionis, nisi quod scio, nullam aliam viam dignissimo præsuli patuisse ad correctionem prædicti cœnobii; quia et abbas Laurentius et omnes religiosi nostræ professionis refugerant curam ejusdem loci suscipere de manu episcopi. Unde necessario vigilantiam sollertis pontificis in hoc quoque laudaverim, quia et illi et omnes fideles unum sumus in Christo, maxime quia et imperatoria majestas et sedes apostolica (23) ita fieri jusserit pro correctione malorum, et abbates ipsius clericalis ordinis, primus Rogerus, et secundus, qui nunc præsidet, Theodericus, ecclesiam illam in omnibus melioraverint [17] et omnia ab illis dilapidata magnis curis recuperaverint [18], adeo ut, unde vix [19] tunc contenti erant viginti sarabaitæ [20], non monachi, inde nunc fere trecenti servorum Dei honeste victitent. Quod totum proficit laudibus industrii pontificis (24). * Sed sicut violatores ordinis Beati

* *In Cod. 2. additur : Sic scripsit domino papæ :* « Karissimo patri et domino suo I., universalis ecclesiæ Dei gratia summo pontifici, A., Virdunensis ecclesiæ minister indignus, sinceram cum humili obedientia dilectionem. Gratia Dei et vestra per electionem ecclesiæ nostræ, cum indignum

VARIÆ LECTIONES.

[14] everti 1. [15] *nulla capitis distinctio in* 1. [16] dei in terra *ed.* [17] melioravit 1. [18] recuperaverunt 1. *in marg. rec. manu suppl.* 1. [20] sarabyte 1.

NOTÆ.

(22) De qua cf. Albericum hoc anno.

(23) Cf. fragmentum litterarum Innocentii II. ap. Wassebourg f. CCXCIX.

(24) Cf. quæ ex epistolis Petri Cluniacensis, Bernardi Clarevallensis et Innocentii papæ hac de re annotavit Calmet II, p. 106.

Benedicti in istis evulsit et destruxit, ita [21] conservatores ejusdem professionis in suis ædificare et plantare paratus pia liberalitate rectoribus Cisterciensis religionis, a quibus Regula Beati Benedicti districtius tenetur, forestem Maginiensem (25) offerens, ut ibi abbatiam (26) construerent, monebat. Cumque Kaladienses fratres, in sua abbatia fabricanda occupati, ad istam moliendam non sufficerent, venerabilis Rannulfus abbas Claustrensis cœnobii (27) ipsum locum in abba- A tiam promovendum ex dono devoti præsulis suscepit. Fratresque suos ad præparandum locum direxit. A quibus ante hoc biennium, qui fuit annus dominicæ incarnationis 1142, res incepta, in spe futuri adeo jam pubescit, ut Cisterciensium venerabile concilium ibi abbatiam fore jam sanxerit. Salva pace omnium dictum sit, quod, ut hæc omnia hujus loci ita procederent, domnus Hugo monachus noster, vir ferventissimi zeli, cujus hortatu et relatu hoc totum opusculum confecimus, apud [31] omnes et

merita mea me prædicarent, in episcopum consecravit, et post et prius quomodo in officio michi militare deberem edocuit, inter quæ maxime in ordinatione ecclesiarum michi commissarum invigilare persuasit. Ordinationi igitur illi, quia satis hic apud nos necessaria est, pro parvitate mea invigilans, reperi quandam ecclesiam hic juxta civitatem nostram sitam, quæ per incuriam et irreligionem paucorum monachorum ibi degentium ad tantam infamiam redacta fuerat, ut jam non domus Dei, sed diceretur esse quasi prostibulum. De qua quid egerim, quam certissime potero paucis dicam. In ecclesia illa in honore beati Pauli apostoli consecrata a prima positione per tempora decem et novem episcoporum fuerunt prius clerici, sed per irreligiositatem et [22] negligentiam illorum devenit ad tantam inopiam; ut, quod, multis prius satis erat, vix victui unius sacerdotis sufficere posset. Quidam autem prædecessor meus Wilfridus [23] nomine, amator religionis, clericis illis ob hoc expulsis, religiosos monachos in ea posuit, qui longo tempore in fervore religionis perseverantes, et bona dissipata ecclesiæ restituerunt et insuper plurima adquisierunt. Succedentes denique alii pedetentim ab illa religione declinare cœperunt, et sic declinando, bona ecclesiæ luxoriose destruendo, usque ad tempora nostra pervenerunt. Ego dolens nimiam destructionem illius ecclesiæ, quia magni nominis a priscis temporibus extiterat, abbatem loci illius prius solum solus, postea cum ceteris abbatibus et religiosis conveni, multa capitula, coram dignitate vestra nec nominanda [24], quæ de eo vere prædicabantur, ei proposui, et ut de his se et suos monachos corriperet et in ecclesia sua antiquam religionem reformaret, paterne ammonui. Promisit se facturum quicquid vellem causa Dei et nostra, sed quia « quod [25] simul est inbuta recens servabit [26] testa diu (28), » cum debuisset corrigere [27] quod deliquerat, infamiam suam cotidie augmentabat. Tandem post frequentes ammonitiones vanas et inutiles personæ ecclesiæ nostræ et religiosi abbates in præsentia nostra convenerunt, monachos illos dedecus esse sui ordinis acclamaverunt, et ut illos expellerem et alios religiosos substituerem expetierunt. Conpulsus precibus illorum assiduis, convocatis in capitulo religiosis viris abbatibus et clericis, illum incorrigibilem abbatem ad causam vocavi, et cum eo multa de sua mala conversatione causatus, confessus est, quæ manifesta negare non potuit, scilicet se et regulæ suæ formam contempsisse [28] et multa illicita commisisse. Communicato itaque consilio religiosorum, monui eum per obedientiam, ut ad ecclesiam sancti Vitoni causa faciendæ pœnitentiæ inter religiosos transiret, et quia fructum in ecclesia cui præerat facere non poterat, fructificantes intrare permitteret. Consensit, sed statim ipsa die quasi ad vomitum rediens, quod promiserat facere recusavit. Hæc ut audivimus, in crastinum cum clericis et abbatibus et etiam duobus abbatibus de ordine Clarevallensi [29], abbate Trium-Fontium et de Caladia, ad ecclesiam illam venimus; et nobis quærentibus cur susceptam obedientiam non implesset, respondit, quod claustrum suum non exiret nisi per judicium. Tunc abbates et clerici admirantes tantam inpudentiam illius, quod post susceptam obedientiam judicium quæreret, quidam eorum, abbas scilicet Sancti Vitoni, sententiam beati Gregorii de prævaricatoribus abbatibus protulit in medium. Qua lecta, dictum est michi ab omnibus, ut etiam si nollet in ecclesia recluderem et ecclesiæ diu desolatæ consulerem. Quo recluso sic, paucisque monachis qui secum male vivebant inter religiosos collocatis monachos, qui statum pristinum ecclesiæ reformarent, non tantum a nostris vel vicinis, verum etiam a Cluniacensi ecclesia per nostras, per domini archiepiscopi Trevirensis, verum etiam per domini regis litteras requisivi studiose, quos cum habere non possem, pauperes Christi [ecclesiæ [30]] Præmonstratæ, secundum Regulam beati Augustini laudabiliter viventes, in ea posui. Inde commoti monachi, non religiosi, sed qui in simili re timent parti suæ, fremunt contra nos cotidie, non tam de expulsione prædicti abbatis, cujus vitam plane et ipsi detestantur, quam de mutatione tituli conquerentes. In hoc autem maledicunt. Nos enim titulum non mutamus, sed in forma primæ positionis reposuimus. Insuper accedit ad hoc, quod abbas loci illius vicarius est episcopi. Quod officium magis convenit ordini clericorum quam monachorum. Supplici igitur devotione majestatem vestram deposcimus, ut factum nostrum, quod ab universis, exceptis hujusmodi monachis, laudatur, manus vestræ auctoritatis confirmare dignetur. Valeat vita vestra ad honorem sanctæ ecclesiæ longo tempore. »

VARIÆ LECTIONES.

[21] idem episcopus *post add.* 2. [22] in *c.* [23] Wilfridus *c.* [24] nominandis *rec. manu corr.* nominanda *c.* [25] quod *rec. manu corr.* quo *c.* [26] odorem *rec. manu add. c.* [27] corripere *c.* [28] *post add. c.* [29] clarevallensis *rec. manu corr.* clarevallensi *c.* [30] *post add. c.* [31] a. o. *bis scriptum* 1.

NOTÆ.

(25) *Mangienne.*

(26) *Le Chatelet* sive *Chatillon* postea dictam, *situé près le bourg de Mangienne sur la rivière d'Ottain à six lieues ou environ de Verdun vers le nord-est.* Rouss.

(27) *Himmerode* prope Treverim.

(28) Horat. Epist. 1, 2, 69.

super omnia institerit monuerit et [32] rogaverit, et nunc domnum episcopum nostro scripto pie commonitum esse velit, ut ipsi loco specialiter prospiciat juvet et ad summum perducat, quia propria ejus est elemosina, per quam recipiatur in æterna cœlorum tabernacula, ut sicut notatus est a quibusdam nostri ordinis, dicentibus quod ordinem Beati Benedicti ab ecclesia Pauli expulisset, ita probetur ab iisdem, quia digne professionem sancto Benedicto servantibus consulere auxiliari et sua largiri in omnibus paratus sit. Sed quid ad hæc tantilla de liberalitate ejus refero, quasi non plura fuerint? Quid ingentem laudis materiam silentio supprimo, ut Deus laudem ecclesiæ suæ hoc tempore non tacuerit, ut in hoc dignus episcopi consilio hortatu et ope sua Dei adjutor fuerit? Etenim ecclesiastici et monastici ordinis, ut lamentaverat Jeremias (*Thren.* IV), jam ex antiquioribus aurum mutatum erat, color optimus perierat, lapides sanctuarii dispersi, in capite omnium platearum jacebant. Mundana namque gloria opes et divitiæ animos utriusque ordinis quasi veneni tabes infecerat, et ventosa ambitio et æstuans avaritia hos duos ordines Latinæ Ecclesiæ, rebus divitis sed virtutibus pauperis, duplici morbo vexabat: cum ecce juxta Ezechielem (*cap.* I) in isto vento vanæ ambitionis et igne excandescentis avaritiæ ac cæca nube infidelitatis, venientibus a frigido aquilone et omnia involventibus, splendor divinæ pietatis de medio illuxit, et illa quatuor cœlestis numinis animalia de medio splendoris emicuerunt [33], ac pedibus rectis incedentia lubricantes pedes ecclesiastici status correxerunt. Primum enim sancta Romana ecclesia per suos apostolicos Gregorium VII, Urbanum et Paschalem simoniacam avaritiam gladio beati Petri contra arma cæsaris ab ecclesia sancta ut profanam eliminavit, concidit, diu obluctantem demum magnis viribus exanimavit, ut in hoc appareat juxta Apocalypsim (*cap.* IV), Johannis animal primum simile leoni. Deinde Cartusiensis illa religio, mundo [34] hactenus inaudita, de sanctissima scola reverentissimi Brunonis processit, qui in carne extra carnem insolito mortalibus more vivendo, angelos in terra, Paulum apostolum in paradiso, Johannem baptistam et Paulum Heremitam in deserto nobis hodie repræsentat, ut merito hanc religionem florem mundi nomines, ut hanc esse animal simile aquilæ in cœlum volanti jure pronunties. Et ut habeamus animal vituli laborantis et offerentis in sacrificio Dei itemque hominis prudenter divina et cœlestia ratiocinantis, subsecuta sunt deinde illa duo cherubin expandentia alas suas in medio ecclesiæ et versis vultibus in propitiatorium se mutuo respicientia [35], id est duo præclarissimi ordines, devotione sua ecclesiam protegentes et conversis ad Deum cordibus se mutua caritate æmulantes, quorum unus Cisterciensis duce Bernardo, sanctissimi nominis abbate, monasticum ordinem jam pene lapsum ad primam apostolicæ vitæ normam reparavit, alter, merito et nomine a Deo Præmonstratus, duce Norberto Parthenopolitano archipræsule inceptus, ecclesiasticum ordinem de luto mundanæ vanitatis excussit. Credas hos duos ordines esse de Apocalypsi (*cap.* XI), duos prophetas circa finem mundi a Deo missos et sacco pœnitentiæ amictos, duas olivas cœlestis clementiæ duoque candelabra divinæ gratiæ. Ita se in omnibus cruciant, ita verbo fidei mundum irrigant, ita meritorum luce illuminant. Isti, Deo cooperante et piis omnibus juvantibus, adeo jam profecerunt, ut Cisterciensis quidem per istud temporis tricennium [36] jam in septingentas et eo amplius [37] abbatias magni nominis meriti et numeri accreverit [38] et usque in barbaros Sarmatas et extremos Scythas jam diffundi cœperit [39], Præmonstratus autem per hos viginti annos in abbatias pene septuaginta adoleverit. Noster episcopus hos ambos ordines in suis recepit, inseruit et fovit, adeo ut rectoribus Præmonstrati ordinis terram ad tres abbatias fabricandas liberaliter tradiderit. Quarum duas ædificavit Philippus venerabilis abbas, primam quæ Bella-vallis (29) dicitur in saltu Duellii (30), alteram secus Hadonis-castrum loco qui Latine piscina sed vulgo vocatur Stanchia (31). Tertiam [40] Herbertus heremita juxta Arcus-villam (32) in valle Genesii (33) extruxit. Eustachius quoque, vir reverentissimus et Monasterii in Argonna (34) itemque Castri-loci (35) duorum cœnobiorum ædificator et pater, abbatiam ex dono præsulis fundavit in insula supra Acram (36) fluvium, in alodio episcopali reddito ab Ulrico, fratre Guidonis archidiaconi, de quo multa retuli; ubi nunc electus abbas de ordine sancti Augustini cum octo canonicis locum ad majora provehit. Hæ [41] omnes adhuc sub fabrefactura positæ, cotidie rebus et numero servorum Dei accrescunt. A militibus quoque Jero-

VARIÆ LECTIONES.

[32] et r. *bis scriptum* 1. [33] emicuerint 1. [34] munda 1. [35] respitientia 1. [36] triennium *ed.* [37] *de hoc verbo mihi ex codice* 1. *non constat;* ducentas circiter *ed.* [38] accreverint 1. [39] cepit 1. [40] Tercius 1. [41] Hee 1.

NOTÆ.

(29) *Belval* in diœcesi Remensi.
(30) *Duelle ou Deuilly.* CALM.
(31) *L'Étanche.*
(32) *Arc-ville.*
(33) *Genicvaux proche de Hatton-châtel.* CALM.
(34) *Moutier en Argonne.*
(35) *Chatrices.*
(36) *Air?*

solimitani templi xenodochium quoddam juxta Hadonis-castrum constructum est (37), et adhuc quædam alia fiunt. Idem episcopus Sancto Benedicto meliora quæque tribuit; quod cœnobium Cisterciensis ordinis (38) Adcrardus, filius Hugonis comitis de Risnello (39), in confinio episcopii de suis construendum tradidit. Non valeo, ut dignum est, memorare, quanta ipse venerabilis episcopus istis et aliis undecumque omnibus servis Dei etiam præter memorata dederit, quanta post ipsum omnis reverendus ejus [42] clerus, qui factus est ei cooperator in his omnibus, liberalissima devotione superaddiderit, quanta omnis populus ejus de tota urbe vel episcopio in omnibus superadjecerit et adjuverit. Pia fide dicere præsumo, quod hi omnes istis Dei servis adhuc plura daturi sunt. Nam videas cotidie ipsos Dei servos eos frequentare, eis pia sedulitate assistere, ut putes simplices columbas in petra nidificaturas vel argumentosas apes cerea mella confecturas circa flores volitare. Hos illi ut gallina pullos suos sub alis recipiunt, amplectuntur, confovent, lætos pro impetratis muneribus ad sua remittunt. De sua etiam ecclesia, id est sanctæ Dei genitricis, dignum ejusdem præsulis præconium non silebimus, quomodo scilicet ejus presbiterium et omnem pene statum duabus turribus et ingenti ædificio [43], omnibus peregrinorum oblationibus ibi attitulatis, et de suo etiam multis additis. Quod opus ceteris hujus temporis incomparabile adhuc crescit inter manus artificum, quibus præsidet Guarinus, ceteris doctior, ut sub Salomone ille Hyram de Tyro. Nec præterierim Constantium optimum ecclesiæ custodem et famulum, qui corpore permodicus, sed animo et fide magnus, de nido paupere magnas opes consecutus, omnes in opus cœlestis elemosinæ expendit. Ut enim taceam, quantos lazaros (40) ceteris abhorrendos cum sua conjuge Officia, Deo revera officiosa, domi abluerit, cooperuerit et foverit: pontem in loco Harenari (41), ter inundantibus aquis destructum, bis ligno et semel saxo super Mosam extendit; viam publicam ipsius pontis multo aggere constravit; xenodochia pauperum addictis redditibus ædificavit; ad ultimum hoc ecclesiæ opus ceteros adhortatus magno sumptu ipse primus incepit. Ita urbi et ecclesiæ fidelis, et bonum exemplum relinquens posteris, omnes thesauros suos in gazofilacium cœli sacra elemosina evehente collocavit (42). Nec illud de laude episcopi prætereundum est, quod per quindecim (43) annos, quibus præsul sedet, plebiculæ suæ ita pepercerit, ut percussuram numismatis [44] depravatam mox post primum annum deposuerit, et Cathalaunensem monetam inducens, numquam deinceps nummi percussuram, ne pauperes inde gravarentur, mutari fecit. Ecclesia quoque Kaladiensis, ab hoc pontifice consecrata et in hoc episcopio fundata, in abbatiam sancti Cisterciensis ordinis [45] profecit; ubi nunc sub abbate sanctæ memoriæ Guntero militant regno cœlorum fere trecenti servorum Dei. Cœpit autem sub Heinrico præsule, quando ibi Robertus, venerabilis nostri cœnobii monachus, cum duobus sociis primum heremitavit, ecclesiola et quibusdam mansiunculis fabricatis. Sed eo ad abbatiam Belli-loci assumpto, cum locus vacuus remansisset, a viro nobili Waltero nepote, cujus erat, datus est venerabili Guidoni abbati de Tribus-fontibus, Heinrico pontifice annuente et monente et maxime Herveo viro nobili hoc totum innitente [46] et hortante. Qui Herveus, ubi idem locus merito rebus et numero servorum Dei accrevit, se cœtibus eorum associavit exemplo mirabili. Nam uxori, unico filio mundoque et omnibus ejus abrenuntians, vir optimus unum servorum suorum ad hoc compulit, ut sibi domino suo laqueum in gula sua nodaret, et ita se tanquam latronem a domo sua usque ad locum beati Sulpitii [47] (44) per duo milliaria protraheret, cunctis mirantibus, lacrymantibus et Deum in hoc laudantibus.

33. Anno nono episcopatus domni Alberonis venerabilis Laurentius post quadraginta annos et tres menses, ex quo abbas feliciter huic cœnobio præsederat, beato excessu obiit (*an.* 1140). Hic genere et lingua Teuthonicus et magnæ scientiæ et industriæ gratia præditus, a prima indole apud Sanctum Agericum in palæstra monachicæ professionis exercitatus claruit. Inde cum Rodulfo abbate cœnobio nostro infulsit, et tempore nostrorum sub

VARIÆ LECTIONES.

[42] ei 1. [43] *deest vocabulum* : auxerit, ornaverit *vel simile*. [44] nummismatis 1. proprii n. *ed*. [45] *bis scriptum* 1. [46] immittente 1. [47] supplitii 1.

NOTÆ.

(37) *Apparemment Doncourt aux Templiers près de Hatton-châtel.* CALM.

(38) *Saint-Benoit en Voivre*; cf. fragmenta traditionis ap. Wassebourg f. CCC.

(39) *Rinelle.*

(40) I. e. leprosos, vulgo *ladres*. CALM.

(41) *En l'endroit dit le Pont des Raines, vers l'Abbaye de St.-Nicolas des Prez.* CALM. (cum WASS); a quibus Roussel p. 254 recedit.

(42) Constantii epitaphium v. apud Wassebourg f. CCCIIII.

(43) Infra se a. 14. Alberonis scripsisse Laurentius testatur; ideo hæc post addita sive mutanda sint oportet, nisi velis scriptorem hoc loco ita annos computasse, ut primum et ultimum, quo scripsit, plenos numeraret. Sed verba : *Nec illud. . . . prætereundum est* fortasse serioris temporis adjectionem indicant.

(44) Kaladiense monasterium S. Sulpicio dedicatum erat.

eodem Rodulfo exilii in Divionensi Burgundiæ cœnobio prior sub abbate sanctæ memoriæ Gerentone multa superfluæ traditionis ibi inventa delevit vel mutavit, aliaque superinseruit honestiora. Inde cum nostris reversus, et post mortem prædicti Rodulfi ex priore in abbatem promotus, in omnibus sancte, pie et juste præfuit, et ideo plurimum profuit tam in augmento rei quam religionis. Sub eo multi nobiles multa ecclesiæ nostræ contulerunt. Inter [48] quos Theodericus et Widericus, fratres comitis Frederici, Novillarem cellam (45) cum omnibus appenditiis contulerunt. Comes etiam Raynaldus, vitricus eorum, Alzeicurtis cellam et Nerlii (46) sanctæ Romanæ Ecclesiæ tradens, ut ex dono ejus teneret ista ecclesia sub annuo censu duodecim denariorum, effecit. Factis inde a papa Paschali itemque ab Innocentio privilegiis, quatinus, quoniam bis ista domus pro fide apostolicæ sedis passa est persecutionem, si ei iterum persecutio ingrueret, certum refugium sub velamento Romanæ ecclesiæ ibi inveniret. Nobilissima etiam Cunegundis, uxor Maffridi, multa prædia sui juris beato Vittono obtulit. Longum est referre de aliis, quanta prædia et dona dederint, quantis aliæ cellæ rebus et fratribus auctæ fuerint.

34. Laurentio mortuo, æque venerabilis Segardus, consanguineus ejus et monachus, successor sedis, pietatis et religionis fuit. Iste prior cimiterium fratrum muro cinxit claustrumque melioravit. Abbas autem insigne, ingens et pulchrum magni pretii scrinium ad recollocanda ossa beati patroni sui Vitoni multo sumptu fabrefecit, majoraque meditabatur: cum ecce Deus nobis eum abstulit. Nam post duos annos sui beati regiminis in Domino requievit. Sub istis rectoribus nomen hujus loci ubique floruit, res propagata crevit, religio viguit. Hanc sane pro me querimoniam fuderim super eis merito, quod nec eos videre nec eorum bonitate perfrui meruerim, post eorum decessum huc adductus a priore Rodulfo viro venerabili. De isto Rodulfo et ipso Segardo dignissime retulerim, quod ambo consanguinei compatriotæ et coævi, ambo una die cœnobium simul ingressi et una die simul monachum professi, ambo itidem uno die simul ab ipso episcopo abbates fuerint consecrati, ille Sancti Vitoni, iste Sancti Agerici. Et Segardus quidem, quia obedientibus et disciplinatis præfuit, in cunctis bene et prospere egit; Rodulfus vero, quia rebellibus et contumacibus præsedit, in cunctis quidem bene, non tamen prospere gessit. Nam quæcumque pietatis et religionis erant sibi indicta, illi abhominabiliter calcabant, res necessa-
A rias ab eo sollerter procuratas prodige dilapidabant, personas religionis ab eo sibi inductas per molestias et simultates eliminabant, demum cum solum sibi relictum perniitiose impetebant, ad nimiam amaritudinem cor ejus die noctuque provocabant, et in omnibus ei ex adverso incedebant. Tales ille exemplo beati Benedicti refugit, et dilectissimo Segardo, qui post eum mœrens ibat, quia omne exilium atque mortem libentius subiret quam talibus præsideret, intimavit. Et cum ille eum secum Virdunum revocaret, se numquam rediturum, nisi prius a talium abbatia absolveretur, protestari cœpit. Et Segardus quidem eum absolvi ab invito episcopo fecit, et priorem cœnobii sui factum in omnibus honoravit. Illa [49] autem domus
B desolata remanet usque nunc, sicut umbraculum in vinea et sicut tugurium in cucumerario, donec dignissimus præsul eidem ut ecclesiæ Sancti Pauli prospiciat. Plane si salva charitate verum licet dicere, ipsum genus hominum alienum a bono notaverim, qui ne talem quidem virum, ut ego expertus sum, dulcem rationabilem et justum, passi sint, nisi quod jactitant, quia quodam fato ita dampnati sint, ut ex quo locus eorum fundatus est, nullus ex omnibus abbatibus eorum inter eos, sed alias ab eis pulsus exsul obierit, quorum nonnulli usque [50] hodie vivunt ita pulsi.

35. (*An.* 1141.) Requieverat episcopium septem annis a præliis: cum ecce iterum bellorum turbo
C intonuit. Raynerus enim de Balneio [51] (47), cum pro fide episcopii novum castellum firmaverit, per illud tam ipse quam dominus ejus comes de Grandi-prato Heinricus omnia mala inferebant rebus ecclesiasticis. Præterea idem Heinricus in conductu domini seu comitis Raynaldi infra episcopium viantes negotiatores Hoyenses violenter opibus magnis exspoliavit. Eum proinde tam episcopus quam Raynaldus iterato in jus vocabant, ut responderet tam pro se quam pro homine suo Raynero. At ille jus et audientiam despiciens, ad arma se contulit, per episcopium, prope usque Virdunum, præda et flamma degrassans, primum et secundum excursum fecit; sed in armis receptus, utrobique victoriam ecclesiasticæ parti
D invitus reliquit. Utque excursus ejus interciperetur, præsidium apud Bertini-curtem (48) ipse præsul firmata munitione posuit, itemque, quia non hoc suffecerat, ipsum castrum Balneium obsedit. Cotidie gravissime ab utrisque partibus pugnabatur, cotidie militares Heinrici extra aquam in tuto positi insidias nostris moliebantur. At Hugo, filius comitis Raynaldi, cum ducentis fere militibus una

VARIÆ LECTIONES.

[48] Inter—contulerunt *desunt* 1. *sed signo adscripto.* [49] Illa autem domus *scripsit sed erasit scriptor codicis* 1. *et ita omnia* — ita pulsi *omisit.* [50] n. u. *post add.* 2. [51] balneo 1.

NOTÆ.

(45) *Neuvillers* ad Mosellam.

(46) *Auzeicourt et Nesles.* CALM.

(47) *Bauluy.* ROUSS.

(48) *Betincourt, à trois ou quatre lieues de Verdun vers le nord-ouest.* ROUSS.

dierum a suis digressus, iter ad Viennam castrum A intendit, ut Heinrici partes infestaret: cum ecce in medio viæ positus a nuntiis et ipsis pedum vestigiis hostiles cuneos versus suos transisse comperit, eosque ex vestigiis tractis insecutus, inopinatis eis male in tuto positis et securis incurrit, et quater vicenos circiter ex eis cepit, equis eorum cum omni præda [82] retentis. Pauci fuga lapsi ad Viennam refugiunt, Heinrico in infirmitate jacenti, qui nuper equo lapsus mota de loco spatula graviter læsus erat, tristes suorum eventus referunt, hostes mox eo venturos ex timore suppradjiciunt, eum multa dolentem inde exportantes ad tutiora effugiunt, ita ut mox Vienna a nostris ut vacua capi potuisset, si insecuti fuissent. Heinricus omnibus diffidens et a suis nobilioribus, quos B pene omnes episcopalis militia ceperat, coactus, pacem petiit, et mox ut convaluit Virdunum venit, de omnibus impetitis in jus stetit, et omnia subjectus et obediens correxit. Primo autem omnium castellum ab episcopo obsessum jusserat reddi; quod et episcopus evertit, facto communiter interdicto, ne quis unquam ruinas ejus resuscitare ausit.

36. Anno episcopatus sui quarto decimo (*an.* 1144) domnus episcopus iter Jerosolimitanum vovit; cujus votum diutina devotione conceptum, ita suis celaverat timens impediri, ut crucem eundi de more bajulare eum ecclesia sua ante videret quam iturum audisset. Non immerito tunc timuimus, ne reddita per eum libertas nobis iterum eo absente a C tyrannis auferretur. Sed affuit Dei misericordia, cujus nutu Celestinus papa (*an.* 1143-1144), qui Innocentio tunc successerat, et tota Romana ecclesia pium episcopi votum pie impedivit, et ne ultra Romam procederet inhibuit, et dignum pastorem ad oves destitutas, quas lupi jam invadere meditabantur, remisit. Interim maximus ventorum turbo inhorruit et inaudita silvarum turrium et domorum strages in his Galliarum partibus dedit. Continuum venti flatum et inundationem pluviæ secuta est frugis sterilitas, vini autem multo maxima. At episcopus lætante ecclesia reversus, mox duos lupos ovibus suis insurgentes, unum cepit, alterum compescuit. Albertus enim de castro Sanctæ Manehildis, quod innumeras ab episcopio prædas contraxerat, cum D iterum prædis insisteret et in publica contra episcopum arma aspiraret, cum paucis et pene inermibus insequente, præda retenta est, ipseque captus et abductus est, et prædata reddere coactus, pro sui dubia liberatione nunc totus pendet in episcopi manibus. Robertus quoque de castro Confluentiæ (49), qui rebus ecclesiæ armatus inhiabat, multis repulsionibus compressus, perdomitus et ad pacem petendam est coactus. Plane non modicæ Dei gratiæ ascripserim, quod honorabilis episcopus istos quatuor tyrannos quasi quatuor cœli ventos, Robertum ab oriente, Albertum ab [83] occidente, Raynaldum a meridie, et Heinricum a septemtrione, tam feliciter, ne gravi flatu suis ingruerent, compresserit et compescuerit. Cooperatores quoque digni præsulis in omnibus istis, tam in repellendis malis quam in bonis inferendis, sua laude nequaquam privaverim. Horum de clero primi occurrunt: Albertus primicerius et archidiaconus, vir prudens et in curia duorum imperatorum Lotharii et Conradi pro magno habitus; Guillermus venerandæ memoriæ decanus; Richardus elegantis indolis et bonæ spei archidiaconus, referens nomen propinqui matris suæ et episcopi nostri sanctæ memoriæ Richardi et avunculi sui alterius Richardi Virdunensis electi episcopi; Andreas archidiaconus, filius Petri de Miroalt [84], qui præ cunctis nobilibus sui temporis Virdunensi ecclesiæ fidelis extitit; Joannes item archidiaconus, cujus hortatu fratres ejus Raynerus et Odardus ecclesiæ nostræ dederunt alodia Chemeium cum ecclesia, Duncheium (50), Bruncurt et Villare; Petrus cantor, Hugo thesaurarius. Emelinus scolasticus, omnes tres insignis sapientiæ et magnanimitatis, totusque religiosus clerus omni industria et honestate morum præditus.

Hic finem habemus materiei et temporis, qui est annus 1144 verbi Dei incarnati, septimus Conradi regnantis, primus Lucii papantis, quartus decimus Alberonis nobis episcopantis. Cui adesse usque in finem divinam imploramus clementiam, ut quæ eum [85] ad vendicandam sanctæ ecclesiæ libertatem provexit et in omnibus hactenus direxit, ipsa eidem inspiret et in omnibus assit, ut bona totius sibi commissæ ecclesiæ, quæ ablata sunt recuperare, quæ diminuta redintegrare, quæ integra permanent conservare, aliaque super acquirere velit, instet, possit et perficiat, quatinus ecclesiæ, cui factus est nobilis defensor, fiat ejusdem insignis propagator, proinde duplicem palmam recepturus a Christo. Porro petimus ut de hoc opusculo nemo nobis calumpniam struat, quia, cum sola vera nos scripsisse putemus, quicumque verius insinuaverit, meliorem sententiam sequi in omnibus parati sumus. Et bona quidem ad exemplum, mala autem ad quorundam cautelam posteris retulimus, utque ipsi eadem suis posteris faciant mandamus, ne, sicut nunc incuriæ patres nostros notamus pro non scriptis sui temporis gestis quæ ignoramus, ita et ipsi juste a posteris suis, si non scripserint, culpentur. Multum enim valet præteritorum memoria et ad excitandos bonos et ad reprimendos malos [86].

VARIÆ LECTIONES.

[82] *deest* 1. [83] et 1. [84] miroad 1. [85] cum 1. [86] *hic desinit* 2. — *Pergit alia manu* 1.

NOTÆ

(49) *Conflans.*

(50) Donchery. CALM. De aliis locis minus constat.

CONTINUATIO.

1. Pii et venerabilis patris nostri Segardi præconiis, a quo non longe superius digressi sumus, eximendum vereor, quod ei, gratia meritorum interveniente et effectu bonorum operum subsequente, meruit cumulari. Propterea ad ipsum iterato convertamus stilum. Is igitur abbas omni studio dare cœpit operam ecclesiæ utilitatibus, et tam per se quam per cohærentes sibi fratres intus et exterius invigilare. Denique de venerandi patris nostri Vitoni sacrosancti corporis honorificentia cœpit in dies animum sollicitare, coacervatisque, prout potuit, auri et argenti impensis, decrevit omnimodis illud decore multo sublimare. Sed, proh dolor! in brevi ultima sorte pulsatus, post triennium suscepti officii, defuncto aurifice qui opus illud inchoaverat, et ipse venerabilis pater anno Domini 1143, haut multo post defungitur et in capitulo hujus monasterii sepelitur; cui venerabilis pater Cono in regimine subrogatur. Qui ordinatus, multo animi ardore impulsus, tanto nisu cœptum opus, quod venerabilis prædecessor suus inchoaverat, deliberavit perficere, et Deo se prosperante, ut deliberaverat, ungue tenus illud studuit honorificenter complere. Explicito igitur tandem tam operoso opere, a multis quam sæpissime deliberatum fuerat, quatinus tam per domnum pontificem quam per religiosos abbates seu boni testimonii viros corpus beatissimum in tam honesto loculo transponeretur certo anni tempore, quo tantæ transpositionis celebritas annuatim sollempnis de cetero haberetur. Verum ut liquido claret et ex facti fine colligi potest, nec cooperatio divina affuit, nec ipsius sancti voluntas votis eorum tunc intercessit. Procedente vero tempore, anno scilicet incarnationis dominicæ 1147, quo expeditio christianorum contra paganos a toto Romano imperio processit, —

Quam præsignaverat jam visa in antea stella,
Spargens lucifluas in regna propinqua jubas;
Quod plane signum signabat velle supernum,
Gentes prophanas pessum dare regna Romana;
Quo nunc devote properat gens christicolarum,
Ultrici dextra cupiens hos jure ferire,
Qui Christi matrem studuerunt exhonorare —

domnus papa Eugenius in Franciam venit, et ad consecrandam beatæ Virginis principalem ecclesiam a domino præsule Virdunensi Alberone nomine multa prece evocatus, Nonas Novembris (*Nov.* 5), tripudiante tota hac civitate, urbem ingreditur. Qui, audita hujus sancti opinione, et quod ipsius sacræ depositionis sollempnitas v Idus [57] ejusdem mensis (*Nov.* 9) celebranda erat, ad cœnobium istud cum suis cardinalibus et domno pontifice venit, et condigna reverentia seu laudum præconiis susceptus, videns loculum satis honorificentissime præparatum, laudavit, benedixit, et in eo corpus venerandum ipse cum domno pontifice, astante innumera plebium multitudine, transposuit, et mox ipse venerabilis pontifex adorsus divina celebrare, post lectionem evangelii ambonem cum prædicto pontifice et quibusdam aliis ascendens, inter cetera suæ sanctæ prædicationis verba plurimum sancti hujus honorificentiam extulit, ad ultimum vero ejus festivitatem tam ipse quam episcopus toto episcopatui celeberrime singulis annis sollempnizare indixit. O quam innumerabilis turba huic sacræ interfuit sollempnitati, virorum scilicet ac mulierum, quæ ad deosculandum caput sanctissimum certatim devoteque irruens, odorem mirificum se ab eo haurire gaudenter testabatur et tostando mirabatur, et quam plurimi illacrimabantur.

Hinc perpendendum, quanto sit honore colendus,
Quem sic disposito Christus provexit honore,
Quod vir apostolicus, togata gente relicta,
Venit ad hos fines et nos hac dote beavit,
Dum sanctum coluit manibusque suis relocavit,
Et post tale decus celebrem per secula sanxit.
Istud consilium divinitus esse statutum,
Nemo quis dubitet, sed cuncta regens sapienter
Ut placuit vel disposuit, sic sanctum mirificavit.

2. Albero vero episcopus, vir generosus et approbati meriti, labore affectus et tedio, etate fractus et senio, episcopatui resignavit, et tumultus ac frequentias populorum declinans, ad claustrum Sancti Pauli Virdunensis Premonstratensis ordinis requietionis gratia divertit (*an.* 1156). Biennio vero ibi feliciter expleto in lectionum et orationum jugi frequentia, plenus dierum anno Domini 1158 in pace quievit, qui in majore ecclesia beate Marie mandatur sepulture.

3. Alberoni successit in episcopatus regimine Albertus de Merceio (51), vir excellentis ingenii, litterature vernans studio, qui sollerti sagacitate

VARIÆ LECTIONES.

[57] ydus 1.

NOTÆ.

(51) *Marsie* prope *Longwy* inter Virdunum et Luxemburgum, ut Roussel. p. 259 opinatur.

ovium suarum curam gessit, et pro humane possibilitatis modulo causas erroris extirpavit, jactantie nescius et pauperum adjutor indefessus. Is vergens in senium etatis provectu, glorie fallacis et seductricis refugus, deliberavit se iturum Claram-vallem, ut, sumpto ibi habitu, mundane conversationis illecebras et omnes seculi pompas abrumperet, et pauper Christum pauperem sequens divitias eternitatis acquireret. Verum preparatis ad meandum evectionibus et ceteris sibi necessariis, relictis omnibus, iter aggreditur, curru evehitur, urbem, populis salutatis, egreditur, ante portam beatorum Petri et Vitoni venitur; cum subito repentino modo miro res miranda miraculo dinoscitur evenisse. Nam currus, quo vir venerandus residebat, disjunctis compagibus et axibus confractis, dissolvitur, ita ut non passum itineris ulterius progredi valuisset. Vir vero sapiens et industrius et fide plenus, re inspecta et diligenter attenta, divina gestam fuisse providentia estimavit, nec propterea, animo in contraria relapso, a proposito resiliendum cogitavit, sed omine in meliora commutato, monasterium beatorum Petri et Vitoni ingreditur [hora illa qua minori tintinnabulo excitantur fratres ad matutinas [58]], conitiens dissolutionem vectigalis (52) aliquid ominis habuisse, quod itineris progressum potuit impedire, et revolvens animo illud euvangeliste Marci, qui, cum a beato Petro missus euvangelizandi causa Alexandriam navigio navem egrederetur, calceum rupit; quod attendens et Deo gratias agens, iter suum expeditum esse perhibuit (53); quod simili modo idem venerandus episcopus noster Albertus sibi evenisse assignavit. Qui, continuo petito habitu ab abbate Conone et obtento, Deum sibi astitisse evidenti beneficio comprobavit. Quid votorum ibi conceperit, quantum affectionis impenderit, quam pure se circa aram mactaverit, Deo constitit et constat soli; quique, eum sibi fuisse gratissimum, monimentis pretaxatis declaravit. Hic tantillo tempore quo supervixit cepit lectioni vacare et orationi incumbere, sicque postmodum, modico dilapso tempore post habitus susceptionem, votivas Deo reddens gratias, deposita carnis sarcina, anno dominice incarnationis 1162 (*Apr.* 14) spiritum exalavit, ac coram altari beati Laurentii in nostro monasterio sepelitur. Huic succedit Richardus electus, vir nobilis, cognomento Infans, qui devotionis gratia transmarinum iter arripuit (*an.* 1162-1171). Richardo vero succedit Arnulphus episcopus (*an.* 1171-1172).

4. Item venerabilis patris nostri Cononis abbatis gesta memoria dignissima breviter replicanda dignum censuimus; qui pre multis predecessoribus suis in hujus cenobii innovatione et restauratione providus valde et sollicitus extitit, diversisque operibus auri et argenti, palliorum, tapetium, librorum aliorumque ornamentorum ecclesiam istam admodum melioravit, honestavit et decoravit. Altaria (54) Flaviniaci, Novi-villaris (55) ab episcopo Tullensi huic ecclesie dari obtinuit. Item altare de Walemeis (56) ab episcopo et archidiacono Catalaunensi [59] obtinere promeruit [procurante [60] domno Gozvino venerabili priore de Calida-fontana]. Alodiumque in vico Sancti Amantii ad usus ecclesie acquisivit. Et ut bonorum est semper in melius proficere, turres lapideas (57) post opus librarii a fundamentis erexit, quarum opus usque ad consummationem perduxit, et in die etiam anniversarii sui 10 solidos apud Nixevile (58) fratribus assignavit. Nec silendum arbitror, quantum honoris ei eum domnus papa impenderit, quantumque gratie ipsi accreverit, quia, cum idem domnus papa concilii gratia de more celebrandi Remis advenisset (59) et omnes tam abbates quam episcopi in suis sedibus et subselliis resedissent, contigit tandem venerabilem patrem nostrum abbatem Cononem illo tardius adventare. Qui cum indutus sacris vestibus concilium introisset nec haberet sedem in qua potuisset residere, humi resedit. Ad quem cum domnus papa oculos inclinasset: *Hic est*, inquit, *qui gratie majoris honorem et reverentie potioris favorem Gallicanis omnibus, ex quo cisalpinavi, nobis exhibuit*. Et e vestigio misit ei in argumentum dilectionis curulem, in qua solitus erat residere; qua ille humiliter et cum gratiarum actione recepta, desuper resedit. Per hoc clarere potest successoribus suis, quam excellentis glorie extiterit, quem summus pontifex pre omnibus et coram omnibus sic honorare voluerit. Is igitur, ut erat multa excellens prestantia sub rigoris regularis disciplina, quam plures personas preconiis dignas imitatores sui et heredes ac optimorum locupletes stipendiis meritorum educavit, et sanctis moribus et honestis in Dei laudibus informavit, videlicet Jacobum dictum de Bras, qui fuit abbas Sancti Agerici, domnum Bernaclum [61] priorem Claustralem, domnum Warinum priorem de Flavignei, domnum Gozvinum priorem de Calida-fontana (60), domnum Gerbodonem priorem, domnum Segardum, domnum Godefridum, domnum Haymonem et multos alios, quorum nomina in libro

VARIÆ LECTIONES.

[58] *hæc in marg. add.* 1. [59] chatal. 1. [60] *addit* 1 *in margine*. [61] Bernardum *ed.*

NOTÆ.

(52) I. e. vehiculi.

(53) V. Acta S. Marci, Acta SS. April. III, p. 348.

(54) I. e. decimas. CALM.

(55) *Neuville.*

(56) *Valmé.*

(57) Non turres ecclesiæ, sed turres monasterio muniendo destinatas esse intelligendas. Roussel p. CLXII monuit.

(58) Anno 1564 *Nixeville* appellatur, Roussel p. 454 n.

(59) De Eugenio a. 1148 concilium Remense celebrante agi videtur.

(60) *Chaude-Fontaine.*

vite asscripta per Dei misericordiam credimus. Obiit autem venerabilis pater noster Cono anno Domini 1178, et sepultus est in ecclesia.

5. Sortito igitur Arnulphus (61), vir insignis litteratura et moribus, pontificatus regimine, cepit cura sollerti negotia sui officii tractare, jura tueri. Erat enim argutus in consiliis et eloquio facundus. In illis diebus surrexit quidam miles Albertus nomine, cognomento Pichot, dominus de Sancta Manehilde [62], vir spurius et tocius malitie presumptor. Iste furcifer et filius ire cepit episcopatum Virdunensem et Cathalaunensem infestare, bona ipsorum diripere, villas depredari, domos conflagrare. Arnulphus igitur episcopus Virdunensis calamitati suorum condolens, confederatis undecumque principibus, deliberavit, ut castrum quo ille minister sathane divertebat obsideret. Congregato quippe exercitu et agminibus ordinatis cum armorum apparatu et ceteris ad usus bellicos necessariis, illo diverterunt, castra locaverunt et excubitores posuerunt. Evolutis itaque aliquantisper diebus, cum jam gravioribus pugnis desudassent, a quodam sagittario e murorum propugnaculis idem episcopus capite sagitta percussus interiit (*an.* 1181, *Aug.* 14). Exercitus vero turbatus et ex desolatione sui principis confusus, et ab hoc diffusus, et principes quique ad sua non sine mesticia repedaverunt, episcopi quoque cadaver Virduni detulerunt, quod in majore ecclesia beate Marie semper virginis sepulture mandaverunt (62), anno Domini 1181. Cui successit Henricus de Castris.

6. Defuncto venerabili patre nostro Conone (*an.* 1178), Richerus, homo mire simplicitatis, concordi voluntate tocius capituli eligitur in abbatem; qui, fere per annum benedictione suspensa, a venerabili episcopo Arnulpho convenitur et hortatur, ut benedictionis sacramenta de more susciperet et pastoralia negotia cura pervigili exerceret. At ille impatiens pastoralis oneris et laboris, abbatie in continenti renuntiavit. Post Richerum eligitur Petrus de Briei (*an.* 1179); qui cum more electi duceretur in ecclesiam in sede pastorali intronizandus, Arnulphus episcopus timens, ne, si idem Petrus abbatizaret, sibi scandalorum spinas suscitaret, ipsi Petro violenta manu occurrit; dicens eum esse de dominio comitis Barrensis; et ob hoc honore prelature privatus est. Qui tamen non multo post tempore apud Sancti Petri montem (63) in abbatem erigitur [63],

A post multum vero temporis, resignata cura, apud Sanctum Vitonum repedavit (*an.* 1179). Isti succedit Alestannus junior, vir admodum religiosus (*an.* 1180), et ipso anno hominem exuit, et sepultus est infra ecclesiam, juxta ostium capelle Sancti Christofori; cui successit Alestannus senior, non minoris religionis quam suus predecessor, qui, quinquennio in sollicitudine pastorali peracto, amministrationi abbatie spontaneus renuntiavit (*an.* 1185), et residuo vite sue tempore apud Bekenele degens, lectioni divine vacans et orationi insistens, vitam felicem feliciore morte terminavit, et in monasterio ejusdem loci coram altari sepultus est. Alestanno vero seniori Thomas abbas Maurimontis (64) subrogatur, vir natura et moribus generosus. Hic cappam

B nigram aurifrigiatam comparavit, ruinas veteris refectorii fratrum decenter resarcivit, tectum et celaturam renovavit. Porro prepositus Sancti Vitoni Hugo loco Thome in abbatem [64] erigitur; qui invidie stimulis agitatus et amore cupiditatis succensus, potenti objurgatione verborum cepit Thomam abbatem Sancti Vitoni lacessere [65] et contra ipsum simultates concitare, personas Virdunenses donis et adulationibus allicere, quatinus ipsum valeret ab officii prelatura amovere, ut istius sede fungeretur. Abbas igitur, fraudis expers artisque fuscate nescius, simultatum et seditionum impatiens, cura pastorali cessit, ne, re occasione sui vergente in deterius, fomentum facinoris esse vi-

C deretur et monasterium cui preerat rerum suarum et honorum dispendium pateretur. Qui tandem in Nova-villeta (65) bene vivens aliquanto tempore, vita privatus est, ac in ecclesia sepultus requiescit. Hugo vero abbas Maurimontis, qui et prepositus hujus ecclesie fuerat, Thome succedit (*an.* 1187); qui cum abbatizaret apud Maurimontem, cancellum ecclesie cum cripta sumptuoso opere ac decenti fabricavit. Factus autem abbas hujus ecclesie, altare de Bulleinvile (66) ab episcopo Alberto acquisivit, vineam vero majorem, que dicitur Nova, juxta Scantiam [66] plantari et excoli fecit; qui postmodum, seditione orta ab eisdem a quibus erectus in abbatem fuerat, divino in se retorto judicio, acriter cepit infestari, ut qui excitatis contentio-

D nibus predecessorem suum contumeliaverat, et ipse modo non dispari pari ludibrio subjaceret, sicque contentionibus in publicum agitatis, quia non valuit nec debuit resistere, decimo anno ab ordina-

VARIÆ LECTIONES.

[62] manehylde 1. [63] eligitur *ed.* [64] Maurimontis *add. ed.* [65] lacessire 1. [66] scanciam 1.

NOTÆ.

(61) De hujus genealogia ita refert Hermannus de miraculis S. Mariæ Laudunensis I, 2 (Guiberti Opera p. 529): *Ernulfus comes de Waren, qui genuit Othonem comitem de Cisni; qui Otho genuit Aubertum; qui Aubertus genuit Aubertum comitem et Ernulfum episcopum de Verduno.* Quocum conf. Albericum a. 1168.

(62) Epitaphium recentioris ut videtur temporis ex marmore descripsit Wassebourg fol. CCCXXVI.

(63) *S Pierre-au-Mont, alors situé près la ville de Châlons en Champagne et aujourd'hui dans la ville.* Calm.

(64) *Moiraumont.*

(65) *Neuvillers* ad Mosellam vel potius *Neufville* prope Virdunum.

(66) *Bulainville au doyenné de Souilli.* Rouss.

tione sua (*an.* 1197) cessit prelature. Post hunc Stephanus prior de Sancta Margareta et de Domna Maria, monachus Cluniacensis, eligitur et in abbatem erigitur, ad rogatum et hortatum generose matrone Agnetis comitisse Barrensis, sororis Lodowici illustris regis Francorum. Qui cum regimen istius monasterii esset adeptus et quadam die in presentia dicte comitisse astitisset, interrogatus ab eadem, qualiter tantorum rudera debitorum, quibus sua tenebatur obligata ecclesia, valeret exstirpare. At ille ore irreverenti et infrunito presumptuose respondit se fiduciam permaximam habere in rubea tunica beati Vitoni. Quo dicto, continuo pena sequitur meritum, et ecce in conspectu matronarum et baronum et omnium qui aderant, ob contumeliam sancto irrisorie illatam, acerrima percussus paralysi cecidit, spumare cepit et se ipsum unguibus discerpere; sicque ultione castigatus debita, elinguis perpetuo permansit, ut ceteris terror incuteretur et daretur exemplum sanctis deferendi. Hoc viso, comitissa jussit eum tolli et in grabatum deferri; qui postea reductus ad istam ecclesiam, modico post tempore resignans abbatie, ad Domnam Mariam reversus, aliquandiu ibi commemoratus exspiravit.

7. Effusa igitur contentione super principes, cum errarent in invio et non in via, suscitatum est scisma inter regnum et sacerdotium. Et ecce cum talis inter principes orbis terre agitaretur contentio, Henricus de Castres (67) Arnulpho subrogatur (*an.* 1181); qui favens consilio, auxilio, fide et affectu parti imperatoris excommunicatione publica percellitur. Interea Folmarus Trevirensis archiepiscopus pro sancte negociis ecclesie et suis aliquandiu Rome commoratus, regreditur. Et quia fervente guerrarum nebuloso turbine Treveri nequibat repedare, Remis concilium super rebus ecclesie ordinandis et excessibus corrigendis constituit celebrare; sicque convocato clero Virdunensi, Henricus, qui sacerdotio resistebat, judicio cleri compellitur episcopatui resignare. Quo facto, Leodium revertitur; qui, recuperato personatu et prebenda, quibus jam dudum insignitus fuerat, ibi per aliquod [67] tempus remoratus, morte preventus ultimum clausit diem (*an.* 1186). Henrico vero succedit Albertus, vir admodum strenuus.

Altercatione tamen orta in majore capitulo inter partes super electione pontificis, eo quod una pars Albertum thesaurarium [68], altera vero pars Robertum de [68] Grandi-prato [68] sibi vellet episcopari, Albertus in curia imperatoris obtinuit; qui tandem, oborta seditione inter cives et forenses, lancea a quodam milite pro defensione civitatis perforatus *an.* 1208, *Jul.* 25 seu 26), occubuit (68); cui succedit Robertus primicerius.

8. Anno dominicæ incarnationis 1197 venerabilis pater Lodowicus, vir gratia et moribus preditus et in lege Domini quam plurimum sollicitus, Stephano subrogatur et nostro monasterio abbas preficitur, venerabili fratre suo Alberto episcopante, qui ecclesiam suam invenit multitudine debitorum obligatam et bonis temporalibus destitutam, in tantum ut ere gravaretur alieno et maxima pars fructuum ecclesie in solutionem cederet usurarum. Ne igitur ipsa ecclesia majori possessionum suarum parte in posterum cogeretur exheredari, curtim de Bollai (69) cum ejus pertinentiis omnibus, excepta villa de Leimerfelt, et quicquid ecclesia nostra habebat apud Criemenges [69], viro nobili domino Thome de Bollai vendere compellitur. Hic cum etate juvenis ecclesie curam suscepisset, paupertatem in se sustinuit, superflua queque vitavit, paulatim bonis operibus proficere cepit, et non post multum tempus ecclesiam, per dissolutionem et contentione precedentium religione et honestate ad nichilum fere redactam, ad bonum statum, divino [70] cooperante adjutorio, reduxit. Predictus autem pater noster apud principes et magnates gratiosus et famosus existens, altaria Montis Sancti Martini, Villaris, Baylodii, et ecclesiam de Robons [71] a Treverensibus acquirens, ab episcopis autem Virdunensibus altaria de Rehericuria (70) et de Novavilla cum appenditiis, huic ecclesie donari obtinuit. Et ut bonorum est proprium semper in melius proficere, reditus competentes ad usus infirmorum et debilium infirmarie assignavit, elemosinariamque novam integraliter cum capella construxit. Advocatiam [72] quoque de Calido-fonte cum laborioso sumptu acquirens, istum prioratum, qui ad victum unius monachi vix sufficere poterat, divitiis et reditibus ampliavit. Quia vero longum est enarrare per singula, in quibus ecclesiam melioravit, prioratus emendavit, loca nostra remota et proxima ad bonum statum revocavit, multis omissis, advocatiam Montis Sancti Vitoni a viro nobili Goberto de Aspero-monte quingentis libris emit; ecclesiam quoque nostram supellectilibus auri et argenti decoravit, tabulam argenteam ante majus altare decenter fieri fecit, claustrum a fundamentis erexit, et fere omnes officinas reparavit, et in ultimo vite sue termino opus novum decorum et sumptuosum in monasterio incepit, in cujus parte loci monasterii, in capella scilicet beate Virginis, se constituit sepeliri [73]. In die etiam anniversarii

VARIÆ LECTIONES.

[67] aliquot 1. [68] *e. corr.* 1. [69] Cimenges *ed.* [70] *superscr.* 1. [71] Reboris *ed.* [72] Advociam 1. [73] sepiliri 1.

NOTÆ.

(67) De cujus genere cf. Albericum a. 1167.

(68) Epitaphium v. ap. Wassebourg f. CCCXLII, qui etiam causam mortis fusius narravit.

(69) *Boulay*. CALM.

(70) *Rarecourt*. CALM.

sui quadraginta solidos super domum unam in macello fratribus assignavit, quorum medietatem in anniversario pie recordationis abbatis Richardi jussit expendi. Hujus temporibus floruerunt venerabiles et honeste persone, per quas jus, ratio, discretio, religio, et honestas, viguit et floruit in ista ecclesia; ex quibus tres apud Sanctum Agericum abbatizaverunt successive, Martinus videlicet bonus et honestus, post Martinum Jacobus, vir admodum religiosus et scientia litterarum imbutus; post Jacobum Nicholaus, hujus loci thesaurarius. [Hic Nicholaus abbatiam Sancti Agerici muro forti circumdedit et curiam extra [74] ambitum murorum renovavit, horrea reparavit et extruxit [75].] Nicholaus vero de Chastes in Walciodorensi et Hasteriensi (71) monasteriis in abbatem est assumptus. Preterea floruerunt in hac ecclesia viri religiosi Stephanus dictus Tyecans, Renardus frater ejus, Wernerus dictus Paganus, Hugo dictus de Belloloco, Reynaldus, item Hugo dictus Faber; qui, humeris oneri viriliter suppositis [76], Lodowicum venerabilem patrem nostrum in melioratione ecclesie strenue consiliis et auxiliis, fide et affectu adjuverunt.

9. Roberto viro strenuo in pontificatus culmine sublimato, viriliter et discrete negotia pontificatus procuranti opposuerunt se duo nobiles viri Herbertus Dyvous (72), decanus Remensis et canonicus A Virdunensis, et Theodericus decanus Virdunensis (73), dicentes eum esse neophytum et illitteratum nec dignum pontificatus honore, et in tantum eum vexaverunt ut personaliter ire Romam urgeretur (74). Hic, designato eidem a summo pontifice termino, pontificatu cedere compulsus est; qui cum Virduni reversus esset, infra terminum sibi prefixum lutea mole deposita, in majore ecclesia mandatur sepulture (*an.* 1216, *Aug.* 25). Hoc defuncto, succedit Johannes de Aspero-Monte, gloria dignus et honore, qui devotionis fervente spiritu monasterium quod dicitur in Prato (75) a fundamentis cum quibusdam officinis ibi erexit, canonicos introduxit, reditibus ampliavit; qui, septennio Virduni feliciter peracto, ad episcopatum translatus est B Mettensem. Huic succedit Radulphus (76) cantor Laudunensis (*an.* 1224), vir mitis et mansuetus, qui dedit nobis altare de Rarecort; qui, viginti et uno anno in pontificatus regimine peracto, homine deposito, in majore ecclesia sepelitur (*an.* 1245, *Apr.* 21). Radulpho vero defuncto, Guido de Triagnel pontificatus sortitur honorem; qui dum Virduni adventaret in sede pontificali intronizandus, Hatoniscastro adveniens, febre correptus valida, defunctus est, et sic gaudio in merorem commutato, Virduni advectus est ac sepultus in ecclesia majore. Isti successit Guido de Melloto eodem anno *. C Qui cum viginti juratos civitatis, qui sibi domi-

* *Guidonis vita uberius narratur in Gestis episcoporum Autissiodorensium, a coævo scripta (ap. Labbeum Bibl. manuscriptorum, I, p. 497 sqq.); ex qua quæ huc pertinent addere placet :* Recolendæ memoriæ successit episcopus Guido de Melloto, cujus gesta tanto seduliorem sibi vendicant auditorem, quanto altiora et actu nobiliora fuisse noscuntur. Fuit enim de diocesi Autissiodorensi ex utroque parente generoso sanguine procreatus; pater ejus fuit Guillelmus de Melloto miles dominus castri Sancti Prisci hujus diocesis, vir totius curialitatis et largitatis amator, mensæ propriæ communicator hilaris, pauperum nobilium sustentator, qui etiam, sicut fertur, acquisito cognomine ex rei consonantia et quadam proprietate boni a plerisque Pacis-Bajulus vocabatur. Nam quotiens inter aliquos confines suos discordiam exortam cognoverat, toto nisu ad pacis reformationem intendens, laborem interponere non cessabat, donec discordes, si posset, ad concordiam revocasset. Mater ejus de prosapia dominorum Montis Sancti Johannis traxit originem et antiquæ nobilitatis stemmate fuit non inferior viro suo. Horum itaque natus præsul, de quo loquimur, a pueritia ludo litterarum traditus, sic profecit, quod primo in fundamento grammaticæ radicatus liberalium artium fuit auditor proficuus, ac deinde utriusque juris, canonici videlicet et civilis, acquisita notitia, sacræ paginæ postmodum, quotiens licuit, diligens extitit [77] revolutor. Sed ejus propositum in hac parte negotiorum ecclesiasticorum occupatio frequentius impedivit; in adolescentis quippe moribus et dogmatibus se exornans, spretis lasciviis, membris incultis et incomptis crinibus, compositioni [78] corporis, sicut mos est nobilium juvenum, non vacabat. Quamobrem patri minus carus inter liberos habebatur; sed Altissimi dispositio, qui sibi eum reservabat futurum antistitem, decultum ejus adeo processu temporis exornavit, quod filius sapiens patris gloria, mutato nomine filii a patre, pater et dominus habitus est, et quasi incurvati sunt coram eo filii matris suæ; erat enim vir statura procerus, corpore bene compositus, corde magnanimus, ecclesiasticæ rei augmentator industrius, providus dispensator publicæ utilitatis et plebis tutator indefessus, in sermone modestus, in oratione devotus, in altari angelicus; cujus cantus melodice reboans velut tuba sonora replebat aulam Dei et spiritibus dulcisonis animos audientium delectabat; nec minor consilio in conciliis et collegiis prælatorum, corporali venustate ceteris præemi-

VARIÆ LECTIONES.

[74] *im a cod.* [75] *hæc in marg. add.* 1, et curiam—extruxit *des. ed.* [76] supposito 1. [77] existit *ed.* [78] compositione *ed.*

NOTÆ.

(71) *Vaussor et Hastieres.*

(72) *D'Yvois ?* XI, 261.

(73) Cf. Innocentii III, papæ epist.

(74) Synodo Lateranensi, a. 1215, adfuisse dicitur.

(75) *Saint-Nicolas des Prez* prope urbem; cf. Johannis chartam anni 1226, ap. Calmet II, p. CCCCXXXVII.

(76) *De Corta* secundum Ann. S. Vitoni.

nium et justiciam ejusdem urbis usurpaverant, vellet dejicere, urbem obsedit, omnem clerum ex eadem prius exire compellens et interdicto subponens civitatem. Qua durante discordia, multa dampna ecclesiis et monasteriis tam in mobilibus quam in edificiis, intus cives, exterius episcopus et predones irrogerunt. Inter que turrem Sancti Pauli cum campanis cives funditus dejecerunt. Qui, inquam, Guido episcopus obsidionem exercitus diu sustinere non valens, demum urbem tribus locis, videlicet Carniaco, Dyeia, Wentronvilla (77), munitionibus militum circumdedit et vallavit; infra

nens, venerando gestu et imperioso quodammodo prædominari videbatur aspectu; si quid autem incumbebat judiciali disceptandum examine coram ipso seu aliud ordinandum, persuasionibus et rationibus facilem ac sedulum præbebat auditum, et audita dijudicante revolvens animo libransque omnia, nihil ex præcipiti faciebat. Unde hunc ab ipsis discretionis suæ primordiis morem contraxerat, ut agenda sua tanta deliberationis fornace decoqueret, multis sibi hæc ascribentibus lenitati, quod interdum, sed raro, dispendioso peragi contingebat exitu, quæ maturato compendio potuerant expediri, et licet esset in negotiis et rebus prospere gerendis sollicitus, vix tamen unquam sæcularium occupationum frequentia tanta fuit, cui divinum obsequium hora debita non præferret. Erat siquidem illi quasi moris innati, justitiæ exercere rigorem, bene meritos renunciare, maleficos punire, ita quod quandoque, non ex typho malitiæ, sed ex zelo justitiæ, virgæ mansuetudinem aliquantulum excedebat: oppressis compati, supplicibus parcere, humiles exaltare, superbos deprimere et debellare rebelles; et hac fuit insuper a Domino felicitate donatus, quod in omnibus quæ pro honore Dei et juribus ecclesiarum suarum aggressus est semper victoriam dedit illi Dominus et ejus opera cum gratia et favore direxit.

Qualiter cives Virdunenses expugnavit. Anno ætatis suæ tricesimo secundo, vel circa vocatus per electionem canonicam ad regimen ecclesiæ Virdunensis, quamquam de ipsius gremio non esset, et in episcopum consecratus, retento nihilominus ex dispensatione decanatu Autissiodorensis ecclesiæ, quem prius obtinebat, intellexit, quod omnimoda jurisdictio, spiritalis videlicet et temporalis, civitatis et civium Virdunensium ad episcopum pertinebat, et quod prædecessores Virdunenses episcopi, longe retroactis temporibus, eam diu pacifice possederant pleno jure, sed per incuriam aut impotentiam quorundam qui immediate præfuerant pontificum, cives astuti jurisdictionem civitatis temporalem et jura episcopalia in multis usurpaverant, necnon majores et scabinos creaverant, per quos eadem civitas iis temporibus regebatur. Imposuerant quoque publicas exactiones et pedagia, ex quibus se rempublicam gubernare, murosque et mœnia civitatis fortificare dicebant. Quibus ad suam præsentiam evocatis, ipse, ut erat prudens animo, secundum doctrinam evangelicam primo per se ipsum in blandis sermonibus et dulcibus inductivis ipsos et caritative monuit et rogavit, et postmodum per alios magnos et sapientes diligenter interpellari fecit, quatenus jurisdictionem ecclesiæ taliter usurpatam et jura episcopalia quæ subtraxerant, ecclesiæ restituerent et præsumendis similibus abstinerent: Quod surdis auribus obaudientes, efficere recusarunt, prætendentes sub ficta verborum suavitate, sicut moris est patriæ, excusationes multiplices in peccatis. Deinde via regia compulsus procedere, ipsos canonice præmonitos et superbo oculo parere monitis recusantes excommunicationis mucrone percutit, quam, sicut juris erat, adeo aggravatam, ut in personas ecclesiasticæ censuræ nervus progressibilis ultra non esset, sustinentes animis obstinatis, et ex correctione pertinaciores effecti, ibant ab obice leviores. Videns autem nequitiam ipsorum, in quibus ab antiquis progenitoribus usura et dolus viguerant et vigebant, prævia deliberatione cum solemni processione cleri totius civitatis villam exiens, et corpus Christi faciens extra ferri, civitatem ipsam et homines generali supposuit interdicto, dimissis ibidem sacerdotibus aliquot tantummodo ad penitentias morientium et baptismata parvulorum; et suspicans quod contra ipsum libenter sinistrum aliquod molirentur, si possent, sese in castra et munitiones episcopatus recepit. Ipsi autem ex his indignantissime provocati, spiritu rebellionis assumpto, cœperunt non recte cogitare, qualiter injuste justum possent opprimere; sicque factum est, quod die quadam communi deffinitione inter se habita et edicto publice proclamato, exierunt civitatem armati in fragore nimio et tumultu pompatico omnes a juvene usque ad senem armorum gestabiles et debellare valentes, cum militibus conductitiis numero quasi duodecies mille æstimabiles, ad terram episcopatus vastandam; inter quos, ut fertur, quidam ducatorum et major eorum in vituperium pontificalis honoris mitram episcopalem galeæ suprapositam deferebat. Eadem vero die episcopus cum quibusdam suis armatis exierat Charniacum castrum ad prædandum, ut creditur, animalia, quæ cives extra civitatem immiserant [79] depascenda; sed a longe prævisis hostibus, sui generis comitiva, quæ non procul aberat, et pro qua mandaverat, convenit [80] ad illum. Quibus congregatis numero paucis, videlicet trecentis æstimabiliter viris et non pluribus, ut creditur, militiæ tamen peritis et armorum industriis, circumspectus episcopus, habito brevi consilio cum eisdem, occupato promontorio circumcludens adversarios belli indoctos et opposito soli suppositos, et tam prudenter quam potenter cum suis irruens in eosdem, omnipotenti Deo, qui docuit manus suorum ad prælium, causam suam tuente, non tam victoriose quam miraculose devicit eosdem, et [81] erectum male verticem rebellantium in delictis suo fremitu conculcavit, quibusdam in fugam conversis, aliis gladio corruentibus et ceteris captis ductis; fuitque captorum numerus capientium multo major. In quo conflictu sacerdotalis ministerii et pontificalis modestiæ non oblitus, letaliter nullum læsit, sed animando et exhortando suos ad pugnam plus officio linguæ quam ipsis manibus profecit ad pugnam, obtentaque victoria, ad castrum, unde exierat, cum gaudio regressus est. Paucis autem decursis diebus, cives virga correctionis edocti,

VARIÆ LECTIONES.

[79] emiserant? [80] convenisset *ed.* [81] ut *ed.*

NOTÆ.

(77) *Charny, Dieue et Watronville*, quæ villæ duabus fere leucis a Virduno distant e septentrione, meridie et oriente urbis.

quod tempus cives urbem quadam die, videlicet feria secunda post festum sancti Bartholomei, cum manu forti et armata exeuntes, numero tredecim milia ad bella expediti, eos (78), qui interius in munitionibus erant supradictis, viriliter invadentes, cum vix essent numero trecenti, eos tamen devicerunt, et ex eis captos duxerunt fere trecentos; in quo conflictu ceciderunt centum viri vel amplius. Quo facto cives valde perterriti et attriti, demum pacem episcopo offerentes, pro civibus quos captos tenebat dantes decem milia libras, omnem ei suam justiciam quittaverunt, et prefati viginti jurati ceciderunt, et sic pace inter clerum et cives reddita (79), ipso anno circa purificationem beate Virginis translatus est de Virduno ad episcopatum Altisiodorensem [83] idem episcopus, pace nondum [84] bene confirmata.

10. Cum venerabilis abbas Lodowicus senio fessus resignasset, presentibus viris reverendis patribus, scilicet Johanne Mettensi, Rogero Tullensi, Radulfo Virdunensi, Willermus abbas Sancti Mansueti eligitur. Qui cum monachus hujus loci factus fuisset prior Flaviniacensis, invenit dictum prioratum ecclesia et omnibus officinis omnimode dirutum et ad nichilum redactum. Hic appendens in statera considerationis, sibi ad dedecus cedere si deses existeret, et ad meritum si strenuus emendationi loci insisteret, Deum, cui familiare est etiam non rogantibus multa prestare, sibi in adjutorium invocavit, et tanto operi tantoque oneri humeros apposuit; qui, divino se brachio sustentante, primo anno tigna, laquearia, tecta et celaturam ecclesie cum turri, veteribus operturis putrefactis abjectis, usque ad summum restauravit. Capitulum quoque cum dormitorio, refectorium cum granariis satis competenter et honeste resarcivit. Horreum etiam, quod sepibus circumseptum erat et clausum, sumptuoso opere et forti de novo construxit, grangias

quos paulo ante mansuetudinis monita flectere nequiverant, pacem cœperunt inquirere, et mediantibus bonis ad hanc concordiæ formam deventum est, quos jurisdictione omnimoda temporali et juribus ecclesiæ restitutis, decies mille libras episcopo pro damnis et sumptibus exsolverent. Seditque episcopus civitatem ex tunc in tranquillitate regens; cui tantum præfuit anno uno.

Qualiter ad ecclesiam Autissiodorensem translatus, etc. Elapso deinde aliquanti temporis intervallo, bonæ memoriæ Regnaudo de Salligniaco Autissiodorensi episcopo rebus humanis exempto, ad ecclesiam Autissiodorensem, in qua decanatum retinuerat, ut prædictum est, tam per electionem quam postulationem canonicam, auctoritate apostolica interveniente, cum lætitia magna populi et cleri translatus est; ubi qualiter rexerit [85] quæve gesserit, satis operum suorum evidentia declaratur, de quibus aliqua brevi chirographo perstringamus....

Sed etiam hæc ex posteriore vitæ parte ad rem nostram faciunt :

Qualiter profectus est in auxilium Caroli regis Siciliæ. Ea tempestate qua damnatæ memoriæ princeps nefandissimus, paterni sceleris imitator, Manfredus, filius Frederici quondam imperatoris, regno Siciliæ, proprio Petri patrimonio, et ducatu Capuæ occupatis, res ecclesiasticas damnabiliter tractabat, evertebat ecclesias et fugabat prælatos, vocato per summum pontificem viro magnifico Carolo, regis Franciæ filio, pro suscipiendo regno hujusmodi et liberando de manibus impii memorati, concessaque ab apostolico omnibus in ejus auxilium proficiscentibus peccatorum suorum indulgentia generali, zelo devotæ peregrinationis accensus, Romam adiit in Caroli subsidium, apostolica tamen interveniente licentia profecturus; ubi a sanctissimo patre Clemente IV, Romanæ ecclesiæ tunc præsidente et cardinalibus honorifice et gaudens receptus, commisso sibi in ipsa expeditione legationis officio, de mandato ejusdem summi pontificis in auxilium ejusdem Caroli in regem consecrati (*an.* 1266, *Febr.* 26), cum eodem rege et ejus exercitu gressum direxit. Cumque jam approximassent Beneventanam civitatem, ubi stabat adversarius cum Alemannorum multitudine bellicosa, jamjamque starent [86] acies hinc inde paratæ congredi, ipse, ut erat armis intus divinis præcinctus, et exterius indutus militaribus stans, super regis exercitum, salutaris exhortationis sermone præmisso, pro ipsis animandis ad pugnam, elevata manu loricata, apostolica fretus auctoritate, omnes ab omnibus peccatis absolvit, evolationem illis præmittens incunctanter ad patriam, si qui forte morientes pro viribus strenuius debellassent. Moxque, ut prædicationis suæ exemplaris probaretur doctor, non sequi sed præcedere visus ad prælium, tanto animositatis ardore corda videntium inflammavit, quod passim per hostes et gladios irruentes non aggredi sed furere videbantur. In quo congressu modestiæ pontificalis non immemor, nunc acies erumpendo, nunc equos hostium gladio prosternendo, nunc clamando et animando, gestu et linguæ redimebat officio, quod in personas hostium attemptare propter irregularitatis periculum forsitan expavebat, si fas sit credere, quod vir strenuus in justo bello et letali conflictu ferientibus manu mutua non repugnet. Denique Manfredo morte cadente in bello, suisque vel captis vel fugientibus aut gladio peremptis, expleto victorioso certamine ac ipso rege totius Apuliæ regimen et dominium tranquillum adepto, cum ipso aliquandiu commoratus, deinde valedicto recedens, apostolica revisit limina; ubi a papa et fratribus cum lætitia et veneratione susceptus et aliquot diebus immorans, ac deinde cum apostolica benedictione recedens, iter suum Domino prosperum faciente, ad propria regressus est.

VARIÆ LECTIONES.

[83] altys. 1. [84] nundum 1. [85] rexit *ed.* [86] staret *ed.*

NOTÆ.

(78) Scil. cives.
(79) Chartam pacis vigilia S. Andreæ (i. e. Nov. 29) a. 1246 datam esse, Calmet II, p 303, testatur.

circumjacentes melioravit, decimas Dynvas (80) et de Chamont, que per 40 annos prioratui Flaviniacensi sublate fuerant a comite Lunarisville (81), per industriam suam et laborem, et per ducem Lotthoringie Matheum ad locum suum revocavit, et fere medietatem ville de Flavignei, quam dux Lothoringie Matheus sasiverat et suo dominio manciparerat; cum multis rebus aliis reacquisivit. Quam commodus huic loco extiterit, ipsis rerum et edificiorum monimentis declaratur. Igitur pro hujuscemodi et aliis bonis ad abbatiam Sancti Mansueti ipso invito tractus fuit. Qui illo transvectus, invenit ecclesiam tam bonis spiritualibus quam temporalibus dissipatam et gravibus debitis oneratam. Omnes fere reditus ecclesie profundissimo debitorum diluvio submersos reperit, et calices, textus, cruces casulasque et meliores cappas invadiatas invenit, ita quod sortis dilatio usuras parturiret ampliores; tectum ecclesie, celaturam, clausuram quoque curie reparavit, alias etiam officinas melioravit, industria sua et labore debita minoravit, usuras leviavit, universa que oppignorata erant redemit, reditus ampliavit, ecclesiam de Clateigneis a comite Tullensi cum appendiciis suis, altare vero ab episcopo Tullensi Rogero acquisivit, altare etiam de Germai et de Bures ab eodem episcopo cum appendiciis suis obtinuit, et multa alia, ex quibus emolumentum ad annuam valentiam centum librarum possit provenire, ecclesie Beati Mansueti acquisivit infra spatium octo annorum et dimidium, quibus prefuit ecclesie illi. Qui, inquam, Willermus abbas ecclesiam dictam, cui preerat, non spiritualibus solummodo, verum etiam temporalibus copiosissime extulit incrementis. Hic de priore suo Jacobo dicto de Vignuoles, cujus vitam et mores satis compositos et honestos noverat, de assensu Radulfi Virdunensis episcopi abbatem apud Sanctum Agericum creavit. Hic pius et mansuetus, quamvis brevi abbatizaverit tempore, nomen bonum loco illi acquisivit. Fuit enim valde gratiosus et multa bona in loco illo operatus est.

11. Igitur venerabili patre nostro Willermo abbatizante, seditio, de qua supra mentionem fecimus, que inter episcopum Guidonem de Melloto [86] ex una parte, et cives Virdunenses ex altera versabatur, in tantum invaluit, ut episcopus predictus quacumque potuit, res, reditus et bona nostra manu violenta subripuerit. Comes vero Barrensis hinc, dominus quoque de Aspremont inde. Bonis ergo nostris datis undecumque in direptionem, compulsi sumus necessitate urgente locum nostrum inviti deserere. Dispersi igitur per nostros prioratus et per alia loca, tamdiu irrequieto ibi mansimus animo, A quousque lis utrimque sedaretur. Interea cives Virdunenses timentes, ne episcopus castra locaret et excubitores poneret in turribus nostris, quibus arceret introitum et exitum civibus, proposuerunt turres dejicere, ne eis essent impedimento. Lapicidis ergo generali edicto congregatis, ceperunt turres instrumentis suis ferreis effodere, ut eas valerent facilius dejicere; cujus rei geste memoria monimentis patentibus in posteros perpetuo poterit derivari. Hoc viso, venerabilis pater noster Willermus animo graviter consternatus, cives cepit multimodis rogatibus pulsare, ne tantum facinus perpetrarent. Qui nullatenus rogatui ipsius voluerunt acquiescere, nisi sub tali conditionis pactione, quod, si episcopus occasione turrium ipsis aliquod gra- B vamen inferret, predictus abbas cum capitulo teneretur eis in duobus milibus libris fortium obligatus [87]. Obsidibus igitur datis et pactione confirmata, turres in statu suo permanserunt. Cives vero clausuram curie, domum portariam et lapides ecclesie, sculptos multis sumptibus et politos, ad valentiam fere trecentarum librarum, ad clausuram suorum menium et propugnaculorum deduci fecerunt. Episcopus igitur his et consimilibus in iram concitatus, videns se nichil posse inferre gravaminis civitati et civibus, omnem Scantiam a summo usque deorsum et totum suburbium superius usque ad Sanctum Amantium, ut saltim vel sic furori suo satisfaceret, igni fecit concremari.

12. Hujus temporibus cum Fridericus imperator C in superbia et abusione in ecclesiam Dei rabie deseviret efferata et fraude heretica serpentino lapsu universum pene orbem inquinaret, summus pontifex Innocentius IV, reluctandi gratia Lugduno Gallie appulit (*an.* 1245), non ut hostiles conflictus timidus declinaret, sed ut potius et securius reluctari valeret. Fidei igitur armatus clipeo, adjutorio fretus divino, ei se viriliter opposuit, ne veritatem falsitas obumbraret, ne equitati iniquitas prevaleret, ne fidem perfidia debellaret. Exerto igitur potentissime Petri gladio, in ipsum excommunicationis dictavit sententiam. Post hec communicato tocius cleri consilio, universalis ecclesie judicio predictus Fridericus sceptro imperialis honoris pri- D vatur (*an.* 1246); cujus sede landegravius sublimatur, ut catholice fidei materiali gladio ferret auxilium, ut ab altero alterius insufficientia suppleretur, cum hi duo gladii mutuum a se mendicent auxilium atque ad invicem sibi vires debeant alternas impertiri; qui brevi supervivens tempore, suis morte sua intulit mesticiam et dolorem. Isto sublato de medio (*an.* 1247), erectus est in regem vir nobilis Willermus, miles acerrimus, filius comitis de

VARIÆ LECTIONES.

merloto 1. [87] obligati 1.

NOTÆ.

(80) D'Ynvas i. e. *Einvaux ou Neinvaux près l'Abbaye de Bel-champ.* CALM.

(81) *Luneville.*

Holande; qui multis commissis preliis contra regem Conradum, filium predicti Friderici apostate, et aliquibus captis munitionibus et castellis, innumeras perpessus est insidias et dolores. Innocentius vero summus pontifex pro tuicione ecclesiastice libertatis, se ad omne discrimen obiticus, ecclesieque Dei persequutionibus commoriens, exactionibus inauditis et importunis cepit omnem ecclesiam et monasteria enormiter exhaurire, ita quod vicenariam, deinde denariam partem omnium redituum et decimarum in donativis milicie sibi dari ab omni ecclesia et monasteriis compelleret, eos vero qui negarent excommunicationis sententia percelleret; cardinales vero hinc, summus pontifex inde, tam in vicenario quam in denario, tam in pensionibus quam in procurationibus et subventionibus, in mille libras [ecclesiam [88] nostram] gravaverunt [89]. Cum igitur mirabiles essent elationes maris et mirabilis in altis Dominus (*Psal.* XCII, 6), statuit procellam ejus in auram, et ille, qui imperat ventis et mari, imperio suo imperavit, imperatori ne imperaret; humiliavit enim eum is, qui est ante secula, qui humiliat omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei. Nimis enim oppresserat et in conculcationem dederat ecclesiam Dei. Preterea ille Fridericus, qui vehementi scismate turbaverat urbes et regna concusserat, corruit cum Dagon, sortem habiturus cum Chore, Dathan et Abyron, quorum imitatorem se fecit, ecclesias in Christi contumeliam conculcando et ipsorum bona depopulando. Quo defuncto, domnus papa Mediolanum repedavit (*an.* 1250).

ANNALES

SANCTI VITONI VIRDUNENSIS.

96. Passio sancti Dyonisii. Sanctus Sanctinus cum Antonino ex precepto beati Dyonisii post martyrium ipsius Romam tendens angelica visitatione edoctus, ad urbem Clavorum, que Virdunum dicitur, divertit; verbum Dei civibus predicans, multos convertit et ecclesiam in honore beati Petri construens et consecrans, ab ipsis christianis quos converterat episcopus eligitur primus.

360. His temporibus post vastationem Hunorum ecclesie refloruerunt, et Pulchronius, discipulus Lupi Trecassini episcopi, ecclesie Virdunensi 5. episcopus preficitur.

503. Transitus sancti Firmini episcopi Virdunensis. Cui a Clodoveo rege beatus Vitonus substituitur, et intronizatur in sede pontificali.

518. Annunciatio sancti Agerici.

528. Transitus beati Vitoni Virdunensis episcopi.

554. Ordinatio [90] episcopatus sancti Agerici.

602. Obiit sanctus Agericus; succedit Caramerus.

688. Pipinus, Ansegisi filius, cepit regnare. A cujus temporibus beatus Madelveus duravit usque ad tempora Karoli Magni.

Iste Pipinus dux et illuster princeps Francorum cum uxore sua illustra matrona Plectrude dederunt ecclesie Sancti Vitoni villam Paridam cum pertinenciis suis cum silva spaciosa que Nauca sancti Vitoni dicitur, anno septimo Childeberti regis.

758. Obiit sanctus Madelveus episcopus Virdunensis.

771. Petrus Virdunensis episcopus instituitur.

795. Obiit Petrus episcopus Virdunensis; succedit Austrannus.

800. Obiit Austrannus episcopus Virdunensis; succedit Herilandus (82).

847. Obiit Hildinus Virdunensis episcopus; succedit Hatto.

915. Combusta est ecclesia Sancti Vitoni Virdunensis liba: [91] memorie sanctorum.

920. Obiit Dado episcopus Virdunensis; succedit Bernoynus.

941. Obiit Bernoinus episcopus Virdunensis; succedit Berengarius, Ottonis imperatoris consanguineus.

952. De monasterio Sancti Vitoni pelluntur clerici, subrogantur monachi sub abbate Huberto (83).

958. Obiit Berengarius episcopus Virdunensis; succedit Wicfridus, qui fundavit ecclesiam Sancti Pauli Virdun.

986. Obiit Wicfridus episcopus Virdunensis; succedit Adelbero.

990. Obiit Adelbero episcopus Virdunensis; succedit Heymo, qui fundavit monasterium monialium Sancti Mauri.

VARIÆ LECTIONES.

[88] *superscr.* 1. [89] gravaverint 1? *ed.* [90] ornatio *cod.* [91] *ita cod.*, *fortasse:* vigilia.

NOTÆ.

(82) Hæc iis supplenda sunt quæ ex antiquiore ejusdem codicis parte jam supra IV, p. 7 edita sunt.

(83) V. Chartam Berengarii episcopi apud Rousel, Probb. p. 2.

1005. Obiit Fingenius abbas Sancti Vitoni: succedit Richardus.

1025. Obiit Heymo episcopus Virdunensis; succedit Raymbertus, qui fundavit monasterium Sancti Agerici.

1039. Obiit Raymbertus episcopus Virdunensis; succedit Richardus.

1046. Obiit Richardus abbas Sancti Vitoni; succedit Walerannus. Obiit Richardus episcopus Virdunensis; succedit Theodericus.

1048. Civitas Virdunensis a duce Godefrido et Balduino capitur, depredatur, et una cum monasterio Sancte Marie incenditur.

1049. Obiit beatus Odilo abbas Cluniacensis. Dedicata est ecclesia beate Marie Magdalene a Leone papa IX.

1056. Obiit Heinricus imperator; succedit Heinricus puer.

1060. Obiit Walerannus abbas; succedit Grimoldus.

1064. Sancti Bartholomei capella cum atrio dedicatur. Et stella que dicitur cometa apparuit; quo etiam anno Haroaldus Anglorum rex interimitur, succedente Willermo.

1069. Obiit Godefridus dux, filius Gozelonis ducis; succedit filius ejus Godefridus Gibbosus dictus.

1071. Obiit Ermenfridus canonicus et edificator ecclesie Beate Marie Magdalene.

1075. Rodulfus dux invasit Saxoniam.

1076. Obiit Godefridus minor dux; succedit Godefridus qui dicitur Bulloniensis.

1077. Rodulfus abbati Grimoldo succedit. Gelu validum 4 mensibus continuum.

1078. Obiit Grimoldus abbas.

1079. Bellum in Saxonia, ubi Rodulfus dux interimitur a Heinrico minore.

1080. Translatum est corpus domni episcopi Richardi, et sepultum est ante chorum in novam basilicam Sancte Marie.

1082. Sedicio magna inter regnum et sacerdocium. Pro qua a monasterio sancti Vitoni per septennium monachi sunt expulsi, scilicet usque post mortem Theoderici episcopi Virdunensis

1086. Bellum in Sathanaco.

1087. Obiit Willermus dux Normannorum et rex Anglorum. Victor papa. Translatio sancti Nicholai in Bar.

1088. Obiit Theodericus episcopus Virdunensis; succedit Richerus, et Urbanus papa.

1091. Obiit Herimannus Mettensium episcopus.

1095. Consecratio Richeri episcopi. Concilium episcoporum pene totius orbis, exceptis Lothoringis Alemannis Baugariis, apud Clarummontem Avernie est congregatum.

1097. Stella que dicitur commeta apparuit.

1098. Obiit Urbanus papa; succedit Pascalis papa.

1099. Obiit Rodulfus abbas; succedit Laurentius Jherusalem a duce Godefrido Bulloniensi et a christianis capitur.

1106. Imperatori Heinrico patri mortuo Heinricus succedit.

1107. Richerus episcopus obiit; cui succedit Richardus electus.

1111. Monasterium Sancti Vitoni expulsis monachis a Richardo episcopo desertum. Heinricus, filius Heinrici dicti regis, Romam quasi pape Pascali satisfacturus veniens, ipsum cum cardinalibus infra beati Petri ecclesiam tradicione cepit et in cenoso loco trusit.

1114. Monachi Sancti Vitoni ad monasterium redeunt post mortem Richardi episcopi. Vacavit episcopatus tribus annis semis.

1116. Succedit episcopus Heinricus Virdunensis.

1117. Bellum ante Virdunum comitum Raynaldi et Willermi. Obiit Pascalis papa; successit Gelasius.

1118. Obiit Balduinus rex Jerosolimitanus.

1119. Obiit Gelasius papa; succedit Kalistus secundus.

1120. Civitas Virdunensis a comite Raynaldo capitur, et maxima pars urbis cum monasteriis Sancti Salvatoris, Sancti Petri Sanctique Agerici incenditur et spoliatur.

1122. Cives Virdunenses comiti Heinrico de Grandi Prato hanc urbem per tradicionem reddiderunt; a quo aliquanto tempore possessa, multa mala ibi commisit.

1124. Concordia facta est inter regnum et sacerdocium.

1125. Obiit Kalixtus papa; succedit Honorius. Heinricus quintus imperator obiit; succedit Lotharius dux Saxonie.

1129. Heinricus episcopatum reddidit. Orsio abbas Sancti Dionisii Remensis eligitur.

1130. Obiit Honorius papa; succedit Innocencius [**].

1131. Orsio episcopatui renunciavit, et Adelbero archidiaconus eligitur et die sancto pasche Parisius consecratur ab Innocentio papa.

1132. Turris Virduni capitur et evertitur.

1138. Obiit Lotharius imperator; cui succedit Conrardus.

1139. Obiit Laurencius abbas Sancti Vitoni; Segardus successit.

1142. Obiit Segardus abbas; cui Cono successit.

1143. Innocencius papa obiit; succedit Celestinus.

1144. Obiit Celestinus papa; Lucius successit.

1145. Obiit Lucius papa; Eugenius succedit tercius.

1147. Eugenius papa corpus beatissimi Patris Vitoni in ipsius die festivitatis in novo feretro

VARIÆ LECTIONES.

[**] *ita c. sæpius.*

transposuit, et in die festivitatis Sancti Martini ec- A clesiam Beate Marie dedicavit.

1150. Obiit Eugenius papa; succedit Anastasius, et postea Adrianus. Combustum est monasterium Sancte Marie Magdalene et maxima pars urbis.

1152. Obiit Corardus rex Romanorum; succedit Fredericus dux Elisatii.

1153. Bellum ante Mozon, ubi Mettenses interierunt. Ascalona capta a christianis. Rex Lotharingiorum Fredericus perrexit Romam ad imperium dilatandum.

1156. Ordinatio Alberti episcopi duobus annis ante obitum Adelberonis.

1158. Obiit Adelbero episcopus Virdunensis.

1161. Obiit Adrianus papa; succedit Alexander III.

1163. Obiit Albertus episcopus Virdunensis et monachus Sancti Vitoni; succedit Richardus dictus Infans.

1171. Obiit Richardus electus Virdunensis; Arnoldus succedit. Passus est sanctus Thomas Cantuariensis episcopus.

1178. Obiit Cono abbas Sancti Vitoni, qui turres lapideas et locum Thezauri dictum fieri jussit et feretrum sancti Vitoni compleri. Cui succedit Richerus.

1179. Richerus spontanea voluntate finitur; succedit Allestannus junior, et ipso anno obiit; cui successit Allestannus senior.

1181. Obiit Arnoldus episcopus Virdunensis sagitta in capite percussus ante castrum de Sancta Manehulde; Heinricus succedit.

1182. Obiit Alexander papa; succedit Lucius papa.

1183. Allestannus senior abbatie renunciavit; Thomas abbas Maurimontis subrogatur.

1186. Obiit Lucius papa; succedit Urbanus. Heinricus episcopatui renunciavit, et Albertus eligitur.

1187. Thomas abbas renunciavit; Hugo succedit. Obiit Urbanus papa, et Gregorius succedit: qui eodem anno obiit; succedit Clemens.

1189. Obiit Fredericus imperator; succedit filius ejus Heinricus.

1190. Obiit Clemens papa; succedit Celestinus.

1194. Fames valida adeo ut frumentum precio 4 librarum venumdaretur.

1197. *Obiit*[93] *Celestinus* papa; succedit Innocen*tius tertius*. Hugo abbas prelature cessit; cui Stephanus succedit; qui paralisi percussus abbacie renunciavit eodem anno. Lodoicus in abbatem eligitur, frater Alberti episcopi Virdunensis. — *Obiit Heinricus* imperator; cui *succedit* Philippus.

1200. Capta est Constantinopolis a Francis et a Venetis, et Balduinum comitem Flandrie imperatorem constituunt.

1208. *Philippus* rex nondum imperator *est interfectus* a palatino .... ; succedit Otto *comes* ..... i; qui postquam con*secratus est mandatis* Innocencii *pape im*perans excommunicatus ...... dis depositus *est regia* dignitate, et *sublimatus est* imperio Frede*ricus dux A*pulie. Sedicio magna orta Virduno, cives consurgentes in clericos, clerici in cives, et multa mala perpetrantes; ad ultimum obiit Albertus episcopus lancea interemptus; cui succedit Robertus primicerius.

B 1216. *Convocatum* est Rome gener*ale concilium*, et ibi cruce si*gnatus est* imperator Fredericus. Obiit Innocencius papa; succedit Honorius.

1217. Obiit Robertus episcopus Virdunensis; succedit Johannes de Aspero-monte; qui fundavit monasterium Sancti Nicolai in Prato. Factum est incendium hujus civitatis Virdunensis a gradibus Sancte Marie et ab Ancelini vici porta usque ad pontem Brachioli, generaliter a muro usque ad murum.

1222. Obiit sanctus Dominicus inventor ordinis Predicatorum.

1224. Johannes Virdunensis episcopus episcopatui renunciavit, transiens ad episcopatum Metten- C sem; cui Radulfus de Torta succedit, cantor de Lyons (84). Lodoicus abbas Sancti Vitoni tabulam argenteam ante majus altare fieri jussit. Gregorius papa Fredericum imperatorem monuit, ut cum exercitu suo, qui jam pridem cruce signatus erat, ad exterminandos fidei christiane inimicos Jerosolimis proficisceretur.

1226. *Obiit Honorius* IX, papa; *succedit Gregorius*.

1227 ..... pugna inter *Radulfum episcopum* Virdunensem et inter *cives* ..... ii.

1232. Canonizatus sanctus Dominicus inventor fratrum Predicatorum.

1237. VIII Idus Marcii Lodoicus abbas senio fessus abbacie resignavit, qui opus sumptuosum mo- D nasterii inchoaverat, et anno sequenti obiit. Cui Guillermus abbas Sancti Mansueti electione succedit, olim monacus Sancti Vitoni; qui in eodem opere sumptuoso, in edificiis domorum et capelle, in campanis optimis et maximis, et in acquisicione fundorum fidelissimus inventus est, sicut[94] et predecessor ipsius.

1241. Obiit Gregorius papa; succedit Celestinus sedit diebus 18; vacat per triennium sedes.

VARIÆ LECTIONES.

[93] *hæc in codice abscisa suppleri.* [94] sic *c.*

NOTÆ.

(84) *Laon.*

1243. Succedit Innocencius in papatu.

1245. Obiit Radulfus episcopus Virdunensis; successit Guido de Triagnel; qui eodem anno obiit; cui Guido de Melloto succedit. Sedicio magna inter ipsum et cives Virdunenses extitit; pace facta, eodem anno transivit ad Altissiodorensem episcopatum; cui succedit Johannes de Aix.

1253. Obiit Innocencius papa; Allexander succedit. Obiit Johannes d'Aix electus Virdunensis diaconus; cui ex provisione domni pape Jacobus archidiaconus Laudunensis succedit, natione Gallicus ex civitate Trecensi.

1256. Jacobus Virdunensis episcopus ex pape precepto translatus est ad patriarchatum Jerosolimis; cui succedit Robertus Mediolanensis.

1259. Obiit Guillermus abbas. Vacavit sedes per B octo annos, durante lite inter duos electos, videlicet Dominicum prepositum et Radulfum priorem Montis Sancti Martini, qui tamen obtinuit; et propter hoc sumptuosum opus monasterii cessavit, multis impetitionibus [95] et dampnis per eum huic ecclesie factis. Obiit Allexander papa; successit Jacobus prefatus Virdunensis episcopus patriarcha Jerosolimis, dictus Urbanus papa IV, qui sollempnitatem sanctissimi sacramenti instituit.

1264. Obiit Urbanus papa; succedit Clemens.

1265. Karolus comes Andegavensis, frater Ludovici regis Francie, dux exercitus christianorum, devicit Maufridum tocius christianitatis inimicum.

1267. Obiit Clemens; succedit Gregorius. C

1270. Obiit sanctus Ludovicus Francorum rex.

1271. Obiit Robertus II, episcopus Virdunensis; successit Ulricus de Satanacho [96], prepositus beate Marie Magdalene.

1272. [Obiit [97]] Gregorius papa; succedit Innocencius.

1273. Obiit Ulricus episcopus Virdunensis; post hunc vacavit sedes per tres annos.

1276. [Obiit [97]] Innocencius papa; [succedit [97]] Adrianus papa, et inde Johannes. Succedit in episcopatu vero Gerardus de Grandissono.

1277. Obiit Johannes papa; succedit Nicholaus.

1278. Obiit Gerardus de Grandissono episcopus Virdunensis; succedit frater ejus Henricus de D Grandissono.

1281. Obiit Radulfus abbas; succedit Johannes.

1286. Obiit Johannes abbas; succedit Tiericus. Obiit Heinricus de Grandissono episcopus Virdunensis; vacavit per 4 annos.

1290. Succedit in episcopatu Virdunensi Jacobus de Revigneyo clericorum generalissimus.

A 1292. Obiit Tiericus abbas; Gobertus elimosinarius eligitur; sed Philippus Dorne prior de Corbigney [98].

1296. Obiit Jacobus II, episcopus in curia Romana, qui ibi iverat propter discordiam quam habebat contra cives Virdunenses. Succedit Johannes de Richeri-curte dictus de Aspero-monte III[us].

1297. Obiit Philippus abbas; succedit Hugo de Remis.

1302. Obiit Johannes de Richeri-curte episcopus Virdunensis; succedit Thomas de Albo-monte.

1303. Obiit Hugo abbas Sancti Vitoni; succedit Baudocus de Failleyo, prior de Munau.

1305. Obiit Baudocus abbas; succedit Nicolaus Maisel celerarius. Obiit Thomas episcopus Virdunensis; successit Nicolaus de Nova-villa super Horne (85).

1312. Nicolaus episcopus Virdunensis resignavit oneri sui episcopatus; cui succedit Heinricus de Aspero-monte.

1314. Obiit Heinricus de Lucembourge imperator, qui in perceptione eucaristie et in amministratione [99] sanguinis Christi veneno apposito in calice intoxicatus est in Ytalia.

1316. Obiit Nicolaus abbas Sancti Vitoni; cui succedit Symon de Nanceyo, prior Flaviniaci. Magna fames et maximo mortalitas hominum.

1318. Obiit Symon de Nanceyo abbas Sancti Vitoni; cui succedit Theobaldus de Bazelle, prior de Munau.

1319. Obiit Theobaldus abbas Sancti Vitoni; succedit consanguineus ejus Erardus de Bazelle; qui debita et impinoraciones [100] suorum predecessorum delevit.

1325. Archidiaconus Treverensis, rex Boemie, comes Barensis et dux Lothoringie cum eorum comitatu ter in anno fuerunt ante Meten. Propter hoc Patries [1] tota fuit combusta.

1332. Facta sunt tonitrua et corruscaciones in crastino nativitatis Domini. Majores civitatis Virdunensis a communitate civitatis religati fuerunt.

1336. Conbusserunt cives Virdunenses villam de Buxey (86), et ipsis redeuntibus, ad pontem de Way (87) multi fuerunt occisi et vulnerati a Barensibus, et Virdunensis episcopatus per tradicionem [100].

1340. Erardus abbas Sancti Vitoni fieri jussit duas majores medias campanas [2].

1346. Rex Anglorum prope Cuxei (88) debellavit regem Francorum, et ibi occubuerunt rex Boemie, dux Lothoringie et alii multi principes.

1349. Obiit Heinricus episcopus Virdunensis;

VARIÆ LECTIONES.

[95] impitionibus *c.* [96] saranacho *in cod. legi;* Savinaco *Labb.* [97] *deest c.* [98] *sc.* obtinuit. [99] amministratione *c.* [100] *ita c.* 1-2 [1] patres *c.* patria *ed.* [2] capanas *c.*

NOTÆ.

(85) *Neuvill-sur-Orne* in Barrensi territorio.

(86) *Buzy.*

(87) *Warc.* Reuss.

(88) Prælium apud Cressy intelligitur.

Heinricus de Germiney eligitur. Hic non fuit confirmatus. Obiit Erardus abbas Sancti Vitoni; Bastianus prior Calidi-fontis eligitur; sed Raymundus Dachic gratia sedis apostolice obtinuit.

1353. Raymundo abbati succedit Gerardus de Voudenayo gratia sedis apostolice. Qui bona monasterii Marie[a] dissipavit, census et redditus obligavit, litteras et cartas summe necessarias impignoravit, homines et subditos depauperavit et suis bonis spoliavit, redditus ipsius in tercia parte minoravit ac in aliis 26 milibus Francis et ultra dampnificavit, ac ipsum monasterium in tantam redegit paupertatem, quod vix in anno duodecies matutine cantabantur in eo. Qui omnia[b] parcat sibi Deus et indulgeat.

1381. Obiit Gerardus de Vodenay abbas Sancti Vitoni; cui succedit Johannes de Tric, prior Flaviniaci.

1382. Obiit Johannes de Tric abbas Sancti Vitoni; succedit Heinricus de Passavant dictus le Champenoy, prior Calidi-fontis, qui impinoraciones et debita sui predecessoris valde minoravit.

1391. Obiit Heinricus abbas bonus gubernator; Reginaldus Pallardelli gratia sedis apostolice succedit, monachus Sancti Michaelis.

1403. Obiit Leobaldus de Cusancia episcopus Virdunensis; Johannes de Sarraponte, filius domini Johannis de Commarceyo militis, succedit; qui multa passus fuit incommoda per predones et aliquos vassallorum episcopatus Virdunensis, sibi inique et sine causa illata.

1413. Ignis in vigilia festivitatis sancti Vitoni in meredionali campanili neglectus liquefecit duas grossiores campanas; quas abbas Reginaldus anno sequenti restauravit.

1417. Obiit Reginaldus abbas; succedit nepos ejus. [Obiit[c]] Stephanus Burgensis, elemosinarius Sancti Vitoni, rector fidelissimus.

1420. Translatus est Johannes de Sarraponte ad episcopatum Cathalaunensem per permutationem factam inter ipsum et Ludovicum de Bar cardinalem episcopum Portuensem, ducem Barrensem, marchionem de Ponte, dominum de Cassel et administratorem episcopatus Virdunensis.

1430. Stephanus abbas de minori campana Reginaldi abbatis dirupta fecit majorem. Obiit Ludovicus de Bar cardinalis et episcopus Virdunensis; succedit Ludovicus de Harracourt, cantor Virdunensis.

1431. Stephanus abbas Sancti Vitoni ex illo magnifico et sumptuoso antiquo opere ecclesie Sancti Vitoni, per Lodoicum et Guillermum abbates incepto et ad maximam ruinam deducto, tegimine carente, meliores capiendo lapides, aliud novum incepit et usque ad meredianum portale introitus communis hinc inde compleri fecit, cum suis verovis volturis et coopertura decenti.

1436. Translatum est corpus Lodoici abbatis ab antiquo opere in novum sub altari Sancte Marie ad caput.

1437. Dedicata sunt 4 altaria priora novi operis VI Kal. Junii. Ludovico Virdunensi episcopo obtinendo episcopatum Tullensem, Guillermus abbas Sancti Theoderici[d] prope Remis auctoritate apostolica succedit in episcopatu Virdunensi.

1438. Fames valida.

1448. Stephanus abbas 4 columpnas cupreas emit.

1449. Permutando Guillermus episcopus Virdunensis transivit ad episcopatum Tullensem. Et Ludovicus episcopus Tullensis rediit Virdunum; quem bene rexit.

1451. Mortalitas ypidimie in Virduno 2500 hominum.

1452. Stephanus abbas Sancti Vitoni obiit. Johannes de Arenceyo camerarius eligitur; sed 15 mensibus elapsis a sede apostolica dejicitur ad instanciam domni Guillermi Hugonis cardinalis, cui administratio tribuitur; post novem menses Anthonius de Serieres[e] prior Flaviniaci ab eo extraxit, dando annualem pancionem 400 ducatorum aureorum.

1454. Cessavit opus nove ecclesie Sancti Vitoni.

1455. Obiit idem domnus Guillermus cardinalis et pancio ejus.

1456. Obiit Ludovicus episcopus Virdunensis; Guillermus de Haracourt, consanguineus ejus, prepositus Montis-falconis, succedit.

1461. Obiit Karolus Francorum rex; succedit filius ejus Ludovicus. Anthonius abbas, majori campana abbatis Stephani dirupta, restauravit. Et duas cappas sericas auro et argento contextas emit. Obiit Johannes de Arenceyo, olim electus[f] Sancti Vitoni, camerarius et prior Calidi-fontis.

1463. Renovatum fuit analogium et tota sepultura octo Virdunensium pontificum in cymiterio hujus monasterii Sancti Vitoni quiescentium olim et antiquitus ante majus altare.

1475. [g]Obiit Antonius abbas hujus loci.

1476. Mors Caroli Burgund. apud Nanceium.

1481. Obiit Matheus abbas; succedit Gerardus[h].

VARIÆ LECTIONES.

[a] maie *c.* [b] regit *deesse videtur.* [c] *deest ed. ita ut Stephanus Reginaldi nepos dicatur.* [d] theoderi *c.* [e] Senecey *ed.* [f] *ita legi videtur.* [g] *sequentia aliis manibus addita sunt* [h] *quæ post hunc annum variis sæc. XVI, XVII et XVIII manibus usqu d a. 1742 scripta sunt omisi.*

ANNO DOMINI MCXXIV-MCXCII.

SANCTUS STEPHANUS

DE MURETO

ORDINIS GRANDIMONTENSIS INSTITUTOR ET FUNDATOR

ET

ALII GRANDIMONTENSES

NOTITIA HISTORICA IN S. STEPHANUM

(*Gal. Christ. nov.* II, 646)

Stephanus I de Mureto, sic dictus a loco ubi per annos fere 50 vitam egit solitariam, primus prior, institutor et fundator ordinis Grandimontensis, erat ex nobili prosapia Arverniæ, filius Stephani vicecomitis de Tiernio, seu de Tigerno, ex Candida, non inferioris generis matrona. Pater vero in Italiam profectus, eum tantum duodennem socium assumpsit; sed cum in morbum puer incidisset, commendatus est a comite Miloni Beneventano archiepisc., ex Arvernia quoque oriundo, viro eximiæ sanctitatis, sub cujus disciplina duodecim annis fuit institutus, qui cum ad Dominum migrasset, Stephanus Romam venit, ubi quatuor annos exegit. Tunc electus est in papam Hildebrandus, dictus Gregorius VII, cui noster Stephanus notus erat. Ab eo ergo licentiam et privilegium impetravit instituendi novum ordinem monasticum secundum Regulam S. Benedicti, quam diu jam observarat inter quosdam in Calabria monachos arctioris observantiæ. Certe sic loquitur Gregorius VII in suo diplomate : *Cur indesinenter....... a S. sede.... postules potestatem auspicandi conceptum ordinem monasticum juxta regulam S. Benedicti, quam diu expertus es inter fratres de Calabria*, etc. Vide sæculum VI Bened. parte II, præfationis num. 82 et num. 83, ubi Mabillonius docte pro suo more de his disserit. Datum est diploma anno 1073, quamvis ordinis Grandimontensis institutionem differant usque ad triennium. Multi autem sæculum deserentes, secuti sunt eum, quibus eamdem vivendi normam ostendit, et Regulam scripsit, suisque fratribus observandam reliquit, in qua omnem esum carnium, curamque ac consortium mulierum, substantiam pecorum seu animalium, proprietatemque terrarum, exceptis eremis in quibus degerent, discipulis suis perpetuo interdixit. Quam Regulam tam Urbanus, quam Adrianus, Alexander III ac Lucius III, Romani pontifices, successivis temporibus confirmarunt, munientes ordinem præfatum permultis gratiosis privilegiis. Verum pro patribus nati filii, quia regula nimis rigida videbatur, eamdem multoties moderari fecerunt per summos pontifices, et maxime per Innocentium papam IV, apud Lugdunum, post concilium generale XVII Kal. Decemb. 1247, ac demum per Clementem papam V, apud Avenionem, XII Kal. Maii, sub an. 1309. Sanctus Stephanus a sæculo ad Christum migravit in cella de Mureto, diaconus tantum existens in ordine levitarum, in hoc imitator effectus alterius S. Stephani protomartyris et levitæ, ætatis suæ anno octogesimo, plenus miraculis et sanctis operibus VI Idus Februarii, epacta III, concurrente septimo cum bissexto, anno 1124, cum in eremo vixisset annis ferme quinquaginta, duobus mensibus minus, ut his ex carminibus colligi potest :

Nimbosus luces jam Februus egerat octo,
Lucifluus Stephani cum spiritus astra petivit,
Anno milleno centeno bis quoque deno.
Adjuncto quarto, regno cœlo sibi parto.
Proposito fixo crucifixus cum Crucifixo,
Christo servivit Stephanus per quem modo vivit.

Eodem anno 1124 corpus ejus delatum est Grandim. VII Kal. Julii. Eum paulo ante mortem inviserant duo cardinales S. sedis legati, Gregorius tit. S. Angeli, et Petrus Leonis, qui totam ejus vivendi rationem didicerant. Fuit autem sanctorum confessorum catalogo inscriptus per Clementem III, bulla data XII Kal. Aprilis, pontific. anno II, Christi 1188, quo anno transmisit a latere suo legatum Joannem tit. S. Marci cardinalem, cum litteris apostolicis apud Grandimontem, ad promulgandam canonizationem ejusdem sancti Stephani, circa finem mensis Augusti : huc autem migraverant discipuli sancti Stephani a prima sede Mureto, quod monachi S. Augustini Lemovic. contenderent locum hunc ad se pertinere, qui tribus circiter millibus a Grandimonte distabat; tuncque solemni apparatu legatus celebravit relevationem S. Stephani, convocatis plurimis præsulibus abbatibus et religiosis viris, decursis ab ejus

transitu annis 62, (1) multis præviis miraculis, ad declarationem sanctimoniæ ejusdem divinitus perpetratis. Vita ejus amplior habetur manu exarata in codice abbatiæ Grandimontensis.

(1) In schedis D. de Ganiere in regia biblioth. asservatis, hi præsules adfuisse leguntur canonizationi Stephani de Mureto. 30. Aug. 1188, ab ejus obitu 64. Henricus Bituric. Raimundus, *al.* Rainaudus Apamiensis, Helias Burdegal. Saibrandus Lemovic. W. Pictav. Helias Santon. Ademarus Petragoric. Geraldus Caturcensis, et Bertrandus Aginnensis.

NOTITIA LITTERARIA.

(Histoire littéraire de la France par des religieux Bénédictins, t. XII, p. 416.)

1° Nous croyons pouvoir mettre au rang des écrits de saint Etienne l'acte remarquable par lequel il se consacra à Dieu (2). Il est trop court et trop édifiant, pour ne pas le rapporter ici : « Moi Etienne, je renonce au démon et à ses pompes : je m'offre à Dieu, et me remets entre les mains du Père, du Fils et du Saint-Esprit, un seul Dieu en trois personnes, vivant et véritable. » Tel était l'acte qu'Etienne écrivit, après avoir mis à son doigt un anneau, comme la marque de l'alliance qu'il voulait contracter avec Jésus-Christ ; puis le mettant sur sa tête, il dit : « Dieu tout-puissant et miséricordieux, Père, Fils et Saint-Esprit, un seul Dieu en trois personnes, qui vivez et régnez éternellement ; moi frère Etienne je vous promets que dès ce moment je vous servirai dans ce désert dans la foi catholique. C'est pour cela que je mets cet acte sur ma tête, et cet anneau à mon doigt, afin qu'au jour de ma mort, cette promesse et cet acte me servent de bouclier et de défense contre les embûches de mes ennemis. Rendez moi, Seigneur, je vous en supplie, la robe nuptiale; daignez me mettre au nombre des enfants de votre sainte Eglise; et lorsque mon âme se séparera de mon corps, revêtez-la de la robe de votre charité, et faites-la entrer dans la salle du festin des noces de votre Fils, pour régner avec tous vos saints. Sainte Marie, mère de Notre-Seigneur Jésus-Christ, je remets à votre Fils et à vous, mon âme, mon corps et mon esprit. »

2° Saint Etienne a laissé à ses disciples une Règle distribuée en soixante-quinze chapitres, à la tête desquels est un prologue très-pathétique, dans lequel on voit les grands principes de religion dont l'auteur était pénétré et bien instruit. Toutes les règles des divers ordres religieux, dit-il, ne sont que des ruisseaux, et non la source de la religion; ce sont des feuilles et non la racine. Il y en a une qui est la règle des règles et l'origine de toutes les autres : c'est l'Evangile. C'est là que tous les fidèles ont puisé et qu'ils puiseront jusqu'à la fin des siècles, pour y trouver les moyens d'observer les commandements de Dieu, et d'arriver à la perfection. Il veut que ses disciples répondent à ceux qui seront curieux de savoir quelle est la règle dont ils font profession, qu'ils n'en observent point d'autre que celle de l'Evangile. Si on leur faisait voir qu'il y a quelque chose qui n'y est pas conforme, il veut qu'on corrige sa règle, quoiqu'il assure n'y avoir rien mis què par l'avis des docteurs et de personnes d'une grande piété, et après avoir consulté avec grand soin les règles des Pères, pour s'y conformer. Cette règle contient plusieurs statuts excellents : la pauvreté et l'obéissance y sont recommandées (c. 1), comme étant le principal fondement de la vie religieuse. Le quatrième est remarquable par la défense que le législateur fait à ses disciples d'avoir des églises, et de recevoir aucune rétribution pour les messes. L'entrée de leur oratoire est interdite, les jours de dimanches et de fêtes, aux séculiers, parce qu'il convient qu'ils assistent aux offices dans leurs églises propres. Tout commerce et tout procès sont défendus par le quinzième chapitre. Le cinquante-quatrième, qui confie le soin du temporel aux frères convers, a occasionné dans l'ordre de Grandmont des troubles qui ont failli le renverser. Dans le cinquante-sixième, on voit quelle était la charité du saint instituteur à l'égard des malades, pour le soulagement desquels il ordonne qu'on vende même les ornements de l'église. Néanmoins (c. 57) il leur interdit absolument l'usage de la viande, sans aucune exception. (D. Mabillon [*an.* l. LXIV, n. 113] croit que ce qui a engagé saint Etienne à interdire l'usage de la viande, même aux malades, c'est pour éviter le reproche que les Grecs schismatiques avaient fait sur ce sujet aux moines Latins, sous le pontificat de Léon IX.) Il prescrit un jeûne perpétuel, depuis l'Exaltation de la sainte croix jusqu'à Pâques, excepté le dimanche et le jour de Noël; avec cette différence, que pendant le carême, l'unique repas se faisait après vêpres, et dans les autres temps après none : depuis la fête de la Toussaint jusqu'à Noël, il prescrit la même abstinence que pour le carême; dans les autres jeûnes, il permet les œufs et le fromage. L'élection du prieur de Grandmont se devrait faire par le concours de tout l'ordre (c. 60) : deux religieux de chaque monastère s'étant rendus au lieu de l'élection, on en choisissait douze, six clercs et six convers, qui élisaient le prieur. Cette règle a été approuvée par plusieurs papes, dont quelques-uns y ont changé différents articles : elle a été mitigée en particulier par Innocent IV, l'an 1247, après le concile général de Lyon, et par Clément V, l'an 1309, à Avignon.

L'éditeur de Rouen qui a publié la Règle de saint Etienne, et M. Baillet dans la préface sur la traduction des Maximes de ce saint, avancent qu'il se contenta d'instruire ses disciples par ses paroles et son exemple, *sans jamais rien écrire*, et que la Règle a été recueillie ensuite par ses disciples, particulièrement par Pierre de Limoges, et mise dans la forme où elle est par Gérard, septième prieur de Grandmont. Mais D. Mabillon (3), ou plutôt D. Martène, dans une addition qu'il a faite au manuscrit de D. Mabillon (3*), soutient que cette prétention n'est appuyée d'aucune raison et d'aucune autorité, et qu'il suffit de lire cette excellente règle avec quelqu'attention, pour être persuadé que le véritable auteur est saint Etienne, qui s'y découvre lui-même, tant dans le prologue que dans les chapitres 9, 11 et 14.

On a douté autrefois si saint Etienne de Muret et ses premiers disciples avaient fait profession de la

(2) *Vit. S. Steph.* ap. Mart., t. VI, *Coll.*, p. 1056 · Mab. *Ann.* lib. LXIV, n. 112

(3) T. VI, *Ann.* lib. LXXIV, n. 91.

(3*) *An.* lib. LXIV, n. 37 et n. 112.

Règle de saint Benoit. Trithème, Yepez, Haëftenne, Le Mire, Choppin, et plusieurs autres ont été pour l'affirmative; le P. Mabillon a suivi ce sentiment dans sa préface sur la seconde partie du sixième siècle des actes. Néanmoins c'est un sentiment qu'il faut abandonner, à l'exemple du P. Mabillon lui-même (4), qui, ayant examiné avec plus d'attention les fondements sur lesquels il est appuyé, en a reconnu le peu de solidité, et toujours conduit par l'amour du vrai, a changé d'avis. Il est inutile de rapporter ici les raisons qui font voir que saint Etienne de Muret n'a suivi ni la Règle de saint Benoît, ni celle de saint Augustin, mais qu'il en a dressé une particulière. Le lecteur peut consulter ce que dit sur cette matière D. Martène dans la préface du sixieme volume de sa grande Collection, où il parle de l'origine de l'ordre de Grandmont. Il nous suffit de dire que, quelle que fût la Règle de ce saint instituteur, ses disciples firent l'admiration et l'étonnement de leur siècle par leur sainteté. Tous les écrivains qui en ont parlé ont dit des choses merveilleuses. C'étaient des *anges* selon l'expression de Pierre de Celles (ep. 8), qui était persuadé que la moindre prière de ces saints solitaires, ou de ces anges, comme il les appelle, pouvait lui procurer le secours du ciel. Jean de Salisbury, auteur contemporain, nous les représente (4*) comme des hommes, qui, s'étant élevés au-dessus des nécessités de la vie, étaient victorieux non-seulement de la cupidité, de l'avarice, mais de la nature même. Etienne de Tournay (ep. 2) n'en parle pas avec moins d'éloges. Il les qualifie de *bons hommes;* nom qui leur fut donné, comme pour marquer leur bonté et leur piété : de sorte qu'on appelait *boni-hominias* les maisons qu'ils habitaient.

La Règle de saint Etienne a été imprimée à Dijon chez Pierre Palliot, l'an 1645, en un petit in-12, sous ce titre : *Regula S. Stephani confessoris auctoris et fundatoris ordinis Grandimontensis.* Lipen en cite une autre édition in-16, plus ancienne de deux ans, dans la même ville. Albert Barny, vicaire-général de l'ordre de Grandmont, la fit imprimer, l'an 1650, en un volume in-18, à Paris, chez Jean Paslé; et y joignit les Maximes de saint Etienne recueillies par ses disciples; les constitutions et statuts faits dans le chapitre général de cet ordre tenu en 1643; enfin l'office du saint fondateur. L'an 1671, la même Règle a été imprimée à Rouen, par Eustache Viret.

3° Outre la Règle de saint Etienne, nous avons de lui des maximes et des instructions qui n'ont été recueillies qu'après sa mort par ses disciples. M. Baillet (5) prétend que les disciples de ce saint « voulurent même que l'on prît ce recueil pour la règle de leur institut qui, selon lui, n'en avait effectivement pas d'autre alors que l'Evangile, c'est-à-dire la règle commune de tous les disciples de Jésus-Christ, et le testament laissé à tous ses enfants. A dire vrai, ajoute M. Baillet, ces maximes ne sont autre chose que les maximes de l'Evangile même; et l'on peut juger que saint Etienne n'avait point eu intention de donner une autre règle à ses disciples puisque, sur la fin de ses jours, il les exhortait encore à persévérer dans la règle qu'il avait prise de l'Evangile pour les conduire : *Tantum in regula, de Evangelio per me sumpta, perseveretis.* » Ces paroles citées par M. Baillet ne semblent-elles pas prouver le contraire de ce qu'avance ce célèbre critique? Si Etienne n'avait point donné absolument à ses disciples d'autre règle que celle de l'Evangile, leur aurait-il dit de persévérer dans celle qu'il avait *prise de l'Evangile?* Il leur aurait dit simplement de persévérer dans la pratique de l'Evangile; il leur avait donc donné une règle qu'il avait tirée de l'Evangile, *per me sumpta de Evangelio.* Si saint Benoît avait dit à ses disciples de persévérer dans la règle qu'il a prise de l'Evangile, comme il pouvait le dire avec autant de fondement que saint Etienne de Muret, aurait-on un juste fondement d'en conclure qu'il n'a point donné de règle particulière distinguée de l'Evangile? D'ailleurs la réponse même que saint Etienne veut que ses disciples fassent à ceux qui pourraient les interroger sur le genre de vie qu'ils menaient, et les blâmer, est une preuve qu'ils avaient une règle particulière. Cette réponse comprend une partie des pratiques prescrites par la règle qui ne sont point exprimées dans l'Evangile, mais qui, bien loin d'y être contraires, y sont très-conformes; aussi leur était-il ordonné de répondre que si ce qu'ils faisaient n'était point conforme à l'Evangile, ils étaient prêts à se corriger et à le réformer.

Il ne faut point confondre la Règle de saint Etienne, dressée en particulier pour ses disciples, dont nous avons parlé, avec les Maximes dont il s'agit ici, qui sont communes, et à ses religieux, et aux personnes qui venaient du dehors pour le consulter; c'est-à-dire qui renferment non-seulement des pratiques propres et particulières aux disciples de saint Etienne, mais encore des instructions générales qui conviennent à tous les fidèles. Il est vrai qu'une partie de ce qui est prescrit dans la règle se trouve ici parmi ces maximes qui sont au nombre de 122; mais il y a plusieurs choses qui regardent moins les disciples de saint Etienne que les personnes qui venaient prendre ses avis, et beaucoup d'autres qui sont propres à tous les fidèles. On peut même dire en général de ces maximes ce que l'on a dit des Ascétiques de saint Basile le Grand, comme le remarque M. Baillet (6), que, quoiqu'il semble y avoir eu principalement en vue l'instruction des personnes retirées du monde, il n'y en a presque aucune qui ne soit à l'usage de tous les Chrétiens, de quelque état et condition qu'ils soient.

Guillaume Dandina (7) nous apprend que les Maximes de saint Etienne de Muret furent recueillies après sa mort par Hugues de Lacerta, le plus célèbre de ses disciples, qui les avait souvent entendues de la bouche de ce saint homme auprès duquel il était toujours de son vivant. M. Baillet (8) veut qu'on les considère selon l'esprit qui les a produites en les tirant de leur source divine, et selon le corps dont elles sont revêtues, pour ne pas confondre ce qui appartient à saint Etienne avec ce qui n'est que de ses disciples. « Du côté de l'esprit, dit-il, elles ne seront pas un petit sujet d'admiration à ceux qui, sans s'arrêter à la surface, voudront en pénétrer la profondeur. On sera surpris d'y trouver un si grand sens et tant de solidité, joint à l'élévation de l'esprit et à la délicatesse des pensées. Le tour même que le saint y prend pour exposer les grandes vérités dans leur jour, et l'agrément dont il l'accompagne, ne fait que trop entrevoir une finesse de goût et une politesse que le renoncement au monde et l'habitation sauvage des bois et des montagnes n'avaient pu effacer. On y trouve un sel, une vivacité et un brillant même qu'on ne s'aviserait guère d'exiger d'ailleurs d'un homme humilié, et pour ainsi dire étouffé depuis tant d'années sous les mortifications de l'esprit et du corps. »

Il y a lieu de croire que ces maximes, telles que nous les avons, ne sont que la moindre partie de ce

(4) *An.* lib. LXIV, n° 37 et 112.
(4*) *Polycrat.*, lib. VII, c. 23.
(5) Préf. de la trad., p. 7.
(6) Préf., p. 14.
(7) *Vit. Hug.* apud Mart., t. VI *Ampl. Coll.*, p. 1155.
(8) Préf. p. 8.

qu'on avait pu en recueillir. Mais ce qui nous en reste montre une variété qui plaît, avec un air de nouveauté qui fait juger de la fécondité et de la beauté du génie de l'auteur. On trouvera la preuve de ceci dès le premier chapitre dans la proposition que le saint faisait à ceux qui demandaient à être reçus au nombre de ses disciples. Il leur disait agréablement qu'ils seraient renfermés dans une prison qui n'avait ni trou ni porte pour en sortir, et qu'ils ne pourraient retourner au siècle que par la brèche qu'ils y feraient eux-mêmes; que si ce malheur leur arrivait, il ne pourrait envoyer après eux pour les ramener, parce que tous ceux qui y étaient, avaient les jambes coupées pour le siècle aussi bien que lui. Nous souhaiterions pouvoir nous étendre davantage, et faire voir, par d'autres exemples, l'agrément et la solidité qui se trouvent dans les instructions que le bienheureux Etienne donnait tant à ses disciples qu'aux personnes du dehors, que sa réputation attirait dans le désert de Muret. Quelle lumière, quelle force dans ce qu'il disait aux premiers sur les avantages de la vie religieuse; sur les tentations par lesquelles le démon tâche de les faire tomber; sur les moyens de s'en garantir; sur la vaine gloire et ses funestes effets; sur l'ambition de commander ou d'enseigner les autres; sur la science nécessaire pour servir Dieu de la manière qu'il doit être servi; sur la miséricorde que Dieu fait à celui qui entre en religion; sur le centuple promis dans l'Evangile à ceux qui quittent tout pour Jésus-Christ (9)! On reconnaît à chaque trait un homme rempli et pénétré de l'esprit de Dieu, qui répand comme une pluie, selon l'expression de l'Ecriture, les paroles de sa sagesse. Là (c. 17) il fait sentir au pécheur combien il est horrible de se séparer de Dieu: ici (c. 18) il rassure le juste, en lui montrant ce qui doit faire le sujet de sa confiance. Il apprend aux fidèles comment ils doivent se reposer des soins de cette vie sur le Seigneur (c. 22): il leur fait comprendre (c. 20, 23) la douceur de ses commandements, comment ils sont doux et faciles à observer; l'obligation sans bornes qu'ils ont d'aimer et de servir Dieu sans fin; comment ils doivent posséder l'amour de Dieu et le faire prévaloir sur toutes les autres choses (c. 27, 42). Il faudrait transcrire ces maximes en entier si nous voulions rapporter tout ce qu'elles renferment d'utile et d'édifiant sur plusieurs points importants de la morale chrétienne. Mais nous pouvons dire, en général, qu'il est peu d'écrits, en ce genre, aussi instructifs, aussi lumineux et aussi exacts que le recueil des Sentences de saint Etienne.

Le style de ces maximes ne répond nullement à la beauté, à la justesse et à la solidité des pensées; ce qui donne lieu de croire qu'elles ont beaucoup perdu, en passant par le canal des disciples du bienheureux Etienne, qui ne les auront point rendues dans la même netteté, la même force, et la même beauté qu'ils les avaient reçues de leur saint instituteur. Quant à la méthode qu'on a suivie, et l'ordre dans lequel on les a placées, il ne paraît pas qu'on en ait gardé d'autres que de les ranger selon qu'elles venaient à l'esprit de celui ou de ceux qui en ont dressé le recueil.

Il a paru deux éditions in-12 des Maximes de saint Etienne, à Paris, en latin et en français: la première, l'an 1704, chez Pierre Augustin Le Mercier, et la veuve Jean de Saint-Aubin; la seconde, en 1707, chez Jacques Vincent. L'auteur de cette traduction est M. Baillet, si célèbre dans la république des lettres. Ceux qui ignorent la langue latine, lui ont une vraie obligation de leur avoir procuré le moyen de lire des instructions dont ils peuvent tirer beaucoup de fruits. Ceux même qui savent cette langue tireront aussi de la traduction française du secours pour l'intelligence de plusieurs endroits obscurs dans le latin, dont le sens est quelquefois interrompu ou suspendu. Le savant traducteur a remédié à ce défaut, en suppléant ce qui lui a paru avoir été omis par ceux qui ont fait ce recueil; en achevant des pensées qui ne lui paraissaient point finies; en déterminant ou fixant quelquefois un sens qui semblait être suspendu; en expliquant enfin par l'addition de quelques mots, ou par de courtes phrases, ce qui demandait à être un peu développé. Mais pour ne point manquer à la fidélité d'une traduction exacte, le traducteur a eu soin de ne pas laisser confondre avec le texte de l'original les additions qu'il y a faites; et il les a renfermées dans des parenthèses pour les distinguer.

4° Nous trouvons encore quelques autres maximes et instructions de saint Etienne de Muret dans une courte Vie de ce saint composée par les soins d'Etienne de Lisiac, quatrième prieur de Grandmont, selon le témoignage de Bernard Guidonis. Cette vie intitulée *S. Stephani dicta et facta*, est divisée en seize chapitres (10) qui ont été insérés dans la Vie du saint fondateur de l'ordre de Grandmont, écrite par Gérard Ithier. D. Martène, en donnant au public la production de celui-ci, s'étant aperçu de cette fourrure par la différence du style et par d'autres raisons, a jugé que ces seize chapitres avaient été insérés mal à propos dans l'ouvrage de Gérard après le quarante-sixième chapitre, et les en a retirés pour les imprimer séparément. Parmi les maximes rapportées dans ces seize chapitres, il y en a quelques-unes qui sont les mêmes, et dans les mêmes termes, à peu près, qu'elles se lisent dans le recueil des cent vingt-deux. C'est ce qu'on peut voir en comparant le troisième chapitre avec le cinquante-septième du recueil; le quatrième avec le soixante-troisième, dans lesquels on rapporte les avis que saint Etienne donnait aux soldats sur la manière dont ils pouvaient se sauver dans leur profession; et avec quel esprit ils devaient faire les exercices militaires, et servir Dieu dans les services qu'ils rendaient à leurs princes. Mais il y en a d'autres dans les seize chapitres, spécialement dans le huitième, qui ne se trouvent point dans le recueil. Ce chapitre est ainsi intitulé: *Qua ratione meretricibus et histrionibus bona temporalia largiebatur.* Saint Etienne voulait qu'on soulageât ces sortes de personnes dans les besoins du corps, pour avoir occasion de leur procurer les biens de l'âme. « Si le pécheur, disait-il, en s'adressant à nous, est reçu avec des paroles dures, il croira que Dieu est cruel, et demeurera plus attaché à son péché, au lieu qu'il écoutera plus volontiers ce qu'on lui prescrira pour le salut de son âme, s'il reçoit d'abord les besoins du corps. » Le neuvième chapitre porte ce titre: *Qua ratione confraternitates sæcularium hominum vitabat.* Saint Etienne répondait à ceux qui lui proposaient ces sortes de confréries, que toutes les bonnes œuvres que lui et ses disciples pratiquaient étaient communes à tous les hommes, qu'ils ne pouvaient point ajouter d'autres prières à celles qu'ils faisaient chaque jour; après cela, il disait à ses disciples en particulier, en leur rendant compte de ces propositions, que ceux qui les faisaient voulaient, sans le savoir, sous le spécieux prétexte d'un bien, les rendre coupables de simonie. Mais, à Dieu ne plaise, ajoutait-il, que nous vendions l'office divin. C'est être mercenaire que de prier lorsqu'on donne quelque chose, et de cesser de prier lorsqu'on ne donne rien (11).

(9) Vide c. 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 12, 16.

(10) Mart. *Ampl. Coll.* t. VI, p. 1043 et suiv.

(11) Sic et sic admonent nos, ignorantes equidem sub specie bonitatis, fieri Simoniacos; sed absit a nobis divinum vendere officium! Opus est enim mercenarii tunc orare cum aliquid datur, et a precibus cessare, cum nihil datur.

5° D. Montfaucon indique parmi les manuscrits de la bibliothèque de Saint-Victor de Paris, une lettre de saint Étienne : *Stephani primi patris Grandimontanorum.*

VITA S. STEPHANI

AUCTORE GERARDO PRIORE GRANDIMONTENSI SEPTIMO.

(MARTEN. *Ampl. Collect.* VI 1043, ex duobus vetustis mss. Grandimontis, et tertio, recentiori, Majoris-Monasterii.)

OBSERVATIO PRÆVIA.

Sancti Stephani, ordinis Grandimontensis institutoris, res præclare gestas scriptis suis perplures celebrarunt auctores. Hanc in se provinciam primus omnium suscepisse videtur Stephanus de Liciaco, anno 1141 creatus quartus Grandimontensis prior. Ipse enim, teste Bernardo Guidonis, et dicta et facta S. Stephani conscribi fecit. *Quod quidem opus hactenus in tenebris delituit. Deinde Gerardus Itherii, anno 1188 unanimi fratrum consensu Guillelmo de Trinhiaco sexto priori suffectus, cum piissimum parentem suum sanctorum albo referri satageret, vitam ejus et miracula fusiori conscripsit stylo, quæ nec ipsa lucem hactenus videre promeruit. Tertiam ex hac Vita contractiorem, seu potius excerpta ex Gerardi opere non ita concinne adornata contexuerunt aliqui fratres in cellis habitantes; et quidem, ut conjicio, ad suos proprios usus, labori prolixiori in tota vita chartæ committenda parcentes. Hanc Vitam absque auctoris nomine primus edidit in sua Bibliotheca nova Philippus Labbæus societatis presbyter eruditus, anno 1657. Eamdem a Petro Francisco Chifflet acceptam recuderunt Joannes Bollandus et Godefridus Henschenius ad diem Februarii octavam, sub nomine Gerardi VII prioris Grandimontensis. Nam cum citatum a Carolo Fremontio Gerardi opus, cum ea quam præ manibus habebant Vita contulissent, ipsissimaque illius verba in ea repperissent, illi posse et debere attribui minime dubitarunt, quamvis nonnisi excerpta quædam feriati fratris contineat, qui prolixiori parcens labori, integram describere noluit. Quarto piæ memoriæ Carolus Fremontius, Turonicus, ordinis sui reformator, ut suos ad sectanda legislatoris vestigia fratres excitaret, S. Stephani Vitam Gallico composuit idiomate, ac Divioni prelo commisit anno 1647. Quinto denique reverendissimus Henricus de la Marche de Pargnac, novissimus ordinis præpositus generalis et abbas Grandimontis, simile opus Parisiis non ita pridem edidit. Hos præter auctores Guillelmus Dandina, cognomento de S. Savino, qui sub finem sæculi* XII *Hugonis de Lacerta Vitam eleganti stylo et accurate conscripsit, perplura de S. Stephano scitu dignissima et hactenus parum nota, illi inseruit. His adde Vincentium Bellovacensem, qui et ipse de S. Stephano agit* Speculi historialis *lib.* XXV, *cap.* 46 *et seq.; Bernardum Guidonis, S. Antoninum, part.* II, *tit.* 15, *cap.* 21, *et plures alios.*

Itaque ad illustrandam S. Stephani Muretensis memoriam, aliud nihil desiderari videbatur quam ut Stephani de Liciaco et Gerardi prioris VII lucubratio publici tandem juris fieret. Cum autem Grandimontensis monasterii bibliothecam mihi olim lustrare licuisset, inciderunt in manus amplissimi codices duo, Gerardi VII prioris nomen præferentes, eleganter descripti, et ni me mea fallit opinio, ipsissima auctoris manu exarati; ad quorum exemplum Turonensis S. Martini Majoris-Monasterii codicem recentiorem scriptum existimamus. Illos vero diligenter evolventi mihi occurrerunt in eorum uno post caput 46 inserta alia sexdecim capita cum subsequentibus versibus; quæ cum attentissime legissem, S. Stephani dicta et facta, *jussu Stephani de Liciaco primum collecta statim esse conjeci. Conjecturam hanc meam confirmarunt stylus paulo diversus et res in eis tractatæ, quæ* dictis et factis, *ut titulus præfert, apprime conveniunt. Deinde cum caput 47 præcedenti 46 optime cohæreat, nemo est qui non advertat sexdecim illos articulos extra numerum ibidem post completum opus insertos fuisse. Præterea cum Vitæ a se conscriptæ tres Gerardus præmiserit præfationes, quarum tertiæ tantummodo nomen ejus præponitur, duas primas aliorum esse auctorum, quorum opus suo intexuerat ille, statim dijudicavi, ex quibus unam fuisse Stephani de Lisiaco vehemens mihi suggerit suspicio. Quapropter sexdecim illa capitula seorsim edenda operæ pretium duximus.*

Porro tametsi Gerardus ea quæ vera quorumdam veridicorum relatione *compererat, atque* oculis propriis *conspexerat enarrare se profiteatur, initia tamen vitæ S. Stephani parum accurate scripsisse fatendum est. Nam quæ de ejus Beneventum profectione anno ætatis suæ* XII, *deque ejus apud Milonem archiepiscopum totidem annis ibidem commoratione narrat, cum ejusdem Milonis episcopatus tempore, annorum vix duorum, conciliari minime possunt; nam anno 1074 ordinatus successorem habebat anno 1076, uti nostris in notis demonstravimus. Verum cum decani Parisiensis dignitate potitus fuisset Milo, antequam ad Beneventanam sedem eum eveheret Gregorius papa VII, haud absimile a vero videtur sanctum Stephanum ætatis suæ anno duodecimo Parisios ad eum accessisse, et ibidem cum eo commorantem divinis humanioribusque litteris operam dedisse: eumdem postea creatum archiepiscopum Beneventum secutum, cum tunc ageret ætatis suæ annum vicesimum secundum; atque Milone post duos annos ad superos evocato, Romæ aliquandiu cum aliquo cardinali conversatum fuisse.*

Incipit primus titulus in Vita S. Stephani confessoris, primi patris Grandimontensis ordinis.

A Quoniam proprium est servorum fidelium, quos constituit Dominus super familiam suam (*Matth.* XXIV), intendere super discipulos suos, ne a statu rectitudinis labantur, in quo nimirum major ratio salutis ipsorum, quibus cura commissa est, consistere creditur. Cum charitas pastoralis non quæ

rit quæ sua sunt (*I Cor.* XIII), nihilominus discipuli semper habent intueri vitam boni doctoris, qui cum beato Paulo dicere potest : *Imitatores mei estote* (*I Cor.* IV), ut deinde sumant in omnibus exemplar necessarium conversationis suæ. Illum enim cujus adjutorio veritas fidelibus reseratur a Domino, verbis simul et operibus dignum est ut ipsi fideles super omnia visibilia diligant. Quod nos certe, fratres Grandimontis, possumus dicere de Stephano reverendissimo nostræ religionis pastore primo. Quamvis enim ad fidei lumen jamdudum venimus, tamen per hanc semitam justitiæ quam aggressi sumus, nullatenus recto calle transire possumus, nisi ductorem sequamur, scientem vitare cuncta periculosa divortia, sicut ovis quæ pastorem suum ad uberrima pascua ducere volentem, herbis præsentibus inhærens, sequi contemnit, aut a lupis quandoque devoratur, aut tenuis atque deficiens balando nescia quo tendat, exclusa remanet ab ovili. Magna quidem salus omnium discretio pastoris est, gloria discipulorum magister sapiens est : tunc quoque solummodo parietes ædificii firmi sunt, cum a fundamento non discrepant, quod sapiens posuit architectus. Summum igitur gaudium nostrum, fratres dilectissimi, post fidei perceptionem, sit bonum habere pastorem, cujus profecto miracula incessanter oculis aspicimus, et indeficienter manutenemus. Quæ sunt enim alia tributa nostra vel agriculturæ magnæ, aut ingens possessio pecudum, sive quæstus per ecclesias, unde tot fratres congregati in unum quotidie pascamur, nisi pura fides ipsius? Nos mercedem lacrymarum atque jejuniorum ejus percipimus; nos longæ paupertatis, quam indesinenter amplexatus est, fructus tota die colligimus, ut videtis, ubicunque transmutamur per obedientiam, non habentes sustentaculum temporalium rerum, nec deficiendi metum, cum solummodo exspectemus Dominum. Quemadmodum igitur in illo proverbio dicitur : *Cujus panem manducamus, ejus laudem teneamus*; propterea Domini misericordiam, fidei constantiam Stephani pastoris nostri memoriter commendemus, in quam per Christi gratiam salutem speramus æternam. Taceo quia nullus nostrum qualibet sapientia sua hujus viam libertatis tentans arripere, nisi clare præmonstrata et undique ab omni cupiditatis servitute clausa foret ab isto Patre; vel certe si quis tentaret, consummare nesciret, ut videmus de pluribus in incepta paupertate non perseverantibus. Unde jucundius memoriam hujus patroni venerari debemus. Hæc autem idcirco dicimus, ut fratres benevolos reddamus, et attentos ad legendum ea quæ de præfato viro posita sunt in hac scriptura, communi causa videlicet, quoniam diligi non valet quod penitus ignoratur : *fides enim ex auditu*, ut ait Apostolus (*Rom.* X), præsertim cum fides adhibenda sit relationi discipulorum illorum a quibus ista audivimus. Veraciter namque per visum et auditum cognoverunt a principio, et adhuc superstites verborum suorum veritatem operibus attestantur. Verumtamen si multa fuissent apposita de perfecto viro Dei, quæ non omnes imitari, sed admirari possumus, idcirco tamen ea negligere non oportet auditores; imo charius amplecti, ut per hæc fragilitatem nostram subtilius agnoscamus, et mundemus aciem mentis in exemplis tanti Patris. Tanto enim quisquis proficit in Deum, quanto magis per bona alterius vilitatem suam attendit. Et hæc est in humano corpore membrorum firma concordia, quia manus et pedes, licet minime videant, diligunt tamen oculos per quos ad necessaria diriguntur. Et nos quoque diligamus excellens meritum venerabilis Stephani, quoniam ad utilitatem omnium nostrum tanta gratia collata est ei divinitus. Quisquis autem verbum veritatis audire solummodo renuit, aut vix aut nunquam illud operando servabit. Hoc autem pro eo dicitur qui in hac stultitia detinetur. Sed Deo gratias agamus, quoniam a fratribus remota est penitus hujusmodi arrogantia. Porro quia tractatum per capitula distinximus, ideo sententias breviter in serie lectionis posuimus, ad intelligendam verborum seriem facilius, et a modo propositum exsequimur.

Item alius titulus.

Cum omnibus hominibus ad cognoscendum et diligendum Creatorem suum eadem gratia minime sit collata, illi procul dubio celebriori memoria digni habiti sunt, qui profusius divino afflati Spiritu, moribus et doctrina clarius refulserunt, et in Ecclesia Dei profuerunt amplius : de quorum immensa multitudine unum habemus præ oculis, sanctum Stephanum videlicet, primum post dominum Grandimontensis ordinis Patrem, qui Redemptoris sui sequens vestigia (*I Petr.* II), paupertatem spiritus in tantum dilexit, quod in terra nihil fere voluit possidere : cujus virtutes referre opus est, ut credimus, aliquibus profuturum; sed nostræ scientiæ tenuitas et tarditas ingenii ad ea nempe non sufficit. Cæterum ipsius merita conversationis ejus proclamat austeritas, et testatur exemplum conversandi suis sequacibus derelictum. Quis enim nostris temporibus devotius audivit Dominum in Evangelio dicentem : *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV)? Quis expressius mancipavit effectui illud Jesu Christi consilium : *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* (*Matth.* XVI)? Porro nullius perfectionis evangelicæ surdus auditor, nullius justificationis divinæ obliviosus lector, ut Christum lucrifaceret (*Philip.* III), ita omnia dereliquit, quod non pecudes, non terrarum possessiones, non reditus, non quæstus, vel aliquod aliud unde sibi necessaria ministrarentur, in mundo retinuit. Rebus itaque pauper et nudus, sed cœlestium virtutum thesauro præditus, in fide ac dilectione illius qui ait suis discipulis : *Nolite solliciti esse dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Scit enim Pater vester cœlestis, quia his omnibus indigetis* (*Matth.* VI), sine

sollicitudine et occupatione mundanæ rei, cœpit primum quærere regnum Dei et justitiam ejus (*Matth.* VI). Unde non immerito credendum est illum in terra cœlestem duxisse vitam, et frequentissime gustasse manna absconditum, quod nemo scit, nisi qui accipit; nec corporalis alimoniæ nimiam potuit habere penuriam, qui totam in Deo posuit spem suam, sicut Propheta ait: *Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet* (*Psal.* LIV). Quod nos qualescunque discipuli ejus, fide meritisque ipsius nobis hactenus accidisse fatemur; et quia omnibus paupertatis hujus propositum sequentibus ita semper eveniet, confidenter credimus et speramus. Scimus enim quantum fidelis est ille qui ait: *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem* (*Psal.* XXXVI). Quantam autem gratiam ob fidei suæ meritum et carnis macerationem in conspectu Altissimi vir iste adeptus est, ad eorum notitiam qui divinæ pietatis opera libenter audiunt, veraci relatione narrandum suscepimus; sed ab ortu ejus et infantia sumendum est exordium. De his tamen quæ in miraculis et dignoscendis fratrum cogitationibus per eum Dominus operari dignatus est, pauca dicturi sumus, ne forte incredulis veritas mendacium esse videatur, et creduli ex paucis quæ audierint dicant quia *omnia possibilia sunt credenti* (*Marc.* IX).

Item alius titulus Geraldi venerabilis prior Grandimontensis VII, *in Vita sancti Stephani confessoris.*

Omnibus Christi fidelibus, divina permissione Grandimontensis Ecclesiæ minister humilis atque indignus, salutem.

Ne miremini, dilectissimi, neque stultum vobis videatur atque insipidum, si universitati vestræ scribere præsumo, nomenque nostrum in initio hujus scripturæ ponendo, cum non hoc de jactantia, aut inani gloria, seu aliqua intentione perversa, sed voluntate bona et humili conscientia, in charitate perfecta, ut credimus, suffulta divina gratia, cum qua desideramus, qualiter beatus confessor Stephanus, Grandimontensis ordinis institutor primus, ab infantiæ suæ rudimentis Domino Deo nostro fideliter servire proposuit, cujus vitæ propositum conversationemque admodum dignis laudibus plenam, moresque sanctissimos atque miracula quæ Deus omnipotens sua benigna gratia per ejus merita gloriosa operari dignatus est, in quantum Dominus donaverit, volumus, si possumus, ut vera quorumdam veridicorum relatione comperimus, et oculis propriis perspeximus, sub brevitate fideliter scripto commendare. Resipiscant igitur insipientes falsidici, oblatrantes et contradicentes veritati. Obmutescant dico, quia Dominus verax est (*Rom.* III), et omnes viæ ejus judicia et veritas (*Psal.* CXVIII). Ipse enim *quæcunque voluit fecit in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis* (*Psal.* CXXXIV). Et quid mirum? omnia potest, quæcunque vult operatur. Intelligant igitur et percipiant increduli et erubescant infideles, quia Deus beatum Stephanum mirificavit, et mirificando laudabilem reddidit, nec voluit occultare diutius sanctitatem ipsius, qui velut gemma latebat in sterquilinio oblivionis. Exsultent et lætentur fideles Dominum timentes, vera amantes, vana spernentes, mundana contemnentes, eo quod Deus eis demonstraverit lumen veritatis, ac lucernam quæ abscondita erat sub modio, quamvis videretur posita esse super candelabrum (*Matth.* V), id est beatum virum Stephanum, quem Dominus Deus omnipotens sua bonitate mirifica voluit universis manifestari populis. Gaudete, inquam, vos viri Grandimontenses, quibus Dominus talem ac tantum pastorem providit, qui vobis fideliter ostendisset veritatis viam, justitiæ semitam, sanctæ religionis regulam, caste vivendi formam, vigiliarum jejuniorumque observantiam, recte vivendi normam, corrigendi mores disciplinam, amandi amplectendique paupertatem constantiam. Hæc sunt opera pro quibus gaudere vos admoneo, et in quibus debetis operam dare, quia vobis in his et aliis justitiæ fideique operibus exemplum præbuit. Amator etenim fuit veritatis, sectator justitiæ, et sanctitatis fundator, et institutor optimæ ac venerandæ religionis, nutritor castitatis, conservator integerrimæ virginitatis.

Quapropter vos admoneo, charissimi, quatenus eum in quantum potueritis imitemini, sectando justitiam, conservando patientiam, amando humilitatem veram, tolerando paupertatem voluntariam ac necessariam, habendo fidem rectam, spem certam, charitatem non fictam. Hæc sunt veræ bonitatis sanctitatisque opera, quibus exstitit adornatus atque redimitus B. Stephanus Pater vester sanctissimus: quem si audieritis et ejus viam sequi volueritis, bona terræ viventium comedetis, et regem gloriæ in decore suo videbitis, cum ad regnum cœleste, ipso beato Stephano ducente ac viam demonstrante, perveneritis, procurante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Explicit titulus Geraldi venerabilis prioris septimi Grandimontensis in Vita S. Stephani confessoris et eremitæ perfectissimi.

INCIPIT
VITA SANCTI STEPHANI CONFESSORIS.

I. *De S. Stephani parentibus.— Pater ejus Barium orandi causa pergit.*

A Fuit igitur in Arverniæ partibus homo quidam nobilissimus nomine Stephanus, cujusdam oppidi, quod dicebatur Tiernium seu Ternas, dominus et vicecomes, et uxor ejus Candida nuncupabatur. Qui nimirum non sine causa talia sortiti sunt vocabula. Erant enim filium habituri, qui de virginitate et diutissima corporis afflictione tanquam de redolentibus liliis rosisque vernantibus a Domino erat coronandus. Cui sane præsagio eventus rei postmodum fidem fecit. Divino namque nutu natus est eis filius, qui semper virgo permansit, et in signum coronæ quam meruit, de nomine patris Stephanus est appellatus: quem progenitores sui more nobilium diligenti studio educatum, cum ad intelligibiles pervenisset annos, ad discendum litteras tradiderunt; tanto charius eum diligentes, quanto et elegantioris formæ et bonæ indolis puer cœpit apparere. Crescente itaque puero, et in litterarum scientia magis magisque proficiente, patri ejus cœlitus est inspiratum, ut ad gloriosum corpus B. Nicolai, quod de Mirrea metropoli Liciæ nuper (12) translatum fuerat Barium, causa orandi festinaret. Illuc namque ex diversis mundi partibus fidelium populorum multitudo tunc temporis concurrebat, tanti confessoris gloriosa intercessione peccaminum suorum veniam petitum. Parente igitur illo sumptus et socios eligente, iter cum vellet arripere, et filium suum, quem unice diligebat, secum ducere, perurgebatur admodum gravi tentatione. Timebat enim ne infantiæ suæ teneritudine, vel itineris longitudine puer debilitaretur; dimittere autem eum nolebat, quia eum ante omnia diligebat, et ideo absque eo esse non poterat. Et quid plura? Ipse cum eo ad sacratissimas reliquias lætissimus properavit, ignorans quid de eo Dominus Deus facere decrevisset. Erat enim jam duodennis. Volebat autem omnipotens Deus ac disponebat, quatenus puer ea ætate sibi servire inciperet, qua filius suus a parentibus secundum carnem ad templum deductus est; et quemadmodum puer Christus remansit in Jerusalem, ignorante Joseph et Maria (*Luc.* II), sic puer iste remansurus erat in itinere, patre ignorante et Deo disponente.

II. *De infirmitate pueri apud Beneventanam civitatem.*

Cum autem, Christo ducente, post factam orationem pater cum filio feliciter remearet, ut ex devoto devotior fieret, per Beneventanam urbem transitum fecit, ubi quid acciderit sine dolore quis poterit enarrare? Nam ibidem infirmatus est puer, et gaudium quod de parvulo comite suo pater habuerat, versum est in mœrorem. Tristis ergo nimis effectus, orando, eleemosynas largiendo, omnipotentis medici et B. Nicolai auxilium implorat, sed de filii sui sospitate nullum comperit indicium. O pietas patris! o providentia supernæ dispensationis! postulat pater pueri sanitatem, sed Deus puero alium providit patrem.

B III. *De archiepiscopo Beneventanæ civitatis Milone.*

Erat enim tunc in eadem urbe archiepiscopus beatissimus Milo, qui de Arvernia oriundus huic viro ab infantia fuerat notissimus. Hic, cum videret quod puer non convalesceret ob votum et amorem nobilissimi viri, rogavit eum ut suum sibi dimitteret filium. Qui de illius amicitia certissimus, et de prudentia et probitate non ignarus, infantulum quem reducere non poterat, ei tanquam fidelissimo viro fidelissimum commisit depositum, obsecrans multis precibus ut si puer evaderet, illum faceret erudiri, quatenus sciret legem ejus, cui jam parvulus fuerat oblatus: sicque caro pignore destitutus, desolatus et mœstus ad propria reversus est. Post

C paucos vero dies, divina operante clementia, puer sanus factus est, et quasi oblitus patris et patriæ, hilaris et gaudens in terra fuit aliena.

IV. *De puero instruendo ab archiepiscopo.*

Unde archiepiscopus plurimum lætus non solum sacris tradidit eum litteris imbuendum, verum etiam ipse, velut pius pater et fidelis doctor, bonitatem et disciplinam et scientiam ipsum studiosius edocebat (*Psal.* CXVIII). Semper enim puerum a scholis vacantem operibus suis assidere faciebat, vel cum diœcesis suæ placita pertractaret, vel cum Romani pontificis, cui Beneventum sedes atque thalamus est, causis sive judiciis interesset. Talibus quippe negotiis propter veritatem et mansuetudinem et justitiam, quæ in eo evidenter eminebant, frequentis-

D sime insistere cogebatur. Sed sicut ait Apostolus: *Quis novit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* (*Rom.* XI.)

(12) Veram peregrinationis Stephani vicecomitis Tiernensis causam ignorasse videtur Gerardus hujus Vitæ auctor: nam constans est omnium auctorum sententia corpus S. Nicolai Barium translatum fuisse anno 1087, ac proinde aliquibus post annis quam peregrinationem suscepisset.

V. *De Dei providentia erga puerum.*

Ut doctorem inveniret justitiæ, ut patrem haberet spiritualem, carnalis pater ad exteras nationes filium duxit, nesciens quid faceret. Cæterum ille sciebat, qui cum puero et de puero aliquid magnum facere cogitabat. Egressus est enim puer de terra et de cognatione sua et de domo patris sui (*Gen.* XII), ut inter gentes quas nesciebat, vivendi formam disceret, ad quem postmodum maxima multitudo hominum, vel de Ur Chaldæorum et Ægyptia servitute, ad terram promissionis et virtutum montem ocius convolaret (*Gen.* XI).

VI. *De religiosis Calabriæ, et vita, et conversatione eorum.*

Florebat enim eo tempore in Calabriæ finibus justorum quædam religiosa congregatio, tanto bonis cœlestibus uberior, quanto ab omni cura temporalium erat remotior. Pecudibus, possessionibusque ac universis rerum mundanarum occupationibus ita penitus renuntiaverat, quod unde professores sui ad tumultum sæculi revocarentur, non habebat. Et ut dilatato corde per arctam viam quæ ducit ad vitam (*Matth.* VII), quicunque ad eam accedebant, incederent, nullus in ea aliquid proprium possidebat; sed, sicut in Actibus apostolorum legitur: *Erant illis omnia communia, et dividebatur singulis prout cuique opus erat* (*Act.* IV). Verumtamen nullos nisi seipsos habebant ministros, ut major locum minoris obtineret, et præcessor fieret ministrator. Corporalis autem subsidii sollicitudinem solummodo in Deum projecerant, unanimiter in claustro viventes, et obedientiam humani generis reparatricem pro suis viribus in omnibus custodientes; et quia mundum sibi et se mundo crucifixerunt, et in cruce Christi gloriabantur (*Galat.* VI), operum prædicatione testimonium perhibentes veritati, tantam apud Deum et homines invenerant gratiam, quod et virtutum gratia redundabat, et in cibis et vestibus humanæ naturæ sufficientiis non carerent. Hoc itaque propositum sapientissimus archiepiscopus Milo in sermonibus quos ad populum faciebat jugiter commendabat, et cum eorumdem Patrum aliquem videre poterat, ut Christum in servo suo loquentem audiret, omni postposita sollicitudine, totus ei vacabat. Audiebat enim de conversatione eorum, unde postmodum clericorum, laicorum, aliorumque religiosorum vitam ad altiora inflammabat, propo-

A nens eis exemplum istorum ab omni cupiditate, *quæ radix omnium malorum est* (*I Tim.* VI), caventium, solisque cœlestibus inhiantium.

VII. *Qualiter appetebat virorum supradictorum imitari exemplum.*

Cum igitur Stephanus jam pueritiæ metas excedens hunc sanctissimum virum in hujusmodi vita cerneret adeo complacere, desiderio imitandi mores et actus illius religionis attentius investigare studuit, et fideliter memoriæ commendavit. Fecerat enim Christus Dominus in ejus pectore mansionem, et ideo amore illius omnia deserere cupiebat, sed qualiter perfecte id agere potuisset, tanquam prudentissimus adolescens et Deo plenus, diligentissime deliberabat.

B VIII. *De visitatione terræ nativitatis suæ ac parentum suorum.*

Eruditus itaque et nutritus a S. Milone, Beneventano archiepiscopo (13) duodecim annis, accepta licentia ab eo, decrevit in corde suo quatenus visitaret (14) patriam et parentes suos; qui cum vidissent eum, ultra modum lætati sunt et congratulabantur ei veluti a mortuis surrexisset. Cumque ibi moram aliquam fecisset, retro per Dei misericordiam ad ipsum archiepiscopum redire disposuit. Cumque Romam fuisset ingressus, comperit eum viam universæ carnis jam fuisse ingressum, et tunc remansit apud quemdam prudentissimum virum sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem, cum
C quo in Romana curia per quatuor continuos annos (15) intrans et exiens, de diversis diversarum religionum actionibus, et dispensationibus totius Ecclesiæ Catholicos viros sæpissime disputantes audiit. Cumque de omnibus quæ spectant ad salutem animæ, et etiam ad sæculi salutare consilium sufficienter edoctus fuisset, et conceptum desiderium serviendi Deo ad exsecutionem operis animum perurgeret, a Romano pontifice, cui bene notus erat, devotissime petiit, ut ordinem quem in Calabria observari didicerat, in remissionem peccatorum suorum, quæ, ut reor, pauca erant, sibi alicubi observare concederet.

IX. *Qualem se habebat apud Romanum pontificem.*

Licet autem supererogare, si vel legere, vel au-
D dire, vel desuper inspiratum esse contingeret, unde primum bonum *et mensuram confertam et coagitatam, et supereffluentem* (*Luc.* VI), redeunte Domino,

(13) Hic cespitat auctor non parum in his quæ de Stephani apud Milonem archiepiscopum Beneventanum per annos XII commoratione narrat, cum constet Milonem vix duobus annis sedem Beneventanam occupasse. Id certe patet et ex brevi Chronico Beneventano apud nos ms. ubi ad annum 1074 Milonis ordinatio consignatur, ejus vero obitus anno sequenti, Roffredi vero ejus successoris electio anno 1076. Et ex instrumento ipsius Milonis apud Ughellum relato, in quo Milo primum sui præsulatus annum cum anno Christi 1075 componit. Mabillonius existimat Milonem superstitem fuisse anno 1078, quo *per auctoritatem papæ Gregorii septimi et per testimonium Milonis archiepiscopi, qui prius decanus Parisiensis, ab apostolico ordinatus est archiepiscopus Beneventanus, quem de hac re intercessorem apud papam habuit.* Joannes quidam construxit cellam S. Florentii prope Dolum in Armorica. Verum aliquot ante annis intercedere potuit Milo quam cella illa construeretur, et certe invictissimis Ughellus probat argumentis Roffredum Milonis successorem sedisse anno 1076.

(14) De hac parentum visitatione silet Vita a Bollando edita.

(15) Si quatuor continuos annos post Milonis mortem moram fecit cum quodam cardinali S. Stephanus, ordinis sui fundamenta jacere non potuit ante annum 1080.

exspectaret. Cujus piæ petitionis affectum admiratus admirabilis Pater apostolicus, ætatem juvenis et severitatem ordinis considerans, primo quidem obstupuit, deinde promittendo ei honores ecclesiasticos et immensa beneficia, ut a tali petitione pariter et voluntate desisteret, monuit; fortasse existimans quod, vel levitate, seu aliqua ingruente tentatione, per tam arctam et arduam viam vellet incedere. Verum quanto magis pius Pater probando spiritum, si ex Deo erat, illum ne talia postularet dehortari videbatur, tanto ad exsequendum quod proposuerat, et quod poscebat impetrandum ille ferventior efficiebatur et instantior.

X. *De confirmatione beati Stephani per summum pontificem.*

Comperta itaque ac probata ipsius constantia, Christi vicarius tandem quod petebat annuit, et auctoritate sua apostolica et potestate, qua cunctis præeminet mortalibus, omne bonum quod ageret ei in pœnitentiam et virtutis præmium injunxit. Tunc ille de jussione summi pontificis, quam multum optaverat gaudens, cum ejus benedictione discessit a curia, et quasi futuræ conversationis jam medium habens, visum est ei bonum ea intentione redire ad patriam, ut quod corpore nolens et inscius reliquerat, mente et corpore spontaneus et prudens desereret.

XI. *De ingressu Arverniæ vel patriæ suæ.*

Iter igitur arripiens in ingressu juventutis suæ Arverniam regressus est, sed parvam ibi faciens moram, a parentibus et fratribus, et cognatis, et amicis, qui de regressu ipsius admodum gaudebant, solus latenter recessit.

XII. *De egressu patriæ suæ et de visitatione gratiæ divinæ.*

Cum autem egrederetur de patriâ sua, relictis parentibus suis, domo et omni parentela, et cognatione sua, sciretque retro nunquam se reversurum, respexit post se, ultimum vale facturus, et subito divinitus excussa sunt omnia ossa ejus, ita ut videretur sibi quod disjungerentur et solverentur omnes ejus juncturæ: unde credimus quod signum hoc fuit indicium futuræ sanctitatis ejus ac bonitatis: quapropter dicere potuit veraciter: *Dirupisti, Domine, vincula mea* (*Psal.* CXV). Perambulans et perlustrans plurimarum provinciarum partes, ea loca quæ ad serviendum Deo et agendum pœnitentiam magis sunt idonea diligentissime considerabat. Sciebat enim quod quærentibus et diligentibus Deum frequentia hominum, et copia rerum nociva sunt, utilia vero paupertas et solitudo.

XIII. *De loco eremi apud Muretum invento.*

Denique, peragratis multis eremis et solitudinibus, et de canonicorum, monachorum, eremitarumque vita illa quæ imitanda sunt memoriæ commendans, in Aquitaniam ad nemorosum montem, qui non longe distat ab urbe Lemovicarum, et Muretum dicitur, Christo ducente, pervenit, ubi fontes reperit et rupes, terramque desertam et inviam, quæ novo hospiti suo potum frigidissimum et domum ventis expositam offerens, afflictionem corporis et requiem mentis manifestis indiciis promittebat. Porro tota silvestris et sterilis, et fere omni tempore hiemalis, hominibus insueta, assueta feris, aliud non poterat polliceri.

XIV. *De ingressu eremi.*

Sed non metuit tentationes qui sensit Dei consolationes, nec nimis esurit panem hominum, qui frequenter comedit panem angelorum (*Psal.* LXXVII): cujus rei non ignarus servus Dei, in spem ejus de quo legitur, quia erat in deserto cum bestiis, et angeli ministrabant ei (*Matth.* IV), fervens et intrepidus ad unum accessit fontem, et gaudens de solitudine, quam juxta cor suum ad ducendam pauperem vitam aptam invenerat, omnibus diebus vitæ suæ ibi se Deo serviturum spopondit, ut cum quodam annulo, quem de omni substantia mundi tantum habebat, semetipsum castissimum virginem Christo desponsavit, dicens:

XV. *De professione ejusdem.*

Ego, Stephanus, abrenuntio diabolo et omnibus pompis ejus, et offero atque reddo meipsum Deo Patri, et Filio ejus et Spiritui sancto, trino et uni Deo vivo et vero. Et scribens professionem suam, posuit eam super caput suum, et dixit: *Omnipotens et misericors Dominus, Pater, et Fili, et sancte Spiritus, qui semper et idem permanens vivis et regnas trinus et unus Deus, ego frater Stephanus, promitto tibi me amodo serviturum in hac eremo, in fide catholica; et propter hoc pono chartam istam super caput meum, et annulum istum in digito meo, ut in die obitus mei sit mihi hæc promissio, et hæc charta scutum et defensio contra insidias inimicorum meorum. Quæso, Domine, ut reddas mihi vestem nuptialem, et in numero filiorum sanctæ Ecclesiæ me annumerare digneris, et ad cœnam nuptiarum Filii tui, sanctissime Pater, animam meam de corpore exeuntem, charitatis tuæ vestem indutam in regnum tuum cum sanctis omnibus introducas; qui vivis et regnas Deus cum Filio tuo et Spiritu sancto, per omnia sæcula sæculorum. Amen.* Item dixit: *Sancta Maria, mater Domini nostri Jesu Christi, Filio tuo et tibi commendo animam meam et corpus meum et sensum meum.* His dictis, non est ultra reversus ad sæculum, sed facto de virgultis parvo tugurio, anno ab Incarnatione Domini 1076, trigesimum agens ætatis suæ annum, eremum habitare cœpit in jejuniis, vigiliis ac orationibus continuis serviens Domino die nocteque.

XVI. *De cibo ejusdem.*

A die namque illa cibus ejus panis et aqua fuit, et interdum farinulæ siligineæ modica sorbitiuncula, quæ cæteris cæterarum farinularum sorbitiunculis minus sapida, necessitati utcunque servit, non delectationi. In senectute tamen sua, a tricesimo scilicet conversationis suæ anno, modico vino usus est propter stomachum (*I Tim.* V), quem ciborum ariditas et penuria nimis arctaverat; sed carnem

vel saginen nullo tempore conversionis suæ sanus A vel æger. Cæterum, si quis scire voluerit unde etiam illa tenuis substantia, qua corpus ejus sustentabatur, illi aderat, præsertim cum diu solus in eremo habitaret, nec exiret ad sæculum, revocet ad memoriam quomodo Abdias prophetas Domini in spelunca absconditos pro Dei amore pane pavit et aqua (*III Reg.* XVIII), et noverit quod nihilominus circumstantium vicinorum charitas sola divina inspiratione huic Dei servo deferebat. Qui enim Danieli in lacu leonum incluso prandium misit per Habacuc (*Dan.* XIV), qui per ministerium corvi et viduæ Eliam a famis liberavit injuria (*III Reg.* XVII), *qui quotidie dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum* (*Psal.* CXLVI), hominis tantæ fidei, quem ad se diligendum absconderat in abscondito faciei suæ a conturbatione hominum, non potuit oblivisci (*Psal.* XXX). Solis igitur intentus cœlestibus, alimenta corporis a devotione fidelium, refectionem vero mentis et unctionem spiritus a divinæ contemplationis beneficio affluenter sortitus est.

XVII. *De lorica ferrea qua induebatur.*

Nam quomodo non gustaret quam suavis est Dominus (*Psal.* XXXIII), et dulcedinis ejus stillicidia stillantia non haberet (*Psal.* LXXI), qui corpus suum castigando et in servitutem redigendo per districtam abstinentiam (*I Cor.* IX), etiam lorica ferrea contra carnis insidias et mentis lasciviam (*Ephes.* VI) tandiu incessit armatus, quousque toto exsiccato corpore, plenam de seipso obtinuerit victoriam. Ad C cujus eximiæ perfectionis cumulum tanta parcitas vestium, lectique accessit durities, quæ cunctis humanæ conditionis facultatem cernentibus vires hominis videatur excedere.

XVIII. *De indumentis ejusdem.*

Indumenta namque quibus super loricam induebatur, nullo tempore augebantur, nullo minuebantur; sed in hieme et in æstate ad repellendum frigus et cauma æqualia semper erant et eadem.

XIX. *De stratu ejusdem.*

Stratus vero in quo post nimiam carnis suæ fatigationem ad quiescendum se modicum conferebat, adeo durus erat et quieti contrarius, ut in eo dormiens vexari poterat non foveri. Erat enim ex ta- D bulis ligneis instar sepulcri in terram consertis, omni stramento, omnique lecti stramine carens, præter illam tunicam ferream quam semper ad nudam gestabat carnem, et vilissimum duntaxat habitum, quo desuper manebat indutus; illa ad stratum veniens secum afferebat, illa de strato surgens secum deferebat. Eo absente, stratus ejus nudus erat et vacuus; eo præsente, talibus culcitris talibusque linteolis erat ornatus. Sed quis ad hæc non miretur? quis non obstupescat? Siquidem, ut verum fateamur, parcus in cibo, parcus in lecto, parcus in somno fuit.

XX. *De perseverantia in divinis officiis.*

Exceptis etenim ecclesiastici officii regularibus debitis, agenda videlicet diei et beatæ Mariæ, et fidelium defunctorum, a prima die qua venit in eremum, usque ad ultimum diem vitæ suæ, ordinem de sancta Trinitate cum novem lectionibus et horis canonicis, singulis diebus ac noctibus devotissime celebravit.

XXI. *De genuflexionibus ejusdem.*

Numerum autem genuflexionum ejus, quas terram deosculando, et cum fronte nasoque percutiendo humiliter faciebat, scire non possumus, quem utique propter earum sæpissimam iterationem ipsum etiam credimus ignorasse. Scimus tamen quod manibus ac genibus in modum cameli earumdem assiduitate genuflexionum callos contraxerat, et nasum curvaverat in obliquum.

B XXII. *De psalmodia et orationibus ejus.*

Psalmodiam vero et familiares orationes in tantum amabat, et gratiam illius excellentissimæ contemplationis in qua Deus melius cognoscitur, tam efficaciter habebat, quod nunc hujus dulcedine raptus, nunc illarum occupatione detentus, frequenter biduo aut triduo a corporali vacabat edulio; et quia non potuit lucerna accensa latere sub modio (*Matth.* V), longe lateque sanctitatis ejus opinio divulgata est, et veniebant ad eum undique multi suæ salutis monita audire cupientes. Verum si pro eorum colloquio quibus servata charitate deesse non poterat, ea quæ orando facere vel dicere consueverat, statutis horis sive temporibus quandoque non impleret, differri quidem poterant, non omitti. Postquam enim ab eo qui advenerant recedebant, quæcunque hora tunc esset, antequam comederet vel dormiret, omnia quæ de consuetis orationibus necessario intermiserat, omni cum devotione restituebat. Unde plerumque usque in crastinum nullum sumebat cibum, Christi discipulorum imitator verus, qui propter venientes et redeuntes manducandi spatium non habebat. Purus igitur rigidusque sui exactor primo suæ conversionis anno, humano carens solatio solus in eremo fuit; secundo quemdam de sæculo in suam recepit custodiam suamque disciplinam, quem alter postea subsecutus est. His duobus solummodo diu comitatus fuit; plures enim ad austeritatem conversationis ejus accedere trepidabant. Verumtamen districtionis suæ regulam et mensuram possibilitatis ipse nemini imponebat; sed quemadmodum inchoaverat sibi quidem crudelis et asperus, aliis pius longeque moderatior erat. Sciebat enim quod secundum collatam sibi cœlitus gratiam alius alio fortior est, et non omnia possumus omnes.

XXIII. *De prudentia quam habebat erga discipulos.*

Nec quærebat discipulorum suorum corpora necare, sed vitia: unde tanquam *fidelis dispensator et prudens quem constituit Dominus super familiam suam* (*Luc.* XII), in cibis et vestibus, cæterisque humanæ fragilitatis necessitatibus, eis æquo libramine indulgebat: hoc tantum ab eis exigebat, ut

Dominum super omnia diligentes ei veraciter dicere possent : *Propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis* (*Psal.* XLIII). Ac postquam, disponente Deo, discipulorum ejus numerus crevit, non quasi unus ex illis in illis factus, sed minor omnibus illis (*Luc.* IX).

XXIV. *De humilitate ejusdem.*

Nam, sicut consuetudo religionis est, in refectorio ad mensas sedentibus et vescentibus illis, ille humiliter humi residebat, legendo passiones sanctorum vel Vitas Patrum, seu aliam ædificantem scripturam, ut corporea alimenta capientes, illius sententiæ recordarentur : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod processit ex ore Dei* (*Matth.* IV). Legerat quippe, legerat, inquam, et memoriæ mandaverat : *Quanto major es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam* (*Eccli.* III) ; et illud : *Qui voluerit inter vos major esse, erit omnium servus* (*Matth.* XXVI).

XXV. *De doctrina ejusdem facta ad discipulos.*

Quam prudenter autem et quam sollicite de religionis observantia, de morum maturitate et de omnibus quæ ad salutem animæ spectant, quæ viva voce sanctorum sententiis et exemplis discipulos suos, et eos qui cum eo loquebantur docebat, quemadmodum in sententiis suis scriptum est, sub silentio præterimus. Nimirum ad ea evidentissima sanctitatis ejus indicia festinamus, quibus fides magis est adhibenda quam verbis. Quis enim novit cogitationes hominum, nisi *qui finxit sigillatim corda eorum, et intelligit omnia opera eorum* (*Psal.* XXXII), aut cui voluerit ipse revelare ?

XXVI. *De cognitione cogitationum discipulorum suorum.*

Cujus gratiæ prærogativam ab illo *Patre luminum a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum* (*Jac.* XVII), tam efficaciter vir iste acceperat, quod præsertim discipulis suis quid cogitabant, et tentationes quas a diabolo patiebantur, apertissime dicebat, et qualiter pravis cogitationibus et importunis tentationibus viriliter resisterent, tanquam pius pater et de salute eorum bene sollicitus, eos instruebat.

XXVII. *Quantam vim obtinebant orationes ejusdem apud Deum.*

Frequenter etiam cum eorum poscebat infirmitas, ne in hoc mari magno et spatioso hujusmodi fluctibus submergerentur, suis eos orationibus juvabat. Erant enim preces ejus tantæ virtutis ante Dominum, quod, ipso cooperante, ab ipsis dæmonum faucibus et pravis machinationibus hominum captos poterant liberare : quod ut manifestum sit, de pluribus miraculis, quæ per fidem et orationes ipsius Dominus operari dignatus est, hic breviter duo narremus.

XXVIII. *De milite per eumdem a quodam crimine liberato.*

Igitur miles quidam generosus cujusdam immensi criminis tenebatur reus. Hic enim, cum A inter alios, qui ad eum visitandi gratia venerant, cum eo semel assisteret, quasi unus de stultis hominibus locutus est. Ait enim : « Obsecro te, serve Dei, noli pro me Dominum deprecari. » Admirans autem ille, respondit ei : « Quid hoc est frater ? Cur ita loqueris ? » Miles ait : « Quoddam peccatum in tantum diligo, quod nullatenus illud vel odire vel relinquere volo. Timeo autem ne hoc mihi contingat, si tu pro me rogaveris. Tuis ergo orationibus aliis auxiliare, mihi vero minime. » His dictis, miles diaboli recessit lætus, sed fidelis athleta Christi tristis remansit et anxius. Ingressus capitulum, tabulam pulsat, fratres congregat, sed præ lacrymarum impetu qua causa id ageret, vix illis insinuat : tandem reserato eis sermone mi- B litis, jubet, hortatur, ut pro stultissimo milite eum eo Dominum studeant exorare. Nec mora, peccator rediit, et de jam dicta stultitia veniam postulans, corde et ore suæ iniquitati renuntiavit. In quo utique facto datur agnoscere quantam charitatem habuerit, qui, donec errantem proximum ad viam veritatis reduceret, preces cum lacrymis Domino fundere non cessavit. Est et aliud fidei ejus præclarissimum opus, huic non dissimile.

XXIX. *De familiari cujusdam liberato.*

Nam homo quidam in re familiari satis opulentus, victualia quæ fidelis populus ei in eremo assidue commoranti charitative mittebat, ferre consueverat ; sed quia longe manebat ab ejus cella, nec C ad eam una die poterat pervenire, in itinere sibi providerat hospitium, in quo iens hospitabatur et rediens. Noverat autem illius hospitii dominus hunc Dei servi famulum habere divitias, et ideo, suadente diabolo, tradidit eum duobus latronibus, qui ut ad redemptionem illum cogerent, in speluncis et in cavernis terræ cum eo latitabant, ligatum eum tenentes et captum. Post aliquot vero dies nuntiatum est servo Dei quod familiaris suus in via qua ad eum veniebat, ab ignotis hominibus furtim fuerat captus, et quo nesciebatur adductus. Quod ille audiens prius per multa loca diligentissime fecit eum requiri, sed nullatenus potuit inveniri. Tunc fratribus super hoc conquerentibus et dolentibus dixit : « Cur estis D anxii ? Scio cui manifestum est de homine, ubi sit, et quomodo se habeat. Nudatis igitur pedibus eamus in oratorium, et gloriosæ Virginis matris Domini, in cujus obsequio captus est, imploremus auxilium. Nullus enim carcer nullusque locus est, de quo sine mora eum nobis reddere liberum ipsa non possit. » Et cum hoc factum fuisset, ecce crastina die diluculo, proditor hospes cum duobus latronibus et homine quem ceperant, ad cellæ januam pulsantes astiterunt. Homo vero qui captus fuerat et ligatus, solutus et liber ; fures et traditor vinculis erant ligati : quod frater ostiarius intuens, et de miraculo multum gaudens, patri spirituali, qui more solito eadem hora discipulos instruebat, secreto manifestavit. Sed Christi servus gaudium

mentis vultu dissimulans, verbum quod inceperat minime prætermisit, dans fratribus exemplum, ut non in miraculis, sed in solo Domino gloriarentur. Deinceps completo sermone, fures ac proditorem a vinculis quibus erant religati solvit, et cum fratribus Deo et beatissimæ virgini Mariæ gratias agens, tutos et liberos abire permisit.

XXX. *De affluentia virorum ac mulierum venientium ad eum.*

Veniebant itaque ad eum multi parvi et magni, pauperes et divites. Erat enim celeberrimæ opinionis, omnibus proficiens, nocens nulli. Non enim erat manus ejus extenta ad accipiendum et ad dandum collecta, sed libentius conferens quam capiens, spiritualem temporalemque alimoniam mendicantibus læto animo et hilari vultu liberaliter erogabat, arguebat peccantes, et de peccatis suis mœstos consolans, quid agerent indicabat; justis pius, afflictis compatiens, egenis misericors, omnibus pater erat.

XXXI. *De fragrantia miri odoris quæ ab ipso procedebat.*

Viri autem odoris fragrantiam cum eo loquentes et astantes circa eum ex ipso procedere sentiebant, cujus rei plures adhuc legitimi testes inveniuntur. Quæ profecto fragrantia non solum sicut sentientes fatebantur et aliis prædicabant, totius suavitatis auctorem in eo requiescere testabatur: verum etiam, quantum nobis datur intelligi, meritum erat quo integerrima virginitas et humilitas animæ et corporis, quæ in eo eminebant, etiam in hac vita, dum viveret, donabantur. Patientiam vero qua jejunando, vigilando, frigus æstusque tolerando, crucem Dominicam corde bajulabat et corpore, charitatem, sobrietatem, discretionem, et hilaritatem quibus cunctis indigentibus consulebat, seque præbebat affabilem, longum est enarrare. Deus hæc omnia novit: nos enim per omnem narrationem nostram, ea de ipso tacenda fore censuimus quæ nostri temporis fidem forsitan facerent hæsitare. Redolebat tamen adeo conversationis ejus sanctitas, quod etiam supremos homines ad sui notitiam poterat convocare.

XXXII. *De adventu cardinalium Romanorum.*

Excellentissimi namque cardinales, Gregorius videlicet et Petrus de Leo, inter quos postmodum de prælatione Romani papatus, ut notum est, schisma fuit, cum a summo pontifice in Galliam missi legatione sua in partibus Lemoviciniæ fungerentur, ad hunc virum Dei pariter convenerunt. Qui primo vivendi formam quam habebat, deinde a quo eam didicerat, vel si esset canonicus aut monachus seu eremita, tandem cur in arido gelidoque monte, cur in terra sterili et inculta, sine animalium et omni temporalium rerum adminiculo, curam hominum agere cœperat, diligenter quæsierunt.

XXXIII. *De responsione beati Stephani ad cardinales.*

Quibus ille, quemadmodum cunctis secum lo- A quentibus facere consueverat, humiliter respondens, de doctore suo venerabili Milone, Beneventanæ urbis archiepiscopo, primò mentionem fecit, illum Christi sermonem in corde suo recogitans: *Si ergo glorifico meipsum, gloria mea nihil est* (*Joan.* VIII). Sed cardinales de tam celebri viro illum loqui audientes, in verbis ejus paululum hæsitaverunt. Sciebant enim illius sanctissimi viri obitum longo retro tempore exstitisse. Quo agnito, Dei servus ait: « Dubitatis super hoc, domini mei? Certe si non festinaretis, et liceret auscultare utrum vera diceremus, illico probaretis. » Tunc illi usque ad ultimum verbum, quidquid ille diceret, se libenter audire promiserunt.

B XXXIV. *De assertione cujusdam abbatis Lemovicensis ad supradictos cardinales pro beato Stephano.*

Dicebat autem eis quidam abbas Lemovicensis qui eos adduxerat: « Nequaquam suspicemini quod iste Dei servus falsum proferat verbum: prius enim permitteret amputari caput suum quam scienter in aliquo mentiretur sermone. » Tunc ortus a principio seriatim illis retulit qualiter in pueritia ad Beneventum a patre suo ductus est, ubi a sancto Milone duodecim annis educatus, hanc regulam didicerit, de cujus etiam vita et doctrina mirabili multa quæ ipsi noverant interseruit. Quocirca eum vera loqui cognoverunt, et quidquid ulterius dixerit, lætabundi receperunt. Solutis ergo universis eorum C quæstionibus, quoniam quidem paratissimus semper aut ad satisfactionem omni poscenti se rationem de ea quam habebat fide et spe (*I Petr.* III), in fine locutionis suæ subjunxit, et ait: « Itaque cum de fallaci mundo, ducente nos Christi gratia, voluimus exire, a Romano pontifice in curia ubi cum quodam cardinali a transitu sapientissimi et sanctissimi doctoris nostri archiepiscopi Milonis fueramus, prout melius potuimus, nostram suscepimus pœnitentiam, et cum ipsius præcepto et obedientia in remissionem peccatorum nostrorum hujus paupertatis et abjectionis viam sequi proposuimus: et si sanctos et laudabiles eremitas, quos per totam septimanam absque corporali cibo divinæ contemplationi vacasse legimus, fragilitate nostra non pos- D sumus imitari; tamen, quia a via publica aliquantulum declinavimus, et fratres qui in Calabria sine pecudibus et possessionibus Deo serviunt utcunque sequimur, in extremo judicio, cum Christus venerit judicare vivos et mortuos, ejus misericordiam exspectamus. Et ecce vestibus monachorum et canonicorum, de quibus interrogatis, non utimur, ut videtis, quoniam etiam tantæ sanctitatis vocabula nobis non usurpamus. Nam canonicorum institutio quæ habet potestatem ligandi atque solvendi quemadmodum apostoli, supereminet potestati monachorum, ideoque, ut diximus, usurpare vitam illorum minime audemus. Tanta namque perfectio ad regimen ecclesiarum est necessaria, quod perfectos earum rectores vix aut nunquam imitari sufficere-

mus, imperfectos vero et inutiles nullo modo sequi A debemus, nec solum nos oportet cupiditatem a nobis expellere, sed etiam omnia unde posset procedere : quin etiam si ecclesias nos habere contingeret, quomodo curam ageremus aliorum, qui mortui sumus mundo, et membris abscissis a sæculo, pedibus caremus ad ambulandum, ore ad loquendum, et ideo nec nostri curam agimus, vel possumus; quanto minus et aliorum, quemadmodum pastores Ecclesiæ ? Nomine autem monachorum non utimur, quia nomen sanctitatis vel singularitatis sortiti sunt vocabulum, quanquam omnes Christiani possunt vocari monachi : attamen illi specialiter monachi dicuntur, qui sui amplius curam agunt [*f.* non agunt], nec aliud cogitant nisi tantummodo de Deo. Eremitarum vero vitam imitari minime valemus, B quia in hoc specialiter est vita omnium eremitarum devitare sæculi tumultus, et permanere in cellulis suis, quatenus vacent orationi et silentio. »

XXXV. *De excellentia viri justi facta a cardinalibus.*

Quibus auditis, cardinales legati ipsius prudentiam et humilem responsionem admirantes, omnibus qui illic aderant, constanter aiebant : « Dicimus vobis, ut testificamur, quod aliquem huic viro similem nusquam invenimus, sanctus enim Spiritus loquitur in eo. » Et conversi ad eumdem Christi militem, taliter locuti sunt : « Homo Dei, si fuerit possibile ut usque in finem ita perseveres, profecto cum apostolis in regno cœlorum numeraberis; C hæc sunt enim illorum vestigia. » Sicque data ei benedictione, et communicatis invicem orationibus discesserunt ab eo. Ubi si divinæ pietatis dispensationem diligenter et caute perpendimus, evidens miraculum possumus intueri. Voluit enim Christus ut servus suus qui a suo vicario apostolico, scilicet in exordio propositi sui bene agendi habuerat præceptum, a viris apostolicis vicarii sui vicariis, in fine suæ conversationis sanctitatis haberet testimonium.

XXXVI. *Similitudo.*

Hic enim quamdam comparationem ac verissimam, Deo annuente, facere possumus, ut melius sanctitas ac bonitas ipsius ostendatur, et quemadmodum Deus omnipotens ejus sanctitatem certis D voluit declarare indiciis. Recolamus igitur verborum illorum quæ scripta sunt in Joannis Evangelio de Joanne Baptista, ubi dicitur, quod *miserunt Judæi ab Jerosolymis sacerdotes et levitas ad Joannem, ut interrogarent eum : Tu quis es? Et confessus est : Quia non sum ego Christus. Et interrogaverunt eum : Quis ergo? Elias es tu? Et dixit : Non sum. Propheta es tu? Et respondit : Non. Dixerunt ergo ei : Quis es tu, ut responsum demus his qui miserunt nos? Quid dicis de te ipso? Ait : Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domini, sicut dixit Isaias propheta. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis* (*Joan.* I). Intelligite verborum consonantiam. Missi sunt sacerdotes et levitæ, a quibus? scilicet a Judæis. Unde? ab Jerosolymis. Cui? Joanni videlicet. Ad quid? Ut interrogarent eum. De quo? Si ipse esset Christus. Similiter et isti duo legati missi sunt; sed a quibus? A viris religiosis. Unde? A Lemovica civitate. Cui? Scilicet B. Stephano. Ad quid? Ut interrogarent eum. Interrogatus est Joannes triplici modo, utrum esset Christus, an Elias, an propheta? quod totum, ut audistis, negavit causa humilitatis, quamvis veraciter hæc omnia de se affirmare posset, si vellet, juxta testimonium Scripturarum. Nam christus dicitur *unctus*, et ipse unctus est oleo invisibili, id est repletus Spiritu sancto, secundum Lucam, ex utero matris suæ; hæc est unctio spiritualis de qua dicitur : *Unctio ejus docet vos de omnibus* (*I Joan.* II). Dominus autem Jesus suis discipulis, dum loquitur de Joanne, dicit : *Elias jam venit, et fecerunt in eum quæcunque voluerunt, et si vultis scire, Joannes ipse est Elias* (*Matth.* XVII). Alibi Dominus loquens ad turbas, interrogavit : *Quid existis in desertum videre? Prophetam? Dico vobis : Et plus quam prophetam* (*Matth.* XI). Similiter autem et B. Stephanus requisitus est ab eis an esset canonicus, aut monachus, seu eremita? Quod totum, ut in superioribus dictum est, causa humilitatis vitavit, ne videretur ab hominibus, quanquam verissime totum de se profiteri posset. Canonicus enim *regularis* interpretatur, et ipse juxta Evangelii regulam, quæ est caput omnium regularum, in quantum valebat, vivebat. Monachus vero *solus* vel *custos sui* dicitur; ipse solus quia in solitudine spirituali locum sibi præparaverat ad habitandum cum Deo, ut dicere posset veraciter : *Elongavi fugiens in solitudine et mansi* (*Psal.* LIV). Hæc est solitudo spiritualis de qua dicitur : *Sedebit solitarius et tacebit* (*Thren.* III); hæc est custodia sui, unde dicitur monachus, id est custos sui ipsius. Unde dicitur : *Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit* (*Prov.* IV). Stephanus autem beatissimus solus sedebat, id est quiescebat, et custos sui effectus erat, quia de omni supellectili mundana nihil penitus sibi vel discipulis suis retinuerat, nisi parum solitudinis, in qua nimirum cum fratribus suis Deo serviret. Eremita dicitur ab eremo, seu anachoreta, id est *remotus*. Quis unquam amplius potuit B. Stephano esse a sæculo remotior, qui nihil sibi, ut diximus, in mundo penitus retinuit? Omnia omnino pro Deo reliquerat, eremum colebat, quia ibi pœnitentiam nimis austeram die noctuque fideliter peragebat. Et quemadmodum dicitur de Joanne, dum deinde interrogarent illum quis esset, vel quid diceret de seipso, cum non esset Christus, vel Elias, aut propheta, ut responsum darent his qui miserant eos, ipse ait : *Ego vox clamantis in deserto* (*Joan.* I). Similiter et isti duo legati B. Stephanum interrogaverunt dicentes : *Quid ergo dicis de te ipso* (*ibid.*), cum fateris quia non canonicus aut monachus vel eremita, quia his tribus ordinibus seu gradibus fulcitur omnis vita religiosorum, quibus

humillima ratione, veluti Joannes, ut superius scriptum est, respondit. Itaque cum de fallaci mundo, etc.

XXXVII. *Item de extollentia ejusdem.*

Nunc igitur, dilectissimi, animadvertite et intelligite qualiter divina bonitas sanctum suum majoribus dignioribusque personis similem reddebat verbo et opere. Attamen non æquiparamus J anni Baptistæ, cui Christus Dominus tantum contulit testimonium, quod inter natos mulierum eo major non surrexit (*Matth.* XI); sed quia bonum nobis esse videtur, ut comparatione actuum tanti prophetæ, quo nemo, ut asseritur, major, actus B. Stephani dum aliquatenus in aliquo assimilari possunt, amplius et melius resplendeant. Non enim contra dignitatem prophetæ loquimur, si ejus primitus dicta vel facta ostendimus, et postea, utcunque possumus, ei similem in aliquo B. Stephanum demonstramus. Cum Joannes evangelista de Domino Jesu Christo dicat, quod *cum apparuerit, similes ei erimus* (*Joan.* III). Certe scimus quod Joannes Baptista vestiebatur pilis camelorum, et esca ejus mel silvestre ac locustæ; Stephani erat esca, ut diximus, panis lixivio confectus, sive pultes de siligine, quas raro sumebat, vestis lorica ferrea. In his itaque ostenditur austeritas prophetæ, et austeritas sancti confessoris. Benedictus Deus per omnia, qui tales ambos fecit, et facere sic potuit. Amen.

XXXVIII. *De perfectione ejusdem orationis et confirmationis erga discipulos circa finem.*

Octavo namque die ab eorum recessu, hoc est pridie Nonas Februarii, nullo adhuc tamen dolore vexatus, ab exteriorum cœpit vacare colloquio, seque totum contulit doctrinæ discipulorum suorum et orationi. Scivit enim per Spiritum sanctum diem sui obitus propinquare, voluitque eos in proposito paupertatis ad quod venerant confirmare, et suis apud Deum obtinere precibus, ut in eo semper vellent perseverare. Cum autem de diligendo Deo, de amanda paupertate, et de observandis institutionibus quas eis fecerat, eos ardentissime commoneret, accidit per Dei providentiam quod ipsi coram eo unanimiter astantes dixerunt :

XXXIX. *Quomodo conquesti sunt discipuli apud Patrem spiritualem.*

« Sanctissime Pater, quandiu tecum fuimus, pro tuo amore Deus nobis præbuit necessaria, sed post mortem tuam quomodo vivere poterimus? Cuncta nobis aufers temporalia, et unde sustentabimur? » Ad hæc pius Pater, in fide Christi firmissimus, sic respondit :

XL. *De responsione ejusdem ad discipulos.*

« Deum solum vobis relinquo, cujus sunt universa, cujus etiam amore cuncta pariter et vosmetipsos reliquistis. Si amando paupertatem ei con-

A stanter adhæseritis, nec ab hac veritatis via declinaveritis, ipse juxta providentiam suam, qua mirabiliter gubernat omnia, vobis quod expedire noverit, largietur. Si vero (quod absit!) amando temporalia ab ejus amore recesseritis, nolo vobis relinquere unde ad ipsum impugnandum pascamini. Sciatis autem pro certo quod in hac solitudine fere quinquaginta (16) annos complevi, quorum alii in magna egestate, alii in magna fertilitate transierunt. Divina vero bonitas sic semper ad mensuram mihi omnia contulit, quod in egestatis tempore nihil necessarium defuit, nec in ubertate quidquam superabundavit. Similiter vobis eveniet, si vitantes omne superfluum, nam necessaria neminem [*f.* nemo] damnavit, in hac regula de Evangelio sumpta perse-

B veraveritis. » Cumque per quatuor dies hæc et alia quæ in libro Regulæ aliisque voluminibus scripta sunt multo ferventius solito eis diceret, ita quod manifeste cognoscerent loquendi gratiam ei duplicatam fore, quinto die summo diluculo lethalis dolor ejus invasit membra. Tunc in oratorium se portari fecit, imperans fratribus ut divinum celebrarent officium, suisque orationibus instanter Domino supplicarent, quatenus in pace animam ejus susciperet

XLI. *De transitu beati Stephani confessoris.*

Tandem finita missa, post sacram unctionem, post receptionem corporis et sanguinis Domini, fratribus flentibus psalmosque cantantibus, octogesimo ætatis suæ anno, in ordine diaconatus, sexta

C feria, sexto Idus Februarii dicens : *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum* (*Luc.* XXIII), feliciter migravit ad Dominum.

XLII. *Item de transitu ejusdem.*

Mox vero monachi de Ambasiaco (17), cum capellano ejusdem vici et magna plebis multitudine, ad cellæ januam pulsaverunt, cum mœrore clamantes et dicentes : « Boni viri, boni viri, nolite nobis celare domni Stephani mortem. Vere scimus, vere scimus quia mortuus est noster amabilis Pater. » Janitor autem hæc audiens, et volens eos a sepultura removere, quatenus fratres tanti funeris exsequias sine tumultu digne et devotissime celebrarent, quasi consolando dixit eis : « Quid est hoc? Dicitis quia mortuus est? Imo multo melius solito

D illi credimus esse. »

XLIII. *Miraculum pueri de Ambasiaco.*

Cui sacerdos, qui cum monachis et populo venerat, ait : « Domine, bene scimus quia mortuus est. In vico etenim nostro puer quidam modo in extremis positus ab heri et nudiustertius loquelam amiserat, qui cum a matre sua exitum præstolante servaretur, subito in hæc verba prorupit : Video, inquit, scalam lucidissimam, cujus altera pars cœlum, altera tangit Muretum, et angeli multi descendunt per eam, ut animam domni Stephani Deo gra-

(16) Guillelmus de Dandina in Vita Hugonis de Lacerta, ait sanctum Stephanum *quadragesimo et sexto conversionis suæ anno fere* ad cœlum migrasse.

(17) Gallice *Ambezac*, vico media a Mureto leuca distante, ubi erat cella seu prioratus a monasterio S. Augustini Lemovicensis dependens.

tissimam perducant ad gloriam. » Quod mater ejus audiens, mirata est valde, et egressa domum vocavit me et monachos quos videtis, et narrans nobis hoc verbum quod puer dixerat, duxit nos in domum suam; qui pariter ante puerum venientes, cum ad intimationem mulieris requireremus ab eo quid diceret, tam nos quam plures alii qui illic aderant, ab ore ejus idipsum audivimus, et subjunxit: « Nunc audio circumquaque per ecclesias et per monasteria sonare signa. » Et iterum ait: « Hoc erit vobis indicium quod dico veritatem, quia jam moriar, nec ultra loquar vobiscum, sed ascendam cum sanctissimo Patre et angelorum multitudine. » Quibus dictis, exspiravit, unde sine dubio credimus verum esse quod dicimus, migrasse scilicet gloriosissimum Patrem. O felix visio! et quis congruentius virgini testimonium debuit perhibere, quam virgo? Ambo namque virgines erant, et fidelis Dei servus, et puer qui vidit et retulit visionem. Quanti enim meriti fuerit apud Deum hic athleta Christi, aliud miraculum quoque potenter ostendit.

XLIV. *De revelatione transitus ejusdem apud Turonensem civitatem et Verzeliacum.*

Nam mira Dei dispensatione decessus illius apud Turonum et Verzeliacum eodem die divulgatus est: quæ duo loca ab invicem et a Mureto adeo remota sunt, quod nisi miraculose id fieret, fieri nequaquam posset. Cujus rei testes idonei fuerunt peregrini Lemovicenses, qui illuc causa orandi tunc erant, certamque rei veritatem postmodum fratribus retulerunt.

XLV. *Quomodo transitum suum per noctem revelavit cuidam canonico* (18).

Sequenti vero nocte cuidam canonico, familiari suo, per visum apparuit, habitu roseo decoratus; nec mirum si roseo, quia Christi martyr exstiterat. Cui congaudens in visione sua canonicus ait: « Pater mi, quæ causa fuit hujus præfulgidæ vestis, quam usque modo non induisti? » « Romani pontificii mihi a Christo collati signum est, » inquit. Ad hæc canonicus respondit: « Benedictus sit Deus; nam per talem papam recte sancta regetur Ecclesia. » Illico evigilans intellexit illum mortis debitum persolvisse, et celeriter surgens pro commendatione animæ ejus ex integro divinum decantavit officium. Mutua namque charitate ambo inter se condixerant, ut ille qui diutius viveret exsequias alterius celebraret.

XLVI. *De nuntiis ad legatos Romanos missis.*

Dato itaque sanctissimo corpore sepulturæ, discipuli ejus jam dictis cardinalibus transitum illius per litteras et nuntium mandaverunt. Cumque in concilio quod apud Carnotum congregaverant, eis litteræ redderentur, mox obitum ejus omnibus denuntiantes, coram omni conventu archiepiscoporum atque pontificum, et cæterorum sapientium de virtutibus ejus et fidei puritate quam investigaverant, multa bona locuti sunt. Quibus auditis, omnes qui aderant Deo gratias egerunt, et facta absolutione, cardinales dixerunt: « Nos oravimus pro illo, nunc vero deprecemur illum, ut oret pro nobis ad Dominum, quia sine dubio plus possunt nos juvare illius sancta merita, quam illum nostra suffragia: cum Christo namque vivit in gloria. »

XLVII. *De electione domni Petri Lemovicani secundi prioris.*

Pio igitur Patre destituti et orbati fratres, de conventu suo unum, Petrum scilicet Lemovicanum, in priorem et spiritualem Patrem sibi concorditer elegerunt. Hic prius in sæculo venerabilis sacerdos, nunc vero in religione paternæ traditionis et voti quod fecerat æmulator existens, Deo et hominibus charus et amabilis erat: sub cujus regimine, grege Dominico in augmentum religionis proficiente, locum de Mureto in quo Deo serviebant, diuque cum sanctissimo Patre suo servierant, monachi S. Augustini calumniari cœperunt.

XLVIII. *De inquisitione diversorum locorum.*

Sed qui potius auferenti tunicam pallium volebant dimittere, quam unde ad placita et litigandi consuetudinem traherentur habere; locum alium vigilanter perquirere curaverunt, ubi caput religionis suæ convenienter constituerent, libere et quiete servire Deo potuissent. Locis itaque diversis sedulo peragratis, nullo tamen idoneo reperto, tandem divinitus illustrati, salubre consilium omnes unanimiter inierunt, ut prior scilicet cum omni humilitate et devotione missam celebraret, et cum fratribus universis affectu præcordiali Domino supplicaret, ut clementer eis consuleret, et quod postulabant indicare non differret. O mira Dei clementia et perenni memoria commendanda! Potuit fortasse livor Dei servis moliri calumniam, sed unde eos comprimere voluit, inde amplius dilatavit. Nam immensa et ineffabilis supernæ dispensationis providentia latiorem locum, et ad observantiam religiosæ conversationis et situ et nomine magis idoneum, eis a mundi constitutione paraverat, cujus loci nomen etiam per ipsam divinam vocem audire meruerunt.

XLIX. *De revelatione loci Grandimontensis.*

Priore namque, sicut condictum erat, missam celebrante, cum *Agnus Dei* ter cantatum fuisset, et tam ipse quam omnes alii fratres ardentissime Dominum exorarent, quædam cœlestis vox audita est dicens: « In Grandimonte, in Grandimonte, in Grandimonte. » Hanc sane beatissimam vocem prior et nonnulli de fratribus audierunt. Finita vero missa, quæsivit prior a fratribus, si cœlicam audierant vocem; et cum unus eorum confestim coram omnibus diceret: Ego audivi eam ter dicentem « In Grandimonte, » et alius similiter, cuncti affluenter lætati sunt, et consolati sunt, et confortati vehementer divinæ pietatis largitatem, propter glo-

(18) S. Gauchero.

riosæ revelationis felicitatem, mirari, laudare et glorificare studuerunt. Et quia in Grandimonte adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum milites Christi, ne perderent cœlestia, semper erant pugnaturi (*Ephes.* VI), merito ibi auditum est nomen ejus, ubi victoria quam ab antiquo humani generis hoste Christus habuit quotidie celebratur.

L. *De ædificio ejusdem loci.*

Pergentes igitur ad locum divina revelatione compertum (satis enim Mureto vicinum est [18*]), ecclesiam et domos ad habitandum jussione Domini cujus erat, omni cum festinatione fecerunt. Quibus vili schemate utcunque pactis, reversi sunt Muretum, ubi nonnulli de fratribus remanserant, et accipientes sanctissimi Patris sui gloriosum corpus, transtulerunt illud in Grandimontem, paucisque scientibus reconderunt subtus presbyterium ante altare.

LI. *Miraculum de pane dato cuidam militi.*

Cum Pater pius viveret, Bosoni Derceses, illustri viro, die sancto cœnæ panem distribuit, quem ille diu reverenterque servavit, et multis languentibus frustatim distribuit, quos omnes virtus divina sanitati restituit, multaque miracula uno pane perpetravit.

LII. *De milite sanato miraculum.*

Postmodum vero miles quidam, qui Raimundus de Plantadio dicebatur, ad illam novam Domini plantationem se deferri fecit, ut in orationibus fratrum recipi meruisset. Hic eo morbo, qui paralysis dicitur, ita corporis medietatem amiserat, quod ex illa parte nullum ejus membrum in aliquo prævalebat. Loquens ergo cum priore, verbo quo poterat, petiit ut in ecclesiam ad altare duceretur. Cumque a quodam filio suo ex uno latere, et ab ipso priore ex altero totus fere portaretur, postquam super lapidem sub quo ante altare sanctissimi hominis corpus sepultum erat, pedes suos tenuit, libera voce exclamans ait : « Sinite me, nolite me juvare, ego enim in hoc loco, in quo pedes teneo, modo sanus factus sum. Dico autem vobis quod hic sanctus jacet aliquis tumulatus, pro cujus meritis et amore mihi Deus contulit sanitatem. » Increpavit autem eum prior, et ut nec ipsi, nec alii qui cum eo erant hoc dicerent, vehementer prohibuit. Sed quanto instantius hoc prohibebat, tanto qui sanus factus fuerat, præ gaudio validius clamabat : Hic sanus factus sum. Et qui sine humano juvamine etiam a janua ecclesiæ ad altare paulo ante progredi non potuit, solius divinæ miserationis auxilio ad domum propriam nunc incolumis remeavit : sicque totus sanus factus est, ut deinceps in ejus corpore illius ægritudinis nullum remaneret vestigium.

LIII. *De discipulo ejusdem sanato.*

Nihilominus autem quidam ejus discipulus, qui lumen amiserat exterius, prostratus et orans ad ejus sepulcrum, pristinum recepit visum.

LIV. *De panno qui non potuit comburi.*

Pannus etiam, quo sacræ ossium ejus reliquiæ involutæ fuerant, a sacerdote qui decentiori panno eas involverat, semel et iterum atque iterum projectus in ignem comburi non potuit.

LV. *De verbis correctoriis quæ habuit prior secundus ad eumdem, inspectis miraculis post transitum ejusdem.*

Inspectis itaque prior miraculis timuit sibi et aliis quietem minui, et internæ suavitatis dulcedinem tardius experiri, si populorum turbæ miraculorum causa, locum ad quem venerant frequentarent. Et veniens ad sepulcrum hominis Dei ante altare, tanquam spiritualis paupertatis verus amator, ei ac si viveret, ita locutus est : « Serve Dei, tu ostendisti nobis paupertatis viam, et toto conamine tuo docuisti nos incedere per eam. Nunc vero de arcta et ardua via quæ ducit ad vitam, ad latam et spatiosam quæ ducit ad mortem tuis nos miraculis vis revocare? Prædicasti solitudinem, nunc in solitudine fora nundinasque vis congregare. Non ducimur curiositate, ut tua miracula videre velimus; satis tuæ credimus sanctitati. Cave igitur de cætero ea miracula facias, quæ tuam extollant sanctitatem, et nostram destruant humilitatem. Non sic laudi tuæ provideas, ut nostræ sis immemor salutis. Hoc tibi præcipimus, hoc a tua poscimus charitate. Quod si aliter feceris, dicimus tibi, et per obedientiam quam tibi promisimus, constanter asserimus, quia ossa tua inde extrahemus, et spargemus in flumen. » Ergo quia pura fides et charitas vera magis amant opera quam signa, taceamus multa miracula, quæ, dum adhuc viveret, ab ipso audivimus et legimus fuisse facta, et quotidie in procuratione omnium nostrum sine possessionibus pecudibusque ac reditibus, Deo cooperante, fieri videmus. Sequamur autem ipsum per ostensum nobis sanctæ conversationis exemplum, ipso auxiliante, qui vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

LVI. *De Petro Lemovicano, nepote secundi prioris, per visionem sanato, miraculum.*

Petrus Lemovicanus presbyter reverendus frater Grandimontis, nepos Petri Lemovicani, secundi prioris Grandimontis, columbinæ simplicitatis et floridæ virginitatis splendore vernabat, fluvioque lacrymarum frequenter affluebat, et tam Marthæ quam Mariæ officium sollicite gerebat. Qui divina permissione cœpit acriter ægrotare, cumque pondus gravissimum languoris amarissimi vix portare sufficeret, primo Patri nostro Stephano sanctissimo, patronoque suo prænominato, humiliter supplicavit ut divinam clementiam clementer exoraret, quatenus dolorem nimium sic temperaret, ut ipsum quoquo modo sustinere valeret. Postea divinæ gratia benignitatis duos cœlestes medicos fulgentes et gloriosos, scilicet Stephanum Christi famulum, et Petrum Lemovicanum patruum suum videt æger ad se venientes, linteamenque niveum afferentes,

(18*) Una duntaxat leuca distat Grandismons a Mureto.

quo totum corpus suum a capite usque ad pedes A cœperunt leniter extergere. Quod dum facerent, quidquid linteamine tangebant mox sanatum fiebat. Quo facto, dixerunt: « Hic totus est sanus. » Quo dicto, disparuerunt. Petrus vero Lemovicanus perfectæ sanctitatis munere lætificatus, mirabilem Dei patrumque prædictorum visitationem mirari et laudare cœpit affectuose. Hoc autem miraculum fidelis socius et charissimus frater meus ipse primum mihi, postmodum vero cæteris fratribus, rogatu meo, vultu demisso et verecundo manifestavit.

LVII. *Item aliud miraculum de quadam muliere.*

Homo quidam erat in territorio Pictaviensi cum uxore sua Petronilla nomine. Isti vero affectuose diligebant fratres nostros de Alonia, et multa bona eis sæpissime largiebantur et multoties eos visitabant, credulitatem magnam habentes in eos et in B. Stephanum. Habebant autem fratres istos pro filiis, eo quod prole infecundi et steriles permanebant. Erat enim illis consuetudo talis quod annuatim in festo B. Stephani procurabant fratres pro amore et honore ipsius, et veniebant ad eos ipsa die, afferentes quæ eis erant necessaria. Cum autem ex consuetudine in festivo die ipsius cum omni apparatu suo gaudentes et exsultantes viamque carpentes venirent, et ipsa mulier supra dorsum jumenti sidens procederet, ecce subito jumentum illud, nescio quo casu pedem incaute posuit et mirabiliter corruit, et illico mulier illa cadens de asello exspiravit. Videns autem vir ejus uxorem C suam esse defunctam, cœpit ejulando clamare et dicere: « Heu me, heu me miserum! heu me desolatum! heu me omnino destitutum! uxor mea mortua est, solus sum, et non habeo consolatorem neque sublevantem. O Deus, quid faciam? quo ibo? quid agam? nescio. Si rediero ad domum meam, videbunt me vicini mei, et audient me lugentem ac lamentantem, et inimici insultantes dicturi sunt: Ubi est uxor tua? quo remansit, quo perrexit? Et ego tristis et anxius respondere minime potero. Si huc diu perstitero, obvium me habebunt transeuntes per viam hanc, et interrogabunt me quid mihi accidit, et circumdabor rubore et anxietate. Si ad fratres perrexero, angustiabuntur, dolebuntque, et convertetur gaudium eorum in mœrorem, D et festivitas in tristitiam. Et quid dicam? *Versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium* (*Job* xxx). » Cumque sic fleret, et ita lamentaretur, et jam desperaret, venit ei in memoriam, quomodo pro honore et amore B. Stephani essent in itinere; et ideo bonum sibi visum est ut auxilium ejus fideliter expostularet. Resumit igitur vires suas, et in se reversus dixit: « Deus, propitius esto mihi peccatori. Per merita B. Stephani, redde mihi uxorem meam, ut cum illa te laudare queam. Appareat igitur nunc sanctitas B. Stephani, pro quo eramus in hoc itinere nos servi tui. Da nobis, Domine, auxilium ex ista tribulatione, et revertatur, obsecro, anima ejus ad corpus. » Et dixit: « Sancte Dei Stephane, adjuva me. Sancte Dei Stephane, exaudi me, ora pro me, nunc appareat gloria tua, bonitas tua. Si quid potes, adju a me, et redde mihi uxorem meam, quia in tuo servitio mortua est modo. » Cumque talia locutus fuisset, cum omni fiducia accessit ad corpus uxoris defunctæ, et ait: « Domina Petronilla, domina Petronilla, responde mihi. Domina mea, amica mea, soror mea, responde mihi. » Et cum hoc dixisset, ad vocem ejus divino nutu ipsa respondit: « Heu, mi domine, ut quid pro me anxius fuisti? Certe bene eram, multo melius exstiteram. » Tunc vir ejus gaudio plenus, assumpsit eam, et iterum levavit eam, et posuit super ipsum jumentum, et cum B gaudio et exsultatione pervenerunt quo tendebant, et narraverunt fratribus suis quæ sibi acciderant in via, et laudaverunt pariter Dominum, qui salvat sperantes in se. Et factum est gaudium magnum illis in illa die et deinceps. Hoc autem mirabile signum presbyter vitæ venerabilis et morum probitate conspicuus veraciter enarravit.

LVIII. *Item aliud miraculum.*

Aliud non minus mirabile miraculum charitati vestræ insinuabimus. Tempore domni Stephani de Liciaco, venerabilis quarti prioris Grandimontis, ædificabatur ecclesia in Grandimonte. Accidit autem quadam die cum operarii quemdam lapidem magnum ac quadratum sursum in altum deferrent, obvium habuerunt Geraldum magistrum operis ipsius, quem inviti et incaute ignorantes expulerunt a summitate arcium, et corruit in terram, qui graviter collisus occubuit, sanguis vero ejus per oculos, per aures, per nares, ac per os defluebat. Quod cum viderent operarii vehementer ejulantes clamare cœperunt. Vir autem domini Stephanus tunc temporis orationi insistebat. Cum vero subito tantum clamorem audiret, vehementer expavit, et surgens illico ab oratione, tremefactus ac concitus perrexit illuc ubi corpus defuncti coopertum jacebat exanime. Flebant itaque cæmentarii et alii operarii graviter super eum, quos intuens, ut erat vir magnæ austeritatis ac probitatis, increpare cœpit, et expellere a loco illo, ac vehementer conviciari eos cur flerent, aut cur clamarent, dicens: « Recedite, boni viri impostores, fugite ab isto loco, non est mortuus iste operarius, sed dormit. » Et expulsit eos foras, et clausit ostium. Tunc confidens et sperans in bonitate Domini et meritis B. Stephani, vocat fratres, et congregat in capitulo, dicens eis: « Fratres et filii mei, inimicus humani generis nos hodie graviter invadere ac sauciare tentavit. Ea propter vos admoneo, ac vobis firmiter præcipio, quatenus discalceatis pedibus cum gemitibus et lacrymis veniatis ante altare B. Mariæ semper virginis, et postmodum ad sepulcrum sancti Stephani. » Et voce horribili venerunt, oraverunt, fleverunt. Deinde prior Stephanus duxit ad sepulcrum B. Patris nostri Stephani, et voce horribili arguere cum incipit dicens:

« Redde, redde eum velociter. Cur sic nos afflixisti? quare hoc sustinuisti? Cito, cito appareat bonitas tua, virtus tua. Si quid potes, et certe credimus quia potes, adjuva nos misertus nostri. » Cumque complesset orationem, fidus de Dei misericordia et de Dei Genitricis auxilio, et de beati Stephani beneficio, cum fratribus accessit ad corpus defuncti, discooperiensque eum apprehendit manum ejus dextram, et quasi increpando dixit ad eum : « Gerarde, surge, surge dico, operare, et ad opus tuum revertere, surge velociter, nec moreris. » Ad hanc vocem reviviscens homo ille surrexit et dixit : « Ecce, domine, adsum et nullum habeo vel sentio malum. » Videntes autem fratres qui aderant, timuerunt, et præ gaudio fleverunt, et laudaverunt Dominum et beatam Mariam matrem Domini, et beato Stephano gratias egerunt. Tunc venerabilis Stephanus prior aperuit illis hominibus quos inde expulerat, dicens eis : « Ecce magister vester Gerardus sanus et incolumis perseverat. Revertimini igitur cum eo ad opus vestrum. » Videntes autem hominem vivum, quem mortuum reliquerunt, stupefacti et admirantes clamare cœperunt : « O Domine Deus, qui facis mirabilia magna solus, cujus nomen est benedictum in sæcula! Tu enim non derelinquis quærentes te, Domine. Ecce videmus opera magna et prodigia quæ fiunt per beati Stephani merita gloriosa. » Tunc Stephanus prior quartus, ac Deo dignus increpavit eos, dicens : « Videte, silete, cavete ne cui manifestum reveletur a vobis hoc signum. Si enim a vobis revelabitur, de vobis vindicabitur, et ita cum gaudio fit ab eis de cætero operis consummatio. »

LIX. *Aliud miraculum.*

Aliud autem miraculum non minus mirandum narrabimus charitati omnium vestrum. Tempore hujus venerandi prioris erat puer in Grandimonte, Audoenus nomine, progenitus nobili germine, sed deditus erat nimiæ infantiæ. Sustinebatur autem propter nimiam teneritudinem juventutis suæ a fratribus; qui cum quadam die vellet ludere, ascendit ille puer super quamdam porticum, et ex transverso posuit se super eam, et cœpit se exagitare huc atque illuc. Videns autem eum presbyter quidam, nomine Guido, vir religiosus, timuit ne tali enormitate puer ille periclitaretur, et accurrens ut eum increparet, antequam ad eum accederet, fortuitu cecidit, et collisus exspiravit. Cucurrit autem sacerdos ille ad patrem spiritualem, et indicavit ei. Qui audiens, concitus venit ad puerum, et invenit eum jam defunctum. Et accipiens eum in ulnas suas, attulit eum ad beati Stephani sepulcrum, quod tunc temporis erat in claustrum conditum, et dixit : « Ecce, Stephane, vir amantissime, ecce filius tuus, ecce discipulus tuus jam, ut cernis, est mortuus, redde illum nobis, redde, aut certe a loco isto projiciam te. Vide ne tardaveris, neque moram feceris. Vides quia dolemus, quia affligimur, quia tribulamur; da nobis consolationem et tuo nomini

A honorem. » Nec mora, post orationem factam, recepit juvenis vitam. Gaudet prior cum fratribus, quia revixit adolescentulus; inde laudatur Dominus et extollitur beatus Stephanus.

LX. *Item miraculum aliud.*

Per idem tempus fratres operabantur in nemore, et dum vellent ligna cædere, oportuit arborem vertere ab alio latere, quæ retinuit fratrem quemdam, Joannem nomine, vidente jam dicto priore, qui ibi loquebatur forte cum quodam religioso homine. Frater autem ab arbore tenebatur, manus ejus cum brachio destruebatur, et a fratribus cum eodem priore clamabatur : « Quid agis, beate Stephane? isti tuo discipulo in articulo mortis posito festinus

B succurre. » Et cum hæc dixissent, illico liberatus est, et laudaverunt Dominum, et beato Stephano gratias egerunt.

LXI. *Item aliud miraculum.*

In territorio Lemovicensi prope domum nostram de Podio Gisberti, erat homo quidam, qui domum supradictam obnixe diligebat, et fratribus ibidem manentibus multa beneficia conferebat. Hic habebat matrem vetulam et multitudine dierum inveteratam. Accidit autem quadam die ut anus febrium morbo corriperetur : Tunc ait illi filius suus : « Mater, jube ut eam ad sacerdotem, quatenus accipias de manu ejus corpus Domini et sanguinem. » Cui mater : « Utique, fili mi. » Perrexit itaque

C homo ille ad presbyterum, et adduxit secum. Qui cum venissent, invenerunt eam jam mortuam. Tunc ait illi sacerdos : « Cernis quia mortua est mater tua et nihil potest ei proficere admonitio mea, præpara quæ facturus es, et mane, Deo volente, revertar ad te. » Et his dictis presbyter reversus est, et homo iste cœpit contristari et mœstus esse, quia mater ejus obierat absque corporis et sanguinis Christi perceptione et sine confessione. Tunc anxie cœpit nomen Domini invocare, et auxilium beati Stephani per totam noctem illam præstolari. Cumque diu hoc ageret, cum fiducia ad corpus matris accessit, et clamare cœpit vehementissime : « O mater! o mater! » Cui illa respondens ait : « Quid vis, fili mi? Cur me incitasti?

D Certe bene mihi erat. » At filius ejus gaudens et exsultans ait illi : « O bona mater, si tibi placuerit, ut iterum vadam ad presbyterum, et tradat tibi corpus et sanguinem Dominicum. » Cui illa : « Fiat voluntas tua. » Ivit autem iterum homo ille ad sæpedictum presbyterum, et attulit illi veteranæ corporis et sanguinis Domini sacramentum; et facta primitus confessione communicavit, et statim iterum obiit, et lætati sunt qui aderant universi, et laudaverunt nomen Domini et magnificaverunt merita beati Stephani, pro cujus honore tale signum, Deo volente, contigit. Vir autem iste annuatim solitus est candelam afferre supradictæ domui in festo sancti Stephani, ob memoriam et reverentiam tanti miraculi. Qui hæc viderunt et audierunt,

tam clerici quam conversi, veridici nobis retulerunt.

LXII. *Item aliud miraculum.*

Quodam autem tempore domnus Stephanus de Liciaco venerabilis prior quartus ægrotabat, et tunc temporis reliquiæ corporis beati Stephani erant absconditæ in quodam vase ligneo, ignorantibus fratribus quampluribus; qui cum graviter febricitaret, jussit ut in quodam sarcophago lapideo absconderentur. Quod cum præparatum fuisset, imperavit ut ante eum reliquiæ afferrentur, quatenus eo cernente condirentur. Ipse autem graviter dolore febrium perurgebatur. Cumque delatæ fuissent reliquiæ coram eo, ut exinde in alio vase honorifice tumularentur, ex improviso prior venerabilis a febribus omnino liberatur. Quod cum animadverteret domnus prædictus prior, exclamavit et dixit: « Quare hoc fecisti? Putabam certe quod occasione hujus invaletudinis me modo tecum ante tribunal Christi veraciter ducere velles, et tu quod nolebam mihi attribuere præsumpsisti. Certe noveris pro certo quod exinde tibi ingratus existo. Quod desiderabam prolongasti, et quod nolebam dedisti. Non euro de tuis miraculis; sed plus gaudeo de operibus tuæ sanctitatis, increduli et imbecilles, et infirmi signis et prodigiis indigent, fideles et justi ac firmi fide his opus non habent. Hoc signum mihi esset salutiferum, si me præsentares coram Domino in regno cœlorum. » Post hoc signum aliud narrabimus dictu mirabile.

LXIII. *Item miraculum aliud.*

Miles quidam de Gasconia, consanguineus uxoris Pontii, quondam domini de Bainagio, quæ Gaillarda nuncupabatur, captus fuit a Guillelmo de Gordonio in quodam procinctu, deductusque est apud Domam oppidum, missusque in carcerem, in domo cujusdam militis, nomine Geraldus, qui gravissime catenis, pedicis, manicis, et pondere ferri premitur. Ostia carceris et fenestræ clauduntur, et ipse intus graviter affligitur. Cumque gravi dolore torqueretur, et jam de vita sua desperaret, ad arma spiritualia recurrere festinat, et nomen Domini invocat et B. Stephanum, ut ipsum liberare et exaudire dignetur, modis omnibus cum lacrymis anxie expostulat. Sic certe assiduus in oratione, die noctuque illum interpellare minime cessabat. Et quid plura? Perseveranti salus a Domino promittitur. Sic namque in Evangelio dicitur: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* x). Dum autem miles iste in oratione perseveraret, dum assidue nomen Domini invocaret, quatenus ob amorem B. Stephani sibi auxilium conferre dignaretur de cœlis, mittitur ei B. Stephanus adjutor de supernis. Quadam autem nocte, dum vehementer orationi insisteret, et auxilium a B. Stephano magnis vocibus quæreret, subito somno premitur, et quasi mortuus efficitur. Sed a B. Stephano ex improviso concutitur, et cur eum tantis clamoribus vexaret requiritur. Quæ cum miles stupefactus audisset, et quasi de gravi somno evigilans ait: « Quis es, Domine? » Cui ille: « Ego sum Stephanus quem tu invocare non cessasti, et huc ad hoc veni, ut intentus sim tuæ liberationi. » Expergefactus autem miles ille cœpit vehementius illum exorare, quatenus dignetur eum omnino liberare. Et quid? Cadunt manicæ a brachiis, et ex uno pede liberatur a pedicis. Cum autem sentiret se esse liberum, procedit ad carceris ostium quod invenit obseratum. Inde vertit se ad fenestram, quam reperit apertam. Considerans autem vallis profunditatem super quam eminebat domus illa ædificata, timuit perinde prosilire, sed postmodum confortatus divino Spiritu, in semetipsum reversus, ait: « Melius est mihi sic mori, quam iterum in carcere recludi. » Et statim confisus de bonitate Domini, et meritis B. Stephani, saltum illum fecit, et per Dei misericordiam illæsus evasit, cui fuit quidam juvenis obvius, qui ei postmodum exstitit in itinere socius. Nec mora ad fluvium Dordoniam veniunt, naviculam sibi a Domino præparatam reperiunt, transmeato videlicet flumine, ad domum nostram de Vaisseras accedunt prospero itinere. Pulsantibus illis ad januas, fratres ex mora surgunt ad matutinas, deinde illis manifestatur quod miles ille per B. Stephanum a Domino sit liberatus. Cui fratres veniunt gratulandi obviam, et adducunt secum in ecclesiam. Narrat eis miles quod factum fuerat, et quemadmodum Deus eum per B. Stephanum mirifice liberaverat. Gaudent igitur fratres de miraculo, laudes canunt et reddunt Domino, ac postmodum eum ducunt ad hospitium, ubi mansit per triduum. Qui hæc viderunt nobis fideliter ac veraciter narraverunt.

LXIV. *Item aliud miraculum.*

Alio tempore ingressa est multitudo hominum maleficorum cum magistro suo nomine Lupardo, terram Lemovicani episcopatus, ut eam depopularet. Et quid dicam? Capiebantur homines, violabantur uxores, trucidabantur ipsorum infantes; unde factum est, peccatis eorum exigentibus, quod castellum de Peiraco tunc temporis forte ab illis captum est, et inter cæteros, quinque homines capti sunt, et reclusi in quodam specu subterraneo, quorum duo ex ipsis valde diligebant B. Stephanum et ordinem nostrum. Cumque sic a maleficis includerentur, et cippis et catenis fortiter ligarentur, assidueque custodirentur, S. Stephanum sibi propitium homines illi requirere cœperunt, quorum unus, Petrus nomine, familiaris ac serviens erat cujusdam domus ordinis istius, quæ Bonavallis vel Serra dicitur; alter vero Geraldus de Montellio vocabatur. Hi duo cum cæteris tribus vehementer exorabant Dominum, quatenus per merita B. Stephani eos liberare dignaretur de manibus inimicorum suorum; qui cum ex corde vehementer orationi insisterent, ecce B. Stephanus apparet illis fulgidus, et dixit eis: « Surgite, ne timueritis, et me sequimini. » Qui respondentes, dixerunt: « Quis es tu, Domine? » Et ille: « Ego sum Stephanus

Grandimontensis ordinis pastor primus. » At illi præ gaudio flere cœperunt, atque dixerunt : « O domine, o pastor Excelsi, libera nos de inimicis nostris istis crudelissimis. » Tunc viriliter assumens eos duxit per medium castrorum, videntibus cunctis, et nemo alicui eorum nocuit vel nocere potuit, et ita liberi effecti per misericordiam Dei, per beatum Stephanum mirabiliter evaserunt.

LXV. *Item aliud miraculum.*

Iterum narrabimus aliud signum mirabile. Homo quidam erat in territorio Lemovicensi, nomine Reginaldus, qui valde diligebat B. Stephanum et domnum Hugonem, cæterosque discipulos ejus, ac totum ordinem nostrum, cujus erat consuetudo talis annuatim visitare domum Grandimontis et domum Mureti, ac domum de Plania. Accidit autem quodam tempore dum ex more loca supradicta cum omni diligentia et uxore propria visitasset, cum rediret ad villam in qua manebat, videret ipsam villam subito igni accendi : quod cum cerneret cœpit clamare, dicens : « O Deus, quid faciam? Fatigatus sum ex itinere, nec valeo domum meam ab isto igne defendere. Succurre mihi hodie. Domine, memento quia B. Stephanum diligo, et ordinem et discipulos ejus, a quorum visitatione nunc revertor. Ideo, Domine mi, obsecro per misericordiam tuam, quatenus ob amorem B. Stephani, et per merita ipsius in hac hora ab ignivomis flammis domum meam cum omni supellectili sua liberare digneris. » Qui cum complesset orationem, ignis ille nunquam ausus fuit domum illam, nec etiam festucam unam lædere. Testabantur etiam homines villæ illius, quod cum ignis concremaret domos quæ conjunctæ erant domui hominis istius, sequebatur festucas comburendo domorum aliarum, inter paleas domus illius hominis, quas quasi timendo omnino vitabat. Quod cum viderent qui astabant tam presbyteri quam homines cæteri, laudaverunt Dominum, qui per B. Stephani merita hoc miraculum tantum coram illis fecisset. Postea vero, tam Reginaldus quam presbyteri et alii plures, hoc signum fratribus de Entrefis et Gaufrido presbytero, qui nobis retulit veraciter et alacriter, narraverunt. Postmodum autem homo iste istius ordinis habitum sumpsit, et usque in finem nobis videntibus ac scientibus fideliter perseveravit.

LXVI. *Item aliud miraculum.*

Tempore domni Petri Bernardi prioris venerabilis, coadunato universali capitulo in Grandimonte, celebrata est translatio corporis beatissimi Stephani, præsente domno Geraldo Lemovicensi episcopo, sequenti die præcursoris ac præconis Domini Salvatoris : et erat ibi frater quidam, nomine Guillelmus, qui nimia surditate ambarum aurium confundebatur anxie. Qui, cum videret sanctum Dei a supradicto priore et ab omni conventu a claustro in ecclesiam transferri, accessit velociter ad sarcophagum, et invenit sotulares, accipiensque eos in ipso sarcophago B. Stephani, cœpit mittere digitos A suos infra sotulares, et inde extrahere quodcunque invenire poterat, ac in auriculas suas deinde transferebat. Cumque ita plenus bona fide ac spe certissima diutius fecisset, auditum, quem amiserat, velociter recuperavit, et postmodum ipse veraci sermone narravit.

LXVII. *Item miraculum aliud.*

Item dilectioni vestræ aliud declaravimus miraculum minime tacendum, quod tempore domni Guillelmi sexti prioris Grandimontis acciderit in Senonensi civitate Galliarum. Erat enim ibi canonicus, nomine Genulfus, qui ordinem nostrum bona fide ac voluntate et B. Stephanum diligebat, et ædificia cujusdam domus nostri ordinis construere de sumptibus suis fideliter fecerat. Hic autem, cum B supradicta civitas igne vehementissimo graviter concremaretur, domum suam fide plenus, atque de Dei misericordia et de B. Stephani auxilio minime dubitans, fiducialiter ingressus est, dicens : « Nunc quæso, Domine Deus, appareat virtus et sanctitas B. Stephani, primi Patris ordinis Grandimontensis, quatenus domum meam et omnia quæ intus sunt, pro ejus amore defendas, ne ab hoc incendio concremantur; sin autem cum illa ego concremabor. » Stabat vero vir ille trepidus, et cum a famulis suis diceretur : « Domine mi, recedite, jam universa civitas accenditur et comburitur, ac flammæ undique domum istam lambere satagunt, nec potest certe evadere tantum incendium quin comburatur. C Saltim vestræ personæ quæ nobilis est et digna omni honore salutem et auxilium præbete. » Quibus ait : « Nunc in isto cognoscam si ordo Grandimontensis sanctus est, seu vera sunt S. Stephani mira et stupenda quæ audivi, aut si placent Domino ea quæ pro amore ejus in ipso ordine gratanter obtuli. » Et quid plura? Depopulata est igne isto civitas et ultra quam credi potest omnino destructa est, et canonici istius domus sola divino nutu et auxiliante B. Stephano illæsa et incombusta permansit. Sic certe divina bonitas servum suum longe lateque multis et innumeris indiciis mirabilium signorum declarabat.

LXVIII. *Miraculum aliud.*

Quædam mulier benigno Patri præsentans ova, D jussu illius ante illum pluresque alios tam viros quam feminas, qui causa ædificationis ad eum venerant, posuit ea. Illico vir sanctus Spiritu sancto illuminatus, alia ab aliis virga separavit, et feminæ dixit : « Hæc, si placet, retinebimus; illa vero domum reporta. » Mulier ait : « Domine, munusculum paupertatis meæ noli renuere. » Ille respondit : « Nisi moleste ferres hujus rei causam tibi declararem. » Illa inquit : « Pater, non ægre feram; imo tibi supplico ut hoc mihi manifestare digneris. » Ille subjunxit : « Quia hæc ova sunt gallinæ tuæ; illa vero alienæ; ideo nolumus ea retinere. » Illa statim erubescens et obstupescens ante ipsum sese prostravit, propriumque reatum coram cunctis præsentibus humiliter confessa, verbum illius esse

verum asseruit. Quibus visis et auditis omnes qui aderant valde mirati sunt, et Dominum laudare cœperunt.

LXIX. *Item aliud miraculum.*

Quædam femina servum Dei devote visitans, inquit ei : « Pater, hunc panem vobis offero. » Ille protinus eam interrogavit, unde panem habuerat. Ipsa respondit : « Justo labore meo ipsum perquisivi, agro namque meo messe vacuato, spicas quæ remanserant sollicite collegi, unde panem istum feci. » Deinde panis divisus est, et cruentus inventus apparuit, et stuporem et horrorem maximum in feminam generavit. Mox vir spiritualis ait mulieri stupefactæ : « Quia reliquias segetis, quas lex divina pauperibus concedit, eisdem rapere præsumpsisti, ideo justus Judex ad terrorem et tuam correctionem et aliorum, hujusmodi miraculum dignatus est perpetrare. »

LXX. *Item aliud.*

Cum fratres Muretenses Patris reverendi mensam vilem et pretiosam fratri Amelio de Lacrozyla Fontiscrosæ (19) dispensatori super ea ab eo diligenter rogati, per Giraudum David mitterent, ipse nuntius, causa fidei et devotionis, mensæ particulam abscidit, et pro reliquiis longo tempore servavit : qui parum de ligno sæpe radebat, et in aquam mittebat, multisque frebricitantibus bibere dabat, moxque Dei gratia cunctos curabat. Idem etiam eadem medicina a febre sanatus est. Interea contigit ut domus de Orca, ubi lignum erat, et quæcunque in ipsis erant comburerentur ; lignum autem pannumque lineum et pellem candidam quibus erat involutum, divina potestas penitus ab igne protexit. Cujus miraculi magnitudo Giraudum David super rerum suarum amissione plurimum confortavit. Sed cum vita mirabilis præfulgeat miraculis, cumque eremita eximius, quo, teste Domino, inter natos mulierum major non surrexit, pauca vel nulla legatur fecisse miracula, non est summopere talibus immorandum et gloriandum. Suis enim discipulis in signorum gloria gloriantibus, sic ait magister humilitatis : *Nolite gaudere quia vobis spiritus subjiciuntur : gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cœlis* (*Luc.* x). Totis viribus summo regi supplicamus, ut nos meritis et precibus tanti Patris nostri faciat perpetuo participes suæ felicitatis. Amen.

LXXI. *De milite curato de igne inexstinguibili.*

In territorio Lemovicensi erat quidam miles claro quidem genere, non multa morum honestate refulgens. Accidit vero quod divino judicio flagellatus est morbo incurabili, igne videlicet inexstinguibili, qui dicitur infernalis. Ignis ille inexstinguibilis, utpote non deficiens, donec subjectam materiam omnino consumpserit, pedem prædicti militis, carnem videlicet cum ossibus, nullo interveniente remedio, immisericorditer consumebat.

A Præfatus vero miles multos consulens medicos, et in eos expendens plurima, nullam potuit salubrem sibi invenire medelam. Tandem conversus ad Dominum, in tote corde suo contritionem cordis interiorem, per copiosam lacrymarum effusionem et exhibitionem bonorum operum, exterius manifestans, se ferri fecit ad domum Grandimontensem, non humanum, sed divinum postulans consilium et auxilium. Vocato siquidem Stephano de Liciaco, tunc temporis præfatæ domus gerente prioratum, prostravit se humiliter ante pedes ejus, ostendens illi dolorem corporis intolerabilem, se nihilominus in corde pati significans, verba proferendo magnæ humilitatis, et profusius lacrymando, credens procul dubio propter peccata sua tam
B graviter a Domino flagellari. Quo viso, Pater venerabilis obstupuit, quærens a milite quid peteret. Militi vero causa recuperandæ sanitatis humiliter et cum lacrymis respondenti dixit prior : « Frater, non sumus medici, nec nobis nec aliis aliquid medicinæ corporalis consuevimus exhibere remedium. » Dixit quoque miles : « Domine, humano consilio destitutus pariter et auxilio, ad spiritualem confugio, postulans sanctissimas beatissimi viri Stephani confessoris reliquias mihi peccatori omnium miserrimo miserorum misericorditer ostendi. Credo namque per ejus orationum merita ab hoc incendio intolerabili, divina favente gratia, liberari. » Prior autem timens sibi
C et aliis fratribus quietem minui, et internæ suavitatis dulcedinem tardius experiri, si populorum turbæ miraculorum causa locum illum sæpius frequentarent, utpote qui sæpius cum beato viro quasi cum vivo loquens homine, super miraculis quæ faciebat durius increpaverat, minitans ossa ejus inde extrahi et in flumen projici, nisi cessaret a miraculis, dixit ad militem : « Frater, beati viri domini Stephani ossa vix aut nunquam ab aliquo possunt videri ; sed vade ad alios sanctos, ad quorum memorias miracula creberrime fiunt, et nos libenter orabimus pro te, ut Dominus tribuat quod tibi necessarium esse cognoverit. » Miles vero respondit se nullo modo recessurum, donec saltem adeundi sepulcrum beati viri Stephani sibi
D licentiam indulgeret. Tandem convictus prior precibus militis et sociorum ejus, concessit ei licentiam adeundi viri beatissimi sepulturam. Tunc gavisus est miles plurimum, et de futuro remedio spem bonam concipiens, ad sepulcrum beati viri per manus sociorum suorum quam citius est deportatus. Mox prostratus humiliter ante sepulcrum, oravit cum lacrymis et multa devotione, sperans ad Dominum, ut per merita servi sui, cujus corpus ibidem requiescebat, doloris intolerabilis daret ei remedium et ulceris sanitatem ; lavansque lapidem super quo corpus beatissimi viri sepultum erat, aqua, eamdem aquam infun-

(19) In diœcesi Pictaviensi annexæ prioratui de Quarta

debat ulceri, et confestim exstinctus est ignis, et curatus est miles ab ulcere pariter et dolore, et qui antea sine humano juvamine alicubi progredi non valebat, solius divinæ miserationis auxilio, nunc ad domum propriam sanus et incolumis remeavit, sicque sanus factus, devotus de cætero erga Dei servitium et opera pietatis usque in finem constanter perseveravit.

LXXII. *Item aliud miraculum.*

Narrabimus adhuc dilectioni vestræ miraculum minime silendum, quod tempore vitæ suæ miraculose acciderit. Quadam namque die, dum quidam familiaris ejus ex more de quadam villa ei panem afferret, obvios forte habuit latrunculos, qui in nemore illo per quod transitum faciebat, causa latitabant malignandi. Qui cum vidissent hominem jumentum pane onustum ducentem, gavisi sunt valde, et accipientes panem desuper jumento, posuerunt in terra, ut inde reficerentur. Quod cum vidisset familiaris ille, cœpit increpare eos, dicens: « Quid est hoc quod agitis, homines malitiosi atque perversi? Panem istum quem violenter et injuste rapitis, beato viro Stephano defero; quapropter vobis ex parte Dei et Domini nostri Jesu Christi, et auctoritate bonitatis ipsius prohibeo, ne ipsum panem amplius tangere præsumatis; quod si feceritis, noveritis pro certo vos iram et indignationem Dei omnipotentis sine mora incursuros. » Erat autem homo iste fidelis, habebatque fiduciam magnam in Domino et in beato Stephano. Cui fures illi quasi subsannando dixerunt: « Etiamsi esset Deus præsentialiter, non possumus panem hunc dimittere, quin manducemus, ab heri et nudius tertius neque manducavimus, neque bibimus, incomparabili fame cruciamur. » Quid plura? Extrahunt gladios de vaginis, et invadere cupiunt panem atque frangere per frusta, sed minime potuerunt. Adfuit certe virtus divina, quæ sic induruit panem illum, et debiles reddidit latrunculos illos, quod nullatenus panem incidere vel frangere valuerunt. Videns autem familiaris ille quæ fiebant prodigia, cœpit clamare, dicens: « O miseri! O malefici! Nonne dicebam vobis? Certe nunc timeo de vobis, ne ignis de cœlo descendat, et vos omnes consumat. Non credebatis mihi cum vobis dicebam, quia bonus ac sanctus est homo iste, cui panem istum defero, et qui increduli fuistis, Deus omnipotens vobis, quamvis indignis, sanctitatem illius ostendere voluit in hoc facto. » Cui latrunculi stupefacti ac tremebundi dixerunt: « Certe scimus quia vehementer peccavimus, et ideo pœnitentiam coram te toto corde agimus, et deduc nos ad servum Dei Stephanum, cujus piis precibus veniam de tanto reatu apud Deum consequi mereamur. » Familiaris autem ille cernens quod ex toto corde pœniterent, confortavit eos, et duxit illos ad virum Dei, cum funiculis trahens illos post se quasi captivos ac miseros. Cum autem venissent ad portam cellæ viri Dei, pulsavit ille familiaris, et indicavit janitori quæ sibi acciderant in via. Ingrediensque cum latrunculis ad Dei hominem obtulit eos illi, et narravit ei per ordinem quæ facta fuerant. Quo audito, vir Dei convocavit ad se janitorem, et ait illi: « Afferte nobis de panibus illis, qui nobis ablati sunt. » Interea latrunculi, provoluti pedibus ejus, veniam postulabant ab eo, quatenus pro eis Deum omnipotentem rogaret, ut dimitteret eis hanc noxam. Veniente autem janitore cum panibus, accepit eos Dei servus, et quasi subridendo frangere cœpit, et porrigere latrunculis, dicens: « Nunc videte, filii mei, quomodo fragiles fuistis, qui recentes panes istos minime, ut asseritis, frangere potuistis? » Ipsi tamen nihilominus magis ac magis veniam cum lacrymis et cum omni humilitate requirebant ab eo. Quibus ille, ut erat omnium mitissimus, benigne locutus, consolatus est eos, et admonuit ne amplius talia facere præsumerent, ut relinquerent cui deserviebant iniqui latrocinii et rapinæ negotium: et sic dimisit illos.

LXXIII. *Item aliud miraculum.*

Per idem tempus venit ad eum quidam homo de Monte Cuculli, nomine Geraldus, cujus uxor per multa tempora jacuerat clauda in lectulo, et ait ad virum Dei Stephanum: « Serve Dei, quid faciam, quia conjux mea gravi infirmitate quotidie affligitur, nec habeo unde eam vel uno die etiam sustentare queam? Angit me ac detinet paupertas nimia; non enim ab ea recedere valeo aliqua hora diei propter gravem infirmitatem ipsius, ut de aliquo labore me et ipsam reficere possim; unde a vicinis meis frequenter et assidue admoneor, quatenus eam apud Montem Mauriliensem deferam, ut ibi in domo pauperum victum et tegumentum habere possit. » Quo audito, vir Dei interrogavit eum si legali matrimonio eam sibi conjunxerat, vel quid ei promiserat in manu capellani sui, cum eam in uxorem susceperat. Cui homo ille suspirans, ait: « Certe, domine mi, ego miser et dolens, bona fide compromisi ei, ut sanam aut infirmam eam pro viribus meis conservarem: quod usque ad præsens fideliter, prout potui, adimplere curavi; sed deinceps hoc facere minime potero, eo quod inopia ac paupertate consumor. » Cui B. Stephanus dixit: « Vide, fili, ne aliqua penuria depressus eam dimittere præsumas, sed sicut promisisti, ita fideliter ac veraciter adimplere festina; aliter enim vitam æternam consequi minime poteris. Considera diligenter, si te talis infirmitas detineret, velles ut ipsa te derelinqueret. Audi quod Dominus in Evangelio jubebat: *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris* (*Tob.* IV). Confortare igitur et esto robustus. Dominus enim consolator et sublevator est pauperum ac pupillorum, et providebit tibi ea quæ fuerint necessaria, si tamen in veritate atque justitia permanseris. » Cum autem hæc et horum similia locutus cum homine fuisset,

dixit ad eum : « Exspecta paulisper, donec revertar ad te. » Et ingressus domum attulit ei tourtam panis et nummum unum, et inclusit illum in manu hominis illius, et ait ad eum : « Esto securus, et vade, ac de isto pane et nummo isto procura uxorem tuam, prout tibi duraverit. Cum vero deficiet, fiducialiter ad nos revertere. » Et sic dimisit eum. Reversus autem homo ille ad domum suam, gaudens et exsultans nuntiavit uxori suæ quæ sibi vir Dei dixerat : qui, cum aperuisset manum suam, in qua B. Stephanus nummum unum incluserat, illico sic multiplicatus est nummus ille quod nullo modo manus ejus retinere posset. Cadebant enim ex omni parte nummi de manu ejus et multiplicabantur videntibus illis. Unde stupefacti et admirantes laudaverunt nomen Domini, et quandiu vixit mulier, nummi illi nunquam defecerunt, sed semper suam necessitatem, largiente Domino, suppleverunt, quemadmodum de Elia legitur, qui missus ad viduam Sareptanam, cujus hydria farinæ non defecit, nec olei lecythus non est imminutus (*III Reg.* XVII). Vir autem sic postea, post transitum B. Stephani, fratribus apud Muretum totum fideli narratione ac veraci indicavit, de quorum numero aliqui superstites existunt.

LXXIV. *De visione quam vidit domnus Hugo de Lacerta apud Muretum*

Quadam igitur die dum B. Hugo discipulus B. Stephani confessoris, a Grandimonte quo causa visitandi pastorem suum Stephanum de Liciaco venerat, cum socio suo Guidone de Miliaco iter arripiens descenderet, et versus domum nostram de Castenato tenderet, accidit ut campana ecclesiæ Muretensis loci ad missam a fratribus pulsaretur. Qua audita, prædictus Hugo socio suo Guidoni dixit : « Frater, ingrediamur domum Mureti, ut missarum solemniis, Deo volente, interesse possimus. » Qui respondens : « Præsto sum, » ait. Divertentes vero ad locum illum, ingressi sunt cum omni festinatione domum orationis, et locum visionis divinæ. Presbyter autem cellæ illius solus cum solo ministro præparabat se ad officium missæ. Prædictus etenim Hugo cum surrexisset ab oratione, et oculos suos ad altare et ministros altaris intentus sublevasset, repente vidit sanctum Stephanum leviticis ornamentis indutum ac refulgentem, velut diaconum altari et sacerdoti cum omni devotione honorifice ministrantem, et etiam, ut sibi videbatur, audiebat eum evangelium pronuntiantem, deinde, ut moris est diacono, illum sacerdoti oblationem præstantem. Quo viso, vir Dei jam sæpedictus Hugo alacris efficitur, lacrymis perfunditur, et a superno lumine illustratur, ac tanta visione lætatur, cujus tam celeberrimæ visionis ac gloriosæ visitationis ut certissimos testes haberet, vocavit unum de fratribus qui in ecclesia erant, quærens ab eo quot vel quanti essent ministri altaris. Qui respondens, ait : « Domine, non sunt nisi duo, solus videlicet sacerdos cum solo ministro. » Revertente autem fratre illo in locum suum, vocavit et alium idem B. Hugo, quærens iterum et iterum ab eo prædictum verbum. Cui et dixit frater ille : « Certe, domine mi, neminem ibi video præter solum presbyterum cum suo socio. » Hoc autem totum faciebat, quatenus sibi melius crederetur, cum postmodum ab ipso alicui hæc tam celebris visio manifestaretur. Scriptum est enim in lege divina : *In ore duorum vel trium testium constat omne verbum* (*Deut.* XIX). His itaque peractis, et sacris missarum solemniis rite ac venerabiliter pertractatis, sanctus Stephanus confessor egregius ac Grandimontensis ordinis pastor et Pater primus, noluit discipulum suum quem valde dilexerat, et quem B tanta ac tali visione vel visitatione cœlitus illustraverat, insalutatum dimittere, sed conversus ad eum alacri vultu et læta facie ei subridens, palmas suas extendit, et statim disparuit. Credimus siquidem quod vir Dei Stephanus tali extensione manuum convocaret discipulum suum ad cœleste regnum; nam eodem tempore fidelissimus Hugo fideliter migravit ad Christum. Cum autem egressus esset a loco illo, et cum socio supradicto lætus et lætabundus, vel de tanta consolatione ac visione consolatus, secum cogitando, viam carperet, invasit eum frater Guido tali modo, dicens ei : « Dic quæso, mi Pater, cui multa manifestare consuevisti, et qui me indignum multa familiaritate C multoque amore jamdudum amplecti dignatus es, quid est hoc quod hodie vidisti ? Certe credo quod aliquid tibi Dominus revelare dignatus est. Vide ergo, Pater amantissime, ne mihi indigno peccatori tua benignitas tantam satagat abscondere visionem. » Cui ille : « Certe nescis quid petas, aut quid requiras a me, perge velociter et ambulemus simul. Desine ab hac stultitia, et noli quærere, nec altum sapere quod non oportet. » Iterum frater ille adjecit : « Precor, Pater, nec moram facias, sed indica mihi visionem hanc quam vidisti : animadverti etenim, dum tecum essem in ecclesia, te plus solito sollicitum esse circa altaris officium. Cur enim cupis abscondere Dei donum et gratiam ? Indica mihi pro Dei amore, quæ et D qualis fuit illa visio quam vidisti. » Cumque Pater ille amantissimus hæc et horum similia a fratre illo audisset, protestatus est eum dicens : « In virtute Spiritus sancti et sub periculo animæ tuæ inhibeo fraternitati tuæ, ne cui, dum vixero, manifestare præsumas hanc visionem quam a me petis tibi enucleari. » Cui ille respondit : « Promitto tibi per salutem animæ meæ, quod nemini pandam, dum vixeris. » Postmodum ille sanctissimus Pater indicavit ei per ordinem fideliter visionem quam viderat, et adjecit : « Scio me in proximo egressurum de ergastulo corporis mei, et ingressurum viam universæ carnis, quia vocavit me magister meus ad nuptias Agni immaculati, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vi-

tæ meæ, et satier ab uberibus consolationis ejus.» Post transitum autem prædicti domni Hugonis, A frater Guido hanc visionem fratribus revelare curavit.

GERARDUS DEI GRATIA GRANDIMONTENSIS PRIOR VII.

I. *De revelatione beati Stephani.*

Dum ordo Grandimontensium diu post transitum B. Stephani confessoris Christi, divina largiente gratia, religione, sanctitate, ac bonitate, populis multiplicatus in magna pace, charitate, honore et prosperitate non modica perstitisset, ultimo anno papatus Lucii III, Philippo rege Francorum et Henrico rege Anglorum regnantibus, oborta est gravis dissensio, peccatis nostris exigentibus, Deo permittente, et inimico humani generis instigante, in ipso ordine nostro. Unde necessitas coegit ut fratres invicem altercantes ad curiam accelerarent. Heu! heu! proh dolor, qui diu pacifici exstiterant, modo facti sunt discordes; qui sese dilexerant, modo facti sunt inimici; qui sanctitatis virtute præeminebant, in dedecus et subsannationem a multis rediguntur. Et quid dicam? Flebant, lugebant, lamentabantur, angustiabantur pene omnes amici ordinis, eo quod viderent et audirent falsidicos et inimicos veritatis impia verba proferre, garrire, strepere contra religionis observantiam, adversus charitatem fraternam. Timebant autem de ordine ne subverteretur, mutaretur, destitueretur, cum aspicerent, cernerent perturbari undique statum ordinis, discurrere fratres ac vagari per sæculum, alios invitos, alios spontaneos. Inviti defendebant ordinem, spontanei contra ordinem. Et quid plura? *Dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum. Qui soliti erant vesci in croceis, amplexati sunt stercora* (*Thren.* IV). Charitas fraterna vertitur in odium, veritas in mendacium, bonitas in tædium, sanctitas in opprobrium, sobrietas in derisum, humilitas in contemptum, religio in detrimentum, obedientia in nihilum, fere omnis virtus in vitium. Quid ergo? Facti sunt cives Jerusalem cives Babyloniæ, spirituales facti sunt carnales, animales, bestiales, contra quos Apostolus: *Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne homines estis? Nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis?* (*I Cor.* III.) Quis, inquam, talia videret, talia audiret, et a fletu, a gemitu, a singultu, a suspiriis, a lacrymis cessare posset? O Domine, Jesu bone! o redemptor generis humani piissime! o pastor sempiterne! o Pater misericordissime! o Salvator amantissime! quare hoc sustinuisti? quare hoc permisisti? quare hoc ut sic fieret disposuisti, ut populus tuus veneno diabolico sic male interficeretur, domus tua confunderetur, religio perturbaretur, ordo venerabilis ita tractaretur, subsannaretur in detrimentum et dedecus verteretur? Ubi est, Domine meus, ubi est protectio tua, ubi est promissio tua: *Non relinquam vos orphanos* (*Joan.* XIV)? Quare non nos visitasti? Cur sceleribus nostris non obviasti? Cur facinora nostra non delesti? Heu, Domine mi! hic deficit sensus, hic deficit cogitatus, hic ignorantes facti sumus, hic reatum nostrum cognoscimus, hic peccatum nostrum confitemur: unde veniam petimus; misericordiam et indulgentiam a te, Domine, misericorditer atque suppliciter postulamus. Indulge, B Domine, quia potens es, quia misericors, quia suavis, et mitis, pius, benignus, qui omnium misereris, et nihil odisti eorum quæ fecisti, Domine, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam. *Parce, Domine, parce populo tuo, et ne des hæreditatem tuam in perditionem* (*Joel* II). Fac cum servis tuis misericordiam. *Visita nos in salutari tuo* (*Psal.* CV), *et esto placabilis super nequitia populi tui* (*Exod.* XXXII). Et si oblocuti sumus, Domine, ista sic dicentes, *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum*, sed *cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. Adjuva nos, Deus salutaris noster, et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos, et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum* (*Psal.* C LXXVIII). Forsitan ob iniquitatem nostram, et propter scelus nostrum cecidit cæcitas hæc ex parte super populum tuum, talis tentatio, ut aliis esset ad probationem, cæteris ad peremptionem, id est bonis ad bonum, malis autem ad malum, vel forte, ut qui in ordine latitabant, et sub ovina pelle seipsos arte simulatoria tegebant, agnoscerentur, unde et vitarentur, repudiarentur, contemnerentur, vel qui prædestinati non erant in ordine ut salvarentur, egrederentur, vel ut ordo pacem et concordiam vel bona spiritualia quæ amiserat, te miserante, consequi posset. Ergo, Domine, audi vocem deprecationis nostræ et intende orationibus nostris, et qui aperuisti oculos Agar ancillæ tuæ, aperi oculos cordium nostrorum, et D revelare digneris nobis famulis tuis, ut voluntas sancta tua erga nos sit, ut laudemus nomen tuum assidue, quod est benedictum per sæcula. Amen.

II. *Item ad monitio ad fratres.*

Igitur, dilectissimi, hæc audientes compungimini, et nolite peccare vel contristari; sed recolite quemadmodum Deus omnipotens miro et inæstimabili modo permisit peccatis hominum terram Jerosolymitanam ea tempestate, qua hæc apud nos facta sunt, in manibus Allophylorum transferri, populum suum ab eis interfici, captivari, torqueri. Hæc autem sæpissime in divinis libris inveniuntur, quemadmodum Pater misericordiarum suos patitur hodie habere ab initio sæculi persecutiones ac tribulatio-

nes. Quid enim de Noe justo factum est? Nonne passus est cataclismi tormentum? Nonne Abraham fidelis exsul factus est? Nonne Moyses mitissimus hominum insecutus est a Pharaone? Et Israel Dei populus nonne persecutus est a Pharaone ipso et Ægyptiis? Quid David justus, quem Dominus omnium invenit secundum cor suum, passus est ab impio Saule? Quid iterum et iterum filii Israel passi sunt a Nabuchodonosor, et a cæteris a quibus sæpissime captivabantur? Quid sancti patriarchæ? Quid prophetæ? Quid sancti apostoli et sancti martyres, et sanctæ Ecclesiæ doctores ab infidelibus passi sunt? Recolite ipsum Dominum patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, confessorum, virginum, cæterorumque fidelium, quomodo pro omnibus et a quibus passus est. Quid mirum si tanta vel talia ipse et sui passi sunt, si permisit nos tribulari, qui peccatores, qui fragiles, lutea vasa portantes, et ideo debiles et imbeciles sumus? Ne miremini igitur si ita factum est, quia a Domino Deo nostro sic permissum est, et est mirabile in oculis nostris; ab ipso enim est omne datum optimum et omne donum perfectum, qui suos in hoc mundo, ut audistis, permittit tribulari, torqueri, cruciari, ut postmodum ab eo consolentur, visitentur, remunerentur, coronentur, glorificentur. Unde Apostolus: *Si socii passionum fuimus, erimus et consolationis* (*II Cor.* I). Et alibi: *Tribulatio patientiam operatur, probationem patientia, probatio vero spem, spes autem non confundit*, etc. (*Rom.* V). Et alibi: *Quod lima ferro, quod fornax auro, quod flagellum grano, hoc facit tribulatio justo.* Ergo, dilectissimi, sustinete patienter persecutiones si venerint, tentationes si invaserint, tribulationes si occurrerint, necessitates si adfuerint, dicentes cum Job beatissimo: *Si bona suscepimus de manu Domini*, etc. (*Job* I). Consolamini igitur invicem in verbis istis, et audite Petrum apostolum dicentem: *Si quid patimini propter justitiam, beati* (*I Petr.* III). Nunc autem viriliter agite, et confortetur cor vestrum, et exspectate Dominum, quia veniens veniet et non tardabit. Cavete igitur ne amplius in vobis sint schismata, sed eligite charismata meliora, quia, ut ait Apostolus, *servum Dei non oportet litigare* (*II Tim.* II); sed semper et assidue pax, patientia, gaudium, longanimitas, bonitas, benignitas, charitas non ficta, humilitas fructuosa, quibus virtutibus decenter ornati valeatis lucere tanquam luminaria in mundo, in medio nationis pravæ et perversæ, verbum vitæ continentes et supportantes invicem in timore Christi, imitantes et sequentes vestigia ac mandata Patris nostri Stephani beatissimi, cujus memoria in benedictione est, quem Dominus Deus sua pietate nostris temporibus, in quos fines devenerunt, mirificavit ac revelavit tali modo.

III. *Item de revelatione B. Stephani.*

Cumque, ut prælibavimus, ista dissensio fere per triennium graviter perdurasset, ibant ad curiam fratres sæpissime, et revertebantur parum aut nihil proficientes, usque ad tempus Clementis papæ III, qui iterum post confirmationem Adriani, Alexandri, Lucii prædecessorum suorum, regulam institutionesque confirmavit, privilegia innovavit, duosque priores qui tunc temporis invicem erant contrarii destituit, et licentiam eligendi priorem indulsit. Accepta igitur licentia fratres ab eo, completisque negotiis in pace et gaudio revertuntur, adunatoque universali capitulo in Grandimonte ex præcepto domini papæ in festo S. Michaelis, tractatur ex more de eligendo priore; attamen non defuerunt, qui hoc ut non fieret perturbare nitebantur. Alii dicebant sic, alii vero sic; fere unusquisque suum quærebat priorem. Sed *non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum* (*Prov.* XXI). Cumque vidisset divina bonitas eorum corda vehementer ab invicem esse divisa, ex improviso adfuit in eorum conventu sancti Spiritus præsentialiter consolatrix gratia, quæ corda eorum vehementer accendit et inflammavit et in unum convertit. Facta est igitur in capitulo tranquillitas magna et exsultatio, ita ut ibi videretur quod Deus omnipotens in medio eorum descendisset. Flebant igitur fratres fere omnes, et consolabantur invicem et lætabantur, Dominum benedicentes cum gaudio, cernentes Dei præsentiam adfuisse. O divina bonitas! o ineffabilis Dei pietas! o inenarrabilis Domini suavitas, quæ quam citius vis omnia disponis, omnia contraria ad tuum velle reducis! Quis utique tam cito posset mentes eorum, quæ ab invicem discordes erant, ad unitatem reducere et ad concordiam revocare, nisi tua præsens adfuisset gratia? Verum est, Domine, verum est quod dicis: *Sine me nihil potestis facere* (*Joan.* XV). Tibi laus, tibi gloria, honor, virtus et imperium, quia non derelinquis quærentes te, Domine, nec præsumentes non de se, sed de te. Cumque sic visitati fuissent a Domino et consolati per dimidiam fere horam unanimiter concordantes dixerunt: « Eligantur fratres duodecim ex nobis, sex clerici et sex conversi, qui, Deo volente, et facta primitus oratione, sibi et nobis ac totius ordinis utilitati provideant, et eligant pastorem. » Quod ita factum est, et Deo volente, atque universali capitulo consentiente, Geraldus eligitur a B. Stephano prior VII. Gaudent fideles et exsultant, lætantur in laudibus divinis. Promittitur ei obedientia ab omnibus. Erant enim ibi fratres congregati fere numero quingenti, minus vero viginti, ducenti clerici et amplius viginti, et ducenti conversi et sexaginta. His itaque ex consuetudine peractis, tractatur de revelatione beati Stephani. Consilio habito cum domno Helia Burdegalensi episcopo, et cum Seibrando Lemovicensi episcopo, et cum Bertrando Agennensi episcopo, qui tunc temporis in Grandimonte convenerant, et acceptis litteris ab eis, et a cæteris episcopis, archiepiscopis, abbatibus, principibus, ipse prior Geraldus duos de discipulis suis, Robertum sacerdotem et Guillelmum fratrem

conversum, versus curiam cum attestationibus supradictis ut irent destinavit. Qui viriliter suscepto impositoque sibi negotio cum omni prosperitate, ac Deo ducente, meritis B. Stephani Romam venerunt. Suscepti igitur a summo pontifice et a quibusdam amicis suis cardinalibus, litteras attestationis quas secum detulerant ostenderunt. Visis perlectisque litteris, domnus papa cum cardinalibus negotium istud, Deo disponente, fideliter adimplere curavit, credens quod si suo tempore tale ac tantum opus perficere posset, magnum præmium apud Deum meritis B. Stephani perenniter obtineret. Habitoque cum suis fratribus consilio, destinavit dominum Prænestinum episcopum, Joannem sancti Marci cardinalem et apostolicæ sedis legatum, dans ei privilegium atque mandatum quatenus veloci cursu ad Grandimontem accederet, et sanctum Dei honorifice, ut decebat, canonizaret, et sanctorum catalogo conjungeret. Nobis autem et capitulo nostro tale privilegium per fratres nostros transmittere curavit in hunc modum :

Clemens episcopus, servus servorum Dei; dilectis in Christo filiis Geraldo priori et fratribus Grandimontis salutem et apostolicam benedictionem.

Ideo sacrosanctam Romanam Ecclesiam, etc. *Vide in Clemente* III, *Patrologiæ, tom.* CIV.

Acceptis itaque litteris domini papæ, et recuperatis honorifice, ut decebat, nuntiis nostris, admodum lætati sumus, et Deo gratias, ut potuimus, cum dignis laudibus exsultantes et alacres reddidimus. Tunc omnis fratrum conventus cum magna devotione nobis supplicavit atque exhortatus est, dicens : « Domine Pater, vestra discretio novit quomodo et quemadmodum pater spiritualis domnus Petrus Lemovicanus prior secundus, domino ac venerabili patri primo B. Stephano, et quasi increpando ac minando, cum cerneret quod Deus per merita ipsius prodigia et signa faceret, eum ne taliter ageret prohibuit, viriliter dicens : Quid est hoc? quid est quod agis, Pater amantissime? Quare vis nos servos sanctitatis tuæ perpetrando miracula tua excludere ab hac paupertatis humilitatisque via? Nonne signa ac miracula turbas congregationesque hominum requirunt? Et quomodo poterimus permanere in secreto solitudinis, si undique turbæ adveniunt, auditis et visis miraculis tuis? Nunquid non credimus sanctitati tuæ? Certe credimus. Ut quid vexare nos cupis? quid tibi et miraculis? Desine, desine, cave dico ab eorum pompis, nihil tibi et illis. Desiste, mi domine, aut si non feceris, certe non diligam te, et ab isto loco inhoneste omnino excludam te, et projiciam te in aliquem locum vilissimum et inhonestum. » Hæc sunt verba quæ habuit cum B. viro Stephano Pater amabilis, causa magnæ religionis et humilitatis. « Nunc vero si placet, Pater bone, humiliter et piis precibus flexisque

A genibus supplicare dignemini, quatenus tempore suæ revelationis nos visitare ac consolare dignetur aliquibus signis. Vos enim cernitis quibus tenetur Dei populus obligatus vinculis cæcitatis atque infidelitatis, et nisi viderint signa et prodigia, certe minime credent. Signa autem dantur infidelibus, non fidelibus. Requirat itaque vestra humilitas ab eo ut fiant et appareant aliqua miracula ejus meritis et precibus divino munere in Dei populo. » Quo audito, admodum gavisi sumus, et exsultantes ac lætabundi eis diximus : « Venite ergo et congregamini, et eamus ante sepulcrum beati viri, et invocemus nomen Domini, ut qui eum mirificare incipit, diversis dignetur eum honorare miraculis. » Tunc

B fratres omnes veniunt, orationi insistere non desistunt, Dei quærunt auxilium, laudantes nomen Domini quod est benedictum in sæculis.

IV. *De miraculo quod ante revelationem beati Stephani accidit.*

Cumque tempus revelationis appropinquaret, ecce homo quidam cæcus et senex ducitur in Grandimonte de parochia vici Ambasiaci, quærens et postulans auxilium Domini et viri Dei Stephani. Et quid? Manibus sui ductoris trahitur in ecclesiam, nobis videntibus atque præcipientibus, intromittitur, ad altare deducitur, oratio a fratribus pro eo sanando ad Dominum funditur, signo veræ crucis consignatur, illico illuminatur, lumen recuperatur, sanatus lætatur. Qui sine ductoris manu ingredi

C non valuit, absque ductoris auxilio, videns et lætabundus exivit. Hoc vidimus, hoc testamur, et testimonium istud verum est. Appropinquante autem festo S. Augustini, et jam defuncto recenter Henrico Anglorum rege illustrissimo (20), cum magna velocitate dominus legatus ac veloci cursu ad Grandimontem accedit. Convocatis igitur et coadunatis ibidem episcopis et archiepiscopis, videlicet domno Henrico Bituricense, Rainaudo Apamiense, qui tunc temporis a transmarinis partibus exsul huc venerat, necnon et Helia Burdigalense archiepiscopis, et Seibrando Lemovicense, et Guillelmo Pictaviense, et Helia Xantonense, et Ademaro Petragoricense, et Geraldo Caturcense, et Bertrando Agennense episcopis, abbatibus etiam et viris religiosis, et plebe

D innumerabili. Tunc etiam clerici, qui usque ad tempus illud discordes exstiterant, Deo inspirante, ad pacem redeunt, et videntibus cunctis quos supra nominavimus, in capitulo obedientiæ nostræ jugo humiliter, ut decebat, colla submittunt, et in osculo pacis, a nobis et a fratribus devote suscipiuntur. His itaque peractis, ac lætantibus et exsultantibus in Domino universis, venimus ad locum ubi corpus B. Stephani cum digno honore humatum jacebat. Tunc domino legato jubente atque præcipiente a terra elevatur, et per claustrum cum magna devotione cereis ardentibus et thuribulis fumigantibus portatur, populo præcedente et subsequente, cum

(20) Obiit anno 1189 apud Chainonem sepultus in ecclesia Fontis Ebraldi.

hymnis et laudibus in ecclesia deducitur, et super altare B. Mariæ honorifice ponitur. Domnus autem Henricus Bituricensis archiepiscopus et primas Aquitanicus, jussu et præcepto domini legati, præparat se ad officium missæ in honore S. Stephani, et incipitur a cantoribus solemniter antiphona *Os justi.* Deinde nos, accepta licentia a domino legato, in alia crypta præparamus nos cum ministris ad missarum solemnia in honore B. Stephani celebranda. Cumque missarum solemniis cum omni devotione et timore intenti essemus, et ad canonem post *Sanctus* ingressi fuissemus, ecce subito ex improviso frater quidam presbyter, nomine Simon, venit clamans de ecclesia, quem ad custodiendum B. Stephani corpus ibidem reliqueramus, adducens secum puerum, et dixit: Domine Pater, domine Pater, videte et aspicite signa et miracula quæ Deus omnipotens sua mira omnipotentia modo per beatum Stephanum Patrem mirificum in puero isto mirabiliter nobis videntibus operari dignatus est. » Nos vero cum de tanto clamore ac subito perterriti admodum fuissemus, nec mirum qui tanto pondere pressi et obligati eramus, tamen, ut potuimus, respeximus, et ipse qui tali necessitate silentium tali loco violaverat, quod nequaquam præsumeret, nisi miraculorum stupor eum cogeret, loqui adjecit: « Ecce, domine, puer iste quem videtis, ex utero matris suæ claudus exstitit et mutus et manibus aridus. Ecce pater ejus quem agnosco, Helias-Vaharis nomine, et uxor ejus mater istius pueri, qui hoc testantur, et ideo a Lemovicensi villa, cujus cives sunt, huc eum adduxerunt, ut Deus omnipotens per B. Stephanum sanando visitaret. Ecce, domine, ecce videtis, libere loquitur, ecce ambulat, manus ad libitum suum movet. Puer iste jam decennis esse potest. » Cumque ipso talia loquente ac dicente, stupefacti ac mirantes hæc diu cerneremus, consolationis ac visitationis supernæ præ gaudio palmas ad cœlum tendimus, lacrymas perfundimus, et ad terram prosternimur, Dominum omnipotentem, ut potuimus, corde et ore laudavimus, atque cum his qui ad spectaculum istud confluxerant ipsum benediximus. Puer autem loquebatur, ambulabat, et populus Dei super his gratulabatur. Erat autem puer pulcher aspectu, et decora facie. Nos autem ad locum canonis, quem reliqueramus exsultantes ac consolati, de miraculis revertimur. Cumque ex more ipsum canonem festinantes prosequeremur, post consummatam jam Dominicam Orationem, ecce idem presbyter qui supra adducens alium adolescentem majorem priore, filium cujusdam burgensis Lemovicensis, nomine Petri de Userchia, et clamavit, dicens: « Domine, domine, ecce recens miraculum et non modicum; adolescens iste vesicam magnam et non modicam in collo habebat, quæ eum graviter affligebat, nec valebat sursum aspicere, nec faciem suam aliquorsum vertere, nisi simul cum toto corpore, quia mentum ejus conglutinatum et conjunctum permanebat cum corpore. Venit autem pater ejus quem cernitis, et obtulit eum B. Stephano cum lacrymis, quatenus ei auxilium conferret de cœlestibus, qui jam mirandis coruscat virtutibus: qui, dum orationi vehementer insisteret, et auxilium divinum quæreret, cœpit vesica fugere, mentum ejus a pectore disrumpere. Tunc puer correptus dolore nimio clamare cœpit denuo, o Deus, quia doleo, sana me pro amore tuo, sana me per ejus merita, cujus postulo suffragia. Cumque puer hæc diceret, illico sanatus est. Nunc ergo, Pater mi, Deum benedicite, qui nos visitavit hodie. » Ecce duo miracula tempore sunt parvo. Ad hanc vocem presbyteri, totus in me contremui, cernens Dei magnalia quæ facta sunt pro beati viri gloria. Iterum lacrymis perfundimur, et ad terram prosternimur, manus ad cœlum tendimus, cum hymnis et cum laudibus domnum laudare cœpimus. Adunantur et congregantur populi ad spectaculum talis ac tanti miraculi, laudantes nomen Domini et sanctitatem beati Stephani.

V. *De puella sanata.*

Completis igitur missarum solemniis, adest pro foribus tertium miraculum, miraculosum atque gloriosum. Puella quædam de Berciaco vico cum cæteris advenerat, quæ manum dextram curvam et aridam ex utero matris suæ habebat. Venit et oravit, et fere per dimidiam horam ad orationem stetit, et quæ curva et arida manus exstiterat, Dei virtute erigitur, ad signandum se extenditur, digiti ab invicem disjunguntur, opera Dei a populis laudibus extolluntur, a clericis hymni et cantica canuntur. Et quid dicam? repletur clamoribus ecclesia, mirantur atque extolluntur Dei magnalia, venerantur atque laudantur B. Stephani merita, cognoscitur ac recipitur præsens Dei gratia. Quare? quia adducuntur cæci et illuminantur, claudi et curantur, muti et fantur, dæmoniaci et liberantur, amentes et mutantur, ægri et sanantur, mortui et suscitantur, surdi et adjuvantur. De quorum multitudine signorum pauca volumus, si possumus, admodum sub brevitate transcurrere, ne verborum proxilitas sit legentibus vel audientibus onerosa. Bona enim ac brevis lectio aliquando legentibus fit utilis eruditio, quantoque fit prolixior, tanto est onerosior. Et quid plura? quamvis multa divinitus apparuerint signa, tamen pauca ponuntur in hac pagina, de quibus vestræ dilectioni vestræque utilitati meliora, certiora, gratiora scribere proposuimus. Nam die revelationis S. Stephani cum nocte subsequenti decem et septem, gratia Dei operante ac meritis ipsius, patuerunt miracula. Quædam quidem vidimus, quædam minime vidimus, sed audita credimus. Nam vicecomes Lemovicarum, ut fertur, Ademarus puerum a nativitate cæcum ipsa die revelationis per beatum Stephanum divinitus illuminatum duxit secum ad nutriendum. Hoc audivimus, sed non vidimus, cum in illo loco fuissemus. Non enim omnia quæ ibi ipsa die facta sunt vidimus, et si non vidimus, non credemus? Multo majora sunt quæ

audivimus quam ea quæ vidimus: nonne dicit Apostolus: *Fides est ex auditu?* (*Rom.* x.) ideo fides adhibenda est, maxime his qui veritatem loquuntur, ac veritati obediunt. Dominus enim dicit in Evangelio: *Noli esse incredulus, sed fidelis* (*Joan.* xx). Et item: Qui non credit, recedit; et qui credit, accedit. Fides autem habet apud Dominum magnum meritum, si bonis fulciatur operibus. Sunt enim quædam invisibilia quæ oculis carnis nequaquam videri possunt, sed oculis fidei veraciter conspiciuntur. Attamen multoties videri putantur quam pluribus nec videntur, ut est corpus Dominicum. Ponitur in altare panis et vinum; conficitur enim verbis divinis a sacerdote, nec mutatur color vel sapor in exterioribus creaturis, sed interius viget virtus in substantiis sanctitatis. Oculi vero exteriores hæc minime cernere possunt, nisi quæ exteriora ponuntur. Aperiendi igitur sunt oculi interiores, id est intellectuales, ut videant et intelligant quæ intrinsecus latent. Exteriora enim exterioribus oculis videntur, id est panis et vinum, et interiora interioribus oculis cernuntur et contemplantur, id est corpus et sanguis Domini. Hæc sunt sacramenta et argumenta veræ fidei. *Fides enim est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* (*Hebr.* xi). Nunquam autem credidimus nisi viderimus? Audite ergo Isaiam, imo Spiritum sanctum dicentem atque minantem: *Nisi credideritis, non permanebitis* (*Isa.* vii); et Dominus in Evangelio: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis* (*Joan.* iv). Credite ergo, credite, ut permaneatis, videntes signa et prodigia, et audientes mirabilia quæ facta sunt nostris temporibus, largiente divina gratia, per beati Stephani veneranda merita, et nolite obdurare corda vestra, quia potens est Deus facere supra id quod potestis credere.

VI. *Item aliud miraculum.*

Adhuc autem narrabimus aliud miraculum pretiosum atque jucundum quod accidit tempore suæ revelationis. Erat quædam mulier apud Lemovicas, mater uxoris Heliæ Valaris, de quo supra mentionem fecimus, cujus filius per Dei gratiam triplici miraculo sanatus est. Hæc mulier per tempora multa surda exstiterat, nec omnino aliquid audire valebat: quæ, cum vidisset revertisse filiam suam et generum suum cum nepote suo sanato a Grandimonte, requisivit a filia sua unde venisset, vel quæ esset necessitas cur tanto tempore absentasset se a domo sua: quæ innuens ei rem, indicavit quæ acciderant. Cui mater: « O bona filia, si tibi placuerit ut retro pro me revertaris, forsitan Deus omnipotens per sanctum suum me miseram et indignam tuis laboribus tuisque orationibus intervenientibus, respicere et consolari dignabitur. Video nepotem meum omnino sanatum; sed audire nequeo. Revertere igitur, bona filia, quæso, revertere enim, filia. Nudis pedibus ac veste lanea induta, portansque candelam in manibus. » Venit accedens ad tumulum sancti et orationi incubuit. Quæ cum A orasset et oblationem fecisset, cum omni fiducia ad matrem reversa est, et invenit matrem suam jam sanatam, et quam surdam reliquerat, modo lætantem atque audientem divino munere ac meritis B. Stephani videbat et audiebat. Fit gaudium magnum et exsultatio in domo illa, tam de puero sanato quam de vetula illa. Unde et filia ejus iterum cum gaudio reversa est in Grandimonte, quatenus Deo et B. Stephano, qui domum suam meritis ipsius visitaverat, gratias cum laudibus ageret, et miracula quæ in domo sua acciderant omnibus manifestaret. Felix mulier et inclyta, quæ divinorum operum nuntiatrix esse potuit, et cui Dominus Deus gloriosi confessoris sui suffragantibus meritis tanta beneficia largiri dignatus est! Nunquam enim talia B ac tanta miracula in tam famosa villa abscondi potuerunt. Unde et in eadem villa eo tempore multa signa, Deo volente, per beatum Stephanum perpetrata sunt. Hoc autem presbyter qui audivit et partim vidit, nobis veraciter retulit.

VII. *Item aliud miraculum.*

Factum est autem cum hæc festiva celebrarentur in eadem villa, et publice fere prædicarentur, audivit quædam puella pauperrima, quæ in utero matris suæ clauda exstiterat, quod Deus et Dominus noster in Grandimonte ad tumulum beati ac sancti talia faceret, ingemuit et dixit: « O Domine Deus, quid faciam, quia non habeo consolatorem qui me illuc transferat, eo quod inopia et paupertate permaxima aggravor? Sed scio, Domine, te C esse consolatorem et sublevatorem pauperum, tu esto mihi adjutor et consolator in hac tribulatione mea, et per merita beati Stephani, si vera sunt hæc quæ audio, et credo quia vera sunt, auxiliare mihi miseræ ancillæ tuæ. Tu enim hic mihi per ipsum potes me juvare, quemadmodum si essem ante ejus sepulcrum, hanc fiduciam habeo in te, et in virtutibus ejus. Fac ergo, Domine, fac misericordiam cum ancilla tua per ejus sancta merita. » Cumque orationem suam complesset, respexit ad precem ejus, et exaudita est a Domino, et ut postulaverat, a Domino sanata est, intercedente B. Stephano. Et sic nimirum de die in diem divulgabantur ejus sancti merita, et signa ac prodigia.

D

VIII. *Item aliud miraculum.*

Eodem tempore quidam burgensis in eodem oppido Lemovicarum, nomine Stephanus, cujus uxor Mathildis nomine dicebatur. Hi habebant filium nomine Stephanum ex utero matris suæ jam fere per quatuordecim annos claudum. Qui cum audissent signa et prodigia fieri a Deo in Grandimonte, per beati Stephani bonitatem, straverunt asinum et imposuerunt puerum claudum cum scabellis super eum, et versus Grandimontem cum magna fiducia venire cœperunt; et cum essent in itinere, jumentum illud nescio quo casu pedem suum incaute posuit et corruit, et fracta sunt scabella claudi adolescentis. Quod cum vidisset claudus, dixit matri suæ: « Mater, nunc scio me sanandum fore,

cum pervenero ad tumulum B. Stephani in Grandimonte, et hoc est indicium meæ sanitatis, confractio scabellorum meorum quibus sustentari consueveram. » Hoc dixit quasi propheta recuperandæ suæ sanitatis. Venientes autem ad sepulcrum sancti confessoris, oraverunt, fleverunt, et consolationem a Domino meruerunt, et videntibus nobis omnibus, puer qui claudus fuerat ex improviso surrexit, et erectus a Domino, succurrente illi B. Stephano, hilaris et gaudens ire cœpit : Quem accipientes propriis manibus posuimus super altare; currebat velociter a cornu altaris usque ad aliud cornu, manibus ad cœlum erectis. Gaudebant omnes qui aderant, et præ gaudio alii flebant, alii lætantes hymnos et laudes Deo canebant, et sancti Stephani merita prædicabant. Hunc autem puerum a parentibus suis donatum retinuimus nobiscum ad nutriendum ob tanti miraculi testimonium.

IX. *Item aliud miraculum.*

Item quædam mulier, nomine Joanna Brugiola de Monte-gaudii, qui locus situs est juxta oppidum Lemovicarum, venit cum puero muto et manco. Erat enim infans ille enormis ad videndum. Os autem ejus distortum versus sinistram maxillam, et dentes inordinati in ore ejus erant, nec erat mirum, si loqui non poterat, certe comedere vix valebat. Manus ejus curva admodum et debilis erat, scilicet sinistra. Et quid? oravit pro puero mater, supplicavit nomen Domini invocando, et auxilium B. Stephani postulando. Quod cum fecisset, meruit exaudiri a Domino, opitulante B. Stephano confessore reverendissimo, et statim locutus est mutus, et admiratæ sunt turbæ, et timor magnus irruit super eos, et benedixerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus, atque sanctitatem viri Dei omni admiratione pleni ac stupefacti extollere cœperunt. Divulgantibus fere omnibus signa et prodigia quæ quotidie Dei bonitate et beati viri meritis fiebant in Grandimonte ac multis in locis, in quibus memoria nominis illius habebatur, cœperunt multi venire concursu et occursu ex provinciis diversis, ut meritis ipsius de necessitatibus suis mererentur a Domino Deo exaudiri. Inter quos venerunt duo juvenes quoddam sudarium in manibus suis tenentes, qui a nobis requisiti unde essent vel quid quærerent, aut cur illud sudarium portarent, humiliter responderunt : « Domine, nonne vos prior estis domus istius? » Quibus tale dedi responsum : « Ita est, filii mei. » Et illi : « Domine, nos de Lemovicensi provincia hac orti sumus. Causa pro qua huc sudarium istud deferimus, hæc est : Pater noster quem habemus superstitem, modo in hac hebdomada, gravi urgente infirmitate defunctus est. Audientes autem signa et prodigia beati viri Stephani, invocare cœpimus virtutem ejus super patre nostro, ut Deus et Dominus noster, si vera essent hæc quæ audieramus de viro isto, succurrere et adjuvare dignaretur per merita ipsius, quæ multa et magna sunt nimis apud Deum. Cumque complessemus orationem nostram, nec mora surrexit pater noster et revixit : et ecce detulimus sudarium istud in testimonium. » Hæc cum audivissem, admiratus sum vehementer, et glorificare cœpi nomen Domini cum cæteris qui hæc audiebant, et repleti sunt omnes stupore et admiratione de eo quod contigerat illis, et quia Deus talibus signis tanquam apertis suum sanctum decorabat et honorabilem reddebat.

X. *Item miraculum aliud.*

Post hoc autem mirandum miraculum narrabimus aliud signum quod tempore suæ revelationis, Deo miserante, acciderit. Inter cæteros qui congregati fuerant infirmos, advenerat quidam juvenis de vico qui dicitur S. Hilarius juxta Beneventi (21) cœnobium, nomine Stephanus, qui cæcus a nativitate exstiterat, eratque unicus filius matris viduæ pauperrimæ. Hic dum orationi ante sepulcrum B. Stephani cum cæteris vehementer insisteret, et Dei misericordiam anxius expostularet, sanctumque Stephanum ut sibi conferret auxilium magnis vocibus invocaret, subito adest virtus divina, quæ meritis beati Stephani ei restituit quæ nunquam, ut ipse postmodum nobis retulit, habuerat lumina. Hunc autem pro amore Dei ac pro honore gloriosi confessoris Stephani, quia pauper erat et indigebat, et ob testimonium tanti miraculi, in domo nostra ad nutriendum et confovendum recepimus ac retinuimus.

XI. *Item aliud miraculum.*

Eodem autem die quo hæc facta sunt, mulier quædam, quæ jam fere per octo annos lumen amiserat, Deo propitiante et sancto Dei auxiliante, nobis videntibus et multis aliis, feliciter recuperavit. Cui ipsa hora ob miraculi reverentiam contulimus parvi munusculi alimoniam. Erat enim certe talis consuetudo tunc temporis apud sanctum istum de quo loquimur, quod plus auxilii, plus beneficii conferebat viduis, orphanis, virginibus, infantibus, pauperibus, quam divitibus. Hoc certe animadvertimus in miraculorum ejus operibus, et comprobavimus, et etiam aliud mirabile et miraculosum. Dum enim pauca luminaria per diem ante eum coruscarent, pauca vel nulla ab eo fierent signa aut prodigia; sed cum multitudo populorum occurrebat, et multiplex multiplicitas luminum ac cereorum circa eum accenderentur, et etiam omnis fere ecclesia intus et foris plurimis luminaribus solempniter coruscaret, tunc signa et prodigia divinitus fiebant ab eo; quod cum animadvertimus, multoties hæc cernentes, admiratione et lætitia replebamur, et urbana verba invicem, prout licebat ac decebat, loquebamur. Credimus certe quod Deus omnipotens tali honore ac tanto eum irradiare volebat, eo quod ipse sanctus, dum in mundo viveret, a

(21) Beneventum erat monasterium ordinis S. Augustini, duabus ab urbe Lemovica distans leucis, cujus reditus anno 1693 ecclesiæ Quebecensi attributi sunt.

mundi hujus cognitione ac veneratione, in quantum valebat, se viriliter et humiliter occultabat. Sæpissime vero contingebat ut, turbis advenientibus, vel cum illi ab aliquo magna donaria Dei amore offerrentur, ut inde Christi pauperes, qui cum eo degebant sustentarentur, ipse cernens fugiebat, ac lacrymabili voce dicebat : « Deus, absconde me, Deus, absconde me. » Cumque fratres ei dicerent, et quasi increpando eum reprehendentes : « Ut quid, domine, modo fugis quando reverti deberes, etiam si fugisses, cum cernis te a Domino visitatum fuisse? » Quibus ipse humiliter, ut erat omnium mitissimus et benignissimus, verbis pacificis respondebat : « Timeo, fratres, ne Deus (quod absit!) merita mea quæ fere parva aut nulla sunt, mihi indigno retribuat. » Sic nimirum, sic certe rerum temporalium vitabat ac fugiebat affluentiam et effluentiam, et si quando nequibat corpore, tamen corde.

XII. *Item aliud miraculum.*

Enarremus adhuc de his quæ vidimus vel audivimus aliqua signa. Inter cætera quæ suæ revelationis tempore fiebant prodigia, venerunt fortuitu peregrini in Grandimonte causa orandi, revertentes de Rupe-amatoris, ubi memoria beatæ virginis Mariæ colitur, adducentes secum mulierem habentem manum aridam. Erant enim homines illi, ut audivimus, de Northmannia nati, qui cum vidissent et audissent quæ rutilabant in Grandimonte tunc temporis divina opera per B. Stephani, merita gloriosa, insinuantes dixerunt illi mulieri : « Tange cito, utcunque poteris, manu illa arida locum ubi quiescunt tumulata sancti hujus membra sacrata. » Quæ cum fecisset, illico sanata est.

XIII. *Item aliud miraculum.*

Eodem igitur tempore quidam homo amens, nomine Guillelmus, deductus est a matre sua in Grandimonte, de vico scilicet S. Martini terræ Sudoris, ut Deus omnipotens per beatum Stephanum confessorem ei reddere dignaretur sensum et mentis sobrietatem : quæ cum venisset, fere per triduum ad memoriam beati Stephani orando et postulando stetit. Attamen sancto Dei intercedente, adeptus est pristinam mentis suæ sobrietatem : qui postea lætus et exsultans cum fratribus nostris interfuit vindemiis, adjuvans et vindemians sobrie cum eis.

XIV. *Aliud miraculum.*

Deinde narrabimus miraculum quod vidimus. Adhuc manebant in Grandimonte domnus legatus et Apamiensis archiepiscopus, cum quo forte de quibusdam negotiis tractabamus eo tempore vel hora qua miraculum istud accidit. Nox enim die jam recedente accesserat, et populus cum luminaribus accensis tumulum sancti viri circumdederat, et mulier quædam de Lemovicensi episcopatu filium ex utero claudum, utcunque poterat adduxit; quæ stetit, oravit et a beato Stephano auxilium anxia pro filio viriliter expostulavit. Hoc cum fecisset, recepit illico filius ejus gressum, et solidatæ sunt bases ejus et plantæ et admiratæ sunt turbæ. Tunc qui astabant populi traxerunt chordam cymbali, laudantes nomen Domini causa tanti miraculi, cujus sonum cum audivimus, nos scilicet et archiepiscopus ad ecclesiam venimus, claudum ambulantem invenimus, et laudem Deo reddidimus, ad altare deducimur, mirantes hoc miraculum. Turba adducit alium, qui cæcus jam exstiterat, quem Deus visitaverat, ad tumulum oraverat, pro quo lumen receperat, unde gaudet Ecclesia cernens Dei magnalia, laudatur Dei famulus, congaudet omnis populus, videns divina munera, et Stephani prodigia. Archiepiscopus miratus est de cæco qui illuminatus est, non habens ultra spiritum propter tantum prodigium. Ex una parte graditur claudus, qui tunc aspicitur; cæcus aspicit lumina qui nunquam vidit talia. Hæc sunt duo miracula, facta per parva spatia, quæ cernit omnis populus, unde laudatur Dominus, sanctus Dei extollitur. Inde laus Dei oritur, et psalmus Deo cantatur, eo quod claudus graditur, luce cæcus perfruitur. Omnes laudemus Dominum propter duplex miraculum, qui sanctum suum servulum exaltavit in sæculum.

XV. *Item aliud miraculum.*

Adhuc restant miracula quæ recipit Ecclesia Grandimontensis ordinis spatio illius temporis. Puella quædam adducitur de villa, quæ Nobiliacus dicitur, non habens luminaria quibus cernantur omnia. Erant quasi lapilluli, duri velut crystalluli : unde ad sanctum ducitur, et ad terram prosternitur. Orat ergo Ecclesia pro illa Christi famula, ut lumen mundi videat, et Christus eam exaudiat. Squamæ cadunt ex oculis, quæ erant similes crystallis, et videt quæ non viderat : quam tunc Deus respexerat. Maria ista dicitur, quæ cernit et quæ cernitur, quod a nobis sic quæritur, et sic nobis innuitur. O nova Christi munera! O nova Christi gratia, quæ rutilat per sæcula, et fulget in Ecclesia, ubi sanctus extollitur, ubi justus cognoscitur! Quis unquam vidit talia quæ fiunt in ecclesia Grandimontensis ordinis cum cæteris prodigiis? Laudatur Dei famulus, applaudit omnis populus, in hymnis et cum canticis, visis tantis miraculis. Nunc igitur admiramini, o filii charissimi, dantes honorem Stephano Patri vero sanctissimo.

XVI. *Item aliud miraculum.*

De cætero enarremus aliud laudabile signum, quod Deus et Dominus noster ad honorem tanti Patris et laudem sui nominis eo tempore ostendere suo populo voluit. Apud Solemniacum vicum (22) quidam puer, nomine Olgerius, gravi infirmitate febrium usque periclitabatur ad mortem : quod cum pater ejus Guillelmus et mater ejus Adema nimio dolore afflicti vidissent, voverunt eum B.

(22) Solemniacum vicus duabus a Lemovicis dissitus leucis, ubi habetur monasterium ordinis S. Benedicti a sancto Eligio fundatum.

Stephano et statim convaluit, et sanus factus est. Hoc signum presbyter quidam nomine Petrus, qui vidit et audivit cum multis aliis, nobis postea fideliter retulit; et etiam alius presbyter, nomine Guido, hujus ordinis frater, quod cum quadam nocte tempore revelationis beati confessoris Stephani cum cæteris fratribus custodiret sanctum ejus sepulcrum, et plebs innumera utriusque sexus causa orandi advenisset, mulier quædam inter eos cum filia cæca adfuit, quæ pro ipsa fundens orationem cum magna fiducia ad Dominum, quatenus ob amorem et honorem B. Stephani suæ filiæ visum restitueret, quem fere per octo annos amiserat. Nec mora : illico visum recepit, et Deo omnipotenti qui viderunt astantes populi gratias egerunt, ac S. Stephano venerando confessori.

XVII. *Item miraculum aliud.*

Item alius frater, Joannes nomine de Pulchraarbore, nobis veraciter retulit quod eo tempore venit quædam mulier de villa sua, nomine Petronilla, cum filio suo arido, cujus pater jam defunctus erat. Quem cum vidisset frater ille, misericordia motus est super eum, et apprehendens de turba fiducialiter obtulit eum beato Stephano ad sanandum. Quod cum orassent pro eo ipse et alius, nomine Aimericus, qui tunc temporis tumulum viri Dei forte custodiebant, visitavit Dominus Deus pro amore B. Stephani, et sanatus est, et accepit mater sua eum de manibus fratrum, et abiit gaudens et exsultans cum sanato filio.

XVIII. *Item aliud miraculum.*

Die autem revelationis miles quidam nobilissimus, nomine Eschivardus, cum loculum portaret per claustrum cum cæteris ad processionem, in quo erant reliquiæ corporis S. Stephani, a quartanis febribus meritis ipsius viriliter sanatus est.

XIX. *Item aliud miraculum.*

Alius vero miles, nomine Josselinus de S loco, vir nobilis, per eumdem confessorem Stephanum ab ipsis quartanis eodem anno mirabili modo sanatus est : qui postea cum fratre suo abbate Solemniacensi ad tumulum beati viri, ut ei et Domino Jesu Christo gratias ageret, incolumis et gaudens accessit; sic namque longe lateque Dominus Deus sanctitatem ejus diversis declarabat miraculis.

XX. *Item aliud miraculum.*

Cum autem hæc mirabilia quotidie ad sepulcrum talis ac tanti viri in Grandimonte per merita ipsius, Deo disponente, apertissime fierent, et rumor tantorum operum per diversas regiones admodum pervolaret, accidit ut in oppido quodam, quod Porgeria dicitur, homo quidam, nomine Joannes Gormundi, gravi usque ad mortem fere per unum annum urgeretur infirmitate : non enim valebat manum ad os adducere, nec pedem movere, ut ipse nobis postmodum retulit. Audiens ergo S. Stephani virtutem et insignia, toto corde, quia ore nequibat, cœpit invocare nomen Domini, quatenus per merita beati Stephani confessoris clarissimi sibi gra- A tiam pristinæ sanitatis restituere dignaretur, promittens et votum faciens, ut, accepta sanitate et incolumitate, postea ad ejus memoriam in Grandimonte gratulabundus accelerarest; quod et ita factum est. Completa oratione, illico sanatus est, et, ut voverat, in Grandimonte venit, et Deo ac beato Stephano lætus et incolumis, nobis cernentibus atque gaudentibus, gratias peregit. Cui pro amore Dei et honore tanti miraculi cappam unam dedimus. Illo autem in tempore, id est in Nativitate S. Mariæ virginis, quinque miracula, tam cæcorum quam claudorum aliorumve infirmorum, Dei virtute et B. Stephano intercedente, ac meritis Dei Genitricis, nobis videntibus et audientibus, mirabiliter ante tumulum beati Stephani perpetrata B sunt.

XXI. *Item aliud miraculum.*

Deinde in exaltatione sanctæ Crucis cum divinis laudibus vehementer insisteremus, ecce subito clamor magnus in majori ecclesia, ubi corporis beati confessoris Stephani reliquiæ honorifice tumulatæ erant, oritur et vehementer extollitur. Cumque tanto clamore stupefacti essemus, et cito requisissemus cur tantus tamque vehemens clamor in ecclesia fieret, comperimus quia mutus quidam, quem mater sua ad sanctum Dei virum, scilicet Stephanum, cum magna fiducia adduxerat, ob merita ipsius recte loquebatur. Intermissis igitur divinis laudibus ob tanti clamoris fragorem ac venerandi miraculi honorem, egressi de locis matu- C tinalibus cucurrimus ad locum, ubi qui a nativitate mutus exstiterat, loquebatur. Jam enim turbæ eum cum custodibus ante altare beatæ virginis Mariæ adduxerant, laudantes ac benedicentes Dominum, qui per beatum Stephanum illum visitaverat. Cum autem illuc venissemus, invenimus eum loquentem ac dicentem : « Date mihi ad bibendum, date mihi ad bibendum. » Cucurrimus igitur velociter ad aquam quæ prope defluebat, et dedimus ei ad potandum, et hoc videlicet in testimonium tanti miraculi. Compleverat autem, ut nobis videbatur, juvenis iste terminum jam fere duodecim annorum.

XXII. *Item aliud miraculum.*

D Illis autem diebus alius juvenis qui fore per unum annum in lectulo languidus jacuerat, ad tumulum sancti confessoris Stephani ab amicis suis delatus est. Cumque ad sepulcrum ejus orarent, ecce subito languidus ille Dei virtute erigitur, et absque alicujus hominis adjutorio incedere cœpit, et nobis cernentibus, qui tunc temporis ibidem eramus, videntes et aspicientes, gradus lapideos, qui ante altare compositi sunt, viriliter ac mirabiliter ascendit. Erat enim hoc signum mirabile et dictu incredibile : nam brachia ejus erant quasi lignea sicca, et tibiæ ejus similiter, manus ejus grandes et pedes, corpus ejus nimis macilentum, facies ejus pallida ac vehementer deformis. Quis unquam eum aspiceret, qui non obstupesceret ? Ex una parte

compatiebamur ei, ex altera congratulabamur ei.

XXIII. *Item aliud miraculum.*

Adhuc autem non pigeat vos audire mirandum signum atque gloriosum, quod Deus omnipotens sua mirifica bonitate per beatum virum Stephanum apud Glutorum villam operari dignatus est eodem anno suæ revelationis, id est in festo S. Michaelis. In præfata villa nundinæ, ut moris illius villæ est, celebrabantur : et ecce subito homo quidam, nomine Andreas, in ipsis nundinis febribus anxie invaditur. Cumque febricitaret pene usque ad mortem, et videretur sibi quod amplius vivere non posset, convocavit Ecclesiæ presbyteros atque clericos, cæterosque amicos suos, et confessione facta, corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi munivit se. Deinde jussit præparari omnia quæ funeri suo erant necessaria, et dum exsequiæ, ut visum fuerat, pararentur, infirmus ille graviter cœpit nimio dolore affligi, et ad mortem usque perduci. Quod cum viderent qui astabant, deposuerunt eum de lecto in terra super stramenta, ut moris est Christianis mori, manusque ejus super pectus ejus implicantur, oculi clauduntur, anhelitus ejus fere ex toto exstinguitur. Cumque cerneret se mori, ut potuit, in corde suo exorare et invocare cœpit B. Stephanum Grandimontensis ordinis pastorem primum, ut sibi conferret auxilium : quod si faceret, ad tumulum suum, dum convalesceret, concitus properaret. Et quid dicam? Ecce iste qui sic in corde suo loquebatur (nam ore nequibat), a circumstantibus jam mortuus putabatur. Et quid? Ecce B. Stephanus confessor pius ac venerandus apparuit, et in specie hominis candidissimi, cujus barba prolixa et candida; vestimenta autem ejus erant alba sicut nix, et capilli ejus candidi; cujus facies velut sol rutilabat, habens phialam aqua salutifera plenam in manu sua. Cumque Dei sanctus funderet aquam illam super corpus infirmi, quasi subridens ac lætabundus ait illi : « Noli timere, quia modo non morieris, sed sanaberis. » Quod cum dixisset, disparuit, et illico qui putabatur mortuus surrexit, et sanus factus est, et narravit circumstantibus omnia quæ sibi acciderant, et mirati sunt universi. Postea venit in Grandimontem, ut sancto viro promiserat, visitare ejus sepulcrum, et hæc omnia nobis veraciter viva voce retulit, et quemadmodum ejus corpus magnum accepit refrigerium ad effusionem aquæ illius salutiferæ, ita ut videretur sibi quod esset in paradiso Dei.

XXIV. *Item aliud miraculum.*

Isto in tempore juvenis quidam rusticus de villula quæ vocabulo Boissi dicitur, repletus spiritu maligno, atque ira et indignatione plenus, adversus fratres nostros de Exclusa, cruces quas pro metis circa nemus suum posuerant, violenter extraxit et igni combussit. Quod cum fecisset, arreptus est a dæmone, et cœpit eum vehementer exagitare et graviter affligere, ita ut neminem posset cogno- A scere. Videntes autem ejus parentes hæc, prout potuerunt, in Grandimonte ad memoriam beati Stephani adduxerunt, ut Deus et Dominus noster eum pro amore ipsius a dæmone liberaret, et sensum ei redderet : quod Deo volente et beato Stephano intercedente ita factum est. Deinde juvenis iste sensu recuperato ac liberatus a dæmone, a nobis et a fratribus nostris ex injuria fratribus nostris illata veniam humiliter petiit et impetravit, ac promisit quod deinceps nullam molestiam eis facere præsumeret. Cognoscebat enim et confitebatur manifeste quod Deus eum pro tanto facinore ad flagellandum Satanæ tradidisset. Sic nimirum, sic certe potestis, si placet, animadvertere quemadmodum Deus omnipotens injuriam servo- B rum suorum vehementer ulciscitur, et bonitatem eorum ac sanctitatem diutius abscondi minime patitur.

XXV. *Item miraculum aliud.*

Deinde enarremus aliud miraculum quod non est silentio prætereundum. In illis diebus infirmabatur quidam adolescens, nomine Petrus de Schola, apud vicum qui S. Hilarius dicitur in territorio Lemovicensi. Hic autem cum gravi morbo periclitaretur, usque ad mortem perductus est. Audientes vero ejus vicini et cognati convenerunt in unum, quatenus ei exsequias præpararent ; sed mater ejus nimio dolore afflicta, subito arripiens stupeum filum, et accedens ad filium suum qui C in terra jacebat exanimis, nihil penitus videns neque audiens, mensuravit eum a capite usque ad pedes, ut inde beato Stephano, cui eum vovebat, et pro quo ei humiliter supplicabat, candela fieret, quam postea juvenis, si convalesceret, ad sepulcrum viri Dei gaudens et exsultans deferret. Ita mater pueri anxia de filio, postulabat auxilium a B. Stephano, dicens quod si filium suum ei redderet, ad ejus tumulum, Deo volente, duceret, et omnes qui astabant similiter orabant. Cernebant ut mortuum, plangebant quasi viam universæ carnis ingressum. Mater ejus jam erat de vita ejus desperata, unde flebat quasi desolata et viduata. Et quid plura? ad orationem matris reviviscit facies juvenis ; circa galli conticinium juvenem vivum et D incolumem circumastantes aspiciunt atque suscipiunt. Omnes autem Deum tunc laudare incipiunt, et sanctitatem beati Stephani dignis laudibus extollunt. Cujus etiam mater fere per totum annum nevit sudarium, quod postea evoluto anno ad sancti viri Dei sepulcrum in Grandimonte detulit super caput suum. Hæc autem omnia ab eo didicimus et a matre sua et a consobrino suo, et ab aliis qui cum eo venerant apud nos in Grandimonte.

XXVI. *Item miraculum aliud*

Apud Auveriam oppidum erat quædam vidua, nomine Dea, cujus filius, nomine Belinus, infirmabatur usque ad mortem. Patiebatur autem morbum gutturis gravissimum, ita ut nec quidem lo-

qui, nec comedere, nec salivam deglutire valeret. A Erat enim facies ejus et gula nimis livida, et lucens fere quasi vitreum. Jacebat autem in lectulo suo quasi mortuus, et de vita ejus pene omnes desperabant. Mater vero ejus nimis anxia et tristis flebat, lamentabatur, ejulabat, desolabatur, crines suos a capite velut amens effecta evellebat, vestimenta sua scindebat, auxilium de supernis quærebat, nec exaudiri potuit pro filio usquequo eum vovit B. Stephano. Cumque vovisset eum sancto Dei, et illum deprecata fuisset quatenus filium suum redderet, nec mora: juvenis ille matrem suam cœpit invocare ac dicere: « Bona mater. » Cui illa: « Adsum, fili mi. » Et cucurrit ad eum. Tum ille: « Mater bona, tres peregrini hac nocte venturi sunt ad hospitium, quos precor ut benigne et honorifice B recipias, ac sursum in altiori cœnaculo cum digno honore ascendere facias. Nam S. Stephanus venturus est cum eis, et post galli cantum me pristinæ sanitati restituet, et domno Petro capellano hic ante me lectum ad quiescendum præparare minime differas. » Cumque hoc ita disseruisset, siluit, ignorans quid dixerit, sicut postmodum nobis in Grandimonte ante altare cum matre et supradicto Petro presbytero, audientibus multis ex nostris fratribus, fideliter narravit. At vero mater veniens juvenis, cum hæc a filio audisset, astante ibidem sæpedicto capellano et multis aliis, stupefacta et gaudio repleta, eo quod filium loquentem quæ jam ab heri et nudius tertius audire nequaquam poterat, C cœpit præstolari adventum B. Stephani et promissum cum fiducia sui charissimi filii. Illis autem exspectantibus et præ gaudio admirantibus ac curiose vigilantibus, invicemque loquentibus, dum gallus semel aut bis vocem ex more dedisset, subito ægrotus matrem ad se venire festinanter vocando imperat: quæ cito consurgens, celeriter ad eum properat, et quid vellet clementer ab eo requirit. Cui ille: « Mater bona, ecce S. Stephanus confessor egregius et venerabilis ordinis Grandimontensis pastor primus, me miserum modo dignatus est visitare, et tres digitos suos in gutture meo pie transfigere, et ita sanare. Quæ si forte dubitas, accelera et vide. Certe, Deo propitiante et B. Stephano intercedente, sanus et incolumis effectus sum ac si D malum nunquam habuissem vel persensissem. » Tunc mater accensis luminaribus cum Petro sacerdote et aliis qui ibi aderant, accessit ad filium, et inquisivit diligenter utrum vera essent quæ dicebantur a filio, an non. Et cum diligenter exploraret, invenit pannos quibus coopertus erat juvenis ille, contagione morbi madefactos, et tria foramina in gutture ejus, duo a sinistris et unum a dextris ipsius gutturis. Quorum trium foraminum cicatrices postea in Grandimonte, cum eum mater cum presbytero supradicto et aliis quamplurimis adduxisset, ferentem in capite sudarium et candelam in manu perspeximus, ut quasi in ore duorum vel trium testium staret omne verbum (*Deut.* XIX). Nam illo in tempore congregatus erat generalis conventus in Grandimonte, id est in festo S. Michaelis. Et hoc signum viderunt et audierunt fere plusquam ducenti fratres, qui ibi convenerant, et multi ex illis præ gaudio lacrymas fundebant, ac nobis videntibus et mirantibus cicatrices illas, quasi vestigia Patris sui pie osculabantur. Nos vero in testimonium tanti miraculi tamque celebris digitos nostros in cicatricibus illis inferre præsumpsimus. Cum autem mater, ut supradiximus, filium suum ita sanatum reperisset, stupefacta, et omni admiratione et exsultatione plena cœpit clamare, et cum lacrymis dicere: « Venite, venite, videte Dei omnipotentis magnalia et prodigia quæ fecit super filio meo per B. Stephani merita; respexit certe miseriam ancillæ suæ, liberans filium meum a morte per sanctum suum et restituens vitæ. » Congregata est igitur omnis multitudo populi oppidi Auveriæ in domo hujus viduæ, ut viderent signa et prodigia quæ Deus per B. Stephanum ibidem mirabiliter fecerat, et omnes mirati sunt de his quæ videbantur, et laudaverunt Deum in cœlestibus, qui facit mirabilia magna solus. Amen.

XXVII. *Item miraculum aliud.*

Adhuc non pigeat charitati vestræ audire signum perspicuum ac veritate perlucidum, quod tempore revelationis B. Stephani gloriose ac manifeste acciderit. Erat enim in vico Ambasiaco homo pauper, nomine Stephanus, cui erat filius, Petrus nomine, ex utero matris suæ claudus et jam fere decennis. Hic enim quasi quoddam reptibile reptabatur per terram, cum volebat incedere. Cumque pater ejus audisset signa et prodigia multa quæ fiebant in Grandimonte, rogatu et consilio vicinorum suorum puerum portavit ad tumulum B. Stephani confessoris. Cum autem ibi per biduum aut triduum moram fecisset, fame coactus, et quasi diffidens de Dei bonitate et B. Stephani sanctitate reversus est cum filio, nihil penitus proficiens, quia incredulus permanebat, nec perseverare voluerat velut contemnens. Videntes vero vicini ejus et qui eum agnoscebant, quod quasi stultus et incredulus tam celeriter et enormiter recessisset a tumulo viri Dei, nec spem aut fidem haberet in operibus divinis, quæ jugiter ibidem divinitus fiebant, increpare eum cœperunt, ac verbis durissimis fortiter redarguere, et cum omni fiducia ei dicere: « Revertere miser et miserabilis, revertere cum filio in Grandimonte, et noli incredulus permanere. Resume igitur vires hominis fidelis, et tolle filium et pone ante altare et Dei viri sepulcrum. » Credidit igitur homo verbis fidelium, et in Grandimonte attulit filium, et latenter fugiens ibi dimisit eum. Puer autem claudus sic nequiter a patre incredulo dimissus permanebat jugiter ad januam ecclesiæ, petens eleemosynam ab introeuntibus in templum. Cum autem perseveraret pulsans, et, prout noverat orare vel ab aliis instructus, quæreret auxilium de supernis, ut Deus et Dominus noster per merita

B. Stephani revelare [*f.* relevare] dignaretur imbecillitatem sui corporis, exaudivit deprecationem ejus misericors et miserator pius, qui salvat omnes sperantes in se, et qui vult omnes ad agnitionem veritatis venire, aperiens ei sinum misericordiæ suæ, dando ei sanitatem perfectam, quia consolidatæ sunt bases ejus et plantæ. Hujus rei testes sunt promiscui sexcenti viri et mulieres innumerabiles qui eum primitus agnoscebant. Nos vero, ut de tanto tamque pretioso miraculo certiores redderemur, et hilariores efficeremur, jussimus eum adduci ad nos, quem vidimus erectum et ambulantem, atque ex ejus ore audivimus suam quam primitus habuit infirmitatem; deinde vero sanitatem, quam per B. Stephani merita divinitus receperat, veraciter pronuntiantem. Hæc vidimus, hæc audivimus, hæc testamur, hæc charitati vestræ fideliter annuntiamus, ut credatis signis et prodigiis istis quæ auditis, et sic fideliter credentes vitam æternam habeatis. Amen.

XXVIII. *Item aliud miraculum.*

Cum dicat apostolus Paulus : *Charitas non quærit quæ sua sunt, sed quæ Christi* (*I Cor.* XIII); et Dominus in Evangelio : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit* (*Marc.* XVI); et Apostolus : *Sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.* XI); et idem apostolus : *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* (*ibid.*); ideo dilectionem vestram modis omnibus exhortamur in Domino, fratres charissimi, ut corda vestra ad audiendum et credendum præparetis, quatenus ea quæ de B. Stephano viro sanctissimo Patre nostro in volumine isto scripta reperietis, cum omni fiducia ac benignitate recipiatis, credatis, diligatis, pronuntietis, scientes pro certo quod, in quantum potuimus, Deo inspirante, ut supra diximus, vera et verissima conscripsimus, nec etiam omnia quæ de eo scribenda erant vel scribi poterant, huic paginæ commendare voluimus; quod si scriberentur, forsitan minime crederentur. Multa siquidem signa et miracula quæ per merita ipsius a Deo perpetrata sunt diversis in locis sive provinciis, nostris temporibus quanquam a legitimis personis revelatione juridica facta audivimus, sub silentio præterire disponimus; sed pauca et certiora huic scripturæ commendamus. Audivimus siquidem quod in Rodensi episcopatu quemdam puerum Deus per eum suscitaverit, cujus imago cerea apud quamdam domum nostram, quæ dicitur S. Michaëlis, delata est, ubi in memoriam tanti miraculi in ecclesia conservatur ac demonstratur; et etiam in Rotenensi episcopatu multa eum fecisse signa, quæ ut nobis videtur, oblivioni minime sunt tradenda. Nam uxor cujusdam militis, Arnaudus nomine, domini videlicet cujusdam oppidi, quod Rupis-excisa vocatur, per ipsum sanata est hoc modo : Mense denique Augusto, anno videlicet ab Incarnatione Domini 1192, supradicta mulier quæ Florentia dicitur, genere ac nobilitate seu probitate florens, ex improviso febricitare cœpit, et gravi perurgeri molestia. Augebatur de die in diem infirmitas ejus, in tantum quod nec medici, nec aliquis alius ei proficere posset. Et quid dicam? pene usque ad mortem deducta est. Cumque cerneret se mori, et fere de sanitate sua, tam ipsa quam vir ejus et cæteri, desperarent, posita est in cinere et cilicio, ut mos est Christianis mori. Tunc ipsa, prout potuit, cum viro suo locuta est dicens : « Ecce, vir meus, ut cernis, morior, et viam universæ carnis ingredior. Rogo te, in nomine Domini nostri Jesu Christi, quatenus me offeras, et voveas B. Stephano confessori, primo videlicet ordinis Grandimontensis institutori. » Tunc vir ejus ad vocem ipsius filum accipiens stupeum, mensuravit eum a capite usque ad pedes, ac deinde cœpit filum cera superinducere. Ipsa vero mulier, prout valebat, in corde suo B. Stephanum invocabat. Cum autem perseveraret in oratione, subito apparuit ei B. Stephanus multitudine discipulorum suorum constipatus, et apprehendens manum mulieris dextram, quasi subridens, ait illi : « Surge velociter, non enim morieris, sed sanaberis ab hac infirmitate. » Hunc autem nemo videbat vel audiebat nisi sola mulier. Cumque levasset eam B. Stephanus a lectulo infirmitatis suæ, surrexit mulier sana et incolumis effecta, et ita disparuit S. Stephanus. Vir autem ejus cum aspiceret eam surgentem, nimio stupore circumdatus, requisivit ab ea quid hoc esset, dicens : « Heu, domina mea! heu! quomodo ita est? Putabam te modo mori, nunc video te sanam et incolumem atque hilarem effectam, quid est hoc? » Cui illa arridens ait : « Certe, mi domine, B. Stephanus, cui me vovisti, modo dignatus est ad ancillam suam venire, et cum multitudine discipulorum suorum mihi indignæ mulieri apparere, et ut cernis, sanam et incolumem bonus et sanctus vir Dei me in pace dimisit. » Tunc facta est lætitia magna et exsultatio in domo illa et in omni castello illo in illa die et deinceps. Postea vero mulier illa visitavit fratres nostros qui habitant in provincia illa, et in confinio castelli ejus apud Auram-Ventosam, et narravit eis quæ sibi acciderant, et quomodo Deus per B. Stephanum visitare et sanare dignatus est. Tradiditque tres solidos Rotenensis monetæ, quos deferrent nobis in Grandimonte ad faciendam statuam ceream in memoriam tanti miraculi, quam poneremus ante tumulum B. Stephani.

XXIX. *Item miraculum aliud.*

In eodem territorio apud castellum, quod S. Baudelius dicitur, erat quædam mulier nobilitate et genere perspicua, quæ fratres nostros permanentes apud Auram-Ventosam, et ordinem nostrum valde obnixeque diligebat. Hujus vero mulieris filius parvulus, tempore revelationis B. Stephani confessoris, gravi infirmitate invaditur, et pene usque ad mortem deducitur. Quod cum vidisset, mater ejus nobilis, anxia efficitur ac flebilis. Infirmitas autem pueri de die in diem augmentabatur, unde et su-

prædicta domina anxior efficiebatur, ac dolore nimio perturbabatur. Quæ cum audisset virtutes B. Stephani, quæ assidue fiebant in Grandimonte, vovit eum B. Stephano confessori, et statim puer, Deo volente, restitutus est pristinæ sanitati. Fratres qui hoc viderunt et audierunt veraciter nobis retulerunt.

XXX. *Item aliud miraculum.*

Item in territorio Lemovicensi apud vicum S. Juniani erant duo homines genere et nobilitate perspicui, quorum unus Iterius, alter Petrus vocabatur. Qui quadam die cum egrederentur de vico supradicto ad promovenda negotia sua, obvium habuerunt quemdam militem profugum, nomine Geraldum de Oratorio, qui causa rapiendi, si aliquid fortuitu inveniret, terram illam cum complicibus invadere cupiebat. Cumque obvios haberet supradictos viros, gavisus est valde, utpote qui de rapina se et suos fovebat. Capiens autem illos, transtulit eos in terram aliam, ac retrusit in carcerem, ubi fame et inedia ac ferro afflicti fere per duos menses moram fecerunt. Cum autem cernerent se nimis cruciatibus affligi atque torqueri, ac de sua salute et liberatione fere jam desperantes, clamare cœperunt ad Dominum, ut per auxilium veræ crucis, quæ erat in Grandimonte, et per merita B. Stephani confessoris, primi patris ordinis Grandimontensis eos liberaret. Factum est autem, Deo miserante, cum sic perseverassent per totam noctem illam ex intimo cordis affectu Deum deprecantes, adfuit illis divina miseratio, quæ per virtutem supradictæ crucis vivificæ, et per merita B. Stephani, liberavit eos tali modo. Mane denique facto diei illius, quæ erat ante vigiliam B. Joannis Baptistæ, ex improviso ceciderunt manicæ de manibus Iterii viri supradicti, sed de alterius manibus minime ceciderunt, usquedum, Deo ducente, venerunt ad domum nostram de Castaneariis, ubi a fratribus cum gaudio et alacritate pro honore et reverentia tanti miraculi suscepti, per tres dies quieverunt. Fratres autem loci illius nuntium nobis generale capitulum celebrantibus in Grandimonte hac de causa festinanter destinaverunt. Quo audito, ultra modum gavisi sumus, et ad nos ut venirent fratres obviam illis transmittere curavimus. Venientes vero viri illi cum fratribus, a nobis et ab omni conventu honorifice suscepti sunt in Grandimonte. Manicas siquidem ferreas, quibus graviter astricti fuerant, accipientes de manibus eorum, cum hymnis et laudibus, et eosdem pariter ad sepulcrum B. Stephani confessoris gaudentes obtulimus, ubi qui adveniunt in testimonium tam præclari miraculi, pendentes illas manicas assidue cernere possunt. Hæc autem omnia peracta sunt anno quinto revelationis ejusdem B. Stephani confessoris.

XXXI. *Item aliud miraculum.*

Eadem autem tempestate accidit et aliud miraculum non minus mirandum ac celebrandum. Gens enim pestifera atque crudelissima, quæ cum magistro suo, Mercatore nomine, rapinæ ac malitiæ deservire consueverat, ingressa est causa rapiendi territorium Lemovicensis episcopatus. Factum est autem, cum devastarent fere universæ terræ illius quæ sita est juxta Grandimontem, et circumquaque diffusi per terram illam, quidam illorum venerunt ad quemdam vicum S. Salvatoris, ubi capientes in proditione quemdam clericum, nomine Gerardum, duxerunt captivum apud Ambasiacum vicum, quem nimiis cruciatibus affligentes, verbisque durissimis et increpationibus pariter comminantes, ac manicas ferreas ejus manibus applicantes, districte ligaverunt ad stipitem, præstolantes, ut mane facto cum diversis cruciatibus interimerent, eo quod unum de consortio suo apud vicum supradictum morte crudelissima perdidissent. Clericus etenim ille vir bonus erat atque suavis, et magnam fiduciam habebat in Domino, ut qui tali ac tanta proditione ab ipsis maleficis captus fuerat, nullo modo credere poterat, quod Deus eum ab ipsis diutius torqueri vel teneri permitteret: unde semetipsum orationibus atque vigiliis per totam noctem illam alacriter offerens, toto corde cœpit invocare nomen Domini et auxilium B. Mariæ virginis. Deinde diversis exhortationibus atque deprecationibus cœpit invocare B. Stephanum confessorem sanctissimum, atque talibus verbis eum obnixe efflagitare: « O beate Stephane! o confessor sanctissime! o Pater amantissime! mihi indigno, mihique misero servulo tuo celeriter succurre modo; succurre, inquam, nam, ut cernis, captus sum juxta sepulcrum tuum, ubi multa miracula, ego indignus, oculis meis perspexi, quæ divina largitate ac bonitate sæpissime sunt perpetrata. Eia nunc, domine, fac cum servo tuo misericordiam, et libera me ab horum maleficorum crudelitate, ne gaudeant super me omnes qui affligunt me! Surge in adjutorium meum, et ostende potentiam quam te veraciter credo obtinere apud Dei benevolentiam. Si enim me liberare decreveris, et ad sepulcrum tuum me salvum deduxeris, invocabo nomen tuum assidue, et tua magnalia non cessabo manifestare. » Cumque hæc, et horum similia per totam noctem illam anxius diceret, appropinquante jam diluculo, ecce subito obdormiunt qui erant in habitaculo illo. Dum autem jacerent quasi mortui, ex improviso adfuit gratia Dei et auxilium B. Stephani. Liberatur etenim clericus, cui auxilium contulit Dominus, pro quo, ut credimus, rogaverat B. Stephanus, ut liberaretur a nexibus. Liberatur siquidem a stipite, nullo obstante ligamine. Sed adhuc dependent in manibus ejus manicæ ferreæ. Videns vero se liberum, Dei quærit auxilium, ut per B. Stephanum suum ductorem prævium reducatur ad hospitium. Egreditur de domo cum fiducia, aperta reperit ostia, quem divina clementia ad nostra duxit limina. Laudes canuntur Domino, quas nostra psallit concio, pro liberato misero a pravorum ergastulo. Duræ franguntur manicæ, quas transtulit de carcere; suspenduntur

ad tumulum, propter tantum miraculum. Laudatur A inde Dominus, et bonus pastor Stephanus, per quem divina gratia fecit tanta prodigia.

XXXII. *Item miraculum aliud.*

Quinto anno revelationis beati Stephani confessoris accidit quoddam miraculum apud Anginiacum vicum in territorio Lemovicensi, tali modo. Erat ibi presbyter quidam nomine Geraldus, genere et dignitate perspicuus, capellanus ecclesiæ S. Martialis apostoli quæ sita est in loco illo. Cui ex improviso, nescio quo casu, talis surditas accidit, quod si omnia cymbala pulsarentur vel tympana ad aures ejus moverentur, nihil penitus audire posset, ut isdem presbyter postmodum in Grandimonte coram nobis pluribus retulit. Qui cum cerneret se B auditum omnino amisisse, perrexit in ecclesiam Sancti Martialis, ubi est memoria beati Stephani confessoris, ad altare B. Mariæ semper virginis, et ejusdem B. Stephani confessoris, cujus dentem, quem eidem presbytero dedimus, pro reliquiis accepit, indutus lineis, et, manibus ablutis, consignavit, et tetigit undique aures suas, habens fiduciam magnam in Domino et beato viro Stephano. Qui nocte subsequente, et Deo miserante, sanctoque Stephano, ut credimus, succurrente ac pro ipso orante, meruit recuperare auditum, ita siquidem, ut ipse postea nobis firmiter retulit, dupliciter quam prius audisset.

XXXIII. *Item aliud miraculum.*

Per idem tempus accidit aliud miraculum in Ca- C durcensi territorio apud Saliniacum vicum. Erat ibi quidam familiaris fratrum de Lassiaisseras et de Podio Girberti, nomine Arnaldus, cujus filius, Bernardus nomine, gravi corripitur febre in Augusti mense. Videns vero pater adolescentis filium suum quem valde diligebat, nimio dolore perturbari, cœpit anxius esse, et quid ageret ignorabat. Attamen misit ad quemdam amicum suum, Bernardum Constantini nomine, qui apud Sarlatensem vicum tunc temporis morabatur, indicans ei infirmitatem filii sui. Nam isdem Bernardus suum nomen puero imposuerat, cum de sacro fonte baptismatis ipsum infantem elevasset. Unde anxius efficitur, et usque ad stratum pueri febricitantis concitus acceleravit; D cumque venisset, invenit adolescentem jam penitus destitutum, nec videntem, nec audientem, sed quasi mortuum, in cilicio et cinere, ut moris est Christianis vitam finire, projectum. Pater vero adolescentis, et qui cum eo erant, flebant et lamentabantur super destitutione juvenis. Bernardus autem Constantini cœpit consolari patrem pueri et cæteros qui in illa domo erant, talibus verbis: « Fratres dilectissimi, videte ne fleveritis, neque dolore aliquo perturbemini, sed omnes invicem deprecemur Deum omnipotentem, quatenus pro amore beati Stephani confessoris Grandimontis, puerum istum pristinæ restituat sanitati. » Et placuit omnibus sermo iste, et voverunt eum omnes S. Stephano confessori sanctissimo, candelam facientes, ac super eum ponentes, atque dicentes. « Sancte Stephane, confessor Dei egregie, succurre nobis hodie, ut reviviscat puer iste: nam si eum per te recuperabimus, ipsum cum candela hac ad tumulum tuum in Grandimonte alacres perducemus. » Interim dum hæc agerentur, videbat visionem quamdam adolescens in hunc modum: apparebat siquidem ei quidam senex capite candido, ac barba prolixa, indutus nostro habitu, et dicebat ei: « Veni mecum in Grandimonte, ibique sanaberis ad tumulum B. Stephani confessoris, Domino propitiante. » Sequebatur eum adolescens, ut sibi videbatur, viam carpens, sed vir ille discedebat ab eo in itinere: unde puer qui quasi mortuus jacebat, magna voce cunctis qui aderant audientibus et mirantibus clamabat: « Heu! heu! ubi est vir ille qui me ducebat? Nescio quo ivit. » Et sic videntibus et gaudentibus cunctis qui aderant, Deo miserante, et beato Stephano pro ipso orante, redditur vitæ. Igitur qui adstabant interrogare eum cœperunt, qua causa sic clamaverit. Quibus ipse ait: « Ignoro utrum clamaverim, an non: sed mihi videbatur ut a quodam sanctissimo homine ducerer in Grandimonte, qui aliquando recedebat a me, cum essemus in itinere. Et hac de causa forte requirebam ubi pergeret ille. » Audientes siquidem hæc omnes qui ad exsequias defunctionis ejus confluxerant, admiratione multimoda stupefacti laudare cœperunt nomen Domini, et beatum Stephanum magnis vocibus et laudibus extollere. Deinde præfatus Bernardus Constantini, patrinus ipsius pueri, duxit eum secum in Grandimonte, ut voverat, ad sepulcrum beati Stephani, quorum fideli narratione, audientibus quamplurimis, divina gratia largiente, hæc omnia didicimus.

XXXIV. *Aliud miraculum.*

Eodem autem anno quo hæc facta sunt, id est circa festivitatem S. Lucæ evangelistæ, accidit quoddam miraculum atque stupendum apud castellum quod dicitur Mons-Mauriliensis. Ignis ingens atque copiosus ex improviso cœpit vastare domos supradicti castelli, in quo permanebat homo quidam, nomine Petrus Soutarius, familiaris cujusdam domus nostræ religionis, quæ Entrefis dicitur. Habebat siquidem homo iste domum magnam inter cæteras quæ ab igne comburebantur, plenam utensilibus et bonis quamplurimis adornatam atque onustam, contra quam ignis vehemens quasi minando ut eam omnino incenderet atque popularet, veniebat. Videns vero familiaris supradictus ignem vehementem, cum summa festinatione de domo egreditur intrepidus, nihil secum de bonis omnibus educens vel rapiens, cœpit clamare magnis vocibus et dicere: « Sancte Stephane, confessor egregie, atque institutor ordinis Grandimontensis veneranide, tu scis quia toto tempore vitæ meæ, in quantum valui, Deo inspirante, dilexi te, et filiis atque discipulis diu est quod fideliter deservivi. » Tunc qui adstabant omnes amici ejus, et qui venerant ut

eum adjuvarent, cœperunt eum vehementer increpare atque redarguere, et ei cum magna indignatione dicere : « Quid agis, miser homo ac miserabilis? Nonne comburentem atque devastantem omnia ignem copiosum ad tui perniciem venire cernis? Permitte, obsecramus, ut alii ad exspoliandam domum ingrediamur, alii super tectum ascendamus, ut vel sic domum tuam et omnia bona tua ab igne, Deo volente, eripiamus. » Quibus ille ait, ut erat magnæ fidei et probitatis vir, quasi subsannando et increpando respondit : « Videte, charissimi, videte ne feceritis, confido in Deo, quia domus mea, Deo auxiliante, et beato Stephano succurrente, nequaquam ab isto incendio modo comburi vel devastari poterit. Recedite, recedite, aliis succurrite, mihi vero minime. Est alius quem vos nescitis vel videre potestis, qui me juvabit et domum meam ab isto incendio liberabit. » Et iterum atque iterum clamabat cum magna voce : « Sancte Dei Stephane, mihi indigno famulo tuo auxiliare, et domum meam quæ tua est ab isto igne defende. » Ad hanc vocem subito ignis ille dissolvitur, fugit, et concutitur, domus illæsa ab ipso relinquitur; Deus vero benedicitur, et sanctus Dei Stephanus magnis laudibus extollitur. Nec mirum, quia ignis ille omnes domos devastaverat circumquaque, nec domum illam unquam tangere potuerat, quia virtus divina illam per beatum Stephanum observaverat. Postea vero vir ille cum filio suo in Grandimonte venit, et Deo ac beato Stephano pro beneficio hujus miraculi laudes et gratias retulit, et nobis veraciter ac fideliter hæc omnia reseravit.

XXXV. *Item aliud miraculum.*

Accidit eodem tempore, circa festivitatem B. Lucæ evangelistæ, apud vicum S. Juniani in territorio Lemovicensi, miraculum gloriosum tali modo : Iterius de Monte-Valerii, de quo mentionem superius fecimus, quem Dominus Deus omnipotens ipso anno, per virtutem vivificæ crucis et ob amorem beati Stephani confessoris, de ergastulo carceris liberaverat, ex improviso lethargico morbo invaditur, et fere usque ad mortem deducitur. Flebant igitur sui, et omnes nati ejus, eo quod viderent omnes tali ac tanta eum invaletudine laborare. Jam enim desperabant de vita ipsius et incolumitate sui corporis. Et quid plura? dirigunt ad

A nos nuntios, quatenus orationibus nostris apud Deum et B. Stephanum ei auxilium conferremus. Audientes siquidem invaletudinem sui corporis, graviter affligimur. Erat enim amicus noster atque consanguineus, genere quoque atque nobilitate perspicuus. Unde fratres in unum convocantes, et rem ipsam eisdem significantes, injunximus ut pro eo orarent, et auxilium a Domino postularent, quatenus, intercedente beato Stephano confessore sanctissimo, Deus et Dominus noster ei auxilium de supernis conferre dignaretur. Postmodum vero veloci cursu nuntium nostrum cum ferculis ægrotanti necessariis mittere curavimus. Cumque domum ægroti festinus intraret, invenit eum jam positum in cinere et cilicio, ut moris est Christia-
B nis mori, amicos ejus ejulantes ac flentes, et exsequias præparantes, clericosque psalmos psallentes et canentes. Jacebat siquidem quasi mortuus, nihil penitus videns, neque audiens. Erat enim vigilia Omnium Sanctorum. Convocans eum cum magno clamore nuntius prædictus, et cum magno ejulatu, cœpit ei dicere : « Domine Iteri, ecce adsum nuntius domini prioris Grandimontis, obsecro vos pro amore ipsius, et pro dilectione quam erga eum habetis, quatenus in corde vestro, si tamen ore non potestis, orationem fundatis ad Dominum, quatenus pro amore et honore beati Stephani confessoris vos ex hac invaletudine relaxare dignetur. » Et quid dicam? ad vocem et admonitionem hujus nuntii infirmus ille cœpit eum in corde in-
C vocare, et, prout poterat, beato Stephano supplicabat. Tunc omnes qui astabant similiter pro eodem orationem ad Dominum fundere non cessabant, et B. Stephanum oratione assidua deprecabantur, ut pro ipso festinanter oraret. Facta autem oratione diutius ab omnibus, infirmus repente sanatur, vultus ejus in melius commutatur, lætus efficitur. Ita siquidem ut vestigium invaletudinis in ipsius corpore penitus non remaneret. Et qui prius flebant amici ejus, modo lætantur, eique congratulantur, et facta est lætitia magna et exsultatio in illa domo die illo et deinceps. Postea vero venit sanus effectus et alacer in Grandimonte tumulum beati Stephani visitare, et ei
D gratias referre pro duplicato beneficio sanitatis, et liberatione carceris facta in spatio parvi temporis.

S. STEPHANI DICTA ET FACTA,

Stephani de Liciaco, uti conjicimus, jussu conscripta, et a Gerardo Iterii in Vita ejusdem a se composita inserta.

I. ***Hic breviter comprehenduntur atque concluduntur virtutes conversationis atque sanctitatis beati Stephani confessoris.***

Sanctus igitur Stephanus, venerandi ordinis Grandimontensis institutor primus, dilectus Deo et hominibus, atque eremita perspicuus, humilitatis, virginitatis, veritatis, obedientiæ, abstinentiæ, patientiæ, fidei, spei, charitatis, prudentiæ,

justitiæ, fortitudinis, temperantiæ, cæterarumque virtutum, ut superius prædiximus, ornatu decoratus exstitit. Parvus fuit, ut ita dicam, et magnus; humilis et altus, pauper et dives, spiritualia carnalibus, æterna temporalibus præposuit, et seipsum integre Deo sacrificavit, et propter illum solum omnia reliquit. Speciosus corpore, sed speciosior corde; gratiosus sermone, sed gratior opere; nobilis genere, sed nobilior sanctitate, forma religionis, norma perfectionis et via fuit salutis. Vigiliis, orationibus, suspiriis, gemitibus, lacrymis, genuflexionibus, jejuniis, eleemosynis vacans studiose, vita spiritali et doctrina salubri florebat et redolebat. Pennis sanctæ contemplationis frequenter sursum volabat, ardenti desiderio in cœlis habitabat, totum cor in Domino figere satagebat. Divinitus illuminatus alios illuminabat, cœlitus inflammatus alios inflammabat, medullitus impinguatus alios impinguabat, funditus inebriatus alios inebriabat. Lorica ferrea die ac nocte indutus, armisque divinis undique munitus regnum perenne tam sibi quam pluribus aliis viriliter acquisivit, et annis fere quinquaginta in proposito sanctitatis sanctissime perseverans, miles gloriosus ad regem gloriosum fine glorioso VI Idus Februarii migravit, Stephanusque merito vocatus, quanta sit gloria et honore coronatus, non solum propriæ personæ miranda perfectio, verum etiam multiplex argumentum filiæ suæ, Grandimontensis videlicet religionis, testatur et declarat.

II. *De charitate ejusdem, mansuetudine, longanimitate, cæterisque virtutibus.*

Sectabatur itaque vir iste sanctus, omni bonitate plenus, jugiter charitatem, mansuetudinem et longanimitatem. Diligebat Deum ex toto corde, et ex tota anima, atque ex tota virtute. Erat quoque tranquillus moribus, et serenus aspectu. Gerebat vultum placidum, moderatam speciem, ornatum aspectum, quietum sensum, animum lætum, humilem sapientiam. Semper opera bona factis amplius quam verbis ostendebat; corpus fame castigans, jejunium potius quam epulas amans, dolentem consolans, spem suam Deo committens, orationi frequenter incumbens, nihilque amori Dei præponens, quod credebat decebat, quod docebat imitabatur. Semper enim ante oculos ejus dies ultimus versabatur, semperque mens ejus præcepta cœlestia meditabatur. Orabat autem frequenter, quia didicerat quod oportet sine cessatione Dominum rogare. Satagebat magnopere ne secundus cuiquam in operibus bonis inveniretur. Erat etiam erga Dei famulos valde humanus atque benignus. Charitatem vero super omnia et ipse diligebat, et omnibus servare mandabat. Existebat utique in cunctis casibus firmus, omniaque adversa patienter ferebat. Pericula aliena in se pertimescebat, aliorumque casus suos esse judicabat. Finem quoque vitæ suæ semper considerabat, metuens ne se tanquam fur hora illa inermem comprehenderet. Cum opere etiam lectioni vacabat, sciens quod lectione sensus augetur et intellectus tribuitur, et quod lectio docet quid caveatur. Erat vero erga omnes humilis, nimiumque in humilitate fundatus, nulli se præponens, nullo se superiorem deputans, sciens et illud, quia si quis perfecta contentus erit humilitate, habebit ex illa gloriam; et quanto quis humilior fuerit, tanto eum altitudo gloriæ sequetur. Habebat enim temperamentum in prosperis, patientiam in adversis, mentemque nec gaudio nec mœrore a Christi unquam amore revocabat. Irascentem quoque patientiam deliniebat, et blandimento iracundiam furentis temperabat, ac sic alienam miseriam tanquam suam lugebat. Eratque ei in gressu simplicitas, in motu puritas, in gestu gravitas, in incessu honestas, in jejunio hilaritas. Animus enim ejus in modestissimo corporis habitu apparebat. Erat etiam parcus in sermone, blandus in eloquio, tristem, imoque dolentem dulci consolabatur affatu. Hoc proferebat ex labiis quod mentem ædificaret audientis, fiebatque ejus sermo auditioni populi utilis. Nihil enim ex omnibus quæ egisset bonis, meritis suis tribuebat, nihilque in viribus suis unquam præsumebat, sed omne opus suum ad Deum semper conferens, in cunctis actibus ejus auxilium implorabat. Bonum quod didicerat docebat, verba tamen operibus præcedebat, sciens quoniam non est laude dignum quod docet quis, nisi dictis facta conjunxerit, sed potius si quod docet et facit, tunc gloriosus habebitur. Unde et Apostolus dicit: *Ne cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar* (*I Cor.* IX). Hostem præterea invisibilem orationibus et precibus repellere jugiter contendebat, pugnans ore, non gladio; orationibus, non telo, precibus, non ferro. Cunctis autem diebus, cunctis horis Dei flagitabat præsidium, ut dignus post mundi lucem posset pervenire ad bravium. Res temporales tribuebat egenis, ut per easdem mercaretur paradisi delicias. Devitabat quidem superbiam, amplectebatur humilitatem, Dei semper auxilium rogans, finem jugiter felicem postulans. Quis enim illo tempore humilitatem ejus cernens, non protinus compungeretur? aut quis amator pecuniæ ejus humanitatem ac parcimoniam, devotionem quoque et studium aspiciens, non confestim admirando obstupesceret? Nam quidquid bonorum in principio arripuit, usque ad finem vitæ nullis negotiis passus est implicari; sed integrum et sanctum propositum servans, in nullo cœptam regulam commutavit. Sub habitu enim alterius semper alteri militavit, et quidquid habere potuit in mundo, Christo tradidit ex toto. Pollebat magis ac magis in vigiliis, in jejuniis atque in charitate. Erat enim in eleemosynis largus, in vigiliis sedulus, in oratione devotus, in charitate perfectus, in humilitate profusus, in doctrina præcipuus, in sermone paratus, in locu-

tione cautus, in conversatione sanctissimus, in nulla mundi compede catenatus, in obsequiis servorum Dei succinctus, in redemptione captivorum sollicitus, in egenorum largitione diffusus, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione fortissimus, in hospitalitate latissimus. Inter opprobria securus, inter odia beneficus, in prosperis etiam et in adversis cœlo semper intentus. Non enim poterat in eo invenire humani generis inimicus nec quod fraude deciperet, nec quod simulatione fuscaret. Sinceritatem quidem mentis vultus serenitate monstrabat, et pietatem clementissimi cordis ostendebat in lenitate sermonis. Nihil quippe ejus animo clementius, nihil illius severitate jucundius, jucunditate nihil severius, nihil risu gravius, nihil prorsus tristitia suavius. Si pauperem vidisset, sustentabat; si divitem, ad benefaciendum cohortabatur, Deum testem invocans pro ejus nomine cuncta hæc se facere. Totus etenim visceribus charitatis affluebat vir iste sanctissimus; crucem Dominicam mente et corpore bajulans, unum sollicitus erat omnino, peccatores ad viam veritatis reducere. Quoties enim aliquem inveniret verbum Dei audire volentem, non causa cibi, vel causa somni, non frigus aut æstus retardabat ab hoc opere Christi. Diversis itaque diversa monita salutis dare providebat, verbis suis, ut attentius audirentur, convenientia inducens ænigmata, quasi mel in cera reclusum prætendens, ita dicendo quibusdam :

III. *De consiliis quibusdam datis* (23).

« Plures sunt quibus hoc convenit, ut bona quæ faciunt operentur, præcipue cum perditionis credulitate. Quisquis enim detinetur in aliquo crimine, tamen idcirco cessare non debet a bonis operibus, imo festinantius studeat bona peragere quantumcunque poterit. Hoc autem credat sine dubio, et cogitet incessanter in corde suo dicens : « Domine « Deus, hæc bona facio; sed tamen non dubito me « damnari sine fine, si moriar in crimine. Tali vero « intentione solummodo bonum istud operor, ut me« rear resurgere ab iniquitate mea. » Et hæc est, inquam, utilis credulitas perditionis. Nam si peccator assidue talia meditabitur, quantocius per hunc cogitatum a pravitate liberabitur, et bona quæ fecit dum in crimine permansit, reservata fideliter erunt sibi a Domino, quæ non habuisset, si tunc agere dimisisset. »

IV. *Quale consilium militibus ad rapinas currere volentibus dabat* (24).

Militibus quoque consilium super rapina petentibus ista dicebat : « Frater mi, si volueris, cum ad rapinam incedis, Christum potes lucrifacere. Sed hoc in primordio versetur in corde tuo, ut sic voveas Domino : Deus meus, vadam illuc, non ut alicui noceam, imo tuum militem solummodo in hac via me deputo, quærens salutem omnibus pri-

A vatis et extraneis. Interea cum domini tui terreni necessitate coactus tantum illuc ieris, curre prior quasi raptor, et quoscunque videris, fac ut ipsi fugiant; vel si capiendi sunt ab aliis, prius illos apprehende, ut postmodum liberos dimittere valeas. Et ecce Christi monachus sub clypeo es absconditus, dum observaveris istud. »

V. *Item ne aliquis de rapina eleemosynas faciat.*

« De rapina vero cave ne facias eleemosynas, quia majus est peccatum cum pauperibus offertur, nisi tantum conquerentibus, quam cum auferretur ipsis possidentibus. Credebas etenim veraciter te in rapiendo peccasse, sed de hoc quod obtulisti putas esse absolutus. Deus autem sic acceptat tale sacrificium, quemadmodum interfecto unico filio tuo
B acceptares sanguinem, si cum aureo scypho tibi propinaretur. »

VI. *Qualiter clericos et sapientes viros ut bene agerent instruebat.*

Præterea clericos et sapientes viros juxta scientiam illorum et conversationem aliter admonebat, non semetipsum per doctrinam exaltans, sed semper in humilitate deprimens. Unde cuidam sapienti, consilium sub tentatione petenti, tale fertur dedisse responsum : « Nunquid in corde tuo, domine mi, cogitasti quod rectum esse judicares, et, dum cogitas, placeret? — Utique, » respondit ille. « Rursus in animo tuo quidquam meditatus es quod injustum sine dubio tibi prorsus apparet? » Iterum ait : « Etiam. » Tandem inquit homo Dei : « Ha-
C bes igitur in te ipso quod quæris ab alio, ut compleas opere quod rectum mente discernis. » Tunc sapiens ille congruenter subdidit : « Nequaquam hic solus habitas, plures sunt socii tui, Dominus et angeli. »

VII. *Qualiter viros religiosos ad justitiam informabat.*

Religiosorum quoque mores ad justitiam informabat, dicens eis competenter : « Cavete, fratres, ne mundum ametis. Si sæculum sequamini, nequaquam assequemini. Si fugiatis ab eo, veniet post vos, compellente Deo. » Insuper dicebat discipulis suis : « Quamvis sufficienter religiosos viros procurare nequeamus, trahendi sunt tamen ad hospitium ; quoniam ipsa paupertas est utilis, et honesta sufficientia nostra. Alioquin si dirigimus eos alibi
D ad hospitium divitis, subvenientibus erit lucrum quod a nobis removimus. Ea vero nocte qua nobiscum conversantur, in laudem Dei a sæculo custodiuntur. »

VIII. *Qua ratione meretricibus et histrionibus bona temporalia largiebatur.*

Denique meretricibus atque histrionibus sua libenter etiam corporalia cum spiritualibus impendebat, dicens super hoc negotio : « Peccator veniens ad nos, si verba crudelitatis audierit, Deum crudelem existimans, iniquitati suæ gravius adhærebit. Facilius autem obediet annuntianti animæ suæ salutem, si prius accipiat corpori necessaria.

(23) Confer cap. 57 *Sententiarum*, infra.

(24) Confer cap. 63 *Sentent.*

Multi enim peccant ut inopiam suam expellant, quamvis pauperiores, non ditiores, per scelera fiant. Unde si spiritualia ministranda sunt illis, ut ab errore liberentur, multo magis temporalia danda sunt ipsis, ut Christo famulentur, qui misericorditer, non ignoranter, exspectat eos ut convertantur. » At per hoc factum sapientes agnoscere possunt quantum B. Stephanus Paulum secutus apostolum, supererogabat ad sananda vulnera illius qui inciderat in latrones (*Luc.* x), sed admirabili charitate peccatores retrahebat ab iniquitate, dicens eis benignissime, cum videret pœnitentes aliquantulum trepidantes : « Frater mi, ne terrearis, Deum vincere non potes, ut plus valeas peccare, quam ipse dimittere. Parva sunt peccata tua, cum convertaris ad Deum. Si meis adæquarentur, amplius aggravaretis. Certe Petrus apostolus nondum fraudes diabolicas perfecte cognoverat, cum Christum interrogaret, utrum fratri peccanti septies dimitteret : sed Jesus multiplicavit veniam, non attendens discipuli ignorantiam (*Matth.* xviii). » Talia pœnitentibus dicebat; obstinatis autem et defendentibus se rigidus erat, non discedens tamen a modestia.

IX. *Qua ratione confraternitates sæcularium hominum vitabat.*

Interea gratia familiaritatis rogabatur a quibusdam, ut pro redemptione animarum et utilitate pauperum permitteret ibi fieri conjunctionem hominum quæ vulgo solet appellari convivium fratrum : quod cum attentius investigaverat, tanquam ipse penitus ignoraret, solerter requirens quoties in anno, referentibus et quasi docentibus cavens a cupiditate, nolens perdere quietem viriliter respondebat : « Vos annuum consortium instituere monetis, nos autem continuum illud observare nitimur Quid enim aliud agimus quotidie nisi opera publica? Bona nostra, si qua sunt, communia sunt omnibus. Scitote quoniam fratrum orationibus alias prolixiores superaddere nequimus. Quid igitur amplius vobis promittamus, ut vestra magis accipiamus, quandoquidem alia non daremus? » Postmodum discipulis suis populi petitionem secreto declarabat dicens : « Sic et sic admonent nos, ignorantes equidem, sub specie bonitatis fieri Simoniacos; sed absit a nobis divinum vendere officium ! Opus est enim mercenarii tunc orare cum aliquid datur, et a precibus cessare cum nihil datur. »

X. *De distributione eleemosynarum.*

De pauperibus autem exterioribus quanta cura semper huic viro fuerit explicare non possumus. Destinaverat enim in corde suo jactans cogitatum suum in Domino, singulorum eleemosynas, prout ab aliis accipiebat, distinctis fideliter reponere loculis, dicens tribuentibus : « Ut quid nos, frater, oneras? » Deinceps a nobilibus clericis accepta munera pauperibus ejusdem ordinis reddere sollicitus erat, discrete sciens quid orphanis, aut viduis, aut aliis universis deberet tribuere, ne maledictus esset opera Dei faciendo negligenter.

XI. *De differentia eleemosynarum.*

Sed quæ de ipsa parochia suscipiebat, pauperibus ejusdem parochiæ ubi habitabat, non extraneis impendebat, hanc proponens rationem : « Nos in locum istorum pauperum venimus aliunde, eleemosynas debitas illis suscipientes, quas, si possumus, oportet eisdem reddere. »

XII. *Qualiter se habebat erga pauperes.*

Quandoque vero die advesperascente, cum multitudo nobilium virorum qui venerant eum audire discesserat, egenorum turba cum eo remanebat. Tunc piissime paralyticos tanquam fratres osculabatur, respondens discipulis suis admonentibus eum, ut ad ipsos fatigatus non ingrederetur : « Modo cum Christus advenit, me recedere dicitis, qui hodie moratus sum cum sæculi hujus potentibus. Absit hoc a me dedecus, ut Christo non accurram ! Veritas enim quæ fallere vel falli non potest, nunquam pauperes suos in vanum direxisset huc, nisi sciret aliquid apud nos esse quod eis conferri posset. Ubi vero tot nuntios inveniremus modo quos mitteremus ad ipsos, ut deberemus facere, nisi Christus adduxisset, qui solus eligere novit? » Nemo etenim ab eo pauperum vacuus reversus est aliquando, illud jugiter mente replicans, quod Dominus in Evangelio dicit : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* v) : necnon et illud : *Sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum* (*Eccli.* xxxiii). Et illud : *Verumtamen date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* xi). Nam sicut de beato Job dicitur, janua ejus omni venienti patebat; sic et ipse cum Job posset voce libera proclamare : *Ostium meum viatori patuit* (*Job* xxxi). Erat pes claudorum et oculus cæcorum, orphanorum pater, ac viduarum consolator, quique non carcere clausis, non ægritudine fatigatis, unquam suum, in quantum facultas suppeditavit, negavit auxilium; sed omnibus misericorditer consulens miseris præbuit adminiculum. Quem enim cæcum non suum vocavit hæredem? Aut quem debilem non sustentavit manus. Fores quippe ejus a miseris erant obsessæ, et in his Christum conspiciens, eos amplecti gestiebat, atque his indumenta tribuens, Christi sub inopis veste se tegere membra credebat. Hoc certe se reputabat perdere quidquid eleemosyna non assumeret. Id se tutissime congaudebat recondere, quod egentium sibimet dura necessitas auferret. Valde quippe devotus in eorum usibus substantiæ exaggerabat pondus, ut quo pauperior sæculo esset, locupletior Deo fieret. Considerabat quidem quia quotidie deesse non potest quod peccetur, ideo nec quotidianæ eleemosynæ deessent quibus piamina tergerentur. Et ob hoc cum Domino suo pecuniam dividens substantiam gaudebat sociare cum Christo, faciens eum sibi possessionum terrestrium participem, ut et Christus faceret illum sibi regnorum cœlestium cohæredem. Illi scilicet assignabat facultates, ut ipse esset custos perpetuus, sciens quod patrimo-

nium Deo creditum nec res publica eripit, nec fiscus invadit, nec calumnia aliqua forensis evertit. Sciens etiam scriptum esse quod ea bene hæreditas reconditur quæ Deo custode servatur. Hujus namque apud suos monita nihil fuerunt aliud quam magisteria divina, fundamenta scilicet corroborandæ fidei, nutrimenta fovendæ animæ, gubernacula dirigendi itineris, præsidia obtinendæ salutis. Dignum ergo est ut eum religiosi imitentur et diligant, plebs colat, noxii timeant, quem ita divina virtus illustravit, ut sub laicali etiam habitu habuerit a Deo collata dona doctrinamque mellifluam, et Spiritu sancto conditam, desiderio Christi salitam, de æterna beatitudine sollicitam. Quique sic religiosus exstitit ac timens Deum, ut sæculi oblitus dignitates, omne consortium cum egenis et religiosis haberet.

XIII. *Item de eodem.*

Sed inter cætera semper fœnerabat pauperibus pauper sine fœnore, et viduis ac pupillis consolator existebat, viduæ nimirum Sareptensis imitator (*III Reg.* XVII). Ipse plerumque esuriens sui juris substantiam Christi visceribus erogabat. Si infirmum vidisset, clementer consolabatur. Si in Dei quempiam amore ferventem, cohortabatur ad studium. Si quispiam ad eum æger devenisset, ita ejus fovebatur ministerio, ut nec delicias urbium, nec matris desideraret affectum. Tantum itaque ad obsequia debilium se ex devotione diffuderat, ut multi pauperum sani languentibus inviderent, atque ita ob Christi amorem eorum assidue curam gerebat, ut omnes pauperes eum quasi patrem se habere proprium lætarentur. Sciebat enim quod in Lazaro aliquando dives purpuratus non fecerit, qualique superba mens retributione damnata sit (*Luc.* XVI). Idcirco magis ac magis erga omnes se misericordem ostendens, clementer miseris jugiter succurrebat. Quo enim dolente non doluit, vel quo pereunte non gemuit? Quem nudum vel verecundum non ejus vestimenta texerunt? Vel quas pro spe æternitatis non pertulit angustias? Famem scilicet et sitim. In tali itaque proposito perseverans, præbuit se in futurum vas electionis et utile Deo ad omne opus bonum paratum. Rutilabat quidem specie, robustus erat virtute. Sic se præbebat quasi quotidie moriturum, idcirco repugnantem carnem inedia subjugabat, et ultricis gehennæ sæva tormenta præveniens, ipse sibi persecutor existebat et tortor. Nam si contulisset sors temporis, cupiebat martyr fieri pro nomine Conditoris. Sed quanquam cum pugno persecutor eum non transfixerit, quotidianum sibi libens ipse martyrium indixit. Fuitque ei fames pro ungula, sitis pro flamma, mundi calamitas pro bestiis, abstinentia pro craticula; qui sub imagine martyrii veluti catena rigentis ferri, sic dura lege constrictus semetipsum sibi abnegavit, ut Christum sibi lucrifacere posset, illum desiderans, illum ingenti aviditate sitiens, qui pro amore hominis homo factus est, et ut nos ad cœlum tra-

A heret, de sinu Patris in terram descendit, eique omnem sui laborem, omnemque dilectionem infundens, bonam terram sui cordis jugi cultu indesinentibus exercitiis excolebat. Et veluti quis esuriens ac sitiens, sic ille aviditatem quamdam sustinens, illud crebrius Psalmistæ dictum voce flebili conquerebatur: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo et requiescam?* (*Psal.* LIV.) Et illud: *Quando veniam et apparebo ante faciem Dei?* (*Psal.* XLI.) Et illud Salomonis: *Post te in odorem unguentorum tuorum curremus* (*Cant.* I). Porro sectabatur in omnibus mansuetudinem et fidem, necnon et charitatem perfectam, quæ spiritualis ædificationis est vinculum. Studebat se vas sanctificatum exhibere, ut habitatorem Deum in mentis suæ hospitio B posset recipere. Salutaribus quoque actibus jugiter erat occupatus, ut quotiescunque tentator accederet, quoties hostis callidus aditum quæreret, clausum semper adversum se pectoris ostium inveniret. Orabat frequenter, secundum Apostolum, *pro omnibus hominibus, pro regibus, et his qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam* agerent *in omni pietate et charitate* (*I Tim.* II), sciens, secundum eumdem Apostolum, hoc bonum esse et acceptum esse *coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire* (*ibid.*).

XIV. *De extollentia viri justi.*

Quid plura loquendo immorer? In omni C conversatione sua quasi Lucifer inter astra refulgens, instar magnæ lampadis micabat. Semper enim perfectos æmulabatur ad bonum. Semperque aliorum virtutes sibi proponebat ad exemplum. *Tardus* erat *ad loquendum*, secundum apostolum, et *velox ad audiendum* (*Jac.* I), eratque sermone subtilis, humilitate sublimis, eleemosynis dives, charitate longanimis, vigil in jejunio, promptus eloquio, flagrans studio sanctarum Scripturarum, nempe ut utile vas in Christi domo. Ad miserorum eloquium non piger, ad orationem paratus, ad eleemosynam profusus, ad tribuendum largissimus, mansuetudinem colens, paupertate valde gaudens, bonitatem tenens, puritatem cordis semper amplectens, omnia omnibus prædicans, cui non fuit aliud vivere nisi D Christum cum dilectione timere, et cum timore diligere. O vere felicem sæculi inimicum, cui mundus tantopere fuit crucifixus et ipse mundo. Qui ita sapientia exstitit pervigil, lenitate placabilis, ut et serpentis astutiam cum discretione gereret, et columbæ simplicis animum non amitteret. Cujus quidem in mente virtutum omnium decorem collocavit valde sobrium sapientia domicilium, vere dignissimum in quo Dominus habitaret templum, jejuniis mundum, orationibus ornatum, puritate refertum, vigiliis exercitatum. Quis enim esset ita obstinatus qui ejus modestiam intuens, non confestim admirando obstupesceret? aut quis arrogans sobriam ejus vitam considerans, non illico ad æquitatem semetipsum converteret? Crescebat nimirum

in eo quotidie opinio famulatrix virtutum. Seminabat in plebem veritatis verba fructu fidei redundantia, sufficienti sale condita, et velut aromaticis unguentis infusa. Tanquam speculator etenim a Domino constitutus prædicabat verbum cum omni auctoritate. Instabat, secundum Apostolum, *opportune, importune* arguens, obsecrans, increpans *in omni patientia et doctrina* (*II Tim.* IV), suavem semper habens de his quæ Dei sunt vel allocutionem plebis, vel collationem fraternæ familiaritatis.

XV. *Item de eodem.*

Sane si quem vidisset peccatis noxiis vulneratum et sagittis diaboli confixum, mox adhibebat dignas curationes sermonum et verbi Dei salubre medicamentum, ostendens contra vulnera incentoris salubre malagma confessionis. Indisciplinationes quoque et transgressiones suorum a regula honesta et recta arguebat clementer, et tolerabat patienter. Eratque in eo mira in cunctis operibus discretio, et immutabilis erga omnes dilectio. Erat ergo Stephanus opere castus, fide Catholicus, charitate diffusus, interpretationibus cautus, in fide firmissimus, in operibus bonis promptus, in sermone verissimus, in judicio justus, in consilio providus, in bonitate conspicuus, in charitate præclarus, Deo sedule serviens, errantes corrigens, correctos fovens, obstinatos spernens, humiles semper diligens. Exuberabat quoque in eo constantia fidei, puritas dilectionis, sinceritas pacis, amor charitatis, atque ad æternam vitam doctrinæ suæ filios justi studio incitans, quos erudiebat hortatu, præveniebat exemplo, quæ docebat agens, et quæ agebat docens, nec aliud ore promens, aliud corde volvens; sed quod ore docebat, opere corroborabat, et quale habebat verbum, talem et vitam; qualem etiam vitam, tale quoque verbum. Summa quoque bonitate subditos regebat, summa severitate semetipsum domabat. Non satis erat terribilis in subjectis, nimium valde austerus in piaculis, in se servabat censuram, in alios præferebat justitiam. Rigore utebatur in discussione justitiæ, misericordia in definitione sententiæ. Districtionis vero censuram semper temperabat misericordia, sciens scriptum, quia in eo quod judicat quis judicandus est (*Matth.* VII); et quod *potentes potenter tormenta patientur* (*Sap.* VI), et quod *judicium erit durissimum his qui præsunt* (*ibid.*). Hæc ergo sedula mente pertractans in omni actione discretionem tenuit, nec in illo penitus intemperate se gessit, sed omnia diligenter distinguens, et in disciplina et in modestia modum semper ac temperamentum servavit, diligens in primis Dominum ex toto corde, ex tota anima, atque ex tota virtute; deinde proximum sicut seipsum (*Matth.* XXII). In lege Domini sine lassitudine persistens, mores bonos nulla noxia conversatione inquinabat, vitam temporalem pro exsilio ducens, vitam æternam omni concupiscentia spirituali desiderabat. Actus vitæ suæ omni hora custodiens, oculum mentis suæ ad Deum semper defixum habebat, ab omnibus quæ lex vetat solerti cura abstinens, a cogitatione quoque noxia animam revocabat, sciens hominem et de cogitationibus judicandum. Nihil præterea de se præsumens, bona a se facta divino muneri ascribebat, odientes etiam ad pacem invitans, discordes ad concordiam revocabat. Consilium et opus suum ad Deum semper convertens, in omni conatu suo Christi auxilium flagitabat. Pedes ejus semper directi ad evangelizandum pacem, ad evangelizandum bona, sub specie honesta animo benigno incedebat. Ac sicut fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore necessario, sic populum sibi commissum omnimodis festinabat spiritali reficere cibo, clementer docens, optime instruens, a consuetudine peccandi tota omnes virtute retrahere nitens. Erat præterea spiritu fervens, sollicitudine impiger, moribus clarus, operibus ornatus omnique suavitate conspicuus, in oratione assiduus, in jejuniis strenuus, in eleemosynis largus, atque ita inter divites et pauperes medius, ut pauperes eum quasi patrem, divites quasi superiorem sibi aspicerent. Ipse enim non ad personæ potentiam, sed potius ad morum elegantiam attendebat, et tanto unumquemque eminentius honorabat, quanto vivere sanctius didicerat. Erga egenos quoque et advenas ita se sollicitum exhibebat, ut vere Christum esse in ipsis fide integra crederet, et non tam illis quod conferebat, quam ipsi Christo se eadem conferre gauderet. Ipsis quidem ministrabat cibum, et oculis suspiciebat cœlum. Ipsis alimenta præbebat, et Christum cum fiducia invocabat. Ulnas tendebat in dando, mercedem procul dubio exspectans ex alto. Nam quantam molem substantiæ Stephanus disperserat amore Dei succensus, nostrum non est tantum referre. Quem enim pauperem non ejus penetravit eleemosyna? aut quis clericorum non ejus substantia refocillatus est? Quis peregrinus non ejus est receptus hospitio? aut quibus advenis non suum impendit obsequium? quos curiosissime omnibus locis perquirens, damnum suum putabat si quisquam debilis aut esuriens beneficio sustentaretur alterius. Ardentissima quippe fide toto Salvatori animo conjunctus, reddebat ei quod ab ipso acceperat, ac per singulos ejus famulos Christum se videre credens, quidquid in illis conferret, contulisse se in Deum lætabatur, illud semper revolvens quod Dominus in Evangelio dicit: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* V). Et illud : *Sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum* (*Eccli.* III). Et illud : *Facite vobis amicos de iniquo mammona, qui vos recipiant in æterna tabernacula* (*Luc.* XVI). Et : *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI). Hujusmodi sanctus Stephanus studiis exercitatus divina gratia comitabatur uberius.

XVI. *De extollentia sermonum illius atque scientiæ.*

Et inter cætera bona sermo quoque ejus sapientiæ atque scientiæ et consolationis sale affluenter conditus erat. Humilitatem autem Christi supra modum et charitatem æqualiter possidebat. Non præponebat in honore locupletem pauperi, nec principem vel nobilem subjecto vili præferebat; sed his se austeriorem exhibens, illis modestiorem præstabat. Discipulos quoque suos non affligebat magistrorum more; sed benigne ac modeste fraterna charitate diligebat. Jam vero in perversis tolerandis æquanimitas qualis et quanta patientia erat? Instabat nimirum incredulos ad fidem suadendo flectere, obsequio ingratos lenire, contradicentibus leniter respondere, superbos humiliter supportare, existebatque ad omnem tolerantiam fortis, ad sustinendam injuriam mitis, ad faciendam misericordiam facilis. Tribuebat egenis substantiam, committens Christo pecuniam, ut ab ipso æterna perciperet præmia, dicebatque res suas non esse suas, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo agere videbatur. Denique omnes opes in thesauris cœlestibus largiendo egenis condens, cunctam supellectilem justa operatione ad paradisum removebat, illic videlicet transferens, ubi fructus caperet possessionis æternæ, illic thesauros abscondens, ubi feliciter glorioseque viveret sine fine. Erat præterea hic idem vir beatus in fide Christi firmus, in opere justus, in judicio providus, in humilitate perfectus, in devotione præcinctus, moribus suavissimus, sensu doctissimus, animo pacificus, corde piissimus. Tenebat jugiter in actibus sinceritatem, in corde puritatem, in opere virtutem, in moribus disciplinam. Gerebat in simplicitate innocentiam, in charitate concordiam, in humilitate modestiam, in administratione diligentiam, in adjuvandis laborantibus vigilantiam, in fovendis pauperibus misericordiam, in defendendis dogmatibus constantiam. Eratque semper sermo ejus charitate et lenitate conditus, quo mentes audientium tanquam luminare lucidissimum irradiabat. O vere imitabilem virum! O semen Abrahæ benedictum! O præferendum omnibus Stephani exemplum! Jure itaque Abrahæ filius nuncupatur, dum ordinem gloriæ paternæ dignitatis exsequitur. Merito, inquam, Abrahæ soboles ascribitur, fide scilicet, non genere; imitatione, non progenie; devotione, non stirpe. Nempe Abrahæ benedictio meruit filium. Stephanus vero benedictus transfertur in numero filiorum. Ille Domino obtulit filium, iste potiora donis omnibus obtulit semetipsum. Et Abraham quidem tradidit hæredem, hic nihilominus hæreditatem. Ille sobolis innocentiam, hic omnem substantiam. Necesse ergo est ut similitudo officiorum similitudinem conferat meritorum. Postremo Abraham quod habuit pignus exhibuit; Stephanus vero totum quod habere in mundo potuit, Domini juri arbitrioque commisit.

A Sed longum nunc est per singula virtutum ejus insignia verbis ire; præsertim cum liber jam supra modum refertus finem postulans sermonem rejiciat, et ariditas nostri sermonis attenuata, velutique longo tramite pene defessa, succumbat: non quod omnia quæ de B. Stephano narranda erant expleverit, quippe qui nec ad centesimum ejus, ut ita dixerim, attingere potuit, quanta in eo bonorum omnium ornamenta quæ sunt vel pretiosa vel maxima, quæ supernæ remunerationis contulerit prærogativa; sed quod velut quidam eminens in sublimi scopulus magna jam ex parte adultus, ipsa sui prolixitate fronti se enarrantis opponat. Confidimus enim non nostris, sed ipsius meritis opus cœptum fideliter atque feliciter ad finem usque per-
B ducere, si ipse dignetur pro nobis Christum Dominum interpellare in cœlis, qui ejus munere meruit tanta mirabilia operari in terris per eumdem Dominum nostrum, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Incipiunt versus de virtutibus ejusdem.

Grandimontensis fundator relligionis
Post Christum Stephanus trivit caput ambitionis.
Hic fuit Arvernus, natalis gloria gentis,
Rex erat æternus tutela viri sapientis.
Christi discipulus fuit in Christo studiosus,
Excelsi famulus fuit excelso pretiosus.
Se Domino junxit, Deus hunc intrinsecus unxit.
C Ipse Dei cultor, rigidusque sui fuit ultor.
Regi sidereo servire fruique trophæo
Vir contendebat, carnemque domare studebat,
Miles regalis mundi scelus exitialis
Vincere sudabat, sursumque volare parabat.
Nigris præclarus fuit hostibus hostis amarus,
Actibus et dictis erat oppositus maledictis.
Hic animam fovit, cui carnem subdere novit.
Se Domino vovit, quæ sunt removenda removit.
Urbis opes sprevit, meritorum culmine crevit.
Justitia plenus, dives fuit hic et egenus;
Maximus et minimus fuit, et sublimis et imus,
Hinc divina virum fecit clementia mirum.
Felici vita felix erat hic eremita,
Vir fuit angelicus, divinæ legis amicus.
D Provida simplicitas in Patre sacro renitebat;
Florida virginitas in Patre pio redolebat;
Intima nobilitas hunc maturum faciebat.
Cum decus esset ei sublimis progeniei,
Nobilitas morum magis hunc reddebat honorum.
Virgo columbinus fuit a colubro peregrinus;
Vir Domino plenus fuit, a lubricis alienus;
Vir Domino gratus meritis erat irradiatus.
Diutius lotum cor fixit in æthere totum.
In Stephano nituit lumen vivæ rationis;
In Stephano viguit robusti sudor agonis.
Agnus eum docuit fraudem vitare draconis;
Agnus ei tribuit robur cassare leonis.
Summopere studuit placare caput bonitatis,
Et, quantum valuit, caput obruit impietatis.

Junctus amore polo gaudebat principe solo.
Princeps præclarus, famulo super omnia charus,
Illi solamen felix erat atque juvamen,
Et dilectoris custos erat omnibus horis;
Vir mentis mundæ gemitus promebat abunde,
Anxius et lætus fundebat flumina fletus,
Culpæ culpator, gregis exstitit ædificator.
Pacis plantator, litis fuit evacuator,
Juris servator, fraudis fuit annihilator.
Intus et exterius fieri cupiens homo divus.
Stantia quærebat, labentia despiciebat,
Christo vivebat, mundoque mori satagebat,
Regia captabat, se regi sacrificabat,
Lucida curabat, virtutum luce micabat.
Patris sedulitas erroris facta cavebat,
Hermicolæ bonitas pietatis gesta gerebat,
Belligeri probitas inimici tela ferebat,
Virginis integritas amplexum regis amabat.
Hic caruit vitio tenebrosæ duplicitatis,
Quod nituit radio reverendæ simplicitatis,
Credere consilio non cessavit deitatis,
Affectu nimio sociari glorificatis,
Gliscens corde suo coluit regem pietatis.
Ebrius ille fuit dulcedine spirituali,
Militiæ studuit fore consors imperiali.
Hic sibi displicuit luxus miseræ brevitatis,
Quod sibi rex tribuit vel perpetuæ novitatis.
Multimodæ viguit virtutis nobilitate,
A Inde frui meruit paradisi prosperitate.
Simplex et rectus cœlesti melle refectus,
Tam dape carnali quam cibo spirituali,
Multos pascebat, nudos vestire studebat,
Christo reddebat quod Christus ei tribuebat,
Pastor laudandus, mirabilis et venerandus,
Summi pastoris vigil inquisitor honoris.
Impia nolebat, divinum velle volebat.
Pectore prudenti plaudebat Cunctipotenti.
Regi glorifico psallebat corde pudico.
Patri mirando resonabat pectore blando.
Regi festivo jubilabat pectore vivo.
Laus Psalmatoris vox ejus cordis et oris,
Is respondebat menti Dominoque placebat.
Nectare divino perfusum pectus habebat,
B Aures divinas cordis clamore replebat,
Et precis ejus odor plus thure Deo redolebat.
Ad Domini nutum Domino parere statutum,
Dives ditavit, mirandus mirificavit,
Summus honoravit, sublimibus adnumeravit.
Flos eremitarum lucrum sitiens animarum,
Quod nocet horrebat, quod proficit esuriebat,
Noxia vellebat, semenque salubre serebat.
Sævos mulcebat, lascivos corripiebat,
Duros flectebat, depressis subveniebat;
Quod lupus urgebat ad ovile redire monebat,
Quod manet ardebat, quidquid fugit effugiebat.

LIBER SENTENTIARUM
SEU RATIONUM
SANCTI STEPHANI

Institutoris ordinis Grandimontensis, vulgo *Bonorum Hominum*.

(*Maximes de saint Etienne, instituteur de l'ordre de Grandmont, dit des Bons-hommes;* traduites des originaux du saint par Adrien BAILLET. *Paris*, 1707, in-12.)

—

PROLOGUS.

Multis modis domnus Stephanus discipulos suos edocebat qualiter se de vita sua inquirentibus responderent, hoc eis dicens: « Fratres, ne miremini si nonnulli a vita vestra, majoribusque dissentiunt, quandoquidem ab eo quod illi tenent dissidetis, et non vultis eos sequi in hoc quod faciunt. Quid igitur vos de illis admiremini? a cæteris vero religiosis minime requiritur quam Regulam teneant. Nam vestimentum indicat de quibusdam. Isti sunt in Regula sancti Augustini, et ab iis tenetur Ordo sancti Benedicti. Itaque, fratres, a multis vobis dicetur: Novitas est hoc quod a vobis tenetur; nec est ordo, nec regula doctorum sanctæ Ecclesiæ.
C Sed quamvis ille qui hoc vobis dixerit, habeat indumenta signumque religionis, dico vobis firmiter quod vitam suam abnegavit, ignorans quid sit ordo vel Regula. Cui vos hoc modo respondete:

RESPONSIO FRATRUM.

« Quandoquidem vitam nostram ac mores reprehenditis, ostendite nobis in quo: et libenter emendabimus, si auctoritate evangelica nobis hoc indicare potestis. Deinde, fratres, si confestim ille vobis non respondeat, incipite ei mentionem facere vestrarum institutionum hoc modo: Nunquid pastor noster propter hoc excedit ordinem, vel Regulam, quia permanendo in claustro suo curam gerit, cum adjutorio divinæ gratiæ, animarum discipulorum

suorum a Deo sibi commissarum? Ejicit nos ideo pastor noster ab ordine vel Regula, quia conservat inter nos communitatem omnium rerum, cum Dei adjutorio nulli permittens habere proprium, nisi tantum amandi ac cæteris serviendi? Intimate nobis, vos qui mores nostros reprehenditis, si pastor noster ab ordine vel Regula nos expellit, quoniam ad cognatorum nostrorum domos, quas reliquimus, nos minime redire permittit, nec vult ut eis ad nos venientibus paupertatem nostram indicemus? Excludit nos propterea pastor noster ab ordine vel Regula, quoniam in castella vel civitates nos intrare non patitur, nisi iter a nobis exigeret aliunde transire nequeuntibus? Iterum ejicit nos pastor noster ab ordine vel Regula, quoniam nundinas et fora nos adire non concedit, nolens nos esse negotiatores, neque mercatores? Nunquid pastor noster ab ordine vel Regula nos ejicit, quia decimas et reditus magnasque terrarum possessiones nobis habere non permittit, unde frequenter cum sæcularibus judicio contendere nobis contingeret? Item expellit nos pastor noster ab ordine vel Regula, quoniam ecclesias et res ad eas pertinentes nos accipere non permittit? Nunquid pastor noster ab ordine vel Regula nos excludit, quia sine cura bestiarum nobis vivere præcipit, ut eo liberius Deo servire valeamus? Rursus pastor noster ideo transgreditur ordinem vel Regulam, quia feminas in sua religione non recipit, nec eas vel in cellis jacere, nec cum fratribus permittit laborare? Nunquid pastor noster ab ordine vel Regula nos ejicit, quia vadimonia non accipit tam ipse quam discipuli ejus? Tandem expellit nos pastor noster ab ordine vel Regula, quia nullum sæculare negotium quod reliquimus nobis concedit recuperare, præcipiens nobis in eremo tanquam mortuos et abjectos a mundo permanere.

« Fratres, hujusmodi verba, vitam vestram reprehendentibus respondere potestis. Qui vero vobis ostenderet qualiter a negotio sæculari amplius elongaremini, de hoc ei libenter crederetis quicunque esset, sive deintus, sive deforis; sed de augmentatione mundana nulli unquam credatis, quocunque sensu polleat. Si enim Dei Filius in terram adveniens meliorem viam ad ascendendum in cœlum paupertate sciret, illam eligeret, ac per eam incederet. Paupertatem ergo diligite, quandoquidem eam Jesus Christus ut meliorem elegit; sed non intelligatis ut ego me vel vos commendem in hoc quod vobis locutus sum. Deus enim solummodo novit quales nos sumus. Hæc vero vita quin sancta sit nulla est ambiguitas. Si a quolibet vituperetur, a vobis exaltetur; si quis vos laudat, humiliate vos: sic enim sanctus Paulus apostolus faciebat. Sciatis autem firmiter aliam non esse regulam nisi divina præcepta: a quocunque teneantur, religiosus est; quisquis ab illis discedit, extra omnem ordinem, vel Regulam existit. Quidquid enim sine Deo fit, nihil est. »

A CAP. I. — *Quid dicatur et ostendatur Novitio religionem intranti.*

1. Sicut Jesus Christus ait in Evangelio: *Qui vult venire post me, tollat crucem suam et sequatur me* (*Luc.* IX): similiter pastor noster cis dicebat quos in disciplina sua recipiebat. Cum aliquis causa veniendi ad eum charitatem ab eo postularet, antequam ei tribueret, hoc modo respondebat: « Frater, quomodo poteris onus sustinere quod tibi vis imponere? Aspice crucem, multum est difficile ibi manere. Si huc adveneris, in ea configeris, et amittes dominationem quam habes in temetipso, in oculis, et in ore ac in cæteris membris. Manducandi, jejunandi, dormiendi ac vigilandi tuam relinques voluntatem, multarumque aliarum rerum; B et hoc quod in sæculo diligis continget tibi odio habere. Exinde non reverteris ad domum cognatorum tuorum, et si ipsi ad te venerint, nequaquam eis tuam paupertatem ostendes.

2. « Poterisne, frater, fossor esse, ligna et fimum portare, et cunctis fratribus servire? Hoc totum esset facile, sed captus tali carcere manebis, ubi non est foramen, per quod ad sæculum revertaris, nisi tu ipse feceris: et ego tui curam non agam, nec temetipsum agere sinam, a sæculo quippe meos abscidi pedes: et si propter me non redeo, propter te non redibo. Adhuc aliud superfuerit: forsitan mitterem te in aliquod nemorum, et annonam quam manibus cum ligneo ligone laborando acquisieris, C ego acciperem, et eis qui me hic custodiunt tribuerem.

3. « Aliud vero restat horribilius, centupliciter tibi melius est damnari in sæculo, quam hic: qui enim ab altiori cadit, amplius læditur; et si hinc in infernum caderes, omnibus aliis perditis inferior esses. Tu vero pergere potes ad quodlibet monasteriorum, ubi magna invenies ædificia, cibosque delicatos suis temporibus constitutos: Illic bestias reperies terrarumque latitudinem, hic tantum crucem et paupertatem. »

4. Talibus verbis vir bonus experiebatur si ille firmum relinquendi sæculum cor haberet. Simoniacum enim eum æstimaret, si cujuslibet terrenæ rei promissione in religionem veniret. Similiter D etiam, postquam advenerat, si quid ex consuetudine postularet, tandem eo respondente: « Propter hoc totum sustinendum huc venire desidero, nec crescendi causa, sed minuendi, » pastor eum inter alios fratres recipiebat, ipsumque cum eis communiter talibus verbis edocebat:

CAP. II. — *Sermo ad noviter conversos de gratia, justitia, atque custodia totius religionis.*

1. Religio est gratia, justitia atque custodia. Cumque Deus aliquem in eam adducit, ipsum in paradisum reducit. Sicut autem Dominus Adæ quod non erat ei necessarium prohibuit, cætera vero omnia eidem concessit, similiter facit illis qui in veritate consistere volunt. Dum contenti sunt iis quæ sibi sunt utilia, in requie permanent. Cum vero sese

extendunt ad cætera, quæ sibi non expediunt, in tribulationem et angustiam corruunt, sicut fecit Adam (*Gen.*. III). Qui enim in Deo delectatur, ubique paradisum invenit, et in cœlo conversatur : qui se ab illo separat, omnibus in locis infernum reperit. Ideoque vir religiosus in omni quod loquitur et operatur, deberet Dei meditari præsentiam qui semper eum intuetur, et angeli sui, diaboli etiam, qui vult eum extrahere a paradiso. Ille enim nunquam a bono discedit, in tantum vult illud dissipare, et tamen totus inde separatus est.

2. Et qui tantopere spectatur, valde ei necessarium est ut sit circumspectus atque sollicitus, debetque discere loqui, ambulare, sedere, aspicere, operari, Deumque deprecari, atque omnia alia aliter facere quam in sæculo faciebat. Loqui discat hoc modo, quatenus in sermone suo tale retentaculum faciat ut semper quod dixerit, verum esse possit : quodcunque enim verbum aut sententiam vir religiosus dicat, nisi sit fructus corporis vel animæ, sibi vel alteri, sæcularitas est. Ire debet honeste ac sine strepitu, sedere humiliter, atque collectus laborare sine murmure, ac moderate. Cum aliquid concupiscibile aspexerit, oculos in carcere teneat, ne eos ibi defigat, sed visum avertat. Quando Dominum rogabit, tumultum non faciat, Deus enim vocem cordis exaudit; qui vero sic orat ut aliis noceat, ab oratione charitatem excludit, quam ibi Deus amplius diligit.

3. In omnibus his atque in cæteris oportet ut fratribus, cum quibus est, caveat ne pravum exemplum ostendat, unde in ipsum scandalizentur. Quisquis autem non mutat corporis gestus, cum ad religionem advenerit, non est simile quod habitum immutet animæ, sed semper ejus animus sit in sæculi vanitate. Exterior enim compositio interiorem ostendit aliquando, et qui sæcularis est in dictis et actibus, quomodo religiosus erit in suis cogitationibus? Facilius enim valet aliquis ad libitum suum membra corporis retinere quam cogitationem.

CAP. III. — *De tentatione prima neophytorum.*

Primas mittit diabolus insidias homini ad conversionem venienti, quatenus ei bonum cum quo venit auferat, id est fidem, quam habebat in sæculo de bono quod erat in religione. Hanc ei primam vult auferre diabolus, quando videt fratres quod sibi necessarium est operantes. Homo namque novitius amplius tentatur de bonis quæ sibi non placent, quam de alia re : non est autem simile quod bellum superet, qui in primis actibus cadit, et arma sua amittit : et est multum debilis quem infirmus præcipitat, id est diabolus.

CAP. IV. — *De conflictu viri religiosi cum Zabulo.*

Hoc deberet meditari vir religiosus quod in montem altum ascendit, ubi Deus eum adduxit ad pugnandum cum diabolo, suumque jus defendendum, quemadmodum aliquis pugilem suum. Luctamen autem in summitate montis incipit, sed per collem fiunt conflictationes, et est unus superior, alter inferior vicissim, et quis devictus fuerit, ignoratur : verumtamen ad planum quandoque venient, et tunc apparebit cujus fuerit victoria. Mons est amor divinus quo sæculum contemnitur, in illo amore non eodem semper modo permanet aliquis, quoniam a diabolo semper infestatur. At saltem per clivum (quod est fides et bona opera) colluctando cum eo, jus Dominicum ab homine defendatur. Nec mirum, dum colluctationes fiunt, diabolum quandoque fore superiorem, hominemque valde tentatum. Dominus quippe postmodum illum sua gratia consolatur, tuncque superior consistit. Verumtamen in extremo luctaminis, id est in fine, tunc homo penitus pedem teneat super gulam ipsius.

CAP. V. — *De diversitate tentationum quas patitur noviter conversus.*

Dum mundus ab homine diligitur, inimicus eum post se trahit ad libitum suum. Cumque sæculum ab aliquo relinquitur, diabolus postpositus multis eum modis insequitur. Ipse enim mille-artifex nuncupatur, venitque cum diversis potionibus ut sciat quam ipse receperit, eamque, in qua plus eum delectari cognoscit, postmodum diu subtrahit, ut circa finem ipsum inde prosternat; ac majori proditione permittit hominem longo tempore quietum in bona vita manere. Major enim securitas est quando eum in primis durius impugnat.

CAP. VI. — *Qualiter evitentur a viro religioso Zabuli insidiæ.*

1. Propter hoc, ingens sensus necessarius est ad diabolicas devitandas insidias, quia semper juxta bonum est, nunquam cum bono : quemadmodum aliquis cuilibet interest consilio, nec tamen cum consilio, volens illud dissipare. Deus quoque ubique existens est in malo homine, nec tamen cum eo, quia minime concordat cum eo, quemadmodum dicit Evangelium, quia *lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt* (*Joan.* I). Imo augetur sua pœna pravo homini quia divinam respuit gratiam, nec videt in semetipso claritatem illius quæ fulget ubique eam intuentibus. Similiter bono homini sua corona accrescit, respuendo tenebras a diabolo sibi illatas.

2. Dulcius ingreditur diabolus aliquando in hominem quam si mel et favus ssit, vel alia dulcedo corporea. Si enim primum adveniens cum tali gladio percuteret, unde dolorem sentiret, homo fugeret; nec quod sibi admonet unquam perpetraret. Adhuc diabolus est in tantum callidus, quod nonnullos homines vult bona opera facere, ita tamen ut possit eos in uno crimine tenere, unde habeat eos in fine. Cumque ad suam redeunt conscientiam, dicit eis diabolus : Nunquam propter hoc damnaberis, quoniam hæc et hæc bona opera tu peragis. Postremo si quid in hoc dubitas, saltem in fine

confiteri poteris. Homini vero religioso minime vult dicere : « Istud crimen perfice, » quoniam agnosceretur.

3. Aliter autem incipit ei consulere : « Si modo illic esses, istud perageres, amplius vigilares, jejunares ac de Deo loquereris in illa religione, quam hic cum ista paupere gente, tota die in afflictione laborandi permanente (quemadmodum alii laboratores sæculares), et etiam in disciplina : vel si adhuc fores in sæculo, satis quandoque posses huc advenire. » Cum hujusmodi specie facit eum contemnere et odio habere bonum, ad quod venerat.

4. Multoties etiam invitat eum ad hoc, de quo certissime scit, quia nunquam ei credetur, propter hoc solummodo ut possit eum retardare uno momento ab amore divino. Cumque diabolus ita laboret ad hominem retardandum ne ascendat in cœlum unde cecidit ipse, sine utilitate quam inde præstoletur, nonne homo salutem exspectans deberet ei valde resistere atque illud facere quod ei displiceret, propter ejus solummodo displicentiam ? Deberet Deum quisque diligere, quamvis nullum sciret aliud inde commodum habere : quemadmodum ille qui dimicat in sæculo multa operatur sine alia utilitate, nisi tantum ut inimicus ejus fiat inde iratus.

5. Omnibus consiliis a diabolo sibi illatis respondeat discipulus : « O inimice, bene scio quia stultus es. Quid mecum loqueris ? an ignoras quomodo fecerim ? meipsum dedi, meus non sum. Si mecum vis dimicare, vade ad pastorem meum cujus sum, et ipse tibi respondebit. Ego sum post ejus clypeum, et verba Dei quæ mihi loquitur ab universis tuis me protegent jaculis : quantoque impetuosius venies cum malis cogitationibus, tanto magis dehonestatus atque devictus reverteris exeundo a nobis. »

6. Præterea tantum est versutus diabolus, quia quosdam homines adducit in religionem, postea reducit eos in sæculum, vel tenet eos inobedientes in claustro inter alios fratres, ut majorem pœnam habeant. Multo magis enim Deum amittit impius, cum viro justo sese nolens emendare, quam cum alio quemadmodum Judas cum Jesu Christo. Aliter enim nihil amplius homine ibi Deus videret, si mutatione ab uno castro in aliquod nemus, esset aliquis bonus sine operibus bonis. Dominus autem aliquando convertit eum per gratiam suam, quem diabolus ibi adduxerat, suumque reputabat, præbendo ei humilitatem, qua ejus omnes laqueos calcat, qui sunt etiam densiores quam fila aranea apparentia, quando magnus calor fit in æstate.

CAP. VII. — *Item de diaboli insidiis vitandis.*

7. Est alius diaboli laqueus, qui graviter potest intelligi graviusque vitari. Cum aliquis homo sæculum reliquerit ac bono animo religionem ingressus fuerit, noti ejus locum quandoque visitant quo advenerit. Tunc incipit ei dicere diabolus sub specie boni : « Multum debes gaudere, quia tantum beneficium venit in hanc congregationem propter te, nunquam aliquis de patria tua huc advenit, donec tu advenisti : quin etiam pater tuus et mater tua, nunquam advenirent nisi tu adfuisses. » Quisquis autem diabolicas ignorat insidias, delectatur in hoc quod ab eo sibi dicitur, verumque esse reputans vanam incidit gloriam. Nec solum iste quem parentes visitant, sed illi qui cum gente sæculari loquuntur, arbitrantes causa sui bonum in congregationem advenire, hoc ipsum incidunt vitium:

CAP. VIII. — *De inani gloria quæ aliquando aufert homini fidem quam debet habere in Domino, et fratribus et seipso.*

1. Inanis autem gloria aufert homini fidem, quam debet habere in semetipso et in aliis fratribus, et etiam in Domino ; semetipsum enim debet unusquisque credere, scire atque cognoscere plus cæteris fratribus esse peccatorem. Nam si bonus est, melius sua peccata videt quam aliena, debetque se submittere cunctis raptoribus atque meretricibus, credens se fore deteriorem : nec cogitet divinam gratiam nisi usque ad se non posse attingere. Tunc enim hoc cogitat, si alios despiciat qui possunt a peccatis in quibus sunt surgere ; ipse vero a bono in quo est decidere.

2. Non enim magnum est si cunctis se subjiciat fratribus qui boni sunt, prout debet credere ; debet etiam approbare ac diligere humilitatem ipsorum, magisque quam suam, quandoquidem meliorem ac majorem eam existimat. Hoc enim facit vir justus, postquam longo tempore in aliqua congregatione permanserit : quanto amplius in eo Dominus hospitatus fuerit, tanto melius intelligit atque cognoscit officium et opus quod habent omnes alii in religione. Unicuique etiam proprium locum invenit, semetipsum considerans nihil aliud ibi esse nisi impedimentum : et tamen Deus forsitan alios ejus amore procurat.

3. Omnem istam fidem aufert homini vana gloria, insuper et divinam, dum de bono quod Dominus per gratiam suam solummodo operatur, honorem illi subtrahit, credens illud causa sui fieri. Certissime namque unusquisque appetit ab alio laudari, eumque gratum sibi existere de hoc quod in animo suo cogitat : « Hoc fit propter me. » Vana quippe gloria, prout sibi videtur, habet id quod non habet, magnum sensum, magnumque posse, prudentes etiam sermones atque alia bona quamplurima : graviusque decipitur arbitrando se habere, cum nihil horum habeat. Multos enim facit Deus credi bonos propter utilitatem aliorum, qui tantum boni sibi in eis invenitur, quantum credunt. Ipsi vero pereunt de quibus credulitas habetur, nisi boni sint.

4. Sed hujusmodi attractione et occasione vult Deus suis auxiliari. Ne quis autem hunc diabolicum incidat laqueum, sua opera quæ fecit inspiciat, et si bene se discutit, cognoscet sine dubio

se nihil nisi pœnam meruisse. Et ita credat, propter alios qui diutius Deo servierunt, bonum in religionem advenire. Sed si quid adversitatis evenerit, inde semetipsum inculpet.

5. Nullus enim sermo vel scriptura sic hominem facit Deo proximum, quemadmodum suorum cognitio peccatorum, unde ipsius postulatur auxilium. Nihilque Deo acceptabilius est in viro justo a quo valde diligitur, quam cum justus nihil in se reperit quod Deo placeat, nisi quod Deus in ipso operatur. Nec etiam vult justus pro bono suo a Deo adjuvari, vel salvare nisi gratia ipsius. Dei quoque Filius qui de cœlo descendit, sciens quomodo illuc ascenderetur, dixit et docuit neminem illuc ascensurum nisi se humiliando (*Matth.* XVIII). Verumtamen major humilitas quæ possit haberi coram B Deo, superbia est, prout homo debet meditari; nullus enim valet se tam miserum æstimare, quin deterior sit, et si quis Jesu Christi humilitatem aspiciat, omnino nihil sua erit. Qui vero tantum habet quantum valet, Deus in eo habitat, et ei suam concedit.

CAP. IX. — *Alius sermo ad noviter conversos.*

1. Multi malunt in docendo damnari quam in discendo salvari, volentes esse pastores quia nesciunt esse discipuli: quod primitus scire deberent; quemadmodum sunt omnes qui noviter ad religionem venerunt, incipientes præire antequam sequi noverint. Modo hic unus adsit, loquamurque cum eo: « O tu qui recenter a sæculo advenisti, quomodo vis docere quod nescis? Nonne regulam tuam C reliquisti, quam nos docere posses, si te requisissemus, et ad nostram non requisitus advenisti? Sequere priores viam scientes ubi nondum fuisti, multumque gaudeas si eos sequi valeas; si enim ad dexteram vel ad sinistram divertas, vepres et spinas invenies, ac latrones tibi insidiantes.

2. Memento etiam, dum in potestate tua et regimine fuisti, per quas vias ambulabas, vel qualiter te regebas: propterea quæsisti ductorem, quoniam ire nesciebas. Oportet itaque ut eum sequaris; nam si tu cæcus prior incedas, in foveam cades, et alii te sequentes. An nescis quod nulla unquam creatura lucrata sit aliquid in suo regimine? Angelus benignus factus est diabolus quando se- D metipsum regere voluit. Adam quoque sequens eum exivit de paradiso.

3. Tale namque consilium est homini primitus necessarium, ne de se habeat consilium, id est tantum sensus habeat, qui vult sequi Dominum Jesum Christum, quatenus sensum suum amittat seque abjiciat, si se invenire desiderat; in nihilum quoque se redigat, si Dei Filium vult imitari, qui semetipsum exinanivit. Tantum enim boni necessarium est homini cognoscere in se nihil haberi boni, nisi Deus immittat atque custodiat. Et hæc est prima via qua Deus venit ad hominem: cognitio suæ ignorantiæ.

4. Sed fortasse, dum frater novitius retrahitur A ab eo quod loquitur vel operatur, ipse considerabit divitias vel potentiam, censum vel litterarum scientiam quæ habebat in sæculo. Nunc autem reminiscatur si propter quodlibet horum majorem habuit potentiam malum operandi, vel amplius a Deo discedendi. Quod si in corde suo invenire valeat, pœniteat eum unquam habuisse vel censum, vel divitias, quibus Deum impugnabat. Nunquid se ditiorem æstimaret quia majorem habuit in sæculo facultatem malum agendi, quam aliquis pauper? Non sunt aliæ divitiæ vel census, nisi Deo adhærere: qui vero ab illo separatur, quidquid habeat, ei in dedecus vertitur.

5. Non est autem mirum si animalis homo quando noviter ad conversionem venerit, vult Christi membra regere: ipsi namque discipuli Domini libenter illum docerent, si vellet illis credere, eique consulerent ne mortem susciperet aut passionem. Tale est sæculare consilium circa religionis negotium quale ipsi Jesu Christo tribuebant. Et sicut discipuli nunquam intellexerunt opera Dei, licet ea viderent, donec pertransissent angustiam de morte ejus habitam, eisque Spiritum sanctum dedisset, sic homo in peccatis diutius delectatus, non valet intelligere dulcedinem Dei, donec pertranseat angustiam quam exigit crux Jesu Christi sufferendam. Ideo namque Dominus non dederat apostolis Spiritum sanctum, dum esset cum eis, quia postea, quando ipsis eum tribuit, placuit ipsis mors illius et dolor quem habuerant inde, et quoniam ab eis recessit corporaliter.

6. Et quemadmodum lignum quod mansit in aqua, recenter inde abstractum clare non valet ardere, donec sit exsiccatum, similiter homo, quandiu plenus est humore vitiorum, in amore divino non valet incalescere, donec sit exsiccatus. Nihilque videre potest aliquis clausis oculis, oculi tamen nihil vident nisi aliud eis illucescat, sed dum claritas corporalis conjungitur ei quæ est in homine, tunc ipse potest videre, similiter est de spirituali dum aliquantulum ex ea in se habet homo, intelligitur alia quæ ab ipso auditur. Et propterea vir sæcularis dum de qualibet parva re sibi dicitur: « Frater, hoc est offensa, » nequaquam ab eo cognoscitur: tot alias habet in seipso majores claritatem ei auferentes.

7. Sed in quantum homo novitius suam defendit sæcularitatem, tantumdem alius qui diu stetit in justitia defendat ratiocinando suam religionem, ipsumque verbis et operibus doceat, juvans eum spiritualiter ac corporaliter pro posse suo. Melius enim credit aliquis sibi bonum facienti quam alii, nisi dæmones in se habeat; quisquis autem minime credit alii omnibus modis sibi subvenienti, quomodo crederet si malum sibi faceret? Summa superbia est ne quis emendetur, dum ab alio corripitur, nec propter oblivionem desinit homo quodlibet agere, postquam ei ostensum est, sed pro-

pter superbiam quæ ei tollit memoriam; humilitas enim semper in timore permanet delinquendi; superbia vero non curat quidquid sibi dicatur.

CAP. X. — *De scientia necessaria ad serviendum Deo rationabiliter.*

1. Qui magis Deum diligit sapientior est atque religiosior, sed in nulla re tanta scientia necessaria est homini, quanta ad serviendum Deo rationabiliter. Dominus autem tradit fideli suo supellectilia et utensilia amori suo necessaria, sicuti dives aliquis suam munit domum ornamentis sibi convenientibus. In nullo quoque tam delinquit vir religiosus quam in hoc, quia minime intelligit quæ sint utensilia a Deo sibi commissa ad suum servitium peragendum: nam ideo quia non cognoscit ea, incipit aliquando operari cum supellectili nequaquam sibi a Deo tradita, fatigatusque continuo postmodum illud verecunde deserit, quando præsumit virtutem nondum sibi attributam, prætermittens aliam in qua vellet Deus ut ipse exerceretur.

2. Dominus enim non uni cunctas virtutes attribuit; superbia quippe prosterneret eum, si posset eas habere ad libitum suum; facitque Deus magnam miserationem denegando homini quod a se postulat, dum illud ei malum futurum agnoscit, sicuti mater non vult infanti tradere cultellum quo sese incideret. Unam autem virtutem uni, aliam vero tribuit alii; postremo quoque totus conventus unius religionis format Jesum Christum.

3. Vult etiam Deus amplius virum justum gratulari in bono quod habet commune cum cæteris in fide et unitate, quam in virtute præ ipsis habita. Illa namque nihil ei prodesset absque unitate, quemadmodum oculo nihil prodest visio postquam semotus est a capite. Oculis autem tantumdem placet auditus aurium quantum intuitus ipsorum, ac propter unitatem quæ est in membris, oculus audit, pes videt, os audit, auris loquitur, et si quid alicui necessarium est, cætera omnia ei subveniunt; et tamen si quodlibet proprium dimitteret officium, nullatenus hoc agere posset. Quisquis autem pes, vel manus, vel aliud membrum debet esse in corpore Jesu Christi, et inde si se subtrahit, Dominus ei imputat quod eum demembravit, et a cæteris membris omnibus accusatur, quia recessit ab eis, et, quantum valuit, ea dehonestavit. Dominus autem tam sapiens est ut loco illius reponat alium, ipsi tamen nulla rependatur gratia, quia corpus Jesu Christi deinceps honorabitur.

4. Idcirco oportet ut unusquisque frater suam probet virtutem, et qua parte poterit transire ad Deum. Quemadmodum aliquis viator cum ad aliquam paludem venit, prius eam tentat, videns autem se transire non posse, divertit aliunde, si enim in lutum caderet, se suosque socios retardaret: similiter vir religiosus debet probare quomodo

A corpus disponat et animam, ne sibi invicem faciant injuriam. Nihil enim alterum alteri ex sibi debitis valet subtrahere quin damnum sit ambobus commune. Corpus debet pro anima vigilare, jejunare ac laborare; Deus enim minime condonat ei quem vult tenere in justitia, dum corporale beneficium est ei necessarium, quemadmodum aliis fratribus, quin ipse similiter operetur pro posse suo. Est enim aliquis prius incipiens vitam contemplativam quam noverit activam, cumque sese inspicit, non est Martha nec Maria. Quanto enim liberior est ab omnibus operibus, eo amplius malas congerit cogitationes, et qui de minori nescit curam gerere, id est de disponendo corpore, vix faciet de majori, videlicet de anima.

B 5. Quamobrem necessarium est ut unusquisque probet sollicite quanto cibo, quantaque dormitione quantisque pannis poterit sustineri, et in justitia permanere. Deus enim fidelis est, non crudelis; et sine querela corporis et animæ vult ut sibi serviatur in gaudio et timore. Quisquis autem non valet sufferre ac Deo servire cum sibi necessariis, vix toleraret si omnibus indigeret. Propter quod melius est unumquemque cibum sufficienter sumere, et obedientem esse, quam ultra modum jejunare, aliosque contemnere et Dei servitium prætermittere. Modum enim excedere nullatenus est abstinentia, denique quoquo modo faciat, seipsum inde reprehendat.

C CAP. XI. — *Item sermo de correctione.*

1. Cum unus frater corrigit alium ex charitate, quantum valet, et ille irascitur, faciens disciplinam pro peccato suo iram illius contingere credat, accusetque semetipsum quia nescivit eum reprehendere eo modo et ea lenitate qua deberet, et ille in pace susciperet: et hac humilitate quam considerabit, Deus illum mitigabit, si ad bonum prævisus est. Rursus ille qui fecit disciplinam et se de ira alterius inculpavit, si postea reprehenditur et inde gravatur, omnino debet credere quod pro peccato suo illam gravitatem patitur

2. Veritas enim semper est dulcis, nec ob aliud difficilis est homini nisi propter rubiginem vitiorum quam habet in se, quemadmodum ægrotus propter

D amaritudinem in qua est, invenit escam amaram quæ ei esset dulcis si esset incolumis; oculo quoque non videnti nihil est clarum. Ideo falsus religiosus nequit auscultare justitiam, quia timet ut eam operibus tenere cogatur; vix autem opus faciet qui verbum tolerare non valet.

3. Est etiam tam insipiens aliquis, quia magis vult audire in aliquo sermone reprehensionem vitiorum unde non est culpabilis, quam aliorum quæ habet in se, de quibus ei melius esset, ut reprehenderetur; nullamque reprehensionem tam bene recipiet quisquam, quam cum ipse prior reprehendit se.

4. Ille qui non vult ab alio corrigi benefacit, si talis est discipulus in quo non inveniatur unde

reprehendatur. Disciplina vero rubiginem non affert in hominem, sed submovet eam. Sicuti virga non immittit cinerem in lixivium, sed submovet illum qui illic aderat, unde lixivium fit turbidum, sic ille cui displicet quando reprehenditur, non se bene purgaverat eo quod in eo ab alio reperitur.

5. Veruntamen nemo debet appetere ab alio laudari vel vituperari. Qui enim scienter agit illud, unde blasphematur, insipiens est; qui facit bonum volens inde laudari, stultus est similiter. Cui vero displicet dum vituperatur, placet dum laudatur.

Cap. XII. — *De misericordia quam Deus facit homini ad religionem venienti.*

1. Hanc misericordiam facit Deus homini ad religionem venienti cum cæteris, quoniam illud quod magis pertimescit videturque sibi non posse tolerare, in majorem postmodum ei dulcedinem vertit, dum justitiæ consentit, et similiter in omnibus quæ pro Dei servitio fiunt; sed in eo quod minime timetur, major aliquando difficultas invenitur. Ille vero qui nondum pertransiit nequaquam sibi dicenti credit. Hoc autem exemplo posset animadvertere : mulieres ad monumentum pergentes corpusque Jesu Christi inungere volentes, magis erant anxiæ de lapide revolvendo, quam de alio (*Marc.* XVI), et de hoc primitus consilium invenerunt; corpus Jesu Christi quod ibi certissime fore putabant minime repererunt. Discipuli quoque qui fugerunt quando dixit eis Dominus quod nisi carnem suam manducarent et sanguinem biberent, vitam æternam non haberent (*Joan.* VI), si antea fugissent, tunc reverti deberent, quoniam in nulla re majorem misericordiam eis dicere Dominus potuit.

2. Sed veritas in primis difficilis est homini, postmodum in dulcedinem redens sempiternam; mendacium atque peccatum primitus placet, deinde postmodum angustiam incidit homo perpetuam. Cui vero difficilis est religionis institutio deberet cogitare laborem in quo fuit in sæculo, et præsentem levius toleraret; quin etiam passionem, quam Jesus Christus pertulit absque peccato. Non est ergo mirum si toleret homo miserias quas meruit, ac quotidie peccando meretur; qui vero permanet in justitia, de tribulatione quam habet dicat in corde suo : « Deus, benedicaris, quia nunc me defendis ab illa delectatione pro qua forsitan abirem in infernum. »

Cap. XIII. — *De comparatione imperiti militis et veri religiosi.*

1. Imperitus est miles qui sine coactione et absque pavore de munitione sua ubi tute consistit, egrediens vadit foras inter inimicos suos a quibus obsidetur, faciens ut ab eis capiatur. Similiter vir religiosus secure permanet, quandiu est in claustro suo, si illud de semetipso fecerit : nam aliud claustrum non est nisi ut homo se claudat, ne diabo- A lus in eo foramen inveniat a quo tenetur obsessus.

2. Audiens autem religiosus amicum suum præliantem in sæculo cum pejore inimico quem illic habeat, si amplius velit ut amicus opprimat, et injuriam faciat inimico, quam inimicus amico, nullatenus est in religione, sed in sæculo bellum gerit jaciens lapides et jacula, quoniam a corde suo justitiam expulit. Propterea bonum est ne quis de sua patria rumores audiat nisi quominus potuerit, cumque sic incidat aliquis in manus diaboli sola cogitatione, penitus incideret si corpore et anima ad sæculum exiret.

Cap. XIV. — *Quomodo unicuique sit Deus fidelis.*

1. Tantum unicuique fidelis est Deus, quod ne- B quaquam ei consulit pro salute aliorum damnare seipsum, imo præcipit ei ut seipsum prius salvum faciat, Dominum præ omnibus diligendo ac bona opera faciendo; postea vero manum proximo porrigat, et cum ad regnum cœlorum secum trahat. Iterum cum Deus homini præcipiat diligere proximum suum sicut seipsum, nullum excepit modum; nihil enim in eo nisi bonum imperat diligendum : bonum autem sic est diligentis sicut et facientis. Cur ergo rem suam unusquisque non diligeret? Idcirco vir bonus audiens bona opera alterius, laudat Deum in corde suo, dicens : « Deus, benedictus sis; hoc enim bonum est meum, et iste qui pro amore tuo laborat, mihi operatur sicut et sibi. »

C 2. Nec solum recte vivens debet Deo gratias agere dum audit bonum alterius, sed etiam dum audit malum : de bono lætetur, quia suum est; de malo, Deo gratus sit, quoniam inde sese protexit ab illo quod audit, vel a pejori; quia nullus eum interfecit, nec ipse alium; nec sibi quidpiam abstulit, nec ipse alii.

3. Homini quippe veraciter justo nihil valet auferri de suo. Censum enim corporalem si habeat, nequaquam pro suo reputat; divitias spirituales nullus ei rapere potest, imo augentur dum ei census temporalis minuitur sicut Job. Quanto magis enim Dominus vult virum justum esse pauperem et afflictum propter se, tanto amplius eum D bonis ditat spiritualibus, ita tamen ut corporalem paupertatem patienter sustineat.

Cap. XV. — *De dilectione Dei erga hominem.*

In hoc valet intelligi magna dilectio quam Deus fert homini, quia quidquid aliquis ad suam veram utilitatem corporaliter vel spiritualiter operatur, Deus pro suo computat. Cum autem facit quod sibi nocet, Deus homini irascitur, quia minime sibi vivit; et propter hoc amplius irascitur, quoniam homo pro nihilo discedit ab eo. Ista vera dilectio quam Deus exhibet homini, magnusque labor quem pro ipso pertulit, super omnia debet ei suorum afferre verecundiam peccatorum. Nam propter bonum quod Deus confert homini et quia suum loquitur ei commodum, redditur ei ab ho-

mine retributio mali. Bonum enim si adsit, Deus illud solummodo. facit, tantum enim Deus hominem diligit, quia tunc gratulatur cum ab eo sua gratia libenter accipitur.

CAP. XVI. — *Quid sit centuplum evangelicum.*

Idcirco vult homo habere temporalia ut et in ipsis gaudeat, et inde vivere valeat. Unum quippe gaudium habetur de filio, aliud de uxore, et sic de singulis. Omne vero gaudium quod inde habetur adauget Deus innumerabiliter homini propter se sæculum relinquenti, eumque sequenti, quoties ei tribuit advenientes vincere tentationes, protegens eum ab aliis a quibus prosterneretur, si advenirent; gaudium quoque quod habetur de victoria quæ agitur, fideique confirmatio quam tunc Dominus fideli suo de salute tribuit, vocatur a Jesu Christo centuplum in Evangelio (*Matth.* XIX). Magis enim vir bonus in eo lætatur quod non habet, sed habiturum se sperat, quam malus in censu sæculi, si suus esset universus.

CAP. XVII. — *Quam sit horribile a Deo separari.*

Tantum est horribile a Deo separari quia vix aliquis, nisi quotidie videret et alius sibi diceret, deberet credere quod ab illo quispiam auderet recedere. Deus enim per gratiam suam voluit esse particeps humanæ paupertatis ac miseriæ; homo vero tantum est superbus atque dedignans, quod non vult esse particeps divitiarum ejus et gloriæ.

CAP. XVIII. — *De fide justi quam habet in Domino.*

Propter hoc credit vir justus potius quam propter aliud quod Deus eum in cœlo secum regnare faciet in perpetuum, quia tantum Dominus se dignatur humiliare quod in viro justo qui vas terrenum est, et in hoc sæculo dignatur habitare.

CAP. XIX. — *De dilectione hominis erga Deum.*

Nihil ex toto corde potest homo diligere, nisi Deum solummodo; si enim multum aliquis quodlibet diligat, nequaquam pro eo deseret quin aliud concupiscat. Non igitur illo amore totum cor adimpletur, quandoquidem adhuc ab eo amplius capitur, sola vero divina dilectio totum illud adimplet expellens inde cupiditatem.

CAP. XX. — *De dulcedine mandatorum Dei.*

1. Multum deberet unusquisque mirari dulcedinem mandatorum Dei. Si enim Deus homini diceret: « Nequaquam tuam orationem exaudiam nisi magna gens audierit dum me rogaveris, neque tuam eleemosynam recipiam, nisi dum eam feceris a multis videatur hominibus, » difficile ei foret semper congregare populum, quando vellet facere bonum. Sed cum Deus bonum in abscondito fieri jubet, multo facilius est quam si diceret: « Nullatenus illud accipiam nisi ab omnibus videatur. »

2. Similiter levius est ut aliquis sit pauper et humilis quam superbus et dives, secundum opera quæ requirit humilitas et superbia. Humilitas exigit ut census habitus contemnatur, superbia vero ut A non habitus colligatur: quod est difficilius. Humilitas expetit ut in inferiori loco recumbatur, ibique citius quilibet adfuerit, cum ad nuptias venerit; superbia vult ut in altiorem ascendatur: quod est laboriosius. Ac propter hæc omnia Jesus Christus debet laudari, quia minime dixit: « Opulentior vel eloquentior, sive genere nobilior, major erit in regno cœlorum, » sed minori majus promisit (*Matth.* XVIII), quia facilius est minui quam augeri.

CAP. XXI. — *Cur homo damnetur.*

Magis vult aliquis sequi diabolum et quas admonet angustias, quam Dominum, et requiem quam præcipit: propter quod homo juste damnabitur. Major enim labor est mentiri quam dicere verum, B quoniam mendacium vult abscondi et operiri ne agnoscatur, veritas vult manere nuda et discooperta. Jesus Christus consulit ut intretur per ostium in ovile ovium (*Joan.* X): quod facilius est quam cum diabolus insinuat ut illuc aliquis ex alto corruat.

CAP. XXII. — *Quomodo fideles hujus sæculi curam supra Dominum ponant.*

Dominus suis imperat fidelibus, ut eum diligere valeant liberius, quatenus hujus sæculi curam super eum ponant et ipse erit eorum dispensator: facitque majorem miserationem, quoniam eos inde liberat, quam si diceret: « Quidquid vobis necessarium est procurate, et postea diligite me. »

C CAP. XXIII. — *Quomodo intelligatur dulcedo divinorum præceptorum.*

Optime potest intelligi magnam esse dulcedinem Domini, cum ejus præcepta tam dulcia nonnullis sint hominibus, ut eos odisse faciant quod in hoc sæculo magis diligunt, uxores et liberos atque alias possessiones. In hoc quoque scire potest aliquis nunquam electos in regno cœlorum compassionem habituros de perditis, quandoquidem etiam nunc in hac vita divinus amor facit justos oblivisci quos secundum sæculum diligebant.

CAP. XXIV. — *Qualiter homo Dominum invenire potest.*

Multo levius est homini, si ipse intelligeret, quia D melius potest prope Dominum invenire, quam si abiret eum longius quærere, id est in semetipso, quem habet propius quam aliud. Homo vero tam insipiens est quod magis vult quærere gaudium et requiem exterius in nihilo, quam in semetipso, ubi reperiret: nec vult aliquis facere gratis, quod certissime scit se facturum ingratum, hoc est contemnere sæculum. Vix autem habebit gaudium cui omne gaudium est odiosum, id est Dominus.

CAP. XXV. — *Qualiter homo delectetur in operibus Christi, et quanta sit virtus patientiæ.*

1. Bonum est delectari in operibus Christi. Ipse namque suos misit discipulos sicut agnos inter lupos (*Luc.* X), et si quilibet alius vellet cum lupis pugnare eosque devincere, nequaquam agnos ad

pugnam eligeret: Dominus autem, causa majoris A honoris, maluit lupos expugnare cum agnis quam cum ursis vel leonibus.

2. Et quoniam agnus magnum non valet ferre onus, exoneravit eos Deus a cura sæculi quæ foret eis impedimentum, feceruntque suam in patientia victoriam. Patientia namque talis est virtus quod quicunque ea caret seipsum non habet; quicunque vero semetipsum non habet, cum quo Deo serviet?

Cap. XXVI. — *De dulcedine in verbis Dei existente.*

1. Propter dulcedinem in verbis divinis existentem placet multum viro justo, quia nunquam tribuit Dominus homini terminum benefaciendi. Cumque Deum malus accuset quod finis sui diem ignoret, bonus eum laudat et dicit in corde suo: « Deus, quam facis magnam misericordiam, quia minime vis ut suam mortem sciat aliquis, sed semper eam coram se teneat, ut unusquisque melius in requie tuæ dilectionis intentus existat! »

2. Non enim foret simile Deum tantopere velle, quatenus homo semper sibi serviret, si finem scire tribueret, quandoquidem ab illo se separat cum diem vel horam nesciat. Tantum placet viro justo, quia nullam sibi Deus intermissionem benefaciendi tribuit. Quod si quis ei diceret: « Una die permane, ne bonum opereris, » tantumdem valeret ac si diceretur: « Discede a gaudio et in ira consiste. »

3. Crux enim Christi sua requies est, malus homo dicit e contrario: « Ad Deum converterer, si diem finis mei scirem. » De hoc sibi credendum non est quod in se Deo serviret, si sciret absque dubio se adhuc uno anno victurum, quandoquidem ab illo discedit, et non est certus vitæ unius diei.

Cap. XXVII. — *Ne aliquis terminum interponat ad Dei servitium faciendum*

Grandis est admiratio, cum Deus semper homini sit necessarius, et semper ei velit et possit auxiliari, cur eum semper homo non diligat. Cumque sine fine velit homo a Deo salvari, et post mille annos nolit a gloria ejici, injustum est ut aliquis terminum vel interpositionem ponat ad ejus servitium faciendum.

Cap. XXVIII. — *De veritate proferenda.*

Ille qui veritatem loquitur, Deum deprecetur ut eam sibi dicere tribuat veraciter. Mendaciter enim eam dicit, nisi operibus teneat quod ore pronuntiat. Quemadmodum est dum in Psalmo dicitur: ***Oculi mei semper ad Dominum*** (*Psal.* xxiv), quamvis verbum Dei sit verax, quisquis illud loquitur mentitur, nisi cum Deo concordet, nec bonum sibi bonum est, dum in corde suo minime placet.

Cap. XXIX. — *Qualiter homo exemplum sumat de malo ad bonum faciendum.*

Quædam sunt in quibus magna sapientia est exemplum ex malo sumere ad bonum faciendum, sicuti est hoc: « Homo proditionem aliquam vel aliud peccatum cogitans, magnopere cavet ne alius sciat qui sibi illud impediat, cum tamen sibi necessarium esset. » Cumque sic ille malum custodiat, omnino bonum operans debet cavere ne inde se jactet, quoniam a vana gloria sibi subripere-tur.

Cap. XXX. — *De illo qui in religionem advenit quomodo sequatur exemplum præcedentium.*

1. Quisquis in religionem advenit, si non valet exemplum sumere ex bono quod alius operatur, B saltem ab ipsis malis in quibus exstitit, sumere debet exemplum hoc modo, quatenus tantam sollicitudinem, tantumque laborem quantum pro suo incommodo tolerabat pro sua utilitate sustineat.

2. Bonus homo debet semper loqui de Deo vel cum Deo; nam in oratione sua cum Deo, cum proximo loquitur de Deo.

Cap. XXXI. — *Ignorantia vel cæcitas delictorum.*

In nulla re potest aliquis melius sua impedimenta videre, quam in hoc quia non cognoscit ea. Abundantia quippe delictorum impedit ne videantur; tunc enim cognoscuntur quando deleta sunt; quemadmodum tenebræ, cum aliquis inde egressus C fuerit, quas nemo potest videre, dum aliquis in eis consistit.

Cap. XXXII. — *De modo audiendi verbum Dei.*

Qui verbum Dei audit, si bonum habet animum, prius accusat semetipsum ex eo quod audit. Si autem malam habeat voluntatem, removet a se accusationem retorquendo super alium.

Cap. XXXIII. — *Qualiter se accuset vir perfectus in bonis quæ operatur.*

Perfectius est ut aliquis semetipsum accuset in bonis quæ facit quam in malis. Quis enim nesciat, dum malum perpetrat, se culpabilem esse? Sed dum bonum operatur, tunc sapienter cogitet quanta mala in se retinet, ut inspiciendo culpas virtutes D cum humilitate custodiat.

Cap. XXXIV. — *De cogitatione quam debet habere aliquis in dulcedine consiliorum divinorum.*

1. Multum deberet cogitari quam dulciter et absque difficultate Deus consulit homini. Facilius enim posset semetipsum unusquisque discutere et quid intus habeat inspicere, quam alium: propter quod a Domino præcipitur quia levius est, et major utilitas. Diabolus monet e contrario ut homo deserens suum oculum trabem habentem, abeat purgare alienum; multique ipsius consilio malunt longius abire et in tumultu manere alterius oculum curando, quam prope remanere et in pace consistere semetipsos discutiendo. Non est autem simile ut qui alium reprehendit de eo unde culpabilis est magis

ipse, illud ex charitate faciat, sed odio vel invidia seu inani gloria.

2. Idcirco rectum est consilium quoties aliquis incipit murmurare adversus alium, quatenus ad semetipsum rediens suas inspiciat cogitationes, dicta quoque sua et facta. Cumque se bene discusserit, videbit alium de quo murmurabat tam procul ante se currere quod nunquam eum consequi poterit: et placebit Domino, quod sibimetipsi displicebit.

3. Est etiam melius ut aliquis vincatur et vincat, quam ut vincat, et postea vincatur, sicuti milites in prælio majus habent honoris qui primitus fugiendo, postmodum vero revertendo suos vincunt inimicos, quam alii qui fugabant et postea devincuntur.

CAP. XXXV. — *Qualis debet esse quisquis est in via Dei.*

1. Observare debet quisquis est in via Dei ne se torpore retardet, neque superbia corruat. Nullus enim in agrum messis veniens totum habet onus suum ad primam spicam, nec sanctus Petrus totum suum peregit lucrum eo die quo crucifixus est: diu spicas collegerat, sed tunc suum integravit fasciculum.

2. Prima quoque via qua ad Deum pergitur est pœnæ formido, cum in tantum aliquis Dominum pertimescit quod inferni timore malum agere deserit; quod bonum est. Nemo vero debet in hoc desidia remanere. Melius est enim Deum diligere ac bona opera facere amore justitiæ, quemadmodum Martha faciebat, quæ Jesum Christum hospitabatur et procurabat propter amorem quem illi deferebat (*Luc.* x).

3. Superbia tamen aliquando præcipitat hominem ab hujusmodi bono. Aliud autem his omnibus habetur præstantius, omnem sæculi curam oblivisci, et in Deo solummodo delectari. Hæc est perfecta charitas a qua nunquam aliquis damnabiliter corruet, postquam eam semel habuerit; quisquis autem eam possidet in tantum diligit Deum, quantum videtur sibi non posse eum diligere. Quo enim ardentius eum desiderio spiritus amplectitur, eo amplius sibi videtur illum amittere, et a se Deum elongare.

4. Non enim vult Dominus ut in hoc sæculo vir justus satietur amore suo, sed semper habeat famem sitimque justitiæ. Et sicut pater filio pomum afferens vel aliud, retrahit illi capere volenti causa majoris commotionis, sic Deus semetipsum retrahit se valde diligentibus causa majoris incendii, sed semper eos deserit sua gratia consolatos.

CAP. XXXVI. — *Qualiter vir justus eleemosynas accipiat.*

1. Perfectius est viro justo eleemosynas unde vivat accipere, quam donare. Hoc modo dum aliquis est in sæculo, in potestate sua, potest agere bonum

A et malum aliquando, cum sibi placet eleemosynas tribuere, ad orationes pergere, et alia quamplurima; sed cum ipse deserit malum et bonum quod agere valet propter melius, semetipsum Domino tribuens, nequit tam magnas tamque acceptabiles Deo eleemosynas facere.

2. Nam cæteri eleemosynarii, quamvis magnum censum præbeant, semper aliquid vel semetipsos, vel aliud retinent. Deinde cum homo se reliquerit et ad pedes Jesu sese projecerit, propter sermones illius audiendos ejusque voluntatem faciendam, nequaquam ei Dominus præcipit ut iterum ad Marthæ sollicitudinem regrediatur, id est ad bonum quod in sæculo facere posset. Plus enim

B laudavit Dominus Mariam pedibus suis assidentem et illius verba auscultantem, quam Martham, quæ ministrabat et sororem suam nihil agere cogitabat. Tamen Maria timuit ne Dominus sibi diceret: « Surge et adjuva illam: » ille vero minime dixit, imo defendit eam, et ait quod melius ista, et bonum faciebat illa (*Luc.* x).

3. Deinceps cum vir bonus, quem Deus propter se laudandum elegit, bona corporalia recipit quæ sibi a sæcularibus afferuntur, nihil de alienis accipit, sed ei sua redduntur. Neque cogitat: Ille vel ille me procurat, sed Deo solummodo gratias referens pro suis ministratoribus orat. Deus enim propter bonos omnia facit, et sustinet et procurat etiam malos, qui nihil habent juris in membris quæ pos-

C sident quoniam a Deo discedunt, nedum aliis in rebus, quamvis habeant potestatem ad majorem damnationem.

CAP. XXXVII. — *De Christi pauperibus.*

1. Christi vero pauperes qui semetipsos reliquerunt et majores eleemosynas quas potuere fecerunt, nihil habentes proprium, nec se nec aliud, magis debent gaudere, quia nequeunt eleemosynas dare, quam si rursus eis potestas tribueretur. Est enim aliquis qui Deum amittit propter bonum quod agere valet et agit, quando de Deo loquitur vel eleemosynas largitur, quæ sunt bona opera, et ea propter vanam gloriam operatur. Sunt alii qui lucrantur Dominum propter bonum quod nec agunt, nec agere possunt ut sibi videtur, sicuti sunt isti pau-

D peres Christi, cum alios conspiciunt eosque juvare volunt, nec valent agere, quia non habent. Unde Deus illis imputat quod omnia fecerunt, propter bonam voluntatem: et fortasse si facultatem haberent, bonum cor amitterent, nihil enim ita bonam voluntatem generat sicut spiritualis paupertas.

2. Sed adhuc isti qui liberi sunt, si rursus inquirant qualiter eleemosynas agere valeant, non se bene reliquerunt; et simile est eos aliquid retinuisse unde eas faciant. Si enim se bene reliquissent, nec pedem, nec manum, nec aliud membrum haberent, quibus eas facerent.

CAP. XXXVIII. — *Qualiter pastor erga subjectos se habeat.*

1. Verumtamen pastor, cui licet, si quid exte-

rioribus tribuit pauperibus, tunc omnino caveat ne A interioribus noceat, quandoquidem omne bonum quod agit est commune discipulis, caute debet observare ne illud eis auferat. Quidam enim si viderent eleemosynam tribui, quamvis tunc eis placeret, postea sibi displiceret, dum quolibet indigerent, conquerentes dicerent: « Propter hoc quod pastor noster præbuit, habemus nunc inopiam. » Et hæc est natura viri sapientis quod tunc, cum bonum operatur, penitus caveat ne sibi vel alii noceat.

CAP. XXXIX. — *De retributione justorum qui cæteris præbent bonum exemplum.*

Quisquis bonum ostendit exemplum, de cunctis audientibus bonis et malis suam habet remunerationem: de bonis, quia eum sequuntur; de malis, B quia nolunt eum sequi, et sua sponte facerent. Deus autem illi imputat eos omnes salvos fecisse; pax enim quæ ab auditoribus non recipitur, ad prædicatorem, si fidelis est, revertitur.

CAP. XL. — *De consilio unicuique homini necessario.*

Si quis sponte sua peccata deserit criminalia, optime placet Deo; sed si levitas loquendi vel irascendi, seu aliquid tale culpabile erat in eo, magis Deo placet, ut illud expugnet quod semper eum insequitur. Hoc est enim abnegare atque relinquere semetipsum.

CAP. XLI. — *De differentia pœnarum infernalium et gaudiorum cœlestium.*

Homo damnandus, si pœnas et tormenta videret C infernalia, qualia sunt et passurus est, nullum traheret ad se membrorum quæ possidet, ibidem terrore moreretur: qui vero salvabitur, si gaudia videret cœlestia qualia sunt, et habiturus est, confestim præ dulcedine transmigraret. Non potest enim res corporalis in hac vita sustinere spiritualem, ut eam intueatur.

CAP. XLII. — *De amore divino qualiter habendus sit.*

1. Idcirco amorem immisit Deus in auro et argento cæterisque rebus terrenis, ut suus amor esset inde clarior meritique majoris, ipsum habituris. Cum enim aliquis vult concupiscere quodlibet hujus sæculi, a Deo sibi datur optio, quasi diceret: « Elige quod malueris, aut me qui sum Deus, D aut rem temporalem. Si me elegeris, magis tibi dabo quam concupiscere possis; si aliud elegeris, totum amittes. »

2. Attamen Dominus bene concedit homini quidquid sibi necessarium est, nullusque propter hoc unquam damnabitur, si omnem censum congreget quem acquirere poterit, tali modo ne sibi primum inde faciat injuriam nec alii. Eo namque modo quo census ab aliquo colligitur Dominus disponit ut expendatur. Quisquis enim perverse et injuste congregat, insipienter devastat; qui vero juste congerit, Deo cooperante, in bonum expendit.

3. Nec ideo pauper spiritu esse desistit quisquis illud solummodo concupiscit cum quo Deo servire possit, sed in nulla parte sui cordis velit, ut in qualibet re possessa alius inde damnum habeat, vel ipse a Dei præcepto discedat. Et semper cum aliquis vult peccare, super omnia damna deberet hoc cogitare: « Nunquam hoc faciam; amor namque divinus inde mihi minueretur: » et hoc timore a Deo protegeretur. Portaret etiam verecundiam ante peccatum, non peccatum ante verecundiam.

CAP. XLIII. — *De gratia et bonitate divina qua quisque visitatur.*

1. Deus tradit bonum suum unicuique homini tali pacto, quasi diceret ei: « Cum hoc bono auxiliare mihi, quantum poteris, et si juxta facultatem tuam operaris, ego qui Deus sum, perficiam quod tu facere nequis, gratia mea te salvabo, et quod omnia feceris imputabo; si vero cum hoc quod tibi commisi mihi non servis, si amplius tibi traderem, esset in perditione. »

2. Ideoque in omnibus in quibus Deus majus alicui quam cæteris attribuit, debet inspicere dispositionem qua Deus illud efficit. Si censum habet, cogitet eum a Deo sibi traditum ad suos pauperes procurandos, et in eo sperat atque confidit de illis. Ideoque permittit eos habere inopiam ut eos dives sibi pascat, sicut debet credere. Omnis enim census, ubicunque sit, semper Dei est.

3. Cumque eum mutat aliquis et pauperi tribuit, nihil ibi Deus nisi voluntatem intuetur. Nullus enim tantam eleemosynarum valet facere congeriem quæ cœlum attingat, sed bona voluntas omnes cœlos penetrat, cum eleemosyna præbetur propter hoc tantum, ut Deus inde laudetur. Et est certum divitem amplius lucrari cum paupere, quam pauperem cum illo.

4. Similiter quisquis est fortis ad laborandum, vel sapiens ad loquendum, credat suam fortitudinem atque sapientiam alios meruisse, et tam pro se quam pro aliis eam sibi a Deo donatam fuisse. Hoc idem de singulis debet cogitari virtutibus.

5. Tunc enim bonum prodest homini, cum illud a se removet, credens a Deo sibi traditum, ut inde cæteris deserviat. Ideoque melius debet credere quoniam ipse potest damnari propter virtutes quas habet, nisi eas ab elatione custodiat, et alius inde proficiat. Malum vero debet quisque sibi proximare hoc modo, quod qualicunque modo sibi contingat, illud se meruisse credat: et eum Deus immunem faciet, quoniam inde sese accusabit.

CAP. XLIV. — *Qualiter se aliquis apud semetipsum habeat.*

Melius potest videre homo id quod est, quam id quod non est. Cognoscat igitur homo se esse peccatorem, et cognoscet veritatem. Nequaquam se justum credat, quoniam mendax esset: in hoc enim est omnis viri justitia, quatenus credat solum Deum habere justitiam.

CAP. XLV. — *De remuneratione eleemosynæ ab aliquo perpetratæ.*

1. Postquam aliquis sepultus est, nullum habet tam bonum amicum quin ab illo discedat ac do

mum redeat. Non longe vero sunt dæmones animam capere volentes. Sola autem eleemosyna nunquam ab illo discedit, si ab eo perpetrata fuerit : imo præcedit et animam post se ponit, præparans clypeum suum contra dæmones qui volunt irruere, eosque repellens, dicit eis : « Nunquid hic me non conspicitis? » Postea dicit animæ : « Ne timeas. » Tandem ad judicium ante Dominum veniens diabolus suas narrat accusationes, dicens : « Sic et sic meum operata est obsequium. » Eleemosyna respondet : « Quidquid fecerit, ab omnibus peccatis ejus immunem facio. »

2. Bonum est igitur ut talis socius acquiratur. Est vero multum avarus, qui Jesu Christo panem et vinum denegat, quod nequaquam suum est nisi propter dispensationem, quandoquidem ipse carnem suam et sanguinem pro homine dedit. Sunt autem nonnulli majorem gerentes sollicitudinem de solo condimento ciborum, qualiter sit eis sapidum, quam de anima sua, somniantque manus habere plenas divitiis ; expergiscentes vero, et ab hoc sæculo proficiscentes, nihil nisi vanitatem inveniunt.

CAP. XLVI. — *De differentia stulti et viri sapientis.*

1. In multis dissident sapiens et stultus, sed in hoc omnino. Stultus dum bonum operatur non ibi divinam aspicit voluntatem, sed propriam ; cumque vult eleemosynam suam eis tribuere quibus non est magna necessitas, et possent inde sufferre, Deus illi ex adverso respondet : « Quid de illo censu facies quem tibi commisi? quo vis eum deferre? Hic me adjuva in isto paupere ubi magis affligor fame, frigore atque miseria, et me visitante careo. » Stultus respondet : « Hic te adjuvem ubi tu velles? Væ sibi qui hoc fecerit, imo tibi huc va lam auxiliari unde nullam mihi rependas gratiam? »

2. Hoc dicit operibus. Nam eleemosyna quam tribuit nihil ei prodesset, ut sibi videtur, nisi prius eam amisisset quam ab eo fieret. Hoc enim illi Deus respondet : « Si faceres ad placitum meum, ego te laudarem, et ab omnibus angelis meis te laudari facerem; quia vero, juxta deliberationem tuam, hoc agis, idipsum quod postulas non habebis. » Ita stultus super arenam ædificat, et quantulacunque pluvia laudis humanæ, dum ab aliquo dicitur quod bene fecerit, totum inde defert ædificium.

CAP. XLVII. — *Item de meditatione viri sapientis.*

1. Vir autem sapiens aliquando de qualibet parva re meditatur : « Istud pro anima mea tribuam, sed nimis est minimum : attamen secundum Dei voluntatem, si possum, faciam, ne penitus minuatur. » Si vero magnum est quod vult tribuere, tunc omnino vir prudens observat ne ignava electione illud amittat, dicens in corde suo : « Deus, ubi mavis ut hoc tibi reddam, aut cui membrorum tuorum amplius est necessarium? nam illi vellem erogare. »

2. Dum hoc autem sciscitatur, eleemosyna sudat, floret et fructificat in manu viri sapientis. Cumque suam charitatem aliquis verecundo pauperi tribuit, magna miseratio est ut ei verecunde similiter

A præbeat, cavens ne agnoscatur. Deus enim manifestat bonum quod occultatur, faciens illud oblivisci quod ostentatur.

3. Quisquis ergo vult honorari, totam intentionem in Domino ponat, semper elaborans qualiter bonum suum augeat.

CAP. XLVIII. — *De subventione pauperum.*

1. Perfectius est aliis subvenire pauperibus quam suis cognatis. Quamvis enim sancta Scriptura minime prohibeat propinquorum auxilium, imo concedat, tamen carnalitas trahit hominem ad illum amorem, quo sinistra subripit aliquid dextræ. Quod Jesus Christus prohibet.

2. Præterea bonum est succurrere cunctis auxilium poscentibus, orphanis et viduis, cæterisque

B pauperibus super hoc quod requirunt ; sed multo melius ac Deo acceptabilius est ut ei corporaliter ac spiritualiter subveniatur, a quo salus animæ suæ postulatur.

CAP. XLIX. — *De discretione necessaria ad bonum perficiendum quod inceptum fuit.*

1. In initio boni non parva deliberatio necessaria est, et magna firmitas, dum aliquis illud operatur, ne ipsum deserat donec perficiatur.

2. Hac ratione quisquis causa orandi Jerusalem aut quemlibet sanctorum adire desiderat, prius debet meditari universum obsequium quod Ecclesiæ suæ in oblationibus cæterisque rebus facturus erat, dum immorabitur in eundo ac redeundo ab orationibus; quod debitum prius ab eo persolvatur antequam

C illuc proficiscatur. Nam propter quodlibet bonum quod homo velit agere, nequaquam Deus consulit injuriam facere, imo prohibet. Et hæc est prima justitia injustitiam devitare : propter hoc, ante omnia debet Ecclesiæ debitum persolvere, cujus filius est, multumque decipitur qui pro nihilo bonum operatur, quod universi faciunt qui divinam ibi voluntatem non inspiciunt. Sed certe hoc modo omne bonum quod perpetraverit, et laborem quem in peregrinatione toleraverit Deus recipiet gratius propter justitiam quam erga suam ipse fecerit Ecclesiam : quin etiam omne divinum officium quod in ea fiet erit suum.

3. Præterea cum vadit ad orationes debet hoc cogitare, dicens in corde suo : « Sed ego quo pergere

D volo? quandoquidem cum illo sancto nihil loquar, nec ipse dicet mihi aliquid. Deus, propter hoc illuc proficiscor, quoniam ipse tibi servivit : faciam ergo similiter. » Atque cum hoc animo potest remanere; vel si vult, illuc abire.

CAP. L. — *De superbia quam facit aliquis relinquendo proprium cœmeterium.*

1. Hæc est ultima superbia quæ fit in fine, cum aliquis proprium cœmeterium deserit, faciens se in alio sepeliri. Tunc enim omne bonum abnegat quod in Ecclesia sua recuperat, ubi veniebat causa consulendi, cum se vellet emendare et a vitiis surgere.

2. Nullus enim rectior est peregrinus, quam ille

qui ad ecclesiam suam proficiscitur. In hoc quoque A potest intelligi misericordia quam Deus exhibet pauperibus, quoniam ipsi ubi debent sepeliuntur.

CAP. LI. — *Cur Deus peccantibus sua secreta celare consuevit.*

1. Plurima peccata quæ fiunt, propter incredulitatem fiunt. Quoties enim aliquis vult peccatum facere, divinum ei præceptum dicit econtra: « Ne facias. » Et a conscientia reprehenditur, et hoc totum discredit homo cum peccat. Nam quicunque peribit, nunquam gaudia credidit cœlestia, nec pœnas infernales, quamvis dicere audiat, vel in Scripturis legat, sive cæteris annuntiet. Non enim mavult Deus ab inimicis suis secreta sua cognosci, quam aliquis sæcularis homo a suis malevolis et a quibus quotidie impugnatur.

2. Deus autem cum sibi placet, confirmat fidelem suum in fide et in dilectione boni, aliquando plus, aliquando minus. Cumque fides illa atque dilectio elongatur ab eo, saltem reminiscatur quod eam semel habuerit; et eum ibi Deus reducet, si se a malo custodiat.

CAP. LII. — *De illo qui in præsenti sua bona recepit.*

Nihil est pejus homini quam in hac vita habuisse omnia bona sua, nihilque melius quam habuisse omnia mala sua. Ille namque qui omne bonum suum habuit, quantumcunque duraverit, in transitu fuit, graviusque sustinebit angustias in quibus fuerit in æternum; alius qui mala pertransiit cum majori gaudio bona recipit, et omnis labor quem C pertulit placet ei propter requiem in qua permanet. Hoc Abrahám respondit diviti qui cruciabatur in inferno: *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris* (*Luc.* XVI).

CAP. LIII. — *Ratiocinatio subtilitatis divini examinis.*

Si quis electorum moriatur ante judicium statimque resurgat, feceritque peccatum aliquod unde sit ei necesse purgari, tantam pœnam tamque longam in uno momento temporis moriens sustinebit, quantam alius toleravit pro eodem peccato, qui mille annis vel eo amplius permanserit in igne purgatorio. Nisi enim ita esset, tempore Deus indigeret ad suam justitiam faciendam; ipse vero plus potest agere quam homo dicere vel cogitare.

CAP. LIV. — *De fatua anxietate stulti.*

1. Stultus est anxius de bono viro quid agat, dum videt eum in uno loco manentem, nec aliquid operantem; in hoc autem posset animadvertere quod aliquis laborator in minima portione terræ tota die repetit quid faciat, nullaque est necessitas ut sit otiosus. Cur ergo cogitaret de illo aliquis, qui cum Deo permanet et cum Deo ambulat per cœlum et per terram cogitatione, quatenus ei desit operatio.

2. Nam quolibet angusto loco vir bonus spatiose consistit propter charitatem quam hospitatus est; malus autem ab universo regno capi non valet, imo manet stricte, propter iram quam fert adversus alium.

CAP. LV. — *De differentia intentionis cujuslibet.*

1. Universa opera quæ fiunt, bona vel mala sunt propter intentionem. Judas autem et Judæi, quantum potuerunt, de morte Christi tractaverunt, unde mundus redemptus est; nihilque sibi profuit, quoniam prava erat intentio. Sanctus Petrus et alii discipuli Domino moriente contristati sunt, nec in illa tristitia damnum aliquod habuerunt, quia bonus fuit intellectus.

2. Propter hoc etiam fit pictura crucis, cum Adam ad pedes crucifixi depingitur. Ipse namque designat omnes justos qui erant in inferno præstolantes mortem Jesu ad suam liberationem, multumque sibi placuit cum eam ipse pertulit: propter quod Adam levat manus ad Dominum præ gaudio quod B habet, quoniam ipse est in cruce. Mater vero Dei et sanctus Joannes evangelista, qui juxta pinguntur, tristes erant de passione ipsius et eis sua salus displicebat. Tantum est homo nescius in hoc sæculo!

CAP. LVI. — *Quæ fuit infirmitas sancti Pauli.*

Infirmitas sancti Pauli erat sibi clavis virtutum. Sicut enim aliquis dives thesaurum suum reservat in quodam loco secreto, tuto et valido, et postea firmat ostium, ne quis fur ingrediatur, ita fecit Deus in dilecto suo Paulo. Misit in eo thesauros sapientiæ, et postmodum firmavit ostium, clavem inde deferens: cumque eam Apostolus ab eo requisisset, noluit ei tradere. Thesaurus enim minueretur, si eum Deus ab infirmitate sanaret.

CAP. LVII. — *Ne aliquis desinat operari bonum dum permanet in crimine.*

Est aliquis cui convenit bonum operari cum credulitate perdendi. Quisquis est in uno crimine nolens illud relinquere, nequaquam pro eo deserat bonum agere quod poterit: imo illud instantius faciat tali intentione ut in corde suo dicat: « Deus, ego bonum istud operor, sed certissime scio me sine fine damnandum, si in hoc peccato deprehensus fuero; sed idcirco bonum facio, ut des mihi crimen odio habere. » Et hac fide Deus illum eruet a peccato, et tunc omne bonum suum recuperabit quod primitus fecerat; alioquin si putaret se salvandum esse cum crimine, desperatus esset. Est enim spes ut bonum operando salutem aliquis a D Deo præstoletur; a spe cecidit qui malum agendo se salvandum arbitratur.

CAP. LVIII. — *De assiduitate stulti malum operantis.*

Pejus operatur in terra stultus cui creditur, quam exercitus alienus. Exercitus enim brevibus diebus abit, et a stulto longo tempore devastatur. Hinc Salomon ait: *Væ terræ, cujus rex est puer!* (*Eccle.* X.)

CAP. LIX. — *Qualiter aliquis debet mundum relinquere.*

1. Omnia peccata displicent Domino; sed penitus ei displicet, cum aliquis peccat spe boni faciendi.

2. Verbi gratia, quisquis aliquid optimum vult agere, scilicet relinquere sæculum, vel aliud quodlibet, et spe hujusmodi prius facit unum de criminibus, dicens in corde suo: « Universa peccata in

quibus maneo simul relinquam. » Tunc quasi in- A terdicit Domino ne se ad bonum perducat quod cogitabat, facitque similiter ac si aliquis in luto volutaretur, cum se vult balneare; deberet autem potius suos pedes abluere, ut absque sorde balneum intraret.

CAP. LX. — *Tractatus de usura.*

1. Quisquis usuram accipit, delinquit : et qui eam tribuit, similiter hoc modo. Cum aliquis immoderantia sua fecit expensam quam sua nequit tolerare facultas in cibo vel in vestibus, sive cæteris rebus, posseique vitam suam quoquo modo cum re possessa sustentare, postmodum propter illam superfluitatem pergens ad feneratorem, similiter peccat in censu quem illi tribuit, quemadmodum alter qui accipit. Nullus enim unquam inopiam haberet, B si in modestia permaneret, et unum crimen impellit eum in aliud, nunquam etiam sine inopia fuerit qui semper suos reditus, antequam illos habeat, expendit.

2. Multis modis in usura delinquitur, sed ab eo penitus, a quo pignora capiuntur. Postquam enim ea susceperit circa finem vitæ suæ filio suo vel cui vult ea relinquere, dicit : hoc vero dicit operibus validius sermone loquentibus : « Fili, ego moriar, et Deum impugnavi, quandiu vixi, nec mihi sufficit, sed te vicarium pro me relinquam, ut illum cum hac eadem usura impugnes. »

3. De isto potest dici quod, etiam postquam mortuus est, adhuc fenerator est, et assidue pecuniam C suam dat ad usuram. Quidquid enim recipitur præter id quod commissum est, usura est.

4. Rursus aliquis hæreditate peccatum patris requirit, decimas quas abstulit vel aliam terram : quod tantumdem sibi valet ac si infernum hæreditate postularet. Sciat autem indubitanter se nunquam illic adfuisse; nam si unum tantum momento illic exstitisset, nunquam pro universo censu mundi illuc redire vellet.

CAP. LXI. — *De viro sapiente.*

1. Vir sapiens sermonem suum considerat, antequam illum proferat. Stultus vero qui minime rationem suam providet, dicit aliquando cum audit bona opera alterius : « Multum debet Deus huic esse gratus, qui tantum bonum illius amore operatus est. » O stulte, cur hoc dicis, quod Deus homini D de bono sit gratus? nunquid Deus erit gratus homini, quia videt oculis vel ore loquitur, vel incedit pedibus? Sed homo Deo gratias agat, quia sibi tribuit pergere, loqui atque videre, et similiter quia præbet sibi bona opera perpetrare.

2. Adhuc dicit insipiens de illis qui suos devicerunt inimicos, quosdam capiendo, alios interficiendo : « Isti quod sibi est utile peregerunt. » Errat qui hoc dicit ut homo suam utilitatem operetur, cum a Deo discedit et infernum acquirit. Nonne quisque se deceptum arbitraretur, si tantum quodlibet membrum ab eo auferretur? quid ergo de illo fiet qui corpus et animam suam interficit?

CAP. LXII. — *De justitia.*

Omne quod homo expendit foret sibi necessarium ut ex juste possideret; sin autem, saltem illud quod justius haberet, in expensam panis mitteret. Sæpius enim eleemosynæ de pane quam de cæteris rebus fiunt. Et qui non vult omne malum relinquere ad præsens, tamen quamdam partem deserat. Sic debet vir sapiens malum hominem docere. Cum eum omnino convertere non valet, demonstret ei qualiter in ipsa malitia quodlibet bonum faciat, et credet sibi ei melius quam si diceret ei malum universum relinquere.

CAP. LXIII. — *Quomodo miles in expeditione se habeat.*

1. Mirabilis scientia est, multumque Deo placet, ut homo, dum malis interest operibus, a malo se contineat; quod potest hoc modo fieri : Miles in expeditione proficiscens causa domini sui naturalis cui se non valet subtrahere, si vult Deo adhærere, dicat hoc in corde suo primitus : « Domine Deus, in hanc expeditionem ibo, sed vestrum militem ibi me futurum assero, nihil in ea nisi vestrum agere volens obsequium, dissipare malum et inquirere bonum hinc et illinc quantum potero. »

2. Cum hac intentione abire incipiat, præcurrens ac si vellet omnia capere, quos autem viderit faciat eos fugere ne capiantur; aut si alius eos capere voluerit, miles Dei prior eos capiat, et postea solvat, suosque socios a malo defendat, et alios, quantum poterit : et ita potest esse monachus clypeum collo deferens, et reddere quæ Cæsaris sunt Cæsari, et quæ sunt Dei Deo (*Matth.* XXII).

3. Sed penitus unusquisque caveat ne de rapina eleemosynas faciat; amplius enim peccat aliquis eam pauperibus tribuendo quam aliis auferendo. Dum enim illam auferret, malum esse non dubitat; cum autem eam pauperibus erogat, inde se liberum putat esse, et sic a Deo recipitur, ac si quis coram patre filium interficeret, et postmodum ei sanguinem ad bibendum cum scypho aureo deferret. Est etiam majus peccatum auferre quam furari, quia major est superbia.

CAP. LXIV. — *De ultione inimicorum.*

Nullo modo valet aliquis tam bene se ulcisci de inimico suo, quam hoc illi auferendo cum quo sibi malum ingerit; si vero malum pro malo ei reddatur, malitia augebitur, nec inde quisquam ultus fuerit, imo eam adauxerit. De hoc profecto nemo se vindicat quod plus auget, quam minuat. Qui vero bonum pro malo suo reddit inimico, tunc de malitia se plene ulciscitur, quia destruit eam, auferens ei locum suum ubi manebat, videlicet illius animum qui aliquando ad bonum convertitur; aut si non convertitur, penitus ei pœna infernalis augetur, et inde valde ultus est.

CAP. LXV. — *Qualiter fiat oblatio altaris.*

1. Dominus dicit in Evangelio cuilibet offerre volenti : *Si offers munus tuum ad altare, et recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum*

te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo (*Matth.* v). Hoc autem duobus modis debet intelligi : ille namque qui fecit injuriam justo judicio debet pacem inquirere, nec magnam fecit perfectionem, imo peccaret, nisi hoc ageret.

2. Cum autem aliquis sibi injuriam fecerit, et postea factor ejusdem malevolus fuerit, tunc est perfectio ut pacem inquirat. Sic enim Jesus Christus egit in cruce : prius suis crucifixoribus condonavit, antequam ab illo requirerent. Propterea debemus credere quod similiter in illo sermone evangelico præcipit et vult ut ita fiat.

3. Rursus quisquis alii fecerit injuriam, si postulet ab eo veniam, ille vero nullo modo sibi velit indulgere, Deus vertit sententiam super istum de malefacto, nec propter aliud peccatum quisquam Deo demandat ne sibi indulgeat, nisi cum suo non vult dimittere inimico.

Cap. LXVI. — *Quomodo amens custodiatur*

1. Aliquando turbatur homini cerebrum, sensusque mutatur, abnegat etiam, jurat, ignorans omne bonum atque semetipsum. Si vero in illa perturbatione moriatur, credi nequaquam debet ut ideo damnetur, si antea dum convalesceret non erat in crimine, et a malo se conservans Deo adhæreret. Deus enim est fidelis, et judicabit eum secundum memoriam sanitatis.

2. Tale vero consilium foret ei necessarium qui hac infirmitate detinetur, ne quis eum ad sanctos duceret. nec alibi nisi quominus posset. Populus enim inde rident, et in ecclesiis amittunt suam orationem ; quin etiam verberatur et omnino turbatur ei cerebrum, crescitque infirmitas et est magnum peccatum : verumtamen in quadam domo deberet secretius teneri, temperate custoditus a frigore et a calore, et amici sui orarent pro illo.

Cap. LXVII. — *Ne aliquis laicus clericos inaniter reprehendat.*

1. Aliquis laicus propter peccata sua defendenda dicit aliquando : « Cur peccant clerici scientes Scripturas atque secreta Dei ? » Vir autem sapiens hoc modo ei respondeat ; « Amice, quandoquidem clerici reatum agnoscis, sapientior illo es circa rem hujusmodi; cur ergo non caves ne illud facias unde alium reprehendis ? Scriptura cordis quam Deus tibi immisit, tibi semper ostendit quid relinquere debeas vel agere; sic itaque scienter peccas ac si clericus esses. »

2. Certissime scias quod nunquam tibi proderit, si alius pereat, et tu illum sequaris. Stultiorem enim rationem nemo requirat quam illius est, qui pastori suo dicit : « A te requirar, si me ad perditionem deduxeris. »

Cap. LXVIII. — *De consilio dato unicuique.*

1. Plus conqueritur homo multoties de hoc quod sibi non expediret, quodque Deus ab eo nunquam requireret, quam de cætero propter quod damnabitur. Quemadmodum ille qui dicit : « Non habeo censum cum quo Deo serviam, vel unde eleemosynas faciam. »

2. Vir autem sapiens ostendat eum locupletem hoc modo, quatenus ei dicat hoc : « Tu itaque, frater, cum ita sis pauper, quo pretio pedem, vel quodlibet membrorum tribueres ? » forsitan respondebit : « Nullo, Domine. » Item : « Oculos quanto censu a te erui permitteres ? » vix dicet : « Pro tanto. » Sapiens vir potest ei dicere : « Multum igitur es dives quandoquidem pro magno censu non dares quod possides. » Diligenter itaque membra custodi, sed tantum ea dilige ne perdas ea perenniter in inferno.

Cap. LXIX. — *Qualiter se habeant viri religiosi cum aliquis infert malum.*

1. Cum aliquis infert malum religiosis, et ipsi clamorem ad Deum faciunt legentes maledictiones pro suis malefactoribus, tunc quasi interdicunt Domino ne sumat inde justitiam. Deus autem qui præsto aderat ad faciendam vindictam respondet eis : « Revertar itaque, quoniam me non exspectastis, et vos ipsos ulti estis maledicendo. »

2. Prius enim malefactor conveniri deberet quare hoc egisset. Si vero responderet se fecisse propter inopiam, religio ei succurreret; si autem propter superbiam hoc egisset, universus claustri conventus Deum ex toto corde rogaret ut hoc ei dimitteret; et aut illum Deus converteret, aut suam ab eo justitiam sine dilatione sumeret.

Cap. LXX. — *Ne liceat cuiquam, vel pastori, aut discipulo, claustrum suum exire causa orandi.*

1. Pastori licet mittere discipulum suum ubique pro sua religione sustinenda. Si vero discipulus causa orandi Jerusalem adit, vel quoslibet sanctos, sua deliberatione vitam suam abnegat, ignorans bonum ad quod venerat. Nam pecuniam illuc ferre non valet nisi diu cæteris eam furatus fuerit.

Postremo quomodo perget Romam vel alibi qui sibi pedes abscidit ?

2. Tandem cum pastor et universus conventus absolvunt discipulum inobedientem causa illuc abeundi, nequaquam eis sufficit ut ipse solummodo a Deo discedat, nisi simul omnes peccati sint participes, abitque discipulus in infernum liber ut sibi videtur, quoniam ab eis absolutus est. Si enim excommunicaretur, formidaret jugiter et forsitan reverteretur.

3. Si vero pastor causa orandi quopiam proficiscitur, ille penitus claustrum absque retentaculo perforat, dicens aliis omnibus ut similiter faciant.

Cap. LXXI. — *Qualiter sermo divinus audiatur.*

Cum aliquis sermonem audit Dominicum, quamvis totum retinere non valeat, tantum proficit cum sibi placet, quantum deficeret si displiceret. At saltem quisque tantum eniti deberet ut inde retineret unde posset anima vivere, donec iterum loqui de Deo audiret : quemadmodum aliquis ad mensam residens tantum de cibo sumit, ut ad aliam come-

stionem attingere possit. Utrique enim necessarium est ut comedat tam corpori quam animæ, et neutrum diu valet vivere postquam ei cibus omnino deficit.

CAP. LXXII. — *De bono quolibet, qualiter, vel quemadmodum fiat.*

1. Multis exemplis quisque posset animadvertere; quidam enim radendo bonum suum metiuntur, quidam autem accumulant, nonnulli etiam additamenta ponunt. Quando bonum fit retrahendo, nec cum magna voluntate, tunc fit radendo; cum opus bonum placet, placere et delectari est cumulus boni. Item nonnullis ob majorem perfectionem displicet, quia melius non egerunt, et ecce additamenta. Hujusmodi vero bonum cumulatum et coagitatum ac superaffluens debet homo Domino reddere, qui comparavit eum charissimo pretio sui sanguinis.

2. Rursus malum ita crescit, dum placet, sicut et bonum : quamobrem majus peccatum est suum inimicum occidere quam amicum. Nam de interfecto amico unusquisque iratus est, et a Deo dimittitur (quoniam homo inde ex corde pœnitet. Tantum vero placet alicui se inimicum suum occidisse, quia vix inde valet ad indulgentiam pervenire : et postquam inde etiam judicium sumpserit, deinde in corde suo dicit : « Deus, benedictus sis qui me de isto ad pœnitentiam peccato adduxisti. Verumtamen multum mihi placet illum esse mortuum qui mihi nocebat. » Et dum hoc considerat, nunquam tam longe fuit a pœnitentia.

3. Est enim pœnitentia, ut quisque pœniteat, quam Deus solummodo homini per gratiam suam attribuit. Nam presbyter faciens judicium prius peccatorem interrogat utrum pœnitentiam afferat, vel ei peccatum displiceat ? Si ipse respondet : « Minime pœnitet, » quod judicium potest ei facere, nisi pœniteat? Si vero dicat : « Pœnitet me, » potest eum judicare et pœnitudinem concedere, quam Deus illi tribuit, videlicet ut semper inde pœniteat.

CAP. LXXIII. — *De majore labore quem patitur aliquis in modico bono, quam si bonum esset magnum.*

1. Majorem laborem patitur aliquis in modico bono, quam si bonum esset magnum : nam parvum bonum minime perducit hominem ad perfectionem divinæ dilectionis in qua requies est, sed magnum bonum facit eum ibi pervenire.

2. Quod si quis quærat quod bonum est parvum vel quod magnum ? quisquis bona facit opera, potest hoc in semetipso videre, nam alii non expedit scire. Si bonum ei placet, et in requie manet dum illud operatur, magnum est : si autem displicet et in inquietudine consistit, parvum est bonum.

CAP. LXXIV. — *De iracundia et anxietate nequam hominis, et de gaudio et dulcedine viri justi.*

Malus homo plorat iracundia et anxietate ; vir A autem bonus plorat gaudio, et dulcedine aliquando. Malus vero minime vult egredi de tribulatione in qua consistit ita ut moriatur; timet enim ut in inferno sibi augeatur : justus autem ex dulcedine in qua manet spe majoris migrare desiderat. Potest etiam unusquisque scire quod magnum erit gaudium quando ridebit homo cum Deo, quandoquidem in præsenti tantum est, dum lacrymatur.

CAP. LXXV. — *De differentia viri justi, et nequam hominis.*

1. In multis sunt similes vir bonus et malus. Ambo possunt vigilare, jejunare, eleemosynas dare et alia bona quamplurima facere; bonus autem potest ex corde dimittere, malus vero minime.

B 2. Quemadmodum si cuilibet viro ditissimo diceretur : « Præbe unum obolum aut interficieris, » facile præberet eum pro vita salvanda. Si quis autem diceret alicui pauperi : « Da mille marchas argenti, vel suspenderis, » suspendi posset, et nunquam eas tribueret, quoniam non haberet. Sic et vir bonus est tam opulentus in bono, quod minime gravatur dum ex corde dimittit : tantum repletur indulgentia, quod antea condonat quam ab eo postuletur. Malus vero tam pauper est in bono, quod nullatenus hoc valet agere, nec etiam credere quod a bono perficiatur.

3. Est autem aliquis qui ob superbiam respuit indulgentiam, cum a viro justo sibi impenditur, C dicens : « Non curo ut mihi dimittas. » Qui vero remissionem exhibet eam nolenti recipere, sic agit ac si prunas super caput et humeros ei perflaret. Tantopere superbienti atque dedignanti pœna infernalis augetur.

CAP. LXXVI. — *De pœnis quas patiuntur injusti.*

1. In hoc potest intelligi quod magnæ fuerint pœnæ quas impius patietur. Vult enim Deus ut sui fideles in hac vita tribulationes sustineant pro suis peccatis redimendis, quibus suam mortem addidit atque suum laborem ad illorum redemptionem. Cumque mors illa nihil prodest perituris, imo pœnam eis adauget : nec propter peccata sua laborem tolerant quem Deus recipiat, imo quantum prævalent ea faciunt, et inde justi sese custodiunt. Sciri D potest itaque quod magnam pœnam sunt habituri; sed voluntas peccandi aufert eis formidinem pœnæ.

2. Tam fidelis est Deus quod mavult a se postulari magnum aliquid quam minimum. Cum vero minus ab eo postulatur, videlicet hujus sæculi divitiæ, quandoque denegatur : majus autem si quis ab eo bene petierit dabit sine dubio, videlicet suum regnum; et ut trahat ad melius, subtrahit aliquando deterius.

3. Quisquis in pace et gaudio sustinet, cum necessaria victui non habet, nondum perfecte est abstinens, attamen bene facit; sed tunc est abstinentia perfecta dum habet coram se quod corpus

concupiscit, et inde se continet ne eo utatur. In hoc autem major est abstinentia, quod aliquis minus appetit de rebus hujus sæculi.

CAP. LXXVII. — *De boni et mali magnitudine.*

1. In magnitudine boni est aliquando mali magnitudo : nam qui Dominum plus agnoscit (quod est magnitudo boni), validius delinquit cum ab eo dissentit. Propter hoc, tam magnum fuit diaboli peccatum, quia tantopere Dominum cognoscebat; et deinde peccatum Adæ, quoniam in tanto bono consistebat. Similiter unusquisque homo quo amplius ei Deus bona sua tribuit corporaliter vel spiritualiter, majorem injuriam facit, cum ab eo dissentit. Hoc etiam debet immittere magnum timorem omnibus hominibus, quod angelus benignus pro quadam mala cogitatione factus est diabolus, et cecidit perenniter. Quid igitur fiet de homine qui quotidie malum cogitat et operatur?

2. Majus bonum arbitratur malus homo se facere pro Domino cum ad tempus a malo se abstinet, quam bonus dum assidue bonum operatur. Quicunque enim justior est, magis omne bonum suum despicit, quamvis charius habeat quam alius quod videtur esse contrarium. Sed hoc modo debet intelligi : Quisquis amplius elaborat pro Domino et magis in bonis enititur operibus, in tantum incitat eum sanctus Spiritus quod opera quæ facit parvipendit, quia nequit ea facere meliora, videturque sibi tardari, quia totum non valet agere quod ei sui spiritus voluntas suggerit.

3. Ita facit Dominus virum justum parvipendere bonum suum, ne illud amittat. et illud tamen tantum diligit quod nullo modo vult ab eo separari. Quisquis autem hoc non intelligit, non multum de divina dilectione sensit.

CAP. LXXVIII. — *De timore viri sapientis quem habet erga bona divina.*

1. Magis pertimescit vir justus de bonis in quibus est ne se coram Deo accusent, quam de criminibus quæ fecit dum esset in sæculo. Nam de criminibus bene novit unusquisque quod dimissa sunt, ita tamen ut inde pœniteat, nec deinceps ad ea redeat : bona vero multis modis homo potest perdere, si alium inde despiciat, aut ea ex se arbitretur habere; vel si dignum se credat quia sibi tribuit Deus facere ea; sive putet quod propterea debeat a Deo salvari, aut si laudari appetat, ut inde Deo honorem auferat, seu propter aliam remunerationem faciat quam in hoc sæculo habeat.

2. Multis etiam modis aliis damnatur aliquis propter Dei beneficia, propter ejus sacrum eloquium, et propter sanctæ Ecclesiæ sacramenta, quoniam aliquis accedit ad ea cum sit indignus. Majorem enim pœnam patietur qui pro bono et malo peribit, sicuti falsi Christiani, quam qui pro malo tantum damnabitur, quemadmodum increduli.

3. Cumque Dominus protegit fidelem suum ab omnibus insidiis bonum impedientibus, gratior est ei et amplius cum laudat quam quia donat sibi crimina quæ fecit in sæculo. Ipsa namque remissio foret ei damnatio nisi a Deo defenderetur, quemadmodum in Evangelio, servo qui dimittere alii noluit

Deus autem tam sapiens est custos, quod bono suo malum adjici non permittit : cum vero aliquis sibi illud attribuit, Deus eum in manus inimici tradit. Valde autem decipitur qui pro bono suo reprobatur.

CAP. LXXIX. — *De reprehensione verborum stulti qualiter ei vir sapiens respondeat.*

Aliquis stultus dicit hoc : « Satis esset mihi mansisse uno anno in religione, tantum ut me Dominus in fine in bonis operibus inveniret, et possem esse confitens. » Vir autem sapiens hoc modo sibi respondeat : « Frater, vis ut post mille annos a gloria sua te Deus projiciat? an ut te perpetuo salvet? » Forsitan respondebit : « Salutem exopto. » Itaque cum sine termino et absque fine vis a Deo salvari, cur ei vis interponere terminum vel intermissionem ad suum servitium faciendum?

CAP. LXXX. — *De consilio dato unicuique ne aliquis stultitia sua bona differat operari.*

1. Summa stultitia est ut homo differat peccata sua confiteri, Dominum exorare, eleemosynas dare usque ad finem vitæ; studiose enim et pro posse suo Dominum impugnat aliquis triginta annis vel quadraginta, et postmodum quamcitius vult ut Deus sibi remittat. Tantumdem autem ad minus deberet elaborare ad faciendam concordiam, quantum elaboravit ad discordiam : amplius enim quisque moratur ad abluendum aliquod quam ad contaminandum.

2. Postremo vero in nullo opere tanta incolumitas vel tanta vis est homini necessaria, quanta ad Deum deprecandum, et ex toto corde diligendum. Cumque corpus deficit atque memoria sibi minuitur, quomodo eum exorabit ac confessus fuerit? Magis enim laborat aliquis solummodo in oculis suis aperiendis cum valde infirmatur, quam si una die pergeret dum convalescit. Nec est rectum consilium cum aliquis dicit : « Ego Deum deprecarer, nisi ægrotarem. » Illi qui benefecerit respondet Dominus : « Cur alias orationes requiris nisi me? Ego sum hic tecum, meum peragens officium. » Si vero negligenter egerit, dicit ei Deus : « Bene scio qualiter egeris dum esses sanus. »

3. Quin etiam non expediret homini ut in fine suo haberet unde sibi vel una eleemosyna fieret vel quo involveretur : magis enim una sibi proderit si sanus eam fecerit, quam innumerabiles factæ post mortem suam; et vix diligetur ab alio magis quam a semetipso.

4. Tantum enim stultus est aliquis, quoniam omne quod possidet vult esse bonum, tam majus quam minus. Verumtamen de anima quæ totum gubernat, operibus dicit : « Sit cujuscunque possit : » nam in potestate inimici eam tradit, cum a malo minime se custodit.

CAP. LXXXI. — *De festinantia ad bonum faciendum.*

1. Omnibus horis atque ætatibus multum Deo placet, si quis ad eum convertitur: sed dum aliquis est juvenis et corpus viride, sanguisque fervescit, omnino placet Domino si quis ei servire incipiat, membra retrahens a malo quod possunt agere, et ad bonum ea convertens. Tunc enim fit hostia viva et Deo placens.

2. Ideoque deberet quisque festinare ad bona opera facienda, quoniam ille qui unam orationem amittit vel aliud bonum, nunquam deinceps illud recuperabit, quemadmodum tempus præteritum retro redire non valet. Nec tantummodo reddet homo rationem Domino de superfluis cogitationibus vanisque sermonibus ac malis operibus, sed de bonis quæ deberet agere, dum mala perpetrat. Quoties enim quisquis non agit quæ Deo placere cognoscit, criminaliter peccat: nec de hoc solo peccato valet quispiam agere pœnitentiam, nisi Deus ei remittat per gratiam suam.

CAP. LXXXII. — *De gravi tentatione cujuslibet justi.*

1. Aliquando contingit viro justo gravis tentatio in oratione sua; et ecce cum ipse dicit: « Domine Deus, adjuva me, » tentationes ei crescunt. Dominus vero respondet illi spiritualiter: « Modo te adjuvo; quanto validius tentaris, tanto melius tibi subvenio, quia te vinci a tentationibus non permitto, nec vales aliter coronari nisi legitime certaveris: quid enim tibi modo faceret consolatio, donec angustias pertranseas, et quam tibi necessarius sim agnoscas. »

2. Fidelis autem Deus est, nec tantum vult suum onerare jumentum, quamvis videat validum, ut ei spina frangatur, nec verberat ut illud prosternat, sed ut in viam reducat et citius pergat.

CAP. LXXXIII. — *Item de eodem.*

Hac ratione vir justus validius tentatur quam alius, quia magis sibi displicent tentationes. Non enim pejus cogitat cæteris qui malam voluntatem sequuntur, sed quanto melior est, tanto magis sibi displicet mala cogitatio, et amplius inde se reum existimat quam alius, dum mala opera perpetrat.

CAP. LXXXIV. — *Item de eodem.*

1. Eodem modo placet Deo cum vir bonus sufferi tentationes, quemadmodum placet quia gratulatur de visitatione divinæ dulcedinis: quod hoc exemplo potest animadverti: Quisquis uxorem habet, si eo absente alius cum illa de adulterio loquatur, nec illa consentiat, nullatenus eam ideo minus diligit quando revertitur; imo tantumdem placet ei quia sese defendit, quantum placet gaudium quod habet quo..iam ipse venit.

2. Milites etiam cujuslibet munitionis si se ab aliquo defendant exercitu, absente suo domino, tantum placebit advenienti domino quia sese defenderint, quantum quod habebunt de suo adventu gaudium. Similiter placet Deo quando vir bonus A sufferi tentationem, et postmodum in ipso Deo gratulatur.

CAP. LXXXV. — *Qualiter aliquis a bono aliquando retrahendus sit.*

1. Est aliquis cui melius est ut a bono retrahatur quam a malo. Non est enim necesse ut viro bono dicatur: Cave ab homicidio vel ab aliis criminibus. Si enim bonus est, cavet quantum valet.

2. Sed cum bonum operatur, tunc debet ei dicere quandoque pastor a quo regitur: Melius posses hoc agere, qualenus discipulus eo magis humilitatem custodiat, quia reprehenditur atque retrahitur ab ipso bono.

CAP. LXXXVI. — *De bono humilitatis cognoscendo.*

1. In hoc potest videri bonum humilitatis: nul-
B lus enim tam peccator est, si ex corde se humiliat, quin eum Deus justum faciat. Multum igitur adauget virtutes viri justi, quandoquidem omnia delet mala peccatoris: et valde Deo placet quando justus sese humiliat, cum sibi tantum placeat de peccatore, quia cum eo concordat.

2. Superbia econtra virtutes destruit cum se viro bono inserit. Sciri potest itaque quia malos pejores reddit.

3. Multum debet homini placere in bona vita diu vivere; multos enim dies tribuit ei Deus cum tanta gratia, quia si quilibet malus unum ex illis in fine vitæ suæ haberet, absque dubio salvus fieret. Magnum igitur erit fidelis præmium qui quotidie lu-
C cratur Dei regnum, quemadmodum malus acquirit infernum.

CAP. LXXXVII. — *De recordatione peccatorum quibus vir religiosus fuit aliquando corruptus in sæculo.*

1. In hoc cognoscit religiosus peccata in quibus erat in sæculo, quia contingit aliqua dierum ut defleat, et in tantum se accuset quod Deus eum faciat ab omnibus criminibus immunem. Sed post bonum cordis affectum invenit in se peccata innumerabilia ipsa die qua defleverat, quamvis post pœnitentiam non sit lapsus in crimen. In quo potest intelligere peccata in quibus erat in sæculo, quando cum Deo minime concordabat.

2. Aliud est vincere semetipsum, et aliud vinci a
D semetipso: qui vitia calcat, seipsum superat; qui a vitiis prosternitur, a semetipso devincitur.

CAP. LXXXVIII. — *De admiratione cœlestium gaudiorum.*

1. Hoc erit mirabile in cœlesti gaudio cum cæteris bonis. Omnes electi pariter ibi adfuerint; nullus præcedet alium, quamvis prior natus sit et obierit; nullique videbitur tarde se illuc advenisse. Omnes enim simul videbunt qualiter divina Providentia in regno cœlorum adfuerint, antequam mundus fieret.

2. Cognoscent etiam quomodo pro peccato suo illud gaudium amiserunt, quod postmodum eis Deus per gratiam suam restituit, et sicut laudabunt Dominum, quia salus eorum fine carebit, lauda-

bunt etiam quia nunquam habuit initium in conspectu Dei.

Cap. LXXXIX. — *Qualiter Deus honoratur tam in reprobis quam in electis.*

1. Eodem honorabitur modo Deus in reprobis quemadmodum et in electis. Sicut aliqua potestas prælians cum alia, si potest eam in prælio devincere et in carcerem suum mittere, tantum honorem habebit in devictis inimicis, quantum in præmio quod dabit suis coadjutoribus : sic erit laus Deo pœna quorumdam et salus aliorum.

2. Sed adhuc erit aliud, quia misericordiam faciet Deus in his qui peribunt, non eis, sed in eis faciet eam cæteris. Quemadmodum si aliquis malignum raptorem destruit, magnam miserationem facit in ejus destructione populo, quem malus opprimebat : sic Dominus in reprobis misericordiam faciet electis suis, quia removebit hos ab illis ne deinceps eos affligere valeant.

3. Hanc misericordiam Jesus Christus fecit discipulis suis quando corporaliter ab eis recessit, et inde Judam amovit. Nimis enim illos vexaret si cum ipsis remaneret. Sed dum Deus corporaliter adesset, ipse permittebat ut Judas expensam deferret, quatenus cæteri essent expediti, ut et latro occupatus esset in nihilo in quo suum habebat animum.

Cap. XC. — *De divinis miserationibus erga animam.*

1. Beatus est cujus peccata nullus videt nisi ipse, et Deus : hæc est enim una de magnis miserationibus, quas sese diligenti Deus exhibet. Vitia quæ habet in se, minime Deus delet ex toto quandiu vivit in hoc sæculo, sed tegit ea quemadmodum tegitur ignis a cinere ; nec ea videt alius nisi Deus et vir bonus. Cum vero Dei famulus ea cognoscit, a semetipso dissentit, et illa discordia pacis est initium.

2. Postremo bonum quod Deus immittit in eo per gratiam suam ostendit populo, facitque virum justum laudari, ex hoc quod nihil ad illum attinet. Verumtamen omnis honor est Domini : nullus enim bonus æstimaretur, si alius videret quod ipse quandoque meditatur.

3. Multoties enim videtur aliquis ubi non est, et non videtur ubi est : corpus in bonis videtur operibus, cor autem longe est ab eo. Propterea Deus facit magnam misericordiam, quia celat hominis cogitationes.

Cap. XCI. — *De Dei misericordia et ejusdem justitia quæ aliquando displicet homini.*

1. Aliquando displicet homini Dei misericordia, aliquando vero ejusdem justitia. Hoc modo continget aliquem impium esse in qualibet patria, dicetque populus : « Cur patitur Deus malitiam istius? minime deberet pati. » Tu vero qui conquereris, de temetipso quid dicis? fecisti nunquam aliquid insipienter? quod si feceris, vis ut te Deus disperdat? Respondebis mihi : « Nolo. » Itaque cum tibi
A non displiceat quoniam a Deo toleraris, cur accusas in alio suam misericordiam, cum similiter tibi sit necessaria? Malitia hominis debet tibi displicere, sed Dei misericordiam debes admirari et ex toto corde laudare.

2. Alio modo displicet homini justitia Dei. Certum est quod super omnia deberet Deum unusquisque diligere ; quisquis autem hoc non agit, saltem placeat ei semper amor qui sibi confertur divinitus. Item si valde non placet, caveat ne displiceat sibi, et hoc ei sufficiet. Respondebit aliquis : « Nunquam mihi displicebit amor quem Deus mihi exhibet. » Verumtamen hoc intelligat : Toties incidit homo in hanc displicentiam quoties ei displicet dispositio divina et justitia in qua Deus vult illum te-
B nere cum ægritudine vel paupertate, sive angustiis quas sibi immittit, ut deserat malum et faciat bonum.

3. Propterea hæc virtus est homini necessaria præ cæteris omnibus, quatenus recto corde concordet cum omnibus divinis actibus atque sermonibus, nullumque reprehendat. Propria vero displiceant opera unicuique, quia cuncta sunt inutilia ; et laudet ea quæ Dei sunt, a quo bona fiunt.

4. Quisquis autem hoc ignorat, sese prorsus accuset : peccata quippe sua impediunt, quoniam hoc non intelligit : Et in nullo potest aliquis melius cognoscere se esse peccatorem, quam in hoc quia non videt secreta Dei, quæ sunt apertiora quam dies
C his qui recte vivunt.

Cap. XCII. — *De magna misericordia quam facit Deus homini justo.*

1. Tantam misericordiam facit Deus super uno justo qui diu in bona vita permansit, cum eum salvat, quantam super aliquo peccatore, qui circa finem vitæ suæ convertitur. Quod si quis quærat quomodo hoc esse valeat quin sit major misericordia salus peccatoris, qui pro ea nullum laborem pertulit, quam justi, qui diu laboravit, nos ei respondeamus : « Non est solummodo tanta misericordia salus justi, sed etiam major. Certum est enim quod in eadem peccata in quæ cecidit alius vel in pejora corruisset justus, nisi semper divinis manibus teneretur. »

D 2. Corruptio namque vitiorum est in cunctis hominibus dupliciter. Itaque Deus facit justo suam misericordiam, cum eum protegit ne peccet, et ei tribuit delectabiliter vivere in operibus justitiæ, postmodum illum salvans per gratiam suam. Nonne major est virtus ut ignis et calor vitiorum non ardeat ubi adest, quam si penitus defuisset? Tandem justus pœna carebit quam alius patietur pro peccatis suis sive in hoc sæculo, sive in igne purgatorio.

3. Ecce alia miseratio : propter hoc etiam Deus facit majorem gratiam super justo, cum eum salvat, quam super alio. Qui enim justior est, majorem habet necessitatem majusque salvandi desiderium. Ille vero qui subvenit homini necessitatem patienti

et mendicanti ex eo quod optat, majorem facit misericordiam quam si subveniret alii curam non habenti. Impius vero nullum habet affectum nec curam salutis; justus suspirat et plorat quoniam inde abest. Quamobrem major est misericordia ut Deus ejus desiderium adimpleat.

CAP. XCIII. — *De extollentia divitiarum Dei.*

1. Tanta est altitudo divitiarum Dei, quia si de illo nihil amplius sciret aliquis, nisi solummodo scriptum reperisset, quod semel in cœlo totius mundi meminisset, magis deberet homo Domino deservire pro illa sola memoria, quam serviat ei pro omnibus quæ fecit, et quotidie facit ad salutem hominis.

2. Item si Deus dixisset: « Illos, qui fecerint voluntatem meam sine fine salvabo. » Et ab eo quæreretur: « Domine, dic eam nobis. » Ipse vero minime diceret, nec ab aliquo fieret, tunc posset homo qualemcunque excusationem habere de peccatis quæ facit per superbiam, possetque dicere veniens ad judicium: « Ego malum non egissem, si scirem quod Deo displiceret. » Deus autem minime suam celavit voluntatem; prius per patriarchas et prophetas eam annuntiavit; ipse etiam in terram adveniens penitus eam locutus est, et postmodum apostoli, cæterique doctores; adhuc dicit eam unicuique homini in conscientia, quando tribuit ei discretionem boni et mali.

3. Quin etiam divina præcepta sunt tanta dulcedine plena, quia, quamvis ea Deus non dedisset, homo deberet ea rationabiliter ab eo postulare et dicere: « Domine Deus, concede nobis hoc agere, quod nobis erit levius nos invicem diligere, et in pace consistere. » Itaque, cum Deus hoc præcipiat, nonne est multum crudelis et magna pœna dignus quisquis non vult hoc agere?

CAP. XCIV. — *Qualiter sit corpus Christi accipiendum.*

Hoc rationabiliter dici posset communicare volenti: « Frater, vis recipere corpus Jesu Christi? vis etiam ut totum Deus se tibi præbeat? Si hoc desideras, Deus paratus est ut se totum tibi tribuat tali pacto, ut totum ei similiter te præbeas, quandoquidem illum habere totum exoptas. » Considera quoque in corde tuo si Deus ultra modum aliquid requirat, quia tibi dicit: « Te totum mihi da, ego me totum tibi dabo. » Et tu frater quod illi tribues retinebis, eritque tuum. Cæterum quod retinebis, nec ei dare volueris, erit in perditione. *Qui enim amat animam suam perdet eam, et qui perdiderit, lucrifaciet eam, quemadmodum dicit Evangelium* (*Marc.* VIII).

CAP. XCV. — *De cogitatione necessaria circa finem.*

1. Cum hac cogitatione oporteret unumquemque surgere, atque cubare et omnia opera sua facere, ut semper voce cordis diceret: « Domine Deus, hodie tantum me defende, ne discedam a te; heri quippe non me bene continui, sed hodie me modis omnibus emendabo, quandoquidem finis meus adest: » A et quasi coram oculis suis mortem teneret, quotidie quoque bona opera faceret pro unius diei induciis, quasi, ut ita dicam, pedem teneret sublevatum causa mutandi in aliud sæculum.

2. Postremo cum in ægritudinem venerit et cognoscet non diutius se victurum, postquam confessus fuerit et pœnituerit de peccatis suis, convertat cor suum ad gratiam Jesu Christi et ad amorem quem habet erga membra sua; meminerit etiam majoris boni quod ei Deus facere tribuit, et inde ei gratias agat; tandem cum memoria bonorum operum, cum fide quoque et spe salutis migraret ex hoc sæculo.

3. Verumtamen unicuique necessarium esset ut ad hoc diu laboraret, et ut saltem auderet obire, B deberet quisque velle in justitia permanere: qui enim Deum diligit, aliquando migrare appetit ipsius videndi desiderio, nec propter aliud debet aliquis velle mori.

CAP. XCVI. — *De charitate et excellentia charitatis.*

1. Vera charitas suum habet honorem in cœlo, et majori excellentia, quia Deus est suus amicus, nec vult se degenerare. Ex omnibus quæ corporaliter aspicit, minus semper appetit, viliora vestimenta, et deteriorem cibum, tantum ut quoquomodo præsentem diem transire valeat, et frequenter revisere thesaurum thalami sui, videlicet Jesum Christum, quem habet in corde suo.

2. Pluris facit rex hujus sæculi quemdam obo- C lum, quam charitas universas mundi divitias: nunquam enim meliorem vult habere domum quam cœlum. Potest etiam dici quod multum est cupida, cum totus mundus ei sufficere non valeat. Quisquis autem eam habet, non curat ut aliquis de illo loquatur; magis vult absconditus et abjectus in hoc sæculo permanere, observatque plenius divina præcepta; non enim terret eum adversitas, neque paupertas. Rex vero cœlestis facit admirabilem pulchritudinem ipsius cunctis suis civibus, quia sese abjecit: unusquisque angelus scit melius laudare et honorare Dei amicum, quam mundi homines universi.

3. Item multum placet veræ charitati, quia Deus ei præcipit inimicos suos diligere, levius enim ma- D net dum eos diligit, quam si odio haberet; et penitus gratulatur, quia Deus ei jubet pro suis orare persecutoribus. Hoc etiam considerans maximam eis misericordiam faciet Dominus qui pro illo labores patiuntur, quandoquidem pro cæteris amicos suos torquentibus vult rogari, eisque vult misereri.

4. Hæc sunt opera, et cogitationes veræ charitatis. Sed fortassis dicet aliquis: Ecquis eam potest habere? Procul dubio hæc est via per quam sanctus Petrus cæterique electi ascenderunt in cœlum. Qui vero tantumdem vult habere, quantum unus ex ipsis, et sic salvari desiderat sicut et illi, nonne faciet quidpiam de hoc quod ipsi fecerunt? saltem tantum faciat. Credat absque dubio quod

facere deberet. Quod si bene credit, declinabit a malo et faciet bonum pro viribus suis.

CAP. XCVII. — *De gratia Jesu Christi erga electos.*

1. Qui totum habet cor suum in gratia Jesu Christi, lætatur. Quoniam Abraham cæterique Patres Veteris Testamenti descendebant in infernum cum morerentur. Si quis enim solis bonis operibus posset salvari, nunquam Moyses, nec sanctus Joannes Baptista, et alii quamplures illuc descendissent, qui perenniter ibi adessent, nisi Dei Filius eos inde liberaret.

2. Opera quippe justorum omnium qui sunt ab initio mundi usque ad finem, si cuncta forent unius videlicet ab illo facta, malum quoque quod alii fecerunt esset bonum, et totum foret ejusdem, adhuc ei non sufficeret ut uno tantum momento cœlestem videret gloriam, si Dei gratia defuisset. Nullus enim valet viribus suis quidquam promereri nisi pœnam. Illi vero qui obsecutus est Domino amplius, satis Deus fecisset, si eum tantum a pœnis infernalibus liberaret, nec non etiam matri suæ, quandoquidem omnes homines eas meruerunt pro peccatis in quibus nascuntur.

3. Hoc est autem summum cunctis hominibus consilium, ut unusquisque recte vivat quo amplius potuerit, præstolando Dominum. Ipse vero quod ei placuerit faciat sive de pœna, sive de salute. Quamvis enim certissime sciret aliquis se fore damnandum, non ideo oporteret ut a Dei servitio cessaret.

4. Quandoquidem Jesus Christus omnia peregit quæ humanæ saluti sunt necessaria, nec in illo defuerit quin homo salvetur, nisi in culpa uniuscujusque, cur ergo aliquis suum subtraheret ei servitium? Verumtamen non est Deus crudelis, sed fidelis, et salvabit obsequentes sibi. Bona vero opera, quæ Deus operatur in homine, ex gratia sunt, salusque similiter; et ex una gratia vult Deus ut speretur et alia. Qui vero primam respuit, id est bona opera, non est dignus secunda, hoc est salute.

CAP. XCVIII. — *De honore justorum.*

Multis modis Deus se diligentem honorat. Major quippe honor erit homini, quia Deus eum tantummodo gratia sua salvabit, quam si salvaret eum bonis suis operibus. Nonne honorabilius esset cuilibet pauperi, si quidam rex abiret illum longe quærere in alienam terram, cumque adducens ad curiam suam sibi consedere faceret, ac regni sui dominum constitueret, quam si pauper regem quæreret? Similiter ovis, quæ perierat, nonne honorabilius rediit ad domum cum ipse pastor eam quæsivit, suisque humeris imposuit, quam si sua sponte venire inciperet, nec alius eam deferret. Sic est major honor homini, quia Deus est de ejus salute sollicitus.

CAP. XCIX. — *De inhonestate reproborum.*

1. Hac etiam ratione potest intelligi dedecus et inhonestas reproborum; illi namque nulli rei culpam imputabunt nisi sibimetipsis, qui voluntate sua A sese damnaverint. Deus enim neminem unquam damnabit, nec habet unde, nisi quis ei tradiderit: imo libenter eos salvat qui eum sequi desiderant.

2. Tunc homo delectatur in Deo, cum Deus primum delectatur in eo; tunc aliquis requiescit in Deo, cum Deus primum requiescit in illo; tunc homo Deum recipit, cum Deus est in ipso. Deus enim in nulla re valet requiescere nec delectari nisi in semetipso, nec aliud Deum potest recipere. Nisi enim ita esset, aliud bonum Deus invenisset præter semetipsum, in quo bonum est universum.

CAP. C. — *De securitate quæ debet haberi tantummodo in Domino.*

1. In nullo potest inveniri securitas nisi in Deo. B Qui enim vitas sanctorum auscultat, et quos pro Domino labores perpessi sunt, nihil aliud sibi dicunt nisi quod itidem faciat. Eorumque passiones non sunt redemptiones nisi sibimetipsis; imo sunt terrores ei qui non vult illos imitari.

2. Similiter creaturæ ratione carentes et assidue in Dominica dispositione permanentes debent homini magnam verecundiam magnumque terrorem incutere, quoniam ipse ratione utitur, et tamen a divina dispositione discedit: et sic in cunctis rebus terror invenitur.

3. Sed solus Jesus Christus se diligenti dicit: « Omnia opera mea feci pro te, tibi sum natus atque baptizatus, mea mors est vita tua, mea reC surrectio tua remissio, mea ascensio est tua glorificatio. » Apparet itaque quod cætera omnia terrent hominem: et Deus solummodo qui pro eo passus est eumque magis diligit, securum reddit.

CAP. CI. — *De quæstione discipuli facta ad pastorem.*

1. Quidam discipulus quæsivit hoc a pastore nostro: « Domne, cum in tot tantisque rebus jus divinum defendis, qua ratione præcepit Dominus filiis Israel ut thesaurum ab Ægyptiis mutuarent secumque deferrent (*Exod.* XII)? videtur esse rapina. » Cui respondit: « Frater, hoc aperte justum fuit; isti namque diu illis servierant, isti vero pro servitio malum illis retribuerant; justo quoque judicio Deus justus judex voluit ut illi mercedem laD boris sui secum deferrent, quam isti sibi defraudaverant. Est autem alius spiritualis intellectus. Quod similiter membra Christi thesaurum sanctæ Scripturæ acceperunt a Judæis remanentibus in Ægypto, id est in hujus sæculi tenebris. »

2. Iterum discipulus idem hoc cum interrogavit: « Domne, tu dicis quod Hierosolymitanam terram Deus dilexit magis quam aliam, in tantum quod de cæteris regionibus illuc amicos suos adduxit; ipse etiam ibi de Virgine natus est, et frequenter in Scripturis vocat eam terram promissionis. Mirum est itaque quia voluit eam talem esse: non enim ibi sunt prata speciosa, nec optimi fontes, nec ditissima flumina; sed aqua in cisternis, asperitas etiam et calor magis quam in multis terris. »

Hanc quæstionem pastor solvit hoc modo: « Frater, in hoc potest considerari quam admirabilis sit dispositio divina. Ideo namque corporalem inde removit delectationem, ut amici sui in eo tantum delectarentur, et amor suus esset eis pratum, fons, flumen, et quodlibet aliud refugium. Nisi enim Deus sciret aliud sæculum esse melius, nullatenus amicos suos illuc transferret, quin etiam nullo modo matrem suam deciperet.

3. « Sed pro cœlesti gaudio præsens subtrahit aliquando, non tamen eo modo quatenus amicos suos in hoc sæculo tristes deserat ac desolatos, sed tantum quasi Deus hoc vult agere, quia tunc servos suos in majori tenet requie, cum mundus considerat quod ipsi laborem patiantur; magis enim inde honoratur, cum in angustiis eos requiescere facit. Aliquando vero ut infideles erubescant, ostendit populo dulcedinem in qua corporaliter amici sui consistunt, dum cruciantur, sicut legitur de tribus pueris, qui benedicebant eum in fornacis igne (*Dan.* III); alios vero quos ita non liberat corporaliter, ut fideles ibi sumant exemplum patientiæ, tantopere consolatur in spiritu, quod majorem laborem patiuntur qui eos cruciant, quam servi Dei qui cruciantur. »

CAP. CII. — *De divina dulcedine.*

Multum est Deus dulcis Dominus; quoties enim aliquis vult cum eo humiliter loqui in oratione sua, Deus adest paratus ut hominis sermonem audiat. Si quis autem vellet loqui secreto cum quadam sæculi potente persona, posset fieri quod nequaquam ipsa die cum ipsa loqueretur qua ante eam venisset.

CAP. CIII. — *De doctrina salutari ad unumquemque.*

Hoc debes intelligere quicunque cum Deo loqui familiariter exoptas, quod Deus non te exaudiet, nisi tecum fueris cum eum rogaveris. Nam quomodo tuus amicus ad te veniret, si tu, cum eum invitas, prior fugeres? Cave itaque ne vanis cogitationibus cor tuum discedat a te, et in oratione tua Deum præsentem invenies.

CAP. CIV. — *De quæstione cujusdam discipuli facta ad magistrum cum de oratione loqueretur, et de responsione ejusdem.*

1. Cum pastor de oratione loqueretur, prædictus discipulus interrogavit eum qualiter esset ibi manendum. Cui respondit sermonem hujuscemodi: Moyses in oratione sua manus ad Deum erigebat, cum Josue minister ejus pugnabat cum Amalec, et quandiu manus elevatas tenebat, populus suus vincebat: cum manus demittebantur, ille vincebatur: tandem Aaron et Ur sustentaverunt ei manus donec victoria fuit perpetrata (*Exod.* XVII).

2. Alibi reperitur quod Maria Magdalene veniens ad Dominum pro suorum remissione peccatorum, procidit ad pedes ejus: cui Deus condonavit propter magnam dilectionem qua replebatur (*Luc.* VII): nam antea diligebat eum, quam illuc advenisset. Et ita Moyses manus levabat ut magis Deum diligeret et melius exoraret: Maria Magdalene inclinavit se ad pedes Jesu. Idcirco cum aliquis in oratione sua secretius fuerit, eo modo se adaptet quo Deum amplius diligere potuerit, vel sedendo sive stando, aut humi prostratus, sive flexis genibus.

3. Verumtamen secum ducat humilitatem, sine qua Dominus illum non audiet ad suam utilitatem. Cum enim ipsi discipuli sanctus Jacobus, sanctusque Joannes Jesum Christum absque humilitate rogarent, respondit eis: *Non est meum dare vobis sedere ad dexteram meam, vel ad sinistram, sed quibus paratum est a Patre meo* (*Matth.* XX). Estote alii quam modo sitis per humilitatem et dabitur vobis. Omnis enim vis orationis est in magnitudine divinæ dilectionis; amor vero divinus locum suum non invenit, nisi in humilitate, et ideo Jesus Christus humilitati promisit excellentiam in regno cœlorum, quia nihil aliud in terra reperit a quo diligatur.

4. In omnibus etiam operibus vult Deus ut tempus observetur et locus, nisi in oratione. Secundum tempus vult ut psalmos dicat aliquis, et de Deo loquatur, audiatque loqui atque laboret; et sic de cæteris. Nam propterea diversa Deus dedit præcepta, ne quis in servitio suo fastidiret, posset que mutari ab uno in aliud causa majoris delectationis; sed in unoquoque opere vult ut semper eum quisque deprecetur, dicens in corde suo: « Deus, hoc tantum facio ut te diligere valeam. »

5. Alicui vero quodlibet agere volenti dicit Dominus: « Si velles, ego tecum pergerem, teque juvarem in hoc quod agere disponis. » Tunc qui sæculum diligit, respondet: « Alii auxiliare, mihi vero minime. » Hoc operibus dicit, quoties a divinis præceptis discedit, et ob superbiam qua homo divinam respuit societatem, respondet Dominus ei postmodum in oratione sua: « Quia me noluisti habere in illo opere socium, ego modo precem tuam non recipiam. »

6. In cunctis operibus placet disciplina Domino, sed penitus in oratione, hoc modo: Quando vir bonus Deum deprecatur pro tribulatione sui ipsius, vel alterius, et tandem sic ad Domini voluntatem suam convertit, quod nec audet eligere, nec vult dicere: « Deus, ita perfice; » sed totum ponit in ejus electione, tunc justus in Dei permanet disciplina, unde oratio ejus est commoda, quemadmodum fidelis discipulus in obedientia sui pastoris consistit, postquam semetipsum abnegavit, nec vult suam eligere voluntatem.

7. Quisquis autem firmam habet fidem, sic laudat Deum ex eo quod sibi denegat, quemadmodum de cætero quod sibi attribuit, tam in rebus corporalibus quam spiritualibus. Sicut enim Deus censum præbet ut inde sibi serviatur, ita subtrahit ut magis diligatur: et quemadmodum una virtus unam] virtutem juvamen tribuit ad salutem,

ita subtrahit aliam ne quis corruat in superbiam.

8. Omne bonum commune melius est quam aliud. Attamen aliquando rogat Deum aliquis pro suo familiari amico (quod est bonum agere) hac intentione, quatenus consideret propter illam orationem se magis posse Dominum diligere. Quo enim amplius homo quodlibet appetit, eo majori desiderio rogat eum qui sibi valet inde subvenire; et quocunque modo quisquis valeat ad Deum accedere, bonum est ei, vel rogando pro semetipso, vel pro amico, sive pro inimico, seu pro omnibus communiter.

CAP. CV. — *Item alia quæstio facta ad magistrum a supradicto discipulo.*

Rursus discipulus a pastore suo quæsivit qua ratione Scripturæ dicant : *Laudate Deum, Benedicite Deum*, cum Deus humana benedictione non indigeat. Cui ita respondit : « Sancta Scriptura nihil præcipit nisi ad salutem hominis; cumque ipsa admonet : *Laudate Deum, Benedicite Deum*, omnis utilitas ad hominem revertitur. Quoties enim aliquis bono dicit animo; Deus, lauderis, Deus, benedicaris, Dominus respondet continuo : « Et tu qui me laudas, lauderis; et qui me benedicis, benedicaris. Et hac ratione potest intelligi Deum hoc modo respondere, quia nullus valet Deum benedicere, nisi prius a Deo benedicatur, et sua gratia præveniatur. Itaque cum benedictio prius a Deo proveniat penitus, cum homo Deum benedicit, ipse suam auget benedictionem atque dilectionem. »

CAP. CVI. — *Quod sit perfectius Deum laudare quam rogare.*

1. Perfectius est Deum laudare quam rogare. Ille namque qui laudat, adeptus est quod exoptat; jamque ministerium facit in terra quod ab angelis fit in cœlo : alius qui rogat nondum securus est; imo in dubitatione permanet.

2. Si quis autem recte viveret semperque Deum diligeret, nunquam sibi necessarium esset eum rogare, sed laudare, et amplius absque dubio ei Deus impenderet quam ipse postulare sciret. Homo vero qui totum cor suum habet in Domino, multoties hoc considerat, dicens in spiritu suo : « Domine Deus, quid a te postularem? Multo plura fecisti propter hominem quam ulla creatura cogitare valeret, temetipsum et cætera omnia dedisti accipere volenti, et voluntatem tuam facere desideranti. » In hac cogitatione, vir bonus Deum laudat, nesciens quid ab eo requirat : sed quia propter fragilitatem suam nequit semper in hac consideratione permanere, iterum sunt preces necessariæ.

CAP. CVII. — *Item quæstio supradicti discipuli ad magistrum.*

1. « Rursus idem discipulus quæsivit ubi tot cantica nova inveniuntur quæ assidue cantantur in cœlo? Cui pastor dixit : « Jesus Christus suos in Evangelio docuit discipulos, quod est canticum novum quod in cœlo canitur, dicens illis : *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem* (*Joan.* XIII), hoc est charitas, quæ nominatur canticum novum, quia renovat hominem, et de filio tenebrarum facit lucis filium. »

2. « Hæc est charitas, quæ est in terra canticum novum hominibus, et etiam in cœlo canticum novum angelis. Quoties enim quemlibet electorum vident sursum ascendere, de ascensu illius canticum novum concinunt; et si nihil haberent amplius, unde Deum laudarent, nunquam de illo solo ad finem pervenirent, quandoquidem super uno peccatore pœnitentiam agente gratulantur, ut ait Dominus in Evangelio (*Luc.* XV). Penitus congaudent videntes eum salutis suæ consortem, atque scientes quod ipse non deinceps delinquet. Cumque de Dei Filio videntes eum carne indutum, et ascendentem in cœlum admirati sunt, dicentes : *Quis est iste Rex gloriæ?* (*Psal.* XXIII.) bene præ gaudio mirantur, cantantque novum canticum, quando membra caput sequuntur. »

CAP. CVIII. — *De honore justorum.*

1. Multis modis honorabit Dominus quos salvabit; nam de omni malo quod agere possent, et pro Deo agere noluerunt, mercedem suam habebunt; de peccatis quoque quæ fecerunt unde a Deo conversi sunt, gloriam et honorem possidebunt. Nam quanto amplius quisque peccavit, tanto magis aspiciet eum omnis cœlestis curia pariter dicens : « Videte hunc, admiramini hunc, qui totum infernum meritus fuerat, quem postmodum Deus bona militia et virili certamine inde liberavit. »

2. Quemadmodum miles, peracta victoria, magnum habet honorem in ictibus quibus sese ab inimicis suis defendit, simulque laudatur de plagis quas sustinuit, quia se minime prostraverunt : sic amici Dei honorem habebunt in virtutibus quibus sese defenderunt, et in peccatis quæ in ipsis fuerunt, nec eos ad damnationem præcipitaverunt. Et tunc adimplebitur quod Apostolus ait : *Diligentibus Deum omnia cooperatur Spiritus sanctus in bonum* (*Rom.* VIII). Verumtamen Deus non vult ut homo misericordiam ejus vel istum honorem consideret ideo ut malum faciat, sed ut peniteat et bona opera faciendo speret salutem.

CAP. CIX. — *De amœnitate in qua consistit vir justus aliquando.*

1. Nemo per scripturam, vel sermonem quem audiat, valet intelligere delectationem in qua vir bonus consistit, nisi aliquid inde senserit. Tantum enim delectatur in Dei servitio, quia, quamvis veraciter sciret nunquam pro criminibus fore se damnandum, nullatenus ea faceret. Tantum placent ei virtutes! Et quia cœpit in terra cœlitus vivere, multoties etiam in corde suo meditatur quam dulce erit, ut homo cognitus ad cœleste regnum veniat.

2. Sicut enim miles cum ad regis curiam venit, et proceres cum agnoscentes eiquo assurgentes ad

sedendum invitant, de illa susceptione gratulatur: sic placet justo, cum ascendit in cœlum, et angeli cognoscentes eum, cum gaudio suscipiunt propter societatem quam cum ipsis habuit, quandiu fuit in hoc sæculo suspirando, lacrymando, Dominumque collaudando. Pro hac sola cognitione, quamvis cætera deessent, vir bonus enititur ad bona opera facienda.

3. Alio quoque exemplo potest intelligi exspectatio quam habent angeli in hominis salvatione. Postquam dives aliquis sponsam suam fœderavit, diem qua vult suas celebrare nuptias, suis amicis notificat; eosque secum congregans, multis modis alloquitur de uxore ducenda, quatenus eam advenientem honorifice suscipiant; ipse vero sua sponsalia misit ubi illa moratur. Multum est autem imperita mulier, cum pro uno pomo, si a quodam garcifero sibi præsentetur, respuit donum quod ei suus sponsus miserat, et ad illum ire recusat. Anima hominis est sponsa Christi quam pretio sui sanguinis lavit. Sursum ubi ipse est, eam cum amicis suis præstolatur ut sibi consociet: deorsum in terra carne sua reficit eam ac sanguine, ne moriatur fame. Nonne itaque est nimis stulta infelix anima, cum pro quodam pomo quod illico putrescet, id est sæculi negotio, se vertit in mendacium, cum diabolo faciens adulterium, respuitque vestem charitatis quam Jesus Christus vult ei tribuere, cum qua procedat ad illum. Fidelis autem anima tantum hanc vestem diligit quod antea totum corpus secari permitteret, quam ipsam desereret: quare ab angelis recognoscitur veniens inter illos, et honoratur.

CAP. CX. — *De casu angeli et requie justorum.*

1. Diabolus in cœlo nullam requiem invenit, ubi requies est universa, quoniam ibi a Deo dissensit. Abraham et multi alii, in inferno ubi tormenta sunt, nullam pœnam pertulerunt, quoniam ibi Deum diligebant. Ideo potest sciri nullam esse requiem nisi divinam dilectionem.

2. Hoc idem contingit quotidie, quod malus homo nihil boni invenit ubi bonum est; vir autem bonus, invenit illud ubi non est. Hoc modo, cum aliquis Dei servus cuilibet pravo homini subvenit in nomine Jesu Christi, suscipiens eum in nomine justi, tantum boni in eo sibi reperit, quantum credit. Malus vero cum virum bonum aspicit, nihil in eo boni invenit, quia nihil inesse credit: quemadmodum Judas in Jesu Christo. Et idcirco bonum aliquis non credit in alio, quia non habet in semetipso; quamvis tantum boni nemo credere valeat in viro justo, qui valde Deum diligit, quin amplius habeatur. Si enim bonus est, Deus in illo habitat, et bonum Dei a nemine valet comprehendi.

CAP. CXI. — *Item de zabulo.*

1. Si quis consideret cur diabolus tam cito de cœlo cecidit, aperte potest intelligere qualiter in supernis ageret, si Dominus ei permitteret: quan-
A doquidem deorsum in terra Dei Filium interfecit, videns eum carne indutum.

2. Omnes quoque reprobi, qui nunc illum sequuntur, certi qualiter ei contigerit, evidenter ostendunt operibus, quia si tunc cum eo forent angeli in cœlo, similiter eum sequerentur. Et oro his omnibus boni viri, atque angeli Dominum collaudant, quia propter honorem illorum, et ut melius cognoscant requiem in qua consistunt, voluit Deus ut essent diaboli et pœnæ infernales.

CAP. CXII. — *De dono Spiritus sancti.*

1. Idcirco Jesus Christus non dedit apostolis Spiritum sanctum, dum esset cum eis in terra corporaliter, quoniam ipse consolabatur eos, et erat eis Paracletus: et si tunc eis daret, quemadmodum
B postea dedit, cæteri fideles possent hoc cogitare, dicentes: « Non amodo Spiritum sanctum habebimus, sicut habuerunt apostoli, quia Jesus Christus amodo nobiscum non erit in terra corporaliter sicut fuit cum illis; » sed in die Pentecostes misit eis de cœlo, ut exinde semper eum exspectemus.

2. Immisitque saporem eis in cunctis operibus suis: unde festivitas illa potest vocari condimentum cæterarum festivitatum. Opera quippe divina, quamvis essent dulcia, forent eis insipida, nisi Spiritus sanctus in eos adveniret. Potest autem sciri quod magnam dulcedinem in semetipsis amici Dei sentiunt, quandoquidem amaritudinem aliorum dulcorant, cum eos suavitate sui sermonis tan-
C gunt.

CAP. CXIII. — *De solemnitate Pentecostes.*

Festivitas Pentecostes potest comparari diei sancto Parasceves, quando Dei Filius inhoneste de Jerusalem ejectus est crucem collo deferens. Propter quod Pater cœlestis tantum honorificavit eum in die Pentecostes, quod magis ipso faciente, laudatus ac testificatus est ab uno discipulorum suorum (*Act.* II), quam omnes increduli eum dehonestassent. Et certum quod propter illud dedecus honorem lucratus est: talis enim est patientia.

CAP. CXIV. — *De differentia boni et mali.*

Bonum quod agitur, quo amplius placet, eo majus est, et malum similiter. Verumtamen nemo malum in tantum concupiscit, quin alius bonum vali-
D dius desideret. Hoc autem exemplo potest intelligi. Nulla delectatione peccati, vel quolibet censu, vult aliquis in corde suo ab alio interfici; si vero dicatur cuiquam Deum diligenti: « Aut a Domino discedes, aut interficeris, » mortem sustinebit ac Deo adhærebit. Potest igitur intelligi quia magis ipse diligit bonum quam alius malum.

CAP. CXV. — *De auxilio sanctorum.*

Hoc modo sancti auxiliantur rogantibus se. Cum aliquis beatam Mariam vel quemlibet sanctorum deprecatur, Dominus suscipiens orationem propter bonam devotionem, ostendit hoc in semetipso eidem sancto, quasi diceret ei: « Hanc misericordiam pro amore tuo feci me deprecanti. » Nec debet credi quod aliquod novum in cœlo Deo refera-

tur : nullus enim bonus spiritus aliquid novit, nisi A quod ei Deus ostendit. Cum vero sancti in Deo cernunt miserationes quas pro amore illorum facit, laudant eum gratias agentes, et una conspecta statim aliam aspiciunt, nec habent necessitatem rogandi, sed laudandi, atque diligendi, sicut ait Psalmista : *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te* (*Psal.* LXXXIII).

CAP. CXVI. — *De remuneratione justorum.*

1. Nullus in hoc sæculo valet Deum cognoscere vel laudare digne : et quidquid prophetæ, et apostoli cæterique sancti de illo dixerunt, fere potest dici quod nihil est, et dedecus, ad comparationem divitiarum Dei. Magis enim uni dabit electorum, quam cuncti potuerunt excogitare, nedum dicere. Nunc etiam in præsenti vita aliquis vir bonus tan- B tum quandoque de divina sentit dilectione, quod ipse nequit dicere, nec in scriptura ponere.

2. Cumque hoc quod habet in semetipso non valeat homo totum cognoscere nec dicere, quid digne de Deo loqueretur respectu magnitudinis ejus? Quin etiam de uno solo membro, si diligenter inspiciatur, nemo valet rationem reddere cur os non audiat, cur oculus non loquatur, cur auris non videat; cum hæc tria in uno sint capite, et uno spiritu vegetentur. In hoc vir sapiens divinam potentiam admiratur; stultus etiam non valet auscultare quatenus hoc sit mirabile.

CAP. CXVII. — *De mutua charitate regni cœlestis, et adimpletione ejusdem.*

C 1. Charitas non erit plena donec sit in regno cœlorum : sed tunc adimplebitur cum quisque electorum diliget unumquemque aliorum sicut semetipsum, et omnes alii diligent eum tanquam semetipsos. Postmodum vero pariter omnes tam angeli quam homines amorem suum convertent ad Dominum, ipsumque magis diligent quam semetipsos : sed nunquam Deus victus fuerit; nam magis unumquemque illorum diliget, quam omnes invicem sese diligere noverint, vel Deum diligant. Dabit etiam se totum unicuique non particulariter, sed integre : sicut multi homines solem aspiciunt, nullusque alii facit impedimentum, sed unusquisque totum habet.

2. Sed multum est homo desidiosus : si enim D certissime dignosceretur quod unus apostolorum Dei alicubi descendisset, et loqueretur ad populum, quam plures homines illuc concurrerent! Cur igitur illuc non curritur ubi sunt omnes? Idcirco debet eniti vir sufficienter edoctus bonis sermonibus, ut eos exerceat operibus, quatenus sibi placeant. Sicut enim favus dulcior est homini illum comedenti quam aspicienti : sic sermo divinus dulcior est animæ illum perficienti, quam si auditu vel scripturis sciret, et minime perageret.

CAP. CXVIII. — *Qualis debet esse vir justus in meditationibus suis.*

Bonum est ut vir bonus aliquando consideret qualis futurus est in regno Dei : sed penitus bonum est ut assidue cogitet qualis debet esse in hoc sæculo, quandiu vivit. Bene facit qui a diabolo se vinci non permittit; sed non multum perfectus est, nisi diabolum vincat. Ille se vinci a diabolo non permittit, qui se a malo custodit : ille vincit diabolum, qui cæteros ab ejus servitio removet, majorem faciens perfectionem. Nulla major est perversitas quam aliquem velle laborem tolerare ut eat ad pœnam, et nolle in pace permanere ut eat ad gaudium.

CAP. CXIX. — *De misericordia quam Deus fecit Susannæ.*

1. Magnam misericordiam fecit Deus Susannæ, defendens eam ne lapidaretur; sed majorem ei fecit miserationem protegens eam a peccato, ne falsorum judicum voluntati consentiret. Si enim lapidaretur cum non peccasset, nullum esset incommodum nisi coram populo; si peccaret, infernum meruisset.

2. Ad priorem vero miserationem Deus nullum habuit ministrum, nisi semetipsum quia cor mulieris aspiravit : unde penitus major fuit, et etiam ideo major fuit, quia prima misericordia perduxit eam ad secundam. Ad secundam autem ministrum habuit Danielem, cui dixit : « Vade, et dic Babyloniis quod eos omnes Susanna devicit, quamvis omnes ignorent : illa namque permansit in veritate, et illi in falsitate. »

CAP. CXX. — *De eo quem Deus permittit a se in pace recedere.*

1. Majus infortunium esse nequit homini, quam cum Deus eum pacifice permittit a se discedere. Deus enim spinas et sepes electis suis in via ponit, cum se ab illo volunt elongare, ut ait propheta (*Ose.* II), ne suam pravam voluntatem operibus adimplere valeant. Cæteris, quos Deus non esse salvandos prævidit, aliquando prosperitatem in via permittit, unde sibi graviores pœnæ fuerint infernales. Isti a Deo in pace discedunt, quibus Dominus absque omni contradictione permittit in hoc sæculo suum malum adimplere desiderium.

2. Non est mirum si homo non videns eligit deterius ex circumstantibus. Qui sæculum diligunt non habent oculos, nisi tantum in carne : spirituales enim claudit eis cupiditas, ideoque deterius eligunt. Boni viri melius eligunt, quoniam illud clare vident atque cognoscunt. Si quis esset in aliqua platea circa meridiem, non valens solis aspicere claritatem, cum dies esset præclarus, certe posset dici quod nihil videret. Itaque penitus est cæcus qui Dei claritatem non intuetur, a quo sol illuminatur. Qui Dei non meminit, nec ejus mandata diligit, videtur sibi quod Dominus non sit memor illius, nec curam habeat. Si enim sciret quomodo Dominus intuetur omne malum quod cogitat et operatur, nullo modo faceret.

CAP. CXXI. — *De sermonibus divinis audiendis.*

1. Quicunque divinos sermones non vult operi-

bus adimplere, videtur sibi, cum eos audit pronuntiari, non esse bonum sicut a Deo dicitur; sed ita bonum esse quemadmodum ipse vult agere.

2. Qui toto corde vellet Deum diligere, magis deberet gaudere, audiens alii censum attribui, vel potentiam, sive dignitatem in hoc sæculo, quam si sibi tribueretur; hac ratione quoniam noverit alius inde melius proficere, illudque melius disponere et in bonum expendere, prout credere debet. Item alia ratione debet idipsum penitus placere: unusquisque homo, si salvari appetit, debet magis velle ut alius habeat impedimentum animæ, quod est in hoc sæculo, et elongationem a Deo, quam de semetipso.

Cap. CXXII. — *De decimis sermo.*

O homo injuste, suas Domino decimas auferens, ausculta suum jus et rationem quam Deus habet in decimis. Tu operaris in terra, et jacis annonam in eam, ac postremo colligens, reservas eam. Nunc autem intellige qualiter Dominus ibi quod suum est faciat. Ipse terram suam habet in qua laboras, ferrumque suum atque lignum quibus operaris. Deus suas ibi tradit bestias, quæ te juvant ad laborem faciendum. Annonam, quam illuc projicis, a quo habes, nisi ab illo? Fortitudo tua et brachia nonne sunt sua? Postquam annonam in terram sparseris, atque cum pulvere miscueris, quis eam inde tibi colligeret, nisi Deus tantam curam ageret? Ille suam mittit pluviam atque solem, suumque frigus atque calorem, suumque rorem atque pruinam, aeremque suum temperatum: quod totum ibi est necessarium. Denique unicuique grano segetis suam thecam facit ut crescere valeat atque multiplicari. Tandem advenientibus messionibus, qualiter ageres, nisi tunc Deus potius suum solem illuc tibi mitteret? Postquam etiam annonam messueris atque trituraveris, necesse est ut Dominus ventum suum immittat ad separanda grana a paleis. Ad ultimum nisi septempliciter, aut eo amplius invenires quam seminasti, conquerens de Domino laborem tuum plangeres. Apparet itaque quia justo judicio novem partes Dei sunt; et decima, tua propter laborem, quem ibi sustinuisti. Deus autem tantæ est clementiæ, quod novem partes, quæ sui juris sunt, tibi concedit ad omnia facienda quæ tibi sunt necessaria. Itaque redde ei decimam: si retines eam, omne aliud lucrum vertis in injustitiam.

REGULA SANCTI STEPHANI

CONFESSORIS

AUCTORIS ET FUNDATORIS ORDINIS GRANDIMONTENSIS.

(Divione, apud Petrum Palliot, typographum, regis bibliopolam et calcographum, sub signo Reginæ Pacis, ante cameram rationum regiarum, 1645.)

PROLOGUS.

De unitate et diversitate Regularum.

Filii mei et fratres dilectissimi, quamvis sit ardua et arcta via quæ ducit ad vitam (*Matth.* VII), magna tamen est domus Domini, et ampla ac spatiosa valde, nullis coangustata terminis, ad quam per arduam et arctam viam illam pervenitur. Ad domum illam Patris summi, in qua Filius multas testatur esse mansiones (*Joan.* XIV), diversæ viarum optiones, tritæ semitarum directiones, multiplices graduum ascensiones sunt, de quibus per Psalmistam ad Dominum dicitur: *Beatus vir, cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit* (*Psal.* LXXXIII). Per has ergo itur de virtute in virtutem, ut videatur Deus deorum in Sion (*ibid.*). Quæ viarum diversitates, quamvis a diversis Patribus scripto sint commendatæ, ita quod appelletur Regula beati Basilii, Regula beati Augustini, Regula beati Benedicti, tamen non origo religionis, sed propagines sunt; non radix, sed frondes sunt: una est enim fidei et salutis prima ac principalis Regularum Regula, a qua omnes aliæ, quasi quidam rivuli de uno fonte derivantur, sanctum videlicet Evangelium apostolis a Salvatore traditum, ac per ipsos in universum mundum fideliter annuntiatum. De hujus itaque plenitudine fontis inexsiccabilis omnes quotquot fideles ante nos transierunt accipientes haustum inexplicabilem, nobis qui hodie vivimus, aliisque, qui post nos usque in finem mundi futuri sunt, reliquerunt. Fons iste vivus patet omnibus, nulloque repellente, inde pro suæ quisque capacitatis viribus, qui possunt capere ca-

piunt (*Matth.* XIX). Habemus namque in ipso quædam nobis sub certis mandatorum terminis omnes generaliter ascripta; habemus et in ipso specialia consilia per ipsum cui dictum est a Domino : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me* (*ibid.*), ad maximam nostræ salutis perfectionem concessa; et alibi : *Qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* (*ibid.*). Fuit igitur mirabilis summi Patris pietas et ineffabilis supernæ providentiæ dispensatio, ut ea nobis mandata imponerentur, in quorum obedientia humanam naturam ipse, quem nullum secretum latet, novit esse compotem, si plene ac diligenter in auctorem suum velit intendere. Unde merito inobedientiæ rea judicaretur, si ea surda aure præterire præsumeret. Ea vero darentur in consilio, quorum obsequela ita gravis esse videretur, ut humanæ facultatem naturæ pene transcendere plures existiment, quorum tamen transgressores inobedientiæ culpa non damnentur. Sunt ergo ista talia Domini consilia, ante votum libertas, et arbitrium, post votum vero in legem transeunt et in debitum. Cavendum itaque summopere vobis est, fratres mei, ne, postquam ad aratrum gratuito misistis manum, retro respiciatis, ne forte veniat vobis in opprobrium uxor Loth (*Luc.* XVII) et sus lota, iterum involuta luto, et canis reversus ad vomitum (*II Petr.* II), neve sitis omnibus subsannatio et illusio (*Psal.* LXXVIII), secundum illud Evangelicum : *Iste homo cœpit ædificare, et non potuit consummare* (*Luc.* XIV). Sacrificate ergo Deo sacrificium vespertinum (*Psal.* CXL); quoniam *qui perseveraverit usque in finem, salvus erit* (*Matth.* X). Christo igitur veræ viti, tanquam palmites adhærentes, Evangelii ejus præcepta, quantum, ipso donante, poteritis adimplere curate, ut quærentibus cujus professionis, vel cujus Regulæ cujusve ordinis, vos esse dicatis Christianæ religionis primæ ac principalis regulæ, Evangelii scilicet, quod omnium regularum fons est atque principium, qualescunque vos observatores confiteri non erubescatis : *In multis enim offendimus omnes* (*Jac.* III). Nec non apostolicis ac canonicis institutionibus subjectos et sanctorum Patrum vestigia sequi quoquomodo cupientes dicere audeatis. Verumtamen si quis a vobis sive bono, sive non bono animo (*non enim omnes obediunt Evangelio* [*Rom.* X]) vestri mores ordinis interrogaverit de omnibus, quæ audire voluerit, sicut a nobis accepistis, benigne respondete quibus auditis, si in aliquo traditiones vestras Evangelio contrarias, aut sanctorum Patrum monitis oppositas vobis rationabiliter ostenderit, corrigendas esse doctorum arbitrio concedo, quas ego peccator, licet exigui sensus, secundum quod a doctoribus et valde religiosis accepi viris, et juxta Patrum regulas diu incumbendo didici, Deo opitulante, disposui. Confido itaque de vobis, fratres, in Domino, quod nullius catholicæ religionis immunes, nullarum regularum prædictorum Patrum, vel aliorum orthodoxorum expertes esse, ab aliquo calumniari poteritis, si vobis in unum manentibus juxta formam apostolicam sit cor unum et anima una in Domino (*Act.* IV). Ecce enim, ut credo, gustastis quam dulcis est Dominus (*Psal.* XXXIII), et quam bonum, quamque jucundum habitare, fratres, in unum (*Psal.* CXXXII). Sint ergo vobis omnia communia, sit mutua charitas, et unus invicem dilectionis affectus; nec quisquam vestrum existimet sibi aliquid esse proprium, nisi ut invicem diligatis, invicem obediatis.

REGULA SANCTI STEPHANI.

BULLA CLEMENTIS PAPÆ III

QUA SANCTI STEPHANI REGULAM CONFIRMAT.

CLEMENS *episcopus, servus servorum Dei, dilectissimis filiis fratribus Grandimontensibus, salutem et apostolicam benedictionem.*

Rationis ordo requirit, et consuetudinis ecclesiasticæ norma commendat, ut quæ dubitationem in observantia Christianæ religionis adducunt, provisione moderationis apostolicæ declarentur. Ne igitur de Regula vestra in posterum quæstio referatur, quam bonæ memoriæ Urbanus prædecessor noster de consilio et assensu cardinalium et multorum episcoporum Italiæ, præsentibus ex vobis, tam clericis quam conversis, ad ejus firmitatem et perpetuam pacem, per osculum pacis assensum præbentibus noscitur correxisse; quod in ejusdem privilegio plenius continetur, eam sub sigillo in præsentibus scriptis de verbo ad verbum duximus inserendum, quæ talis est :

CAPUT PRIMUM.

De obedientia.

(25) Quisquis hanc religionem, Deo inspirante, ingredietur, primo promittat obedientiam Deo et pastori qui eum recipiet, suisque successoribus, deinde fratribus tam præsentibus quam futuris. Polliceatur etiam præsentem Regulam, et cætera hujus religionis instituta usque in finem se fideliter observaturum. Et propter hujusmodi professionem, quam primo facturus est vobis, fratres charissimi, in unum congregatis, ut uno corde Deum diligatis primum præcipimus in obedientia Dei et pastoris vestri, et fratrum invicem sine murmure et hæsitatione constanter perseverare, quoniam adversum se tantum debet quisque murmurare, non et adversus alium, tum propter multitudinem bonorum temporalium, quibus indigne utitur, tum propter pravitatem morum unde reus habetur. Hæsitatio est contra fidem quam debent habere fratres istius congregationis, in obedientia pastoris sui, cum dicit: « Fratres, vos in quemdam locum pauperem ibitis; sed necdum ibi libri sunt, nec etiam ædificia. » Quod si quis propter hoc hæsitet, sic ei respondeatur: « Non est peritus religionis, quem terret paupertas; nulla res enim tantopere securum reddit hominem in amore divino quemadmodum paupertas, illum præcipue cui placet ex corde. Qui autem sæculum diligit, se liberum arbitratur, cum temporalis honor vel aliquis census ei donatur; qui vero Deum amat, sese impeditum inde existimat. Nemo quidem tantum est expeditus quantum obediens discipulus; quia nunquam se retardat, sed Deo semper appropinquat. Obedientia melior quam victimæ (*I Reg.* XV): quisquis enim obediens est, sese Deo sacrificat, et hoc magis placet Deo quam si aliud offerret ac seipsum retineret. Rursus alia ratione evidentius ostendere possumus quomodo obedientia melior est quam victimæ, sicut enim ait Apostolus: *Christus factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod et Deus illum exaltavit et donavit illi nomen, quod est super omne nomen* (*Philip.* II). »

Quoties etiam fidelis discipulus præceptum pastoris vel fratrum libenter perficit, Deus ei peccata sua dimittit. Obedientia quoque virtutes inserit, insertasque custodit: nam sine obedientia nullum est bonum salutare; homo quippe inobediens nihil valet agere quod ei proficiat ad salutem. Item, si in qualibet parte cordis sui vir religiosus possit invenire quod velit temporaliter exaltari, nondum sæculum plene reliquit; hoc scilicet minime reliquit, quod adhuc in seipso reperit; nec debet se quispiam a sæculo abscindere, sed prorsus eradicare: radix enim pullularet, si ibi remaneret: aliter enim nequit esse perfecte obediens, donec inde recedat integre, ac seipsum penitus abne- A get (26). Certum est etiam quia quicunque sponte sua non vult obedire homini in hoc sæculo, obediet invitus cunctis inferni dæmonibus, foretque sibi melius ut esset obediens universis mundi hominibus quam uni tantum diabolo.

CAPUT II.

De non eligenda obedientia.

Præter hæc omnia, debet cavere discipulus ne unquam eligat quid sibi pastor præcipiat: nam si hoc eligeret, neuter inde posset proficere; imo sciat frater absque dubio quia si electione sua velit alicubi manere, ut meliores cibos et vestes habeat, et delicatius vivat, pastore hoc forsitan ignorante, eumque in propria voluntate sequente, si forte ibi moriatur, timendum est animæ suæ, sicut enim B Dominus ait: *Qui amat animam suam perdet eam; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam* (*Joan.* XII). Rursus debet discipulus obedientiam adeo diligere, ac propter pastoris sui voluntatem propriam odio habere, quatenus hoc ei dicat: « Pater, vos illuc me mittitis, ubi jussu vestro maneo; attamen si scirem vobis magis placere, ut me alio mitteretis, et propter displicentiam meam, inde me transmutare recusaretis, nequaquam animæ meæ pastorem providum vos reputarem: vos enim voluntatem meam sequeremini, non ego vestram: » ideoque debet unusquisque plus alienam voluntatem quam propriam diligere, et libentius facere, quia magis in hoc lucratur. Item, C sive frater oret, sive aliud faciat, semper sit paratus obedire, nihil obedientiæ præponendo: nam assidue laudat Dominum qui jugiter facit ejus voluntatem. Nec propter quamlibet virtutem Deus homini tantopere secreta sua revelat, quemadmodum propter obedientiam, cum ab eo subtiliter et absque mora intelligitur. Quisquis autem eam injungit, debet ibi communem utilitatem diligenter inspicere, in quo maxima discretio sibi necessaria est, ne profectum suum magis quam aliorum in hoc consideret.

CAPUT III.

De præmio obedientiæ.

Certisime debet credi quia quisquis in obedientia moritur deinceps non judicabitur; diabolus enim D nihil invenit unde discipulum obedientem tenere possit. Jesus Christus etiam nullatenus eum judicabit, qui sese judicavit, ac propter ejus crucem bajulandam seipsum illi obtulit. Sed potius cum eo, quem statuet a dextris suis in die judicii, cæteros judicabit (*Matth.* XXV).

CAPUT IV.

De terris non habendis (27).

Omnes terrarum possessiones quæ sunt extra metas locorum vestrorum, vobis tanquam peregrinis, et hic manentem civitatem non habentibus, sed futuram in cœlis inquirentibus (*Hebr.* XIII), ex toto

(25) Hæc verba et cætera hujus religionis instituta sublata sunt ab Innocent. IV in conc. Lugdunensi.

(26) Ab hoc verbo, *certum est* reliqua hujus capituli sublata sunt ab Inn. IV.

(27) Totum hoc capitulum est sumptum ab Innoc. IV.

interdicimus; quoniam cum cæteris mundanis ingredientes eremum eas dimisistis, et ad anteriora semper est extendendum. Nam unicuique homini, cum mortuus est, tantum terræ sufficit ubi sepeliatur; verumtamen grandis esset admiratio, postquam in sua reclusus est sepultura, si alii mortuo, qui est juxta eum, suum auferret sepulcrum. Fratres, ita et vos debetis esse mortui, quantum spectat ad negotium sæculi, ut enim ait Apostolus: Oportet nos mori peccato ut vivamus Deo (*Galat.* xi). Nonne tantum terræ vobis sufficit, unde claustrum ad habitandum faciatis? Claustrum voco ipsum nemus infra terminum habitationis vestræ vobis datum, ut ibi, ne vita vestra sit otiosa, laborem vestrum exerceatis, et ædificia vestra construatis. Tantam autem violentiam inferre debetis, extra claustrum vestrum, terras possidentibus, quantam infert unus mortuus alteri. An ignoratis magnum fetorem exire ab homine mortuo, cum de sua extrahitur sepultura? minimus est fetor ille: non enim longe lateque diffunditur respectu fetoris et infamiæ quæ procedet ex vobis, ac per multas dispergetur et sentietur provincias, si propositum vestrum relinquentes, terras acquirere cœperitis. Nomen enim Dei per vos blasphemabitur, et dicet populus: « Isti sub specie humilitatis nemus introierunt, sed modo capita levare incipiunt. » Parum quidem concupisceret qui terram mundi universam vellet habere, nec aliud. Deum velit homo habere, et cœlum et terra pariter, et quidquid est suum erit, dicente Apostolo: *Tanquam nihil habentes et omnia possidentes* (*II Cor.* vi). Et iterum: *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei* (*I Cor.* iii). Vos profecto terras habuistis, sed scienter eas reliquistis, quoniam Deo vos elongabant. Et quia terras patrimonii vestri absque injuria possidere non poteratis, omnino pertimescimus si alienas acquireretis, vos inde Deum penitus offensuros; ut enim [ait] beatus Hieronymus: Nemo terram istam per mansuetudinem, sed per superbiam possidet. Terrarum vero si vultis habere sufficientiam, nullam penitus habeatis extra clausuram sive metas locorum vestrorum. Nam omnis terra continua est, et si quamlibet terræ portionem acquisieritis, deinde aliam sibi cohærentem habere volueritis et sic cupiditas vestra vix aut nunquam finietur, sed potius illam maledictionem incurretis, quam Dominus per Isaiam prophetam terribiliter minatur, dicens: *Væ vobis qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis, usque ad terminum loci. Nunquid habitabitis soli vos in medio terræ* (*Isai.* v)? Ergo, fratres, terras relinquite, ut Deus post se vos dignetur ad cœlum trahere.

CAPUT V.

De ecclesiis non habendis.

Ecclesias et res ad ipsas pertinentes, prædicta

A ratione, scilicet quia cum cæteris mundanis eas amore divino reliquistis, vobis rehabere omnino prohibemus, ut sitis imitatores Apostoli dicentis: Quæ retro oblitus, in ea quæ ante sunt extentus, sequor ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Jesu (*Philip.* iii).

Præterea populis et ecclesiis, tam vicinis quam remotis, non amplius quam arbores nemoris ubi habitatis, si fieri potest, noceatis. Itaque tricenarium septenarium annuale, vel quodlibet pretium pro missa nominatim vobis oblatum, nullatenus accipiatis. Nec etiam judicia pœnitentiæ viris exterioribus injungere præsumatis; hujusmodi namque negotium nihil ad vestrum spectat propositum.

B Rursus crucem sanctam in die sancto Parasceve, nullis ad ecclesias suas eodem die recurrere valentibus, in ecclesiis vestris adorare permittatis, necnon vicinis aquam benedictam de ecclesiis vestris, ad domos suas deferre volentibus negare debetis. Dominicis etiam et festis diebus, quibus eis convenit, in ecclesiis suis divinis interesse officiis, si ad audienda missarum solemnia apud vos frequenter venerint eos non recipiatis; si vero quandoque, Deo inspirante, vos visitare voluerint, a divinis non excludantur officiis. Quos etiam, propriis reatibus ab episcopis vel presbyteris suis, excommunicatos esse noveritis, quousque eos sua recipiat, nec vestra ipsis concedatur ecclesia. Hinc enim minus reverentiæ et beneficii suis ecclesiis exhibe-

C rent. Si quis autem ecclesias vobis dare voluerit, nullatenus accipiatis. Tanta namque perfectio ad regimen ecclesiarum est necessaria, quod perfectos earum rectores vix aut nunquam imitari sufficeretis, imperfectos vero et inutiles, nullo modo sequi debetis; nec solum vos oportet cupiditatem et invidiam a vobis expellere, sed etiam omnia unde possunt procedere.

Quinetiam si ecclesias vos habere contingeret, quomodo curam ageretis aliorum, qui mortui estis mundo, et membris abcisis a sæculo, pedibus caretis ad ambulandum, ore ad loquendum, et ideo nec vestri curam agere potestis, quanto minus et aliorum? Quamvis enim alius regat vos, nec vos regatis alios, valde tamen lætari deberetis, si libere

D Dei præsentiam adire possetis.

CAPUT VI.

De bestiis non habendis (28).

Quoniam omne genus bestiarum, cum cæteris rebus mundanis pro Domino reliquistis, eas recuperare vobis omnimodo prohibemus, ut scilicet sollicitudinem, quam in eis emendis, multiplicandis, vendendis excerceretis, in solius Dei servitio adhibeatis. Quanto enim expeditiores a cura temporalium, tanto liberiores eritis ad cœlestia adipiscenda. Nam, sicut ipsa Veritas ait: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei* (*Luc.* ix). Ideoque potissimum omnis

(28) Hoc sublatum est ab Inn. IV.

generis bestias vobis interdicimus, quia, si velitis in hoc sæculo temporaliter exaltari sive in acquisitione terrarum, vel ecclesiarum, vel quorumlibet aliorum, magna pecudum copia non sit vobis mundanæ exaltationis occasio et materia; nihil enim vehementius religionem dissipat quam cupiditas et multitudo divitiarum. Cumque spatiosa pascua pascendis pecudibus idonea minime possideatis, si bestias haberetis, aliena pascua forsitan occuparent, essetque magnus clamor vicinorum, dicentium: « Utinam isti eremitæ nunquam advenissent, nam multiplex eorum possessio multiplex nobis infert impedimentum. »

CAPUT VII.

Quod amore bestiarum amor divinus minueretur (29).

Item si bestias haberetis, eas nimirum amaretis, quantumque amoris pecudibus exhiberetis, tantum divinæ dilectionis vobis subtraheretur. Nam, sicut maximus pecuniæ acervus efficitur minimus, cum in plures dividitur acervos, sic animus hominis, quo amplius in diversos amores dividitur, eo minus habet in se divinæ dilectionis: quamvis enim totus sit in se collectus, tamen est minimus ad Deum diligendum; quid ergo dicendum, cum in diversas partes divisus fuerit?

CAPUT VIII.

Quod ascensuros in altum deceat exonerari.

Inutili consilio utitur quisquis ascensurus in altum gravi se onerat pondere, cum se potius deberet exonerare; cum ergo in cœlum velitis ascendere, cur illo pondere vos oneraretis unde exonerati estis; quamvis enim penitus essetis expediti, grandis tamen esset admiratio, et magna Dei miseratio si quandoque illuc possetis ascendere, ut enim dicit Evangelium: *Arcta est via quæ ducit ad vitam* (*Matth.* VII). Nunquid vos qui sola intentione spiritualium huc venistis, et oves summi pastoris esse proposuistis, pastores furibus et prædonibus fieri permittemus? Absit!

Præterea summopere cavere debetis ne quis occasionem in vobis inveniat, qua vestrum claustrum vos exire compellat.

Postremo credite cœlesti magistro dicenti: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo et tinea demolitur, et ubi fures effodiunt et furantur; thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur; ubi est enim thesaurus tuus, ibi est et cor tuum* (*Matth.* VI).

CAPUT IX.

De quæstu vitando.

Quandiu sine quæstu uno die quoquomodo vivere poteritis, aliquid ab exterioribus quærere non præsumatis (30). Sed vos a nobis fortasse quæretis quomodo post mortem nostram vivere valeatis, eo quod ecclesias, terras bestias, redditus, et etiam quæstum vobis interdicimus. Quibus ita respondemus: « Deum solum vobis relinquimus, cujus sunt universa, cujus etiam amore cuncta pariter ac vosmetipsos reliquistis. » Quod si hanc vitam observantes ei constanter adhæseritis (non tamen secundum voluntatem vestram quæ humana est et falli potest, sed secundum dispositionem suam quæ divina est et falli non potest), ipse vobis velut dominus, cui cura est de servis, cuncta necessaria sine dubio ministrabit: ipse namque suis ait discipulis: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII). Si vero, quod absit! a Deo recesseris et præsentis Regulæ transgressores fueritis, illi nimirum injuriam faceremus, si ipsum vel sua vobis relinqueremus.

CAPUT X.

Quod potius a Deo, quam ab homine sit quærendum.

Verumtamen quæstum ex toto vobis non prohibemus, sed tamen vobis dicemus quomodo quærere debeatis. Itaque diligenter considerate a quo necessaria potius sunt postulanda ab eo qui habet, vel ab eo qui non habet; ab eo qui dare vult, vel ab eo qui dare non vult; ab eo qui prope est, vel ab eo qui procul est. Si forte redeatis ad sæculum, ut aliquid ab aliquo amicorum vestrorum postuletis, forsitan carebit facultate, vel voluntate largiendi vobis, quod ab ipso petieritis. Nec non et facile tædiosi eritis, si prædicta occasione frequenter ad eum redeatis. Etsi precem vestram non exaudierit, tam vos quam ipse pariter erubescetis, et quamvis nullum aliud damnum inde patiamini, tamen claustrum vestrum, non absque periculo, vos exire continget. Quod si quislibet amicus vester, vos plerumque visitaverit, nihilominus eum a vobis alienare poteritis si ab eo sua petieritis. Petite ergo a Domino qui *prope est omnibus invocantibus eum in veritate* (*Psal.* CXLIV), et qui multo amplius potest et vult vobis tribuere, quam vos velitis accipere; petite, inquam, a Domino dicente discipulis suis: *Amen, amen dico vobis, quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (*Joan.* XIV).

CAPUT XI (31).

Quod Deus nunquam desit adhærentibus sibi.

Sed forte sunt, et ego novi qui simulata pietate, vobis dicant: magister vester, insolito more, vobiscum vivere disposuit: fiet, fiet tantisper, dum ipse vixerit; sed, eo mortuo, sine terris, vel ecclesiis, vel redditibus, aut bestiis, aut saltem quæstu, in eodem voto diu manere non poteritis. Non erit ita; non erit ita, fratres mei; imo, ut timeo, peccatis meis exigentibus, plurima spiritualia et corporalia bona Deus vobis differt in posterum. Quod si mihi non creditis, ipsa opera post mortem meam hoc vobis declarabunt, si in hac vita perseveraveritis. Qua ratione poterit contingere ut Deus vobis desit, si ei adhæreatis, cum vos ipse pasceret, dum eum impugnaretis, et sæculum diligeretis?

(29) Hoc totum sublatum est ab Inn. IV.
(30) *Sed vos* reliqua sublata sunt ab Inn. IV.
(31) Totum hoc capitulum sublatum est ab Inn. IV.

CAPUT XII.

Quod vere pauperibus sit Deus dispensator providus.

Paupertas sit vobis thesaurus et divitiæ. Cumque sæculares adeo suas ament divitias, quibus tendunt in infernum, vos multo charius vestras diligite, hoc est paupertatem qua tenditis in cœlum. Item si divites esse cupitis secundum sæculum, semper eritis pauperes; si pauperes esse desideratis secundum Deum, semper eritis divites, dicente psalmista: *Divites eguerunt et esurierunt, inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono* (*Psal.* XXXII). Itaque, fratres dilectissimi, Dominum dispensatorem vestrum constituite, et vobis firmissime dicimus quod nunquam cellarium vestrum erit vacuum, dum claves illius Deo commiseritis, dicente propheta: *Jacta super Dominum curam tuam et ipse te enutriet* (*Psal.* LIV).

Iterum vobis dicimus: Ne quæratis eleemosynas quandiu una die quoquomodo vivere poteritis; vos autem optime nostis unitatem quæ debet esse inter vos, ut scilicet paupertas et abundantia vestra sit omnibus communis.

CAPUT XIII.

De permissione quærendi.

Si vero Deus, ut vos probet, ad tantam inopiam vos devenire permiserit, ut omnino victus deficiat, episcopo in cujus diœcesi locus habitationis vestræ fuerit, prius eam ita manifestare potestis. Indigentiam nostram, domine, quam illic patimur, nolumus vos ignorare. Quod si vos super hoc exaudire noluerit postquam biduo in cella jejunaveritis, duo de fratribus in religione firmiores ad quærendum humiliter exeant, per molendina scilicet et domos, ostiatim velut cæteri pauperes eleemosynas petentes. Acceptis autem eleemosynis, unde cum cæteris fratribus una die vivere valeant, in cellam revertantur, et eas singulis, cum gratiarum actione distribuant.

In hujusmodi vero quæstu, amicos præcordiales devitent, ne paupertati eorum, quam tunc temporis forsitan sicut et vos patiuntur, vestra quasi cumulus adjiciatur et vobis subvenire nequeuntes, gravius affligantur? Quod, ne aliquem gravetis, semper cavere debetis. Sunt etiam quædam vilis pretii, quæ si necesse sit, a vicinis vestris licet vobis quærere, verbi gratia, ut palea, fimus et hujusmodi. Quibus si poteritis et necesse fuerit, aliquid eo præstantius retribuere non differatis.

CAPUT XIV.

Quod Deus in hac vita perseverantibus semper necessaria provideat.

Verumtamen si in hac vita constanter perseveraveritis, rara aut nulla necessitas vos redire coget ad sæculum, causa quærendi aliena, quando enim major egestas fuerit, tunc majori vigilantia Deus vobis necessaria providebit, quia si Deum solum A thesaurum vestrum feceritis, amando paupertatem, dum ipse abundabit, vos nequaquam egebitis. Sic igitur in omnibus, pro posse vestro, Deo communicare studeatis, ut sitis pauperes in hoc sæculo; sicut et ipse fuit et sic eritis perpetuo divites, ubi ipse dives est in æternum. Tandem in hujus vitæ dilectione et perseverantia, vos alia ratione possumus confirmare. Quinquaginta namque fere anni transierunt, in multa fertilitate alii, alii in magna sterilitate, me manente in eremo sub hujusmodi voto, nec tamen in ubertatis tempore, quidquam mihi superabundavit, nec tempore egestatis aliquid mihi necessarium defuit. Similiter vobis eveniet, si hæc instituta fideliter custodiatis. *Primum ergo quærite regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia* B *adjicientur vobis* (*Matth.* VI).

CAPUT XV.

De modo emendi.

Cum aliquid emere volueritis, mandate alicui amicorum vestrorum, quatenus hoc vobis afferat: quod si vobis dare voluerit postquam ab eo ad emendum petieritis, nullatenus accipiatis (32). Sed nobis fortasse dicetis: « Melius mercabimur, si nundinas adeamus. » Hoc vobis prohibemus. Nam multo melius vobis est parum substantiæ amittere, quam redeundo ad sæculum animam perdere. Absque dubio vobis dicimus quia si in justitia permanseritis, idcirco census vester nunquam vobis minuetur. Hinc enim scriptum est: Timentibus C Deum nihil deest (*Eccli.* I), nec his qui eum diligunt in veritate (*Psal.* CXLIV).

CAPUT XVI.

De modo vendendi.

Vestra pro alienis commutare potestis, cum vobis necesse fuerit. Verumtamen annonam, vel quodlibet aliud propter expensam vestram a vobis comparatum, si carius potestis vendere quam emistis, nulla cupiditate id faciatis. Hinc enim negotiatores efficeremini. Imo potius, quod venditis vilius vendere, et quod emitis carius emere vobis præcipimus (33), ut semper a fraude declinetis. Nam prohibet Apostolus ne quis in negotio circumveniat fratrem suum (*I Thess.* IV).

CAPUT XVII.

D *De modo mutandi.*

Quoties nummos vel alium censum ab aliquo mutuare volueritis, nisi sit supellex aliqua cum certo reddendi termino, nullatenus accipiatis. Hoc autem vobis accommodanti dicite: « Cum facultas erit reddendi reddemus; si vero aliud pactum et certum inquirit terminum, nulla inopia compellente, accipiatis; caretis enim redditibus unde redderetis. » Ergo possetis delinquere, si diem certum ei constitueretis. Cavete igitur a mendacio, et in veritate permanete: *os enim quod mentitur occidit animam* (*Sap.* I), censum autem vobis accommoda-

(32) *Sed nobis fortasse.* Reliqua hujus capituli sublata sunt ab Inn. IV.

(33) Inn. IV dicit *consulimus.*

tum si quis dare voluerit, nulla paupertate cogente, A accipiatis.

CAPUT XVIII.

De modo accommodandi.

(34) Si quilibet amicus vester velit a vobis censum vestrum mutuo accipere, nulla necessitate, quam ipse patiatur, nullo etiam beneficio vobis ab ipso collato, aurum vel argentum sive annonam ei accommodetis. Si vero quodlibet horum velit a vobis mutuare, ei vos potestis et accommodare, date potius illi, amore ipsius qui vobis hoc tribuit; si tamen dare possitis absque damno vestræ religionis, et sic majorem perfectionem facietis; si enim alicui pecuniam vestram accommodaretis, et ipse interim modicum quid vobis tribueret, inde feneratores esse possetis. Cavete igitur ne prædicta B accommodetis; non est enim contra Evangelium, si non accommodatis et dare vultis.

CAPUT XIX.

De non eligendis muneribus.

Si quis, sola Dei gratia commotus, vobis aliquid de suis, juxta libitum vestrum dare volens benigna charitate dixerit, ut de duobus aut pluribus quod amplius vultis, eligatis, se quod electum fuerit, daturum promittens, nequaquam sit vestrum eligere, sed suum; hoc solum quippe elegistis abjecti esse in domo Dei (*Psal.* LXXXIII); sic autem ei respondete: « Deus vobis immisit voluntatem tribuendi, quod nobis præsentatis, et quia sine inquisitione nostra, velle et posse faciendi bonum quod vultis C facere, vobis tribuit: De cætero non fatigabitur, sed vobis ostendet quid nobis præbeatis. Nam ipse solus novit quid nobis et vobis necesse sit. »

CAPUT XX.

De confraternitate vitanda.

Comessationes, quas populus confraternitates vocant, nullo pacto faciant apud vos. Si vero ubi vos non fueritis nec nuntium vestrum miseritis, confraternitatem constituant, et postmodum pro velle suo, inde vobis aliquid afferant, licite potestis accipere, et secundum ordinem vestrum modeste expendere. Quod si huc venire, et in locis vestris convivium suum facere, et requiem spiritualem, in qua cum Deo permanere debetis, imminuere voluerint, nullatenus id fieri permittatis, nec psalmos D dicere, nec aliud divinum officium propter pecuniam celebrare præsumatis. Deus enim exaudit orationem quæ fit ex charitate, reprobans eam quæ procedit ex cupiditate.

CAPUT XXI.

De eleemosynis non eligendis.

Item omnes eleemosynas quas Spiritus sanctus generabit in cordibus hominum, absque inquisitione et electione vestra licite potestis accipere. Hac etiam sola ratione, quamvis cæteræ desint rationes, cavere debetis ne a viris sæcularibus eleemosynas quæratis, quia magis placebit eis cum vobis non quærentibus, nec eligentibus eas dederint, quam si quærentibus et eligentibus eas vobis præberent. Et quo amplius hoc eis placebit, eo gratius a Deo recipientur. Vos autem velle debetis de singulis hominibus, tanquam de vobismetipsis, ut divinam faciant voluntatem. Si vero inquisitione vestra exteriores viri vobis eleemosynas tribuerent, minus eis placeret, et tanto magis eleemosyna coram oculis Dei minueretur, quanto magis bona voluntas eorum decresceret.

CAPUT XXII.

Quod ad nullum promissum mittatur nisi quid et quantum sit prius designetur.

Rursus si quis vobis dixerit: Mittite ad annonam, vel ad alium censum meum, et dabo vobis ex eo; nolite inquirere de rei promissæ quantitate, ne sitis rei cupiditatis, quam nisi vobis ipse designaverit, mittere non præsumatis. Quod si postea vos interroget: « Quare non misistis, » sic et respondete; « Ignorabamus rei promissæ quantitatem, et ideo aut vos aut nos, in hoc delinquere possemus. Si enim ad majus misissemus quam nobis dare disponebatis, inde conqueri possetis: Et si plus nobis tribueretis, hoc vobis subtraxisse videremur; si vero ad minus misissemus, forsitan vobis displiceret, et ideo mittere noluimus. » Denique si rei quantitatem vobis designet, licite potestis mittere, quandoquidem ipso afferente hoc acciperetis, superbia videretur nisi mitteretis, semper autem in corde vestro diligenter investigate quomodo cupiditatem amplius vitare possitis. Et absque dubio vobis dicimus, quod plus etiam pecuniæ temporalis, idcirco habebitis, *inquirentes enim Dominum, non minuentur omni bono* (*Psal.* XXXIII).

CAPUT XXIII.

Quales redditus liceat habere.

(35) Si quis vobis dixerit: « Hujusmodi eleemosynam dabo vobis annuatim in terra mea, tam ego quam filii mei, minime respuatis. » Sic autem ei respondete: « Quandiu vobis placuerit, hoc accipiemus. » Postea vero ipso retinente qui dederat, vel hæredibus ejus, aut aliquo raptore, hoc eis auferente, petere potestis hoc modo: « Nolumus vos ignorare quod eleemosynam, quæ nobis annuatim tribuebatur, accepistis: » Quo ostenso, si placet ei quatenus hoc vobis reddat, date gloriam Deo: quod si facere noluerit, ne repetatis, id est cum eo judicio minime contendatis, sed Deo gratias agite, quia sibi placuit quod hoc vobis tandiu permisit habere; hujusmodi redditus tantum vobis habere concedimus; quandiu possessores eorum vobis eos reddiderint, accipite; cum retinuerint, eos patienter dimittite. Vos ergo memores consilii Jesu Christi dicentis: *Qui aufert quæ tua sunt ne repetas* (*Luc.* VI), nunquam cum viris exterioribus judicio contendatis, sed potius in pace permanentes, Deo jugiter adhæreatis.

(34) Totum sublatum est per Inn. IV.

(35) Totum sublatum est ab Inn. IV.

CAPUT XXIV.

De chartis causa placitandi non habendis.

(36) Item vobis præcipimus, ut de rebus vobis datis vel dandis nunquam scriptum causa placitandi faciatis, nec etiam placitare præsumatis.

CAPUT XXV.

Quæ sit clavis nostræ religionis.

Nunc autem vos reddemus securos, si in hac vita perseveretis, neminem qui vos audeat fugare invenietis : hoc enim quod vobis dicemus clavis est nostræ religionis, quam si bene custodieritis, nullus hostis aditum inveniet per quem ad vos ingrediatur. Ubicunque ædificetis, cui non proderitis, saltem non noceatis, cui non benefeceritis, saltem malum non faciatis ; vobis autem firmissime dicimus quia qui vos primitus odio habebunt, B cum loca solitudinis habitare cœperitis, postea vos diligent, et multa beneficia vobis conferent. Hoc tamen pacto vobis ista dicimus, si in hac vita fideliter permanseritis ; quod si a Deo recesseritis, nonne justum erit ut vos omnes persequantur ?

CAPUT XXVI.

De eleemosyna mortui juste conquerenti persolvenda.

Præterea si quis in extremis positus censum suum vobis reliquerit, ut ei benefaciatis, et oretis pro eo, licite potestis accipere. Sed, eo mortuo, si querelam injuriæ ab ipso cuilibet illatæ vos audire contingat, pecuniam a defuncto vobis relictam juste conquerenti misericorditer persolvite, si tamen hæredes mortui eam reddere noluerint : *charitas* enim, C *non quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi* (*I Cor.* XIII).

CAPUT XXVII.

Quod Deus humilitati ubique præparet hospitium.

Iterum firmiter asserimus quod multi multa loca multis precibus vobis præsentabunt, et nemora quæ cæteris vendere noluerint gratis largientur, si in hujus vitæ proposito humiliter perseveretis. Nam Deus humilitati ubique præparat hospitium, eo quod ipsa ipsius est hospitium. Estote ergo humiles, et cœlum et terra pariter vestrum erit.

CAPUT XXVIII.

De molendinis.

(37) Hujus adimpletione præcepti, ne scilicet alicui obsit vestra affinitas, molendina cum populo D communia nullatenus habeatis ; vicinis etenim solita molendina relinquentibus, et ad vestra venientibus, alii, molendina quorum priora exstiterunt, ex vestra affinitate damna paterentur. Scriptum est enim : *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris* (*Tob.* IV ; *Luc.* VI ; *Matth.* VII).

CAPUT XXIX.

Quod nemini pro temporalibus serviatur.

Cum soli Deo, cujus servitus libertas est, serviendum sit vobis ex debito, si datores locorum in qui- A bus habitatis, pro eisdem locis, vos sibi deservire postulaverint, potius ipsa loca vos (38) jubemus deserere, quam hac intentione quodlibet etiam minimum eis petentibus tribuere. Aliter enim non hujus mundi veri peregrini, sed velut cæteri cultores agrorum, tributa debentes essetis (39). Injustum quoque et Simoniacum esset pro eo quod quislibet erogando pauperibus, Deo obtulit, eidem datori temporaliter deservire, et non soli Deo, cujus amore totum illud reliquit.

CAPUT XXX.

De nemoribus petendis.

Nemus religioni vestræ idoneum, prius a possessore ipsius, deinde ab omnibus aliquid juris in eo habentibus, cum necesse fuerit postulare debetis. Cum vero ab his omnibus vobis datum fuerit, si noveritis aliquem nemoris calumniatorem, petite jus ab eo, quod in nemore se dicit habere, si forte ibi velitis ædificare. Oportet enim vos, ut ait Apostolus, cum omnibus hominibus, si fieri potest, pacem habere (*Rom.* XII) : verumtamen a terra ubi ædificabitis aliam meliorationem exigere non debetis, nisi ut quoquomodo vos sustinere valeat ad vestram pœnitentiam ibi peragendam : quo enim deterior fuerit, eo diligentius vos ibi Deus procurabit, si ei fiducialiter adhæreatis, sicut enim Dominus ait : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* (*Matth.* IV). Qui cum suos interrogaret discipulos : *Quando misi vos sine sacculo et pera et calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis ? Dixerunt : Nihil* (*Luc.* XXII). Terra quidem respectu cœli minima est, et parum vobis duraret si eam diligeretis. Cavete ergo ne melius pro deteriori, hoc est cœlum pro terra commutetis.

CAPUT XXXI.

De causis non agendis et testimoniis non perhibendis.

Quoniam, ut ait Apostolus, *nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit* (*II Tim.* II), firmissime vobis præcipimus, ut nunquam propter (40) vestra vel aliena, cum aliquo placitare, sive judicio contendere præsumatis, nec causas nec controversias aliorum in manu vestra recipiatis. Quid plura ? vobis præsentibus vel absentibus, placita vel hujusmodi conflictus sæculares, nullatenus agantur in locis vestris. Testimonium quoque de illis etiam, quæ apud sæculum vidistis et audistis unde controversiæ nascentur, non est vestrum cuiquam perhibere. *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Coloss.* III).

CAPUT XXXII.

De licentia ab episcopo postulanda.

Præterea sine licentia pontificis, in cujus diœcesi ædificare volueritis, nec aquam benedicere, nec missam celebrare in eodem loco præsumatis.

(36) Totum sublatum est ab Inn. IV.

(37) Totum hoc capitul. sublatum est ab Innocent. IV.

(38) Innoc. IV ponit, *consulimus*.

(39) Hæc quæ sequuntur sublata sunt per Innocent. IV.

(40) Hoc vocabulum *vestra* sublatum est per Innoc. IV.

Ipsum autem humiliter exorate, ut locum illum ad A consecrandam ecclesiam in honorem Dei, ac cœmeterium in sepulturam fratrum, tempore opportuno visitare dignetur. Quinetiam decimas laboris vestri ab ipso pontifice, et a sacerdote in cujus parochia manebitis, nec non a cæteris earum possessoribus, piis precibus postulate. Cum vero vobis datæ fuerint, nequaquam eas retinere, verum etiam cæteris pauperibus fideliter debetis reddere.

CAPUT XXXIII.

Quod in possessione monachorum non ædificetur.

Inter hæc vobis præcipimus ut nunquam in possessione monachorum ædificia construatis. Verumtamen ista non dicimus ut sanctitati monachorum derogemus. Porro quidam eorum vos multum diligent, et multiplex beneficium vobis impendent, sed frequenter mutantur pastores monasteriorum, et quod alii tribuunt, alii postmodum plerumque repetentes recuperare volunt.

CAPUT XXXIV.

Quod fratres extra cellam non exeant, causa visitandi infirmos sæculares.

Si forte pater vester, vel quislibet amicus vester sæcularis prope cellam vestram graviter ægrotans, et peccata sua confiteri, et res suas disponere in præsentia vestra desiderans, mandet vobis ut eum visitetis, ejus præsentiam nullatenus adeatis, si tamen clericos necessitati suæ sufficientes cum eo adesse contingat. Quod si illuc ire præsumentes, in itinere moriamini, nequaquam Deo de vobis rationem reddemus in die judicii (*Matth.* XII). Quippe summus Magister electo discipulo, patrem suum sepelire volenti, sic ait : *Sine mortuos sepelire mortuos suos, tu autem sequere me* (*Matth.* VIII). Si quempiam vero morti proximum juxta mansionem vestram esse noveritis, ejus necessitati subvenire debetis, aliis tamen clericis eis subvenire nequeuntibus. Alioquin morte illius, mortem æternam forsitan incurreretis.

CAPUT XXXV.

Quod fratres cellas non exeant causa procurandi pauperes.

Cellas quoque causa procurandi pauperes, exire non debetis, nullus enim meliores pauperes valet D procurare, quam Martha procurabat, Deum videlicet procurando : nec tamen Jesus Christus dixit Mariæ pedibus suis assidenti : « Surge et adjuva illam. » Sed potius alteri sororem suam nihil agere reputanti juxta intentionem illius sic respondit Dominus : *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea* (*Luc.* X).

CAPUT XXXVI.

De hospitalitate pro Deo exhibenda.

Hospitalitas ex charitate hospitibus est exhibenda, quippe colligendo et retinendo indigebitis, dando et dispergendo abundabitis. Placeat autem vobis quod expendetis et dabitis hospitibus : quamin vobis hoc placuerit, nunquam vobis aliquid ideo minuetur, sed semper a Deo vobis restituetur. Ipse namque ait : *Date et dabitur vobis* (*Luc.* VI). Attamen de vestris nihil expenditis; Dominus enim vobis affert alimenta, et idem a vobis suscipit allata. Hinc propheta ait : *Quæ de manu tua, Domine, accepimus, dedimus tibi* (*I Paralip.* XXIX). Et Dominus in Evangelio : *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV). Verumtamen religiosis plus honoris et reverentiæ quam cæteris, exhibere studeatis. Igitur, ut ait Apostolus, *dum tempus habemus operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei* (*Galat.* VI).

CAPUT XXXVII.

De beneficio pauperibus erogando

Non mediocriter gaudere debetis quoties pauperibus B benefeceritis. Dominus enim hanc hæreditatem pauperibus reliquit in hoc sæculo, bonos videlicet viros, qui eos sibi procurent. Nimirum Deo gratias agere debetis, cum vobis suos mittit pauperes. Non enim tot nuntios inveniretis, quos ad tot pauperes dirigeretis, nec etiam sciretis eos eligere, sed Deus eos eligit, et electos vobis mittit. Itaque debetis credere quod Dominus inopes, a vobis eleemosynam postulantes minime decipit, quia si nihil adesse sciret, quod eis tribueretis vix aut nunquam permitteret, ut a vobis aliquid postularent. Ergo semper eis vel bonum sermonem tribuite, si forte cæteris careatis. Nam loqui cum pauperibus est honor vester, loqui cum divitibus C plurimum formidare debetis. Hinc enim facile dedecus potestis incurrere.

CAPUT XXXVIII.

De eleemosyna pauperum largius remuneranda.

Quod si forte pauperes suam parvam eleemosynam vobis afferunt, nolite respuere, sed cum gaudio eam suscipite; verum prædicationem quam vobis faciunt, dum vobis eam tradunt diligenter intelligite, quandoquidem illi qui pauperes sunt sua vobis largiuntur, vos eis vestra, præcipue si facultas adsit, largius debetis tribuere.

CAPUT XXXIX.

De mulieribus non recipiendis.

Ne mulieres in hac religione recipiantur, omnimodo prohibemus; quandoquidem a deliciis paradisi primum hominem mulier traxit, ubi quis ei resistere poterit? Si David mansuetissimus, Salomon sapientissimus, Samson quoque fortissimus, muliebri laqueo capti sunt, quis ejus blanditiis non cedet? Nonne, ea absente, per ipsam a diabolo tentatur homo? Quid ergo, ea præsente faciet? Hoc autem vitium fugiendo, non impugnando, docet Apostolus superari (*Rom.* VIII). Hoc etiam beatus affirmat Gregorius, ne quis post votum continentiæ cum eis habitare præsumat; sic igitur ab hac religione penitus disjungantur, ut nec etiam labori fratrum, adjutorium impendant per diem, nec post solis occasum usque mane cellas ingrediantur. Quinetiam nulla sola mulier, aliqua hora diei cellas introeat, sine socio qui ætatem habeat.

CAPUT XL.

De viris alterius religionis non recipiendis.

Alterius religionis viros in hac religione recipi omnino prohibemus. Nam vestri mores ab eorum moribus, plurimum differunt; vos quippe fimum et ligna portantes, et clibanum calefacientes, panem et alia multa facere consuevistis : nullos enim nisi vosmetipsos habetis famulos. Vobis itaque talia facientibus, frequenter improperarent, dicentes : Nunquam de hujusmodi vilibus in nostra religione tractaremus. Facilius etiam potest in disciplina teneri, qui nunquam in illa fuit, quando recenter sæculum relinquit, quam revocari ad ipsam, qui semel eam excessit. Insuper, si post longum tempus, vestris perscrutatis moribus, ad pristinæ religionis habitum remeare vellent, ipso pastore, cujus obedientiæ se prius submiserunt, recipiente quasi suas oves, et licenter et absque calumnia vestri facere possent. Unde ne vobis et ipsis aliquod contingat opprobrium, nullo modo recipiantur. Hinc Salomon ait : *Cor ingrediens duas vias non habebit requiem* (*Eccli.* III). Hinc Jacobus ait : *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis* (*Jac.* I).

CAPUT XLI.

Cujusmodi homines liceat recipere.

Quicunque sæcularis homo velit ad hanc congregationem accedere, licet alteri religioni sola promissione sit obligatus, hujus religionis prior licite potest eum recipere, quandiu sæculari veste indutus fuerit.

CAPUT XLII.

Cujusmodi homines nec absolvendi nec requirendi sint.

Econtra, si quis a pastore dono fraternitatis accepto et certo veniendi termino constituto, postmodum aliam religionem adire vel in sæculo remanere voluerit, pastor ipsum non requirat. Quod si absolutionem promissionis jam factæ postulet a pastore, nequaquam eum absolvat, sed ei breviter ita respondeat : « Nunquam a nobis requisitus fueris. » Aliter non absolvatur, nec venire cogatur, nec a quolibet susceptus requiratur.

CAPUT XLIII.

De solitario cum propria cella non recipiendo.

Hujus religionis decretum est, quod quicunque ad eam accesserit omnes terrarum possessiones extra deserat, se totum pastoris voluntati subjiciens. Ex hoc itaque præcipimus, ne quis solitarius cum cella propria recipiatur, sed si pastoris voluntas fuerit, aut ipsum sine cella, aut cellam sine ipso, si dare voluerit accipiat.

CAPUT XLIV.

De viris infra viginti annos, infirmantibus ac leprosis non recipiendis.

Quoniam spontanea voluntate, et provida animi deliberatione Christi jugum adeundum est, ideo præcipimus ne quis infra viginti annos, aut homo infirmans, nisi equitando aut pedibus ambulando A venire possit, in hac religione recipiatur. Quemlibet etiam leprosum manifeste cognitum in nostra religione recipi prohibemus. Quippe membra Christi scandalizaret, et maledictionem Domini incurreret dicentis : *Væ autem homini illi, per quem scandalum venit* (*Matth.* XVII).

CAPUT XLV.

De Simonia penitus vitanda.

Quinetiam pastor hujus congregationis, seipsum et omnes discipulos suos, ab omni genere Simoniæ prorsus custodiens, et illud Domini præceptum : *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* X), fideliter adimplens, in suscipiendis fratribus solam Dei voluntatem et animarum salutem summa discretione consideret.

B

CAPUT XLVI.

Quod fratres in cella permaneant.

Quemadmodum legitur in Evangelio, Christum in montis solitudinem ascendisse, ut tentaretur a diabolo (*Matth.* IV), sic Christum sequentes, ut ei liberius per contemplationem adhæreant, solitudines nemorum et absentiam hominum quærunt : sicut nec ipse, nisi devicto hoste a monte descendit, sic nec ejus imitatores, dum sunt in prælio nondum cursu consummato, quod est omni tempore vitæ suæ a solitudine quam elegerunt debent abscedere. In hoc enim vestra et omnium eremitarum vita maxime debet constare, ut cum continuæ orationis usu et silentio tumultum sæculi declinantes, in C cellis vestris quiescatis. Nam vix aut nunquam valde potest esse religiosus, qui una die recluditur, et altera discurrere permittitur. Ipsi namque apostoli qui gratia sancti Spiritus præ cæteris abundabant, dum irent per sæculum pulvere pedes suos aspergebant, cumque apostoli qui perfecti viri erant, et præcepto Dei per sæculum incedebant, pulvere terrenæ conversationis aspergebantur, vos penitus, qui fragiles estis, si contra propositum vestrum, per mundum discurreretis, pulvis peccati macularet. Itaque vobis præcipimus, ne vagari per sæculum præsumatis.

CAPUT XLVII.

De silentio.

Silentium secundum loca et tempora constituta D custodiatur. In his autem locis, hoc est in ecclesia, in claustro, in refectorio, in dormitorio, nec non in his temporibus, id est a completorio usque mane finito capitulo, continuum silentium fratres observent nisi magna necessitas, quæ legem non habet, quandoque coegerit, sicut enim Isaias testatur : *Cultus justitiæ, silentium et pax* (*Isai.* XXXII). Quicunque vero in supradictis locis vel temporibus silentium violaverit, regulari disciplinæ subjaceat.

Aliud autem silentii genus quod est tacere inutilia, et loqui necessaria, a singulis fratribus semper et ubique summa discretione est observandum, ut enim Salomon ait : *Mors et vita in manibus linguæ* (*Eccli.* XXXVII). Itaque si ipse loci dispensator,

vel quislibet alius frater murmurando vel detrahendo, vel mentiendo, vel obedientiæ resistendo, vel sæcularia et vana verba sæpe referendo, seipsum et alios corrumpat; cæteri fratres, fraternæ charitatis affectu, primo, secundo, tertio, illum inde reprehendant; quod si parvam consuetudinem suam humiliter corrigere neglexerit, regularem subeat disciplinam.

CAPUT XLVIII.

Quod fratres causa faciendi prædicationem non exeant solitudinem.

Iterum vobis præcipimus ne causa faciendi prædicationem solitudinem exeatis. Dum enim manetis in eremo et cavetis a sæculo, lumen est super candelabrum, id est bona vita, quæ illucescit fideli populo; ut enim beatus ait Gregorius : « Vita justi, viva prædicatio. »

CAPUT XLIX.

Quod fratres causa audiendi prædicationem eremum non exeant.

Præterea vobis præcipimus, ne causa audiendi prædicationem eremum exeatis; constat enim quod Joannes Baptista manebat in eremo, dum Jesus Christus prædicaret in terris, nec tamen dicit Evangelium inde Joannem exiisse, ut Domini prædicationem audiret. Si vero Deus vellet Joannem ad se venire, et ipse non veniret, in hoc procul dubio delinqueret, sed non erat ei necesse ut iret audire corporaliter sermonem Jesu Christi; nam vocem ipsius in corde suo spiritualiter audiebat, sicut idem in Evangelio testatur, dicens : *Amicus sponsi stat, et audit eum, et gaudio gaudet propter vocem sponsi* (*Joan.* III). Tamen nolite arbitrari quod ego vos Joanni Baptistæ conferam; attamen si exemplo ipsius Deo adhæseritis, et eremum exire nolueritis, ipse Deus manebit in vobis, et docebit vos.

CAPUT L.

Quod fratres viris exterioribus peccata sua non confiteantur.

Si quis vestrum aliquod peccatum (quod absit!) incurrat, omnino caveat ne cuilibet exteriori viro, quantæcunque sanctitatis sit, illud confiteatur. Quod si facere præsumeret, utique inobediens et incredulus esset, et diceret ipsis operibus, nec in pastore meo, nec in fratribus meis habeo fiduciam, quare ab exterioribus super hoc postulo consilium. Deus autem prohibet, ne quis unum de pusillis suis contemnat (*Matth.* XVIII). Quinetiam multum decipitur qui se coinquinat, cum se lavare existimat, suumque peccatum confitendo adauget. Verum hæc omnia incurreret, si quis fratrum nostrorum viris exterioribus peccatum suum confiteretur (41). Nec non et omnes alii eadem incurrunt, qui post confessionem peccata non deserunt. Ergo Deum in secreto solitudinis super universis necessitatibus vestris consulite. Itaque *confitemini alterutrum*

A *peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini* (*Jac.* V). Prædictis igitur rationibus vobis præcipimus in cellis vestris permanere et exinde quæ concessa sunt, scilicet adjutorium vicinorum cum bestiis suis in labore vestro, cum necesse fuerit, petere; vos tamen hujusmodi occasione, cellas nunquam exeatis. Nos itaque, fratres charissimi, in solitudine ac paupertate eremitica vitam nostram, Deo annuente, ducere cœpimus, et eam in eodem, ipso adjuvante, finire debemus.

CAPUT LI.

Quod fratres in porticum exeuntes honeste se habeant.

Cum in cellis vestris reclusi fueritis et soli Deo adhærere poteritis, tunc debetis suspirare, gemere

B et deflere tam vestra quam aliena peccata. Quoties autem oportuerit vos exire in porticum causa loquendi cum vestris visitatoribus, lætam faciem eis prætendite, et cum gaudio eos suscipite; et est ratio, ut, eis ad vos de longinquo venientibus et processionem suam, ut ita dicam, facientibus, vos quoque vestram faciatis, et eis honeste obviam exeatis.

CAPUT LII.

Quod fratres extra cellam exeuntes, duo sint ad minus.

Cum vero, necessitate compellente, extra cellam egrediemini, ut alter alteri provideat, secundum evangelicam institutionem, jubemus vos binos incedere.

C *Væ* namque *soli, quia si ceciderit, non habet sublevantem* (*Eccli.* IV). Nec non in itinere, cavete viatorum societatem, prout res exiget, ingressusque civitatum et castellorum, ne exterior oculus videat unde interior cæcus fiat.

CAPUT LIII.

De fugientibus ab hac religione

Si quis per diabolicam suggestionem ab hac religione corruerit, licet pastori ipsum reconciliari volentem, ad religionis unitatem cum digna satisfactione reducere. Verumtamen istud magnopere attendendum est, ut quidquid inobediens acquisivit vel ædificavit, totum illud, quamtumcunque sit, sicut res perditionis abjiciatur et reprobetur, ne si accipiatur, fratres adhuc imbecilles sumant sibi in

D exemplum dicentes : « Quoniam huic sic post lapsum contigit, faciamus et nos similiter. » Quod ne contingat cavendum est.

CAPUT LIV.

De cura clericorum et conversorum (42).

Optimam partem, quæ a Domino præcipue laudatur in Maria, clericis ab omni cura temporalium liberis, solam injungimus ut dicere possint veraciter : *Dominus pars hæreditatis meæ* (*Psal.* XXV); et item : *Portio mea Dominus* (*Psal.* CXVIII); et iterum : *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis* (*Act.* VI). Sicque divinis laudibus et contemplationi solummodo intendentes sibi invicem

(41) Ab hoc *nec non* usque *ad ergo* correxit Innoc. IV.

(42) Istud capitulum quatenus loquitur de cura conversorum sublatum est a Joan. II.

et aliis fratribus, delicta sua confitentibus, spiritualia ministrent. Et ne colloquio sæcularium aut sollicitudine exteriorum divinum officium interrumpatur, et mens eorumdem satietatis internæ dulcedinis obliviscatur (quod beatus Gregorius, sibi contigisse conqueritur), ob hoc scilicet temporalem curam cellæ solis conversis committimus, qui cum in labore et in cæteris agendis, aliis fratribus, clericis videlicet et conversis, non dominatione, sed charitate præcipiant, custos omnium virtutum humilitas illæsa conservetur. Quippe ipse Creator omnium creaturis suis, Mariæ videlicet et Joseph, fuit obediens, dicente Evangelio : *Et erat subditus illis* (*Luc.* II). Verumtamen omnibus, tam clericis quam conversis, expediret ne deinceps, si fieri posset, sæculum viderent, quandoquidem illud reliquerunt; sed quia nequit fieri, saltem clericos in requie divinæ dilectionis volumus retinere. Conversi vero tam pro illis quam pro semetipsis, exeant colloqui cum gente exteriori. Attamen quandoque egrediuntur clerici, cum ibi sunt necessarii. Magna tamen est sapientia, magnaque misericordia, dum in secreto Dei possunt quiescere, ut ibi maneant ad communem omnium utilitatem. Nam si mens eorum occuparetur ad temporalia, procul dubio minus aliis providerent æterna. Quicunque vero foras egrediuntur, caveant ne in colloquio sæcularium delectentur; quo enim amplius ibi delectabuntur, eo majus incommodum patientur. Verum si obedientia permittat, magis desiderent in secreto jugiter permanere quam foras exire; nam si Deus intus non invenitur, foris absque dubio minime reperietur, nimirum ipse Deus amicis suis sæpius et familiarius in secreto quam in publico secreta sua revelare consuevit : verbi gratia, ut beatæ Mariæ in thalamo, Joanni Baptistæ in eremo, Petro, Jacobo, Joanni in monte, nec non eidem Joanni in exsilio. Et sic de cæteris intelligendum.

CAPUT LV.

De distributione victus et vestitus.

Frater qui cellæ curam agit, prout res se habuerit, fratribus provida dispensatione victum et vestitum distribuat, illud quod in Actibus apostolorum legitur, attendens : *Et erant illis omnia communia, nec quisquam egens erat inter illos; et dividebatur singulis, prout cuique opus erat* (*Act.* IV). Inter hæc nec ipse dispensator nec alius frater sibi tantum aliquid ad edendum parari postulet, nec etiam omnibus communiter, nisi solus dispensator. Quod si quis petierit omnino non exaudiatur, nisi forte ægrotet; ægrotanti enim, cum omni humilitate serviatur. Profecto qui dives erat in sæculo valde reprehensibilis est si in hac paupertatis religione, aliud quam paupertatem postulet. Nonne cibis et vestibus delicatis satis abundavit? Cur ergo hujusmodi amplius desideraret? Præsertim qui pauper fuit in sæculo, qua ratione divitias quæreret in eremo, quas habere non poterat in mundo? Ad quas enim delicias, unusquisque huc accessit, nisi ut

A crucem portans Christum sequeretur? Quid vero sancti apostoli, quid sancti Patres in Ægypto, quorum vestigia sequi debemus, nisi vigiliis, jejuniis, et orationibus et laboribus insistere ex more postulabant? denique quos redditus aut quæ patrimonia, se totum hostiam vivam Deo quisque sponte offerens, sibi ad hæc paranda in mundo retinuit? prorsus nulla.

CAPUT LVI.

De cura infirmorum, senum ac debilium.

Si quis frater urgenti gravi infirmitate, conventum sequi nequiverit, in domo infirmorum reponatur. Porro cellæ dispensator unum fratrem, vel plures, si necesse sit, eligat, qui die noctuque patienter ægroto serviant, et soli domum ubi æger

B fuerit ingrediantur. Cæteri vero fratres, sive ibi manentes, sive aliunde advenientes, non absque licentia dispensatoris infirmum visitare præsumant. Nam cum aliquis frater, qui diu in disciplina religionis permansit, et cum adjutorio Dei et pastoris sui, pro posse suo, cavit a sæculo, tandem incurrit ægritudinem, et fini suo jam appropinquat, tunc præcipue majori indiget custodia, quando anima ipsius mercedem suam debet recipere : veluti cursores, tunc penitus enituntur, cum prope locum sunt, ubi cursus eorum fuerit consummatus; si enim prius remanerent, frustra laborassent. Propter hoc expedit ægrotanti discipulo, ne quid de negotio sæculi audiat, unde spiritus suus cogitet vanitatem. Quantoque cum paucioribus loquetur hominibus,

C minus est inde auditurus. Oportet autem eum semper confortari in Domino. Ipse quoque, si sapiens fuerit, dicet loquentibus secum : « Sinite me in pace manere, et juvate me vestris orationibus, ut cor meum assidue Deo possit adhærere. » Quod si in cella, quibus indigebit abunde non fuerint, ante ecclesiastica ornamenta, servitio Dei deputata, venundari præcipimus, quam eorum quæ licenter postulaverit, inopiam patiatur infirmus; nam ipse templum est in quo Deus habitat. Cumque pater aut mater, vel quislibet ejus sæcularis amicus, ad eum ingredi non permitteretur, fratres debent summopere curam illius agere. Nullum etiam negotium religionis comparari valet ægroti servitio, nisi tan-

D tum divinum officium.

Senibus quoque ac debilibus humiliter et sollicite necessaria ministrantes : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Gal.* VI), illud etiam Domini præceptum fideliter adimplentes : *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter* (*Matth.* VII).

CAPUT LVII.

De temporibus jejunandi, horis reficiendi, et genere ciborum.

A sancto Pascha usque ad Exaltationem sanctæ crucis, bis in die, primo videlicet post sextam, et secundo post vesperas, refectionem vobis sumere disponimus, exceptis jejuniis in hujus temporis spatio constitutis. Verum ab Exaltatione sanctæ

crucis usque ad Pascha vobis jejunare præcipimus, exceptis diebus Dominicis et die Natalis Domini. Rursus a prædicto festo veræ Crucis usque ad initium Quadragesimæ post nonam, et exinde usque ad Resurrectionem Dominicam, post vesperas cibum sumere vobis statuimus. Item a festivitate Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Dominicam, et a Septuagesima usque ad Pascha, cibo quadragesimali tantum vobis uti præcipimus. Cæteris vero temporibus, ovis et caseis quandoque vesci vobis permittimus (43), eo quod omnes tam sanos quam ægrotos, a carne et sanguine tam volucrum quam quadrupedum vos semper abstinere jubemus (44). Verumtamen quia certos redditus non habetis, unde refectio quotidiana fratribus valeat præparari, nullus aliquid ad vescendum certis horis ex debito postulare præsumat, sed quæ et quando ipse Dominus, quem solum dispensatorem vestrum constituimus, solita pietate sua vobis ministrabit, cum gratiarum actione suscipite. Quod si vobis alimenta plerumque dare distulerit, nihilominus ei gratias agite, recolentes illud Apostoli : *Gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo et Patri* (*Ephes.* v).

CAPUT LVIII.

De divinis officiis.

Divina quidem officia ex certis et sanctis auctoribus collecta, quæ beatus Gregorius et alii sancti doctores in sancta disposuerunt Ecclesia, celebrare dignum duximus. De quibus non est modo dicendum per singula, eo quod in libris nostris de hujusmodi plenius continetur.

CAPUT LIX.

De mutuo fratrum obsequio.

Assidue omnes reminisci debetis cunctos subministros vestros cum cæteris mundanis exterius reliquisse. Ideoque oportet ut alter alterum, servata religionis fraternitate, honore invicem præveniat, et ut *qui major est, fiat sicut junior, et qui præcessor est, sicut ministrator* (*Luc.* XXII), unusquisque ex mansuetudine, libenter omnibus deserviat. Fratribus namque in obedientia positis, si possibile sit, tanquam angelis est ministrandum; credibile est enim eos sine dubio, si in hac perseveraverint, fore salvandos, sicque pares angelis futuros. Porro si cuilibet absurdum et inconveniens videatur dici tanquam angelis, cum homines sint, et utique peccatores, dicatur expressius, non solum tanquam angelis, sed etiam quasi Deo in talibus : namque per prophetam se Deus habitare asserit, dicens : *Cœlum*, id est anima justi, *mihi sedes est* (*Isai.* LXVI); et in Evangelio : *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV); et iterum in Psalmo : *Ego dixi : Dii estis et filii Excelsi omnes* (*Psal.* LXXXI). Hæc autem non propter excellentiam vobis dicimus, sed ut frater fratri humiliter et ex dilectione famuletur et obediat.

CAPUT LX.

De electione prioris.

Cum prior eligendus est, fratres ex singulis cellis bini conveniant in Grandimontem, quemadmodum ad conventum bini venire consueverunt. In eisdem vero locis remanentes, totius electioni conventus, se pro certo concedere, cæteris abeuntibus, promittant. Adunato itaque conventu, post invocationem nominis Domini, duodecim fideles et religionis amatores, sex videlicet clerici et sex conversi, ad eligendum priorem designentur, qui, postquam audierint ab omnibus electionem suam a nullo fore contradicendam, seorsum inter se de ea pertractent. Talis itaque pastor eligatur, qui antea fidelis hujus religionis discipulus exstiterit, ut alios ex seipso considerans, prout opus fuerit, sciat unicuique utilia providere. Si vero inter ipsos duodecim, aliqui in electione dissenserint, majori parti concedendum est, quæ scilicet fidelior saniorque intelligitur, nihil ibi nisi communem utilitatem considerans, illis dissentientibus a consilio et etiam extra conventum, ut totum sine eis fiat ejectis. Ex ipso tamen conventu totidem concilio adjiciantur quot ejecti fuerint, et de eisdem, sive clericis, sive conversis, ut in duodecim semper electio consistat.

CAPUT LXI.

Quod nullus exterior eligatur in priorem.

Neminem qui sit extra religionem vestram, quocunque sensu vel sanctitate polleat, in priorem vobis eligere præsumatis. Ab hac namque vita dissideret, vosque ad aliud everteret; unum autem de vestro conventu confidenter eligite, quippe hoc ipsum beatus præcipit Gregorius, dicens : Defuncto pastore cujusquam congregationis, non extraneus eligatur, nisi de eadem congregatione, quem sibi propria voluntate, concors fratrum societas elegerit. Porro si Deus vobiscum fuerit, ipse vobis consulet; quod si ab ipso recesseritis, nunquam bonum pastorem reperietis. Si vero omnes mali essetis, cujus esset pastor alter qui succederet, si nullum inter vos bonum inveniret? Quemcunque pastorem habeatis, sapiens erit si tamen ab hac vita non declinet; si vero (quod absit !) ab ea recesserit, ipse procul dubio anathema erit, et quicunque ei consenserit. Iterum vobis præcipimus, ut pastor vester (21) nunquam abbas, sed tantum prior nominetur. Quin etiam quemlibet exteriorem vestri pastoris electioni nullatenus interesse permittatis.

CAPUT LXII.

De pastoris stabilitate.

Rursus pastor vester omnino caveat, ut clausuram Grandimontis, nunquam nisi necessitate inevi-

(43) Innoc. IV addidit *exceptis omnino debilibus et ægrotis.*

(44) Innoc. IV sustulit ab hoc verbo *Verumtamen* usque ad *Nullus aliquid.*

(21) Hoc correctum fuit per Joannem XXII.

tabili coactus, egrediatur. Sciat autem firmiter, A quandiu catena Christi religatus, per sæculum ire noluerit, quod nullus ex discipulis suis audebit ei inobediens esse, nec in qualibet cella sua, contra præceptum suum manere; nam ipse Dominus cujus amore pastor vinctus fuerit, discipulos etiam vinctos tenebit. Si forte (quod absit!) per sæculum abire cœperit, valde pertimescimus, quod omnes vos eum pariter sequentes et præcepta sua contemnentes, inobedientiam incurretis; ipse vero honorem deinceps non recuperabit: quem coram Deo et hominibus habebat die qua claustrum suum egrediens, contra votum suum, per sæculum ire præsumpsit. Hinc de scipso et cæteris Ecclesiæ pastoribus beatus ait Gregorius: « Nos sumus, fratres charissimi, nos sumus lapides sanctuarii, B qui apparere semper debemus in secreto Dei, quos nunquam necesse est foris conspici. »

CAPUT LXIII.

Quomodo prior erga suos cognatos se habeat.

Item quia carnalis cognatorum affectus, plerosque religiosos ab amore divino plurimum revocare et bona Ecclesiarum valde solet dissipare, hujus religionis prior omnino caveat, ne propriis cognatis, excepto hospitalitatis beneficio et quolibet parvi pretii munusculo, aliquid largiatur.

CAPUT LXIV.

Quod relicta non recuperentur.

Propositum et præceptum nostræ religionis est, ut ecclesias et res ad eas pertinentes, et quoslibet honores qui sunt extra religionem nostram, nec non (45*) terras, bestias, decimas, certos reditus, fora, nundinas, visitationem cognatorum, causas, sive judicia, tam pro nostris quam pro alienis, quæstum etiam quandiu una die quoquomodo vivere poterimus, et cætera quæ amore Dei reliquimus, nunquam recuperemus, sed potius in eremo, tanquam mortui et abjecti a mundo, usque in finem perseveremus.

CAPUT LXV.

De perseverantia in supradictis

Vos itaque, fratres charissimi, in prædictis, constanter perseverate. Quod si pastor vester ab hac via veritatis vos ad aliud evertere conabitur, nec vestris consiliis ullomodo acquieverit, hæc instituta deserens, ex auctoritate Dei vobis confidenter præcipimus, quatenus ipsum sicut apostatam potius a vestra societate penitus ejiciatis, quam propter eum ab hac via declinetis. Hinc ipse Dominus in Evangelio præcipit, dicens: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te* (*Matth.* v). Quisquis igitur in hac vita sanctitatis usque in finem fideliter perseveraverit, procul dubio salvus erit. Amen.

SEQUITUR CONFIRMATIO.

Ut autem prædicta Regula perpetuis temporibus illibata consistat, ipsam prout ab eodem Urbano prædecessore nostro, ut superius diximus, correcta est, auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut nulli omnino hominum omnium liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et BB. apostolorum ejus Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Laterani v Kalend. Jul., pontificatus nostri anno II, *anno Domini* 1188 (46).

(45*) *Terras*, etc. sunt sublata per Innoc. IV. C

(46) Sciendum est quod ipsa Regula a sancto Stephano confessore dicti ordinis institutore edita, a multis summis pontificibus visa, approbata, correpta, mutata et modificata fuit, ut apparet in his quæ subsequuntur.

Adrianus III approbavit eam an. 1156.

Alexander III approbavit anno 1174

Lucius III anno 1182.

Urbanus III approbavit et aliquid in ea addidit anno 1186.

Clemens III illam vidit et integram approbavit anno 1188.

Cœlestinus III eam vidit et primus in illa aliquid mutavit, anno 1191.

Innocentius III aliquid mutavit et correxit anno 1202.

Honoratus III aliquid modificavit et correxit anno 1218.

Gregorius IX aliquid modificavit et correxit anno 1234.

Sed inter cæteros Innocentius IV, qui in concilio Lugdunensi anno 1247, totam Regulam legit, correxit, et in melius mutavit, primo sustulit in I cap. hæc verba *et cætera hujus religionis instituta*, et in eodem I addidit ea *in his quæ ad commodum et utilitatem domus pertinent;* sustulit præterea totum caput 4, 6, 7, 9 et multa alia sublata et correcta sunt ab eodem papa Innocentio IV, ut notatum est.

Clemens V aliquid addidit et mutavit Avinioni sub anno Domini 1306.

Et etiam Joannes XXII qui Avinioni, anno 1317, statuit inter cætera in Regula prædicta corrigendo, ut monasterium Grandimontis quod ipsius ordinis caput esse dignoscitur, gubernari jam solitum per priorem, ex nunc in antea, gubernaretur perpetuis futuris temporibus per abbatem, et formam electionis reverendissimi generalis mutavit.

STEPHANUS DE LICIACO

GRANDIMONTENSIS PRIOR QUARTUS

NOTITIA

(*Gall. Christ. nov.*, tom. II, col. 648)

Stephanus II de Liciaco, Lemovicensis patria, sub cujus moderamine ordo in domibus plurimum dilatatur. Hic etiam gesta Stephani confessoris conscribi ac recitari fecit, ut notat Chron. Grandim., ubi dicitur discretus, largus in eleemosynis, potens opere ac sermone, in oratione devotus, in jejuniis assiduus, qui gregi feliciter præfuit; mortuus est, ut arbitrantur 1161, III Non. Januarii. Habet illud epitaphium: *Hic jacet domnus Stephanus quartus prior, oliva fructifera in domo Domini, vixit in prioratu* XXIII *annis:* ita Pandulfus de Garda et Joannes l'Evesque. Ipsius tempore Henricus II rex Anglorum monasterium Grandimontense locupletavit; regum quoque et principum munificentia, in variis partibus construebantur cellæ aut prioratus, quæ Grandimontensi Ecclesiæ matri subjiciebantur, pro fama pietatis fratrum hujus cœnobii.

DICTA ET FACTA S. STEPHANI DE MURETO

AUCTORE STEPHANO DE LICIACO.

(Vide supra col. 1071 ad calcem Vitæ S. Stephani de Mureto auctore Bernardo Itherii. Confer D. Martenii Admonitionem Vitæ S. Stephani præfixam.)

PETRUS BERNARDI

ALIAS *DE CORILO*

GRANDIMONTENSIS PRIOR QUINTUS

NOTITIA

(*Gall. Christ. nov.*, tom. II, col. 649)

Petrus III Bernardi, de Boschiac, oriundus ex nobili familia, frater Bernardi Aimerici de Bré, ut scribitur in quodam libro antiquo S. Martialis, electus VII Id. Februarii ejusdem anni, de sua electione certum fecit Henricum II Angliæ regem, qui eidem scripsit anno regni sui septimo. Hic prius miles uxoratus, post cœnobita, ac denique presbyter ordinatur; vir religiosus vita et moribus, vitiorum hostis rigidus, ac decessoris sui virtutum egregius imitator : quæ et plura encomia de illo memorantur in Chronico Grandim. Anno 1165 di- A cata est ecclesia B. Mariæ Grandimontis IV Septemb. consecrante majus templum Petro Bituricensi patriarcha, astantibus Bertrando Burdegalensi, Geraldo Lemovicensi, Engolismensi, Cadurcensi, Sagiensi, et aliis pontificibus. Iste totum refectorium abbatiæ cum testudine lapidea de novo præclare instauravit : item ecclesiam perfecit ex parte capitis usque ad ingressum chori clericorum, quæ antea inchoata fuerat, et facta a parte inferiori. Eo sedente fit quædam translatio corporis beatiss. Stephani a claustro in ecclesiam, præsente Geraldo

Lemovicensi antistite in crastino Nativit. B. Joannis Baptistæ præcursoris Christi. Dignitate sua cessit circa an. 1167, factus corrector Vincennarum, vixitque ad annum saltem 1191, uti probant ejus epistolæ.

PETRI BERNARDI EPISTOLÆ.

(Marten., *Thesaur. Anecdot.*, I, 454 et seqq.)

I.

Petrus Bernardi electus prior Grandimontensis significat Henrico regi Anglorum suam electionem cui invitus consensit.

(Anno 1160, Febr.)

Præcellentissimo principi D. Henrico Dei gratia Anglorum regi, duci nostro Aquitanico, magnificentissimo pauperum Grandimontensium nutritio, frater Petrus Bernardi, electus prior Grandimontensis, sed peccator, quidquid valet oratio peccatoris.

Sanctus Spiritus, qui ubi vult spirat, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam magnam nos, licet indignos, elegit in visibilem famulorum suorum Grandimontensium ductorem. Ingenue fateor, non absque contradictione electioni huic, quanquam canonicæ, me subscripsisse, et adhuc propter duo repugnarem. Primo, nisi in Domino confisus, et in potentia majestatis ejus sperarem eumdem principalem, qui cœpit in nobis opus bonum, profecturum, ita ut bonas faciam inchoatæ perfectionis vias meas et studia mea, meliorem esse me delectando, quam altiorem. Secundo, nisi eamdem electionem Deo et regiæ vestræ celsitudini gratam declarassent fratres mei, nunquam tanti officii habenas accepissem. Domine mi rex, factum est, ut imperavit Deus; confirmet in omni opere bono ille qui Pater noster est, et nos opera manuum ejus. Utinam sicut chartam nunc præsentem, ita et meam tibi mentem possem exponere! O si legere posses in corde meo, quod tibi de amore tuo, suo digito Deus inscribere dignatus est! Profecto cognosceres quod nulla lingua, licet erudita, sed nec stylus sufficiat exprimere quæ in tabulis cordis carnalibus, Dei Spiritui placuit imprimere. Memoria memores sumus beneficiorum vestrorum inenarrabilium, sed et ubique prædicabo quod multam invenerimus semper in oculis vestræ majestatis familiaritatem, cum familiaritate gratiam, cum gratia suavitatis abundantiam, de quibus sine dubio merces vestra multa est in cœlis, illo in Evangelio promittente, qui fidelis in omnibus verbis suis, et judicante sibi factum, quod uni ex minimis suis factum invenitur. Ergo erga sceptrum regni tui voluntatem bonam ex debito conservantes, parem a sacra vestra celsitudine suppliciter reposcimus. Nihil, fateor, in deserto possumus, at modicum hoc quod valemus coram Deo præpotenti, in cujus manu sunt omnium potestates, pro vobis regioque sanguine vestro impendimus, ut virtutum omnium percipias incrementa, et ad eum qui via, veritas et vita est, gratiosus valeas pervenire. Hanc pro vobis prosequemur obsecrationem in vestro Grandimonte, ab hoc primo electionis nostræ, ut latores præsentium notum facient.

Datum in Grandimonte, mense Februario.

II.

Rescriptum Henrici II, Anglorum regis, ad Petrum Bernardi, priorem Grandimontensem. — Gratam habet ejus electionem, ejusque se precibus commendat.

(Anno 1160.)

Religioso sacerdoti, et excelso in Verbo gloriæ, P. Petro Bernardi, priori fratrum nostrorum de Grandimonte, justa desideria principis Christiani, Henricus, Dei gratia Anglorum rex, filius et frater.

Bonus homo de bono cordis sui thesauro duo protulit bona. Primum, quando assensum præbuisti tuæ electioni, quam credimus factam esse a Deo, quia tanto correctorum (1) et curiosorum consensu, uti concessu celebratam fuisse accepimus, sicut vestri retulere. Secundum, cum memoriam in tuis precibus continuam repromisisti. Satis est, si fiat; fiet, credo. At continuetur per orationes vestras multum speramus in Domino, et in potentia majestatis ejus; nec parvipendimus orationes vestras; fiant, precor, sine intermissione in ecclesia vestra ad Deum pro nobis, ad solatium vestrum, et jucundum diem adventus vestri in sedem prioris generalis. Hisce patentibus notum vobis facimus, nos recordari adhuc hodie, quod hostiæ cauda et caput Deo debebatur; non incipimus vobis benefacere, ut vos de nobis bene meritos abjiceremus; tunicam ecclesiæ, Dei gratia jam polymitam, curamus facere et talarem; tantummodo pro me orate, et de temporalibus nihil solliciti, Dominus providebit per manus nostras. Regium attestor pectus,

(1) Correctores in ordine Grandimontensi dicebantur superiores monasteriorum ad distinctionem prioris Grandimontensis, qui solus prior dicebatur postquam vero abbatis titulo insignitus est, non amplius correctores, sed priores appellati sunt.

provideo in conspectu, et utinam semper, Regem A cœli et terræ immortalem, regnum nobis in terra donasse, donaturum et in cœlo, si quod de adoranda dextera ejus accepimus, juste et sapienter administraverimus. At quis putas est fidelis servus et prudens? Utinam sic appareamin conspectu ejus, ut et hic fideliter, et ibi feliciter regnare possimus. Sed et hoc speramus, si bonorum vestrorum spiritualium participes nos efficientes, inclinaveritis ad nos magnam misericordiam Regis regum et Domini dominantium.

Datum Londini per manus magistri Thomæ (2) cancellarii nostri, mense Martio, regni nostri VII.

III.

Epistola Petri Bernardi Vincenarum correctoris ad B *Guillelmum priorem Grandimontensem. — Annuntiat ei necem sancti Thomæ Cantuariensis archiepiscopi.*

(Anno 1171.)

Reverendo Patri GUILLELMO priori suo generali, frater Petrus BERNARDI exgeneralis, meliora quam novit.

Anglorum regis quid faciemus animæ, aliquando sorori nostræ? Denigrata est super carbones exstinctos facies ejus. Heu! qui nostras fundat ecclesias, Ecclesiam Cantuariensem violavit. Heu! si scires quod novi et portenti fert regis Galliarum aula, obstupesceres. Nam et cœli obstupescunt super hoc cum exprobratione super legatione no- C stra. Scripsere tum excellentissimus princeps et reverendus Pater dominus Henricus de Francia, regis Francorum germanus frater, dux et archiepiscopus Remensis, tum R. R. pater Guillelmus, Senonensis archipræsul, Henricum Angliæ regem interemisse sanctum Thomam Cantuariensem archiepiscopum. Obdormissem utinam solito profundius quando et sanctissimus papa, et reverendi Galliarum antitistes me ad eumdem (3) Henricum miserunt cum domno priore Carthusiæ de Monte-Dei. Utinam reliquissent nos in solitudinibus errantes, absconditos in cavernis et speluncis terræ Grandimontensis! Vide quantum pietatis infundat in cor meum impietas tanta. Jam stylus noster submergitur. Vale et mecum scribente scribas ad eumdem D regem, si forte audiat et convertatur. Precor, fiat oratio sine intermissione ab Ecclesia nostra ad Deum pro me perturbato.

IV.

Epistola Guillelmi prioris Grandimontensis ad Petrum Bernardi correctorem Vincenarum, olim priorem Grandimontensem. — Consolatur eum super morte sancti Thomæ Cantuariensis archiepiscopi.

(Anno 1171.)

Fideli servo Christi et prudenti Patri D. Petro BERNARDI, nostro fratri et correctori de Vincennis, bonum animum ei respirare in misericordia Dei, frater WILLELMUS prior generalis.

Cruento reverendi Patris Cantuariensis occasu quid turbaris, et cogitationes tuæ ascendunt in cor tuum? Si manum aut consilium parricidis, suadente diabolo, præstitisses, contristari deberes tristitia quæ salutem operatur. Plaga sane crudelis et cruenta vehementer inflicta est Ecclesiæ sanctæ Dei in internecione sancti primatis. At quid remedii? Non tam deplorandus qui insons occidit, quam qui occidit. Interempto manet corona, interemptori gehenna, quæ immane os jamjam aperuit ut deglutiat vivum. Quod paternitati tuæ retulere, illustrissimum Anglorum regem hoc flagitium perpetrasse, difficile mihi persuaderem, nisi narrantium dignitas intercederet. Quod si ita est, res male cedit ipsi regi, et nobis famulis ejus; non tamen hac re desperandum, sicut calamus quassatus non conterendus. Noli turbari quasi fecisses; justitia justi liberabit eum, impius autem in sua iniquitate corruet. Si bene egeris, recipies. Haud secus ac lepra corpori adhæret quod fœdat, ita culpa ipsi operanti iniquitates. Impietas impii erit super eum. Justus filius non morietur in iniquitate patris sui, sed vita vivet. Filius non portabit iniquitatem patris, nec tu, charissime Pater, filii tui regis Angliæ, si verum sit quod adeo ei ingenitæ justitiæ oblitus fuerit. Ut tibi complaceat anima mea, scribam ad eum; sed epistolam futuram credo infirmam, nam coram eo non sum vir magni meriti. Faciam tamen lubens, ut revertatur ad Dominum. Plurimum tribuit sanctæ tuæ eloquentiæ. Ergo ab industria tua devote conveniendus, pathetice admonendus, sollicita exhortatione in Christo Jesu suscitandus.

V.

Epistola Guillelmi de Trahinac, prioris Grandimontensis, ad Henricum II Anglorum regem. — De nece sancti Thomæ Cantuariensis archiepiscopi.

(Anno 1172.)

Salutem in eo qui dat salutem regibus, HENRICO Anglorum regi graviter laboranti, præsertim in interiore homine, frater GUILLELMUS DE TRAHINAC conterritus in Grandimonte vestro prior et peccator.

Hem, domine mi rex, quid est quod audio de vobis? Nolo vos ignorare quod a die qua didicimus vos lethaliter cecidisse, operarios remisimus devotionis vestræ ædificantes ecclesiam domus tuæ

(2) Is est Thomas, qui postea archiepiscopus Cantuariensis, et martyr exstitit.

(3) Ex hoc loco et altero epistolæ ejusdem Petri Bernardi ad Henricum regem patet auctores reconciliationis sancti Thomæ Cantuariensis archiepiscopi cum rege Anglorum, fuisse Petrum Bernardi Grandimontensem et Simonem Carthusiæ Montis-Dei priores. Quod auctores hactenus latuit. Hinc colliges quantum possint homines mundo mortui et in claustri tumulo sepulti, id nimirum quod nec summi pontifices, nec reges potuere; et quam immerito a sæcularibus inutiles homines dicantur viri religiosi

Grandimontis, nec in ullo tecum participes essemus. Considerata siquidem regiæ vestræ majestatis ingenita bonitate, et collata ex adverso cum horrendi parricidii crimine quo accusaris, non potuit hoc de te sibi suadere anima mea. Quod si insons, Deo gratias, qui dedit nobis famulis tuis desiderium cordis nostri. Si autem proximus et particeps effusi sanguinis, attende, nec remaneas infirmus in luto tanti reatus. Plane nescius sum utrum te conscio tam pessimum facinus designatum fuerit necne. Scribo autem tibi, non sine timore et pavore; si enim tanti criminis fautor, ne dicam auctor esses, nollem, nec auderem tecum agere. Quod si, fato nescio quo, illud evenerit, doleo sane super te et mortificata bona opera tua, quoniam scriptum est : *Si averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus quas fecerat non recordabuntur* (*Ezech.* XIV, 26). Nullum jus, sed nec imperium teneo in voluntatem tuam ; et licet haberem, nullo modo cogerem te. Ingenuus est enim hominis animus, mavult duci quam trahi. Sed si quid valet coram te peccatoris oratio, precor, noli perdere fructus bonorum operum tuorum, noli perditam negligere animam tuam, pro qua Christus mortuus est. Convertere, et age pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus, et non erit tibi in ruinam iniquitas. Hodie si vocem Domini audieris, et non obduraveris cor tuum, orationes famulorum tuorum Grandimontensium, quas cum jejuniis effundimus et offerimus, ascendent ad Dominum.

VI.

Epistola Petri Bernardi, exprioris Grandimontensis, ad Henricum II Anglorum regem.— De nece sancti Thomæ Cantuariensis archiepiscopi.

HENRICO Anglorum regi pauperrimo, pauper et desolatus frater Petrus BERNARDI, exprior generalis Grandimontis, suas lacrymas ad cor emolliendum.

Ut innumerabilia sunt tuæ devotionis argumenta, ita sunt inenarrabilia, o illustrissima, sed nunc exaurata Angliæ corona, cujus decoris rosæ deciderunt. Nimirum quantum nescio quid immensum debemus tibi, o rex, ideo durum Christianæ reipublicæ, imo durissimum, præsertim nobis, audire extra Deum factum, et ab eo projectum esse regem qui finem nobis bona conferendi invenire non potuit, quique in sua magnificentia parum esse judicat, nisi innumeris obruendo beneficiis Grandimontensem aliquando suum populum nostrum potius oneraret quam ornaret. Tantum, inquam, debemus decoro aliquandiu diademati tuo, quantum non valemus enarrare. At quid tibi et carmini huic? bene quidem incœpisse, at defecisse in via Dei, retrogredi est. Omnes qui vident, incipient illudere tibi, dicentes : *Hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare* (*Luc.* XIV, 30). At quid laudari hic ab hominibus, quibus qui placere studet, servus Christi non est, imo confunditur, quoniam Deus sprevit eum, et in cœlo a Deo reprobatur, a quo uno merces est operi nostro et gloriæ corona de sola manu ejus. Animam separari a corpore infirmo dolemus. Potestne a Deo vera hominis forma separata manere? Signatum et sigillatum super nos lumen vultus Dei. Peccato fœdatur et obscuratur hæc lux gratiæ, quæ sola serenum confert. Excæcatus ab aulicis, verborum lenocinio pater præcipitio proxime collidendus est, quomodo filii suo damnabili silentio eum perire sinent? Vivit Dominus, animam hujusmodi patris ab his filiis requiret Deus. Si tacuerimus, sceleris arguemur a Deo nuncupante nos canes mutos non valentes latrare. Suspendio dignos adjudicabit cum canibus Capitolinæ arcis custodibus. Quidnam est hoc verbum quod dictum est pauperibus Grandimontensibus? Quomodo evanuit? Promiseras patri Simoni, fratrum Carthusiensium priori de Monte-Dei, et mihi, quod paratus eras domnum Thomam Cantuariæ episcopum ponere secundum in regno tuo, dummodo speciem humilitatis coram populo tuo tibi ostenderet. Fecit centies quod postulasti, et ille jacet in corde terræ. Vocem sanguinis clamantem ad Deum de terra audivimus : Quomodo cecidit verbum ex ore regis, quod est sanctum et in te venerandum? Verum ita sunt omnes isti divites : si quid bene facias, levior pluma est gratia ; si quid peccatum est, plumbeias iras gerunt. Hæcne threna tragœdi parsinalis (*sic*) didicere ibides nostræ eremi? In pectoribus plebeiis et infirmis beneficia omnia conservantur quomodo si scripta essent in arena et littore maris, in iisdem cordibus permanent injuriæ exaratæ quasi in marmore. Reverendus ille Pater Becket archiepiscopus irreprehensibiliter cancellarii munere coram te perfunctus fuerat, quare talem tantumque fidelem delevit oblivio? O vitream principum gratiam! Quid nobis et mundo? Nolite confidere in principibus, nec in filiis hominum in quibus non est salus. Imo salus ipsi domno Thomæ archiepiscopo Cantuariensi, quoniam ab eis occisus dealbavit stolam suam in sanguine Agni immaculati. Ideoque beatus, quia vocatus, quia etiam introductus ad cœnam nuptiarum Agni. O reverendum hiero-martyrem! o beatum pontificem! cujus anima paradisum possidet, quandoquidem invenit salutem ex inimicis suis, et de manu eorum qui oderant se gratis.

Bone Deus! auribus nostris audivimus, et Patres nostri dominus princeps Henricus de Francia, par Franciæ, dux et archipræsul Remensis, domnus Guillelmus Albimanus Senonensis archiepiscopus, domnus Joannes de Bellesme Pictaviensis, domnus Bernardus Nivernensis episcopi, Galliarum Patres [*an* pares?], narraverunt nobis opus quod operati sunt perditi quidam homicidæ, non rex Anglus, opus illud nefarium, indignum homine, multo magis rege benigno, misericordi, mansueto, nemini non benevolo. Corpora, dicebant, magnanimo satis est prostrasse leoni, humiliatum coram te, Anglia, primatem D. Thomam Cantuariensem. De regia tua, o rex, salute sollicitum patrem occubuisse

ferunt gladiis impiorum Willelmi *de Theraci*, Hugonis *de Morville*, Willelmi *Le Breton*, Renaldi *Ursé*, quos si emiseris, occidisti et tu quem occiderunt. Absit hoc a rege Angliæ. Non credo te adeo fœdum designasse facinus. Ad solam vindictam malefactorum, laudem vero bonorum gladium portas. Inter agendum de politicis Thæroneus comes Illyricus declarat regem in sua institutione et inauguratione perpetuam in se recipere et vovere obligationem bene beateque vivendi, rectumque judicium observandi. Magnus ille sacerdotum Dei Joiada, dum conservaret in regem Israel conservatum usque ad tempus Joas filium Ochosiæ, quem furata fuerat amita ejus Josaba de medio filiorum regis Ochosiæ, qui interficiebantur a lupa illa Athalia, posuit hic sacerdos super juvenem regem diadema et testimonium. Quod est testimonium? Volumen legis Dei, ut doceret reges a die solemni coronationis suæ singulariter astringi legis divinæ praxi.

Recordare, domine, quid acciderit tibi, o rex, cum consecrandus esses per manus R. P. Theobaldi archiepiscopi Cantuariensis, die 20 Decembris, et quod professionem hanc in manibus episcoporum consecrantium emiseris : *Ego Henricus, Deo annuente, futurus rex Angliæ, profiteor et promitto coram Deo et angelis, deinceps legem, justitiam et pacem Ecclesiæ Dei populoque mihi subjecto.* Et attende, quæso, quod et cui promisisti. Scriptum est enim : *Vovete et reddite* (*Psal.* LXXV, 12). Et iterum : *Displicet Deo stulta et infidelis promissio* (*Eccle.* V, 3). Statue contra te cor tuum, et quære ab eo quomodo et quando votum reddidisti? Siccine justitiam servasti, tuis non reddendo? Dicunt horrendum hoc et immane parricidii scelus te perpetrasse. Nos, licet inscii, jamjam super te dolemus, reformidantes quod nunquam scire vellemus. Quomodo obscuratum est tuæ charitatis aurum obryzum, mutatus est color optimus? Ecclesias nostras exstruere et dotare curabas, quomodo Ecclesiæ pastorem percutiendo, dispersisti oves gregis catholici, et, quod dictu incredibile, mactando?

Peripateticorum princeps in Ethicis reges vocat legem vivam. Credo eumdem sic fuisse locutum pro eo quod reges soleant subditorum suorum vitam procurare. Sane sic te non salutasset, sed sub nomine legis mortuæ, qui tuos mortificasti. Filius gentium quæ ignorant Deum fraterna cæde fœdavit Romæ fundamenta. Absit autem Christianæ veritatis filio, et domorum nostrarum protectori, nostrorum fundamentorum cœmentum paterno diluere cruore. Odi et exsecror manus violentas plus quam pilosas. Prudentissime quamvis ethnicus rex Antigonus maledixit adulatori sibi suadenti per fas et nefas agere suos inter subditos et regnicolas. « Absit, inquit, hoc a me. tyrannorum est sic procedere, regum vero secundum legis et instituta imperii. » O dignum optimi regis eloquium! Græcorum sapientes regem vocaverunt *basileu*, quod experirentur eum populi basim et fundamentum firmum.

A Tu autem quale firmamentum populi judicaberis? Siccine regio fulgens diademate, tuum sustentas et portas populum, populi tui tuumque Patrem spiritualem e medio tollendo? Merito vocaberis concussum populi fundamentum, et jam ruinæ proximum. Cæcus ille Græcorum vates reges nuncupabat pastores. At quis nesciat quod boni pastoris est tondere pecus, non deglutire? At tu traxisti, possedisti, occidisti. Quis videat, quis audiat tantam iniquitatem refundi in caput regis, et regis Catholici? Ille qui in diebus Saul abstulerat opprobrium ex Israel, vocavit reges clypeum illa in oratione funebri prædicti regis Saul et Jonathæ amabilium principum : *Abjectus est in te clypeus fortium* (*II Reg.* I, 21). Versum decimum psalmi XLVI in quo gloriatur

B David : *Quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt* (*Psal.* XLVI, 10), legit sanctæ Ecclesiæ doctor Hieronymus *reges scuta terræ.* Dato et concesso, quos inter reges te inveniam non habeo. Justi te non sentiunt in genere suo. Reges illi obumbrant super caput populi in die belli. Tu autem, domine mi rex, non tantum avertis faciem tuam a tuis, ipsos etiam interfectos insepultos relinquis in oculis solis, ut quos opprimis indesinenter contempletur.

Fateor, et ingenue non potest hoc de te sibi persuadere anima mea, nisi ex istorum Patrum scriptis exprobratum fuisset, suscepta mea legatione, cui te facturum satis regis promiseras sacramento. Tot tantaque nobis contulisti beneficia; ut quid

C erit pretii? Ecce enim durus a Deo emissus est propheta, omnium justitiarum tuarum quas fecisti non recordabitur Deus (*Ezech.* XXXIII, 13). In vanum laborasti ædificando civitates et cellas parvas, in quibus pauci resident viri super flumina sanguinis effusi, flentes dum recordarentur tui zelatoris nostræ Sion. Hodie ædificare, et cras destruere, quid est aliud quam animam suam in vanum accipere?

Cum quæsisset divinus vates : *Quis ascendet in montem Domini* (*Psal.* XXIII, 3)? respondit ei Spiritus sanctus : *Innocens manibus et mundo corde* (*ibid.*). Si hi duo gradus sunt necessarii ad cœlum pertingendum, et primum gradum non possis amplius invenire, quo pervenies? Hinc migrare necessum est. Quo ibis? Qua die nobis attulit vitam Chri-

D stus, christi ejus vitam præcidendam pronuntiabas. Incredibile hoc retulere, non credo, Domine Deus, quis credet auditui nostro? Dicent de te quicunque hæc accipient : Quid acuisti linguam tuam sicut serpentis? Si hoc in sanguinis innocui luto sic defixus fueris, ecce factus es sine corona et sine substantia. O durissimam sanguinis Andegavi sortem! O miserabilem Angliæ regni quondam florentissimi statum! Quando caput dolet, sentimus cætera membra dolere. Rex populi sui caput, caput autem regis Christus. Innocuo nocendo, insontem cædendo, cecidisti casu tam pernicioso, ut magna sit tibi Anglorum capiti inflicta contritio. Quis medebitur tui? A capite fetet qualiscunque piscis. Populi infirmitas a rege capite suo defluit, quia

illum quo vult convertit. Consularis satis superque notus, scribit ad Sempronium, quod inter tuos observare licet, non secus ac in corporibus, ita in imperio. Gravissimus est morbus qui a capite diffunditur de mortuo corde in corpore humano. Quid amplius caro nostra, nisi vermis, fetor et horror? Parricidii crimine suffocato te Britannorum corde, quid valet populus, et nos pauperes eremicolæ famuli tui? Valde expertus ille qui dicebat : « Qualis rex, talis et populus ejus; » namque componitur orbis regis ad exemplum. Quodnam, heu! et augusti regis das nobis exemplum? In oraculo Testimonii duos cherubim ex ligno olivarum factos auroque textos posuit magnus prudentiæ rex Israel, ad quid supremas potestates, ecclesiasticam et temporalem, Deo officiantes charitate et benignitate decorandas edocebat, cujus generis olivarum erat illud lignum. Ex quo te compositum clamabit posteritas? Dum Ahias Solonites Israeliticus colloqueretur in via cum Jeroboam, onustum ex scissuris pallii novi regem Israel vocabat lucernam. Quid est hoc? Ad nihilum valet lucerna, nisi abundet oleo cum lumine. Ita rex quantumvis fulgeat auro, gemmis in sceptro radiantibus, parum est, nisi charitate et beneficientia emineat. Audivimus et nos, dum media nocte surgeremus ad orandum Sponsum nolentem recipere novissime venientes quinque virgines quæ non sumpserant oleum secum, ipsasque confundentem cum repulsa evangelica : *Nescio vos* (*Matth.* xxv, 12). Oleum passim in Scripturis effusum symbolum misericordiæ et magnificentiæ regiæ, quæ infirmorum ac subditorum miseriis subveniendo, proxime accedit ad oleum quod videmus supernatare aliis liquoribus; ideoque, ut reor, reges non consecrantur vino aspero, aut aceto, sed oleo misericordiæ, ut discant ab hac die suæ coronationis facere utique misericordiam cum judicio. Ad hoc ut vigiliis addicta luceat lucerna, debet teneri recta; sic reges populorum lucernæ debent esse, magnifici, recti, amantissimi, et suorum commodis invigilare. Nunc itaque vides ad verbum Dei veram lucernam positam pedibus regum, quia lumen quod erat in te tenebræ sunt, et tenebræ super universam terram tuam per scandalum quod omni populo tuo posuisti, et hoc vidisti :

Majoresque cadunt altis de montibus umbræ.

Omne animi vitium tanto conspectius in se crimen habet, quanto major qui peccat habetur. Jeroboam quia rex Israel plus quam quis alius Hebræorum Deo displicuit idololatriæ crimine, eo quod pessimo scandaloso vitæ exemplo peccare fecit populum Israel. Et sane imperatoris collusio, ut notat Hegesippus, populo proponitur quasi lex flagitiorum. Omnis princeps quasi populi sui monarchia censetur, qui eum exempli sui gubernaculo, sive timone, quod vult, sive ad bonum, sive ad malum, eum convertit. Nonne tibi aliquando retulere legati trium Magorum, quod dum turbatus est Herodes, turbatur et omnis Jerosolyma cum illo? Turris quo

A altior est, eo casus ejus gravior; ruina extensione major, strepitusque cadentis et fragor et terribilior; ita reges (quoniam vitia neminem latere possunt) qui facti sunt turres fortitudinis gentium sibi commissarum a facie inimici sævientis, quando depravatis moribus et opere perdito cadunt, magnam causant ruinam in subditorum mentibus. Declaravit Via, Veritas, et Vita Christus, princeps regum terræ, non de malo mulierculæ opere, quæ se sequebatur, sed de principis apostolici crimine reformidandum illud : *Væ homini illi per quem scandalum venit* (*Matth.* xviii, 7). Quantum, proh dolor! quantum est scandalum hoc quod tuis posuisti? Manhu! tu qualis, tu quantus, et quis es, et quid fecisti? Viden' utrum hoc facinus principem tui sanguinis addeB ceat? Posuisti offendiculum fratribus redemptionis tuæ, lapidem offensionis, et petram scandali. Magister de discipulorum nugis, dominus de servorum insolentia, pater de filiorum malis moribus, ita rex de subditorum excessibus rationem reddet in die judicii. Omnia illorum scelera, sive levia, sive gravia, in caput regum refunduntur.

Quod si, Deo inspirante, tam acerbam quam infamem tui nominis notam declinare et delere meditaris, quatuor illi sicarii sua immanitate nobiles extremis afficiendi sunt suppliciis, et e finibus humanæ naturæ sunt eliminandi et exterminandi; non patiaris illos vivere in terris tuis, ne hoc te prætereat, si tolerantia tua, aut participatione cum illis C quatuor excommunicatis desiisti vitam spiritalem vivere, vivere nolo amplius vitam temporalem. Tanta talique in consideratione apud me est salus tui diadematis, quantum profert qui pro te cupit etiam fieri anathema. Vellem, utinam, te nunquam nobis bona fecisse, quoniam, patre a filio occiso, brevi Deus Judex, justus, fortis, qui *armat creaturam suam ad ultionem* suam (*Sap.* v, 18) (quia *qua mensura mensi fueritis, remetietur* (*Marc.* iv, 24); et *qui fuderit sanguinem, fundetur sanguis illius* [*Gen.* ix, 6]) paternum contra sceptrum dominationis tuæ æternæ, suscitabit zelum amarum filiorum tuorum. Veruntamen faxit Deus me false prophetare; interim præpara animam tuam ad tribulationem. *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instaD bilis facta est* (*Thren.* i, 8), nec est pax ossibus regiis, id est interioris hominis partibus superioribus, a facie peccatorum suorum (*Psal.* xxxvii, 4). Salomon litem suam instituendo, revelavit *potentes potenter tormenta* passuros, *quoniam æternus Judex non verebitur magnitudinem cujuscunque* (*Sap.* vi, 7, 8). Jamjam apostolorum novissimus judicium reformidat, quod *fiet durissimum his qui præsunt* (*Ibid.* 6). Hoc cum gravi verborum pondere de bono opere non lapidamus, sed de blasphemia, de exsecratione et mendacio, si verum parricidium quod relatum est, zelo zelatus pro filiis Domini Dei exercituum, spinæ nostrarum eremorum lingua dolatæ sunt aculeata, non sine punctura loquuntur; verum ita pungant, ut compungantur

compungendi ad salutem. Acerbæ querimoniæ meæ A non succussant, ne deterius quid contingat; magnæ ulcerum saniei validius detersivum necesse est; ex modico vulnere tabidum facit ulcus nimis blanda chirurgi manus; non audit medicus fidelis inter resecandum putridum membrum lamentabilem amici sui vocem, sed ad salutem. Volo, domine mi rex, te talium sermonibus, aut consiliis uti, qui tam timeant palpare vitia quam detractare virtutibus. Vendant alio loco et oleum suum peccatores illi adulatores, quam coram te; pura regum imago non vult oleo peccatoris impinguari caput suum. Etsi te lactaverint peccatores aulici, ne acquiescas eis; molliti sunt sermones eorum, sed ipsi sunt jacula. Offerant Samaritani (intelligo animæ tuæ custodes) oleum et vinum, ut animæ insolentis infundant vulneribus, utinam et ego cum eis fierem apud te idoneus minister Novi Testamenti, duris verbis veniens ad te, vinum increpationis debitæ infunderem usque ad cordis tui contritionem; et hoc est agere misericordem in hoc genere fuisse crudelem.

Dum vos alloquimur, fili Excelsi, blandiri vobis nec volentes nec debentes, indignationem forte tuam adversus nos concitabimus; nihil vereor nec facio animam meam pretiosiorem quam me; melius est mihi cum illa a duobus senibus inveteratis dierum malorum accusata incidere in manus hominum absque opere malo, cum obtruncato domino Cantuariensi, quam *in manus Dei viventis* (*Hebr*. x, 31) (quod *horrendum* credebat gentium Doctor). Pereant per me licet bona nostra temporalia, modo non amittat æterna anima tua, pro qua Christus mortuus est, justus pro injustis.

Longius progredi et diutius tecum versari duo mihi prohibent, silentium imponendo : primo majestas tua supra vires exsecrandis compedita et nimis involuta negotiis, quam innocente fuso sanguine lethaliter dolco sauciatam; secundo contagiosum hocce vulnus excommunicationis in anima tua inflictum prohibet me tecum agere, ne tam perniciosa labe inficiatur anima mea, quondam tua, nisi usque resipiscas : quoniam sanctiore titulo prohibet Paulus scribens Corinthiis, non commisceri, nec cibum sumere cum avaris aut rapacibus. Sed et discipulus quem diligebat Jesus, commendans Electæ dominæ, et natis ejus charitatem : *Si quis venit ad vos, et hanc charitatis doctrinam non affert, nolite recipere in domum, nec Ave ei dixeritis; qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis* (*II Joan*. 10, 11). Tu autem qui nosti quod oportet nos mutuam vicem reddere parentibus animarum nostrarum, intelligis nos tecum non amplius debere communicare, nisi prius deposueris sordes animæ tuæ.

Erat Jerosolymis probatica piscina, ubi, mota aqua, qui prius descendebat in eam, sanabatur. Sunt et Romæ natatoria Siloe, quod interpretatur *Missus*, seu *Apostolus*, quoniam ibi apostolica sedes, quæ peccatores excipit ad pœnitentiam. Vade itaque ad hæc natatoria Siloe; quod si Frederici Augusti armis interclusum est iter, descende in Jordanem pœnitentiæ; aquæ enim sane meliores sunt Abana et Pharphar fluviis Damasci. Festina, ne tardaveris, periculum in mora, lavare septies. Hoc repurgato et reparato, miseras et miserabiles animæ B tuæ ruinas septena hacce lotione, confessione, lacrymis, jejuniis, satisfactione, disciplina, peregrinatione ad loca sancta, et eleemosynis, peccata tua redime. Adhibe quam viduasti Ecclesiam, ut pro te oret. Nos quidem non cessamus orantes pro vobis nocte ac die, ut præveniendo faciem ejus in confessione revertaris ad Dominum, si forte audias nos et saneris ab eo. Hac sine lotione obliviscere nostri; nihil tibi et nobis; qui aves cœli pascit, nos curabit. Epistolas tuas non exspectamus, sed nec expetimus; non amplius rescribas, quia nomen tuum deletum est de libro viventium, neque te faciem tuorum excommunicationis fulmine combustam videamus, ne maledicto participes effe- C cti tecum separemur ab usu gratiæ Dei, sine quo nihil possumus facere. Si vis nos invenire, revertere, revertere ad Patrem nostrum cœlestem, *in quo* et per quem *vivimus, movemur et sumus* (*Act*. xvii, 28), et dicito ei in spiritu humilitatis et in animo contrito : Ego qui inique egi, Pater, in cœlum et in tuos, nihil amplius a te exspecto. Sic miserere animæ tuæ placens Deo : exspectat quidem, donec veniat immutatio tua, Grandimontensis populus gemens et quærens a Deo qui dat escam omni carni, pro te panem gratiæ in cinere et sacco factus obediens Deo. In nostro priore generali hæc tibi loquor et exhortor in Christo Jesu Domino meo districto judice, qui, licet sint omnia oculis ejus nuda et aperta, accuratam operum nostrorum D inquisitionem scrutaturum se dicit in lucernis Jerusalem, quanquam dilectam. Quid faciet eis quos reprobavit? Malos male perdet; verba sunt sancti Evangelii : *Qui ex Deo est, verba Dei audit* (*Joan*. viii, 47).

GUILLELMUS DE TRAHINACO

GRANDIMONTENSIS PRIOR SEXTUS

NOTITIA

(*Gall. Christ. nov.*, tom. II, col. 649)

Guillelmus I de Trahinaco, alias de Axia, Lemovicensis diœcesis, renuntiatus est vigilia Assumptionis B. Mariæ; qui jejuniis, vigiliis, et orationibus intentus, prioratum administravit annis 18, mensibus tribus. Sub ejus præfectura excipitur crucis Dominicæ portio, ut fidem facit sequens schedula : *Anno ab Incarnatione Domini 1174, papa Alexandro III præsidente, Amalrico rege Hierosolymitano VI, Ludovico VII rege Francorum, Henrico II rege Anglorum regnantibus, tempore domni Guillermi sexti prioris Grandimontensis, pridie Kal. Junii, susceptio vivificæ crucis quam prædictus Manuel imperator Constantinopolitanus præfato Amalrico neptis ejusdem imperatoris marito, cum aureo contulit phylacterio. Idem vero rex Amalricus divina inspiratione illuminatus, eumdem crucem cum eodem phylacterio per Bernardum venerabilem Liddensem episcopum apud Grandimontem direxit, ubi a priore prænominato, et universis fratribus cum omni honore et devotione suscepta est. Communi itaque consilio prioris et fratrum sancitum est, ut si quis vel totam crucem, vel aliquid de ipsa cruce a loco Grandimontensi transmutare vel subtrahere præsumpserit, anathema sit. Amen.* Sub præsulatu Guillelmi, instigante humani generis inimico, suborta est gravis dissensio in ordine Grandimontensi, in religionis quæ huc usque tunc floruerat, grave dispendium, et scandalum plurimorum, quæ triennio desæviens perduravit usque ad tempus Clementis III papæ. Idem, inquam, Guillelmus clericorum suæ domus libertatem strenue tutatus est adversus fratres conversos, quorum eo prosiliit audacia, ut ipsum nefario ausu non modo carceri mancipaverint, sed et officio prioratus quoque deponere præsumpserint, intruso Stephano. Quamobrem Carnotensis episcopus, et S. Victoris cœnobiarcha, judices a Lucio III delegati sunt, qui pristino honori, opitulante Audeberto comite Marchiæ, Guillelmum restituere. Deinde vero cum se abrenuntiaturum promisisset, tam ipsum quam Stephanum in ejus locum suffectum excidisse a præfectura decrevit Clemens papa III, alterius eligendi concessa facultate; qua de re vide bullam inter ejus epistolas. Postmodum fit conventio inter clericos et conversos per Innocentium III pont. max.; sed Guillelmus Romæ, vel, ut alii produnt, a curia reversus, evocatur ex hac vita XIV Kalend. Decemb. elatus funebri pompa ad Grandimontem, inter priores tumulatur sub hoc brevi epitaphio : *Hic jacet domnus Guillelmus* (1) *reverendissimus sextus prior, verus Israelita, in quo dolus non erat. Vixit in prioratu* XVIII *annis et tribus mensibus.*

(1) An. 1639 inventa est arca plumbea, in qua requiescit corpus Guillelmi prioris, cum hoc distycho :

Cerne, prior sextus Willelmus pro grege factus
Exsul, cum Christo tumulo requiescit in isto.

GUILLELMI DE TRAHINACO
EPISTOLÆ.

(Vide supra, inter epistolas Petri Bernardi, sub num. 4 et 5.)

GERARDUS ITHERII

GRANDIMONTENSIS PRIOR SEPTIMUS

NOTITIA

(*Gall. Christ. nov.*, tom. II, col. 649)

Gerardus Itherii Guillelmo suffectus est suffragiis capituli generalis celebrati III Kal. Oct. in festo S. Michaelis 1188, cujus promotione tranquillitas fratribus a Domino redditur. Hic porro prior stu-

Close deposcentibus religiosis anno primo administrationis suæ procuravit canonizationem et translationem corporis sancti Stephani, cooperantibus Helia Burdegalensi, Sebrando Lemovicensi, ac Bertrando Agennensi episcopis, missis ad sedem apostolicam duobus Gerardi discipulis Roberto et Guillelmo, cum litteris prædictorum prælatorum, ac etiam aliorum episcoporum, abbatum, ac principum. Bulla data est XII Kal. Apr., pontificatus Clementis an. II. Cæterum hic prior zelo disciplinæ A monasticæ studium litterarum feliciter adhibuerat, ut pote sancti Stephani gesta perscripsit, edita in libro qui *Speculum* appellatur. Ejus epitaphium hæc de eo nos docet : *Hic jacet domnus Gerardus VII prior; mansit in prioratu* X *annis, tribus mensibus. Postmodum amotus obiit* XIII *Kal. Maii; quia dum adhuc viveret, prioratui renuntiavit, et inter priores Grandimontis honorifice sepultus fuit.*

VITA S. STEPHANI DE MURETO

AUCTORE GERARDO ITHERII.

(Vide supra, col. 1005.)

REVELATIO CUJUSDAM FRATRIS

DE DEPOSITIONE WILLELMI DE TRAHINACO GRANDIMONTENSIS PRIORIS.

Circa annum 1180.

(MARTEN.. *Anecd.*, tom. I, col. 604, ex ms. Vindocinensi annorum circiter 500.)

Fratri WIDONI WILLELMUS.

Est quidam frater in Grandimonte adhuc vivens, sacerdos, vir religiosus, et boni testimonii, domno priori Guillelmo, et antecessoribus ejus, quondam familiarissimus, cujus nomen tacebitur, plenus virtutibus, honestus vita et moribus, parcus in cibo et in potu, tardus ad iram, tardus ad loquendum, dulcis eloquio, humilis in omni conversatione sua, justus et placens coram Deo et hominibus, incedens in omnibus mandatis Domini sine querela. Hujus enim officium est semper psalmos legere, aut orare, et genua flectere ante Deum ita ut jam per omnia Deo dignus, si fas est, in carne mortali angelis similis effectus, in cœlesti regno vivus a Domino transferri debuisset. Hic ergo jacebat prostratus in oratione ante crucifixum in capitulo, et Deum toto cordis desiderio exorabat. Et ecce vigilanti ei, et pro cœlestis regni perceptione suspiranti, quidam frater sacerdos, non multum ante defunctus, nimio candore vestitus apparuit, amicus ejus et socius, et omnibus nobis notissimus, nomine Bernardus de Rocha, quem domnus prior Willelmus a puero nutrierat, et virgo virginem admodum diligebat, et ipse eum, ita ut etiam illo vivente ejus dentem in pectinario pro reliquiis portaret. Unde divina dispositione factum est, ut quos una charitas invicem viventes ligabat, defunctos conjungat; nam domnus Willelmus prior Grandimontis, ut fere omni mundo notum est, pro B injuria quam a fratribus suis patiebatur, exsul et peregrinus Romæ migravit ad Christum : cujus sanctitatis virtutisque præconium omnium nostrum novit ecclesia, quod etiam crebra testantur miracula. Frater autem jamdictus B. ab Occidentalibus partibus Romam pergens ejus videre sepulcrum, ibi similiter defunctus est. Ubi aperte ostenditur quantum vivens dilexerat, quem etiam in tantum mortuus diligebat, ut eum de longinquis regionibus ad se venire, et secum tumulari, Deo ordinante, voluisset. Erat enim frater ille affabilis et amabilis valde, et sine crimine virgo, ut dictum est, ab infantia in Dei servitio perseverans. Hunc ergo cum vidisset sacerdos ille prædictus stantem ante crucifixum in alba, obstupuit; non tamen vehe- C menter expavit, utpote vir spiritualis, et supernis visionibus assuetus, sed caput parum ab oratione erigens, ac aspiciens, dixit : « Domne Bernarde, vos estis ille? » Cui ipse : « Ego sum, inquit, Bernardus de Rocha. » Tunc interrogavit eum frater ille, dicens : « Domine, quomodo est de vobis? » Cui respondit : « Mihi quidem bene est, quia salvatus sum, sed de Gerardo conqueror, qui noluit nomen meum scribi in Kalendario; sed ego vindicabor de illo, » de Gerardo scilicet priore loquens, sed nolens eum appellare priorem. Postea interrogavit eum iterum ille vir sanctus sacerdos, ita inquiens : « Domine, dicito mihi : quomodo est domno Guillelmo priori? » At ille respondens : «Scia-

tis, inquit, pro certo quod ipse est cum Domino A Jesu Christo in regno cœlorum, et Deus in cœlis coronavit eum coram se. » His ita dictis, disparuit, et frater ille lætus ab oratione surrexit. Hanc itaque visionem sacerdos ille mihi familiariter narravit, et verum est testimonium ejus, sed ipse non vult eam interim divulgare, ne forte ei in odium vel jactantiam verteretur. Nolui tamen divina opera silentio tegere; sed ea scripto memoriæ commendare, et maxime quia præconia sanctitatis domni Willelmi prioris nullus suorum fidelium discipulorum debeat reticere, sed prædicare, laudare, lætari, atque gaudere. Valete.

VITA B. HUGONIS DE LACERTA

S. STEPHANI, ORDINIS GRANDIMONTENSIS INSTITUTORIS, DISCIPULI

Auctore Guillelmo Dandina, Grandimontensi, cognomento *de S. Savino*, suppari.

(Post annum 1157.)

(Marten., *Ampl. Coll.* VI, 1143, ex codice Grandimontensi ætate ipsius auctoris exarato.)

1. Igitur domnus Stephanus pater primus et B fundator totius religionis nostræ per quem divina clementia nobis et per nos cæteris lumen veritatis innotuit, Arvernis oriundus certa plurimorum relatione comprobatur et creditur. Nam cum primum sanctus Dei generis nobilitatem, amorem rerum, fluxam sæculi gloriam, escarum variam delectationem, et reliqua remissionis blandimenta, quasi quoddam vitaret incendium, quodam rapido cursu pervenit Muretum, in quo se constituens, novus hospes habitavit. Exinde cum voluntati ejus merita religionis succrescerent, jam omnibus sæculi vinculis liber, arduum atque asperum arripuit institutum. Disponens igitur lege vitæ durioris se stringere, inediæ et vigiliarum tantum patiens cœpit esse, ut eum sibimet fore crudelem non dubitares. C Pernoctans in oratione, edebat semel in die, sæpissime tantum post solis occasum; nonnunquam biduo, triduo jejunus permanens, quarto demum reficiebatur die; sumebat vero panem et salem quandoque, potumque perparvulum aquæ, unguenta penitus repudians. De vino quoque putavimus melius reticere, quam quidquam dicere, præsertim cum illum ab eo penitus triginta annis continuis abstinuisse audivimus, nisi cum communionem Domini acciperet in decretis sibi diebus. Quanto autem pannorum in æstate fruebatur, tanto in hieme erat contentus: quibus etenim in die, eisdem utebatur in nocte. Quieti autem membra concedens, duobus invicem conjunctis asseribus atque cilicio utebatur; D lorica tamen semper induta desuper, aliquoties etiam super nudam humum jacebat. Cujus etenim vita sermone est satis luculento, caro paterni amoris studio, alias scripta in sacratioribus locis pro summo honore habetur et conservatur. Hic denique ex quo eremum aridam intravit, Christo servire ex corde desiderans, ut de suis aliorumque meritis mercedem in cœlis acciperet copiosam, fratrum habitantium in unum exstitit pater atque minister; in qua cum eis habitans, quotidie in opere Dei succrescebat, formam tenens illius Ecclesiæ primitivæ, de qua in Actibus apostolorum legitur: *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una; nec quisquam suum ibi esse aliquid dicebat; sed erant illis omnia communia (Act. IV).*

2. Fuit enim in diebus illis in Lemovicinio vir beatæ memoriæ frater, Hugo Lacerta cognomine, qui a primævis pueritiæ suæ annis ætatem moribus transiens, secundum quod scriptum est, innocentis habitavit domum; qui cum legitimis altisque exortus esset parentibus, ipsum jam quasi senescentem mundum cum concupiscentiis suis sprevit atque calcavit. Quanta eum Deus bonitate quantaque virtute mirificavit, cum adhuc florens militaret in sæculo, ad ædificationem omnium nostrum, ne æmuli inveniamur, utrumque explicare debemus.

3. O virum laudabilem! o virum cunctis amabilem! quem in infantia sic divina præelegit gratia, sic præsignavit prodesse futuris, quod vulgo a coævis Deus fecit illum amari, meruit sanctus nuncupari: hic autem adhuc puer, cum ad ecclesiam cum parentibus sæpe conveniret, nec infantium lascivias, nec puerorum negligentias sectabatur, sed tantum ea quæ legebantur auscultabat.

4. Cum autem esset miles jam factus, pauperum Christi non immemor fuit, ipse pauper futurus; religiosos enim ac cæteros quoscunque secum hospitabatur, semper una domo, una mensa e sumptibus suis hilaris dator diligenter reficiebat; unicuique vero parcimoniam suam de facultatibus suis valde optime, prout poterat, dividebat, esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat, pupillos quoque et viduas, infirmos atque captivos in tribulatione eorum confortans, visitabat; peregrinis defunctis atque vicinis sepulturam sollicitus exhibebat. Quid plura? non habentibus ligones et cætera

labori necessaria humilis humiliter ministrabat.

5. Nullus namque, juxta magistri nostri sententiam, perfecte abstinens prædicatur, nisi is qui ea coram se positis quæ amplius appetit desiderium suum illæsus calcat et frangit; tanta autem præditus Dei famulus abstinentia sese inclinaverat, quod sæpissime a licitis quibus libere uti poterat, jejunus exstabat. Cumque sibi suisque amicis diversæ epulæ diverso genere posita mensa apponerentur, tunc inde quasi subtristis consurgens, ventris dolorem aut causam aliam se perpeti simulabat. Cœnatis itaque omnibus, incœnatus sæpe solus manebat; non suis, ut militaris ille assolet ordo, pro variis et delicatis cibis unquam tædio fuit, iis solum quæ dabantur contentus, nihil amplius requisivit.

6. Castello autem in eo quo famulus Dei commorabatur, diebus Dominicis quidam pauperrimus devote ad ecclesiam veniebat oraturus, quem adeo omnibus cura familiaris attenuaverat bonis, quatenus minime haberet, exceptis quibus nescio semicinctiis unde pudibunda sua protegere posset, quæ ita videbantur resarcita ex aliis, quod vix aut nunquam posset discerni cujus antea exstitissent coloris. Hæc itaque talia, ut dictum est, Dei miles gemens et suspirans, propter Christum ex toto corde cupiebat habere; insuper et sibi per totam vitam suam sperabat sufficere posse.

7. Erat autem alius in prædicto loco, pauper tantum rebus, sed dives, ut credo, virtutibus, qui multo sudore toto anno sibi et familiæ suæ cum ligone tenuem victum acquireret: huic vero erat ædicula tam pauper, tamque angusta, quod ex pennulis juniperi aliorumque humilium arbustorum, collo quidem suo delatis, in ipso ostiolo prope limen se focularet; sic enim undique fabrica illa urgebatur angustia, ut ibi manentibus difficiliter valde pateret egressus; tale namque hospitiolum vir sæpedictus, ut lucrifaceret Christum, cogitabat fore sibi necessarium, reminiscens Scripturæ illius dicentis: *Quam arcta est via quæ ducit ad vitam!* (*Matth.* VII, 14.)

8. Operæ pretium est et nostræ ædificationi valde necessarium huic etiam illud inserere lectioni, qualiter Dei famulus se adaptabat in spiritu non solum pauperibus, sed et immundis animalibus. Quædam autem in præfato castello de sub cujusdam scala, stratu ex vilibus paleis atque minutis sibi parto, sus immunda jacebat, quam cum inibi vir Dei frequentissime jacentem ac volutantem prope aspiceret, tristis et stupefactus secum dicebat: « Quomodo vivo? quid miser propter Christum sustineo? » Nam tantum in amorem Christi ille jam promptus fuerat, ut tale cubiculum libentissime susciperet, si tempus suæ conversationis permitteret.

9. Perfectæ enim vitæ atque summæ scientiæ est habere in sæculo quod subsequente recitatur capitulo. Religiosus autem et pius miles in omnibus et pro omnibus magis Christo obediens quam sæculo,
A quidquid ex religiosa invitus acquirebat militia, ad usum bonum, quantum poterat, expendere semper studebat; qui cum ad militare ex præcepto domini sui compelleretur negotium, cui tamen propter beneficium non valebat suum defraudare servitium, Deo volens adhærere, promittebat nihil ibi se facturum nisi ejus obsequium, videlicet ex utraque parte dissipare malum et inquirere bonum; sed ut redderet Cæsari quæ sunt Cæsaris, ac si vellet omnia capere, incipiebat quandoque primus abire. Reddens ergo quæ Dei sunt Deo, fugabat quos capere nolebat; quos vero alii impedire tentabant, ipse prior capiebat, ac deinde locis convenientibus salvos atque solutos abire sinebat. De cætero autem portionem quæ se contingeret a commilitonibus suis im-
B portune exigebat, hac tamen intentione, ut illi qui amiserant non sine lucro reportarent ab eo. Cum autem ad omnia Dei miles se tam sapienter disponeret, propter conversationis suæ studium charus acceptusque Deo a populo judicatus est. Quodam ergo tempore dum ex more de contemptu sæculi tacitus secum disputaret, æternam potius quam præsentem vitam ac transitoriam approbans, placuit de terra et de cognatione sua egredi, et in aliena peregrinari. Hinc est quod per aliquod tempus quo iret aut quomodo fieret secum deliberaret, votum vovens Deo, proposuit Jerosolymam pergere, Christo militaturus, ac inde nunquam ad propria reversurus. Cumque Dei miles accepto tempore, expen-
C sis dispositis, collectis sociis, optatum iter diebus multis perageret, quemdam ejusdem itineris socium, gratia Dei præcedente, invenire meruit, qui et ei voluntarie supplesset necessaria, si ei facultas deesset in via. Erat enim ex magno genere hominum, et dives multum auri et argenti et possessionum, ac familia multa nimis adornatus: denique dum ex more viatorum invicem de pluribus sermocinarentur, contigit ut omnium judicio præstantissimus esse et consilio et verbo decerneretur, quem siquidem cum tanta gratia dives ille quotidie cerneret sublimari, ita et amicum et familiarem sibi præfecit, ut ambo scypho uno, lance una refocillarentur, et relicto suorum consilio [*f.* consortio] ejus solo potiretur proprio. Cumque itineris cœpti
D maturitate viam conficerent, contigit ut Jerosolymis sani et incolumes applicarent; deinde dum ex sudore multo fessa membra recreassent, ut locus obtulit, cum donariis copiosis per loca sancta perrexerunt oraturi. Erat enim Dei miles præterea deditus in eleemosynis, orationibus ac frequentioribus jejuniis, et omnibus pro posse suo obediens vitæ æternæ mandatis; religionis autem gratia reclusos ac cæteros religiosos frequentissime visitabat, cupiens tam prædicatione eorum instrui quam præsentia recreari. Fere enim per biennium sedulum Christo exhibens obsequium, vir Dei ibi quandoque miles exstitit, quandoque et peregrinus.

10. Interea causa exstitit, quod dives ei socius reverti ad propria compelleretur: erat enim multo

negotio plena. Quam cum venerabili viro per ordinem exposuisset, venire mox secum quantocius ut familiarem rogavit et amicum. Cui ille: « Nequaquam ego quod rogas facere possum; nam huc ad hoc veni, ut Dei servitio dies vitæ meæ redimerem residuos. » Rursus dives ait: « Occasionem quæris, ne mihi quod rogo præstare debeas; sed quia longa et laboriosa nobis restat via, ne cuncteris, amice dulcissime, meis parere sermonibus: promitto enim huc me reversurum, si tu vis, in proximo tecum. » Tunc ille victus his precibus acquievit: nulla in medium mora. Quod ergo supererat de thesauris suis incunctanter jubet præparari, unde et supplementum haberent victus et penuriam sublevarent vestitus. Dum autem ad mare descenderent, vir Dei de reditu suo cœpit secum contristari et molestus esse. Accidit autem ut quidam peregrinus pulcher facie, sed pulchrior fide, transiret eadem via, et viso illo accessit ad eum, et dixit: « Frater, quid habes? quid ploras? » Cui ille inquit: « Domine mi, sic et sic, et me et meum Deus respuit servitium. » Prædictus namque peregrinus eum quasi verbo prophetico consolans, ait: « Fili mi et amice, noli lugere et noli contristari; forsitan enim Dominus ad alia utiliora te revocat negotia, quoniam, ut trahat ad bonum melius, quandoque subvertit minus. » Audita vero confortatione et percepta, mox navem cum sociis lætus et securus ascendit, et gratias Deo omnes in unum agentes, navigio prospero, aura levi, undis lenibus, temperatis flatibus, velo pendulo, mari tranquillo tandem ad portum pervenerunt salutis.

11. Cumque ad terram venissent, placuit ei cum sociis suis pariter et amicis ad patriam et propriam domum agrosque remeare: ad quos veniens, et in quibus constitutus, ferme biennio domus suæ curam agens satis honestam, multo instantius ac ferventius fuit deditus misericordiæ actibus; bonisque intentus operibus, hospitalitati præcipue studens, exercendis vero sæcularibus curis occupatus agebat terrena negotia, sed, ut post in vita sua claruit, magis ex debito quam ex intentione; hic nimirum, cum jam quadragenarium ætatis suæ annum celebraret, reipublicæ negotiis sæculique curis afflictus, mundum penitus detestari, et quo soli Deo vacaret secum inquirere cœpit.

12. Eo namque tempore domnus Stephanus in disciplina sua noviter jam fratres, licet paucos, susceperat, quos tamen modo palam, modo clam ad sanctæ conversationis studium informare vigilabat; qui vero, cum diu in eadem eremo virtutibus signisque succresceret, cœperunt postmodum nonnulli jam mundum relinquere, atque ad ejus magisterium festinare. Hujus itaque nomen per vicina loca innotuit, factumque est ut ex illo jam tempore a multis frequentari cœpisset. Qui enim ei victualia deficiebant corporis, ab eo in pectore suo æternæ alimenta reportabant vitæ. Hujus ergo venerabilis Patris celebrem opinionem vir iste de quo nobis præsens sermo, comperiens, divino, ut credimus, Spiritu instinctus, prædictam eremum aggressus solus et cum aliis multotics præsentiæ ejus se obtulit aspectibus. Cui profecto per multa consolationis verba, Pater venerabilis cum corde ejus præsensisset petitionem, sicut consueverat, orationum munus obtulit, nec eum secum posse manere indicavit. Tandem expleta itaque consolatione et alloquio, ad propria sæpe repudiatus miles Dei recessit: alia quoque die per quemdam presbyterum satis litteratum religionisque institutis bene eruditum expertus est, utrum illic tanta adessent bona quanta et plurimorum narratio certa vulgaverat; ipse etiam inesse credebat. Qui reversus dixit ad eum: « Pater iste de quo tu quæris, tam ipse quam discipuli sui angelorum vitam, quantum fas est, sectantur in terris. »

13. Post non multos vero dies eadem causa optati eremi iterum miles Dei aggressus est iter (1). Hic nempe, cum viri Dei se præsentaret aspectibus, statim indicavit ei quid quæreret, dicens: « Scio, domine, te non latere petitionem meam; sæpe enim charitatem te rogavi, et sæpe a te repudiatus recessi. Pater et domine, obsecro, reverti ad sæculum nolo, quia valde labile scio, et, ne pro fragilitatis meæ conditione valeam tam leviter ut modo huc redire, timeo. Ecce enim paratus sum ex toto ad Deum, quem tu prædicas, et cui devotum cum tuis exhibes famulatum, converti; unde supplico largiri mihi a te sanctæ habitum conversationis. » Cumque Pater venerabilis petitionis ejus videret constantiam, talibus cum verbis eum alloqui cœpit dicens: « Frater et amice, nescis quid petis; vita enim tua nimis est delicata, et tota in deliciis enutrita; quomodo poteris onus sustinere quod tibi vis imponere? Aspice crucem: multum est difficile ibi manere; si huc adveneris, in ea configeris, et amittes dominationem quam habes in temetipso, in oculis et in ore, ac in cæteris membris; manducandi, jejunandi, dormiendi ac vigilandi tuam relinques voluntatem, multarumque rerum aliarum; et hoc quod in sæculo diligis, continget tibi odio habere; exinde non reverteris ad domum cognatorum tuorum, et si ipsi ad te venerint, nequaquam eis tuam paupertatem ostendes. Poterisne, frater, fossor esse, ligna et fimum portare, cunctis fratribus servire? Hoc totum esset facile; sed captus tali carcere manebis, ubi non est foramen per quod ad sæculum revertaris, nisi tu ipse feceris; et ego curam tui non agam, nec temetipsum agere sinam; a sæculo quippe meos abscidi pedes, et si propter me non redeo, propter te non redibo. Adhuc aliud superfuerit: forsitan mitterem te in aliquod nemorum, et annonam quam manibus cum ligneo ligone laborando acquisieris, ego acciperem, et eis qui

(1) *Confer.* cap. 1 *Sententiarum* sancti Stephani, supra.

me hic custodiunt tripuerem. Aliud vero restat horribilius: centupliciter tibi melius est damnari in sæculo quam hic. Qui enim ab altiori cadit, amplius læditur; et si hinc in infernum caderes, omnibus aliis perditis inferior esses. Tu vero potes pergere ad quodlibet monasteriorum, ubi magna invenies ædificia, cibos delicatos suis temporibus constitutos. Illic bestias reperies terrarumque latitudinem, hic tantum crucem et paupertatem. » His et hujusmodi pluribus verbis Dei militem Pater venerabilis expertus est, ac deinde oblata salutatione ad præsens jussit recedere.

14. Hæc autem Patre dicente, magna valde repletus est anxietate, ac si omnem totius salutis perdidisset spem, sine consolatione lugebat, ob hoc maxime quia sibi salutis præsidium quod ferre poterat, ferre prolongabat. Cui ille iterum, utcunque potuit, dixit: « O bone homo! o bone homo! omni enim virtute tua age quod agis, operare quod operaris, non cesset pes tuus, non cesset manus tua; ego autem e contrario tantum malum et per me et per alios amodo perpetrabo, quatenus peccatis meis merentibus et me et te in profundum abyssi præcipitabo. » Quo dicto abscessit ille tristis et disparuit. Surrexit autem illico vir Dei, timore magno perculsus, vocatisque simul fratribus, quidquid ab illo audierat, et quale consultum super hoc tam periculoso negotio ministrarent, tremens indicavit et pavens: attamen interim indesinenter pro eo orabat, ne multa mora probationis averteret eum a servitute divinæ religionis. Cui fratres tale feruntur dedisse responsum: « Audi, Pater, consilium nostrum, nostræ religioni forsitan profuturum; si hoc habet a Deo, probare poteris hoc modo. Cum sint ergo nobis Dei bonitate diversa escarum subsidia, jube de partibus omnium nostrum partem talem et multo meliorem præparari, quæ illi in victum per diem sufficere possit. Si enim nobiscum propter hoc totum remanserit, inde Deus laudetur; sin autem, nec tibi nec nobis amodo et deinceps ad judicium imputabitur. » Hæc autem cum prædicti discipuli perorassent, tam ipsi quam illis consilium istum dignoscitur placuisse. Deinde duobus ex discipulis accersitis præcepit dicens: « Ite et dicite illi: Signamus igitur confisi de Christi misericordia ut venias, et nobiscum eidem servias in timore et disciplina. » Quod vir Dei præcepit statim a fratribus est susceptum. In crastinum autem factum est, ut et discipuli dimitterentur ire quo præceptum est. Qui cum domum ejus ingressi fuissent, seorsum illum statim duxerunt secum, et quidquid Pater ei mandaverat, secreto exposuerunt. Placuit autem ei sermo jubentis Patris, et exinde incedit timor in omnibus ei obedire. In ipsa autem hora ex intimis cordis medullis spem omnem quam habebat in sæculum dereliquit, et omnibus etiam quæ possidebat renuntiavit, eo quod Christum sibi magistrum omnino providisset: jam non uxorem, non filios carnis, non divitias, non honorem sæculi quærens, sed soli Deo servire studuit ex integro, et cœna facta, cum jam eos de die adventus sui et modo satis docuisset, in ejus thalamo fratres dormitum perrexerunt parumper. Mane autem facto, miles Dei surrexit prior; qui cum fratribus thalami hospitium aperiret, odor nimius naribus ejus inde protinus diffusus est. De quo dum diutius unde adesset dubitaret, incidit ei quod de labore fratrum et sudore vestium ille procederet; qui statim ad se reversus dixit: « Domine Deus, si unquam merui gratiam in oculis tuis, talis odor ac tantus, antequam moriar, de me pro amore tuo egrediatur. » Deinde vero fratres retroactum iter alacres et sospites repente ceperunt. Cumque in via de adventu ejus invicem hæsitando conquererentur, ecce vir ille velocissimo subsequitur cursu. At ubi pervenit ad eos, dixit: « Nolite mirari, fratres et domini mei, si vos ego subsequor solus: dies forsitan illa in dubio est vobis, qua me venturum ad vos designavi, quoniam vos advenientes tam sæculariter, tam delicate me invenistis. Super hoc modicæ fidei quare dubitastis? » Quo audito, stupefacti discipuli, ita esse responderunt. Quibus iterum dixit: « Sed ut pro certo habeatis, ecce viator obviam venit, quomodo me habeam illum interrogate. » Statimque recessit. Illis vero proficiscentibus, ecce viator ille obviam factus est; quem cum requisissent dicentes: « Quomodo ille se habet? » Respondit ille: « Quod vero vix cæteri vel pretio impetrant, ille tantummodo simplici assequitur verbo. » Hæc autem fratres audientes, insimul gavisi sunt valde: deinceps expleta ipsius diei hora vespertina, confecto itinere, ad Patrem et ad fratres conversi sunt in pace. Post parvum vero temporis miles Dei, *terram*, cognationem, amicos, cognatos, et quod his omnibus difficilius est, voluntatem propriam, domum egressus, propter regna cœlorum dereliquit, et assumpto secum quodam ex domesticis socio, pari sententia, parique consilio aggreditur viam et locum ubi servus Dei morabatur cum discipulis suis. Perveniens vero ad locum, humilis docilisque ad Patrem et magistrum continuo accessit discipulus, ut sancta religionis forma doctrinaque erudiretur: et ejus, ut voluit, desiderium completum est.

15. Susceptus itaque et factus discipulus, et religiosorum pauperum Christi numero sociatus intra congregationem, mox cum Dei servis conversari et vivere cœpit secundum paupertatis votum, et modum et regulam sub illo tanto Patre constitutam. Maxime illis qui Deo serviebant ex corde, adhærebat, jejuniis et orationibus et operibus bonis, in lege Dei meditans die ac nocte. Cuique vero, ut dictum est, quidquid proprium in illa sancta societate habere, vel ad dexteram vel ad sinistram declinare minime licebat: ibique diu piis moribus et exemplis ad plenum eruditus, priusquam omne religiosarum studium institutionum adeptus est, optimorum quoque fratrum habitum factumque imitatus, eidem Patri venerabili præ cæteris charus ac-

ceptusque postmodum factus est. Hujus enim frequentissimis verbi Dei statusque religionis instantissime præ cæteris aderat suspensus atque affixus colloquiis, utilitatem præceptorum institutionemque vitæ servans. Atque ita edoctus sensim atque paulatim proficiendi in religione eidem amoris ardor innatus est, ne quisquam eam infirmare, vel quidquid dicere contra ipsam, eo præsente, præsumeret; et gratia Dei sic in eo succrescens quotidie proficiebat, ut sufficientissime poscentibus reddere rationem de statu religionis et regula semper adesset paratus. Sicque vitam suam instituens, ab universis fratribus puro diligebatur affectu, eorum proprias singulorum gratias hauriens: nam istius lenitatem, illius vigilias, alterius orandi æmulabatur industrias; hujus continentiam, jucunditatem illius sectabatur; istum jejunantem, humi alium quiescentem mirabatur; alterius patientiam, alterius mansuetudinem prædicabat: sic secum universa pertractans, omnium in se nitebatur exprimere bona. Pater vero venerabilis magister ejus, ut erat vir pius, et Dominum timens, de profectu provectuque ejus gaudebat, et Domino gratias agebat; ob hanc causam præcipue quod divina sibi misericordia discipulus præstaretur talis, qui posset verbo Dei et exemplo boni operis cæteros consolari et ædificare. suisque necessitatibus sanum consilium providere: unde accensa et ardens positaque super candelabrum lucerna omnibus qui in illa domo Dei sunt lucebat: de cujus vero familiaritate, consilio, providentia ac bonitate in multis Pater venerabilis multa perhibuit testimonia, sicut subsequentia possunt probare eloquia.

16. Cumque quotidie discipulus ille signis virtutibusque succrescens, magistri adjutor existeret, in charitate fratres non invidia congregati in unum, ad Patrem et magistrum, flagitante religiosa necessitate, venerunt: quem cum de utilitate Ecclesiæ suæ et amplificatione, de cellulis accipiendis et fratribus ordinandis satis diligenter alloquerentur et exhortarentur, jam scientes firmum sæpedicti discipuli propositum, ad mittendum eum omnes pariter laboraverunt, quibus Pater id uno consensu et desiderio fieri perficique petentibus respondit: « Quare, fratres, quare ita dicitis? Nunquid eum tam vobis quam et mihi necessarium videtis? Multa vero beneficia Deus per eum operatus est nobis, propter quod horum vultis dimittere eum? Nam si eum a nobis dimittimus, altare pariter destruamus. » Sanctitas enim et benignitas et mira humilitas erat in eo, et oratio, sicut præcepit Dominus dicens: Orate omni hora (*Luc.* XXI). Nihil unquam aliud agere docuit, si potuit, quin ipse prius fecerit. Cum jam in amore Domini nostri Jesu Christi eremus illa de die in diem fervesceret, exemplo ejusdem Patris nonnulli æternæ vitæ accendi cœperunt desiderio, atque sub ejus magisterio omnipotentis Domini se humiliter dederunt servitio: ibi enim

A sanctitate atque doctrina longe lateque habitantibus jam vita ejus inclaruerat.

17. Eo namque tempore, flagitante ecclesiastica necessitate, ex numero cardinalium duo a summo Romanæ Ecclesiæ pontifice missi, Gregorius videlicet et Petrus de Leo, Lemovicum venerunt. Qui tamen postmodum curam ejusdem divisi invicem susceperunt; illi autem dum de vita ejus ac conversatione multa præconia plurimorum relatu cognovissent atque probassent, ad eum visitationis gratia convenerunt, cupientes secreto juxta voluntatem suam quisque cum eo sigillatim conferre sermonem. Tunc ejus quippe habitaculum multi frequentabant, quia ille homo Dei doctrina gratiæ cœlestis affluebat. Cum vero jam hora collocutionis
B exigeret, cœpit causam singulorum et viam discutere, quatenus illi tanti ac tales ad tam parva tamque humilia divertissent habitacula. Cumque singuli ad ejus exquisitionem cur ad eum divertissent, exponerent, multam quidem in eo comperientes sapientiam, a circumstantibus fratribus mox petierunt, ut secretioris unicuique eorum per se quantulacunque licentia concederetur consilii, eumque egredi nequaquam urgerent ab eis. Illis autem recedentibus, domnum Hugonem pastor ad se vocavit, eumque secum sedere præcepit; quibus vir Domini, ut consederunt, ait: « Domini mei et amici, super hoc nolite conqueri et admirari; hunc enim meum discipulum bonumque filium ideo retineo mecum,
C quoniam quidquid in secreto dicetis mihi, totum ipse postmodum indicarem ei: tantum autem in eo consilii et bonitatis quantum et in me procul dubio invenire potestis; est enim in consilio valde providus et in commisso fidelis. » Digna quidem valde res ex ea collocutione secuta est; quia, sicut post illi testati sunt, de statu Romanæ Ecclesiæ ac moribus recedebant multo certiores sapientioresque quam venerant.

18. Erat autem tunc temporis familiaris quidam a Mortomar, qui Muretum sicut cæteris et aliis locis charitatem deferre consueverat; habebat enim ille hospitem a Bonnac, apud quem hospitabatur tunc, cum iens vel regrediens quo tenderet tardiori hora fatigatus minime pertingere posset, suo quo-
D que hospiti familiaris ille multa jam impenderat beneficia, tum propter reverentiam et amorem, quam, ut videbatur, deferebat fratribus; tum propter servitium et honorem quod ei in suo exhibebat hospitio. Bonis quippe hospes cernebatur moribus, atque in omni sua actione compositus; sed, sicut res ipsa postmodum patuit, longe aliter quam apparebat fuit. Nam dum ejus familiaris frequentaret hospitium, ab eo in pretio duobus latronibus occulte traditus est, quem secum captum vinctumque trahentes super Vigennæ ripam, in quibusdam petrarum latibulis in arctissima posuerunt custodia. Interea visitationis gratia viri quidam de Mortomar venerunt Muretum: hi nempe cum post ædificationis verba vellent recedere, si unquam mitteretur

ille, Patrem ipsum cœperunt interrogare. Quibus A ille respondit : « Minime. » Illis autem abeuntibus supervenerunt et alii idipsum renuntiantes homini Dei. Sua enim familia eum plus solito jam retardasse amarissime plorabat; quo audito, vir Domini recessit, omnesque fratres ad se congregari fecit. At illi, ut consueverant, magnum quid ac delectabile ab eo se crediderunt audire; quibus illico famulus Dei totum, ut audierat, indicavit. Res venit in dubium utrum vivus an mortuus esset. Cumque fratres per horam quid esset faciendum super hoc hæsitarent, domnus Hugo in medio astitit, qui prophetiæ spiritu, ut credimus, eum vivere traditumque ab hospite suo aperuit. Hunc enim prophetiæ spiritum habuisse nonnulli testantur, qui eum familiariter scire potuerunt. Quo audito, vir Domini B increpavit eum dicens : « Frater, tale quid quare unquam dicere præsumpsisti? Nunquid pro tali tantoque bono ille tale ac tantum illi redderet malum? » Qui statim mittere nuntios circumquaque ut quæreretur, præcepit, injunxitque fratribus ut in tanta necessitate devotis precibus opem efflagitarent divinam. Quodam vero die, facto mane expletisque missarum solemniis, janitor familiarem illum tenentem manu suum hospitem latronesque pariter in collo, retortis ligatisque post tergum brachiis, ad portam egressus invenit. Cui statim suæ culpæ rei omnem citius indicaverunt pœnam : quo viso, janitor ad locum ubi vir Domini de Domino fratribus loquebatur, reversus est, eique quod foras viderat C et audierat, secreto nuntiavit in aure. Vir autem sanctus hoc audiens, a prædicatione cœpta tunc minime surrexit, nec de illo tam bono nuntio exhilarescere, nec sermonem suum plus solito visus est terminare. Completo autem sermone, ut res exigebat, Dei famulus foras egreditur, ante cujus conspectum illico steterunt miseri ab ipsa præda sua rei et ligati. Cumque per horam nihil loquentes penitus ante illum astarent ligati, tremefacti vehementer ad terram corruerunt, et suæ pœnam nequitiæ ad ejus vestigia profitentes, præstari sibi veniam magno gemitu et ululatu postulaverunt. At ille quem nimia cogebat compunctio in bonitate sua persistit, vocatisque fratribus, illigata brachiis lora dissolvere, eosque tolli, ut benedictionem pariter D acciperent, indicavit, non immemor quidem Apostoli, inimicos nostros potu ciboque debere satiari (*Rom.* XII); quos porro ad se reductos, de suis pravis actibus increpavit, et pace inter se reddita, ut deinceps a tantæ crudelitatis insania cessarent admonuit; sicque illos ad propria ire dimisit. Cœperunt ergo fratres gaudere insimul et admirari, eoque amplius quod illis sic contigerat quemadmodum frater et discipulus ille asserendo prophetando prædixerat.

19. Alia vero die et quidam alii causam habentes magno valde periculo plenam, ad virum Dei convenerunt Muretum, quam quidem pro pace reformanda solo sæpedicti discipuli arbitrio convenerant invicem determinandam : unde etenim pastor illum ad se venire præcepit, eique etiam quale malum quantumque damnum solus ipse posset exstinguere diligenter exposuit, quibus et ille respondit : « Huic vero negotio de quo quæritis, ego solus minime interfui. » Cui et illi : « Domine mi, ita est ut asseris; illi vero qui tunc fuere tecum jampridem universæ carnis viam perfecerunt. — Si autem, inquit, mortui sunt nescio; hoc enim unum scio, quod illis prior ego fui mortuus mundo, sicut enim vobis vel aliis de hoc vel de alio testimonium modo perhibere non possunt; sic et ego de sæculo nec possum nec debeo. » Unde et prædictum discipulum, quia tam prudenter respondisset, pastor laudavit atque benedixit. Sicque factum est ut sibi fieret defensio magistraque magistro sua responsio.

20. Sic enim pastor bonus cum fratribus consueverat communicare, ab eisdem consultum super quadam quandoque quæsivit necessitate, qui tandem consentientes in unum, sicut ipse pastor prædixerat, fore bonum nuntiaverunt; cui vero discipulus ille e contrario dicebat : « Bone pastor, ut mihi videtur, ita non est bonum sicut et cæteri dicunt. » Quod autem fratres audientes, in eum commoti sunt vehementer, proinde illum pastor increpavit, ac reprehendit insuper, et ei quamplures venias in conspectu omnium fratrum facere fecit. Cognovit autem pastor et credidit, quod multo melius prædixerat solus ille discipulus, quam ipse disposuerat cum cæteris omnibus, unde et illi protinus dixit : « Sic enim, fili mi, bonus discipulus et fidelis magistrum suum ad Deum trahit atque reducit. »

21. Fuit enim cum Domino ac magistro nostro Stephano discipulus ille usque ad obitum ejus, audiens eum fideliter et interrogans super sententiis cæterisque vitæ nostræ mandatis, ne spiritualia semina quæ procedebant de ore ejus absque multiplicatione, insolentia auditorum et negligentia deperirent : Dei quoque benignitas electum hunc de tot millibus unum, qui et audita humiliter sciret suscipere, eademque futuris sæculis in suo tempore fideliter revelare. Verum quia in his deventum est locis, de quæstionibus eorum pauca tamen audiamus pariter atque responsis.

22. (2) Cum enim pastor de oratione loqueretur, prædictus discipulus interrogavit eum qualiter esset ibi manendum. Cui respondit sermonem hujuscemodi : « Moyses in oratione sua manus ad Dominum erigebat, cum Josue minister ejus pugnabat contra Amalec. Et quandiu manus elevatas tenebat, populus suus vincebat; cum manus dimittebantur, ille vincebatur : tandem Aaron et Ur sustentaverunt ei manus, donec victoria fuit per-

(2) Confer cap. 104 *Sententiarum* sancti Stephani, supra.

petrata (*Exod.* XVII). Alibi reperitur quod Maria Magdalena veniens ad Dominum pro suorum remissione peccatorum, procidit ad pedes ejus, cui Deus donavit propter magnam dilectionem qua replebatur. Nam antea diligebat eum quam illuc advenisset, et ita Moyses manus levabat ut magis Deum diligeret et melius exoraret, Maria Magdalene inclinavit se ad pedes Jesus (*Luc.* VII). Idcirco, cum aliquis in oratione sua secretius fuerit, eo modo se adaptet quo eum amplius diligere potuit, vel sedendo, sive stando, aut humi stratus, sive flexis genibus. Verumtamen secum ducat humilitatem, sine qua Dominus illum non audit ad suam utilitatem. Cum enim ipsi discipuli sanctus Jacobus et sanctus Joannes rogarent Jesum Christum absque humilitate, respondit eis : *Non est meum dare vobis sedere ad dexteram meam sive ad sinistram, sed quibus paratum est a Patre meo* (*Matth.* XX). Estote ergo alii quam modo sitis per humilitatem, et dabitur vobis. Omnis vis orationis est in magnitudine divinæ dilectionis; amor vero divinus meritum suum non invenit nisi in humilitate : et ideo Jesus Christus humilitati promisit excellentiam in regno cœlorum, quia nihil aliud in terra reperit a quo diligatur. In omnibus etiam operibus vult Deus ut tempus observetur et locus, nisi in oratione : secundum tempus vult ut psalmos dicat aliquis et de Deo loquatur, audiatque loqui, atque laboret, et sic de cæteris; nam propterea Deus diversa dedit præcepta, ne quis in suo servitio fastidiret, possetque mutari ab uno in aliud causa majoris delectationis; sed in uno quoque opere vult ut semper eum quisque deprecetur, dicens in corde suo : Deus, hoc tantum facio, ut te diligere valeam. Alicui vero quodlibet volenti agere dicit Dominus : Si velles, ego tecum pergerem teque juvarem in hoc quod agere disponis. Tunc qui sæculum diligit respondit : Alii auxiliare, mihi vero minime. Hoc operibus dicit quoties a divinis præceptis discedit, et ob superbiam qua homo divinam respuit societatem, respondit postmodum ei Dominus in oratione sua : Quia me noluisti habere socium in illo opere, ego modo precem tuam non recipiam. »

23. (53) Rursus discipulus a pastore suo quæsivit qua ratione Scripturæ dicant : *Laudate Deum*, *benedicite Deum*, cum Dominus humana benedictione non indigeat. Cui ita respondit : « Sancta Scriptura nihil præcipit nisi ad salutem hominis; cumque ipsa admonet *Laudate Deum*, *benedicite Deum*, omnis utilitas ad hominem revertitur. Quoties enim aliquis bono animo dicit : Deus, lauderis, Deus, benedicaris, Dominus respondet continuo : Et tu qui laudas lauderis; et qui me benedicis, benedicaris. Ex hac ratione potest intelligi Deum hoc mihi respondere quod nullus valet Deum benedicere, nisi prius a Deo benedicatur et sua gratia præveniatur. Itaque cum benedictio prius a Domino proveniat penitus, cum homo Deum benedicit, ipse suam auget et benedictionem atque dilectionem. »

24. (54) Rursus idem discipulus quæsivit ubi tot cantica nova inveniuntur quæ assidue in cœlo cantantur. Cui pastor dixit : « Jesus Christus in Evangelio suos docuit discipulos, quod est canticum novum quod in cœlo cantatur, dicens illis : *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos* (*Joan.* XIII), hoc est charitas, quæ nominatur, canticum novum, quia renovat hominem, et de filio tenebrarum facit lucis filium; hoc est charitas quæ est in terra canticum novum hominibus, est etiam in cœlo canticum novum angelis. Quoties enim quemlibet electorum vident sursum ascendere, de ascensu illius canticum novum concinunt, et si nihil amplius haberent unde Deum laudarent, nunquam de illo solo ad finem pervenirent; quoniam quidem super peccatore pœnitentiam agente gratulantur, ut ait Dominus in Evangelio (*Luc.* XV), penitus congaudent videntes eum salutis suæ consortem, atque scientes quod deinceps non delinquet. Cumque de Dei Filio videntes eum carne indutum et ascendentem admirati sunt, dicentes : *Quis est iste rex gloriæ* (*Psal.* XVII)? bene præ gaudio mirantur cantantque novum canticum, quoniam membra caput sequuntur. »

25. (55) Idem discipulus quæsivit hoc a pastore. « Quandoquidem viribus totis et tantis jus divinum defendis, qua ratione præcepit Dominus Israelitis, ut thesaurum ab Ægyptiis mutuarent secumque deferrent (*Exod.* XII), nonne est rapina? » Cui respondit : « Frater, hoc aperte justum fuit. Isti namque Deo servierant; illi vero pro servitio malum istis retribuebant. Vero ergo judicio Deus æquus judex voluit ut isti mercedem sui operis secum deferrent, quam illi sibi defraudaverant. Est autem spiritaliter intellectus quod similiter membra Christi thesaurum sanctæ Scripturæ receperunt a Judæis remanentibus in Ægypto, id est in hujus sæculi tenebris. »

26. (56) Iterum idem discipulus hoc eum interrogavit : « Domine, tu dicis quia Jerosolymitanam terram Deus dilexit magis quam aliam, in tantum ut de cæteris regionibus amicos suos illuc adduxit ipse etiam ibi de Virgine natus est, et frequenter in Scripturis vocat eam terram promissionis. Mirum est itaque quod voluit eam talem esse; non enim ibi sunt prata speciosa, nec optimi fontes, nec ditissima flumina, sed aqua in cisternis, asperitas atque calor magis quam in multis terris. » Hanc quæstionem pastor solvit hoc modo : « Frater, in hoc potest considerari quam amabilis est dispositio divina. Ideo namque corporalem inde removit delectationem, ut amici sui in eo tantum delectarentur, et amor suus esset eis pratum, fons ac flumen,

(53) Id., ibid., cap. 105.
(54) Id., ibid., cap. 107.
(55) Id., ibid. cap. 101.
(56) Id. ibid.

et quodlibet aliud refugium. Nisi enim Deus sciret aliud sæculum esse melius, nullatenus amicos suos illuc transferret; quin etiam matrem suam nullo modo deciperet, sed pro cœlesti gaudio præsens subtrahit aliquando, non tamen eo modo quatenus amicos suos in hoc sæculo tristes deserat ac desolatos; sed tantum quia Deus hoc vult agere, qui tunc servos suos in majore tenet requie, cum mundus considerat quod ipsi laborem patiantur. Magis enim inde honorantur cum in angustiis eos requiescere facit: aliquando vero, ut infideles erubescant, ostendit populo dulcedinem, in qua veri amici sui consistunt dum cruciantur, sicut legitur de tribus pueris, qui benedicebant eum in igne fornacis, alios vero quos ita non corporaliter, ut fideles ibi sumant exemplum patientiæ, tantum consolantur in spiritu, quod majorem laborem patiuntur qui eos cruciarunt, quam servi Dei qui cruciantur. »

27. Superveniente autem venerabilis Patris vocationis tempore, in illa sua tam sancta ægritudine, tribus diebus et totidem noctibus super prædicti discipuli discubuit pectus, nisi cum necessaria corpori deputaret. Invitus namque in eo, dum informaretur, sicut postmodum discipulus ille perhibuit, rationem et intellectum in omnibus pene duplicatum invenit. Cumque per triduum illud de vita nostra suoque transitu fratres informaret et consolaretur, circumsteterunt omnes gementes et flentes, eique dicentes: « Ah! ah! ah! Pater charissime pastorque bone, ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te; venimus ad te. Nunc dic ergo cui nos tu relinquis, qui curam habeat de nobis? quid igitur nobis dabis consilii? Tu autem nos nullatenus habere permittis bestias, terrarum possessiones, decimas, ecclesias, et res ad eas pertinentes; redditus et quæstus sine quorum cura vix aut nunquam temporalis ista potest sustentari vita. — Fratres, inquit eis, illi Deo vero cui omnia sunt et serviunt, cujus quoque natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia est, pro cujus vero amore omnia reliquistis ego vos relinquo, ego vos commendo. Ille enim benignus Deus aget curam de vobis sicut bonus Dominus, qui bene scit curam habere de servis suis, ipse quoque dabit vobis quod necesse fuerit, nec tamen hoc quod velletis. Vos enim homines estis, et in hoc delinquere possetis: tali quidem vobis dico pacto, si in vita ista remanetis; si autem de vita recesseritis, ego ei injuriam facerem, si vobis sua promitterem, quia fere supputabuntur quinquaginta anni quod ego in hanc solitudinem veni, nunquam panis postea tam amari potuit quin Deus mihi daret quod bene sufferre potui; neque tam largum semper fuit, quin bene totum esset necessarium quod Deus præstitit mihi: similiterque faciet vobis, si in vita hac remanseritis. Ideoque nolo ego ut habeatis bestias, nec terras, nec decimas, nec ecclesias, nec quæstus, nec redditus, ut Deus vobis sit magis necessarius. Cum enim Deus vobis magis necessarius fuerit, amplius eum diligetis, si vos sapientes estis; quid ergo illi deesse potest qui omnia habentem habet?

28. « Adhuc vero et aliud consilium sanum vobis, filii mei, præcipiens dabo: Si vos cum vicinis vestris et sæcularibus aliis pacem bonam et integram habere desideratis, cavete penitus ne ea quæ possident concupiscatis, quoniam si vos terras eorum, vineas, prata et cætera quæ possident tentatis rapere, laborem potius approbantes quam requiem, iram quam gaudium, terram quam cœlum, nihilum quam totum, pacem cum eis ex integro habere potestis nullo modo. Insuper de cætero cavete omnino ne habeatis quod illi concupiscere possint, bestias videlicet, equos, mulos et boves quibus non est intellectus, et cætera quæ intelligentes ac obedientes nequaquam habere potestis. *Quæ autem convenientia Christi ad Belial, lucis ad tenebras?* (*II Cor.* VI.) Quisque enim vindicet quod suum est. Vindicate ergo, fratres, et *quærite* vestra, *quæ sursum sunt, non quæ super terram* (*Coloss.* III). *Qui habet aures audiendi audiat* (*Matth.* XI); *qui potest capere capiat* (*Matth.* XIX), hoc est quicunque in hoc non perseveraverit factus inobediens, regnum Dei non possidebit, quia quantum pro nomine Christi longius elongabimini a sæculo, tantum merebimini fieri viciniores cœlo. — Domine, inquiunt illi, nunquid adhuc auxiliabimini nobis? — Si ego possem, utique, fratres. »

28. Fratres autem gavisi et securi de paterna consolatione dixerunt ei iterum: « Pater et domine, multi adhuc et aliud nobis dicunt: Dum enim vos vixeritis, nos manebimus insimul; postquam vos moriemini, nequaquam poterimus sustentari, si bestias non habuerimus. » Quibus ille ait: « Fratres et qui vobis dicunt errant. Abbates quippe dicunt et alii religiosi et etiam sapientes clerici. Errant, inquam, qui hoc dicunt, et quanto melior est clericus, tanto amplius errat, quod Deus posse suum amittat quoniam Stephanus de Mureto morietur: Operæ pretium ergo non est Domino, quod ego moriar, si ille posse suum amittit quoniam ego moriar, imo sciatis firmiter quod propter peccata mea vobis subtrahit beneficia sua: et hoc quidem post mortem meam videbitis, quia tot et tanta faciet vobis, unde vos omnes mirabimini, si tamen in hac tam sancta vita remanseritis, quatenus si quotidie non videretur, vix ab aliquo crederetur. » Sicque modo ad fratres viri Dei completa est sententia.

29. Tunc deinde rogatus a fratribus ut fidei verbum illis proferret, priusquam de hoc sæculo migraret ad Christum, sermonem statim omnibus proposuit, qualiter Deum colere deberent, trinum videlicet in personis, unum in essentia divinitatis: intimabat vero de charitate ut Deus scilicet diligeretur toto corde, tota mente; et hoc unusquisque impenderet proximo quod sibi vellet impendi ab illo. De humilitate quidem qualis esset ostendebat, quia per humilitatem illuc pervenitur, unde super-

biens corruit angelus : « Haec est enim dicebat, virtus illa, quæ congregatas virtutes conservat. » Replicabat etiam, juxta Apostoli sententiam, ut bonum hospitalitatis frequentissime reminiscerentur, quoniam per eam nonnulli noscuntur Domino placuisse, etiam angelis hospitio receptis (*Hebr.* XIII). Addebat Pater qualiter Dominus in judicium veniens, hanc compensationem fidelibus suis repromisit, ut sibi dicat esse collatum quidquid uni ex minimis suis contulerunt. Præterea exhortabatur ut charitati ex operibus semper insisterent, quia *plenitudo legis est dilectio* (*Rom.* XIII), et qui in unum deliquerit, reus et legis et prophetarum ascribitur (*Jac.* II). Semper ad memoriam humilitatis custodiam, scilicet paupertatem spiritus, illos reducere, Deumque coram oculis suis deprecabatur habere ; avaritiam quoque omnino esse exsecrandam annuntiabat et excommunicabat, quia radix omnium malorum et servitus idolorum nominatur illa. Sic ergo factum est ut totum tempus ægritudinis suæ proficuum atque jucundum duceret, et per omnia fratribus satisfaciens, spiritalis vitæ colloquiis se interdum a languore suo relevaret. Cumque per singulos dies languor ille ingravesceret, die scilicet quinta feria priusquam de corpore egrederetur, exitum suum Dominici corporis et sanguinis perceptione munivit, atque ad ultimum in cilicio recumbens, oculis ac manibus in cœlum semper intentus, sexta feria ante altare Domini, spiritum inter verba orationis in ipsis illius discipuli manibus Domino reddidit. Gloriosum ergo et per cuncta laudabilem domni Stephani transitum omnibus scire desiderantibus, quadragesimo et sexto conversionis suæ anno fere, sexta feria fuisse manifestissimum est. Quod tamen non mediocris meriti censetur fuisse, ut illa videlicet die eum Dominus secum et cum latrone susciperet, qua idem redemptor et Dominus hominem plasmasset, eumque damnatum in cruce redemisset, et ut qui diem illam tam sanctam celebraverat semper in abstinentia, post mundi pressuras, die illa tam sancta locaretur in gloria. De mense autem et anno quo ipse feliciter migravit de sæculo, valde bona in sequenti habetur notitia:

Nimbosus luces jam Februus egerat octo,
Lucifluus Stephani cum spiritus astra petivit,
Anno milleno centeno bis quoque deno,
Adjuncto quarto, regno cœli sibi parto.

Cum enim dicta et facta alias plene exarata, scripta modo ac luculenta declarat historia, sed si cuncta, quæ in Vita ejus gesta sint scripta cum non audivimus, evolvere conaremur, a suscepto jam procul dubio proposito conticescimus. Unde necesse est, quia non est nostri ingenii nostrique propositi, ut de illo discipulo, cujus vita pia, cujus conversatio bona nostræ plurimum proficit religioni, amodo legere incipiamus.

30. Igitur post transitum domni Muretensis summi et memorabilis viri, de cujus vita atque doctrina, magna, ut dictum est, apud nos habentur

A volumina, succedente beatæ memoriæ Petro Lemovicense, domnus Hugo, opitulante Deo, Planiam dirigitur, ubi etenim gloriosam et per cuncta laudabilem celebrans vitam, longe lateque habitantibus signis claruit atque virtutibus. Hujus enim fuit studium, terrena funditus despicere, toto adnisu mentis ad sola cœlestia flagrare. Erat autem divina repletus eruditione, insignis religione, morum pollens probitate, signorum exhibitione admirabilis ; contemptor enim erat sæculi, et amator Dei et proximi, et cui vivere Christus et mori lucrum (*Philip.* I). Erat enim deditus in assiduis orationibus, in frequentioribus jejuniis ac in continuis bonorum operum exhibitionibus. Omnes vero qui ad se charitatis causa veniebant, ad æternæ vitæ
B desideria accendebat ; de omnibus etiam a se postulatis pro posse suo pauperum et peregrinorum, viduarum et orphanorum penuriam semper sollicitus sustentare curabat ; religiosis vero præcipue omnibusque Dei ministris debitam exhibebat reverentiam, eorumque fraterne ex suis facultatibus relevabat inopiam. Si quem autem forte nobilem vidisset aliquo indigentem, juxta suam possibilitatem in necessitatibus subveniebat verecunde et abundanter. Religionis præterea ornamentum, sicut a magistro suo et domino beato Stephano didicerat, et verbo et exemplo multum benigne gerebat. Transgressiones et indisciplinationes condiscipulorum suorum a regula recta arguebat, et tolerabat, quantum decebat in talibus et oportebat, præcipue do-
C cens ne cujusquam *cor* declinaretur *in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis* (*Psal.* CXL). Præterea ad ædificationem aliorum non causa (quod absit !) jactantiæ de se replicabat, dicens : « Ego enim miser non possum multum laborare, nec jejunare, nec vigilare, nec cætera hujusmodi facere, sed ut mihi videtur, Deum ejus gratuita pietate et scio et possum diligere. » Hortabatur etiam condiscipulos suos et fratres, ut virtutibus insisterent, et ab omnibus vitiis et peccatis cum omni diligentia se custodire procurarent.

31. Tantam autem gratiam Christi bonitas illi contulerat, ut conscientias fratrum secum commorantium quoque agnosceret, et a quibus impulsa-
D rentur tentationibus eis patefaceret, et quid quisque pravæ cogitationis et immundæ pateretur, indicaret. Si quando autem quorumlibet culpas agnosceret, nunquam ab increpatione illis parceret. Et, ut prædicatio illius a nullo potuisset contemni, multitudo signorum astruebat, quæ in nomine Christi ipse faciebat ; reddebat enim, ut didicimus, visu solo visum non videntibus, contractis erectionem, caducis sanitatem, et etiam multa languentium membra ejus orationibus incolumitati restituebantur. Hujus vero signa omnia atque gesta non didicimus, sed pauca quæ narramus, quatuor religiosissimis veracissimisque ejus condiscipulis, qui per diversa tempora cum eo conversati sunt, referentibus agnovimus, domino Petro scilicet, valde

reverendissimo priore nostro, qui ab eodem ad erudiendum digno cum honore susceptus, et pro simplicitatis ac humilitatis reverentia loco maximæ venerationis est habitus. Guidoni quoque de Miliaco qui eidem, sicut decebat, pro religionis ac reverentiæ notitia seu anterioris familiaritatis conjunctione, in eorum cellulæ cura tam bene docta primus successit. Bernardo etiam Bocardi, qui cum eodem per mutuam collocutionem nostrarum sanctionum et dulcedine spiritalis dilectionis aliquandiu familiarissime conversatus, immodici amoris sese vinculo constrinxerant. Hugone vero de Monte, cui ille pro justitia ac fidelitate quam in eo reperit familiarissimus ardentissime fuit, et ab eodem in ipso transmigrationis suæ articulo pacis Dominicæ osculum accepit salutare. Quoniam valde opinio sanctitatis memorati viri excreverat, multi infirmi ad eum ex diversis provinciis spe sanitatis recuperandæ confluere consueverant.

32. Eo igitur tempore Haarnac, sicut nostri seniores ferunt, contractus quidam decubasse dictus est; hic siquidem a renibus et infra tantam membrorum invaletudinem incurrerat, ut manibus repens, dissolutis renibus, corpus per terram traheret, et irrependo monstrum aliquod simularet. Multo itaque in hac debilitate detentus tempore, pro spe æternæ mercedis a sanctis monachis inibi commorantibus stipem divinam in quotidianis suscipiebat usibus, quia nec sibi nec alteri aliquid exercere valebat operis. Cumque illo in loco in tanta miseria per multa annorum curricula demoratus fuisset, eique penitus de corporis salute esset desperatio facta, quadam die divina pietate occurrit animo, quod ad virum Dei se faceret quoquo modo portari, ubi tanta quotidie, operante Domino nostro Jesu Christo, merita ejus virtutum jam audierat monstrari frequentia. Hic vero fide commonitus, ac majori sui corporis necessitate compulsus, parentes suos absque dilatione propositum suum impleri lacrymosis rogavit gemitibus; quem cum audissent parentes atque vidissent jam per multum temporis nihil omnino posse proficere, deportantes posuerunt ante viri Dei habitaculum, ut saltem ab adventantibus pasceretur, labore ali proprio poterat minime. Cumque palpando aliquantis diebus ad ostium famuli Dei ægrotus ille jaceret, ut locus obtulit, ante Dei hominem a portitoribus suis deductus est: obsederat enim omnia membra ejus scabies et putredo, et erat miserabilis facie et horribilis ad videndum, ut tanquam morti vicinus putaretur a populo. Intuitus autem vir Dei in eum, eis qui eumdem deportaverant dixit: « Quid quæritis? quid vultis ut faciamus ei? » Nondum enim sciebat quid eum essent rogaturi: « Nos vero, inquiunt, domine, audivimus et credidimus quoniam hujusmodi calamitatibus, tuis potes subvenire orationibus: ecce hunc hominem quem prospicis, multum tædet miseræ vitæ suæ. Non enim habet, nec valet operari, unde miseria sua possit recreari: unde et adjuva eum, et misertus sis ei. » Quo audito, vir Dei eum in ecclesiam statim deportari eosque parumper qui aderant abscedere jussit: qui mox in loco digno ad auxilia consueta confugiens, se in oratione cum gravi gemitu dedit. Interea ægrotus ille, sicut erat contractis pedibus ac renibus, jactavit se pronus quasi truncus in pavimentum, et cœpit cum lacrymis invocare nomen Domini, ut etsi in hac necessitate non succurreret, saltem eum a gehennæ incendiis in posterum liberaret; cumque per horam in hunc modum suam prolongaret orationem, subito amota languoris sui amaritudine, intellexit optatam sanitatem se recepisse, qui statim erectis pedibus hominis Dei miraculum eis qui foris aderant, testabatur dicens: « Ecce, ecce, ecce quid in hac die vir Dei operatus est, me teste probante. » Qui protinus accurrentes stupebant et mirabantur, dicentes: « Quomodo est, frater? » et interrogabant eum qualiter hoc factum fuisset. Ille autem dicebat: « Homo Dei ille me de præsenti tristitia liberavit. » Ille deinde reversus ad Dei famulum narravit omnia quæ acta fuerant. Quo audito, clamor in cœlum circumstantium attollitur magnificantium Deum. Quem mox vir Domini temporalem fugiens honorem molesta compescuit prohibitione, dicens: « Tace, tace; sed si quis te interrogaverit qualiter hoc factum sit, solummodo responde quia Dominus Jesus Christus, qui per amicos suos ubique operatur, ipse in te tale ac tantum per beatum Maximum suum dilectum in loco isto operatus est miraculum. Unde nunc surge, et tuo vade recuperatori gratias referre cum luminari et devota oblatione. » At ille nihil moratus, confortatione cibi et virtute corpusculi simul recepta, alios antecedere propriis cœpit gressibus, qui jacens et languens ab aliis fuerat deportatus; sicque ex illa hora omnes in ejus corpore nervi ac membra solidata sunt, ut solutionis illius signa ulterius nulla remanerent. Vere hanc ego virtutem, juxta mei sensus intelligentiam, non inferiorem censeo, qua Petrus apostolus ad Speciosam portam templi claudum olim erexit Æneam; sed super omnia collaudetur Deus noster, qui tantam virtutem suis præstat dilectis, ut per eos talia dignetur operari. Amen.

33. Lingua sterilis deficit tantas tanti viri auditas cupiens enarrare virtutes. Cujusdam enim matronæ filius contractus capite Brantomis graviter laborabat, qui tale videlicet tædium infirmitatis incurrerat, ut caput ejus a læva scapula adhæreret, cœlumque videre, nisi resupinus, nequaquam valeret. Qui dum nocte quadam ex hac eadem infirmitate jaceret fatigatus, visum est sibi quoniam si ad Dei famulum præsens fuisset, salutem continuo recepisset. Mane ergo facto, ut lux est reddita mundo, non perterritus timuit, et ex afflictione sumens audaciam exsultavit, suisque parentibus dixit: « Quæro etenim quid meæ infirmitati possit palpando mederi, qui contractum illum orando sa-

navit. » Intelligentes autem parentes ejus hoc Dei esse mysterium, ad viri Dei habitaculum eum quam citius deportaverunt; quem cum vir Domini sibi præsentari fecisset, interrogavit quid quæreret. Tunc ille flens et ululans voce qua potuit eum rogare cœpit ut pro illo Dominum dignaretur orare, nec eum sineret redire infirmum, cujus devotus expetierat suffragium. Cui vir Domini, benignissimi ut erat vultus, voce lacrymabili dixit : « Fili et amice, hoc non est nostri quod quæris a nobis. » Illi autem qui venerunt cum eo rogare cœperunt ut saltem ei imponeret manum. Ægrotus interea in magnis fletibus se affligens valde, gemitibus lamentorum continuis satisfaciebat dolori. Cumque hoc diu faceret, atque flere nullo modo cessaret, vir Domini compunctus corde, illius dolori compassus est, et accedens per capillos eum tenuit, et invocans nomen Domini a scapula caput separavit. Qui statim se velle evomere dixit, et, amoto eo oculisque ad cœlum elevatis ac manibus, erupit sanguinis ab ejus ore cum putredine rivus, et exspuens in terram cœpit graviter gemere et excreare coleras nescio quas cum sanguine, ita ut putaretur quod ferramento aliquo guttur ejus incideretur, sed et tabes tanquam fila sanguinea ex ore illius dependebatur. Tunc disruptis linguæ ac faucium ligaturis, sed elevans et erigens iterum oculos ac manus ad cœlum, ore adhuc cruento in hac prima voce clara prorupit ; nam antea cassum sermonem et vix intelligibilem proferre solebat : « Gratias tibi magnas refero, domine Hugo, recuperator bone, qui mihi in tanta miseria succurrere voluisti. » Admirantibus autem omnibus qui aderant et stupescentibus de tali miraculo, interrogant utrum fabulari potuisset. Qui vero sanatus fuerat præsentibus dixit. Vir autem Domini hoc æquanimiter ferens, ægrotum cum lampadibus retinens secum, sanitati illum restitutum remisit necessariis refectum, pro virtute et reverentia vicini loci illius Deo gratias referre transmisit. Reversus ergo ad domum multis verbis inde acceptum beneficium publicavit assidue, quod videlicet factum ope Dei famuli tuto judicio reputabat, qui ex misericordia sua vicino populo multa commoda vivens extendebat.

34. Quantæ autem virtutes per Dei famulum factæ sint, quis unquam investigare potest et scire ? Unum tamen memorabile miraculum quod a fidelibus comprobatur, non taceri putavimus : vicino namque in castro, cui nomen Segur prisca vetustas Securum indiderat, quidam juvenis guttur turgidum habens et faciem, diu noctuque incessabilibus urgebatur doloribus. Parentes quippe de dolore pignoris sui contristati vehementer et super modum afflicti, eum ut sanari potuisset, circumquaque ad loca vicina, sancta sanctorum per pueros suos multoties transmiserant oratum ; sed illi amici Dei ad quos fuerat missus, infirmitatis remedium ei tribuere noluerunt, ut quanta esset in Dei famulo virtutis gratia vicinis populis prædicarent miracula.

A Cui enim tam prope fuit mortis exitus, quod negato fere omni victualium usu, ita de illo agere-tur, ut, amissa omni spe præsentis vitæ, parentes ejus de solis sepulturæ necessariis cogitarent. Illis autem per publicum plangentibus, occurrit quidam dicens : « Ex hoc quippe incommodo quod vester filius patitur, per regem Francorum, Deo volente, infirmis medicina præstatur. Unde et illuc dirigite illum, quod si crediderit, remedium poterit invenire. » Tunc inopinata gavisi exsultatione, parentes quantum citius potuerunt, ad Dei famulum pervenerunt, ut discerent qualiter auditum proficerent, atque ad regem accederent. Quod ut vir Domini audivit, ægrotum propius ad se accedere jussit, et manum extendens, guttur ejus orando palpavit, et
B faciei ejus per modum salutiferæ crucis imposuit signum. Interea ægrotus ore aperto labia parumper movens mugiendo auxilium tentabat implorare patroni ; statimque in ejus gemitu, tribulatione ejus, laborante patrono, guttur et facies paulo minus inflata incœpit minui ; denique reversus ad propria, infra parvum temporis quam optaverat integre sanitatem recepit. Parentes autem ejus cum vidissent quod factum erat, *timuerunt et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus* (*Matth.* IX). Amen.

35. Nec hoc silendum qualiter stramen ejus suppedaneum fistulæ morbo salutem præstitit perituro. Cujusdam enim fabri filius in quadam vicina pos-
C sessione incommodo pervasus fistulæ graviter jam diu laboraverat, de qua sane in discrimine sic agebatur, ut posse evadere a medicis disputaretur, nisi formidanda eorum manu quam citius secaretur. Ingravescente autem languore, a fistula mala sensum præ dolore omnem fere perdiderat, et ita redactus fuerat, ut nihil penitus aut intelligere posset aut agere. Quid mirum ? quod stare non poterat, et nunquam in lecto suo surgere vel ad sedendum valebat nequaquam pedem suum trahere, nequaquam poterat in latus aliud se declinare. Parentes vero ejus nimis carnaliter atque remisse diligentes eum, ut mos rusticorum habetur, a sortilegiis quotidie et ariolis et ligamenta et potiones deferebant seducti. Sed, cum nihil valeret, peni-
D tusque nesciretur quid hoc esset, nec emendaretur aliquid, sed deterius quotidie ageretur, visum est eidem noctis in visu ut, si de suppedaneo hominis Dei stramine haberet et ligaret desuper, sanitatem ad præsens necessariam recuperaret. Cumque die dato in hac fide evigilaret a somno, dempto omni pavore, sæpedicti viri auxilium cogente promptus dolore requisivit, suumque matri suæ visum denuntiavit ; adjiciens etiam et asserens se infirmum ulterius minime esse, si quod petebat pignus, videlicet stramen viri Dei, afferretur. Cum ergo eum mater audisset, surgens continuo ad viri Dei pervenit habitaculum, illicque, quantum potuit, pro suo nato auxilium petiit ingenti fletu et gemitu, et sincero corde et magno erga filium amore ; deinde

abscidens quod volebat de stramine furatum decenter, ad filium ingressa delatum imposuit super eum, vehementer stupenda, mox, ut genu tetigit ægroti, vulnus vim perdidit omnis doloris, amotoque omni languore, humore siccato qui fluebat ex corpore, cute tamen nova superveniente, totaliter redditus pristinæ sanitati, ut eadem hora de lectulo surgeret ac si nullam corporis læsionem usquam pertulisset. Parentes autem ejus obstupefacti admirabantur in illo divinæ tam velocem pietatis acquisisse medicinam, et interrogabant quid hoc esset? Qui ait: « Intelligo me valde sanum, et quæcunque præceperitis adimplebo. » Et tunc incipiens impendit eis ita servitium, ut erat solitus ante tædium. Tunc una pariter exsultantes et præ gaudio flentes, referebant tam pro se quam pro illo Omnipotenti gratias, quod, Dei famulo subveniente, incolumem illum corpore, eos vero reddiderat lætos de pignore: qui vero multos vivens in posterum annos assidue gratias prædicabat Deo, quod per famulum suum sic eum restaurasset incolumem. Ecce, ecce quid degens in carne Dei famulus præstabat fidelibus: qui ejus præsidia expetebant per eum proprie salvabantur; qui pignora votive deferebant, subsequente ejus auxilio liberabantur. Promptior ergo ad fidem exstitit qui de stramine suppedaneo sanari credidit hominis Dei, quam sanguinis fluxum patiens mulier, quæ ut sanaretur fimbriam tetigit Salvatoris (*Matth.* IX). Sed hæc omnia fides strenua operatur, dicente Domino: *Fides tua te salvum fecit* (*Marc.* X). Amen.

36. Quantis ærumnis et angustiis secum habitantes eripuit, in quantis sua benignitate necessitatibus astitit illis, vel quantas sua virtute molestias in illis compescuit, non ad scribendum, sed etiam ad referendum æquum est; sed, quia se apta occasio præbet, hoc taceri nequaquam de hominis debet virtutibus, quod ad præsens animo præsentatur. Domnus quoque Bernardus Dei gratia pastor venerabilis, quantæ homo Dei esset virtutis, cum in disciplina adhuc positus esset, in necessitate sua sine dubio expertus est. Hic igitur per aliquot dies, quo nescio casu vel incuria, ab unius graviter pedis dolore consumebatur, die noctuque requiem non habens: hoc tamen unum præcipue inter ipsas torturas suæ querimonias conquerens, quod vicem suam in officio ecclesiæ non valebat implere. Quadam vero die eum cum Dei famulus assiduis videret urgeri doloribus, dixit ei: « An nescitis cur sic vobiscum agitur? » Qui ait: « Ignoro prorsus, domine mi, unde hoc evenerit. » Statimque quæ patiebatur denudavit. Tunc vir Domini hilari ridens vultu accessit ad eum, et consueta deferens arma crucis, beatum super locum doloris ei palpando imposuit signum. Moxque ei dixit: « Divina namque legitur in pagina quemdam vitæ venerabilis virum venerabiliorisque meriti exstitisse, nullamque a planta pedis usque ad verticem partem corporis sanam paruisse; huic quippe humor ferens cum sanie

A de corpore profluebat assidue. Infirmi autem qui sanari appetebant aspersi exinde bene habebant, ita ut eum tum evadere non dubium esset, qui tangi aut aspergi exinde devote meruisset: qui etiam hac in re ab omnipotenti Deo multoties remedium quæsivit, nec tamen meruit exaudiri. Ex qua re colligitur quia Deus custodire sic vult virtutes in illo, et male habentibus in signo quandi esset meriti declarare aperto. » Quibus expletis verbis, prorsus fugato omni dolore, restituit eum in valetudine: sanitati sic redditus prædicti servi Dei virtute, cœpit ei ex illa hora familiarissimus esse, et in testimonium beati viri gloriæ sanus habetur usque hodie. Amen.

37. Quid enim de caducis dicemus, quibus tam
B cito inveniebatur remedium quam fideliter ab eis erat inquisitum. Sed, quia quantæ virtutes ab eo super illis factæ sunt longum esset enarrare, ex pluribus quoque unum quod memoriæ dignum erit proferamus miraculum. Duo etenim viri, quorum unus ad Bre, alter ad Rancum balista commorabatur, hoc videlicet quod de prædicto Dei famulo apud multorum notitiam percrebuerat, in semetipsis experti sunt. Nam eos ab illo stimulo didicimus per multos annos laborasse, ut, cum ab eodem flagellarentur, vix a pluribus tenerentur; quin etiam ex ea vexatione simul et confortatione ciborum etiam virtutem perdiderant, corporum evomendo superflua. Fide autem commonente animo utriusque insedit ut locum visitare deberent venerabilis viri:
C unde tanto affecti sunt desiderio, ut nec illos oporteret vivere, si ad eum iter tardi direxissent. Nec mora: adhuc convalescentes parumper suum cœperunt arripere iter, lento quidem adhuc conamine ad Dei famuli vestigia pervenientes, et quod de eo audierant probare studentes, cum magno petierunt fletu, ut suam eis gratiam largiretur. Quos cum Dei famulus requisisset quid vellent ab eo, illi responderunt: « Illo enim incommodo nequaquam diutius in vita hac manere possumus. » Quibus ille dixit: « Quid est quod loquimini, fratres? Deus autem solus hoc vobis facere potest. » Illi vero magis ac magis suam plangentes infelicitatem, locuti sunt dicentes ei: « Adjuramus te per omnipotentem Deum
D et judicii diem reis omnibus metuendum, ut ad ea quæ rogamus consentias, quatenus crucis signum salutiferæ, priusquam recedamus, orando nobis imponas. » Qui nimietatis eorum tædio affectus, facta oratione, signum crucis lacrymando quod petebant imposuit, et a se recedere jussit. Reversi inde ad propria, a die illa et in reliqua vita sua ab illa passione securi et alieni exstiterunt, ac si nunquam eam pertulissent in suo corpore; qui multum felicem in posterum ducentes vitam inter vicinos gratias referebant Domino, quod per meritum famuli sui dignatus sit de tam periculosa eos iniquitate liberare, non minus quidem miraculi quam beneficii in populo testimonium perhibentes. Mira sunt hæc et nostris valde stupenda diebus, sed vita prædicti

viri perhibetur talis, ut qui conversationem ejus agno- A verunt, ejusdem quoque virtutem non debeant admirari. Hoc quidem unum miraculum de duobus insimul ordiri studuimus, quoniam ipsum eumdem finem eumdemque modum habuisse cognovimus. Amen.

38. Valde igitur hæc sunt admiranda, quæ de Dei famulo nos nunc usque invenimus latuisse; vera namque ejus vitæ æstimatio non solum in signorum ostensione, sed in operum existebat virtute. Consuetudinem itaque fecerant vicini cellarium atque familiares, quos suo vir Domini transitu illustrabat, ut cum forte adesse eum cognoscerent, pro diversis illuc causis convenirent. Quadam vero die dum in illa cellula, quæ vulgo *Chatenet* nominatur, cum cæteris fratribus vir Domini se ex more B recrearet, unus quidem fide plenus de loco vicino, scilicet de Solemniaco, eo advenit, capitis vehementer vexatus dolore, die noctuque requiem non inveniens; eadem quidem hora casu contigerat ut isdem Dei famulus in porticu, ut solebat, sederet, exteriorique populo satisfaciens verbo ædificationis deserviret. Cumque is qui venerat præ multitudine circumstantium et confusione, non inveniret quomodo et qua parte accederet ad eum suam omnibus nolens usquequaque manifestare molestiam, valde anxius tota die sustinuit; recursa vero circa vesperam multitudine, Dei famulus cum eo solus remansit in porticu: cum autem qui venerat eum quidam ex suis amicis tota die huc et illuc vidisset anxiari, ad famulum Dei eidem venire monstravit. C Audierat enim eum multo tempore capitis dolore mulctatum fuisse. Quo audito, flens statim largiter seque in terram coram eo cum lacrymis dedit: cumque timens ac gemens fleret vehementer, et in terram diutius tunderet caput, se miserum gementem ostendens, quid quæreret repente intulit, dicens: « Domine mi, tantam capitis inquietationem patior, quod vix quid dicam vel quid faciam nescio; ideoque ad te descendi, ut super hoc quid mihi, ut melius tamen, præstares consilii. Novi enim te multo meliora fecisse ac potuisse: unde sicut potes misertus sis mei, Domine! » Quem dum fratres qui circumstabant audirent, ejus commoti fletibus cœperunt flere, famulumque Dei instanter pro eo rogare. Cui vir Domini respondit, dicens: « Ego D quoque caput meum doleo. » Qui mox ad caput suum dexteram suam levavit, eoque tractato super caput dolentis eamdem cum signo crucis deduxit. Cumque diutius caput palparet illius, miro cœpit modo ad semetipsam vexatio illa deficere, ac si sui defectione impetus innueret locum in eo habere se ulterius minime posse. Quo facto, ille ab eodem Dei famulo remeare ad propria est demissus, sub omni celeritate ex illa hora saluti pristinæ restitutus; huic namque miraculo fratres qui tunc præsentes fuerunt, et adhuc, ut credimus, supersunt, fidem gratis astruunt. De quo etiam viro quale quantumque miraculum in eadem cellula orando valuit obtinere, subjungemus ad præsens. Amen.

39. Alio igitur tempore, virum in prædicta cellula alterum de nominato loco multorum relatione ad Dei famulum didicimus properasse, quem sic quotidie acris tortura cum pulis pessimis, quæ scilicet ira dolens rustice nominatur, variis corripiebat tormentis, ut animam ejus de corpore expugnaret, nisi per horam divina retraheretur miseratione. Hic namque cum ad Dei pervenit virum, totum ei per ordinem infirmitatis suæ exposuit modum, humiliter ejus orationibus se commendans. Recepta autem remeandi licentia, ameliorari cœpit in via ipsa, quoniam is qui ad virum Dei sæviente incommodo vix per diversas stationes pervenerat, consolatus ab eo, absque recreatione aliqua, reversus est lætus ad propria, et ex illa hora sic diu optatæ restitutus est sanitati, ut mitior existeret quam ante illam molestiam fuisset. Amen.

40. Quidam ergo paterfamilias illo in vico qui Tiverius nomine dicitur, qui etiam cellulæ Planiæ vicinus est, unius privatus oculi officio, diu graviter laborabat, in quo etiam cuncta pene medicorum adjutoria jam defecerant: idem ipse cum super hoc invenire nusquam remedium posset, fide tamen commonente, ad viri Dei habitaculum sub celeritate pervenit, cumque jam præsens ante Dei astaret famulum, ecce ex male videntis dolore oculi anxiari vehementer cœpit, magnis non jam vocibus sed stridoribus clamare dicens: « Eh! eh! eh! mi domine, modo moriturus ego sum, nisi et mihi jam perituro, consulendo orandoque subvenias. » Quem blando sermone vir Dei alloquens, ejus periclitantis prius studuit clamores comprimere; ac postea intulit dicens: « Deus autem omnipotens, qui omnes omnium sanat infirmitates pietate sua, si placet, tuam sanare utique potest. » Quo dicto, vir Domini mox ad eum accessit, ejusque dolentis oculo extensa manu crucis signaculum devotus edidit, eumque ad propria sic ire dimisit. Qui antequam illius clausuram loci esset egressus, optatum valde ex integro lumen sic recipere meruit, ut oculo quo diu jam laboraverat, cum quo etiam solo ducente advenerat ante, viam suam latiorem nihil dicens ipse eligeret, cæterisque de omnibus certissimus esset.

41. Sed et alius in præfato vico similem quo nescio infortunio incurrens molestiam, unius damnum oculi longo tempore, omni sanitatis spe deposita, nimis graviter senserat. Hic denique cum audiret quod paterfamilias ille lumen recepisset, concitus ad eum venit, eumque qualiter videret interrogavit. Statim, ut actum fuerat, ei seriatim exposuit. Cui ægrotus ille: « Utinam tali virtute se manifestare dignaretur homo Dei ille, ut sic de oculo meo effugaret incommodum, sicut longas a tuo molestias tenebrarum! unde et te, amice, ne cesse est descendere mecum. » Tunc ille, qui sanus factus fuerat, ad viri Dei habitaculum venit, secumque ægrotum illum deduxit, et ut eidem subveniret misero ipsum Dei famulum devote rogavit. Ad

quem mox vir Domini dixit : « Quid nos ad hoc facere possumus, frater? » Cui ægrotus : « Ah, ah, ah, domine! quo patior oculum tantum aspice; et hoc solummodo posse mihi sufficere credo. — Nequaquam, inquit, propter hoc remanebit quin Deus omnipotens benefaciat tibi. » Moxque Dei famulus porticum suam egressus, aere desuper nudo, dolentis oculum diligenter inspexit, eidemque signo crucis impresso, luce protinus reddita, nox cæcitatis abscessit ab eo. Qui statim ad propria revertentes, cœperunt Deum laudare et benedicere, qui salvos facit sperantes in se. Amen.

42. Nec hoc silendum est, quod cuidam contigerit cæcæ, cum prædicti viri Dei præsidium quæritaret. Mendicans quædam de loco satis propinquo femina oculorum luce privata, nesciens visu tenere viam, nisi alio ducente, devota valde et fide plena ad eleemosynam cum cæteris egenis ad ejus quotidie habitaculum venire solebat, cui æternæ mercedis aliquid alimoniæ contulisset, respectu illius quam aliis erogabat pauperibus, et stipem ab aliis multoties postulatam cæteris indigentibus exinde porrigebat. Erat enim non solum cæca, sed etiam in quadam parte corporis virtute propria destituta. Hæc diebus singulis ad ædem memorati viri mendicando cursitabat, cum quadam die in via sua posita, cogitatum suum ductori suo revelaret, dixit : « Si unquam mereor sola fabulari cum illo beato, salutem meam continuo credo. Confido etenim quod oculis meis lumen possit reddere, qui ægrotorum illorum oculis potuit ducatum præbere. » Dehinc aliquo tempore stetit sola ante eum, rogans ac petens ut super faciem ejus suam tantum extenderet manum. Vir autem Domini, tunc clausis ejus oculis, crucis signum imposuit, dicens : « Jesus Christus Dominus ac magister noster, qui lutum oculis imposuit cæci nati, et lumen ei restituit, ipse Deus, ipse omnipotens suæ claritate potentiæ te potest illuminare. » Necdum enim verba compleverat, sed sermo adhuc ab ore pendebat : ipsa quidem orante, subito aperti sunt oculi, ita ut cuncta clare prospiceret; illicque statim flens atque gemens in terram corruit, laudans Deum et benedicens. Interrogata autem ab eo quid sibi esset, respondit : « Deo gratias, adest mihi remedium secundum verbum tuum. » Vir quoque Domini hoc probare desiderans, dixit ei : « Quem nunc ergo me prospicis indica mihi. — Vultus enim, inquit, vester gravis et honestus, barba nivea et prolixa. — Ab alio, ait, didicisti quod mihi nunc fabularis. » Et tenens scirpum in manu, quid esset eam interrogavit : « Juncus est, » inquit illa. Ipse vero deinde ad aurem manum levavit, ipsa quoque quid faceret incunctanter respondit. Vir autem Domini hoc intelligens divinum esse mysterium, eam quam citius referre gratias beato Maximo transmittere curavit, sicut et alios. Tunc terribiliter præcepit ei, dicens : « Tu ergo tace amodo, sed modicum hic me sustineto. » Quem scilicet introgressum nequaquam illa sustinuit, sed quam citius potuit lætabunde foras exivit, et advocans puerum suum, exsultans et lacrymans præ gaudio, viæ suæ ducem ulterius non requirens, et ita sanata est, ut quæ cæca venerat alio perducente, dux cæcis futura regressa sit : quæ vixit multos in posterum annos, privatim gratias et publice omnipotenti Deo gerebat assidue, quod per famulum suum sic eam restaurasset incolumem. Istud autem miraculum publicavit fidelis reclusa, publicaverunt et populi admirantes fidem mulieris, magnificantes gloriam boni patris familiarum.

43. Quam tristis, quam terribilis divina super quemdam judicem ultio processerit, dum in porticu perjuravit, ad pervulgandam beati viri gloriam silere debemus nequaquam. Cujusdam etenim vicinæ possessionis Syncelly nomen est, quo quidam famuli Dei commorari solebat familiaris. Hunc siquidem suus judex iniquitatis causis injustis atque occasionibus supra censum annuum ad res proprias rapiendas judicio circumveniebat, ipsumque sine æquitatis ordine nimis exacerbabat; qui die quadam multo repletus furore, inter cætera sic fertur dixisse ad eum : « Sive juste sive injuste, me villicante, non permanebis in pace. » Cumque possessor ille nullo modo posset evadere manus illius, inito consilio, eum furentem muneribus compescuit, eumque pacem secum firmare coegit. Judex tandem, accepto devinctus obsequio, ne timidus ille ab eo diffideret, pacem quæsitam in manu hominis Dei se propria manu ferire promisit. Illis deinde coram eo astantibus, judex manum suam in illa sancta manu, sicut prædixerat, posuit, dicens : « In hoc loco sancto, in Domini mei præsentia, plena fide tibi promitto, amice, quoniam et deinceps a te non exigam amplius quam debeam. » Post non multos vero dies, judex ille, velut sponsionis suæ immemor, quem ab omni absolverat injustitia, de hæreditate propria ecce contra justitiam pulsat. Hic demum commotus ab illo, pro pace habenda de rebus aliquid propriis invitus tradidit illi, cum suæ perjurationis tam præsens fuit judicium, quasi velociter de rebus illis non debitis effectus est dominus : nam et manus ejus extemplo debilis et infirma facta est. Qui in exemplum Giezi (*IV Reg.* v), violentam possedit pecuniam, non solum acquirens animæ lepram, sed manum propriam nunquam deinceps habuit sanam. Audite hæc omnes potestatem habentes, sic vestimini ut alios non spolietis; hoc congregate vestris thesauris, unde pauperiem non ingeratis proximis. Amen.

44. Dignum quidem existimamus ponere in relatu quod velociter et super divinum altum adfuit judicium ei qui ejusdem famulis superbus non timuit injuriari. De beneficiis autem et eleemosynis quas vir Domini suscipiebat a populo, charitatis gratia repletus, nostræ congregationis inopiam ipse frater, velut pater, ex quo potuit relevare curavit. Verum præcipue super matrem suam sicut abla-

ciatus ab ea diligentiori cura ac providentiori quam super filias evigilabat. Sciebat enim ibi magnam impensam, laborem quoque unde sustentaretur nimium esse. Factum in una dierum, ut vir Domini solita pietate de devotorum beneficiis, ad pastorem in Grandimonte et ad fratres multa per nuntios suos hujus miseræ transmisisse subsidia vitæ. Altera autem die ad viri Dei habitaculum qui missi fuerant remeare cœperunt cumque et viam longam satis peragerent, eosque remotior mansio fatigaret, equitantes reperierunt in itinere pratum et rivum. Tunc quidam eorum ait : « Amœnus locus! ecce aqua et pratum, ecce in quo possumus recreari et requiescere parumper, ut valeamus incolumes nostrum explere postmodum iter. » Cum igitur omnes una eo divertissent, oculisque eorum locus ipse blandiretur, de jumentis illico descenderunt, ora tamen eorum ad turbam frenis sublatis relaxantes : ibique eis demorantibus ; loci illius enim supervenit dominus subito, collo palum ferens acutum. Cumque furibundus pratum introisset, hinc atque illinc discurrere cœpit, graviter homines feriens, jumentaque furibundus perquirens. Exterritisque pueris et in fuga versis, jumenta eorum disruptis camis per plana prosiliunt et in fugam vertuntur : qui contristati valde, extra terminum loci quem assequi potuerunt, mitigantes acceperunt, nuntiantes beato viro contumeliam illam injustissime fuisse perpessos. Cum iram suam ille explesset injuste, subito corripitur a rabie, ita ut a pluribus vix posset teneri. Erat enim ei tremor, et interea prorsus videbatur exsensus, immutatam faciem et decoloratos oculos habens : concurrentes autem vicini undique atque parentes (audierant enim non parvulum fuisse tumultum), quos sanos invenientes, ut contigit, interrogaverunt. « Beati viri, inquiunt, pueros ille et manu et lingua scandalizavit, ideoque illum præsens vindicta flagellat. » Tunc parentes ejus, accepto consilio, ejusdem culpam superbiæ penitus profitentes, ad obtinendum salutis remedium, ad Dei famulum hunc duxerunt ligatum, ipsum tamen devote super eo deprecantes : qui ubi vocem eorum audivit, et quid miser ille fecerit intelligens, hunc statim solvi fecit a vinculis. Ecce novum miraculum et nostris temporibus inauditum in ipsa nempe hora ita sanus et incolumis apparuit, ac si in eum humanæ potestatem salutis hostis nunquam habuisset. Tunc ille suum reatum agnoscens, ejus pervolutus pedibus, cœpit magis ac magis culpam deflere et erubescere. Quem vir Domini mox de terra levavit, et de actibus suis in hunc modum increpavit, dicens : « Vade sollicitus, et tale quid amplius nunquam facere præsumas ; vindex est enim Deus velociter servorum suorum. Noli facere pretiosiorem terram quam cœlum : ibi vivendum, hic quoque finiendum. » Discessit igitur sanus laudans Deum et benedicens. Quod stupendum miraculum audientes innumeri populi, ingentes clamores dederunt in cœlum, dicentes : « Gloria tibi, Domine. » Amen.

45. Non longe ergo a viri Dei habitaculo, vicus erat nomine . . . . , in quo cujusdam militis graviter ægrotabat filius, qui taliter tædium perferebat, ut solo spiritu palpitaret, laxata pelle pene ossa videbantur. Miles itaque pater ejus, cum videret eum in extremis urgeri, ait servis suis : « Homo Dei ille quem quasi ad aurem positum multis credimus fulgere virtutibus, cujus apud Deum nunc usque meriti erga alios exstitit fides, erga infantulum meum modo ego debeo probare fidelem. Proinde omnes ad ejus habitaculum cum puero veniamus, fidem certam in cordibus nostris deportantes. Si enim assequi nequit ibi medicinam, nusquam filium meum sanari deinceps credam. » Quem mox fideles famuli de domo infantulum ad prædictum Dei famulum manibus propriis deportaverunt, ibique multum profusis lacrymis se nimis affligentes, pro puero beati viri auxilium exorant ægroto. Cumque eum eidem obtulissent ex consuetudine, mox quibus obvolvebatur pannos amoveri præcepit, crucisque signaculum ad nudam carnem postmodum fecit ; qui reversus ad propria ex infirmitate illa convaluit, et ad sancti hujus testimonium miraculi usque hodie in hac vita manet incolumis. Amen.

46. De vicino namque beati Aredii loco, ecce ex simili alius subsequitur sermo cujusdam. Etenim satis potentis parvulus filius, qui ætatis suæ quintum necdum attigerat annum, ibidem diu langueral, omni prorsus membrorum virtute debilis et destitutus ; pater vero ejus super eo quid faceret penitus ignorabat, quia de ejus salute spem omnem jam deposuerat. Quid mirum ? quia quomodo aut incunabulo aut loco alio ponebatur eo immobilis a suis inveniebatur. Si autem ei forte vel curvares pedem, vel manum extenderes, sic manentes procul dubio reperires, ita ut putares ossa ejus omnia minutatim confracta sub pelle latere. Promulgatis vero signis hominis Dei, et virtutibus collectis, a parentibus suis ad virum Dei delatus est, eidemque ex more oblatus, ipsum pro pignore suo multum humiliter deprecantes, et etiam asserentes nullum pro eo remedium superesse. Quibus vir Domini ait : « Quid gementes ploratis ? » Mox rejectis pannulis, quantopere langueral ille narraverunt, rogantes ut per nudam carnem ejus amore Dei suam duntaxat mitteret manum. Quo audito, vir Domini quæsitam protulit dexteram manum, a vertice palpando per singula membra perduxit ad pedes, et accipiens scirpum, quasi ludendo, super ventrem pueri huc atque illuc ducere cœpit, quem mox extendens : « Tene, tene, languido ait : Eh ! eh ! » Et qui pene jam mortuus fuerat, tanquam a somno excitatus fuisset, ad viri Dei vocem, quamvis modicam, statim manum levavit, et scirpum sibi extensum accepit et tenuit. Illi vero qui convene-

rant, viso miraculo, præ gaudio flere cœperunt. Quo A facto, vir Domini colligi puerum fecit, omnesque pariter remeare cum illo ad propria jussit. Et confestim surgentes parentes ejus tulerunt de quo jacebat loco puerum, et abierunt in domum suam, magnificantes et laudantes Deum, et dicebant : « Quia vere vidimus mirabilia hodie. » Puer vero a languore suo convalescens crevit et profecit, et sanus lætusque in posterum diutius vixit. Perpendendum quod, propter magnam patrum fidem, plenam filii percipere meruerunt sospitatem. Unde datur nobis intelligi quia perfecta fides omnia quæ perfecte desiderat adipisci potest, juxta quod Dominus ait : *Omnia possibilia sunt credenti* (*Marc.* IX). Amen.

47. Ergo quibusdam exactis quæ per beatum vi- B rum circa alios gesta sunt, aggrediamur unum memorabile de pluribus et pretiosum miraculis, quod ad ejus vocem gratia circa ipsum et quemdam alium est operata divina. Contigit autem ut eodem tempore isdem Dei famulus ejusque janitor, unusquisque ad dictam suam cellulam, gravibus graviter laborabat febribus. Una quidem dierum cum vir Domini febrire inciperet, et vehementer anxiari, stratum proprium ut leviter sufferre posset dolorem introivit, hujusmodi satis amicum languori : obsederat eum dolor assiduus cum ardore, sitisque intolerabilis cum capitis anxietate nimia. Ægrotante autem eo ac febricitante loco in illo, ad portam ecce factus est sonitus. Quo comperto, janitor, ut potuit, ad eum venit dicens : « Su, su, surgite cito, ci, ci, cito surgite, dominus adest Gofridus Burdegalensis archiepiscopus (57), vestram quidem faciem videre cupiens, et vobiscum conferre sermonem. » Lento enim illuc janitor pervenit gressu, quoniam eodem incommodo depasta ejus jam pene fuerant membra. Quo audito, vir sanctus, dedignando subrisit, et ait : « Miser est sane et valde debilis, qui ab inquietationibus tam vanis et frivolis se fatigari permittit : laudo, inquit, frater, et volo ne amplius amodo aggravemur ab eis. » O admiranda res et veneranda ! porro ejus dictum statim subsequitur factum ; nam in eadem hora vir Domini foras egreditur sanus. Alter vero qui erat magnis febribus in proximo laboraturus, ab eis similiter incolumis deinceps mansit atque securus. Qua de re, charissimi, datur nobis intelligi quia charitas nihil possidere cum angustia novit. Sibi quippe et proximo propter Deum proficere voluit, quoniam et aliter plenitudo non esset legalis; qui enim proximum diligit, legem implevit. Amen.

48. Sed quid super frigoreticis aliis et infirmis referamus, quibus tam velociter invenitur medela quam fideliter fuerit inquisita ? De quibus sigillatim multum quod loqueremur erat ; sed, quia ad alia festinamus, exinde conticere melius putavimus. Nam, si totum proderetur in publico quod singuli quique, dum fideliter poscunt, latenter accipiunt, et occultum retinet conscientia multorum, ad hoc pene scribendum dies omnes vitæ nostræ arbitramur minime sufficere posse. Inter cætera vero signa ac beneficia quæ suæ vir Domini conferebat propinquitati, pro summo tamen unum illius incolæ terræ atque affines replicare solebant. Agros omnes affinitatis suæ, ut a senioribus nostris audivimus, grando regionem istam in annis præteritis vastare consueverat, quæ tam graviter cadebat, ut nihil ibidem, cum venisset, relinqueret. Post illam autem diem, cum homo Dei primum pedem in loco posuit illo, nunquam ibidem tempestas, ipso in carne degente, cecidit. Sed adveniens, ut ante consueverat, et quasi timens præteriit et verecunda. Amen.

49. Cæterum quid nos in laude ejus et gloria conamur, quod perficere nescimus? Ipse enim est laus et gloria ejus, cujus laus ab ore ejus nusquam recessit. Competens profecto erat divinæ dignationi, cujus mirificabatur spiritus in cœlis, talibus taliter signis in corpore mirificari in terris. Itaque meritorum tanta creduntur insignia, quod non solum non prævalent explicari sermone, verum nec ipsa queunt humana comprehendi subtilitate. Verum, quoniam sermo juxta quod de vita ejus proposuimus exsequi clausulam petit specialem, tamen unam atque præclaram vobis adhuc visionem quam in exstasi positus, sed apertis oculis utrisque ho- C minis, diligenter ipse aspexit, priusquam schedulæ nostræ finem suscipiant ad enarrandam ecce aggredimur viam. Hujus igitur prædicti famuli Dei familiarissimus fuit Guido de Miliaco frater venerabilis, qui ejusdem sanctæ habitum religionis admonitione suscepit, in quo etiam ab eodem apprime eruditus atque enutritus est ; qui nimirum postea, vitæ suæ merito morumque magnitudine, familiaritatis, ut dicitur, apud eum prærogativam inter alios et ante obtinuit, cujus nos quoque didicimus narratione, quod narramus, quasi vir Domini sæpe cordis secreto et oris eum usu familiaritatis lætificare solebat. Factum est quodam tempore, ut visitationis studio ad pastorem nostrum in Grandimonte ambo insimul convenirent. In crastinum autem, D benedictione recepta, in primo diluculo cum remeare cœpissent, missarum solemnia audiendi gratia fratresque videndi, properantes diverterunt Muretum. Erat enim dies festus Muretensis ecclesiæ dedicationis, quos videlicet advenientes bono et hilari vultu, ut decebat, fratres susceperunt, multum gaudentes : et prima completa, devote et solemniter missarum introitum incœpit primus sacerdos, ut tanti mysterii reverentia exposcebat, et ordo. Hujusmodi vero semper memorati viri erat consuetudo, ut oculos suos ad altare in tali dirigeret hora intentius ac sollicitius quam in alia.

(57) Exstant ad eum S. Bernardi et Petri Venerabilis abbatis Cluniacensis epistolæ. Præesse cœpit Ecclesiæ Burdigalensi anno 1136.

Scriptum quippe audierat : *Ubi thesaurus tuus, ibi et cor tuum* (*Matth.* VI); et : « Ubi dirigitur oculus, ibi figitur animus. » Cumque vir Domini in hoc diligenter intenderet, unum subito in veste levitica stolaque candida inter alios vidit, circa frequens ministerium satagentem; cui præterea rasa erat corona et tempora, ipsaque barba. A quo etiam quisnam esset cœpit admirari valde et incertus esse : sciebat enim duos clericos ibi solummodo fore. Tunc vir Domini non longas diu sustinuit moras, sed statim fratrem Guidonem per quem videlicet super illa dubietate certus voluit esse, de loco suo semel bis terque diversis adiit momentis, et quot ibi adessent clerici sollicitus requisivit; cui ille totidem hujusmodi sermonem respondit, dicens : « Domine, ut video, duo adsunt tantummodo. Sed credimus eum non fuisse æqualis meriti, qui toties interrogatus hoc videre non meruit. » Qua de re certus, lectione libri *Apocalypsis* jam lecta, ad chorum clericorum accessit illico lætus, ubi supra pedes tandiu mansit erectus, donec divinum mysterium spatiose celebraretur. Factum est autem cum hora esset jam parata legendi Evangelium, ecce diaconus ille ad pronuntiandum eum una cum sacerdote venit ad lectricem, quod videlicet ipse secundum Lucam distincte incœpit, etiam pronuntiando aperte usque ad finem complevit. De cujus voce et habitu argumentum vir Dei sumpsit invincibile, quoniam de quo diutissime dubius fuerat, hunc veris intersignis indubitanter dominum Stephanum Muretensem credidit esse; talem enim eum in vita videre solitus fuerat. Peractoque ex more servitio, Pater venerabilis ab oculis discipuli aspicientis evanuit. Qui deinde egressus ab ecclesia, fratres illico vocavit, jumenta quibus vehebantur adduci præcepit, atque socium suum cœpit vehementissime festinare ut possent exire. Cui fratres loci dixerunt : « Pater et frater, etiam domine, hoc fieri non potest, quia hodie ad nos introistis et hodie exire vultis. » Quibus ille ait : « Fratres et domini, sic oportet fieri. » Paratis autem jumentis, Guidonem ejusdem loci fratres duxerunt seorsum, dicentes : « Scimus certissime quod secretum aliquod ei Dominus hodie dignatus est in domo nostra revelare et quoniam modo non est locus prolixioris confabulationis, age frater, perge sollicitus valde. » Quibus ille dixit : « Ea vero quæ loquimini nunc quoque mecum ipse pertracto. » Qui statim salutatis fratribus recesserunt, iter quod desiderabant aggredientes et simul properantes, sese satiare per viam de Deo vicaria cœperunt relatione. Denique, sicut inter cunctorum animos amicorum immensam charitatis familiaritas fiduciam præbet, Guido frater non obliviosus factus, ipsum Dei famulum super eo quod in ecclesia viderat in hunc modum cœpit interrogare, dicens : « Deo autem gratias et vestræ, Pater et domine, sanctæ benignitati, quoniam me tam indignum, tam indoctum vestris tantis negotiis, tam privatis quam publicis, semper interesse voluistis. Verumtamen, domine, unum dubius valde ego mecum revolvo, quod a vobis, charissime, si decet, discere rogo. Teneo namque ac firmiter credo, vos aliquod hodie vidisse signum, quod tamen videre, nostris impedientibus culpis, non est desuper datum. Exinde hoc ergo argumentor, quoniam in ecclesia vos insolito more fratres stupefacti valde viderunt perseverare. » Tunc ille, ut erat vir eloquentissimus, nolensque in publico prodere quod tenebat interius, inquirenti socio citius persuasit ut quæsitum taceret, dicens : « Porro mihi illud dicere non expedit, nec tibi quoque multum proficit illud audire. — Nunquid et, domine, inquit, mihi celare potestis quod quærens cupio scire a vobis? » Cumque hoc ille tam instanter ab eo precum multitudine ac frequentissima inquisitione exigeret, seque nullatenus astipularetur cessaturum, amicabilibus tandem ejus vir Domini constrictus conjurationibus, jam non celaturum se respondit, ei dicens : « Tali siquidem ego tibi quod quæris conditione dicam, quod nusquam te amplius super hoc audiam confabulari dum vivo. » Pertimescebat videlicet ne inani gloria super se raperetur, et inde intus fieret culpabilis unde fore hominibus appareret mirabilis. exemplum etiam Domini sequens, qui de semetipso suis discipulis præcepit, dicens ut ea quæ vidissent nemini dicerent, quousque Filius hominis resurrexisset a mortuis (*Matth.* XVII). Cui postmodum spondenti atque firmanti totum per ordinem vir Domini, ut evenerat gestum narravit. Sunt quidem præterea et alia multa commemoratione digna, quæ per eum Christi gratia cognoscuntur operata, quæ videlicet, si scripto commendarentur, a non credentibus apocrypha judicarentur; sed de vita hactenus, ac moribus conversationeque loquentes, illius nunc qualiter ad cœlestis de hoc sæculo regni pervenit bravium, calamum pariter reducamus et manum. Amen.

50. Anno igitur a passione Domini millesimo centesimo quinquagesimo septimo frater beatæ memoriæ Hugo, bonus verusque eremita, plenus virtutibus et sanctitate, præbens multa, ut dictum est, infirmis atque egenis beneficia, apud Planiæ locum conversationis ipsius valde præcipuum, de nequam sæculo, Deo vocante, migravit in pace. Illi sane beato venerabili viro prolixum vitæ suæ spatium pro utilitate religionis nostræ et amplificatione divinitus collatum est. Nam vixit, ut manu tenemus, annis octoginta sex, de quo notandum est præcipue quod ille vir Domini inter tot gratiarum insignia, quibus in vita sua claruit, sanæ stabilisque memoriæ dono non mediocriter fulsit. Nam, quidquid vel de sententiis nostris, vel cæteris vitæ nostræ mandatis invenitur fideliter scriptum, aut memoriæ hominum commendatum, totum quidem per eum, sicut a domino Stephano magistro nostro audivit memoriterque suscepit, creditur et revelatum et manifestum. Divinarum etiam auditioni·

Scripturarum prætcrea ita studium commodaverat, ut nihil fratribus dictum audiret, quia memoriam pro libris habebat. Sed ut omnia brevius concludamus, ut in cæteris quæ de illo jam diximus, quamvis nec omnia dicere potuerimus, nullus his diebus ei usquam inveniebatur secundus. Nam vicini et remotiores, divites quoque et pauperes, qui videndi audiendique amore ad eum veniebant, ipsum videntes Deicolam nuncupabant, indulto ei vocabulo : quidam eum ut filium diligebant et ut fratrem, eum venerabantur ut patrem; talem enim in omnibus se præbere cupiebat et volebat Dei conspectibus esse dignum, corde purum et voluntati ejus perfecte demissum. Sed, quoniam hoc loquentes paululum a proposito digressi sumus, ab his expediti, nunc ad narrationis ordinem læti redeamus.

51. Eo igitur tempore quo dilectus Deo et hominibus de præsenti sæculo erat migraturus, divinæ placuit dispensationi, ut quidam seniores nostri, viri valde religiosi, visitandi eum gratia ac audiendi, etiamque interrogandi super hoc quod expediebat eis, quarto decimo Kalendas Maii in quinta feria de diversis locis simul venissent. Suscepit itaque eos vir Domini, sicut consueverat, bono et hilari vultu, et super eorum vultu nimium lætus atque jucundus fuit; totum autem illum diem duxit cum fratribus valde gratum multumque felicem; *hilarem enim datorem diligit Deus* (*II Cor.* IX). Crastina vero die languore nimio circa meridiem correptus est, unde cithara omnium mox in amarum versa est luctum. Fratres vero qui in vicinis morabantur cellulis pauperum exauditor Deus noluit ab ejus frustrare exsequiis, cujus etiam valentis et incolumis necessariis usi fuerant bonis. Convenerunt itaque multi, Deo volente, ut tam sanctæ animæ de hoc sæculo recedenti suas animas devote commendarent, ipseque interim invaletudinem suam visitatione eorum ac consortio admodum levius toleraret, et ipsi quoque illius præsentia et audientia lætiores in posterum manerent ac meliores. Per decem autem dies in mente sana, inoffenso aspectu atque auditu perseveravit : non tamen sine causa ægrotavit usque tertio Kalendas Maii, quod est vicesimus septimus dies Aprilis; quod videlicet totum credimus factum, ut ipse fratres in tam mystica significatione super Decalogo legis informaret, et si quid in ea per oblivionem deliquissent, et sibi et illis, ipso monente, tunc saltem emendare liceret. Insuper ne prædicatio ejus a quoquo impediretur, cunctis diebus infirmitatis suæ in lecto jacens, usque ad extremum diem imprætermisse ac fortiter verbum Dei prædicavit et audivit, exceptis tantum horis quibus vacabat orationi. Frequenter enim tunc orabat et pro experientia sua ubertim ac jugiter flebat, fratres nec non infirmos, debiles, minusque doctos inter illa commonitoria verba sufferre, portare monebat et hortabatur, non ut defensionem haberent, sed ut misericordiam sentirent ad invicem : quod et ipse, dum adhuc superesset, charitative docuit, et fecit ad posterum super omnia quidquid jam pridem de obedientia et de regula nostra pronuntiaverat. Nunc vero abundantiori gratia, valentiorique loquela præsentibus fratribus recoluit, eosque fideliter observare rogavit. Numerus enim fratrum insimul erat omnium præfixus, bis quinque scilicet presbyteri, etiam octo conversi, de quorum numero unus exstitit frater qui de bonitate ejus confidens plurimum, benedici ab eo, hoc nullo sciente, alto quærebat ex corde. Hoc autem eo cogitante, scrutator cordium Deus, qui scit solus quid desiderat spiritus, ipse solus ad complendum desiderium suum in tali voce prorumpere fecit amicum, qui ait : « Frater Guido de Campania sit benedictus et vere sit benedictus, et utinam eum Deus benedicat ! » Qui totum postea quod tacitus quæsierat fratribus per ordinem nuntiavit. Ex quo aliisque hujusmodi liquido omnibus patuit, prophetiæ spiritum Dei famulum habuisse, in cujus auribus cogitationis etiam verba sonuissent. Igitur qui convenerant interrogabant eum dicentes : « Domine, quid times? quid sentis nostræ plus posse nocere religioni? — Nova, inquit, nemora, fratresque novitios super omnia plus posse nocere timeo et sentio. » Tali siquidem, tam sanus quam æger, institutus erat proposito, ut quæ sunt Jesu Christi semper quæreret, solumque illius nec alterius recordaretur, posteriorumque penitus, juxta Apostolum, obliviscens, et ad ea quæ ante se erant se extendens (*Philip.* III), Deoque hoc maxime faciebat, ut carnalibus ruptis vinculis, talentum sibi creditum Domino suo duplicatum reportaret, et pro duplicato duplicia, ut ita dicam, a fœneratore Domino in illa patria possideret. Cumque per singulos dies exitum fratres exspectarent a suo corpore, quia tunc scilicet Sabbatum habebatur, vicinum obitum suum denuntiavit verbis quidem aliis, sed idipsum prorsus significantibus. Ait enim : « In crastinum autem benefaciet mihi Dominus, et in secunda feria in me anima non permanebit amplius. » Quod totum ita factum est. Cum vero jam decem dies in ægritudine fuissent expleti, et die illa de qua jam prædixerat subsecuta, Omnipotens perennem mercedem ei reddere decrevisset, dolor corporis in vitalia rediit, viribusque propriis repente destitui cœpit : erat enim mane. Sciens itaque se morti jam proximum esse, qui eum ibi pernoctaverant fratres, cæterosque pariter admonuit, ut ad primam quam citius surgerent, et cum eo benignum Jesum cum exspectatione exitus sui multo instantius ac devotius exorarent. Ea namque nocte jacuerat in capitolio, ibique dicta confessione completoque judicio, ex quo nihil ulterius loqui auditus est, usque ad pacem, o ius missæ officium orans versusque ad ecclesiam audivit, et a pacifico fratre Hugone Dumont osculum Dominicæ pacis accepit; et, quoniam in ipsa tam

sacræ immolationis hora, testante Gregorio, ad ministri vocem ratum manet cœlos aperiri, in illo Jesu Christi imperio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi ex hoc plane probatur, et vere et catholice potest intelligi, quod plenam et perfectam eorum omnium remissionem per osculum pacis accepit, super quibus etiam paulo ante confessionem judicium dicens, complere memoriter meruit. Post hoc autem fratres qui custodiebant eum, diligentius illum ad lumen aspicientes, quod jam obire cœpisset tunc primum compererunt: quod statim cæteris qui in ecclesia erant significaverunt. Qui protinus advenientes eum in medio positum circumsteterunt, laudes et gratias in psalmis et hymnis pro commendatione animæ ejus decantantes. Qui B cum diutius psallerent, soloque ei in pectore adhuc palpitaret spiritus, quindecim psalmos cantare exorsi sunt. Cumque vir Domini, cui admodum parvulus tunc inerat flatus, unum de quindecim, psalmum *Lætatus sum* videlicet cantari audiret, stans in medio, crucemque Domini tenens et deosculans, collecto spiritu, quantumvis valuit, oculos, antequam *in domum Domini* terminarent, levavit et aperuit, et circumstantes fratres ex ordine, velut eos salutaret, benigne aspexit ac diligenter: sicque demum oculis ac manibus in cœlum semper intentis, in cinere recubans, priusquam missa finiretur, in tam sancta hora inter jucunda verba, orante tam sancto conventu, ut C tenemus, exhilaratum spiritum reddidit Christo, domus Domino, ad quam a fratribus jam fuerat invitatus, reddidit quidem in bona senectute ac conversatione enutritus.

52. Tunc vero mœror et metus grandis omnes qui aderant propter mortem ejus detinuit. Qui autem perfectiores ac firmiores erant in religionis custodia, se fletu abstinebant præ timore et verecundia, vocem quidem plangentium comprimentes; si quibus flere prohiberet fides, gemitum saltem cogeret extorqueri affectus, cum lætandum potius illi esset, quoniam Dominus jam suo confoveret gremio. Etenim tam sancta de gloria illius fuit omnibus exsultatio, quam pia de morte lamentatio, dum unusquisque et in se invenit quod D doleat et unde illi gaudeat. Testatique nobis sunt qui adfuerunt, quoniam jam exanimi corpore magis vivus videretur quam mortuus; vultum enim vigilantis hominis claritate superabat vultus ejus jam in Christo dormientis, cum in cæteris membris nec tenuis quidem macula latere, et quodammodo caro ejus non senis, sed tanquam pueri parvuli tota appareret; sicque in quadam jam futura resurrectionis gloria, ut ita fari liceat, et naturam demutare carnis visus est. O beati! O felices! qui dum esset in terris, usi fuistis ejus colloquiis, participastis conviviis, documentis instructi, præsentia recreati, confirmati fuistis ejus moribus et exemplis, insuper et signis et virtutibus A jucundati. Feliciores vos estis, si tamen quod ab eo audistis fideliter observare nitimini, qui viam ingessit per quam vos reliqui gradiremini; dedit fidem verborum in opere, ne putaretis eum aliquid superfluum prædicasse; jussam crucem semel acceptam deponere noluit, imo eam amore et famulatu spontaneo, non Cyrenæo, semper tanquam principi confixus portavit. Unde, quia nec longitudine temporis nec non laboris, crucis sanctificatorem sequi meruit, post mundi languorem. Hæc autem prædicta non ad correctionem, sed ad æmulationem. Hunc igitur ad bonum æmulamini.

53. Sacerdos vero stans interea ad mensam Domini valde lassus, et diu expetita corporis sanitate, sacrificium jam obtulerat Domino, collectam de postcommunione adhuc dicturus, cum necdum sciret utrum pro expetita sanitate, an pro depositione oraret, percepto tandem quid faceret, collectam incœpit pro ejus depositione supplicaturus. Nec vacat locus iste a mysterio: quem tamen pro parvitate et provectioribus nos adhuc sugentes ubera decrevimus enucleandum; eis vero maxime, qui partem aliquam tenent de Dominicis sacramentis. Nam ut prætermittamus plurima, celebrata sunt etiam in eo a fratribus plene ac intente, tam in obitu quam in infirmitate, prout devotius potuerunt, cætera quæ rogat juxta ecclesiasticum morem institutio nostræ sanctæ religionis et regulæ. Tunc demum fratres amantissimi bonique pastoris, sub quo tunc nostra fervebat religio, et voluntatis et jussionis memores, festinanter quod eis jam dudum præceperat exsequuntur. Nam et beati viri corpus qua oportuit honorificentia, una cum sanctis Domini sacerdotibus, thuribulis paratis et cereis, reverentissime satis aggredientes aperiunt. Quo quidem aperto, tanta illic subito fragrantia miri odoris aspersa est, ut qui aderant inæstimabili suavitate replerentur, ac ex eadem suavitate cunctis claresceret, in eodem suavitatis auctorem habuisse diu mansionem, cum ejus tamen caro præmortua tam aperto miraculo, quid vivens ejus spiritus semper egerit, testaretur. Cujus extemplo præcordia præscripti odoris fragrantia vitroque puriora quæ apparuerunt, suscipientes profutura loco ad patrocinium, patriæque ad salutem, in sua ædificatione cultu satis eximio exstructa ibidem venerabiliter tumulaverunt. Quibus quoque digna veneratione conditis, ejus vestimenta inter se fratres velut thesaurum cœlestem diviserunt, exceptis ligonibus, quæ clam pro reliquiis cum summa ab eis devotione sumpta sunt, et usque hodie debitæ zelo reverentiæ suis conservantur in locis. De quo quidem loco ex illa die multæ fidelibus virtutes factæ sunt, quæ per negligentiam non sunt scriptæ, nec nobis recitatæ.

54. Huic quippe miraculo multi interfuerunt qui nunc usque vivunt, et cum magno fletu ex gaudio attestantur, quam quousque corpus ejus consueretur, suisque vestimentis, sicut nobis mos

est sepelire, indueretur, illius fragrantia odoris ab eorum naribus non recessit : quod videlicet signum aliud venerabile est etiam comitatum, quod idcirco maxime prætermittere noluimus, ut ex hoc uno valeant a fidelibus alia multa pensari. Huic nempe rei jam audire quidam frater noster interfuit, qui præ mira aptitudine sui, una cum cæteris, sanctissimum ejus corpus aperuit, et incomparabilem illum thesaurum, quem beatus ille diu sibi ad profectum, posterisque ad futurum servaverat, omnibusque patenter ex eodem dévote suscepit et tumulavit. Habebat enim manum quo casu nescio incisam ac graviter vulneratam, et dolore pariter ac sanie plenam. Sequenti vero die, nescio an eadem nocte, dum ex more respiceret ut eam curaret, tremefactus eamdem repente quo involuta erat linteamine invenit evolutam, atque ita sanam, cicatrice sola superstite, ac si unquam vulneris nihil habuisset. Et quædam alia in augmentum istorum qui interfuerunt addunt mirabilia, de quibus non est modo dicendum per singula. Hoc ergo expleto, superstes corpus in medio adhuc positum in psalmodia et oratione a fratribus custoditur, noctem quidem præ timore vicini populi exspectantibus, qui tamen per alias temporis vicissitudines eum servari scientes, ad viarum exitus olim suos posuere custodes, metuentes eum amittere velut hæredem et patriæ defensorem. O pium et laudabile furtum, quod nemini prorsus detulit damnum ! Occidente vero sole, ex omnibus bis decem numero fratribus, aut forsitan eo amplius, eo honore et reverentia qua decuit, quali potuerunt hora, de loco illo sanctissimum corpus tollentes, in primo noctis crepusculo, sicut invicem agendum proposuerant, injunctam arripiunt viam, et sic simul cum pignore sancto properantes, descenderunt per viam quæ ducit ad munitionem, cui prisca vetustas Chalucium ediderat nomen. Ex hac siquidem nocte præterita, lumen odientes egressi fuerant malefactores, qui tenentes quemdam rusticanum trahebant captivum, sua paupere tamen supellectile valde onustum. Quo comperto, fratres (præ oculis enim eorum illi latrunculi faciebant iter) accesserunt ad eos, et captivum de manibus eorum liberum cum pia sarcina sua transmiserunt ad propria. Quod enim vir Domini vivus et adhuc sæcularis per seipsum agere consueverat, per filios suos et fratres jam mortuus non est oblitus facere. Susceptus est ergo cum summa veneratione a bono pastore et a sancto conventu, qui præcurrentibus etiam largissimis eleemosynis ei obviam venit, et in magna lætitia in Grandimonte translatus ab eis : ubi tamen coram fratribus pro ejus commendanda depositione corporis sacrificium Deo oblatum est a memorato pastore ; et appositus est ad patres suos, atque inter domnum Stephanum de Mureto, et domnum Petrum Lemovicanum sepultus, certoque notamine assignatus. O quantus luctus circumjacentium po-

A pulorum, quantus pauperum Christi et religiosorum planctus ! quantus præcipue orphanorum clamor et viduarum, quibus extenderat charitatis brachia et benigna subsidia vitæ, pro cujus enim obsequio narrari non potest quanta multitudo hominum a propriis sedibus se commoverunt ! Multi enim ex agris et vicis et villulis et castellis, et ex Lemovica etiam civitate adfuerunt, qui exinde remeantes turbis concurrentibus eum jam sepultum nuntiaverunt, et in his quidem omnibus quantum ille Deo acceptus et populo charus fuit, quantoque fervore, rectæ sane fidei, spei et charitatis in sancta Ecclesia vixit, quoniam, volente Domino, nobis conceditur scire, in his quoque omnibus plane manifestatur. Fidei enim fuit indicium missa, quam audiendo migravit ad Dominum ; spei autem
B manifestatio, signorum multitudo quæ jam fecerat ille in Domino ; bonum vero charitatis, solutio aperte declarat captivi. Quod autem plenius agnoscunt quicunque cum loquentem et præsentem audire et videre potuerant, et ejus præsertim in religione conversationem non ignoraverunt. Nos vero qui in carne cum nec videre nec audire meruimus, pauca tamen quæ præscribuntur, quantum investigare potuimus, largiente Domino, *qui dat affluenter et non improperat* (*Jac.* I), tomis chartæ pro modulo nostro fideliter diligenterque commendare studuimus ; in hoc etiam, charissimi, plurimum confidentes quam etsi non potest legendam in-
C cultus sermo et rusticanus ornare, eam faciet ille beatus signis præclarisque virtutibus elucere ; et hanc solam insuper nostræ mercedis retributionem accipere sperantes, ut, dum hæc recitata fuerunt in laude et memoria hujus memorati justi, nobis fortassis orantibus, et vobis tribuatur refrigerium pro delictis, dicente poeta :

..... *Forsan et hæc olim meminisse juvabit.*
(VIRGIL., *Æneid.* l. I, vers. 203.)

Cujus sanctissimi memoranda et gloriosissima transitus dies celebrata est tertio Kalendas Maii, secunda feria, anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi, ut prænotatur, millesimo centesimo quinquagesimo septimo, ab excessu autem domni
D Stephani Muretensis, primi Patris nostri, tricesimo secundo, ætatis vero beatissimi Hugonis circiter octogesimo sexto, Romanæ tunc providente Ecclesiæ papa Adriano quarto, regnante gloriosissimo Francorum rege Ludovico, qui Ludovico successit in regno sub bonæ et summe beatæ memoriæ amantissimo Stephano de Liciaco quarto priore nostro. Exsultemus ergo omnes in Domino, qui nos tanti viri decorare dignatus est consortio. Concedat Deus ipse nobis ex ejus sublimari suffragiis, cujus etiam moribus et signis nos ditavit, nos instruxit in terris. Ipse Dominus ac Redemptor noster qui fidelem suum famulum de terris in pace suscepit, ipse nos de hoc sæculo nequam propter eum adjuvet, regat et custodiat, ne polluamur a malis.

Ecce claudit dies, hebetatur calamus, pigritatur manus, lingua impeditur. Quid igitur moras facimus? quo amplius protelari conamur, cum terminus etiam istorum prorsus ab homine ignoretur. Sane enim qui os aperuit belluinum (*Num.* XXII), aperuit et docuit nostrum, idem ipse finis noster qui principium nostrum Jesus Christus Dominus noster et Deus, cui est honor et gloria, virtus et imperium cum Patre in unitate Spiritus sancti ab æterno, et nunc et per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Quis dixit? Dominus : hoc nomen permanet illi.
Nam dicti est dictor Dominus non alter ab illo.
Gloria sit soli Domino qui cuncta peregit.

Ego Guillelmus Dandina, qui de sancto Savino improprie cognominor, frater peccator, indignusque sacerdos, pro me exorare supplex humilisque exoro.

Quis unquam tanti viri mirabilia sic ex ordine inquirere aut referre poterit, ut laudare sufficiat? Præfatus namque pastor venerabilis, qui providente Domino in discipulatu illius conversatus atque eruditus est, eique valde familiarissimus fuit, unum nobis de ullo miraculum dicere consuevit; quod tamen nullo modo est prætermittendum, quam mira humilitate intelligitur plenum. Nam et beatæ memoriæ Hugo tiro, qui, Deo auctore, Engolismensi in episcopatu deservivit Ecclesiæ, certus de miraculis et de bonitate illius, quæ per eum Dominus dignabatur operari, ea sæpe devotione ad eum venire consueverat, ejus præsentia recreari verboque instrui multum desiderans, tanquam ad audiendam Salomonis sapientiam. Quadam namque die contigit ut veniret ad eum episcopus, et, dum ex more consedisset, qui quidem compulsus tædio, ait : « Tantum enim dolorem a dextris in armo miser ego patior, quod sursum eumdem levare vel seorsum flectere, vel in partem aliam declinare nullo modo valeo, qui videlicet ex gutta procedit, ut credo. Collum etiam, guttur et facies, ut videre potestis, ex sæviente prædicto dolore tumida lividaque effecta sunt; unde et mei locum doloris pro amore Dei vestris sanctis manibus tangite, domine, atque palpate. » Quo audito, vir Dei admirans ait : « Miror ego valde cur sic loquimini, domine, manus quidem meæ sanguine plenæ sunt, vestræ vero sacratæ et ad Dei vivi mysterium præparatæ, dono etiam Dei et gratia Dei repletæ. Quod vero a me peccatore quæritis, mihi quidem et aliis, cum necesse fuerit, per vos, operante Domino, et debet et potest præstari; de vobis enim et hujusmodi Dominus dicit : *Super ægros manus imponent, et bene habebunt* (*Marc.* XVI). » Cui respondit episcopus : « Certe, si pro divini mysterii privilegio et honore vos retardare dicitis, scitote quia in statu vestro non partem imparem de divinis tenetis sacramentis atque habetis. Si ego enim indignus peccator indignusque sacerdos per mysterium meis immundis manibus suscipio Dominum, vos quoque in susceptione pauperum et refectione eumdem ipsum recipistis nec alium. Ipse enim dixit : *Quod uni ex minimis meis fecistis, et mihi* (*Matth.* XXV). Et alibi : *Qui recipit vos, me recipit* (*Matth.* X). Et etiam alia multa, de quibus non est modo dicendum per singula. » Vir autem Domini videns episcopum in sua perseverare petitione, noluit eum amplius contristatum manere, sed commune duarum partium bonum eligens, manum continuo episcopi cum sua accepit, eamdemque quo patiebatur cum signo crucis palpando tractandoque deduxit. In hoc præcipue sibi humilitatem custodiens, et sancto debitam episcopo reverentiam exhibens. His vero expletis, absque ulla procrastinatione sanatus est episcopus qui venerat ægrotus. Considerare enim libet quoniam in hoc tam amabili bono cum prædicti viri merito sancti episcopi multum convenit devotio. Ideoque existimandum hoc illum potuisse, quia plus confidit de episcopi quam de sua virtute : cujus enim manum cum sua loco doloris posuit, per eam tamen obtinere quod petebat existimavit. Amen.

ITINERARIUM

FRATRUM GRANDIMONTENSIUM,

Sive translatio reliquiarum sanctarum septem virginum sociarum sanctæ Ursulæ e diœcesi Coloniensi in ecclesiam Grandimontis.

(*Mémoires de la Société des Antiquaires de l'Ouest*, t. XVIII, p. 547.)

EPISTOLA PRÆVIA.

Omnibus præsentibus et futuris fratribus ordinis Grandimontis, conservi eorum et fratres eorum, D GUILLELMUS et IMBERTUS, in Christo Jesu perpetuam salutem.

A Cum virorum illustrium sollicitudine, fratres charissimi, per diversas mundi partes multa Dei monasteria sacrosanctis reliquiis martyrum, confessorum et virginum, plus quam gemmis et auro redimita leguntur, illi procul dubio animantur ad agendum similia qui toto corde Deum diligere et sanctos ejus colere cupiunt ac venerari. Constat enim in ecclesiis, ubi corpora sanctorum in pace sepulta sunt, non solum claustrales viros, verum etiam clericos sæculares circa Domini officium magis esse sollicitos ac libentius convenire et orare devotius. Quæ profecto bona fidelibus Christianis ex eorum præsentia meritisque proveniunt, qui pro Christo fuderunt sanguinem suum, vel sine sanguinis effusione longum duxerunt martyrium. Unde si diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, illos specialiter æterni et incommutabilis boni præmio credimus non carere, qui per suæ sedulitatis studium acquirendo exuvias his qui sunt et qui futuri sunt devotionis formam offerunt, et conferunt compunctionis materiam. Quorum sane unus est vir venerabilis Guillermus, Grandimontis prior sextus, qui in sua pariter et nostra ecclesia Grandimontensi de diademate Christi septem cœlestes margaritas, hoc est septem virgines gloriosas meruit collocare. Habemus ergo, fratres charissimi, habemus, inquam, et speculum in quo nobis nostræ fragilitatis excessus reluceant, habemus et divinæ laudis commonitorium sempiternum. Quid enim clamant! quid innuunt signa martyrii, quæ in cervicibus virginum cernimus? quid gladii, quos inter sacra earum ossa oculis nostris perspeximus? nisi ut uno cordis et oris concentu omnes pariter in *cymbalis bene sonantibus* laudemus *Dominum in sanctis ejus* (*Psal.* CL), et defleat unusquisque nostrum peccata sua dicens cum Propheta : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* (*Psal.* VI). Heu mihi! *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum?* (*Jer.* IX.) Quid, quæso, fratres, quid in judicio dicturi sumus, qui puellas per ferrum ad regnum pervenisse non dubitamus? verumtamen *noli timere, pusillus grex* (*Luc.* XII) Grandimontis, imo lætare et exsulta ibi Deo serviens conscio universa, quia spirituali Patre tuo tibi providente in posterum, pro impenso virginibus suis obsequio, complacuit Christo tuo dare tibi regnum; aut si B secus egeris, mereberis supplicium. Erunt contra te in testimonium virgines istæ, si debitæ laudis præconio earum merita efferre cessaveris; erunt tibi in auxilium suis intercessionibus gloriosis, si sponsum suum Deum tuum in eis et pro eis laudare et glorificare omni devotione studueris. O munus quod tibi cœlitus missum est! O gratia gratis data! habes unde recalescat tepor tuæ conversationis, si forte irruerit. Habes unde tuæ charitatis fervor suscipiat incrementum. *Visitavit te Oriens ex alto* (*Luc.* I). *Respexit humilitatem tuam* (*ibid.*), qui *humilia respicit et alta a longe cognoscit* (*Psal.* CXXXVII), cum tuæ fidelitatis depositum istud reservandum commisit. Qualiter autem id egerit, C vel quo tempore, et sub quibus personis, ad posterorum memoriam scripto est commendandum.

ITINERARIUM FRATRUM GRANDIMONTENSIUM.

Anno igitur incarnati Verbi 1181, summo et universali pontifice Alexandro tertio, Frederico Romanorum imperatore, secundo anno regni Philippi, Ludovici regis Franciæ filii, Richardo, Henrici regis Angliæ filio, Aquitaniæ duce, Girardus, Sibergiæ (58) abbas, vir inter Patres monasteriorum præclarissimus, ad Sanctum Ægidium et Rupem... Amatoris orandi gratia de Germaniæ partibus advenit. Qui, peractis orationibus suis, cum ad patriam et gentem suam Teutonicam remearet, divertit ad Grandimontem fraternitatem ordinis petiturus. Non enim modicum sibi profuturum sperabat, si taliter conversantium fratrum orationibus fulciretur. Receptus est itaque honorifice, sicut talem decuit recipi hospitem, et tam sibi, quam venerabilibus sociis suis, Guillermo scilicet monacho, et magistro Guoderamno Bonnensi canonico in capitulo coram cunctis fratribus totius ordinis beneficium; et in vita et in morte concessum est. D His ita devotissime gestis, jam dictus Guillermus prior, qui charitatis hujus dator exstiterat, flexis genibus cum omni conventu fratrum, rogavit abbatem ut unam de sacris virginibus, quæ Coloniæ pro Christo martyrizatæ fuerunt, ab archiepiscopo illius civitatis et eis qui super hoc potestatem habebant, ecclesiæ Grandimontis, in qua frater factus fuerat, dari suis precibus impetraret. Cujus piæ petitionis affectum vir sanctus considerans, ait : « Domine, si fratres vestros Coloniæ ad nos miseritis, concedimus vobis quod, si unquam, poterimus, Deo annuente, unum e duobus faciemus. Aut enim dominus archiepiscopus, qui multum nos diligit, ad preces nostras unam de sacris virginibus, sicut petitis, dabit vobis, aut nos unam de illis quas in monasterio nostro habemus, vestræ devotioni transmittemus. » Ad hæc prior lætus efficitur, et confidens de verbis viri, assignata est dies, qua præfatæ civitati fratres venire debe-

(58) Selon la conjecture de M. le baron de Roizin, il s'agirait ici de l'abbaye de Sieburg, fondation bénédictine du XIe siècle.

rent Dehinc recessit abbas, ad propria rediturus. A

Cum autem dies Dominicæ passionis instarent, quando ituri erant qui, Deo volente, hunc pretiosum thesaurum inde transferrent, displicuit fere cunctis fratribus assumenda peregrinatio fratrum; sed solus Prior (59) nullis dehortationibus ab incæpto potuit revocari. O calliditas diaboli! o antiqui serpentis astutia! qui *se transfigurat in angelum lucis* (*II Cor.* XI), etiam per eos qui fortasse timebant fratribus suis, et periculum itineris et fatigationem laboris. Devotionem fidelium et honorem sanctorum conabatur exstinguere; sed non est prudentia, non est consilium contra Deum. Quod ab æterno prædestinatum est, nulla potest arte non fieri. Ex præcepto itaque domini prioris cum ejus benedictione quatuor ex fratribus, duo videlicet sa- B cerdotes et duo conversi, iter assumpsimus versus Coloniam ad quam sane Sabbato ante Ramos palmarum, inter asperitatem hiemis, nivis, grandinis ac pluviarum intemperantiam, diversitatem quoque terrarum, et inconsonantiam linguæ, tanta incolumitate venimus; tamque honorifice suscepti et procurati ab incolis civitatis et indigenis terræ usque post resurrectionem Domini fuimus, quod nullus nostrum dubitabat vel dubitare poterat totum hoc divinæ dispositionis esse quod circa nos gerebatur. Quiescentes igitur nocte illa juxta claustrum majoris ecclesiæ in hospitium prædicti abbatis, nam ita cum Patre nostro ipse fuerat prolocutus, quia non invenimus eum, mane transfretan- C tes Rhenum, perreximus Sibergiæ, ubi cum sanctis fratribus suis Dominicam processionem et diem festum feliciter celebrabat; at ubi nuntiatum est ei nos advenisse, egressus de choro fratrum venit obviam nobis in ecclesia, lætus et gaudens suscipiensque nos in osculo pacis, introduxit in quamdam parvam capellam seorsum, ubi familiariter missam audivimus. Primo itaque refecti cibo cœlesti, deinceps ab ipso Patre et quibusdam religiosissimis monachis qui eum comitabantur, ad hospitium ducimur corporali esca reficiendi; compositio domus, munditia mensæ, et honestas famulorum honestatem domini et prudentiam fatebantur, non ferculorum copia quæ nobis apponebantur his præferenda erat. Esca enim ventri, et D venter escis; Deus autem et hunc et has destruet. Honestas vero virtus est et prudentia. Cæterum (nisi nostram abundantiam charitas excusaret) mensæ monachorum parcitas eam merito arguebat. Illam postmodum audivimus et legimus in pallidis et macilentis vultibus claustralium, quos in monasterio, in claustro, in refectorio, et cæteris officinis suis ordinatissimos esse perpendimus. Nihil enim ex his quæ videre voluimus oculos nostros effugere, nihil ex his quæ interrogavimus aures potuit præterire. Consumpta ergo in talibus diei parte permaxima, postquam dormiendi accessit hora, ivimus cubatum; surgentibus monachis ad matutinas, surreximus nos et more nostro officium matutinale celebravimus: mane vero post celebrationem missæ, capitulum intravimus, ubi abbas et omnis fratrum conventus nos et omnes ordinis nostri fratres in beneficium domus ea conditione receperunt, qua in capitulo nostro ipsi fuerant recepti. Concorditer etiam indictum est ut pro fratribus suis defunctis in nostra ecclesia, et pro nostris in sua singulis annis quinto Nonas Octobris servitium ageretur (60).

His ita peractis, venerabilis abbas, suæ sponsionis non immemor, tradidit nobis cum summa reverentia corpus sanctæ Albinæ virginis et martyris, et aliud corpus sanctæ virginis, cujus nomen novit Deus; patet autem in fronte ipsius vestigium martyrii, securis (scilicet) vulnus. Unam promisit, sed duas contulit, liberalium virorum ostendens gratiam, qui uberiora munera semper tribuunt quam promittunt. Alacres igitur valde salutantes abbatem et fratres, eosque gratiarum actione prosequentes, cum eorum benedictione discessimus, suæ tamen voluntati resistentes qui per totam hebdomadam secum nos habere volebant. Discessitque nobiscum magister Guoderamnus qui ad nos illuc venerat, seque nobis admodum ob munus nostræ fraternitatis familiarem exhibebat, ducens nos ad hospitium suum Bonnæ nocte illa. Crastina vero die, communicatis orationibus cum canonicis Bonnensis ecclesiæ, in qua ipse canonicus erat, et cum quibusdam sanctimonialibus extra civitatem inclusis, regressi sumus coloniam, domino archiepiscopo locuturi; qui residens in quadam camera palatii sui, sicut ei semper mos est, clericorum et baronum stipatus cuneis, cum relatione domini Guoderamni nos in exteriori aula sciret adesse, fecit nos celeriter introduci; et assurgens nobis, propter nostri ordinis reverentiam, mirantibus cunctis cernentibus, osculatus est unumquemque nostrum, et ad dexteram suam fecit nos consedere. Deinde litteras Patris nostri in quibus petitio nostra continebatur, et litteras domini Petri Tusculanensis episcopi Romanæ Ecclesiæ cardinalis, et Alemaniæ legati, et episcopi Leodicensis, et comitis Flandriæ, in quibus ut nos audiret rogabatur, benigne accepit: quibus libenter acceptis et inspectis, jussit ut ad Sanctum Pantaleonem duceremur, ubi diurna sibi refectio parabatur; volebat enim nos et in hospitio et in mensa secum habere. Deus autem qui quod nobis expediebat noverat, inspiravit ei ut, mutato consilio, ad vitandam hominum turbam, ad abbatiam Sancti Martini, quæ prope erat, nos mitteret; quod et factum est. Gratanter igitur suscepti, tum propter mittentis reverentiam, tum propter gratiam hospitalitatis, quia illic reliquiarum copiam esse audivimus, rogavimus abbatem monasterii flexis genibus ut pro Dei amore de thesauro

(59) Domnus Geraldus Itherii in speculo Grandimontensi. — *Mss. du f. de la Garde*, 1590.

(60) Nota quod v Nonas Octobris debeat fieri in Grandimonte anniversarium pro fratribus nostris de Colonia in die Sancti Gereonis. *Mss. du f. de la Garde.*

sibi credito nobis aliquid impertiret : annuit libentissime, sicut homo cujus facies, vox et verba sanctitatis speciem prætendebant ; verum tamen, tanquam sapiens, sine consilio nihil inde agere voluit; jussit autem ut die crastina cum eo loqueremur, quod sibi Deus interim inspiraret accepturi. Post prandium vero, oportuit nos ire loqui ad archiepiscopum, ad Sanctum Pantaleonem ; sic enim nobis ab eo fuerat imperatum.

Ascensis ergo equis, quoniam fere unum milliarium remotus erat a nobis, præcedente nos duce et interprete nostro, sæpedicto Guoderamno, primo perreximus ad abbatissam monasterii Virginum, quæ cum audiret in litteris Patris nostri et fratrum nostrorum petitionem nostram et nostræ conversationis statum, tantam in conspectu ejus nobis Deus contulit gratiam, quod confessa est se nunquam vidisse homines quibus tam libenter in talibus subveniret; præcepit itaque ut mane facto reverteremur ad eam : rogamus et postulamus ut alter nostrum in monasterio Virginum missam celebraret. Deinde venimus ad domum venerabilis viri magistri Armani, ecclesiæ apostolorum decani ; hic litterarum scientia præditus et morum maturitate præpollens familiarissimus erat domini archiepiscopi, et coram eo nos viderat ; eumque nostri adventus causa minime latebat, qui sciens nos loquendi gratia ad archiepiscopum proficisci, noluit nobiscum nisi pauca loqui, sed ut post colloquium archiepiscopi statim ad eum reverteremur præcepit ; verebatur, ut credimus, ne forte si tunc diutius nobiscum loqueretur, per aliam viam ad hospitium rediremus, et sic affectu quem, Deo inspirante, ut nobis benefaceret conceperat fraudaretur. Prosequentes inde quod cœperamus iter, iterum archiepiscopo nos præsentavimus ; exstiterat primo nobis affabilis, sed nunc secundo tanto affabilior factus est quanto a negotiis sequentium se erat expeditior ; recesserat namque fere tota populorum curia, quoniam vespertinum tempus jam imminebat. Explorando igitur cautissime qua intentione sacratissima virginum corpora petebamus, cum ex responsione nostra cui multum credulus erat, non pro temporali lucro sed pro sola devotione id actum iri cognosceret, cum quibusdam clericis suis lingua Teutonica diu locutus est : quo facto, nobis benignissime talia verba respondit : « Volumus ut sciatis, fratres charissimi, nos sub anathemate olim prohibuisse ne quis extra diœcesim nostram integrum corpus virginis audeat asportare ; verumtamen propter honorem Ordinis vestri, de quo, referente dilecto filio nostro abbate Sibergensi, multa bona audivimus, ad preces ipsius decretum nostrum jam fregimus, præcipiendo ei, verbis suis fidem faciendo, quod vobis promiserat, daret. Adhuc autem ipsum frangere oportet ad instantiam precum vestrarum, quoniam fraternitatem Ordinis vestri volumus promereri ; ut ergo in ecclesia vestra orationum suffragiis perpetuo potiamur, eidem ecclesiæ in munus et benedictionem nostræ devotionis unam sanctissimam virginem sicut petitis transmittemus. Eritis autem nobiscum per totam hanc hebdomadam, quoniam dies sancti sunt, et oportet vos divinis interesse officiis. Post Resurrectionem vero iter vestrum assumetis, in pace reportantes vobiscum reliquias quas interim per monasteria civitatis, cum nostræ concessionis gratia, poteritis acquirere, et habebitis nuntium nostrum qui vos ducet, quantum vobis placuerit. » Hæc nos audientes humilitate qua potuimus et novimus super tantæ dignationis consolatione, Deo eique gratias egimus multiplices; sed quia redeundi voluntas nobis incumbebat, molestiam quæ Patri nostro et fratribus inferretur, si nos moram facere viderent, objecimus. Objecit autem et ille : « Si justum est, inquit, ut die Cœnæ et Parasceve equitetis (quod nulli alii religiosi facturi sunt), vos ipsi judicate. »

Convicti igitur et conclusi sapientis viri eloquio, cum ipsius benedictione per viam qua veneramus ad præfati decani domum redivimus ; qui lætus nobis occurrens ut totam illam hebdomadam secum ageremus, in charitate rogavit. Verum cum domini archiepiscopi hospitium nos non posse deserere diceremus, ipse charitatem in vim convertit ; et sicut in proximo lecturi eramus de duobus euntibus in Emmaus quia coegerunt Dominum, cepit nos et coegit. Pulcherrima domus! undique circumdata muro, intus ecclesia, contiguum erat pomærium ; quantum spectat ad ea quæ in sæculo religiose geruntur, nihil ibi vidimus inordinatum, nihil quod religioni non serviret. Tradidit nobis vir ille sanctissimus libros et vestimenta sacerdotalia, et hæc omnia bona valde, tradidit calicem et urceos aureos et argenteos, et clavem ecclesiæ, tradidit domunculam unam peroptimam et clavem illius. Et ecce Deo nos regente (in sæculo religione inventa, quod mirum est), sine reprehensione fuimus inter eos.

Mane autem facto, processimus ad monasterium Virginum sicut hesterno die, nobis fuerat imperatum, et celebravit frater Guillermus missam ad majus altare, posito interim super illud uno unius virginis sacro corpore quod dedit nobis abbatissa, in quo quidem corpore clavus quidam videbatur permaximus, cum quo sancta virgo interfecta fuisse credebatur. Cantata vero missa in eadem ecclesia, orationum munus accepimus et dedimus, et accepto cum reverentia sacro corpore, ad hospitem nostrum, abbatem scilicet Sancti Martini, properavimus; qui modeste nos arguens, sicut erat homo mitissimus, quia ad hospitium non eramus reversi, lætus nobis cœpit exponere quid sibi nocte præterita per visum accidisset.

Visio abbatis Sancti Martini.

Cum essem, inquit, in stratu meo, nocte ista transacta, cœpi cogitare mecum quid vobis conferre potuissem ; placebat enim mihi quod perendie de ordine vestro audieram, cumque hoc cogitarem divina inspiratione (ut probat exitus rei) venit mihi

in affectum ut darem vobis unum unius gloriosissimæ virginis caput quod diu in magna veneratione habui; consuevi enim coram eo divina missarum celebrare mysteria priusquam abbas fierem. Abbas vero factus, reposui illud in capella mea, in qua hactenus pro thesauro incomparabili honorifice reservavi. Verum cum de conferendo vobis capite cogitarem, pœnituit me de jam habita dandi voluntate, et dixi in corde meo : Quid faciam? dabo caput? et quomodo potero esse sine capite quod tantum dilexi, et in tanta veneratione diu habui, pro quo et tam immensa bona fecit mihi Deus? Certe non dabo. Moxque corrigens quod dixeram, aiebam : Imo dabo, sanctus namque locus est quo portabitur; sancti habitatores loci ut audio, et sanctissime custodietur ibi, debitoque honore donabitur. In hunc itaque modum mecum contendens, et hæsitans quid agerem, obdormivi. Vidique in somniis columbas candidissimas super volitantes quarum una corruit ad pedes meos; ego vero extendens manum meam apprehendi eam, et inveni crus illius inflatum et ligatum ad ascellam, ita quod nec pergere poterat nec volare. Solvi eam, et statim excutiens se de manibus meis incolumis avolavit, aliisque volitantibus se contulit velut de solutione sua gaudens et lætissima. Confestim ergo evigilans, evidenter intellexi quod caput virginis et martyris de quo cogitabam et hæsitabam cum cæteris martyribus suis et cum virginibus usque ad Grandimontem volare, ibique perpetuo quiescere volebat : caput igitur, Deo volente, habebitis. In veritate autem dico vobis quod nequaquam illud haberetis nisi hac visione mihi ostensum fuisse credidissem. Euntes itaque ad capellam, cum videremus caput et in fronte signum martyrii, quantum fuit gaudium, quanta ubertas lacrymarum, quis potest enarrare? Novit hoc Deus, fons et origo totius pietatis, novimus et nos læti de audita visione, sed de dati acceptione lætiores, receptis Patre et fratribus in munus orationum, et recepti ab eis, egressi cum capite, jam ascendebamus equos, et ecce monachus quidam, ferme octogenarius, vir per omnia laudabilis vitæ, attulit caput sanctæ Anathaliæ virginis et martyris, quod capillis tegitur et signo martyrii decoratur, sicut cunctis cernentibus evidenter apparet; compunctus enim homo Dei ad visionem Patris et ad fratrum lacrymas commotus volebat ut in ecclesia Grandimontis pro principali parte sui virgo totam venerationem quam promeruit sortiretur. Ipsa quoque virgo virginem aliam de monasterio solam egredi, vel ad exteras nationes progredi non patiebatur, quæ usque Romam ab Anglia, et a Roma usque Coloniam eam fuerat comitata; invicem fortasse condixerant ut sicut per flumina, terras et maria in præsenti vitæ conversatione labili consortes exstiterant, et per parem martyrii palmam Sponso suo cœlesti pariter fuerant A copulatæ, ita in Grandimonte earum capita conjunctionem corporum quæ alibi reliquerant, exspectarent. Videtur hoc asserere et gratia monachi qui non rogatus caput attulit et contulit, et tam capilli quam vulnera martyrii quæ in utroque conspecta capite in indevotis devotionem possunt excitare.

Talibus ergo ditati muneribus, revertimur ad ecclesiam nostram, ad domum decani, repositisque reverenter super altare sanctarum virginum reliquiis tribus (scilicet corporibus et duobus capitibus), recessit a nobis Pater et interpres noster Guoderamnus, sanctorum namque dierum reverentia et instantis Paschæ solemnitas ad ecclesiam suam et propriam domum ipsum redire cogebant; sed non B reliquit nos orphanos, desolatos minime deseruit : quasi etenim adoptavit nos decanus in filios, ducens nos per monasteria civitatis, quærendo sanctorum reliquias et reducens ad hospitium sex diebus necessaria corporum percepturos; in quo videlicet similitudinem evangelicæ gallinæ mihi videtur exprimere, quæ pullos suos ducit et reducit, vocat et revocat, alimenta ministrat et vitam conservat : siquidem utriusque vitæ nostræ, præsentis pariter et futuræ, Pater iste custos effectus est, ministrando alimoniam corporibus et mentibus devotionem. Retribuatur ei in retributione justorum. Propriis igitur pedibus præcedens nos, feria quinta Cœnæ primo duxit ad ecclesiam Sanctæ Mariæ in Gradi- C bus, in qua ad preces ipsius de repositorio reliquiarum, grandiora ossa unius virginis accepimus. Deinde duxit nos ad ecclesiam Sancti Gereonis, in qua plus quam sexcenta corpora martyrum de legione Thebæorum in pace requiescunt. Cujus sacræ multitudinis cum aliquam portiunculam nobis conferri poposcisset, omnia sepulcra sanctorum serris ferreis ita firmata esse responderunt quod, nisi cum magno labore frangerentur, indictis prius jejuniis, nihil penitus habere potuissent; ignorantes tamen quomodo tanti nominis virum sine remuneratione sui laboris redire permisissent, ob amorem ipsius et nostri ordinis reverentiam, Deo inspirante, colloquium habuerunt; erant enim quidam inter eos qui cum sanctorum martyrum corpora D clauderentur, ob devotionem sibi portiunculas reservarent, quibus utique collectis et super altare repositis, communicatis alterutrum orationibus, dederunt nobis reliquias sancti Brandani, et sancti Trani, et de sanctis Mauris plurima et pulcherrima ossa, et hi omnes de legione Thebæorum. Inde læti admodum revertentes feria sexta in Parasceve transivimus Rhenum (61) et accepimus, ad Sanctum Heribertum in Tuicio, gloriosum munus venerabilis Patris Philippi archiepiscopi, sanctam scilicet Essentiam, inter cujus sacra ossa duæ sunt laminæ ferreæ quæ simul junctæ similitudinem cultelli exprimunt, cum quo sanctissima virgo videtur fuisse

(61) La rivière du Rinch (Rhin) *Mss. du f. de la Garde.*

occisa. Cum autem adhuc esset corpus super altare, rogavimus abbatem et monachos ut in charitate Dei de reliquiis monasterii ipsi specialiter ecclesiæ nostræ aliquam facerent portionem; qui mutuæ fraternitatis orationibus datis et acceptis, et præscripta die quo defunctorum suorum et nostrorum servitium annuatim ageretur, plurimorum martyrum et virginum reliquias suis brevibus adnotatas nobis charitate contulerunt. Assumptis igitur his sanctorum pignoribus, gaudentes gaudio magno valde ad hospitium festinavimus remeare.

Erat autem in civitate quidam paterfamilias, vir provectæ ætatis, et uxor ejus matrona quædam venerabilis; hi de proprio ære suo reædificaverant monasterium quod vetus erat et diruptum, et habebant unum integerrimum corpus unius gloriosæ virginis et martyris quod Hoio in episcopatu Leodicii mittere volebant: miles enim quidam frater hujus matronæ id eos facere rogaverat; dicebant autem et in veritate asserebant quod, licet sæpius tentatum esset, nunquam tamen illuc potuit asportari; nec dubium quin ad Grandimontem eas vellet comitari quæ se ab infantia fuerant comitatæ, ibique cum eis exspectare secundam stolam cum quibus per palmam martyrii jam acceperat primam. Igitur postquam in ecclesia Apostolorum, eodem die Parasceve, decanus qui rumores istos audierat, divina celebravit officia; profectus est ad domum senis et matronæ, et nos pariter cum eo et clerici ejus oppido rogaverunt eam, ut virginem illam quæ se alio transferri non sinebat, ecclesiæ Grandimontis in munus gratissimum et Deo acceptum, dignaretur transmittere; quæ cum diutius id facere noluisset, nobis eorum voces audientibus, sed verba nequaquam intelligentibus, tandem ipsius consilio senem audierunt, replicatisque iterum atque iterum sermonibus quos matronæ jam dixerant, nihil penitus efficere potuerunt. Tunc dixit nobis decanus: « Videte, fratres, si per vos aliquid facere poteritis, quia nos impetrare non possumus quod postulavimus. » Nos autem qui eis quasi barbari eramus, sicut et ipsi nobis, fecimus quod potuimus, projicientes nos ad pedes eorum, verba enim nostra non intelligebant, nec nos sua; quod videns matrona cœpit nos a terra sursum erigere, senex vero reversus domum ingressus est, sed nec sic potuit decani preces effugere quem non latebat Deum in petendo importunitatem amare. Secutus ergo eum in domum, promisit utrique totius ordinis orationes et in vita et in morte efficaciter possidere, quod illi pro magno habentes (operante eo qui ait: *Date et dabitur vobis* [*Luc.* VI]), allatus est liber, et sicut decanus promiserat, dedimus eis beneficium ordinis, et ipsi dederunt nobis integrum corpus virginis. Ad ecclesiam itaque cum matrona profecti, reverenter corpus accepimus, et sine difficultate aliqua cum eo recessimus læti. Sequenti vero die, hoc est Sabbato sancto Paschæ, ducens nos ad ecclesiam Apostolorum decanus dedit nobis et propria manu tradidit de scrinio in quo erant reliquiæ virginum, grandiora ossa unius corporis. Eadem die contulit nobis ipse fere duo corpora virginum quæ adeo recentissime inventa fuerant, quod necdum erant lota; quæ videlicet corpora tradidit ei ad opus nostrum quidam cellerarius cujusdam abbatiæ Cistercii, homo litteratus et religiosus valde. Hunc vos vidimus et de ore ipsius audivimus quod cum inventa fuissent ista duo corpora virginum, venit ad locum in quo jacuerat quidam dæmoniacus, et ligaverunt aliquantulam terræ illius massam super pectus ejus, et sanus factus est; unde tantam concepit lætitiam, et sensus sui recepit sospitatem, quod nunquam deinceps ad sæculum redire voluit, sed monachus fieri gestiens, quando monachus nobis ista narrabat, ipse habitum monachalem et actum in probatione devotus exspectabat. Dicebat quoque nobis monachus ille de quodam Anglico qui cum cæteris de super corporibus virginum terram ejiciebat, quod cum ventum esset ad corpora, furatus est unum parvum os quod in braccis suis ligaverit, volens illud portare in Angliam; sequenti vero nocte, cum dormiret, crus illius inflari adeo quod præ dolore evigilans, exclamavit; surgens autem quædam mulier domus, accenso igne, vidit hominem ex inflatione cruris nimium laborantem, et quærens quid hoc esset vel unde ei accidisset, confessus est se furatum fuisse unum ossellum sanctarum virginum quod in braccis ligaverat; reddidit ergo coactus quod sponte rapuerat; et facto mane, sanus factus est. Dederunt quoque nobis reliquias virginum in monasterio Sancti Pantaleonis, et in quadam novella ædificatione monachorum, et acceperunt a nobis orationum munus et nos ab eis.

Collectis igitur reliquiis virginum et martyrum quas ad interventum et liberalitatem eorum quos prætaxavimus habere potuimus; et in lagenis honestissime repositis ac firmatis, cum benedictione archiepiscopi et ejus serviente, qui nos procuravit et duxit quantum voluimus, secunda feria post Resurrectionem Domini iter arripuimus redeundi. Cæterum propter honorem reliquiarum et gratiam quam in conspectu ejus nobis contulerat Deus, egressus est nobiscum de civitate venerabilis Armanus decanus, exhibens nobis suæ dignationis gratissimam familiaritatem usque ad unum fere milliarium; porro unumquemque nostrum illic amplectens et osculans recessit a nobis corporaliter, spiritualiter nunquam recessurus. Nos vero per dietas nostras cum nostro felici commercio feliciter venimus ad cellulam nostram de Brondello (62). Præterimus autem sub silentio bona, honores, et consolationes quibus in progressu et regressu nostro ex Dei beneficio usi sumus, ne forte alicui videatur incredibile vel arrogantia invidorum acies dictum

(62) La Celle de Bronzeau, monastère de l'ordre de Grandmont, situé sur la paroisse de Saint-Léger-Magnareix (Haute-Vienne). TEXIER.

fuisse causetur; tantum scripto commendare voluimus quæ simpliciter exprimerent qualiter tanta reliquiarum copia ad Grandimontem potuit pervenire, quatenus sola divina dispositione (sicut revera manifestum est) id actum fuisse credatur. De Brondello itaque misimus litteras Patri nostro priori et fratribus in hunc modum.

Epistola ad fratres.

Meritis et intercessionibus sanctarum virginum et vestræ devotionis obtentu prosperum nobis Deus contulit iter in eundo et redeundo; revertimur itaque læti et divites valde; reportamus enim nobiscum de thesauro Regis æterni septem pretiosissimas margaritas, hoc est septem virgines gloriosas, quarum una dicitur sancta Albina virgo et martyr, altera sancta Essentia similiter virgo et martyr, altera sancta Panafreta virgo et martyr, altera sancta Secunda virgo et martyr; aliarum nomina ignoramus, novit autem earum Sponsus.

Habemus et reliquias martyrum plurimorum, et caput sanctæ Anathaliæ virginis et martyris quod capillis tegitur et signo martyrii decoratur; habemus et aliud caput unius gloriosæ virginis et martyris, in quo capillorum tricæ cernuntur et in fronte signum martyrii, securis scilicet ictus. Habemus et aliarum virginum reliquias quæ singulis ecclesiis ordinis nostri per portiones dividentur; sic enim nobis jussum est. Quanto igitur honore, quanto gaudio, quantaque reverentia, cœlestis Regis exenia a vobis suscipienda sunt et reservanda, vestra poterit judicare prudentia : cras enim ante horam tertiam venient ad vos dominæ nostræ, si Deus voluerit.

Adhuc litteræ legebantur, cum Dei omnipotentis nutu venit venerabilis Pater Saibrandus Lemovicensis episcopus, et vere divinæ dispositionis fuit hujus excellentissimi Patris adventus ; non enim proposuerat in Grandimonte nocte illa quiescere, sed continuo recessurus tantummodo priorem et fratres videre volebat; revertebatur namque a rege Angliæ et filio ejus comite Pictaviensi, in quorum gratiam honorifice redierat, a distantia quam cum eo pro episcopatu habuerat. Audiens autem Christi virgines suam jam intrasse diœcesim, lætus effectus est, et legens in litteris sequenti die ad Gran-

A dimontem eas esse venturas, credidit Deum velle ut eis ipse obviam procederet, et remansit. Mane itaque facto, indutus pontificalibus indumentis, cum priore et solemni processione fratrum egressus est in occursum virginibus; præcedebat crux Domini, incensa in thuribulis redolebant, ferebantur ardentes cerei, populi flebant, cantabant clerici, et resonabat terra in voces illorum. Quarto igitur Kalendas Maii, honore debito, suscipientes reliquias virginum et martyrum devotione et humilitate mirabili portaverunt eas usque in ecclesiam Beatæ Mariæ semper Virginis, etc.

—

B PHILIPPUS, *miseratione divina archiepiscopus Coloniæ, princeps elector Romani imperii et Italiæ cancellarius, ad fratres Grandimontenses.*

PHILIPPUS, Dei gratia, sanctæ Ecclesiæ coloniæ humilis minister, venerabilibus in Christo fratribus GUILLERMO priori et toti conventui de Grandimonte salutem et dilatatam in Christo dilectionem.

Fratres vestros latores præsentium cum litteris vestris libenter et cum cordis alacritate suscepimus tanquam in vobis et in ordine vestro spem firmam et fiduciam magnam ponentes; ut nos qui in hujus sæculi fluctibus navigamus facientes in hoc mari magno operationes multas, vestrarum suffragiis orationum, gubernatore Patre misericordiarum, ad portum salutis clementer perducamur; ut sic per

C Mariæ vigilantiam Marthæ administratio adjuvetur. In fœdus autem et pactum firmæ familiaritatis et dilectionis inter nos et vos ad invicem servandæ, petitioni vestræ libentissime acquievimus, fraterne partientes vobis thesaurum Ecclesiæ nostræ, et quod vix alicui imperatorum vel regum fecissemus, vestræ charitati cum prona voluntate impendimus, assignantes vobis reliquiarum sacratissimarum pulchram et honestam portionem : in remunerationem itaque nostræ devotionis rependatis nobis vestrarum orationum participationem, et in plenam fraternitatem vestram nos recipiatis, ut operum bonorum et orationum vestrarum consortes et participes fieri mereamur; et nos hoc a vestra dilectione pro gratissimo munere et super aurum et topazion pretiosum acceptabimus.

—

Itinerarium superius transcriptum ex tribus manuscriptis codicibus bibliothecæ Grandimontensis, collatum cum iis fuit per me infra scriptum, reverendissimi domini D. abbatis, ac totius ordinis Grandimontensis præpositi generalis secretarium, cum quibus concordat. In cujus rei fidem subscripsit ipse reverendissimus, Grandimonte die decima sexta Maii, anno Domini millesimo sexcentesimo secundo.

DE LA MARCHE, Abbas Grandimontis.

De mandato, D. Ant. DESTHÈVES.

CIRCA ANNUM DOMINI MCXCII

ERMENGAUDUS

NOTITIA

(FABRIC., *Biblioth. med. et inf. Lat.*, II, 107.)

Ermengardus, sive Ermengaudus, scriptor sæc. XII vel XIII. Hujus opusculum *contra Waldenses* (1) extrema parte mutilum et XIX tantum ejus capita vulgavit Jacobus Gretserus Ingolstad. 1614. 4, cum Bernardo abbate Fontis Calidi et Ebrardo Bethuniensi; inde recusa hæc trias scriptorum Anti-Waldensium in Bibliothecis Patrum Parisiensi anno 1644-1655, tomo IV, et Lugdunensi anno 1777, t. XXIV. Debet etiam iterum comparere inter Gretseri Opera, tomo XII.

(1) Pamelius, in Cypriani epist. 63.

INCIPIT

OPUSCULUM ERMENGAUDI

CONTRA HÆRETICOS

Qui dicunt et credunt mundum istum et omnia visibilia non esse a Deo facta, sed a diabolo.

Opp. GRETSERI, t. XII p. 223.)

CAPUT PRIMUM.

Deum esse rerum omnium creatorem

Hæretici dicunt et credunt mundum istum, et omnia quæ in eo videntur, videlicet, cœlum, quod videmus, et solem, et lunam, et stellas, et terram, et omnia animalia, et homines, et ea quæ in ea videntur, mare et pisces, et omnia quæ in eo videntur vel sunt, dicunt in absconditis suis, ab omnipotenti Deo non esse facta, sed a principe malignorum spirituum. Quibus hæreticis, et eorum isti malitioso errori plurimæ Novi Testamenti auctoritates sunt contrariæ.

Habetur in Evangelio B. Joannis, qui contra hæreticos talem errorem affirmantes scripsit, dicens: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum: Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil (*Joan.* I). » In hoc manifestum est quod Deus omnipotens, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, creavit et fecit omnia visibilia et invisibilia, ut B. apostolus Paulus in Epistola ad A Hebræos testatur, dicens: « Fide intelligimus sæcula aptata esse Verbo Dei (*Hebr.* XI). » Item in eadem Epistola: « Qui omnia creavit, Deus est (*Hebr.* III). » Item, in Actibus apostolorum invenitur, quod omnes apostoli et discipuli in unum congregati vocem suam unanimiter levaverunt, dicentes: « Domine Deus, tu, qui fecisti cœlum et terram, et mare, et omnia, quæ in eis sunt, etc. » (*Act.* XIV.) Item, quod Joannes in Apocalypsi dicit: « Et angelus, quem vidi stantem supra mare, et super terram, levavit manum suam ad cœlum, et juravit per viventem in sæcula sæculorum, qui creavit cœlum et terram, et omnia, quæ in eis sunt, » etc. (*Apoc.* X.) Item in eodem: « Timete Dominum, et date illi honorem; quia venit hora judicii B ejus; et adorate eum, qui fecit cœlum et terram, mare, et omnia quæ in eis sunt, et fontes aquarum (*Apoc.* XIV). » Item Paulus in Epistola ad Hebræos dixit: « Et tu in principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli (*Hebr.* II). » Item in Evangelio secundum Matthæum:

« Confiteor tibi, pater cœli et terræ, » etc. (*Matth.* XI.) Item Joannes de eodem : « Et mundus per ipsum factus est, » etc. (*Joan.* I.)

Et istæ auctoritates Novi Testamenti vobis sufficiant, quamvis multæ auctoritates in Novo et Veteri Testamento, et in prophetis eadem testificantes, quod Deus creavit et fecit omnia visibilia et invisibilia, inveniantur. Item in Actibus apostolorum Paulus et Barnabas : « Viri fratres, annuntiamus vobis, ab his vanis converti ad Deum vivum et verum, qui fecit cœlum et terram, et omnia, quæ in eis sunt, dans pluvias de cœlo, et tempora fructifera, implens cibo et lætitia corda vestra (*Act.* XIV). »

CAPUT II.

Non esse duos deos

Hoc quod hæretici dicunt, duos esse deos, unum omnipotentem, et alium malignum, contra omnem divinam Scripturam sentiunt. Quia omnis Scriptura divinitus inspirata Novi et Veteris Testamenti, et omnium prophetarum, unum Deum solummodo affirmat. Dicit enim B. Paulus in Epistola ad Ephesios : « Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus est Deus et Pater omnium, qui est super omnia, et in omnibus nobis (*Ephes.* IV). » Item Marcus in Evangelio : « Quidam de Scribis interrogavit Dominum Jesum quod esset omnium primum mandatum ; Jesus autem respondit ei : Quia primum omnium mandatum est : Audi Israel : Deus tuus, Deus unus est. Et secundum : Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, etc. Et ait illi Scriba : Bene, magister, in veritate dixisti, quia unus est Deus, et non est alius præter eum (*Marc.* XII). »

CAPUT III.

Legem Mosaicam a vero Deo datam et latam.

Dicunt hæretici : « Legem Moysi quam Veterem dicimus, ab omnipotenti Deo non esse datam ; sed a principe malignorum spirituum. » Cui errori plurimæ auctoritates divinarum Scripturarum contradicunt. Dicit enim Dominus in Evangelio secundum Matthæum : « Nolite putare quia veni solvere legem, aut prophetas, non veni solvere, sed adimplere (*Matth.* V). » Ipse, qui Filius Dei est, si lex a diabolo data fuisset, non dixisset se eam adimplere, imo destrueret. Item, secundum Lucam : « Postquam consummati sunt dies purgationis Mariæ, secundum legem Moysi tulerunt illum in Hierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini, etc., et ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini (*Luc.* II). » Et iterum : « Et ut peracta sunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam in civitatem suam Nazareth (*ibid.*). » Et hoc certum est, et sine omni dubitatione, Christum, qui verus Deus, et verus homo est, non consentiret diabolicæ legis præcepta in se servari, vel impleri.

Item in Evangelio secundum Joannem Dominus dicit : « Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem : est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi, de me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis ? » (*Joan.* V.) Ac si dicat : Qui non credit verba veteris legis, et in fide sua non recipit, verba Evangelii ad suam salutem credere, vel recipere non potest. Item in Evangelio secundum Lucam : Dominus cuidam legisperito, se interroganti, quid facere deberet ut vitam possideret æternam, quærens ab eo quid esset scriptum in lege, ille peritus respondens dixit ei : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua, et proximum tuum sicut te ipsum : dixitque illi : Recte respondisti ; hoc fac et vives (*Luc.* X). » Si enim lex Moysi a Deo data non fuisset, nunquam Christus pro ea observanda vitam promisisset. Item in eodem Dominus testatur : « Habent Moysen et prophetas ; audiant illos, » etc. (*Luc.* XVI.) In hoc apparet quod observatio legis et prophetarum non permittit hominem ire ad pœnarum loca inferni.

Item in eodem, cum Christus resurrexisset a mortuis, duobus discipulis euntibus in castellum Emmaus, apparens legem testificans dixit : « Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam ? Et incipiens a Moyse, et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant (*Luc.* XXIV). » Si enim lex data esset a diabolo Moysi, nunquam Christus suis discipulis doceret, et interpretaretur. Item in eodem ipsa Veritas dixit : « Quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi et prophetis, et psalmis de me (*ibid.*). » Item in Evangelio secundum Matthæum, Dominus Pharisæis quærentibus quare discipuli ejus traditiones seniorum transgrederentur, dicit : « Quare et vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram ? Nam Deus dixit : Honora patrem tuum et matrem tuam ; et quicunque maledixerit patri vel matri, morte moriatur (*Matth.* XV). » Et certum est hoc testimonium de lege Moysi. Et Christus dixit hoc testimonium a Deo esse dictum et datum ; ergo lex a Deo data est.

Item in Actibus apostolorum Paulus ait : « Annuntio vobis Deum, qui fecit cœlum et mundum, et omnia quæ in eo sunt : hic cœli et terræ cum sit Dominus (*Act.* XVII). » Idem Paulus in eodem (lib.) excusat se adversus Judæos, de his de quibus accusabatur ante Felicem præsidem Cæsareæ, dicens : « Confiteor hoc tibi, quod secundum sectam, quam Judæi dicunt hæresim, sic deservio Deo meo Patri, credens omnibus quæ in lege et prophetis scripta sunt (*Act.* XXIV). » Item Paulus in Epistola ad Romanos : « An ignoras, » dicit : « lex peccatum est ? Absit ! Lex quidem sancta et bona, et mandatum sanctum, et justum, et bonum (*Rom.* VII). »

CAPUT IV.

Moysen non fuisse magum.

Item sunt quidam hæretici qui Moysen magum fuisse asserunt, et omnipotentem Deum non ei fuisse locutum, nec ei dedisse legem. Contra quem errorem Paulus in Epistola ad Hebræos scripsit dicens : « Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio (*Hebr.* I). » Sed Moyses est unus ex prophetis quibus Deus locutus est. Dicitur et « fidelis in domo (*Num.* XII), » cui Deus locutus est. Item in eadem : « Omnis namque domus fabricatur ab aliquo; qui autem omnia creavit, Deus est. Et Moyses quidem fidelis erat, in tota domo ejus, tanquam famulus, in testimonium eorum verborum quæ dicenda erant, Christus vero tanquam filius in domo sua : quæ domus, sumus nos, si fiduciam, et gloriam spei, usque ad finem firmam retineamus (*Hebr.* III). » Apostolus vero non eum esse magum, sed fidelem in domo Dei esse famulum testatur.

Item Moyses in multis Scripturis Novi et Veteris Testamenti ac prophetarum, amicus et fidelis Dei dicitur. Sic B. Paulus in Epistola ab Hebræos de eo commemoravit dicens : « Fide Moyses grandis factus negavit se esse filium Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi. Aspiciebat enim in Dei remunerationem (*Hebr.* XI). » Ex quibus apparet certissime, quoniam B. Paulus de Moyse, et de lege Moysi, et de Deo Hebræorum non diffidebat : sed Moysen et sanctum, et bonum, et legem sanctam et bonam, et Deum Hebræorum omnipotentem Deum asserebat, et corde credebat.

CAPUT V.

Matrimonium esse licitum.

Hæretici secundum Tatianum hæreticum, qui matrimonium damnabat omne, matrimonium maris et feminæ ad invicem commiscentes, nullo modo posse salvari dicunt et credunt. Sed huic errori multa testimonia divinarum Scripturarum Novi et Veteris Testamenti sunt contraria.

Habetur in Evangelio secundum Matthæum quod Dominum Pharisæi interrogaverunt dicentes : « Si licet homini dimittere uxorem suam, quacunque ex causa? Qui respondens, ait eis : Non legistis, quia, qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos, et dixit : Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet (*Matth.* XIX). » Sed Christus ad hoc venit in hunc mundum ut hominem ab omni malo separet, et feminam similiter. Sed omne quod impedit hominem a vita æterna, malum est, sed, si malum esset (uti) matrimonio, nunquam prohiberet Christus separari; nec etiam consentiret, qui in nullum malum consensit. Item in Marco de eodem : « Ab A initio autem creaturæ, masculum et feminam fecit eos Deus, » etc. (*Marc.* X.) Item in Luca : « Fuit in diebus Herodis regis Judææ sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia, etc. Erant autem ambo justi ante Dominum, incedentes in omnibus mandatis et justificationibus Domini sine querela (*Luc.* I). » Sequitur itaque: quoniam justi erant, salvabuntur. « Et non erat filius illis; eo quod Elisabeth esset sterilis, et ambo processissent in diebus suis (*ibid.*). » Et etiam notandum quod non stetit per virum, quod non haberet filium : sed per mulierem, quia sterilis erat. « Et angelus Domini apparens Zachariæ in templo, dixit ei : Ne timeas, Zacharia : quia exaudita est oratio tua. Uxor enim tua pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joan- B nem, etc. Erit enim magnus coram Domino; et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ (*ibid.*). » Item : « Unde hoc sciam? Ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis (*ibid.*). » Et nota, quia hoc dixit, non credens verbis angeli propter uxoris senectutem, quia ipsa præcesserat conceptivam ætatem. Item : « Innuebant patri ejus, quem vellet vocari eum (*ibid.*). » Evangelista non vocaret eum patrem, nisi haberet filium. Nemo enim potest esse pater naturalis, nisi filium naturalem habeat. Item : « Zacharias pater ejus impletus est Spiritu sancto (*ibid.*). » Ecce trina paternitatis affirmatio. Et Evangelium non aufert eis, quin sint justi ambo ante Dominum pro generatione C filii, si incedant in omnibus mandatis Domini nec in Veteri Testamento, nec in Novo.

Item in Epistola ad Corinthios Apostolus dans consilium fidelibus Christianis, dixit : « Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque virum suum. Vir uxori debitum reddat; similiter et uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi (*I Cor.* VII). » Id est, nolite continere, altero nolente. Item in eodem : « Dico autem non nuptis, sed viduis : Bonum est illis si sic permanserint, sicut ego; quod si non continent, nubant : melius est enim nubere, quam uri. His autem, qui D matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari (*ibid.*). » Item sequitur : « Si quis ergo uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam, etc. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, » et e converso : « alioqui filii vestri immundi essent. Nunc autem mundi sunt (*ibid.*). » Non credidit Apostolus virum et uxorem, si sunt fideles, pro redditione maritalis debiti amittere suam sanctitatem, si cætera eorum opera sint bona.

Item Apostolus in eadem : « Si acceperis uxorem, non peccasti : et, si nupserit virgo, non peccavit. » (*Ibid.*) Idem in eadem Apostolus ait : « Qui ma-

trimonio jungit virginem suam, bene facit : et qui non jungit, melius facit (*ibid.*). » Hæc præcepta supradicta Apostolus suis discipulis non daret, et hæc verba eis non scriberet, si propter hoc conjugale factum crederet eos esse damnandos.

Item Apostolus in Epistola ad Timotheum : « Spiritus manifeste dicit quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum; in hypocrisi loquentium mendacium, prohibentium nubere (*I Tim.* IV). » Et nota quod Spiritus sanctus aperte manifestavit quosdam de fide discedere, et eos (doctrinis) dæmoniorum adhærere, mendacium in hypocrisi loqui. Et illi tales nubere prohibent. Item in eadem Apostolus : « Volo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia (*I Tim.* V). » Et nota quod Apostolus non credidit pro hoc facto esse aliquam damnationis occasionem conjugatis.

Item habemus in Epistola I B. Petri. B. vero Petrus apostolus, qui princeps omnium apostolorum a Deo constitutus fuit, et etiam totius Ecclesiæ caput, ut in Evangelio Christus ait : « Tu vocaberis Cephas, » et in eodem : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam (*Matth.* XVI), » postquam viris, fidelibus Christianis doctrinam suam scripsisset, scripsit mulieribus, qualiter propriis viris suis subjectæ essent, humilitatem servantes et modestiam, dicens : « Similiter et mulieres subditæ sint viris suis; ut et, si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, etc., sic enim aliquando sanctæ mulieres, sperantes in Deo, ornabant se suis viris, sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans, cujus estis filiæ, benefacientes, » etc. (*I Petr.* III). Hic innuit B. Petrus viros ab uxoribus et uxores a viris non discedere; quia Abraham a Sara, uxore sua, non discessit, nisi per mortem : sed, nutu Dei cognovit eam, et filium genuit, sicut Elcana Annam, et Joachim Susannam.

Item B. Paulus in Epistola ad Corinthios : « Volo vos scire quod omnis viri caput est Christus, caput autem mulieris est vir, caput vero Christi est Deus. Non vir ex muliere, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Verumtamen, neque vir sine muliere, neque mulier sine viro, in Domino (*I Cor.* XI). »

Item habetur secundum Joannem (cap. II) quod Salvator noster, et Mater ejus, et discipuli ejus vocati venerunt ad nuptias, et in iisdem nuptiis initium signorum suorum coram discipulis suis fecit, scilicet de aqua vinum. Propter hoc certissimum est nuptias esse bonas, quia non est credendum, nisi bonæ essent, Christum venisse : nec tantum (quia) miraculum [dicitur] in eis fecisse. Item Paulus in Epist. ad Corinth. : « Mulier alligata est lege viri, quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est a lege viri; et cui vult, nubat, tantum in Domino (*I Cor.* VII). » Item Paulus ad Timotheum : « Salvabitur mulier per generationem filiorum, si permanserit in fide, et dilectione, et sanctificatione, et sobrietate (*I Tim.* II). »

CAPUT VI.

Conceptionem et nativitatem Joannis Baptistæ a bono angelo annuntiatam esse.

Item Joannem Baptistam non a bono angelo, sed a dæmoniaco nuntiatum fuisse. Nec bonum eum esse credunt. Sed contra hunc errorem multa in Evangeliis testimonia inveniuntur, ut in Evangelio B. Joannes scripsit : « Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, » etc. (*Joan.* I.) Item idem in eodem testatus est de Christo : « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi (*ibid.*). » Item testimonium Joannes perhibuit de Christo : « Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum Dei descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto, » etc. (*Ibid.*) Item in eodem : « Qui habet sponsam, sponsus est : amicus autem sponsi, qui stat, et audit cum gaudio, gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est (*Joan.* III). » Item in Evangelio secundum Matthæum Christus ipsum Joannem Baptistam commendat, dicens : « Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista (*Matth.* XI). » Item : « Quid existis in desertum videre? Prophetam? Dico vobis, et plus quam prophetam. Hic est enim de quo scriptum est : Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam meam ante te (*ibid.*). » Qui de Joanne sentit malum, vel perverse, contra Christum, et contra apostolos, et contra catholicam fidem est.

Habemus in Evangelio quod ipse Joannes Baptista in flumine Jordanis Christum baptizavit, et Spiritum sanctum in specie columbæ super eum descendentem vidit, et cœlos apertos, et vocem Patris dicentis : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (*Matth.* IV). » Si ipse esset a maligno spiritu nuntiatus, ut hæretici dicunt, nunquam Christus ab eo se permitteret baptizari : nec tantum sacramentum ab eo vellet initiari. Item in Matthæo, ipse Christus eum approbat dicens Pharisæis : « Amen, amen dico vobis, quia publicani et meretrices præcedunt vos in regnum Dei. Venit enim Joannes Baptista ad vos in via justitiæ, et non credidistis ei : publicani et peccatores et meretrices crediderunt ei. Vos autem eum videntes, nec pœnitentiam habuistis postea, ut crederetis ei (*Matth.* XXI). Ecce Christus de Joanne Baptista asseverat dicens quod in viam justitiæ, in qua itur ad regnum Dei, ipse Joannes in ea ambulabat, et eam prædicabat. Quod non ageret, si malignus vel a maligno spiritu fuisset nuntiatus. Item in Evangelio secundum Joannem de commendatione Joannis Baptistæ : « Vos misistis ad Joannem : ipse testimo-

nium veritati perhibet. Ego autem non ab homine A testimonium accipio; sed, hoc dico, ut vos salvi sitis: Ille erat lucerna ardens et lucens. Voluistis autem vos exsultare ad horam in luce ejus (*Joan.* v). »

CAPUT VII.

De Christi incarnatione, nativitate, passione, morte, resurrectione, et num vere manducaverit ac biberit.

De incarnatione Christi sunt quidam hæretici: inter istos Condomanam hæresim sequentes, qui dicunt « Christum non ex femina natum; nec habuisse veram carnem, nec vere mortuum; nec quidquam passum: sed simulasse passionem. Nec credunt eum manducasse, nec bibisse; et quasi phantasticum corpus habuisse; nec eum resurrexisse. »

Contra hunc errorem hæreticorum eorum qui non credunt Christum de virgine femina fuisse natum, destruendum, testimonium habemus in Matthæo: « Cum natus esset Jesus in Bethlehem Judæ (*Matth.* II). » Idem in eodem. « Apparuit angelus Domini in somnis Joseph, dicens: Surge et accipe puerum cum Maria matre ejus, » etc. (*Ibid.*) Item in Evangelio secundum Lucam: « Ascendit autem Joseph a Galilæa in Bethlehem civitatem, ut profiteretur ibi cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. Et impleti sunt dies, ut pareret; et peperit filium suum primogenitum, etc. » (*Luc.* II.) Item in eodem angelus Domini nativitatem pastoribus nuntiavit, dicens: « Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Et hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio (*ibid.*). » Item in eodem: « Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus: quod vocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur (*ibid.*). » Item in eodem: « Cum factus esset Jesus annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam, secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Jesus in Hierusalem; et non cognoverunt parentes ejus, etc. Et Jesus proficiebat ætate et gratia, et Spiritu sancto apud Deum, et homines (*ibid.*). Item in Epistola ad Galatas, Paulo attestante, Christum natum fuisse ex muliere, cum dixit: « At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret (*Galat.* IV). »

Habemus etiam plura testimonia de Christi conceptione, nativitate, circumcisione, pueritia, ætate, adolescentia. Item Joannes de nativitate: « Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni, ut testimonium perhibeam veritati (*Joan.* XVIII). »

De incarnatione Christi testimonia adversus hæreticos, qui non credunt Christum habuisse veram carnem, sed aerium corpus eum assumpsisse.

Sed contra hunc errorem Joannes Evangelium suum scripsit, dicens: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, etc. Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I). » Idem in eodem; « Judæi rogaverunt Pilatum, quoniam Parasceve erat, ut non remanerent corpora in cruce Sabbato, etc., ut eorum crura frangerentur. Et milites quidem primi fregerunt crura, et alterius, qui crucifixus est cum eo; ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit; et continuo B exivit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit; et verum est testimonium ejus (*Joan.* XIX). » Et Joannes in Epistola I dicit: « Omnis spiritus qui confitetur Jesum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est, » id est negat eum carnalem esse hominem (2). « Et hic est Antichristus (*I Joan.* IV). » Idem in eadem: « Et scimus quoniam Filius Dei venit, et induit carnem pro nobis, et mortuus est, et resurrexit a mortuis, pro nobis (*ibid.*). » Item idem Joannes in secunda Epistola: « Jam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum in carne venisse. Hic est seductor et Antichristus. Omnis, qui recedit, C et non manet in doctrina Christi, Deum non habet. Qui permanet in doctrina, » hoc est, in fide apostolica, » hic et Patrem et Filium habet. Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, sed Jesum Christum in carne venisse negat, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dicatis. Qui enim dicit illi, Ave, communicat operibus illius malignis (*I Joan.* 9-11). »

Item Paulus in Epistola ad Romanos: « Quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei, » etc. (*Rom.* I.) Item Petrus in Epistola prima: « Christo ergo passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini, quia qui passus est in carne, D desiit a peccatis (*I Petr.* IV). »

Item contra eosdem hæreticos qui non credunt Christum passum, nec fuisse mortuum: contra hunc errorem Matthæus in Evangelio scripsit dicens: « Jesum flagellatum Pilatus tradidit Judæis, ut crucifigeretur: tunc milites præsidis suscipientes Jesum in prætorio, exuentes eum chlamydem coccineam circumdederunt ei, et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, et arundinem in dextera ejus, » etc. Item in eodem: « Tum crucifixerunt eum, » etc. Item in eodem: « Tunc unus militum, accepta lancea, punxit latus ejus, et exivit sanguis et aqua (*Matth.* XXVII). » Hæc de

(2) Id est ex carne vera compositum.

Christi passione et ejus morte. Cæteri evangelistæ in Evangeliis suis hæc eadem testificantur. Item in Actibus apostolorum : « Petrus stans cum omnibus apostolis inter Judæos, dixit : Viri Israelitæ, audite verba hæc : Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo, verbis, virtutibus, prodigiis et signis, quæ fecit per illum Deus in medio vestri, sicut vos scitis : hunc definito consilio, et præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis ; quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni (*Act.* II). » Et hoc testimonium (est) de passione, et morte Christi, et etiam de resurrectione, quod omnes apostoli in eodem loco manentes testificati sunt.

Item Petrus de passione Christi in Epistola I : « Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, etc. Cum pateretur, non comminabatur ; qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, cujus morte sanati sumus (*I Petr.* II). » Item Paulus in Epistola ad Romanos de morte ejus dixit : « Quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est (*Rom.* V). » Idem in eadem : « Christus Jesus, qui pro nobis mortuus est, imo qui et resurrexit (*Rom.* VIII) ; » et de his plura testimonia habentur.

De Christi resurrectione contra hæreticos qui non credunt Christum resurrexisse a mortuis, Matthæus in Evangelio de resurrectione Christi dicit : « Angelus dixit mulieribus : Nolite timere ; scio quod Jesum qui crucifixus est quæritis. Non est hic ; surrexit, sicut dixit (*Matth.* XXVIII). » Hoc idem testantur Marcus et Lucas in Evangeliis suis. Item Joannes in Evangelio dicit : « Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Ille autem dicebat de templo corporis sui. Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli ejus, quia hoc dicebat, » etc. (*Joan.* II.) Item in Evangelio secundum Lucam, humanam carnem Christum habere, testimonium affirmans : « Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum ; palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes (*Luc.* XXIV). » Item Joannes in Evangelio de carnis resurrectione : « Venit Jesus, januis clausis, et stetit in medio discipulorum suorum, et dixit eis : Pax vobis. Deinde dicit Thomæ : Infer digitum tuum huc, et vide manus meas ; et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis (*Joan.* XX). »

Sunt quidam hæreticorum qui non credunt quod Christus manducavit et bibit, dum cum suis discipulis manebat ante passionem. Sed contra hunc errorem destruendum habemus in Evangelio secundum Matthæum testimonium quod ipse Christus, qui est Veritas, protulit, dicens : « Venit enim Joannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum, et dicunt : Dæmonium habet. Venit A Filius hominis manducans et bibens, et dicunt : Ecce homo vorax, et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus (*Matth.* X). » Item Lucas in Evangelio testimonium perhibet quod ipse manducavit, dicens : « Rogabat autem quidam de Pharisæis, ut manducaret cum illo (*Luc.* VII). » Certissimum est eum manducasse ; aliter non invitaretur ab aliquo ad manducandum.

Item in eodem Lucas : « Rogavit quidam Pharisæus ut pranderet apud se ; et ingressus recubuit (*Luc.* XI). » Idem in eodem testatur : « Et factum est, cum intrasset Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum manducavit panem. » Item Joannes in Evangelio : « Rabbi, manduca (*Joan.* IV). » Hoc dixerunt ei discipuli sui, cum venissent a Samaria, B afferentes cibos, quos emerant, etc. Si aliquis objiciat eum illis dixisse : « Habeo alium cibum manducare quem vos nescitis (*ibid.*), » verum est, quia ipse Christus duobus cibis utebatur, scilicet carnali et spirituali, hoc, de spirituali dixit. Nec enim minus est credendum, quod cæteri evangelistæ testantur, eum usum fuisse cibo temporali.

Item in Evangelio secundum Matthæum, quando interrogaverunt eum discipuli dicentes : « Ubi vis paremus tibi comedere Pascha ? (*Matth.* XXVI) » dixerunt, « tibi, » non, sibi « parare Pascha ; » quod certificat eum manducasse cibum temporalem, dum erat cum illis. Item in eodem testimonium C (est) quod ipse Christus dixit : « Qui intingit mecum manum in paropsidem, hic me tradet (*ibid.*) » Non est credendum quod ipse Christus manum in paropsidem intingeret, nisi manducaret. Hoc idem Marcus et Lucas testificantur in Evangeliis suis. Hæc testimonia sunt de Christi comestione antequam pateretur.

Post passionem vero suam testatur Lucas in Evangelio eum coram discipulis suis manducasse, dicens : « Habetis hic aliquid quod manducetur ? At illi obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias, dedit eis (*Luc.* XXIV). » Ibidem Lucas in Actibus apostolorum testatur dicens : « Et convescens præcepit eis, ab Hierosolymis ne discede- D rent (*Act.* I). » Et ita certissimum est ac firmum, Christum, antequam pateretur, omnibus actibus humanis uti, ut Paulus in Epistola ad Philipp. testatur dicens : « Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo, humiliavit semetipsum usque ad mortem (*Philipp.* IV). » Et ista de Christi humanitate sufficiant.

CAPUT VIII.

De ecclesiis manufactis.

De ecclesiasticorum institutionibus in Veteri Testamento legitur quod Dominus Moysi tabernaculum non manufactum in monte ostendit dicens : « Vade,

et fac tabernaculum non manufactum simile huic, in quo habitem inter illos, quando loquar ad te: in quo offerantur a sacerdotibus dona, et libamina, et sacrificia, et hostiæ et oblationes allatæ a populo Israelitico. »

Tunc Moyses secundum præceptum Domini fideliter peregit. Et post Moysen, quando populus Israel intravit terram promissionis, detulit illud secum in Silo, in quo erat arca testamenti, intra quam erat urna aurea continens manna, et tabulæ testamenti, et virga Aaron, quæ fronduerat.

Deinde post multum tempus, Salomon filius David, jussu Domini ædificavit templum manufactum in Hierusalem; in quo omnis populus Israeliticus ad adorandum et sacrificandum conveniebat: sicut et patres eorum in priori tabernaculo venire consueverant: ita observantes legalia præcepta Dominica, usque ad adventum Christi.

Veniens autem Christus, nolens destruere legem, sed adimplere, a suis parentibus voluit in eo præsentari, et secundum legem datam a Deo, sicut mos erat offerri. Invenitur post hoc eum venisse in templum in adolescentia cum parentibus suis, cum XII esset annorum (*Luc.* II). Post triginta vero annos suæ ætatis, venit Hierusalem, ut invenitur in Evangelio secundum Matthæum, « et intravit in templum, et omnes ementes et vendentes ejecit de templo, dicens: Domus mea, domus orationis vocabitur (*Matth.* XXI); » nam et ipse Christus testificatus est templum « domum Dei esse (et) orationis. » Item Marcus idem testimonium iisdem verbis protulit in Evangelio suo (cap. XI); et etiam prohibebat ne quisquam ferret vas per templum. Item Lucas his verbis testatur in Evangelio suo. Item Joannes in Evangelio suo scripsit, dicens: « Et Jesus invenit in templo vendentes boves et oves, et columbas, etc. » (*Joan.* II.)

Invenitur in Evangeliis quod Christus multoties venit in templum, ibique docebat populum; et in eo multa signa et miracula in curationibus infirmorum faciebat, ut Matthæus evangelista narrat: « Et accesserunt ad Jesum cæci et claudi, et sanavit eos (*Matth.* XXI). » Habemus et in Evangeliis, dum Jesus prædicando perambulasset civitates Israeliticas, intrabat potius synagogas Judæorum, ibique docens populum de regno Dei, et in eis multa signa et mirabilia peragebat, ut dicitur in Matthæo: « Et circuibat Jesus civitates omnes et castella, docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium, et curans omnem languorem et omnem infirmitatem (*Matth.* IX). » Item in Evangelio Matthæi ipsemet testatur dicens vobis: « Quotidie apud vos sedebam docens in templo (*Matth.* XXVI). » Iisdem verbis testatur Joannes in Evangelio suo: « Ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes Judæi conveniunt; et in occulto locutus sum nihil (*Joan.* XVIII). »

Si objicitis nobis quod sæpius prædicabat in aliis locis quam in templis vel synagogis, verum est; sed propter turbarum multitudinem ad se venientium, ne essent impedimento ministris templi et synagogarum, ne minus redderent vota sua, et ea quæ sibi injuncta erant, in montibus et in aliis locis discedebat.

Post Ascensionem vero ejus, discipuli, Christum Magistrum suum et Salvatorem imitari cupientes, quandiu in Hierusalem morarentur, quotidie in templum orare veniebant, ut in Actibus apostolorum invenitur: « Quotidie erant apostoli perdurantes et orantes unanimiter in templo (*Act.* II). » Et iterum: « Petrus et Joannes ascendebant in templum, ut orarent, ad horam orationis nonam (*Act.* III). » Item in eodem, cum Annas princeps sacerdotum, et omnes qui cum illo erant, injecerunt manus in apostolos, et posuerunt illos in custodia publica: « Angelus autem Domini per noctem aperiens januas carceris, et educens eos, dixit: Ite, et stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ hujus (*ibid.*). » Unde habuit initium domus orationis manufacta, quam nos ecclesiam vocamus.

Cum apostoli et eorum discipuli ab Hierusalem essent expulsi, et per diversas mundi partes, Dei voluntate, fuissent dispersi, et in civitatibus universis Judæorum vidissent ædificia synagogarum, transeuntes ad gentes, diversorum templa idolorum intra civitates eorum invenientes, in quibus sua vota et sua sacrificia dæmoniorum idolis offerentes, et ad hæc persolvenda assidue erant convenientes: inierunt apostoli consilium a Spiritu sancto, ut a tanto errore et maleficio facilius possent evellere, et a diabolicis vinculis eos eruere, ut in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti domus manu factas ædificare juberent: et ad instar templi eas ædificare ostenderent, in quibus fidelis populus ad baptizandum, et adorandum, et sacrificandum, ad verbum Dei audiendum, et ad omnia Christianitatis sacramenta percipiendum, fideliter ac devote convenirent. Et in eas domos, quas propter congregationem populi in eis *ecclesias* vocamus, apostoli ministros, videlicet episcopos, presbyteros, diaconos ad Christi mysterium perficiendum constituerunt, sicut in Actibus apostolorum legitur: « Et cum constituissent per singulas ecclesias presbyteros, et orassent cum jejunantibus, commendaverunt eos Domino, in quem crediderunt (*Act.* XXIII). »

Ex hoc habemus quod ab apostolis presbyteri primitus in Ecclesia Dei fuerunt ordinati. Diaconos habemus in Epistola ad Corinthios; quos Apostolus redarguens, domum, in qua erant fideles congregati, vocavit ecclesiam, dicens: « Nunquid non habetis domos ad manducandum et bibendum? aut ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? laudo vos? in hoc non laudo (*I Cor.* XI). »

Item ait Paulus in Epistola ad Corinthios: « Mu-

lieres in ecclesiis taceant. Non enim permittitur eis A loqui; sed, subditas esse, sicut lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in ecclesia (*I Cor.* XIV). »

In hoc et multis aliis dat Apostolus intelligere quod omnis domus ubi fideles congregati sunt, ad participandum Christi sacramenta constituta, ecclesia nominetur.

Item Joannes in Epistola ultima dicens comminando Diotrephi, scripsit : « Propter hoc si venero, commonebo ejus opera, quæ facit, verbis malignis, garriens in nos : et quasi non ei ista sufficiant, neque ipse suscipit fratres, et eos, qui suscipiunt, prohibet, de ecclesia ejicit. » Item Paulus ad Timotheum : « Si autem tardavero, ut scias, quo- B modo oporteat te conversari in domo Domini, quæ est ecclesia Dei vivi, etc. (*I Tim.* III). »

In his testimoniis apostolorum supra scriptis, et in aliis multis in hoc tractatu inscriptis, plane ostenditur quod *domus Dei*, et *domus orationis*, ecclesia manufacta dicitur et intelligitur, in qua Christi sacramenta a ministris ordinatis ad salutem fidelium Christianorum perficiuntur.

CAPUT IX.

De altaribus

Sed quoniam omnes hæretici ecclesiam manu factam, et altaria quæ in eis sunt, et sacramenta quæ in eis a ministris Dei fiunt, et omnia ornamenta ecclesiastica ad nihilum deputant, et ad sa- C lutem animarum nihil proficere dicunt, et despiciunt, ad hunc tantum errorem et tam nefarium destruendum testimonia breviter proferemus. Et primum de altari, sine quo ecclesia manu facta esse non debet, nec dici [benedici *forte*] debet; in quibus munera, oblationes et hostiæ pro peccatis offeruntur. Habemus in Evangelio secundum Matthæum quod ipsa Veritas offerentem docet, [et] qualiter offerre debeat, instruit, dicens : « Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo; et tunc veniens, offeres munus tuum (*Matth.* XVI). » Hoc innuit ipse Christus, ut fideles habeant in ecclesiis altaria in quibus munera offe- D rant.

Item in Evangelio secundum Lucam : ipse Christus voluit offerri a parentibus suis in templo, secundum legem Domini, et offerri pro se hostias ad altare quod erat in templo, scilicet « par turturum, aut duos pullos columbarum (*Luc.* II). » Ex hoc datur intelligi quia sicut Christus offerri voluit altari et pro se hostiam dari, ut omnes fideles qui sunt in partibus mundi, universim altaria habeant, in quibus pro suis peccatis Deo munera et oblationes offerant. Item Paulus de eodem in Epistola ad Corinthios, discipulos suos instruens ut habeant altaria, et in his Deo serviant; et de altario donis Deo servientes fiant participes, ita scripsit : « Qui altario deserviunt, cum altario participent (*I Cor.* IX). » Item Paulus, ut scriptum est in Actibus apostolorum, « obtulit in templo pro se, et pro cæteris qui cum eo erant purificati, hostias ad altare (*Act.* XXI); » nolens despicere, vel ad nihilum deputare altaria, sed exemplificavit.

Item in Apocalypsi (cap. VIII) Joannes testificatur se vidisse altare in cœlo, in quo incensa multa, quæ sunt orationes sanctorum, ab angelo offerebantur. Unde B. Joannes, quia in cœlo coram Deo altare aureum vidit, in terra, in ecclesiis manu factis altare manu factum mundum et purificatum ædificari voluit.

Contra istos supra dictos errores quasi maximam nubem testium Veteris Testamenti, scilicet legis, prophetarum et Psalmorum, possumus inducere. Sed, quoniam ipsi hæretici respondere (nec rationem reddere ad objecta sibi testimonia Veteris Testamenti legis et prophetarum) nolunt, videlicet quia ignorant, sed statim convicti essent, propterea in his laborare noluimus, nisi tantum in his testimoniis quæ de libris Novi Testamenti decerpsimus; quibus nolle respondere, nullam rationem reddere possunt, nunc injustam occasionem habent.

CAPUT X.

De cantu ecclesiastico.

Item hæretici improbant ecclesiæ cantum et laudes, quas clerici de Novo et Veteri Testamento reddunt Deo Creatori suo. Contra hunc errorem proferimus testimonium Pauli dicentis in Epistola ad Ephesios : « Impleamini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes in cordibus vestris Domino; gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo et Patri (*Ephes.* V). »

Item de eodem Paulus ad Coloss. dicens : « Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia, docentes et commonentes vosmetipsos psalmis et hymnis, et canticis spiritualibus in gratia cantantes in cordibus vestris Domino (*Coloss.* III). »

Item Joannes in Apocalypsi vidit XXIV seniores, [qui] « ceciderunt coram Agno, habentes singuli phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum : et cantabant canticum novum dicentes : Dignus es, Domine, accipere librum, et aperire signacula ejus, quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo (*Apoc.* V). »

Item in eodem Joannes dicens : « Et vocem, quam audivi, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis, et cantabant quasi canticum novum, ante sedem Dei (*Apoc.* XIV). » Et in alio loco : « Habentes citharas Dei, et cantantes canticum Moysi servi Dei, » etc. (*Apoc.* XV.) Item Joannes in eodem : « Audivi vocem magnam turbarum multarum in cœlo dicentium, Alleluia : laus et gloria et virtus Deo nostro est; quia vera et justa judicia ejus sunt (*Apoc.* XII). »

CAPUT XI.

De sacramento corporis et sanguinis Christi.

Postquam de domo Domini, quæ est Ecclesia, aliqua et non omnia, quæ nobis occurrunt, perstrinximus testimonia, de sacramento corporis et sanguinis Christi, quod omnibus sacramentis est dignius, a quo et cujus consecratio in domo Domini, quæ est Ecclesia Dei vivi, Paulo attestante (*I Tim.* III), celebratur, contra hæreticam pravitatem divinam auctoritatem in medium proferamus.

Christus videns sibi imminere mortem, volens commendare nobis sacramentum corporis et sanguinis, accipiens panem et gratias agens, benedixit et fregit, deditque discipulis suis; et calicem similiter. Unde Matthæus evangelista : « Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit ac fregit, et dedit discipulis suis, et ait : Accipite, et comedite; hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum (*Matth.* XXVI). »

Item de eodem Marcus : « Et manducantibus illis, accepit Jesus panem, et benedicens, fregit, et dedit eis, et ait : Sumite, hoc est corpus meum. Et accepto calice, gratias agens, dedit eis; et biberunt ex illo omnes. Et ait illis : Hic est sanguis meus, novi testamenti, qui pro multis effundetur (*Marc.* XIV). » Item Lucas : « Et accepto pane, gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens : Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnavit dicens : Hic est enim calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effundetur (*Luc.* XXII). » Evangelistæ namque asserunt quod Dominus accepit panem, et dedit discipulis suis, dicens : « Hoc est corpus meum. »

Nota singula : « Accepit panem, benedixit, et fregit, et dedit. » Non habetur in Evangelio quod Dominus acceperit corpus suum, quod benedixerit quod fregit, quod dedit discipulis suis, sed testantur evangelistæ quod acceperit panem, et benedicens fregerit, et dederit eis, dicens : « Hoc est corpus meum ; hic est calix meus novi testamenti in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. »

Sed hæretici dicunt quod illud, *hoc*, demonstrativum pronomen, non refertur ad panem, quem in manibus tenebat, et cui benedicebat, et quem frangebat, et suis discipulis distribuebat; sed refertur ad corpus suum, quod hæc omnia perficiebat. Unde eorum error tam nequissimus originem habuit, ignorantes vim pronominis. *Hoc*, non potest relative referri, nisi his [nisi ad ea] de quibus facta mentio. Sed in traditione hujus sacramenti de corpore suo mentio nulla tunc facta fuerat : ergo falsissimum est quod autumant. Sed, sicut farina, et aqua, et sal, cum hæc tria commista fuerint et decocta amplius non sunt farina, neque aqua, neque sal, quæ ante fuerant; sed, vere panis purus est, et dicitur ; ita panis, quem post cœnam Jesus Christus manibus suis accepit, postquam hunc benedixit et fregit, corpus Christi, non panis intelligitur esse, et creditur. quem Christus Salvator noster et Redemptor in cœna suis discipulis dedit, dicens : « Accipite, et comedite ; hoc est corpus meum. » Eadem ratione, et de calice, postquam gratias agens dedit suis discipulis, et dixit eis : « Bibite ex hoc omnes; hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. » Et addidit : « Quotiescunque feceritis, hoc facite in meam commemorationem. »

Hæc verba, quæ a Christo in cœna super istud sacramentum prolata fuerunt, maxime, quasi ultimum testamentum, notari debent. Sed, cum dixit, « quotiescunque feceritis, hoc facite in meam commemorationem, » in his verbis indicatur quod Christus istud tantum, et tam sanctissimum sacramentum, noluit, ut ibi finem haberet, sed apostolis suis, sicut cohæredibus, et eorum successoribus hoc sacramentum, post suam passionem et resurrectionem et ascensionem suam in sempiternum facere præcepit in memoriam suæ passionis et in spe salutis æternæ.

Cum Dominus Jesus discipulos suos congregasset, carnem suam in specie panis, et sanguinem suum in specie vini se daturum, illis promisit, ut in Evangelio B. Joannis continetur (*Joan.* VI), et dicit : « Panis, quem ego dabo vobis, caro mea est pro mundi vita. » Judæi autem hæc audientes, inter se litigabant, dicentes : « Quomodo potest nobis dare carnem suam ad manducandum? » Propter hujusmodi litigationem, et quia intellexit eos spiritualem intellectum non habere, sub certa assertione dixit eis : « Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. » Et : « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego suscitabo eum in novissimo die. »

In his verbis notandum est quod nemo potest habere vitam æternam, nisi manducaverit carnem ipsius, et biberit ejus sanguinem, secundum hoc quod ipse dixit. Sed ipse Christus noluit discipulos suos fallere, nec suum promissum exinaniri. Carnem vero suam et sanguinem suum in specie panis et vini in ultima cœna, ut manducaret.t sine oris abhorritione, suis discipulis dedit. Sed quæcunque verba Christus dixit, certissima et verissima sunt neque in aliquo fallunt. Multa enim dixit quæ vera sunt; quæ, si alius dixisset, nec vera esse viderentur, nec crederentur.

Ille enim dixit : « Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvabitur (*Joan.* X). Ego sum pastor bonus (*Joan.* VI). Ego sum panis vivus ; ego sum vitis, et vos palmites (*Joan.* XV). Ego sum via, veritas et vita (*Joan.* XIV). » Tanta enim est vis verbi Dei atque virtus, ut omnia, quæcunque

dixit (facta sint), quod nullum unquam fallit, nec præterit, sicut dixit Psalmista : « Dixit, et facta sunt; mandavit, et creata sunt (*Psal.* CXLVIII). »

Et hoc notandum quod evangelista non posuit præteritum, sed præsens; quamvis post passionem scriberet, intelligens et credens hoc quemadmodum Christus dixit, se esse, et est, et semper erit (*Apoc.* I); ita sua verba, quæ Christus in cœna protulit, coram suis discipulis, et eos docuit, eamdem vim in se retinent, quam habuerunt in apostolis in sacramento panis et vini, scilicet corporis et sanguinis Domini; et eamdem vim, et virtutem, et efficaciam in Dei ministris retinebunt usque in finem sæculi.

Postquam Dominus noster Jesus Christus, pro Judæorum litigio quod fiebat de carne sua, audivit, et dixit eis : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam et æternam resurrectionem, ut promissio manducationis ejus sacramenti non videatur illis esse difficilis et inutilis, sed certa et utilissima; et, in præsenti tempore susceptibilis in specie panis et vini, quam eis in cœna dedit, et corpus suum distribuendum, asseruit, addit : « Caro enim mea vere est cibus : et sanguis meus vere est potus (*Joan.* VI). »

Sed sunt quidam hæretici qui credunt, audiendo verbum Dei, se manducare carnem Filii hominis, et ejus sanguinem bibere quasi Christus nesciret dicere, qui omnia scit : « Verbum meum veré est cibus, et sanguis meus vere est potus, » aliud verbum pro alio ponens.

Sed, cum hoc dixit : « Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus, » non dixit, caro mea vere est auditus, vel intellectus; sed, operante spirituali gratia, caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.

Et hoc proprie (3) Christus dixit, et certissimum est, de sacramento panis et vini, quod in cœna eis tribuit; et quotidie a ministris Dei ordinatis hoc sacramentum super altare in Ecclesia Dei consecratur cum ipsius verborum commemoratione. Sed, quia inde manducationis hujus sacramenti utilitatem bene percipientibus ostendere voluit, addidit : « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo(*Joan.* VI). » Et : « Qui manducat me, et ipse vivet propter me. (*idid*) »

Et hæc est virtus hujus sacramenti, et utilitas bene percipiendi, quod consequitur, fidelem scilicet eum in Deo manere, et Deum in eo. Et hic talis affert fructum multum, ut Joannes testatur: « Quia, sine me, » ut dicit ipsa Veritas, « nihil potestis facere (*Joan.* XV). »

Beatus vero Paulus hujus tanti et tam certissimi sacramenti vim et utilitatem audiens et cognoscens et credens, suos discipulos instruere verbis et actibus volens, nihil utile ad eorum salutem eis subtrahens, ut suis semper subsequentibus in memoria haberetur; in Epistola directa ad Corinthios scripsit dicens : « Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis; quoniam Dominus noster Jesus Christus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, gratias agens fregit et dixit : Accipite et manducate; hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem (*I Cor.* XI). » Et hoc notandum est, quod Christus jussit discipulos hoc sacramentum in sui memoriam facere; et ut illi suis discipulis traderent, sicut ipsi ab eo accipiebant, ut memoria ipsius, et suæ passionis per hoc sacramentum sempiterna in sæculum sæculi in fidelibus habeYetur. (*ibid.*)

Item : « Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic calix novi testamenti est in meo sanguine, hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem, quotiescunque énim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Itaque quicunque manducaverit panem hunc, et biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini (*ibid.*). » Sed si, ut hæretici dicunt, panis et vinum consecratum nullam habent dignitatem, quare Apostolus poneret indigne accipientem panem consecratum corporis et sanguinis Domini esse reum? Quia, si quis panem simplicem comedat, reus esse corporis et sanguinis Domini non dicitur, non creditur. Et ideo Apostolus (monet); antequam quislibet, hoc sacramentum videlicet panis et vini percipere voluerit : « Probet semetipsum, » id est, purget seipsum a peccatis suis; « et sic, de pane illo edat, et de calice bibat (*ibid.*). »

Item, ipse Apostolus reddit causam, quare percipiens purgatus a peccatis esse debet, cum dicit : « Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini (*ibid.*). »

Item Apostolus approbans et affirmans hoc sacramentum panis et vini esse corpus Domini, quod Corinthiis ostenderat verbo et facto, in Epistola eis transmissa scripsit, dicens : « Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? (*I Cor.* X.) » Non est in merito consecrantis, sed in virtute et veritate Spiritus sancti : « Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus (*ibid.*). »

In hoc capite manifestat apostolus Paulus quod ipsemet hoc sacramentum, quod a Domino acceperat, faciebat. Similiter et cæteri apostoli. Item, Paulus apostolus in eadem : « Convenientibus vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam mandu-

(3) Proprie, quia vere, realiter et substantialiter corpus Domini comedimus et sanguinem ejus bibimus.

care: unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et: Alius quidem esurit, alius autem ebrius est (*I Cor.* XI). » Sed convenire in unum, et sua cibaria propria comedere, et nihil aliis largiri, sed inebriari, hæc facta non sunt Dominicam cœnam manducare. Apostolus reprehendendo Corinthios interrogans, dicit: « Nunquid domos non habetis ad manducandum et bibendum, » scilicet cibaria simplicia? « Aut Ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos, qui non habent? » (*Ibid.*) Laudo vos in hoc quod simul convenitis in unum in nomine Domini nostri Jesu Christi; non laudo vos in hoc, quia comeditis vestra propria cibaria, et confunditis eos qui non habent, sed esuriunt, non habentes quod manducent.

Inde hoc apparet et manifestum est quod discipuli apostolorum, eos imitantes, hujus sacramenti tractationem per universum mundum memoriter peregerunt.

Et nos dicimus, et credimus, et omnis Romana Ecclesia a beato Petro et Paulo primum fundata, hoc dicit, et credit, quod omnis homo, qui in hoc sacramento fidem non habet, et in cæteris apostolorum traditionibus, sicut in baptismo, in confessione et pœnitentia, cæterisque apostolicis institutis, quæ fiunt in Ecclesia præsenti, alienus est ab unitate sanctæ Ecclesiæ et catholicæ fidei, et segregatus a consortio sanctorum fidelium, videlicet præteritorum, et adhuc degentium et damnatus est in sæcula sæculorum.

CAPUT XII.

De sacramento baptismi.

Postquam expedivimus, licet indigni, de corporis et sanguinis Jesu Christi tractatu in catholica Ecclesia, per universum mundum extensa, universaliter celebrato, de baptismo incipiamus; et contra hæreticorum errores baptismi aquæ inficiantes sacramentum, testimonia, quæ Spiritus sanctus nobis administraverit, infringendo, auctoritates Novi Testamenti proferamus.

Dicunt enim quidam hæreticorum quod hoc sacramentum baptismi aquæ, sine eorum manus impositione recipienti, ad salutem perpetuam consequendam, nihil prodest adultis, nec etiam parvulis. Et hic error, inter cæteros errores, in quibus volutantur latenter, maximus est. Habemus in Evangelio quod Joannes Baptista, ut esset præcursor Christi et verus præco, ab omnipotente Deo missus est baptizare in aqua, ut ipsemet Baptista testatur, dicens, (et) Joannes testatur in Evangelio: « Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cœlo (*Joan.* III). » (Et): « Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum Dei descendentem, et manentem sicut columbam, ipse est, qui baptizat in Spiritu sancto (*Joan.* I). »

Item, in baptismate Christi, aperti sunt cœli, vox Patris audita est. Spiritus sanctus apparuit A (*Matth.* IV). Vide magnum et divinum pietatis sacramentum. Tota enim Trinitas in baptismate Christi operata est, et dignata interesse. Pater auditur, Filius baptizatur, Spiritus sanctus apparet in specie columbæ. Filio Dei baptizato, cœli aperti sunt. Et quoniam tantæ dignitatis est institutio et sacramentum baptismatis, ideo Dominus ait in Evangelio Nicodemo: « Amen, amen dico tibi, nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei (*Joan.* III). » Item: « Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est, et quod natum est ex spiritu, spiritus est (*ibid.*). »

Audi, hæretice: Duas oportet vos habere nativi- B tates, carnalem scilicet et spiritualem: et testante divino eloquio, qui caret nativitate spirituali, non potest videre regnum Dei, nec intrare in illud; sed spiritualis nativitas non potest haberi, nisi carnalis habeatur. Quomodo ergo tu dicis malam esse carnalem nativitatem, ad quam sequitur spiritualis nativitas, quæ confert videre regnum Dei, et intrare in illud, cum spiritualis sine carnali haberi non possit? Nunquam enim potest renasci, qui nondum est natus. Oportet itaque prius nasci, et postea renasci.

Habemus in Evangeliis quod Baptista Joannes Spiritu sancto afflatus in desertum abiit, et pœnitentiam et baptismum aquæ, sibi advenientibus C prædicavit et præbuit. Unde Christus Joannis baptismum aquæ sanctificare et confirmare volens, ad eum veniens, ab eodem baptismum aquæ in se accipere dignatus est, præbens omnibus fidelibus exemplum, sacramentum baptismi aquæ ad animarum salutem percipiendam, debere recipere, in quo, ab omnibus peccatis tam originalibus quam actualibus mundantur; et, sine quo, est fides universalis Ecclesiæ quod omnis despiciens hoc sacramentum et accipere nolens, æternam vitam nullo modo mereri, nec consequi potest, ut Salvator noster Jesus Christus in Evangelio B. Joannis testastur, dicens: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei. »

D Habemus etiam in Evangelio quod discipuli ejus, eo jubente, ante passionem credentes in Filium Dei baptizabant, ubi dicit: « Ut ergo cognovit Jesus, quia audierunt Pharisæi, quod Jesus plures facit discipulos, et baptizat, quam Joannes (quanquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus), reliquit Judæam (*Joan.* IV), etc. »

Sed sciendum est quod Baptista Joannes in nomine Domini, qui eum miserat, baptizabat. Sed Dominus noster Jesus Christus, quia a Patre de cœlis missus fuit, humano generi æternam salutem secum afferens, usum sacramenti baptismi discipulos suos docens, per universum mundum eos mittens, jussit eos prædicare regnum Dei et baptizare, addens, « in nomine Patris, et Filii, et Spi-

ritus sancti (*Matth.* XXVIII), » etc., ut in fine B. Matthæi evangelistæ invenitur, apparens discipulis suis in monte, dixit eis : « Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos (*ibid.*), » etc. Et adjungit : « Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur (*Marc.* XVI). » Ex hac auctoritate bene intelligere possumus, quod nulli usus sacramenti baptismi incredulo, etiamsi susceperit, ad salutem proficit.

Dicunt etiam hæretici, quod nulli, nisi proprio ore et corde hoc sacramentum petat, potest prodesse. Inde adducentes hunc errorem, quod parvulis baptismus aquæ nihil prosit.

Sed nos habemus in Evangelio B. Marci, quod Dominus Jesus Christus post resurrectionem suam discipulis suis apparuit, et dixit eis : « Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ : qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit (*ibid.*). »

In hoc loco non fecit aliquam exceptionem magnorum, vel parvulorum, masculorum, vel mulierum, cum dicit, « omni creaturæ. » Et ideo fides est catholicæ Ecclesiæ per universum mundum, in quacunque parte nomen Christi celebratur et creditur, sive sint parvuli, sive magni, sive viri, sive mulieres, si hoc sacramentum baptismi receperint, sine dubio salvantur, et ab omnibus peccatis, sive ab originalibus, sive ab actualibus, cooperante gratia Spiritus sancti, mundantur et purificantur, nisi in corruptionem peccati ceciderint post lavacrum baptismi antequam moriantur.

Quod dicunt de parvulis hæretici in baptismo non posse salvari, contra hunc errorem dixit beatus Paulus in Epistola ad Corinthios : « Si quis frater fidelis habet mulierem infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et, si qua mulier fidelis, habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatur enim vir infidelis per mulierem fidelem, et mulier infidelis, per virum fidelem. Alioqui filii vestri immundi essent : nunc autem sancti sunt (*I Cor.* VII). »

Apostolus dicit, filios fidelium parentum, esse mundos et sanctos; multo magis autem est credendum quod immersione aquæ facta a ministris (Ecclesiæ) et invocatione nominis Patris, et Filii, et Spiritus sancti, parvuli baptizati in fide patrinorum creduntur mundari et salvari.

Unde habemus in Evangelio Matthæi, quod filia mulieris Cananeæ fide matris suæ salva facta est (*Matth.* XV). Item habemus in Evangelio, quod quidam deferentes paralyticum ad Jesum, jacentem in lecto, non potuerunt eum adire præ turba ad eum stante in introitu domus; ut ponerent ante eum, et submiserunt paralyticum per tegulas ante eum, ut eum sanaret; « Ipse vero respiciens fidem illorum (*Luc.* V) » deportantium ægro reddidit sanitatem. Item regulo Jesum causa pueri adeunte, a Domino audivit : « Vade, et sicut credidisti, fiat

A tibi, et sanatus est puer illius ex illa hora (*Joan.* V). » Item filia defuncta principis Synagogæ, rogatu patris, a Domino suscitata est (*Matth.* IX). Item filius cujusdam mulieris viduæ, dum extra portam civitatis ad sepeliendum deferretur, fletu et ululatu matris Dominus misericordia motus, eum suscitavit, et matri suæ reddidit.

Et idcirco his evangelicis auctoritatibus, et aliis quamplurimis testimoniis, quæ in apostolicis Scripturis continentur, universalis Ecclesia per universum mundum credit et tenet, quod fide patrinorum, per invocationem sanctæ Trinitatis factam a ministris Ecclesiæ infantibus et pueris spiritualis gratia a Deo omnipotente in baptismo donatur, ut Paulus testatur, dicens : « Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit. Itaque, neque qui plantat, est aliquid; neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus (*I Cor.* III). » Et quia Apostolus dixit, « dat Deus incrementum, » unusquisque fidelis credere debet, ut, qualiscunque sit, qui baptizat cum invocatione facta, scilicet in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Deus det incrementum, (gratiam) videlicet spiritualem, hoc sacramentum recipienti, (sive) sit parvulus vel magnus.

Unde Petrus in Actibus apostolorum dixit : « Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini nostri Jesu Christi, et accipietis donum Spiritus sancti (*Act.* II). »

Item dicis hæretice, quia peccator baptizare non potest : quomodo igitur baptizabant apostoli, qui peccatores erant, attestante Joanne, et dicente : « Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est (*I Joan.* I). »

Item dicis, quia per ministerium sacerdotis non datur Spiritus sanctus, quem te dare, mentiris. Et quomodo dicis, te dare Spiritum sanctum, cum ipse Spiritui sancto, in quantum potes, contradicis? Et cum sit solius Dei dare Spiritum sanctum ?

Item in Actibus apostolorum habetur, quod « apostoli imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum (*Act.* VIII). » Non dicitur, quod darent; sed, per impositionem manuum eorum accipiebant homines Spiritum sanctum.

Item in Actibus apostolorum ; « Et descendebant uterque in aquam, Philippus et eunuchus ; et baptizavit eum ; et descendit Spiritus sanctus super eum (*ibid.*). »

Item de infantibus et parvulis in Evangeliis invenimus, quia Dominus noster Jesus Christus talem parvulorum ætatem probavit, ut dicit discipulis, offerentes ad se parvulos prohibentibus : « Sinite parvulos venire ad me; et nolite eis prohibere, venire ad me; talium est enim regnum cœlorum (*Matth.* XIX ; *Marc.* X ; *Luc.* XVIII). » Quicunque ergo non crediderit parvulorum baptismum atque in-

fantium ad salutem vitæ æternæ valere, contra Evangelium credit, et est quasi qui contradicit, parvulos ad Christum venire.

Item habemus in Epist. B. Pauli ad Corinthios quod in primitiva Ecclesia discipuli apostolorum pro mortuis baptizabantur, credentes eis conferre ad eorum salutem animarum. Dicit enim Apostolus : « Si mortui non resurgunt, quid facient, qui baptizantur pro mortuis? Si omnino mortui non resurgunt, ut quid etiam baptizantur pro illis? ut quid et nos prædicamus omni hora? » (*I Cor.* 15.) (3*) Si ergo fides primitivæ Ecclesiæ apostolicæ erat, quod baptismus vivorum pro mortuis salutem æternam illis mortuis conferebat; quod illi non audierant, non acceperant; et ideo pro illis baptizantur: quanto magis fideles credere debent modo, quod fide patrinorum baptizati parvuli salutem æternam, et gratiam spiritualem consequentur. Et ista de baptismo sufficiant.

CAPUT XIII.

De sacramento pœnitentiæ.

Diximus de sacramento baptismi quod est prima tabula post naufragium; ideo secundo loco post baptismum dicendum est de pœnitentia, quod sacramentum authentice, contra hæreticam pravitatem confirmare nos oportet. A pœnitentia incipit prædicatio Joannis. Ait enim : « Pœnitentiam agite: appropinquavit regnum cœlorum (*Matth.* III). » Quod dixerat præco, id postea ipse Christus docuit in principio suæ prædicationis, dicens : « Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum (*Matth.* IV). » Et Petrus in Actibus apostolorum ad eos, qui in prædicatione sua compuncti fuerant corde : « Pœnitentiam, inquit, agite, et baptizetur unusquisque vestrum (*Act.* II). » Item Petrus : « Pœnitemini igitur, et convertimini, ut deleantur vestra peccata (*Act.* III). »

Sed quia in pœnitentia necessaria est interior cordis contritio, et oris confessio, et digna satisfactio injuncta a presbytero, de unoquoque exempla proferamus. Quod interior cordis contritio sit necessaria, habemus ex auctoritate Psalmistæ dicentis : « Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies (*Psal.* L). » Contritio enim est compunctio cordis, quæ nascitur ex recordatione præteritorum malorum, ut in Evangelio : « Et recordatus est Petrus verbi Jesu, quod dixerat : Priusquam gallus cantet, ter me negabis : et egressus foras, flevit amare (*Matth.* XXVI). » Ecce, quomodo compunctus est corde : recordans enim mali præteriti, ad lacrymas recurrit.

Item necessaria est oris confessio, quæ duobus modis dicitur, confessio Dei et peccatorum. Confessio Dei est, de qua Dominus in Evangelio : « Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo (*Matth.* X). » Confessio peccatorum est, de qua in psalmo David : « Confitemini Domino, quoniam bonus : quoniam in sæculum misericordia ejus (*Psal.* CV). » Bonum dixit Dominum, et misericordem; quia, si quis confiteatur, paratus est misereri. Ejus namque misericordias prævidebat de longinquo per Spiritum sanctum, cum dicebat : « Misericordias Domini in æternum cantabo (*Psal.* LXXXVIII). » Item : « Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine (*Psal.* C). » Item: « Misericordiæ tuæ multæ, Domine (*Psal.* CLVI). » Item David : « Dixi, confitebor adversum me, injustitiam meam Domino (*Psal.* XXXI). » Confessio etenim est proprii actus cum sui accusatione execratio. Unde illud : « Justus prior accusator est sui (*Prov.* XVIII). » Et Jacobus in Epist. canonica: « Confitemini alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem, ut salvemini (*Jac.* V). » Et Paulus apostolus : « Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (*Rom.* X). » Ecce habemus ex auctoritate Jacobi, quod peccata nostra confiteamur. Et non dixit : Confitemini soli Deo, sicut dicit hæreticus, sed, « confitemini alterutrum. » Et, quod sacerdotibus debeamus confiteri, dicit Dominus in Evangelio : « Vade, et ostende te sacerdoti (*Luc.* XVII). » Et Jacobus : « Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum (*Jac.* V). »

Quod item satisfactio sit necessaria habetur in Evangelio, ubi Lucas ait : « Facite fructus dignos pœnitentiæ (*Luc.* III). » Nota : Facere dignos fructus, dignos pœnitentiæ, nihil aliud est quam dignam agere satisfactionem injunctam a presbytero. Satisfactio est sententia vel judicium, quod a sacerdote datur pœnitenti super peccatum. Et hoc est judicium, de quo dictum est : « Non judicabit Dominus bis in id ipsum (*Nahum* I). » Et Paulus : « Si nos ipsos judicaremus, non utique judicaremur (*I Cor.* XI). » Et Petrus : « Jam tempus est, ut incipiat judicium a domo Domini (*I Petr.* IV). »

Et hæc est potestas, quam Dominus dedit hominibus, scilicet potestas ligandi et solvendi. Dicit namque ipsa Veritas : « Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt (*Joan.* XX). » Sicut enim in Veteri Testamento leprosi jubebantur ostendere se sacerdotibus, ut discernerent qui essent mundi vel immundi; ita et nunc pro officio suo sacerdos, cum audierit peccatorum varietates, sciat quis ligandus sit vel quis solvendus. Item postquam Christus Lazarum suscitavit, ait discipulis : « Solvite eum (*Joan.* XI); » voluit Dominus, ut quem suscitaverat, ipsi solverent et solutum ostenderent. Et ita Deus dimittit peccata per ministrum. Cum enim Deus dimittat peccata, et homo dimittat; aliter (tamen) Deus, et aliter homo. Deus, ex semetipso; quia per semetipsum, quando vult, peccata dimittit; homines, non ex se, sed ex gratia in eis et per eos operante. Et ita verum est quod Deus solus peccata dimittit, sicut

(3*) De hoc loco Apostoli et vero ejus sensu, vide Bellarminum, lib. I *De purgatorio*, cap. 6.

ipse dicit in propheta : « Ego sum, qui deleo iniqui- A tates, et peccata populi (*Isa.* XLII). » Item : « Ipse est, qui facit mirabilia magna solus (*Psal.* CXXXV). » Et non negatur quin et homines mirabilia faciant, Sed, non ex se sicut Deus. Item : « Nemo bonus, nisi solus Deus (*Luc.* XVIII), » quia ex se bonus; nec tamen negamus bonos homines esse. Et sicut homines peccata dimittunt, non ex se, sed Deus dimittit per ministerium eorum.

Sed dicis, aliquem posse servari sine confessione, et objicis illam auctoritatem, qua dicitur : « Quacunque hora peccator ingemuerit, salvus erit (*Ezech.* XXXIII). » Ad quod dicendum est, quia vere invisibilis sacerdos, scilicet Deus, eum qui vult confiteri, sed non potest, solvit a delicto pœnæ æternæ per cordis contritionem : sed, quandiu potest, nisi ore B confiteatur, non absolvit. Est namque certum, quod ille, qui habet cor contritum, vult confiteri ; sed istam bonam voluntatem potest deserere. Non enim vult homo, dum est in hac vita, quod non possit nolle. Et si, hac voluntate amissa, nollet confiteri, et tunc moreretur, nullum dubium est eum damnari pro illo peccato quod confiteri noluit : nullum enim peccatum impunitum : aut enim homo punit, aut Deus. Apparet igitur quod solus Deus dimittit peccata, vivificando interius per gratiam; et quod sacerdos dimittit, non intus vivificando, sed a debito futuro æternæ pœnæ absolvendo, per eam, quam injungit, satisfactionem. Quod vero dicis : « Peccator, quacunque hora ingemuerit, salvus erit, » de C eis dictum est, qui, instante periculo mortis, tempus satisfactionis habere non possunt. Ac si diceret : Peccator, quacunque hora in hac vita vere pœnituerit, in futura vita non peribit. Vel, de omnibus potest dici : « Quacunque hora ingemuerit, salvus erit; » quia tunc peccantis salus incipit.

Sed postquam diximus de his, quæ in pœnitentia consideranda sunt, dicendum est, quid sit pœnitentia. Pœnitentia enim est, perpetrata mala plangere, et plangenda non committere. Nam, qui sic acta deplorat, ut alia tamen committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat. Item irrisor est, non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnituit; nec videtur Deum quærere subditus, sed subsannare superbus. Isaias peccantibus dicit : « Lavamini, D mundi estote (*Isa.* I). » Lavatur, et mundus est qui præterita plangit, et plangenda iterum non admittit. Et hæc est vera pœnitentia, de qua Dominus in Evangelio : « Majus est gaudium in cœlo angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, quam supra nonaginta novem justos, qui non indigent pœnitentia (*Luc.* XV). » Non quod sit aliquis a Deo justus, qui non indigeat pœnitentia, « sed, qui non indigent, » id est qui æstimant se non indigere. Et hoc est, quod adhuc retinent hæretici de supercilio Pharisæorum. Ipsi sunt enim, de quibus Salomon ait : « Lætantur, cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis (*Prov.* II). » Hæc, quæ diximus, ad præsens negotium de pœnitentia sufficiant.

CAPUT XIV.

De impositione manuum.

Post tractatum pœnitentiæ, sequitur de manuum impositione; quod « consolamentum » vocant : quam hæretici manuum impositionem contra Dominica præcepta et apostolorum instituta agere invicem usurpant. Quomodo, et a quibus personis fiat, et quid de eo sentiant primum est dicendum. Modus « consolamenti » talis est : Ille, qui dicitur præpositus, vel episcopus, vel diaconus nominatus est rector aliorum hæreticorum sibi subjectorum. Et quando volunt facere « consolamentum » alicui viro, vel mulieri, ille qui « major » et ordinatus dicitur, ablutis manibus, et omnes similiter illi qui adesse volunt, lotis manibus, librum Evangeliorum in manibus suis tenens, eum vel eos, qui ad recipiendum « consolamentum » conveniunt, admonet ut in eo « consolamento » omnem suam fidem, et spem salutis animarum suarum in Deo et in illo « consolamento » ponant. Et sic super capita eorum libro posito, Orationem Dominicam septies dicunt; et deinde beati Joannis Evangelium, ab « In principio » incipientes, usque ad hunc locum Evangelii quod dicit, « Gratia et veritas per Jesum Christum facta est (*Joan.* I), » omnibus audientibus, dicit. Et sic finitur illud « consolamentum. »

A quibus personis fit, dicamus. Scilicet ab illis, qui inter eos « ordinati » dicuntur. Si ipsi defuerint, ab illis qui « consolati » dicuntur suppletur; et, si viri non adsint, mulieres tantum infirmis faciunt.

Quid de eo sentiant, dicamus. In illo enim generaliter omnes salvandi fidem suam et spem habent ; et omnium remissionem suorum peccatorum, et emundationem suorum delictorum, absque satisfactione aliqua, in eo se consequi credunt, si statim morte deficiunt. Et non solum veniam de venialibus peccatis, quæ commiserunt, sed et de criminalibus perpetratis dari in eo sibi a Deo credunt. Dicunt etiam, quod nemo magnus vel parvus, vir, sive mulier, nisi illud « consolamentum » ab ipsis « consolatis » receperit, cœleste regnum et angelorum societatem aliquo opere, vel beneficio, vel contemplatione religionis, nec etiam martyrio, et si ab omnibus, quod est impossibile, peccatis et delictis se abstineat, consequi potest.

Credunt etiam hoc, quod si ille, qui facit illud « consolamentum, » in aliquo peccatorum, quæ ipsi « criminalia » vocant, lapsus fuerit : sicut est comedere carnem, aut ovum, vel caseum, vel interficere avem, vel aliquod animal, præter repentia; vel etiam illa peccata, quæ Ecclesia Romana « criminalia, » nominat, veluti homicidium, adulterium, fornicationem, immunditiam, furtum, falsum testimonium, perjurium, rapinam, « consolamentum » illius recipientibus nihil prodest. Dicunt enim eum talem sic lapsum, Spiritum sanctum non habere ; et quod non habet credunt non posse alicui dare. Imo eumdem credunt iterum oportere illud « consolamentum » recipere ab alio, si salvari desiderat,

et hoc universaliter de omnibus, tam viris, quam mulieribus lapsis ita oportere fieri, ut dictum est.

Romana vero apostolica Ecclesia omnia ista præfata quæ ab hæreticis conficiuntur, pessimos et mortales errores esse multis auctoritatibus judicat, quia non sunt a talibus personis facta a quibus fieri debent, neque a Jesu Christo institutum est neque ab apostolis, neque in tempore eorum factum est. Habemus et in Evangeliis quod Dominus Jesus Christus et Salvator noster, pueris ad se delatis et etiam ægris, imponebat manus super eos; et benedicebat eis, et sanabantur. Et hoc officium non invenimus, ut alicui discipulorum daret ante passionem, quousque a mortuis resurrexit. Sed post resurrectionem potestatem baptismi, et manus imponendi in nomine Domini tantum apostolis ordinatis dedit et concessit, ut qui ab eis ordinati fuerint, eamdem potestatem baptizandi et manus imponendi habebant, videlicet quos Deus elegerit, et ipsi dignos judicaverint. Unde habemus in *Actibus apostolorum*, quod beatus Petrus Simoni Mago offerenti pecuniam sibi, et petenti Spiritum sanctum dandi talem potestatem dari sibi, ut cuicunque ipse imponeret manus, Spiritum sanctum acciperet, respondit: « Non est tibi sors, neque pars in sermone isto, quia æstimasti donum Dei pecunia possideri. Sed roga Deum, et age pœnitentiam ab hac tanta nequitia tua, quæ in cor tuum ascendit (*Act.* viii). » Et ita illum indignum hujus divini officii respuendo esse judicavit.

Habemus etiam in eodem libro quod apostoli per omnes civitates, in quibus nomen Domini nostri Jesu Christi celebrabatur et Christiani fideles persistebant presbyteros et diaconos, (ad) eadem divina sacramenta peragenda, eis ordinabant. Verbi gratia: « Cum constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros (*Act.* xiv). » Item in eodem, cum Paulus vellet ab Asia ire Jerosolymam, transiens per Ecclesias, in quibus presbyteros et episcopos ordinaverat, venit Miletum, et mittens Ephesum, vocavit majores natu Ecclesiæ, dixitque eis: « Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo (*Act.* xx). « Et postquam Dominus noster Jesus Christus apostolos elegit, et post ejus ascensionem apostoli per universas Ecclesias episcopos et presbyteros, et etiam diaconos, ad peragenda omnia divina mysteria constituerunt, et eamdem potestatem et traditionem quam ipsi a Christo acceperant illis a se ordinatis concedebant: quisquis contra hanc apostolicam traditionem facit et credit, multum errat et mortem sibi operatur. Unde apostolus Jacobus ait: « Qui totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus (*Jac.* ii). » Item Paulus: « Modicum fermentum totam massam corrumpit (*I Cor.* v). » Et contra personas hæreticorum ista sufficiant.

Item contra modum « consolamenti » eorum: hæretici dant illud « consolamentum » tam magnis quam parvis, viris ac mulieribus, quod nunquam ab apostolis, nec inter discipulos eorum factum fuit, neque mandatum fuisse ab eis invenitur. Item apostoli quos ordinare volebant prædicatores, presbyteros vel diaconos super populum manus tantum imponebant: de aliis non invenimus in sacra Scriptura, nisi quod prædicabant, et baptizabant eos, cum invocatione Spiritus sancti; ut Dominus noster Jesus Christus eos docuerat, et eis mandaverat, ut dicitur: « Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (*Matth.* xxviii). » Sed formam et modum dedit eis: qui usque hodie in Ecclesia assidue retinetur. Unde valde assidue mirandum est a quo talis « consolamenti » consuetudo hæreticorum habuerit initium, vel sumpsit exordium, quia, neque a prophetis, neque a Christo, neque ab apostolis, neque ab apostolicis viris apostolorum successoribus, initium habere videtur; quia multum discrepat a dictis et a factis, et a scriptis omnium istorum. Et ideo credendum est ut sit de illis de quibus apostolus Paulus in Epistola ad Timotheum scripsit: « Erit tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem avertentur (*II Tim.* iv). »

Item isti non dicta prophetarum, nec traditiones apostolorum, nec mores virorum apostolicorum, nec etiam scripta sanctorum Patrum credere, nec obedire volunt. Ipsi hæretici, omnes homines, cujuscunque vitæ sint, qui illud « consolamentum » ab eis non acceperint, damnatos esse judicant. Et in hoc contradicunt verbo Domini nostri Jesu Christi, qui suis discipulis dixit: « Nolite judicare, et non judicabimini; nolite condemnare, etc. (*Luc.* vi). » Et ideo possunt esse de illis de quibus subjunxit: « In quo judicio judicaveritis, judicabimini; et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis (*ibid.*). » Et quia judicant et condemnant omnes alios qui de illis non sunt, condemnatio et judicium suum, Deo volente, erit super capita eorum. Item consilia beati apostoli Pauli non attendunt, neque obediunt, qui dicit: « Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium (*I Cor.* iv). » Et in alio loco: « Dominus novit qui sunt ejus (*II Tim.* ii). »

CAPUT XV.

De esu carnium, et aliarum quarumdam rerum.

Omnium hæreticorum est fides, quod nullus post suum « consolamentum » receptum, si carnem, vel caseum, vel ova comederit, possit salvari, nisi pœnitentiam receperit ab eis, et post et ab eis reconsoletur. Sed contra tantum errorem destruendum testimoniis Evangeliorum, et etiam apostolorum, et Epistolarum et Actuum obviare conemur.

Habetur namque in Evangelio, quod Dominus dixit discipulis suis: « In quamcunque domum intraveritis, manete edentes et bibentes quæ vobis apponentur (*Luc.* x). » Nullam ciborum exceptionem, scilicet carnium, vel aliarum escarum fecit

cis, sed universaliter dixit : Quæcunque vobis apponentur, manducate. Item in Evangelio secundum Matthæum invenitur quod dixit : « Non quod intrat in os, coinquinat hominem ; sed quæ procedunt de ore, hæc sunt quæ coinquinant hominem. Quia de corde procedunt homicidia, adulteria, furta, falsa testimonia, etc. (*Matth.* xv). » Item habemus in Evangeliis, quod Jesus Christus Dominus in Cœna cum discipulis suis agni paschalis carnem comedit, sicut Lucas in Evangelio scripsit manifeste : « Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha : Et misit Petrum et Joannem dicens : Euntes parate nobis Pascha, ut manducemus. At illi dixerunt : Ubi vis, paremus tibi comedere Pascha ? etc. Dicit tibi Magister : Ubi est diversorium, ubi Pascha cum discipulis meis manducem ? etc. Euntes autem invenerunt, sicut dixit illis, et paraverunt Pascha. Et cum facta esset hora, discubuit, et duodecim cum eo ; et ait illis : Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei (*Luc.* xxii). » Et cæteri evangelistæ similia verba his scripserunt (*Matth.* xxvi ; *Marc.* xiv). Ecce quam manifeste evangelistæ, scripserunt quod Chistus comedit Pascha; et illud Pascha, quod necesse erat occidi, erat agnus paschalis de quo præceperat Dominus Moysi (*Exod.* xii). Et Christus comedit agnum paschalem ; et ille agnus, erat caro : ergo Christus comedit carnem. Quare ergo, hæretice, prohibes comedere carnem ?

Item Paulus dicit in Epistola ad Corinthios : « Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis infidelium vocat vos ad cœnam, et vultis ire, quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit : Hoc immolatum est idolis, nolite manducare, propter illum qui indicavit, et propter conscientiam ; conscientiam autem dico non tuam, sed alterius (*I Cor.* x). »

Item Paulus ad Timotheum : « Omnis creatura Dei bona ; et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei et orationem (*I Tim.* iv). » Et nos scimus et credimus quod Christus, qui est verbum et sapientia Dei Patris, ad nihil aliud venit in mundum, carne assumpta de utero Virginis, nisi ad salutem animarum. Hæc supra scripta non fecisset nec fieri jussisset, si esset judicium et damnatio animarum fidelium. Nec etiam apostoli et spirituali sapientia imbuti imitatores Christi effecti facerent, neque scripsissent : neque comederent comestionem carnis, vel aliorum ciborum, si scirent esse damnabile peccatum manducantibus. Item Paulus ad Romanos : « Infirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus curationum. Alius enim credit se manducare omnia. Qui autem infirmus est, olus manducet. Is qui manducat, non manducantem non spernat ; et qui non manducat, manducantem non

A judicet. Deus enim illum assumpsit. Tu quis es, qui judicas alienum servum ? Domino suo stat, aut cadit. Stabit autem : potens est enim Deus statuere illum, » etc., usque ad finem capit. (*Rom.* xiv). « Debemus autem nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere (*Rom.* xv). » Apostolus autem *infirmum in fide* vocat illum qui judicat et damnat manducantem carnem, bibentem vinum. Et est pessimus error judicare servum Dei, cum Deus dicat : « Nolite judicare, et non judicabimini. nolite condemnare, et non condemnabimini (*Luc.* vi). »

Sed quod dicit : « Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum (*Rom.* xiv) ; » non est præceptum, sed consilium datum illis, qui carnes suas volunt affligere, ne incidant in tentationes dæ-
B monum, si non credunt homines per carnis comestionem esse damnatos. Et iterum dicit Apostolus ad Colossenses : « Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, etc. (*Coloss.* ii.) Et iterum Apostolus ad Titum : « Omnia munda mundis ; coinquinatis autem, et infidelibus nihil mundum (*Tit.* i). » Item : « Inquinatæ sunt et eorum mens et conscientia (*ibid.*). » « Audite me, omnes, et intelligite : Nihil est extra hominem, introiens in eum, quod possit eum coinquinare ; sed, quæ de homine procedunt, illa sunt quæ coinquinant hominem (*Marc.* vii). »

CAPUT XVI.

De resurrectione mortuorum.

Postquam diximus de ciborum comestione, dicamus de mortuorum resurrectione. Hæretici namque
C Sadducæorum errorem imitantes, corporum mortuorum, (seu) hominum, resurrectionem destruunt.

Sed audiant Christum ita dicentem : « Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim, neque nubent neque nubentur ; sed erunt sicut angeli Dei in cœlo. De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est a Deo dicente vobis : Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob. Non est Deus mortuorum, sed vivorum (*Matth.* xxii). » Item in eodem Matthæus : « Et monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum, qui dormierant, resurrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt
D multis (*Matth.* xxvii). » Audis, hæretice, corpora surrexisse.

Item : Dominus in Evangelio secundum Joannem : « Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei ; et procedent, qui bona egerunt in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii (*Joan.* v). » Item in eodem : « Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes ; et separabit eos ab invicem sicut pastor oves ab hædis, » etc. (*Matth.* xxv.)

Et non solum resurrectio mortuorum evangelicis testimoniis confirmatur, sed etiam Paulus in epi-

stolis suis disputando de resurrectione multa locutus est ad Corinthios : « Si autem Christus prædicatur, qui a resurrexit a mortuis, quomodo dicunt quidam in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est et fides nostra (*I Cor.* XV). »

Sed hic hæretici objiciunt : « Quoniam caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt (*ibid.*) » Hoc autem non dixit Apostolus de substantia carnis et sanguinis, sed de operibus carnis et sanguinis : quod exponit Apostolus in sequentibus dicens : « Neque corruptio incorruptionem possidebit (*ibid.*). »

Apostolus videns Corinthios esse seductos in hoc errore volens eos de resurrectione certificare, scripsit eis : «Seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in virtute; seminatur corpus animale, surget corpus spirituale. Si est corpus animale, est et spirituale (*ibid.*). » Item Paulus ad Thessalonicenses : « Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri, qui spem non habent. Si enim credimus quod Jesus mortuus est, et resurrexit, ita et Deus eos, qui dormierant, adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui residui sumus, in adventu Domini non præveniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in jussu, et in voce angeli, et in tuba Dei descendet de cœlo; et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi, » etc. (*I Thess.* IV.) Item Paulus ad Philippenses. « Nostra autem conversatio in cœlis est; unde et Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem virtutis suæ (*Philipp.* I). » Item Matthæus in Evangelio : « Dico autem vobis, quia multi ab Oriente et Occidente venient et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cœlorum. Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores : ibi erit fletus, et stridor dentium (*Matth.* VIII). » Si « fletus » oculorum erit ibi, qui pertinet ad carnem, et « stridor dentium, » qui ossa demonstrat, vera est ergo eorumdem membrorum quæ ceciderant resurrectio.

CAPUT XVII.

De invocatione sanctorum et precibus pro defunctis.

Contra quorumdam hæreticorum perversam opinionem, qui asserunt sanctos et eorum orationes vivis adhuc in mundo pro Christo certantibus non prodesse, nec defunctos vivorum beneficiis et orationibus relevari, fidem nostram et omnium Catholicorum doctorum Ecclesiæ Dei auctoritatibus muniamus.

Aliquando orant vivi pro defunctis, et mortui pro vivis, ut habetur in Evangelio secundum Lucam. Sic enim dives ad Abraham : « Rogo te, Pater, ut mittas eum in domum patris mei : habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi veniant in locum hunc tormentorum (*Luc.* XVI). » Hic dives erat sepultus in infernum, et tamen orabat pro vivis. Quid ergo dicendum est de sanctis, qui consecuti sunt misericordiam, et, non suam, sed aliorum desiderant salutem, et saluti futurorum electorum exaltantur? Et Joannes in Apocalypsi : « Et alius angelus venit, et stetit ante altare, habens thuribulum aureum in manu sua; et data sunt ei incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum, de manu angeli coram Deo. » Audis quia sancti orant, et si orant, pro se, vel pro aliis orant. Pro se non orant, quia, non habent necesse, nec egent augmento alicujus virtutis. Ergo pro aliis orant. Et si pro aliis, ergo pro reprobis, vel salvandis. Sed non pro reprobis, quia sic ait Joannes in Apocalypsi : « Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Domini et propter testimonium, quod habebant, et clamabant voce magna dicentes : Usquequo, Domine, sanctus et verus non judicas et vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra? » (*Apoc.* VI.) Et Dominus in Genesi ad Cain : « Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra (*Gen.* IV). » Et de Abel Paulus : « Et per illam defunctus adhuc loquitur (*Hebr.* XI). » Patens est ergo quod non implorant pro reprobis, de quibus expostulant vindictam. Ergo orant pro salvandis, vivis vel defunctis : et si defuncti pro vivis, patens est, quod multo magis vivi pro defunctis.

Sed defunctorum tria sunt genera. Sunt quidam valde boni, qui in ipsa dissolutione conjunguntur Deo in cœlestibus, et sine pœnæ conflictu, gaudium percipiunt æternum, ut Petrus, Joannes et alii. Et hi precibus non possunt juvari, quia non egent juvamine. Quibus Dominus ait : « Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in cœlis (*Luc.* X); » et latro, cui Dominus : « Hodie mecum eris in paradiso (*Luc.* XXIII). » Item, sunt quidam valde mali : qui peccantes ad mortem, vel existentes in criminalibus, non sunt conversi per pœnitentiam. Et hi suscipientes mortem primam, suscipiunt et secundam, de qua Joannes in Apocalypsi : « Qui vicerit, non lædetur a morte secunda (*Apoc.* II), » id est morte perpetua. Et hi non possunt liberari interventu sanctorum, nec aliquo beneficio, quia in inferno nulla est redemptio, et ipse Deus dedignatur exorari pro talibus. Item, sunt quidam nec valde boni, nec valde mali, qui post commissa, pœnitentia ducti, confessi sunt peccata sua : sed, satisfactione nondum peracta, ingrediuntur viam universæ carnis. Et hi non damnantur, nec statim salvantur, sed puniuntur sub exspectatione percipiendæ salutis. Et hi juvantur orationibus et beneficiis, pro quibus Deus non respuit preces, quia non peccaverunt ad mortem. Unde Joannes in Epistola

prima : « Hæc scribo vobis, ut sciatis, quoniam vitam habetis æternam. Quia creditis in nomine Filii Dei. Et hæc est fiducia quam habemus ad eum, quia quæcunque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos. Et scimus quia audit nos quidquid petierimus. Scimus quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo. Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat; et dabit ei vitam peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis (*I Joan.* v). » Item, sunt peccantes ad mortem, de quibus Judas in Epistola Canonica (*vers.* 3) : « Quibus procella tenebrarum conservata est in æternum. »

Diximus pro quibus sit orandum, et etiam auctoritate Joannis probavimus. Item, quod vivorum oratio profuerit defunctis, in Actibus apostolorum (patet.) « Ejectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua sua oravit : et conversus ad corpus dixit : Tabitha, surge. At illa aperuit oculos suos, et viso Petro, resedit. Dans autem illi manum, erexit eam. Et cum vocasset sanctos, et viduas, assignavit eam vivam (*Act.* IX). » Item Martha ad Jesum : « Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus (*Joan.* XI). » Item in libro Machabæorum : « At vero fortissimus Judas, facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans. Nisi enim eos qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur et vanum orare pro mortuis, et quia considerabat quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam habebant repositam gratiam. Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur (*II Mach.* XII). » Et cum apud veteres esset consuetudo, et rectum videretur, orare pro mortuis, quia statim non poterant salvari, sed sub exspectatione ad infernum descendebant. Quid dicemus de his qui statim possunt salvari?

Item sunt qui dicunt neminem posse salvari, qui non pœniteat, nisi in articulo mortis, nec pro eo esse orandum. Sed audiant quid dicat Dominus latroni, ad ultimum pœnitenti, et satisfacere non valenti : « Hodie mecum eris in paradiso (*Luc.* XXIII) » : Item : « Quacunque hora peccator ingemuerit, salvus erit (*Ezech.* XXXIII). » Sed dicis facere te posse salvari peccatorem sine pœnitentia et satisfactione. In quo notatur, quia divinæ potentiæ detrahere conaris, cum Dominus dicat in propheta : « Ego sum, qui deleo iniquitates et peccata populi (*Isa.* XLIII). » Sed peccatum hujus peccatoris, quem te salvare affirmas, non delet Deus, cum non pœniteat. Cave ergo ne de cætero aliquid tam detestabile præsumas dicere.

CAPUT XVIII.

De juramento.

De juramento agamus, et quod juramentum licitum, et quod illicitum, authentice, de thesauro Scripturarum proferamus. Ait namque Moyses in Genesi : « Locutus est Dominus ad Abraham dicens : Per memetipsum juravi, dicit Dominus; quia fecisti rem hanc, » etc. (*Gen.* XXII.) Item Moyses ad populum Israel : « Dominum Deum tuum time; et per nomen illius jurabis (*Deut.* VI). » Ecce audis, hæretice, prophetam Moysen attestantem, quod Deus testatur in Evangelio dicens : « Nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram (*Matth.* v). » Jurare per creaturas prohibebat Dominus, qui per semetipsum juravit ad Noe, et ad Abraham. Unde Moyses dicit : « In nomine Dei tui jurabis (*Deut.* X). » Item : « Reddes Domino juramenta tua (*Matth.* v). » Et Dominus : « Non perjurabis in nomine meo (*Levit.* XIX). » Et Moyses huic dicto concordat dicens : « Non perjurabis in nomine Domini Dei vivi. » Item Abraham ad servum suum : « Jura mihi per Deum cœli. » Ecce per Creatorem, et non per creaturam voluit Abraham jurari, cui Dominus per semetipsum juraverat; cognovit, per ipsum debere jurari. De quo juramento Zacharias : « Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis (*Luc.* I). » Et Habacuc : « Suscitans suscitabis arcum tuum : juramenta tribubus, quæ locutus es (*Habac.* III). » Et David in Psalmo : « Semel juravi in sancto meo si David mentiar, semen ejus in æternum manebit (*Psal.* LXXXVIII). » Item David : « Qui jurat proximo suo, et non decipit, » etc. (*Psal.* LIV.) Item David : « Juravit Dominus, et non pœnitebit eum (*Psal.* CIX). » Non tantum juravit, sed etiam jurasse non pœnituit. In quo probatur, illud juramentum non esse malum. In commendatione enim operis, designatur certum opus factoris.

Item in libro Ecclesiastici : « Ideo jurejurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam (*Eccle.* XLIV). » Item patet ad Corinthios. « Ego autem testem Deum invoco in animam meam (*II Cor.* I). » Item : « Testificor coram Deo (*II Tim.* IV). » Item Paulus : « Non segnes efficiamini, verum imitatores eorum qui fide et patientia hæreditabant promissiones. Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem juraret majorem, juravit per semetipsum, dicens : Nisi benedicens benedicam te, et multiplicans multiplicabo te. Et sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem. In quo volens Deus abundantius ostendere pollicitationibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum; ut per has duas res immobiles, quibus impossibile est, mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam spem (*Hebr.* VI). » Item Petrus in Actibus apostolorum de David : « Propheta igitur cum esset, et sciret quia jurejurando jurasset illi Deus, de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus providens, locutus est de resurrectione Christi (*Act.* II). »

Sed objicis, hæretice, illud quod Dominus in Evangelio ait : « Nolite jurare omnino : neque per cœlum, neque per terram (*Matth.* v). » Hic prohibet jurare per creaturas, quia non est adducenda in te-

stimonium juramenti creatura, sed Creator. Sed si peccatum est jurare per Creatorem, et Deus juravit: ergo peccavit.

Item objicis: « Sit sermo vester, est, est; non, non. (*Matth.* v.) » Vide qui hoc verbum, « sum, es, » habeat significare. Ostendit enim divinam essentiam, sicut ait Dominus ad Moysen: « Ego sum, qui sum (*Exod.* III). » Item Dominus ad Moysen: « Si quæsierint nomen meum, dices ad eos: qui est, misit me ad vos (*ibid.*). » Item in Apocalypsi; « Ego sum alpha et omega (*Apoc.* I). » Ecce, hoc verbum « est » divinam ostendit essentiam, quæ proprie est; et a qua quidquid est, habet suum esse. Et, qui dicit, « est, » Deum inducit in testimonium. Et, si falsus est, qui dicit, proferendo « est, » in vanum assumit nomen Domini Dei; quod Dominus prohibet dicens: « Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum (*Exod.* XX). » Sed, cum Dominus dixerit: « Sermo vester sit, est, est, non, non, » docet, ut, quorum concordat vita, eorum concordent et verba.

Item objicis: « Sed si aliquid amplius est, a malo est (*Matth.* v). » Nota, hoc dictum est, « a malo est; » non dixit, malum est, sed a malo est, id est ab incredulitate. Sed, hæretice, audi; proximum tuum debes diligere, sicut te ipsum, Domino dicente: « Diliges proximum tuum sicut teipsum. » Item Joannes: « Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? (*I Joan.* IV). » Sed tu solummodo dicis fratres tuos, hæreticæ pravitati consentientes: quod nequaquam est ita. Quia, omnis homo est frater tuus, et proximus tuus. Qui proximus, si sit incredulus tibi, quantum poteris, debes revocare eum ab incredulitate, adhibendo fidem. Quod, ni feceris, non vis eum salvari, nec imples mandatum divinum.

Item de juramento Joannes in Apocalypsi: « Et angelus, qui tenebat pedem dextrum super mare; sinistrum autem super terram, levavit manum suam ad cœlum, et juravit per Viventem in sæcula sæculorum, qui creavit cœlum et omnia quæ in illo sunt, et terram et ea quæ in ea sunt, et mare et quæ in illo sunt (*Apoc.* X). » Ecce audis idoneum testem angelum, qui juravit, et testatus est, quia Deus omnia creavit, cui dicto, hæretice, contradicis? Credis angelum peccasse? Absit! Non enim peccare possunt angeli Dei, quia confirmati sunt, et astricti summo bono. Ista tibi sufficiant, hæretice, de juramento quia omnia quæ occurrunt, enumerare per longum haberetur.

CAPUT XIX.

De occisione hominis.

Explanatis ad evidentiam supra dictorum, quæ sufficere debent capitulis, de occisione agamus. Et qualiter Deus non occidere. (*Reliqua in M. S. codice membraneo desiderantur, nisi forte auctori ipsi mors telam præsciderit inchoatam, et aliquo usque detextam.*)

ANNO DOMINI MCXCII

ADAM S. VICTORIS

CANONICUS REGULARIS

(Vide *Patrologiæ* tom. CXCVI, post Opera Richardi Victorini)

CLEMENS III PAPA

NOTITIA

(MANSI, *Concil.*, tom. XXII, pag. 513)

Clemens, hujus nominis tertius, patria Romanus, qui Paulinus antea nominabatur, ex cardinale Prænestino anno Domini millesimo centesimo octuagesimo octavo, sub Friderico imperatore, octavo Idus Januarii pontifex factus est. Qui statim indictam a prædecessore expeditionem ad Terram Sanctam promovere, eamque ad effectum ducere laboravit, et indulgentiam confirmavit, statuens quod quicunque ea de causa sacram crucem susceperit, de omnibus peccatis, de quibus pœnitens confessus fuerit, auctoritate Dei et sanctorum apostolorum Petri et Pauli esset liber et absolutus. — Hæc Rogerus recensens etiam pro Terra Sancta recuperanda certam formulam precum ab eodem pontifice per singulos dies præscriptam. Cum senatu Romano conditionibus satis iniquis concordia inita, Romam rediit. Inde missis legationibus ad reges Franciæ et Angliæ bello dissidentes, cogitationem omnem ad recuperandam Terram Sanctam convertit, cum præsertim Saladinus omnem Antiochiæ principatum occupasset. Imperator et Christiani principes, ejus piis conatibus assentientes, arma arripuerunt, ac ipsum imperatorem magno exercitu præeuntem, Franciæ atque Angliæ reges, Burgundiæ dux, cum Venetis Pisani, aliique quamplurimi subsecuti fuerunt. Eo tempore Guillelmus Siciliæ rex absque liberis morte sublatus est. Sed Tancredus, ejusdem Guillelmi consanguineus, vindicans sibi regnum, bellum civile conflavit. Ad quem pellendum Henricus rex ob Constantiam uxorem suam hæredem regni proximiorem in Italiam exercitum misit. Cumque plurima damna rebellibus intulisset, re adhuc infecta reversus est in Germaniam. Pontifex Tancredo favens, ei investituram regni dedit. NEUBRIGENSIS.

Exinde ad reformationem ecclesiasticam conversus, monasterium Sancti Laurentii extra mœnia ædificavit, palatium Lateranense reparavit. His paulo post confectis, quarto Idus Aprilis obiit, et sepultus est Romæ in ecclesia Lateranensi, anno Domini millesimo centesimo nonagesimo primo, cum Ecclesiam tribus annis, tribus mensibus, et quatuor diebus gubernasset. Hujus etiam temporibus Fridericus imperator post immensos superatos labores in Terræ Sanctæ expeditione, post victum in prælio Soldanum Iconii, peragrans partes inferiores Armeniæ, in Caleph flumine, rapido cursu undarum ejus absorptus interiit; et successit ejus filius Henricus jamdiu ante hæc tempora in regem Germaniæ assumptus.

NOTITIA DIPLOMATICA.

(Philippus JAFFÉ, *Regesta pontif. Rom.*, p. 869.)

Primis Clementis III epistolis diplomatibusque brevioribus (a d. 5 Jan. ad 26 Jan. 1188) addita indictio est; sed jam die 16 Febr. 1188 incœperunt soli pontificatus anni apponi, id quod antea non usitatum fuerat.

In ejus bullis legitur sententia hæc: DOCE ME, DOMINE, FACERE VOLUNTATEM TUAM.

Subscripserunt:

Ep. Albanensis.	Albinus	a 12 Jun. 1189	ad 21 Jun. 1190
» Ostiensis et Velletrensis.	Theobaldus. . .	a 23 Dec. 1187	ad 28 Oct. 1188
	Octavianus . . .	a 12 Jun. 1189	ad 21 Jun. 1190
» Portuensis et S. Rufinæ.	Bobo.	a 12 Jun. 1189	ad 26 Jun. 1189
	Klr.	d. 12 Sept. 1189	
Tit. S. Clementis cardinalis et Tuscanensis episcopus.	Joannes.	a 12 Jun. 1189	ad 21 Jun. 1190
Pr. card. tit. S. Anastasiæ.	Bobo.	a 28 Mart. 1188	ad 20 Apr. 1189
» » » XII Apostolorum.	Pandulfus. . . .	a 6 Mai. 1188	ad 12 Jun. 1189
» » » S. Cæciliæ.	Petrus.	a 2 Jun. 1188	ad 21 Jun. 1190
» » » S. Clementis.	Petrus.	a 16 Mars. 1188	ad 28 Oct. 1188
» » » S. Mariæ trans Tiberim tit. Calixti.	Laborans. . . .	a 23 Dec. 1187	ad 26 Jun. 1189
» » » S. Crucis in Jerusalem. . . .	Abinus	a 25 Febr. 1188	ad 20 Apr. 1189
» » » S. Laurentii in Damaso . . .	Petrus.	a 28 Oct. 1188	ad 21 Jun. 1190
» » » SS. Joannis et Pauli tit. Pa- .			

		machii.	Melior.	a 23 Dec. 1187 ad 21 Jun. 1188
» » »	S.	Marcelli.	Adelardus.	d. 28 Oct. 1188
» » »	S.	Marci.	Joannes.	a 11 Febr. 1188 ad 21 Jun. 1190
» » »	S.	Petri ad Vincula tit. Eudoxiæ.	Petrus.	a 6 Mai. 1188 ad 1 Sept. 1190
» » »	S.	Praxedis	Radulfus	a 16 Mart. 1188 ad 22 Nov. 1188
» » »	S.	Pudentianæ tit. Pastoris.	Jordanus	a 16 Mart. 1188 ad 21 Jun. 1190
» » »	S.	Susannæ.	Alexius.	a 28 Mart. 1188 ad 16 Mart. 1189
			Joannes Felix.	a 4 Jun. 1190 ad 21 Jun. 1190
Diac. card.	S.	Adriani	Gerardus	a 17 Mart. 1188 ad 12 Jun. 1189
» »	S.	Angeli.	Bobo.	d. 17 Mart. 1188
» »	SS.	Cosmæ et Damiani.	Gratianus.	a 23 Dec. 1187 ad 21 Jun. 1190
» »	S.	Eustachii juxta templum Agrippæ	Joannes Felix.	a 6 Mai. 1188 ad 12 Sept. 1189
» »	S.	Georgii ad Velum Aureum.	Radulfus	a 23 Dec. 1187 ad 17 Mart. 1188
» »	S.	Mariæ in Aquiro.	Gregorius.	a 6 Mai. 1188 ad 21 Jun. 1190
» »	S.	Mariæ in Cosmedin	Iacinthus.	a 23 Dec. 1187 ad 21 Jun. 1190
» »	S.	Mariæ in Porticu.	Gregorius.	a 6 Mai. 1188 ad 21 Jun. 1190
» »	S.	Mariæ in Via Lata	Soffredus.	a 11 Febr. 1188 ad 21 Jun. 1190
» »	S.	Mariæ Novæ.	Bernardus	a 6 Mai. 1188 ad 21 Jun. 1190
» »	S.	Nicolai in Carcere Tulliano.	Petrus.	a 23 Dec. 1187 ad 17 Mart. 1188
» »	SS.	Sergii et Bacchi.	Octavianus	a 23 Dec. 1188 ad 20 Apr. 1189
» »	S.	S. Theodori	Joannes.	a 16 Mart. 1188 ad 4 Jun. 1190

Datæ bullæ sunt p. m.
Moysis Lateranensis canonici vicem agentis cancellarii a 23 Dec. 1187 ad 2 Mart. 1188.
Moysis S. R. E. subdiaconi vicem agentis concellarii a 16 Mart. 1188 ad 1 Sept. 1190.

CLEMENTIS III

PONTIFICIS ROMANI

EPISTOLÆ ET PRIVILEGIA.

De libris adhibitis vide indicem tomo *Patrologiæ* CLXXIX præfixum.

ANNO 1187.

I.

Omnia monasteria congregationi Camaldulensi confirmat, eaque regimini prioris ejusdem congregationis subjicit.

(Pisis, Dec. 23.)

[MITTARELLI, *Annal. Camaldul.*, IV. App., p. 159.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... priori Camaldulensi ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Officii nostri nos admonet et invitat auctoritas pro ecclesiarum statu satagere, et earum quieti et tranquillitati salubriter, auxiliante Domino, providere. Dignum namque et honestati conveniens esse dignoscitur, ut qui ad earum regimen, Domino disponente, assumpti sumus, eas et a pravorum hominum nequitia tueamur, et beati Petri atque apostolicæ sedis patrocinio muniamus. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Paschalis, Eugenii, Anastasii, A Adriani et Alexandri, Romanorum pontificum, vestigiis inhærentes statuimus, et præsentis decreti auctoritate sancimus, ne cuiquam omnino personæ clerico, monacho, laico cujuscunque ordinis aut dignitatis, præsentibus aut futuris temporibus, liceat congregationes illas et loca illa quæ Camaldulensis eremi sive cœnobii disciplinam et ordinem susceperunt, quæque hodie sub illius regimine continentur, ab ejus ullomodo subjectione et unitate dividere; quæ videlicet loca et congregationes conservandæ unitatis gratia, singularibus visa sunt vocabulis adnotanda :

In episcopatu Arretino monasterium Sancti Salvatoris Berardingorum, Sancti Petri in Rota, Sanctæ Mariæ in Agnano, Sancti Quirini in Rosa, eremum Fleri; B monasterium Sancti Viviani, Sancti Bartholomæi in Anglare; juxta Balneum monasterium Sanctæ Mariæ in Trivio; in Galliata monasterium in Insula. In episcopatu Montis Feretrani monasterium Montis-Herculis; in episcopatu Forispompiliensi hospitale Aimerici; in episcopatu Pesauriensi, monasterium Sancti Dicentii, eremum Sagoli; in episcopatu Bononiensi monasterium San-

cti Archangeli, juxta castrum Britti, Sancti Felicis; A in episcopatu Florentino monasterium Sancti Petri de Luco, Sancti Salvatoris, juxta civitatem; in episcopatu Fesulano monasterium Sanctæ Mariæ in Poplena et ecclesiam Sanctæ Margaritæ; in episcopatu Vulterrano monasterium Sancti Petri in Fontiano, Sanctæ Mariæ in Policiano, Sancti Petri in Cerreto, Sancti Justi prope civitatem. In episcopatu Pisano monasterium Sanctæ Mariæ de Morrona, monasterium Sancti Stephani in Cintoria, Sancti Savini in Montione; in ipsa civitate monasterium Sancti Michaelis, Sancti Fridiani, Sancti Zenonis. In episcopatu Lucano monasterium Sancti Salvatoris in Cantiniano, Sancti Petri in Putheolis. Item in Sardinia in episcopatu Turritano monasterium Sanctæ Trinitatis de Saccaria, ecclesiam Sanctæ B Eugeniæ in Samanar, ecclesiam Sancti Michaelis et Sancti Laurentii in Vanari, ecclesiam Sanctæ Mariæ et Sancti Joannis in Altasar, ecclesiam Sanctæ Mariæ in Contra, ecclesiam Sancti Joannis et Sancti Simeonis in Salvener, ecclesiam Sancti Nicolai de Trulla, ecclesiam Sancti Petri in Scano, ecclesiam Sancti Pauli in Contrognano, ecclesiam Sancti Petri in Olim. Item in Fuscia, in episcopatu Clusino eremum Vivi in Monte-Amiato cum omnibus supradictorum locorum pertinentiis. Villam præterea de Majona, quam emistis ab Henrico præposito et reliquis canonicis, cum omnibus pertinentiis suis; villam de Moncione, quam emistis ab abbate Sanctæ Floræ, quemadmodum in vestris cartulis continetur, et vobis a prædecessore nostro bonæ memoriæ C papa Anastasio, mediante justitia, adjudicata est, et scripti sui sententia confirmata.

Omnia igitur supradicta monasteria cum omnibus ad ipsa pertinentibus, ad instar prædicti antecessoris nostri Alexandri, statuimus et apostolicæ sedis auctoritate sancimus, tanquam corpus unum sub uno capite, id est sub priore Camaldulensis eremi temporibus perpetuis permanere, et in illius disciplinæ observatione persistere, sub eo, inquam, priore, qui ab ipsius congregationis abbatibus sive prioribus, et ab eremitis regulariter electus, præstante Domino, fuerit. Porro congregationem ipsam, ita sub apostolicæ sedis tutela perpetuo confovendam decernimus, ut nulli episcoporum facultas sit D aliquod ex his monasterium, absque prioris conniventia vel apostolicæ sedis licentia excommunicare, vel a divinis officiis interdicere.

Statuimus insuper, ut decimas terrarum vestrarum nullus a vobis extorquere præsumat, sed distribuendi eas hospitalibus vestris in usum pauperum, secundum antiquam consuetudinem vestram, liberam habeatis, auctoritate apostolica facultatem. Indulgemus etiam ut in conventus vestri prælatis instituendis et amovendis, sicut hactenus dicitur ab antecessoribus nostris obtentum, liceat et vobis sine contradictione qualibet observare. Fratribus autem ipsis licentia sit a quo maluerint Catholico episcopo consecrationum et ordinationum sacramenta suscipere.

Ad hæc monasterium de Urano vobis et conventui vestro, salvo jure Ravennatis ecclesiæ, auctoritate apostolica, ad exemplar jam dicti prædecessoris nostri Alexandri confirmamus.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, etc. Si qua igitur, etc.

Cunctis, etc. Amen, amen, amen.

Ego Clemens catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Theobaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus.

Ego Laborans presb. card. Sanctæ Mariæ trans Tiberim tit. Calixti.

Ego Melior presb. card. Sanctorum Joannis et Pauli tit. Pammachii.

Ego Hiacynthus Sanctæ Mariæ in Cosmedin diac. card.

Ego Gratianus Sanctorum Cosmæ et Damiani diac. card.

Ego Octavianus Sanctorum Sergii et Bacchi diac. card.

Ego Petrus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diac. card.

Ego Radulphus Sancti Georgii ad Velum Aureum diac. card.

Datum Pisis, per manum Moysis Lateranensis canonici, x Kalendas Januarii, indictione vi, Incarnationis Dominicæ anno 1187, pontificatus vero domini Clementis papæ III anno primo.

—

ANNO 1188.

—

II.

Monasterio Regiæ-vallis ecclesias de Rengis-valle et de Jovillare asserit.

(Pisis, Jan. 5.)

[Hugo, *Ord. Præm. Annal.*, II, Pr., p. 145.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, etc., dilectis filiis Galtero abbati et conventui Regiævallis, salutem et apostolicam benedictionem.

Ut officio quod nobis est superna dispositione commissum, personas religioni obnoxias sincera tenemur charitate diligere et super justis petitionibus exaudire. Sicut autem in scriptis dilectorum filiorum nostrorum Hugonis abbatis et generalis capituli abbatum et fratrum Ecclesiæ Præmonstratensis inspeximus, cum ecclesiæ de Rengis-valle et de Jovillari, quæ sunt vestræ filiæ pro eo quod a vestra ecclesia emanarunt, fuissent a principio suæ institutionis eidem ecclesiæ subjectæ, et tempore trium abbatum, in Ecclesia vestra constitutorum, filialem reverentiam impendissent; abbas et fratres de Rengis-valle, quia fratres, qui ab ecclesia Præmonstrata missi fuerunt, primo venerant ad locum suum; quamvis ibidem, pro eo quod locus ipse nimis arctus existeret, non remanserunt, sed ad vestrum se locum exinde transtulerunt, se cœperunt ecclesiæ vestræ subtrahere, dicentes : Præ-

monstrati ecclesiæ debere tantummodo de jure subesse; qua de causa bonæ memoriæ Philippus quondam abbas Præmonstratensis ecclesiæ, inconsulto abbate Regiæ-vallis, pro bono pacis constituit, ut utraque illarum ecclesiarum ecclesiæ Præmonstratensi tantum subjacerent, quod utique usque ad tua est, fili abbas, tempora observatum. Verum te super hoc proponente in capitulo Præmonstratensi quæstionem, jam dictæ sunt vobis ecclesiæ restitutæ, et præceptum eis, ut debeant deinceps Ecclesiæ vestræ subesse, quod utique factum est, ne possit alliquo tempore immutari, scriptis sigillis Hugonis abbatis, et generalis Præmonstratensis ecclesiæ capituli abbatum et fratrum consignatis, fuit postmodum roboratum. Nos etiam ut idem perpetuam habeat firmitatem, sicut rationaliter factum est, et in eisdem scriptis plenius continetur, auctoritate duximus apostolica roborandum.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infirmare, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Pisis, Nonis Januarii, indictione VI.

III.

Monasterii Vallumbrosani protectionem suscipit et possessiones juraque confirmat.

(Pisis, Jan. 6.)

[LAMI, *Eccl. Flor. Monum.*, I, 552.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis FERTIO Vallumbrosano abbati, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Monet nos apostolicæ sedis, cui licet immeriti præsidemus, auctoritas, pro statu omnium ecclesiarum provida circumspectione satagere, et ne malignorum rapinis vel molestiis exponantur apostolicum ipsis patrocinium exhibere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum Vallumbrosanum monasterium, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus monasteriis sibi subjectis sub D. Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Statuentes ut omnis immunitas et omnis libertas, quæ a prædecessoribus nostris felicis memoriæ Victore, Gregorio VII, Urbano, Paschale, Innocentio et Adriano atque Urbano Romanis pontificibus jam dicto monasterio concessa est, futuris perpetuis temporibus firma vobis vestrisque successoribus ac Vallumbrosanæ congregationi illibataque permaneant.

Adjicimus etiam, ut quascunque possessiones, quæcunque bona jam dictum monasterium, omnisque Vallumbrosana congregatio juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus ac Vallumbrosanæ A congregationi et illibata permaneant: In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est cum omnibus suis pertinentiis. Castrum de Magnale cum ecclesia et suis pertinentiis; ecclesiam de Fosi cum tota villa et suis pertinentiis. Hospitale de Sprunzola cum ecclesia et suis pertinentiis; hospitale de Faventia cum suis pertinentiis; monasterium Sancti Salvii; monasterium Sanctæ Trinitatis de Florentia; monasterium Strumense; monasterium de Osella et Sancti Jacobi de Castello; monasterium de Passiniano et Sancti Michaelis de Senis et de Alphiano; monasterium de Cultubono, de Monte Pisis; monasterium de Montescalario et de Nerano; monasterium de Fisi- B clo et de Cappiano; monasterium Sancti Pauli Pisani; monasterium de Plaiano et Sancti Venerei in Sardinca; monasterium Sancti Angeli de Pistorio, de Pacciano et S. Mariæ de Grato; monasterium Vajani, de Oppleta, de Monte Plano; monasterium de Fonte Thaonis; monasterium de Musceto, de Monte Armato et Sanctæ Ceciliæ; monasterium Sanctæ Reparatæ; monasterium de Forolivio, de Trecento, de Crispino, de Razzolo, de Rivo Cæsaris, de Cuneo, de Turri; monasterium de Caprilla; monasterium Placentinum, Papiense, Cremonense; monasterium de Cavanna, de Novaria; de Vercellis, de Janua, de Terdona, de Taurino; monasterium Brixiense, Veronense, et Sancti Vigilii; C monasterium Bergomense, Mediolanense, Sancti Carpophori et Astense.

Sane nulli omnino hominum liceat conversos aut monachos jam dicti monasterii aut totius congregationis ausu temerario capere, retinere, seu aliquibus vexationibus infestare. Interdicimus quoque ut nulli episcoporum fas sit in vos excommunicationis vel interdicti sententiam promulgare, ut, qui in speciales estis filios apostolicæ sedis assumpti, nullius alterius judicium temere subeatis. Sancimus insuper, ut decimas fructuum vestrorum, quos ubilibet propriis sumptibus laboribusque colligitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis exigere vel extorquere præsumat.

Liceat etiam vobis clericos et laicos, liberos et D absolutos ad conversionem, absque cujuslibet interdictione, suscipere, et Christianæ tradere sepulturæ eos, qui se apud vos devoverint sepelire, et tam ipsorum quam cæterorum fidelium oblationes, sine præjudicio aliarum ecclesiarum recipere. Præsentis etiam decreti auctoritate sancimus ut, si quando, urgente necessitate, commune vel speciale interdictum ab episcopo diœcesano processerit, clausis januis, non pulsatis tintinnabulis, et exclusis excommunicatis et interdictis, suppressa voce, vestrisque tantum fratribus, divina in vestris monasteriis liceat officia celebrare.

Præterea secundum communem institutionem omnium abbatum ordinis vestri in generali capitulo congregationis factam, tibi, fili abbas, de quo-

libet monasterio congregationis fratres ad principale monasterium, prout videris animæ saluti expedire, sine alicujus contradictione transferre, et quoniam apostolica sedes nulli debet delinquendi præstare materiam vel favorem, adjicientes statuimus, ut abbates sive fratres vestræ congregationis, qui, occasione protectionis apostolicæ sedis, minus regulariter, quam ordo monasticus vel consuetudo Vallumbrosanæ congregationis exigat, vivere cupiant, Vallumbrosanus abbas canonice illos corrigendi liberam habeat facultatem, et ut nullis fratribus ejusdem congregationis liceat constituere sibi abbatem, sine consensu ejus, sicut a tempore bonæ memoriæ Joannis primi abbatis ejusdem congregationis noscitur observatum. A

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire præsumpserit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris C nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Clemens catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Theobaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus.

Ego Laborans presb. card. S. Mariæ trans Tiberim tit. Calixti.

Ego Melior presb. card. SS. Joannis et Pauli tit. Pammachii.

D Ego Jacobus diaconus cardinalis S. Mariæ in Cosmedin.

Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani diaconus card.

Ego Octavianus SS. Sergii et Bacchi diaconus card.

Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Tulliano diac. card.

Ego Radulphus S. Georgii ad Velum Aureum diac. card.

Datum Pisis, per manus Moysis Lateranensis canonici et S. R. E. vice-cancellarii, VIII Idus Januar., indictione VI, Incarnationis Dominicæ anno 1188, pontificatus vero domini Clementis papæ III anno primo.

IV.

Monasterii S. Michaelis Orticariensis protectionem suscipit, possessionesque confirmat.

(Pisis, Jan. 11)

[MITTARELLI, *Annal. Camaldul.*, IV. App. p. 174.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis HUGONI abbati S. Michaelis de Orticaria, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Religiosis desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, ut fidelis devotio effectum celerem sortiatur, et ut tanto liberius sacræ religionis observantiæ et aliis operibus bonis insistat, quanto apostolica sede se senserit in pio proposito benignius confoveri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris B justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium S. Michaelis de Orticaria, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, imprimis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti Regulam atque institutionem fratrum Pulsanensium in eodem monasterio nascitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum juste et canonice possidet, etc. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Locum ipsum, in quo præfata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Jacobi de Padio in Pisano episcopatu; ecclesiam S. Crucis de Corvo in Lunensi episcopatu, cum omnibus ad ipsam pertinentibus. Liceat quoque vobis clericos vel laicos e sæculo fugientes liberos et absolutos ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Sepulturam præterea ipsius monasterii liberam esse statuimus, etc. Decernimus ergo, etc.

Ego Clemens catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Laborans presb. card. S. Mariæ trans Tiberim tit. Calisti.

Ego Melior presb. card. SS. Joannis et Pauli tit. Pammachii.

Ego Hiacynthus S. Mariæ in Cosmedin diaconus card.

Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damjani diaconus cardinalis.

Ego Octavianus Sanctorum Sergii et Bacchi diac. card.

Ego Petrus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diac. card.

Ego Radulphus S. Georgii ad Velum Aureum diac. card.

Datum Pisis, per manum Moysis Lateranensis canonici, vicem agentis cancellarii, III Idus Januarii, indictione IV, Incarnationis Dominicæ anno 1189, pontificatus vero domini Clementis papæ III anno primo.

V.

Ecclesiæ S. Michaelis Aretinæ protectionem suscipit, possessionesque ac privilegia confirmat.

(Pisis, Jan. 13.)

[*Ibid.*, p. 162.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori ecclesiæ S. Michaelis, quæ in suburbio Aretinæ civitatis sita est, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Religiosis desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, ut fidelis devotio effectum celerem sortiatur, et ut tanto liberius sacræ religionis observantiæ et aliis operibus bonis insistat, quanto ab apostolica sede se senserit in pio proposito benignius confoveri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam S. Michaelis, in qua divino estis obsequio mancipati, ad exemplar felicis memoriæ Anastasii papæ prædecessoris nostri sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes, ut ordo monasticus qui secundum Deum et beati Benedicti Regulam atque institutionem Camaldulensium fratrum in eadem ecclesia noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis. Propriæ parochiæ fines, quemadmodum in authentico scripto Hieronymi quondam Aretini episcopi continetur, duximus distinguendos, totum videlicet populum, qui nunc est habitator, aut erit in suburbio ex utraque parte stratæ a domo sive classaria olim filii Tiribaldi dicta, qua itur ad S. Petrum Minorem usque ad domum sive classariam olim dictam Moronti, qua itur ad S. Michaelis molendinum, et a domo sive classaria olim Ardimanni Villani dicta, qua itur ad S. Bartholomæum, usque ad domum sive classariam, olim Aricii Captapanis dictam, qua itur ad molendinum supradictæ ecclesiæ patronorum, videlicet filiorum seu nepotum Rainerii Gerzi. Præterea medietatem molendini, quod est juxta suburbium, cum omnibus pertinentiis et utilitatibus suis ; domos quas habetis in eodem suburbio cum omnibus utilitatibus suis ; plateam quæ ante ipsam ecclesiam sita est, sicut in donationis chartula continetur ; quidquid habetis in Albagnoro et in Montagnoro. Terras, quas Joannes quondam prior cum matre sua eidem ecclesiæ pietatis intuitu tradidit. Terras quas..... Iventone cum uxore et filio vobis donavit ; quidquid a Mazagallo emistis, seu ipse vobis donavit, et quidquid Petrolus ejus nepos vobiscum cambiavit seu donavit ; terram quam a Filiastro emistis ; terram quam Gerardinus vobis pro animæ suæ remedio tradidit, sicuti in chartula ab eo et filiis rogata continetur ; terras quas habetis in civitate Aretina.

Oleum quoque sanctum infirmorum, et cuncta quæ ecclesiastici officii sunt, præter baptismum, tam in solemnitatibus quam in festivis et quotidianis diebus, vobis vestrisque successoribus et Ecclesiæ vestræ, sicut a prædicto episcopo vobis concessa sunt, vobis nihilominus confirmamus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia matricis ecclesiæ. Decernimus ergo, etc., salva sedis apostolicæ auctoritate et in omnibus Camaldulensis prioris obedientia et reverentia, et Aretini episcopi canonica justitia. Si qua igitur, etc.

Ego Clemens catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Theobaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus.

Ego Melior presb. card. SS. Joannis et Pauli tit. Pamachii.

Ego Laborans presb. card. S. Mariæ trans Tiberim tit. Calixti.

Ego Hyacinthus diac. card. S. Mariæ in Cosmedin.

Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani diac. card.

Ego Octavianus SS. Sergii et Bacchi diaconus cardinalis.

Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Tulliano diac. card.

Ego Radulfus S. Georgii ad Velum Aureum diac. card.

Datum Pisis, per manum Moysis Lateranensis canonici, vicem agentis cancellarii, Idibus Januarii, indictione VI, Incarnationis Dominicæ anno 1188, pontificatus vero domini Clementis papæ III anno primo.

VI.

Petente Mauricio episcopo Parisiensi, abbatias Herivallis, Hermeriarum, Montis Estivi et de Gif confirmat.

(Pisis, Jan. 15.)

[*Cartulaire de N.-D. de Paris*, I, 33.)

Clemens Mauricio Parisiensi episcopo.

Justis petentium desideriis dignum est nos facile præbere consensum, et vota quæ a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis postulationibus annuentes, abbatias Herivallis, Hermeriarum, Montis Estivi, de Gif, quas de novo diceris construxisse, sicut canonice et sine controversia possides, auctoritate tibi apostolica confirmamus,

et præsentis scripti patronicio communimus, statuentes ut nulli omnino hominum liceat, etc.

Datum Pisis, XVIII Kal. Febr., indictione VI.

VII.

Monasterii S. Cassiani Carisiensis protectionem suscipit, possessionesque ac privilegia confirmat.

(Pisis, Jan. 16.)

[MITTARELLI, *Annal. Camaldul.*, IV, App., 164.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis..... abbati S. Cassiani de Parisio, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Effectum justa postulantibus indulgere et vigor æquitatis et ordo exigit rationis, præsertim quando petentium voluntatem et pietas adjuvat et veritas non relinquit. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et monasterium S. Cassiani, in quo divino mancipati estis obsequio, felicis recordationis Lucii papæ prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu justis aliis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, imprimis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti Regulam in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Possessionum autem nomina propriis duximus exprimenda vocabulis.

Villam de Carisio cum curte et districto et omnibus pertinentiis ejus cum flumine Regulo; ecclesiam S. Michaelis de Monte-ruttulo cum omnibus quæ habet et possidet; omnia quæ habetis in castello de Pezole; ecclesiam S. Cerbonii cum omnibus quæ habetis in villa et curte de Applano; jus quod habetis in ecclesia S. Donati cum omnibus quæ ad ipsam pertinere noscuntur; omnia quæ habetis in Rocca, et in curte de Valli; jus quod habetis in ecclesia S. Justi; quæcunque habetis in curte de Alliga, et in curte et districto de Folliano, et in podio de Monte Tusculi, et in curte de Aletreta cum ecclesia S. Andreæ, et omnibus quæ habetis in eadem villa; ecclesiam S. Pontiani cum podio, villa et curte ejusdem; quæ habetis in curte de Legul et in curte de Fognano, et in curte de castello Falfi; ecclesiam S. Petri de Libiano; ecclesiam S. Mariæ de Griciano cum omnibus quæ habetis in Griciano et curte ejus; omnia quæ habetis in curte de monte Cuccari, et curte de Monticlo, et in curte de Pava, in curte de Casanova, et in villa de Padule et in curte de Camuliano, et in curte de Palaja, et in curte de Montezano; omnia quæ habetis in curte de Gavorano; ecclesiam S. Andreæ de Ravi cum omnibus quæ habet et possidet; quæcunque ad vos pertinent in eadem curte de Ravi; ecclesiam S. Germani cum omnibus quæ possidet, quæ est sita in curte de Colle majori; quæcunque habetis in curte et districto de Buriano; omnia quæ habetis in curte de Cumulo et in curte de Ceole; decimas præterea omnium terrarum, quas in Lucan. Pisan. et Vulterran. episcopatibus habere noscimini, sicut a bonæ memoriæ Joanne Lucano, Azo Pisano, Gunfredo Vullaterrano episcopis vobis concessæ sunt, et eas pacifice possidetis.

Liceat quoque vobis clericos et laicos, liberos et absolutos e sæculo fugientes ad conversionem recipere, et eos sine contradictione qualibet in vestro collegio retinere. Prohibemus autem ne ulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit absque abbatis sui licentia de claustro vestro, nisi arctioris religionis obtentu discedere; discedentem vero absque communi litterarum cautione nullus audeat..... Porro cum generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, januis clausis, non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis et interdictis, suppressa voce divina officia celebrare,..... etc. Statuimus insuper, ut infra fines parochiarum vestrarum absque assensu episcopi diœcesani nullus ecclesiam vel oratorium de novo ædificare præsumat..... etc, monasterii vestri liberam esse concedimus..... eorum qui se illic sepeliri deliberaverint devotioni et extremæ voluntati, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum major pars consilii sanioris secundum Dei timorem et beati Benedicti Regulam providerint eligendum.

Decernimus ergo ut, etc.

Ego Clemens catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Theobaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus.

Ego Laborans presb. card. S. Mariæ trans Tiberim tit. Calixti.

Ego Melior presb. card. SS. Joannis et Pauli tit. Pammachii.

Ego Hyacinthus diac. card. S. Mariæ in Cosmedin.

Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani diac. card.

Ego Octavianus SS. Sergii et Bacchi diac. card.

Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Tulliano diac. card.

Ego Radulfus S. Georgii ad Velum Aureum diac. card.

Datum Pisis, per manum Moysis Lateranensis canonici vicem agentis cancellarii, XVII Kal. Februarii, indictione VI, Incarnat. Dominicæ anno 1187,

pontificatus vero domini Clementis III anno A primo.

VIII

Ad episcopos Scotiæ. — Nuntiat iis Hugonem Sancti Andreæ episcopum ab Urbano citatum, et contumaciter emanentem, episcopatu depositum esse, suadetque Joannem eligi.

(Pisis, Jan. 16.)

[MANSI, *Concil.*, XXII, 544.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus JOCELINO Glascuensi et MATTHÆO Aberdensi episcopis, et dilectis filiis ERNALDO abbati de Melros, et BERTRAMO priori de Goldingham, salutem et apostolicam benedictionem.

Ne in dubitationis recidant scrupulum quæ geruntur, dignum est litterarum memoriæ commendari, et ad illorum notitiam quorum interesse B videtur, celebri ac veridica insinuatione perferri. Meminimus autem quod bonæ memoriæ Urbanus papa, prædecessor noster, Hugoni, quondam dicto episcopo Sancti Andreæ, pro controversia quæ inter eum et venerabilem fratrem nostrum Joannem episcopum vertebatur, sub excommunicationis interpositione mandavit, ut ad certum diem responsurus in jure, aspectui se apostolico præsentaret. Verum, quia conscius actuum suorum, et eventum judicii reformidans, venire contumaciter recusavit, nos et pro hoc et pro aliis multis quæ, crebrescente fama, Ecclesiæ Dei scandalum pepererunt, ipsum ab episcopatu Sancti Andreæ, de consilio et assensu fratrum, perpetuo judicavimus apostolicæ C sedis auctoritate remotum, et ab usu episcopalis officii eo usque suspensum, donec apostolica sedes duxerit de ipso aliter statuendum, absolventes a fidelitate subjectos, qua ei tenebantur astricti. Sane, quia vacantes Ecclesias diutius regimine pastorali carere, sanctorum canonum inhibent sanctiones, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus dilectos filios nostros, capitulum Sancti Andreæ ex parte nostra diligentius moneatis, ut sibi talem eligant episcopum et pastorem qui digne possit episcopalis officii dignitate potiri. Specialiter autem eos, quantum vobis possibile fuerit, inducere laboretis, ut memoratum episcopum Joannem, virum bonæ opinionis, et pro sui honestate nobis et fratribus nostris acceptum, D ad regimen et prælationem illius Ecclesiæ sine cujusquam scrupulo difficultatis assumant. Quod si omnes his exsequendis nequiveritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur.

Datum Pisæ, decimo septimo Kalendas Februarii, indictione sexta.

IX.

Ad Willelmum regem Scotorum. — Ejusdem argumenti.

(Pisis, Jan. 16.)

[*Ibid.*, col. 545.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, WILLELMO illustri Scotorum regi, salutem et apostolicam benedictionem.

Oculos divinæ majestatis offendere non modicum æstimamus, si prælatorum excessus, quibus indulgere salva conscientia non possumus, per injuriam sine coercitione debita relinquimus. Unde cum bonæ memoriæ Urbanus papa, prædecessor noster, Hugoni, etc., *ut in epistola superiori, usque ad* stricti. Licet enim ad honorem et profectus tuos, quantum cum Deo possumus, firmum habemus propositum intendendi, et in facto prædicti Hugonis curia Romana, non absque detractione multorum, hactenus regiæ serenitati detulerit; quia tamen clamor ipsius ad nos indubitata fide pervenit, nequivimus errata sua ulterius sub dissimulatione clausis oculis præterire: propter quod nihil in hac parte credimus actum, de quo debeat animus regius quacunque ratione moveri. Rogamus autem devotionem tuam prece et affectione qua possumus, et monemus in Domino, quatenus memoratum Joannem episcopum, quem nos et fratres nostri pro sui honestate sincero corde diligimus, pro reverentia apostolicæ sedis et nostra in visceribus charitatis commendatum habeas et acceptum, remissa, si qua fuerit, conceptæ indignationis offensa, ipsum in omnibus regia clementia et benignitate pertractes. Credimus equidem quod de industria et probitate ipsius tibi et regno tuo, auctore Domino, multum accedere poterit incrementi, et nobis usquequam gratum existet, si optatum apud regias aures preces nostræ sortiantur effectum.

Datum Pisæ, decimo septimo Kal. Februarii, ind. VI.

X.

Ad Henricum regem Angliæ. — De eodem.

(Pisis, Jan. 16.)

[*Ibid.*]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, HENRICO illustri Anglorum regi, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum ab apostolica sede preces suscepit regalis excellentia, auctoritas, et potestas, quas Ecclesiis in suo statu servandis, et multorum saluti expedit effectui mancipare, diligenter eas debet regia sublimitas exaudire, et tanto fortius et ferventius intendere, ut effectum consequantur optatum, quanto certius fuerit, quod earum devota susceptio et diligens executio regalem gloriam respicit pariter et salutem. Hinc est quod serenitati regiæ pro venerabili fratre nostro Joanne episcopo Sancti Andreæ litteras apostolicas et preces duximus cum fiducia destinandas, altitudinem regalis eminentiæ quanta possumus affectione rogantes, monentes, atque in remissionem peccatorum omnium injungentes, quatenus pro reverentia beati Petri et et nostra, et persecutionis ejus obtentu, quam certum est ipsum jam longo tempore pertulisse, charissimum in Christo Willelmum filium nostrum illustrem regem Scotorum moneas attentius, et inducas, et, si necesse fuerit, districtione regali, qua ei præemines, et concessa tuæ regiæ celsitudini potestate compellas, ut totius indignationis

suæ rancorem, quam erga episcopum concepit quorumdam malitia susurronum, regiam dignitatem et salubria opera pietatis attendens, ei qualibet occasione remota condonet, et diœcesim Sancti Andreæ, quam de communi fratrum consilio et assensu summus pontifex sibi perpetuo confirmavit, de cætero ipsum quiete permittat et absque calumnia possidere. Cum et ipse paratus existat regiæ majestatis, prout fuerit consentaneum rationi, existere in omnibus obediens et fidelis.

Datum Pisæ, XVII Kal. Februarii. indictione sexta.

XI.

Ad clerum episcopatus Sancti Andreæ.— Pro Joanne episcopo Sancti Andreæ.

(Pisis, Jan. 16.)

[MANSI, *Concil.*, XXII, col. 546.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, universo clero episcopatus Sancti Andreæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Licet in rebus dubiis valeant aliqui suam astutiam seu malitiam ostentare, cum tamen scrupulus fuerit, et articulus dubietatis amotus, et manifestis indiciis apparuerunt vestigia veritatis, penitus sunt devia relinquenda, et rectitudinis tramites inquirendi pariter et servandi ne, quod absit! aliter agentibus, et in sua pertinacia consistentibus, post flagella præsentia pœnasque condignas, perpetuæ mortis interius supplicio deleantur æterno. Volentes ergo paterna sollicitudine vestræ saluti prospicere, et utilitatibus et quieti vestræ providere, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, et in obedientiæ virtute injungimus, quatenus infra quindecim dies post harum susceptionem venerabilem fratrem nostrum Joannem episcopum vestrum, in pontificali officio canonice subrogatum, sicut patrem proprium et pastorem suscipiatis humiliter et devote, ac ejus de cætero salubribus monitis et mandatis, omni simultate remota, debitam reverentiam, et obedientiam impendere minime postponatis: scientes quod postquam Hugo, qui vir olim episcopus dicebatur, per Romanam Ecclesiam a vestri episcopatus dignitate fuit amotus, vel post ejus decessum jam dicto Joanne episcopo vestro superstite, aliquem fortasse episcopum elegistis, electionem illam auctoritate apostolica vacuamus. Si vero, quod Deus avertat, in eumdem episcopum Joannem, inimico humani generis suadente, aliquam conspirationem facere præsumpsistis: tam vos, quam totum episcopatum, tamdiu volumus interdicti sententiæ subjacere, donec agnoscentes excessum, ad mandatum ipsius Joannis episcopi redeatis.

Dat. Pisæ, decimo septimo Kalend. Februarii indict. VI.

XII.

Ad omnes episcopos. — Pro eodem negotio.

(Pisis, Jan. 16.)

[*Ibid.*, col. 547.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, vene-

A rabilibus fratribus JOCELINO Glascuensi, et MATTHÆO Aberdensi, et RICHARDO Moresensi, episcopis; et dilectis filiis ERNULFO de Melros, et HUGONI de Neubotle, et de Sancta Cruce, et de Strivellina, et de Scona, abbatibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Ad ea quæ respiciunt honestatem, et salutem pariunt animarum, quamvis absque monitis intendere debeatis, et diligentem operam juxta vestri officii debitum tribuere vos credamus, vestram tamen diligentiam ad majorem in his sollicitudinem exhibendam litteris apostolicis duximus exhortandum, ut eisdem operibus laude dignis tanto ferventius insistatis, quanto vobis salubrius erit in ipsis ad exhortationem apostolicam exactiorem diligentiam
B adhibere. Constat utique quosdam Ecclesiarum prælatos, cum his qui scandalizati fuerint debere pati, juxta normam apostolicam, ustionem, et cum infirmantibus infirmari. Quantas vero persecutiones his temporibus sustinuerit Ecclesia Sancti Andreæ, quantas calamitates incurrerit et pressuras, quam etiam graviter hactenus fuerit perturbata sub umbra indignationis regiæ celsitudinis, et quassata; insuper venerabilis frater noster Joannes episcopus Sancti Andreæ quot et quanta pericula sustinuerit et labores pro servanda libertate ecclesiæ sibi commissæ, et ei a nobis et duobus nostris prædecessoribus confirmatæ: cum ea omnia vobis sint manifesta, illa vestris auribus inculcare supervacuum videtur. Nunc igitur quamplurimum expedire di-
C gnoscitur, et de salute regia, et statu præscriptæ ecclesiæ reformando, atque pace nisi ipsi episcopo conferenda nos convenit sollicitudinem gerere congruentem, et circumspectionem vestram ad corroborandam nobis idoneum [*forte* idoneam] reputamus: discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus post susceptionem litterarum nostrarum convenientes in unum, sicuti decet viros providos et discretos, charissimi in Christo filii nostri Guilielmi illustris regis Scotiæ præsentiam adeatis, et eum moneatis diligentius, et instantius inducatis, ut episcopo memorato rancorem indignationis suæ remittat, et in hoc Romanam Ecclesiam, quæ serenitati regiæ
D jam longo tempore detulit, non contemnat: sed ejus et vestris monitis, prout regiæ gloriæ convenit et saluti, sine dilatione salubriter parcat et humiliter acquiescat, ac ipsum episcopum præscriptam diœcesim Sancti Andreæ in pace permittat habere: cum ex debito regiæ dignitatis Ecclesias teneatur cum pastoribus suis non dispergere, sed fovere; non contemnere, sed amare; non prosequi, sed tueri. Quod si monitis apostolicis, in propriæ salutis periculum, quod absit! duxerit resistendum, in regnum suæ celsitudinis, et personam suam, et omnes fautores regios nuntietis interdicti sententiam, infra viginti dies sine appellationis obstaculo auctoritate apostolica a vobis promulgandam. Illos insuper qui Hugoni obedientes exstiterunt, et ei

fomentum in sua obstinatione dederunt, postquam A eum sedes apostolica a diœcesi Sancti Andreæ removit perpetuo, et excommunicationis sententiam in ipsum promulgavit, simili sententia percellatis: et publice nuntiantes, excommunicationi subesse tandiu faciatis, et ab aliis arctius evitari, donec ad mandatum Ecclesiæ revertantur, absolutionis beneficium ab eodem episcopo petituri. Ad hæc altaribus et calicibus, in quibus jam dictus Hugo, dum in excommunicatione positus, celebravit, purificationem et sanctificationem juxta consuetudinem ecclesiæ conferatis. Ad ecclesiam quoque Santi Andreæ pariter accedatis, et fratribus convocatis in unum, intretis capitulum, et de ordine et statu Ecclesiæ diligentius inquiratis : et, si quid in eadem Ecclesia per supradictum Hugonem immutatum inveneritis vel statutum, auctoritate nostra B id in statum debitum inducatis; et, si quid in ipsa fuerit corrigendum, efficaciter studeatis id in melius reformare. Si vero, quod absit! aliquos ex canonicis ad recipiendum humiliter et devote pastorem suum prædictum duros inveneritis et rebelles : eos instantius moneatis, ut illi reverentiam et obedientiam patri debitam exhibeant, et a maligno atque damnabili proposito suo desistant. Quod si contumaces exstiterint, eos ab officio pariter et beneficio suspendatis, et excommunicationis vinculo innodetis, quo ipsos faciatis manere ligatos, donec monitis et mandatis ecclesiasticis acquiescant. Quod si omnes his exsequendis interesse C nequiveritis, reliqui ea nihilominus exsequantur.

Datum Pisæ, decimo septimo Kalend. Februarii, indictione sexta.

XIII.

Mauricio episcopo Parisiensi concedit ut cum præbendas vacare contigerit, eas personis idoneis assignet.

(Pisis, Jan. 16.)

[*Cartul. de N.-D. de Paris*, I, 33.]

CLEMENS MAURICIO Parisiensi episcopo.

Licet ejus propositi simus, ut jura venerabilium fratrum et episcoporum nostrorum, præter commune debitum quo tenemur omnibus, specialiter conservare velimus, quia tamen, petentium instan- D tiam metuens, concessionem præbendarum ad te pertinentium tibi ex abundanti postulas confirmari, petitionem tuam in hac parte duximus admittendam! Ideoque apostolica auctoritate statuimus, ut, sicut prædecessoribus tuis et tibi licuit ab antiquo, sit etiam liberum in futurum, cum præbendas ipsas vacare contigerit, eas personis idoneis assignare, nullis obstantibus litteris, si quæ in tui juris præjudicium a sede apostolica fuerunt hactenus impetratæ, nec obstante investitura, si qua, earum occasione, ab alio facta dicatur.

Datum Pisis XVII Kal. Februarii, indictione VI.

XIV.

Ecclesiæ Parisiensis possessiones et privilegia, petente Mauricio episcopo, confirmat.

(Pisis, Jan. 18.)

CLEMENS episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri MAURICIO Parisiensi episcopo, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum.

Quanto nobilis, etc. *ut in bulla Innocentii II pro eadem Ecclesia* (1). Jus etiam episcopale, in subscriptis abbatiis et earum parochiis seu parochianis omnibus, videlicet in abbatia Latiniacensi, in abbatia Fossatensi, in abbatia Sancti Maglorii, in abbatia Sancti Victoris, in abbatia Vallis Sanctæ Mariæ, in abbatia de Sarneia, in abbatia Herivallis, in abbatia Hermeriarum, in abbatia Montis Estivi, in abbatia sanctimonialium de Monte Martyrum, de Edera, de Kala et de Gif; in ecclesia super Argenteoli. Præterea pactum, etc., *ut in bullis Innocentii et Lucii II* (2).

Datum Pisis per manum Moysi Lateranensis canonici, vicem agentis cancellarii, XV Kal. Februarii, indictione sexta, Incarnationis Dominicæ anno 1187, pontificatus vero domini Clementis papæ III anno primo.

XV.

Girardo, abbati Vizeliacensi et ejus successoribus usum sandaliorum concedit.

(Pisis, Jan. 18.)

[LAUNOII *Opera*, t. II, p. I, p. 288.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, GIRARDO et conventui Vizeliacensi salutem et apostolicam benedictionem.

Ad ecclesiastici decoris augmentum insignia reperta sunt dignitatum, quæ sacrosancta Romana Ecclesia congrua in singulos liberalitate distribuit, et devotis filiis, prout dignum judicat, suscipienda pariter et obtinenda concedit; unde nos pro reverentia beatæ Mariæ Magdelenæ, cujus sacrum corpus in vestra ecclesia requiescit, et vestræ devotionis merito provocati, usum sandaliorum, tibi, fili abbas, tuisque successoribus infra tuas ecclesias indulgemus et auctoritate apostolica confirmamus. Nulli ergo, etc...

Datum Pisis, XX Kalend. Februarii, indictione VI.

XVI.

Privilegium pro monasterio S. Angeli Pistoriensi.

(Pisis, Jan. 20.)

[ZACHARIA, *Anecdota medii ævi*, p. 237.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis JOANNI abbati monasterii Sancti Angeli, quod situm est in suburbio Pistoriensi, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Quoties a nobis petitur quod religioni et honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum suf-

(1) Vide *Patrologiæ* tom. CLXXIX.

(2) Vide ubi supra.

fragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium Sancti Angeli, in quo divino estis obsequio mancipati, ad exemplar felicis recordationis papæ, prædecessoris nostri, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti Regulam, atque institutionem fratrum Vallis Umbrosæ in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis; massaritiam de pecuniis cum vinea, et nemore, et hominibus ad districtum pertinentibus; clausuras etiam, molendina, caufagium totum, ecclesiam S. Marci cum parochia sua prope monasterium sitam. Terram de Muoso cum clausura, et omnibus pertinentiis suis, redditus de Guliano, et omne jus quod habetis in eadem villa, sicut in instrumentis publicis continetur; decimas etiam possessionum vestrarum, quas a quadraginta annis hactenus pacifice tenuistis, vobis auctoritate apostolica confirmamus. Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sine detrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis decimas extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos, vel laicos e sæculo fugientes liberos et absolutos ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in loco vestro professionem fas sit, nisi arctioris religionis obtentu, sine abbatis sui licentia de eodem loco discedere. Discedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Sepulturam præterea illius loci liberam esse decernimus, ut eorum quoque devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum Ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero abbate qui pro tempore fuerit, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars major consilii sanioris secundum Dei timorem et beati Benedicti Regulam providerint eligendum. Præterea libertates et immunitates antiquas et ra- A tionales consuetudines monasterio vestro collatas, sicut hactenus observatæ sunt ratas habemus, et eas perpetuis temporibus illibatas manere præsenti decreto sancimus; auctoritate quoque apostolica interdicimus ne quis infra fines parochiæ vestræ, præsertim a S. Leonardo usque ad Sanctam Christinam, ullatenus sine assensu diœcesani episcopi et vestro capellam, seu oratorium de novo ædificare præsumat, salvis tamen privilegiis Romanorum pontificum. Prohibemus etiam ne quis in vos vel monasterium vestrum excommunicationis, suspensionis seu interdicti sententiam, sine manifesta et rationabili causa, promulgare præsumat, vel novas et indebitas exactiones vobis vel hominibus vestris imponat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum B fas sit præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, et Vallisumbrosani abbatis debita reverentia. Si quæ igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, etc.

Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ episcopus ss.

Ego Theobaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus ss.

Ego Laborans presbyter cardinalis S. Mariæ C Trans-Tiberim tituli Calisti ss.

Ego Melior presbyter cardinalis SS. Joannis et Pauli tit. Pamachii ss

Ego Jacobus diaconus cardinalis S. Mariæ in Cosmedin ss.

Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani diaconus cardinalis ss

Ego Octavianus SS. Sergii et Bacchi diaconus cardinalis ss.

Ego Petrus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis ss.

Ego Radulfus S. Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis ss.

Datum Pisis, per manum Moysi Lateranensis canonici vicem agentis cancellarii, XIII Kal. Februarii, D indictione sexta, Incarnationis Dominicæ anno 1187, pontificatus vero Domini Clementis papæ tertii anno primo.

XVII.

Balduino archiepiscopo Cantuariensi præcipit, ut « quidquid post appellationem a monachis Cantuariensibus ad sedem apostolicam factam, vel prædecessoris sui (Urbani III) prohibitionem in opere capellæ actum sit, non differat demoliri. »

(Senæ, Jan. 26.)

[Twisden, *Hist. Angl. Script.*, I, 1528.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, venerabili B. Cantuariensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Quanto in Ecclesia Dei scientiæ munere et religionis præemines honestate, dignitatisque apicem in

partibus Anglicanis obtines ampliorem, tanto decet A charitatem tuam vigilantiori studio a subjectorum injuriis vel oppressionibus temperare, et, his postpositis quæ justitiæ pulchritudinem decolorant odoremque bonæ opinionis exstinguunt, obedientiam et reverentiam debitam majoribus exhibere. Unde non sine causa miramur, quod, sicut nobis proponitur, post appellationem ad sedem apostolicam factam, et bonæ memoriæ Urbani prædecessoris nostri prohibitionem, adeo circa novæ capellæ constructionem et alia multa manus tuas in ecclesiæ tibi commissæ fratrum molestias aggravasti, ut nihil eis de interpositæ appellationis remedio accessisse, procul ratio juris expostulat, æstimetur, nec tu honori sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matris tuæ videaris, prout oportuit, detulisse. Licet autem pro- B positum nobis fraternitati tuæ, quantum cum Deo possumus, deferendi, et personam tuam in omnibus quæ ex officio nobis incumbunt statuerimus honorare, quia tamen eorumdem fratrum pressuras pariter et clamores cum bona conscientia præterire clausis oculis hec possumus nec debemus, fraternitati tuæ de consilio fratrum nostrorum per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus, omni contradictione et occasione postposita, eo etiam non obstante si te abesse contigerit ab Ecclesia tua, quidquid post appellationem ad sedem apostolicam factam, vel prædecessoris nostri prohibitionem in opere capellæ actum est, non differas demoliri, revocans et deducens prorsus in irritum, C quidquid de instituendis canonicis et aliis circa capellam factum est et perperam innovatum. Eos etiam qui post inhibitionem supradicti prædecessoris nostri in capella ipsa celebrare divina officia præsumpserunt, donec condignam nobis satisfactionem exhibeant, ab officio et beneficio habeas interdictos. Ministros etiam conventus quos post appellationem interpositam amovisti, quos et idem prædecessor restituit, habeas restitutos, et eos quos pariter post appellationem excommunicare vel suspendere voluisti, habeas nihilominus absolutos, et universa quæ post appellationem in eorum gravamen sunt attentata, videlicet in invasione villarum et possessionum suarum, redditiuum quoque et aliorum, quæ ante appellationem habuerant, et D ablatione similiter aliarum rerum, in statum pristinum, cessante appellatione et contradictione reducas. Ad hæc, quia secundum formam juris post appellationem nihil est innovandum, volumus et præcipimus, ut pendente judicio in eorumdem fratrum detrimentum circa statum monasterii nihil omnino satagas immutare. Alioquin grave nobis existeret modis omnibus et molestum, nec possemus sine correctione debita æquanimiter sustinere.

Datum Sen., VII Kal. Februarii, indictione VI.

XVIII.

Gunteramo episcopo Senensi ecclesiam in monte Bonitii sitam asserit.

(Ap. S. Quiricum, Jan. 28.)

[UGHELLI, *Italia sacra*, III, 548.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri GUNTERAMO Senen. episcopo, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum.

Communi et speciali debito tuis cogimur petitionibus condescendere, et effectum congruum indulgere, ut qui tenemur universos in suis justis postulationibus exaudire, tanto tibi amplius videamur esse propitii, quanto te et Ecclesiam tibi commissam abundantiori diligimus charitate. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu ecclesiam in Montebonizzi a b. m. Raynerio prædecessore tuo, in fundo videlicet quod bon. mem. q. comes Guido concessit beato Petro, et piæ recordationis prædecessori nostro Adriano papæ de ipsius prædecessoris nostri auctoritate et concessione constructam de communi consilio fratrum nostrorum tibi et successoribus tuis ad exemplar piæ mem. Alexandri papæ, antecessoris nostri, concedimus et confirmamus; dantes vobis liberam facultatem, sicut iidem prædecessores nostri dedisse noscuntur, eamdem Ecclesiam sine contradictione qualibet consecrandi, et in ea clericos juxta vestræ voluntatis arbitrium ponendi et libere ordinandi; non obstante retractatione quam præfatus prædecessor noster Adrianus super hoc, levi et vano errore ductus, ea consideratione fecisse dignoscitur, quod locus ille in episcopatu Florentino consistit, cum in privilegio ipsius prædecessoris nostri contineatur fundum ipsum a memorato comite supra fuisse concessum, et ab eodem prædecessore nostro ad Ecclesiam ibi construendam sub annuo censu unius bizantii tuo prædecessori collatum. Statuimus autem, sicut præfati antecessores nostri statuisse noscuntur, ut quicunque de tua diœcesi ad locum illum transierint, in omnibus spiritualibus tibi tantum et successoribus tuis debeant respondere, et vos eamdem quam prius habeatis in eis omni modo potestatem. Cæterum ad hujus nostræ concessionis et confirmationis indicium unum bizantium nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis et confirmationis infringere, etc. Si quæ igitur, etc., ecclesiastica, etc.

Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ episcopus subscripsi.

Ego Laborans presb. card. Sanctæ Mariæ Transtiberim titul. S. Calixti subscripsi.

Ego Octavianus Sanctorum Sergii et Bacchi D. card. subscr.

Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Tulliano D. card. subscr.

Ego Bobo Sancti Georgii ad Velum Aureum D. card. subscr.

Data apud S. Quiricum per manum Moysi Lateranensis canonici, vicem agentis cancellarii, v. Kalend. Februarii, indict. vi, Incarnat. Dominicæ anno 1187, Pontif. vero domini Clementis papæ III, an. i.

XIX.

Privilegium pro monasterio S. Mariæ Florentino.

(Laterani, Febr. 11.)

[Margarini, *Bullar. Casin.*, II, 211.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati S. Mariæ de Florentia ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.

Cum omnium Ecclesiarum sit nobis, quanquam immeritis, cura commissa, et de omnibus teneamur sollicitudinem gerere, illis propensius adesse debemus, quæ specialiter juris B. Petri esse noscuntur. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et præfatum monasterium S. Mariæ de Florentia, quod specialiter juris et proprietatis Romanæ Ecclesiæ esse dignoscitur, in quo divino estis obsequio mancipati, ad exemplar felicis recordationis Alexandri papæ prædecessoris nostri, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus; imprimis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Deum et Beati Benedicti Regulam in eodem monasterio noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis; castrum de Signa et tertiam partem castri de Grumulo cum ecclesia et pertinentiis suis; curtem de Greve cum ecclesia S. Martini, cæterisque possessionibus suis; ecclesiam S. Bartholomæi cum curte et terra Berizonis et Azæ uxoris ejus de Rodda. Insuper et terram ejus de Patroio, seu in quibuscunque locis cum omnibus pertinentiis suis; castrum de Radda cum curte et ecclesiis et omnibus ad eam pertinentibus; ecclesiam Sancti Martini in loco confluenti, cum pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Martini quæ est infra civitatem juxta prælibatum monasterium cum casis, terris et omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Martini in Mensula cum omnibus pertinentiis suis; curtem Montis-Domini cum omnibus ad eam pertinentibus; curtem de Mandria cum pertinentiis suis; terram Joannis filii Teudi cum casis et reliquis possessionibus, sicut Maria et do- A natus filius ejus monasterio contulerunt; casas et terras Joannis filii Bogæ; ecclesiam S. Rocchi cum terris et domibus circa se; castrum Vicli cum curte, ecclesiis, et omnibus pertinentiis suis. Præterea quicquid de donatione Bonifacii fratris Benedicti quondam abbatis vestri legitime possidetis et omnes decimas de Viclo sicut eam de concessione bonæ memoriæ.... Florentini episcopi et decimas de Allodio vestro de curte de Casaglia, de Tusci et de Rocchetta, sicut decimam ipsam, de concessione Guidonis quondam Volteranni episcopi canonice possidere noscimini, vobis et monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus. Nihilominus etiam liberam institutionem personarum in ecclesiis vestris, sicut eam prædecessores vestri, et vos ipsi B a 40 retro annis inconcusse habuisse noscimini, vobis duximus auctoritate apostolica confirmandam. Prohibemus insuper ne quis episcopus vel ministerialis ejus, ecclesias vestras, vel earum clericos indebitis exactionibus seu molestiis audeat fatigare, aut in vos excommunicationis, seu in monasterium vestrum interdicti sententiam, sine mandato Romani pontificis vel legati ab ejus latere destinati, ferre præsumat. Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis sive de nutrimentis vestrorum animalium decimas vel primitias a vobis vel monasterio vestro exigere nemo præsumat. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes monachorum vel clericorum vestrorum qui ad sa- C cros ordines fuerint promovendi a Florentino recipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit, et gratiam et communionem apostolicæ sedis habuerit, et ea gratis, et absque pravitate aliqua voluerit exhibere, alioquin quemcunque catholicum malueritis adeatis antistitem, qui nostra fultus auctoritate vobis quod postulastis impendat. Sepulturam præterea ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat; salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat D præfatum monasterium temere perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, etc.

Datum Laterani, iii Idus Febr.

XX.

Ecclesiæ S. Mariæ Grandigurgitis protectionem suscipit, possessionesque ac privilegia confirmat.

(Laterani, Febr. 13.)

[Hugo *Ord. Præm. Annal.*, I, Pr., p. 600.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Radulpho abbati ecclesiæ S. Mariæ Gran-

digurgitis ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et præfatæ ecclesiæ S. Mariæ Grandigurgitis, in qua divino mancipati estis officio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes ut ordo canonicus, qui secundum Deum et beati Augustini Regulam, et institutionem Præmonstratensium fratrum in eadem Ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea, quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

Locum ipsum Grandigurgitis in quo præfata ecclesia de Bellelagia, Henrico de Larges, Theodoro de Plozoesc et Gerardo fratre ejus; curiam de Courdumaco quam dedit vobis Reimbaldus de Ferretis cum appendiciis suis, assensu Ludovici comitis ejusdem castri; curiam] de Gerivillarl cum appendiciis suis, cujus partem dedit vobis Richardus de Gleire; curiam de Burres cum appendiciis suis, quam habetis de abbatissa et capitulo des Balmes (*Baumes les Nones*) pro quinque solidis annuatim eidem ecclesiæ persolvendis; curiam de Courdemaiche cum appendiciis suis, quam dedit vobis Celto de Eglingues; curiam de Seneve quam vendiderunt et dederunt vobis Henricus et frater suus Billingus, assensu Ludovici comitis de Saloerner; eleemosynam decem et novem solidorum quam dedit vobis Reimbaldus de Euperpa apud S. Ulricum, in perpetuum possidendam, eleemosynam unius prati et duorum mensorum terræ apud Estophum, quam dedit vobis Richardus Librancbet; eleemosynam quam dedit vobis Reigerus de Bonchort apud Altoreille. Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis decimas exigere seu extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos e sæculo fugientes, liberos et absolutos ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere.

Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum, post factam in eodem loco professionem, fas sit, absque abbatis sui licentia, de eodem loco discedere; discedentem vero sine communium litterarum cautione, nullus audeat retinere. Inhibemus etiam ne ecclesias aut terras, seu aliquod benefi-

A cium ecclesiæ vestræ collatum liceat alicui personaliter dari, sive aliquo modo alienari, sine consensu totius capituli, aut majoris partis vel sanioris ejusdem; si quæ vero donationes, alienationes, aliter quam dictum est, factæ fuerint, eas irritas esse censemus. Ad hæc autem adjicimus, ne aliqui canonici seu conversi, sub professione domus vestræ adstricti, sine consensu abbatis et majoris partis capituli vestri, pro aliquo fidejubeant, vel ab aliquo pecuniam mutuo accipiant, ultra pretium capituli vestri providentia provisum, nisi propter manifestam domus vestræ utilitatem; quod si facere forte præsumpserit, non teneatur conventus sine cujus licentia et consensu hoc egerant, pro his aliquatenus respondere. Præterea licitum sit in
B causis vestris fratres vestros idoneos ad testificandum adducere, atque ipsorum testimonio, si rectum fuerit, et propulsare violentiam, et justitiam vindicare. Ob evitandas vero sæcularium frequentias, liberum sit vobis, salvo jure diœcesani episcopi et ecclesiæ parochialis, oratoria in grangiis vestris construere, et in ipsis, cum necesse fuerit, vobis et familiæ vestræ divina officia celebrare. Pro chrismate vero, oleo sancto, consecrationibus ecclesiarum, ordinationibus clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, sive abbate ducendo ad sedem, vel quibuslibet aliis ecclesiasticis sacramentis, nullus a vobis, aut sub obtentu consuetudinis, aut quolibet alio modo quidquam audeat po-
C stulare; si quis autem contra hoc venire præsumpserit, portionem cum Gehiesi se noverit habiturum, cujus factum exactione turpis lucri et muneris imitatur. Sepulturam præterea ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Paci quoque et tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ne quis infra clausuras locorum, seu grangiarum vestrarum furtum seu rapinam committere, ignem apponere, hominem capere, vel interficere, seu aliquam violentiam te-
D mere audeat exercere.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas sit præfatam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi canonica justitia. Si quæ igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, etc.

Datum Laterani, per manum Moysi Lateranensis canonici vicem agentis cancellarii, Idus Februarii, indictione III [*leg.* VI], Incarnationis Domini anno

1187; pontificatus vero domini Clementis papæ III anno primo.

Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Theobaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus.

Ego Laborans presb. card. S. Mariæ.

Ego Melchior presb. card. Trans-Tiberim tit. Calixti SS. Joannis et Pauli, etc.

Ego Jacobus diac. card. S. Mariæ in Cosmedin.

Ego Octavianus SS. Sergii et Bachi diac. card.

Ego Goffredus S. Mariæ in Via Lata diac. card.

Ego Radulphus S. Georgii ad Velum Aureum diac. card.

XXI.

Archiepiscopis et episcopis mandat, ne « a prioribus et obedientiariis Cluniacensium fratrum, sine consilio abbatis et conventu», possessiones ecclesiarum distrahi, laicisque conferri » patiantur.

(Laterani, Febr. 16.)

[*Bullarium Cluniacense*, 88.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, in quorum parochiis prioratus et obedientiæ Ecclesiæ Cluniacensis existunt, salutem et apostolicam benedictionem.

Ea quæ in ecclesiarum præjudicium per prælatorum insolentiam attentantur, nostro imminent officio corrigenda; ne, si in ipsarum fuerimus provisione remissi, et earum status grave sustineat detrimentum, et nos de negligentia possimus in extremo examine reprehendi. Unde quia ad audientiam apostolatus nostri pervenit quod priores et obedientiarii Cluniacensium fratrum, sine consilio abbatis et conventus, possessiones ecclesiarum suarum et contra institutionem Cluniacensis ordinis illicite detrahunt, et quasdam laicis conferentes, censum debitum in grave præjudicium ecclesiarum minuere non verentur. Nos fraternitati vestræ præsentium auctoritate injungimus firmiterque mandamus, quatenus detentores bonorum prædictarum ecclesiarum taliter distractorum, cum ad vos querela pervenerit, moneatis attentius, et, si necesse fuerit, excommunicatione pariter et interdicto, remota appellatione, cogatis, ut possessiones in præjudicium ecclesiarum, priorum seu aliorum procuratorum temeritate distractas, sine difficultate restituant, et censum irrationabiliter imminutum non differant integrare.

Datum Laterani, XIV Kalendas Martii, pontificatus nostri anno primo.

XXII.

Ecclesiæ Caminensis protectionem suscipit, ea lege ut Sifridus episcopus et ejus successores sedi apostolicæ fertonem (3) auri quotannis persolvant.

(Laterani, Febr. 21.)

[Lunig, *Spicileg. eccles.*, Supplem., p. 6.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Sifrido Caminensi episcopo ejusque
A successoribus canonice substituendis, In perpetuum.

Ex injuncto nobis a Deo apostolatus officio fratribus et coepiscopis nostris tam vicinis quam longe positis, paterna nos convenit provisione consulere et ecclesiis in quibus Domino militare noscuntur suam justitiam conservare. Æquum est enim et rationabile, ut quam beato Petro ejusque vicariis devotiores esse noscuntur, et sanctæ Ecclesiæ Romanæ patrocinio cupiunt confoveri, ejusdem piæ matris uberibus nutriantur. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis justis postulationibus clementer annuimus, et commissam tibi Caminensem ecclesiam quæ beati Petri juris existit, sub ejusdem apostolorum principis et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus.
B Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia impræsentiarum juste et pacifice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

Videlicet civitatem ipsam Caminensem, cum taberna et foro in illis et omnibus eorum appendiciis, castra hæc, scilicet, Demusin, Treboses, Chosow, Wolgast, Huzonim, Groswin Piris, Stargard cum villis et omnibus eorum appendiciis, Stettin, Prentzlow cum foro et taberna et suis appendiciis, Colberg cum tugurio solis et thelonio, foro et taberna
C et omnibus suis appendiciis; totam Pomeraniam usque ad Lebam fluvium cum foris et tabernis; decimam Fohri Sithen. Statuimus autem ut quia civitas, quæ Wollin dicitur, in qua episcopalis sedes esse solebat, propter guerrarum incommoda deserta esse proponitur, ipsa sedes in ecclesia Sancti Joannis Baptistæ apud civitatem Camminensem, quæ populosior est et securior, habeatur; libertatem quoque qua sedes ipsa soli fuit Romano pontifici a prima sui institutione subjecta, sicut est hactenus observata, ratam habemus et perpetuis temporibus inviolabilem permanere sancimus. Præterea decimas quas ecclesia ipsa tam ex resignatione laicorum, quam aliis justis modis possidet, tibi et per te
D ipsum ecclesiæ, auctoritate apostolica confirmamus.

Ad hæc statuimus ut omnes clerici tuæ jurisdictioni subjecti, tam religiosi quam alii tibi debitam in omnibus reverentiam et obedientiam exhibeant, nisi per apostolicæ sedis privilegia sint exempti. Prohibemus insuper ne te, vel tuorum successorum quodam decedente, per principis terræ vel cujuslibet alterius violentiam bona episcopalia distrahantur, sed illi qui canonice fuerit substitutus illibata et integra conserventur. Auctoritate quoque apostolica prohibemus ne laici quilibet ecclesias vel oratoria in tua diœcesi construentes, sacerdotes in eis ponere, vel canonice institutos sine assensu diœcesani episcopi amovere præsumant.

(3) Quarta pars marcæ.

Adjicimus etiam prohibentes, ne si aliqua ecclesia in ipsa diœcesi fuerit fabricata episcopus, qui pro tempore fuerit ei munus consecrationis impendat, nisi prius a fundatore ipsius, vel alio ad sustentationem congruam, ministrorum dos competens fuerit assignata. Inhibemus insuper ne interdictos vel excommunicatos tuos ad officium aut communionem ecclesiasticam recipere quisquam sine congrua satisfactione præsumat, nisi forte periculum mortis immineat ut dominicam præsentiam tuam habere nequiverint, per alium, secundum formam Ecclesiæ, satisfactione præmissa oporteat ligatum absolvi. Ad judicium autem hujusmodi perceptæ a sede apostolica protectionis et libertatis, nobis nostrisque successoribus, tu et successores tui fertonem auri annis singulis exsolvetis.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, imminuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, quorum gubernationi et sustentationi concessa sunt, usibus omnimodis profutura; salva in omnibus apostolicæ sedis auctoritate.

Si quæ igitur in posterum ecclesiastica sæcularisve persona, etc.

Datum Laterani per manum Moysis, Lateranensis canonici, vicem agentis cancellarii, VI Kal. Mart. indict. VI, Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo octuagesimo octavo, pontificatus vero domni Clementis papæ tertii anno primo.

XXIII.

Hugoni abbati Cluniacensi monasterium Balmense asserit.

(Laterani, Febr. 25.)

[*Bullarium Cluniac.*, 88.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Hugoni abbati Cluniacensis monasterii, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, salutem et apostolicam benedictionem.

Gloriosa et admirabilis divinæ providentia majestatis ad hoc diversos gradus et ordines in Ecclesia sua constituit ut, dum inferiores superioribus debitam obedientiam et reverentiam exhiberent, una fieret ex diversitate connexio, et ordinabiliter gereretur officiorum administratio singulorum. Sicut sanctæ filii obedientiæ in sinu matris Ecclesiæ gratiosæ consolationis uberibus confovendi sunt, ita rebelles et elati, qui per molestiam suam quasi peccatum ariolandi et idololatriæ scelus incurrunt, severitatis ecclesiasticæ disciplinis sunt arctioribus coercendi. Balmense itaque monasterium, quod per fratres inibi congregatos et odore bonæ opinionis et religionis decore splendescere ac florere debuerat, quia veterem hominem cum suis actibus sequebantur, in peccatis eorum diabolo suadente, contabuit : unde tam in spiritualibus quam temporalibus miserabiliter fuerat imminutum. Cum autem placuit ei qui ab æterno cuncta disponit, ut tantis malis finem imponeret, et locum ipsum ad obsequium suum misericorditer revocaret, facies eorumdem fratrum implere ignominia voluit, ut per hoc nomen suum inquirerent et ad viam recutitudinis iviti etiam remearent.

Hæc itaque, justitia præeunte, felicis recordationis Eugenius papa prædecessor noster prædictum Balmense monasterium, cum omnibus pertinentiis suis Cluniacensi Ecclesiæ in perpetuum statuit possidendum et privilegii sui munimine confirmavit.

Nos itaque ejusdem Eugenii et Urbani Romanorum pontificum prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, præfatum monasterium, sicut illud juste et canonice possidetis, cum omnibus quæ impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, vobis et Ecclesiæ vestræ per vos auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti privilegio communimus, hac videlicet ratione ut ordo monasticus ibi secundum institutionem Cluniacensem semper futuris temporibus inviolabiliter observetur, et pro rebellione, contumacia et offensa, quam Balmensis monasterii abbas et fratres, adversus sanctam Romanam exercuerunt Ecclesiam, quicunque regimen in eodem loco per vos obtinuerit, nunquam abbatis sed prioris nomen tantum sortiatur.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum fas sit præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva nimirum apostolicæ sedis auctoritate. Si quæ igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Theobaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus.

Ego Joannes presb. card. tit. S. Marci.

Ego Laborans presb. card. S. Mariæ Trans-Tiberim tit. Calixti.

Ago Albinus presb. card. tit. S. Crucis in Jerusalem.

Ego Melior presb. card. SS. Joannis et Pauli tit. Pamachii.

Ego Hyacinthus diac. card. S. Mariæ in Cosmedin.

Ego Octavianus SS. Sergii et Bacchi diaconus cardinalis.

Ego Suffredus S. Mariæ in Via Lata diac. cardinalis.

Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Julliano diac. card.

Ego Radulphus S. Georgii ad Velum Aureum diac. card.

Datum Laterani, per manum Moysi Lateranensis canonici, vices agentis cancellarii, v Kalendas Martii, indictione vi, Incarnationis Dominicæ anno 1188, pontificatus vero domni Clementis papæ III anno primo.

XXIV

Monasterii Cluniacensis protectionem suscipit, et bona quædam ac privilegia confirmat.

(Laterani, Febr. 25.)

[*Bullarium Cluniac.*, 89.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Hugoni abbati monasterii Sancti Petri Cluniacensis, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Quanto specialius Ecclesia vestra nobis est, nullo mediante, subjecta, tanto propensius ejus juri providere compellimur, ne super his quæ rationabiliter noscitur possidere, processu temporis indebita molestatione gravetur. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, ad instar felicis recordationis Alexandri et Urbani Romanorum pontificum prædecessorum nostrorum, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus, imprimis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti Regulam in monasterio vestro noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis. Prioratum Sanctæ Mariæ de Nazara cum omnibus pertinentiis suis; prioratum Sanctæ Trinitatis de Lencona cum omnibus pertinentiis suis, sicut eosdem prioratus Ecclesia vestra canonice possidet, et de donatione prædicti prioratus S. Mariæ in scripto authentico concedimus vobis, et eidem Ecclesiæ auctoritate apostolica confirmamus. Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque nobis clericos vel laicos, liberos et absolutos e sæculo fugientes, ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum, post factam in eodem loco professionem, fas sit, nisi arctioris religionis obtentu, absque abbatis sui licentia de eodem discedere; discedentem vero absque litterarum communium cautione nullus audeat retinere. Sepulturam propterea illius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverunt, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Quia vero decimæ tam veteri quam nova lege ministris ecclesiarum noscuntur esse concessæ, sub interminatione anathematis prohibemus, ne ullus laicus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum fas sit præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, aut ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva in omnibus sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, etc.

Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Theobaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus.

Ego Joannes presb. card. tit. S. Marci.

Ego Laborans presb. card. Sanctæ Mariæ Trans Tiberim tit. Calixti.

Ego Albinus presb. card. Sanctæ Crucis in Jerusalem.

Ego Melior presb. card. SS. Joannis et Pauli tit. Pamachii.

Ego Hyacinthus diaconus cardinalis S. Mariæ in Cosmedin.

Ego Octavianus SS. Sergii et Bacchi diaconus cardinalis.

Ego Saffredus S. Mariæ in Via Lata diaconus cardinalis

Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Tulliano diac. card.

Ego Radulphus S. Georgii ad Velum Aureum diac. card.

Datum Laterani, per manum Moysi Lateranensis canonici vices agentis cancellarii, v Kalendas Martii, indictione vi, Incarnationis Dominicæ anno 1187, pontificatus vero domini Clementis papæ III anno primo.

XXV.

Monasterii Cluniacensis possessiones omnes confirmat.

(Laterani, Febr. 25.)

[*Bibliotheca Cluniac.*, 1453.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis HUGONI abbati Cluniacensi, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Religionis monasticæ modernis temporibus speculum, et in Galliarum partibus documentum, beati Petri Cluniacense monasterium ab ipso suæ fundationis exordio sedi apostolicæ in jus proprium est oblatum. Proinde Patres nostri sanctæ recordationis Joannes XI, item Joannes XIX, Agapitus II, Benedictus VI, item Benedictus VII, Leo VII, item Leo IX, Gregorius VI, item Gregorius VII, Alexander II, Stephanus, Victor III, Urbanus II, Paschalis II, Gelasius II, Calixtus II, Lucius II, Eugenius III, Adrianus IV et Urbanus III, Ecclesiæ Romanæ pontifices, locum ipsum singularis dilectionis ac libertatis prærogativa donarunt, et universa et pertinentia privilegiorum suorum sanctionibus muniverunt. Statutum est enim ut ecclesiæ omnes, cœmeteria, monachi, clerici et laici universi infra terminos habitantes, qui sunt a rivo de Salnai, et ab ecclesia Rufiaci et Cruce de Lornant; a termino quoque molendini de Tornesac, per villam quæ dicitur Vareuna, cum nemore Burserio; a termino etiam qui dicitur Perois ad rivum usque de Salnai, sub apostolicæ tantum sedis jure ac tuitione permaneant. Neque ipsius Cluniacensis loci presbyteri, aut etiam parochiani, ad cujuslibet nisi Romani pontificis et Clun. abbatis cogantur ire synodum vel conventum. Sane pro abbatis, monachorum, seu clericorum infra prædictos terminos habitantium ordinatione, pro chrismatis confectione, pro sacri olei ecclesiarum, altarium, et cœmeteriorum consecratione, Cluniacense monasterium, quem maluerit antistitem evocet. Cluniacenses monachos ubilibet habitantes nulla omnino persona, præter Romanum pontificem, aut legatum, qui a latere ipsius fuerit destinatus excommunicet, aut interdicat. Sane terminos immunitatis loci vestri, qui a præfato antecessore nostro Urbano papa II constituti sunt, præsentis decreti nostri pagina confirmamus, ne videlicet ullus homo cujuscunque conditionis ac potestatis invasionem, prædam, aut rapinam facere, sive homicidium perpetrare præsumat infra ipsorum limites terminorum. Itaque termini sacri banni sunt hi: Versus Berziacum terminus est ad bivium circa Sarratam, unde una via venit ad Cluniacum, et altera ad Masillias; in strata versus Bellumjocum terminus est contra carruvium, quod est desuper molendinum cellerarii Clun; citra Viengias ultra Cluniacum versus Masillias terminus est ad bivium, unde una via tendit ad Masillias, altera ad Sanctam Mariam de Bosco; super Rufiacum terminus est ad summitatem defensi ad bi- A vium, unde una [via] tendit ad Besorniacum, altera ad Quarellam; versus Sergiacum terminus est intra carruvium, citra locum ubi dicunt ad Turgum; in strata versus Cabilonensem pagum terminus est ad grossam Cassaniam super Marniacum; versus Brascedunum terminus est in via super boscum Banedum; versus Trenorchium terminus est super rivulum quem dicunt Longamaquam; inter Banoscum et Donziacum versus Petronam vel Zasiacum, terminus est ad tres fagos, ubi partiuntur noster boscus de Cluniaco et boscus comitalis; versus Igiacum terminus est ad Carmos, super montem Medium.

In abbatiis, quæ cum suis abbatibus ordinationi Cluniacensis monasterii datæ sunt, videlicet S. Martialis Lemovicensis, monasterii novi Pictavis, S. B Joannis Angeliacensis, monasterii Lesatensis, Moysiacensis, Figiacensis in Catburcensi pago; in Arvernia Mauziacensis, Tiernensis et Minatensis; in Antissiodorensi, S. Germani; in Rothomagensi abbatia apud Ponteseram; in Taroanensi S. Wlmari, sine Cluniacensis abbatis consilio abbas nullatenus eligatur. Ad hæc adjicimus, ut in omnibus prioratibus et cellis, quæ nunc sine proprio abbate vestro regimini subjectæ sunt, nullus futuris unquam temporibus abbatem ordinare præsumat. Sed tam prioratus ipsi et cellæ, quam et cætera in quibuslibet locis omnia, quibus Cluniacensis Ecclesia, Arvernensis concilii, quod per supradictum papam Urbanum II celebratum est, tempore investita erat, C de quibus tunc nulla quæstio mota est, tam tibi quam successoribus tuis in pace semper et quiete serventur. Pro altaribus et ecclesiis, sive decimis vestris, nulli episcoporum facultas *sit* gravamen aliquod vobis, aut molestias irrogare, sed sicut eorum permissione quædam ex parte, quædam ex integro habuistis, et in futurum habeatis. Ecclesiarum vestrarum decimas, quæ a laicis obtinentur, si secundum Deum eorum potestati subtrahere vestræ religionis reverentia poterit, ad vestram et pauperum gubernationem vobis liceat possidere. Decimas laborum vestrorum, pro quibus tam vos quam alios monasticæ religionis viros inquietare episcopi consueverunt, illorum videlicet quos Dominicaturas appellant, qui vestro sumptu a monasteriis, et cellarum vestrarum D clientibus excoluntur, sine omni episcoporum et episcopalium ministrorum contradictione deinceps quietius habeatis, qui vestra peregrinis fratribus et pauperibus erogatis. Ecclesiæ omnes, quæ ubilibet positæ sunt, seu capellæ vestræ et cœmeteria libera sint et omnis exactionis immunia, præter consuetam episcopi paratam, et justitiam in presbyteros, qui adversus sui ordinis dignitatem offenderint. Liceat quoque vobis seu fratribus vestris presbyteros eligere: ita tamen ut ab episcopis, vel episcoporum vicariis animarum curam absque venalitate suscipiant: quam si committere illi, (quod absit!) de pravitate noluerint, tunc presbyteri ex Apostolicæ sedis benignitate officia celebrandi licentiam consequantur. Ecclesiarum vero seu altarium con-

secrationes, si diœcesani episcopi gratis voluerint A exhibere, a quolibet Catholico suscipiatis episcopo; nec cellarum vestrârum ubilibet positarum fratres pro qualibet interdictione vel excommunicatione divinorum officiorum suspensionem patiantur; sed tam monachi ipsi quam et famuli eorum, et qui se monasticæ professioni devoverunt, clausis ecclesiarum januis, non admissis diœcesanis, divinæ servitutis officia celebrent, et sepulturæ debita peragant. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda nominibus: B

In Burgundia ecclesiam de Villafranca, ecclesiam de Barberiaco, monasterium de Prims, ecclesiam de Belna cum appendiciis suis; in Francia ecclesiam Montis-Desiderii, ecclesiam de Dompetra, ecclesiam de Crispeio; in Provincia monasterium juxta Montem-Pessulanum; in Tolosano episcopatu ecclesias Sanctæ Columbæ; in Hispanias, Nazaram, S. Isidorum, S. Zoelum de Carrione, S. Romanum de Pennis, Villamviridem, Villamfrancam, Valemviridem, Palumbarium, Bodinum, Vimeneriam, S. Martinum de Nebda, S. Vincentium de Salamantica, Sanctam Columbam de Burgis, Cornilanam, quæ propriæ Cluniacensi monasterio datæ sunt. C Item in Nivernensi episcopatu monasterium de Albiniaco quod ad Charitatem pertinet. In Francia monasterium de Causiaco, quod ad S. Martinum de Campis pertinet, canonicalem ecclesiam de Abbevilla. Item ecclesiam de Rua, quæ ad monasterium de Abbevilla pertinet. In episcopatu de Castro, ecclesiam S. Petri de Aliano; in episcopatu Tusculanensi ecclesiam S. Mariæ de Pessulo [Pesculo]; in episcopatu de Orbeveteri, ecclesiam S. Mariæ de Aquamola, et ecclesiam S. Angeli.

Prohibemus autem ne infra parochias ad jus Clun. monasterii pertinentes, absque Clun. abbatis assensu ullus ecclesiam vel capellam ædificare præsumat, salva in omnibus sedis apostolicæ auctoritate. Inhibemus autem ne terras, seu possessiones alias, et D thesaurus ecclesiarum vestrarum liceat alicui vendere, seu alio modo alienare, vel loco pignoris obligare, vel alicui fratrum vestrorum pro aliquo fide jubere absque consensu abbatis et capituli vestri, aut majoris et sanioris partis. Quod si factum fuerit, decrevimus irritandum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione aut sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se judicio divino existere de perpetrata iniquitate cognoscat; et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ episcopus.

FACERE VOLUNTATEM TUAM DOCE ME, DOMINE.

Ego Joannes presbyter cardinalis tituli Sancti Marci.

Ego Laborans presbyter cardinalis Sanctæ Mariæ Trans-Tiberim tituli Calixti.

Ego Albinus presbyter card. tit. Sanctæ Crucis in Hierusalem.

Ego Melior presb. card. SS. Joannis et Pauli tit. Pamachii.

Ego Jacobus diaconus card. S. Mariæ in Cosmedin.

Ego Octavianus SS. Sergii et Bacchi diaconus cardinalis.

Ego Gofridus S. Mariæ in Via Lata diaconus cardinalis.

Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Tulliano diac card.

Ego Radulphus G. Georgii ad Velum Aureum diaconus card.

Datum Laterani, per manum Moysi Lateran. can. vices agentis cancellarii, v Kal. Martii, indict. VI, Incarn. Dominicæ anno 1187, pontificatus vero domni Clementis papæ III anno I.

XXVI.

Abbatum S. Benedicti Padilironensium electionem jubet secundum monasterii Cluniacensis privilegia fieri.

(Laterani, Febr. 26.)

[*Bibliotheca Cluniac.*, p. 1452.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Hugoni abbati, et conventui Cluniacensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Privilegiis, quæ a sede apostolica Cluniacensi monasterio indulta sunt, diligenter inspectis, manifeste cognovimus quod Beati Benedicti monasterium a prædecessore nostro bonæ memoriæ, Gregorio papa VII, Hugoni Cluniacensi abbati ejusque successoribus commissum est, ut in ejus gubernatione, atque custodia et potestate habeant, et studium procurationis impendant; obeunte quoque ipsius loci abbate, eorum semper provideat diligentia, quatenus idonea et huic officio digna in loco regiminis secundum Beati Benedicti Regulam subrogetur persona, et quidquid in Monasterio ad augmentum et observationem monasticæ religionis institui vel emendari oportuerit, eorum semper

ministerio et dispensatione pariter impleatur, salva A quidem in omnibus auctoritate apostolicæ sedis, cujus juris ille locus existit. Idipsum quoque ab ipsius Gregorii successoribus prædecessoribus nostris, et præcipue papa Calixto felicis memoriæ, statutum est et confirmatum : qui in sua confirmatione addidit ut, in eodem Beati Benedicti monasterio, sine Cluniacensis abbatis consilio, provisione et præcepto abbas nullatenus eligatur, nullusque episcoporum sine commendatitiis litteris Clun. abbatis eidem electo consecrationis vel ordinationis manum imponat. Alioquin et consecrator tanquam constitutionis apostolicæ prævaricator graviori subjaceat ultioni, et consecrati electio sive ordinatio, donec apostolicæ sedi et eidem Clun. monasterio satisfiat, irrita habeatur. Tempore autem beatæ B memoriæ Lucii papæ prædecessoris nostri, Petrus tunc abbas monasterii vestri, tam per se quam per fratres suos, prædecessoribus ejusdem Lucii papæ, et ipsi etiam sæpius conquestus fuit, quod eodem P. inconsulto fratres prædicti monasterii S. Benedicti contra supradictum tenorem sibi abbatem elegerant, et debitam ei obedientiam ac reverentiam subtrahebant. Unde prædecessor noster felicis memoriæ Innocentius papa per litteras eis suas mandavit, ut Guillelmus abbas, qui abbate et fratribus Cluniacensibus inconsultis electus et ordinatus fuerat, cum honestis et discretis personis de fratribus suis monasterium et fratres Clun. adiret, et eidem P. abbati obedientiam ac reverentiam, C quemadmodum prædecessor suus bonæ memoriæ Henricus abbas exhibuerat, devote et humiliter exhiberet. Quo nequaquam per eos impleto, et fratribus Clun. in sua querimonia persistentibus, idem Lucius papa per sua eis scripta mandavit, ut memoratus G. abbas cum honestis et discretis personis, et privilegiis sui monasterii, præteritis Beati Andreæ octavis, ejus se conspectui præsentaret, ut, utriusque partis causa cognita, pacem inter eos auxiliante Domino reformaret. Fratribus autem vestris eodem termino sæpe dicti Lucii conspectui præsentatis, nec ipse venit, nec per fratres suos qui venerant, pax inter partes potuit reformari. Quia igitur tam manifeste Clun. monasterii justitiæ idem Lucius ulterius deesse non poterat, per apo- D stolica eis scripta mandavit atque præcepit, quatenus ipse G. abbas cum honestis et discretis personis de fratribus suis, occasione et dilatione remota, Cluniacense monasterium visitaret, atque prædicto P. abbati obedientiam ac reverentiam, quam prædecessores sui prædecessoribus ipsius P. exhibuerant, humiliter exhiberet ; quod si infirmitate gravatus per se id adimplere non posset, per meliores personas ipsius monasterii adimpleret. Nos igitur prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, ne de cætero in eodem S. Benedicti monasterio, nisi juxta prædictum tenorem privilegiorum sedis apostolicæ abbatis fiat electio, ad exemplar sæpe dicti Lucii auctoritate apostolica prohibemus. Quod si facta fuerit, irrita et vacua habeatur.

Datum Laterani, IV Kal. Martii, Pontificatus nostri anno primo.

XXVII.

Hugoni abbati et conventui Cluniacensi monasterium S. Germani Antissiodorensis addicit.

(Laterani Febr. 26.)

[BALUZ., *Miscell.* ed. Mansi, II, 177.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis HUGONI abbati et conventui Cluniacensi salutem et apostolicam benedictionem.

Quanto specialius cœnobium vestrum beati Petri juris existit et ad nostram provisionem nullo mediante pertinet et tutelam, et vos et prædecessores vestri in eo cœlestis magisterio subditi disciplinæ per infusionem sancti Spiritus odorem honestatis et religionis in vestro hactenus ordine observata latius expandistis, tanto ad conservandum jura illæsa et justas devotionis vestræ petitiones benignius admittendas tenemur existere promptiores. Quia igitur, sicut ex scriptis S. quondam comitis Blesensis et A. uxoris ejus et felicis recordationis Urbani secundi et Paschalis, Romanorum pontificum, sub sigillis dilectorum filiorum nostrorum B. Sancti angeli et S. Sanctæ Mariæ in Via Lata diaconorum cardinalium, sedis apostolicæ legatorum, ad præsentiam bonæ memoriæ Urbani tertii prædecessoris nostri transmissis innotuit, monasterium Sancti Germani Altissiodorensis, in quo adeo per negligentiam provisorum regularis observantia perierat, disciplinæ et terrenæ defecerant facultates, quod ejus custodia abjectis traderetur personis, ad preces prædicti comitis monasterii ejusdem patroni et bonæ memoriæ Humbaldi tunc Altissiodorensis episcopi et aliorum plurium prædictus Urbanus secundus, antecessor noster, beato Hugoni, tunc monasterii vestri abbati, et successoribus ipsius provida deliberatione concessit secundum beati Benedicti Regulam reformandum et sub ordine monasterii Cluniacensis futuris temporibus perpetuo possidendum, sic tamen quod monasterium ipsum abbatis non debeat provisione carere; quam concessionem et prædicti comitis donationem prædictus Paschalis et Urbanus tertius, prædecessores nostri, postmodum confirmarunt, et nos eorum vestigiis inhærentes ad exemplar ipsorum eamdem concessionem ratam esse decernimus et præsentis scripti pagina confirmamus, statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani, IV Kal. Martii, pontificatus nostri anno primo.

XXVIII.

Archiepiscopis et episcopis interdicit, ne de cætero nisi eum ad Cluniacensium fratrum prioratus vi-

sitationis causa venerint, procurationes ab iis ali quas requirant. »

(Laterani, Febr. 26.)

[*Bullarium Cluniac.*, 88.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, in quorum parochiis prioratus et obedientiæ Ecclesiæ Cluniacensis existunt, salutem et apostolicam benedictionem.

Sic est Ecclesiarum prælatis et divina constitutione permissum spiritualia seminando, carnalia metendo recipere, secundum illud : *Non alligabis os bovi trituranti* (*I Tim.* v), ut sibi commissis Ecclesiis oneri non existant. Intelleximus siquidem quod hæc quidam vestrum nequaquam, sicut convenit, attendentes, cum suas diœceses circumeant, a prioratibus et obedientiis Cluniacensium fratrum apud alios hospitati procurationes sibi faciunt exhiberi, licet ipsi parati essent, ut asserunt, in prioratibus suis eos benigne recipere, et prompta eis devotione servire. Quia vero indignum est ac vestræ pariter honestati contrarium, ecclesiasticæ charitatis obsequia ad gravamen trahere subditorum fraternitati vestræ, præsentium auctoritate districtius inhibemus, ne de cætero, nisi cum ad prædictorum fratrum prioratus visitationis causa veneritis, procurationes ab eis aliquas requiratis, nec eis super hoc gravamen aliquod aut molestiam inferatis, scituri quod si secus egeritis, nos eisdem fratribus, auctore Domino, curabimus prohibere, ut alibi hospitatis procurationes nequaquam impendant.

Datum Laterani IV Kal. Martii, pontificatus nostri anno primo.

XXIX.

Monasterii S. Mariæ Flabonis-montis protectionem suscipit, bonaque confirmat.

(Laterani, Febr. 26.)

[Hugo, *Ord. Præm. Ann.* I, Pr., p. 551.]

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Hugoni abbati ecclesiæ S. Mariæ de Flabonis-montis, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regulariter substituendis in perpetuum.

Religiosis desideriis, etc. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam Sanctæ Mariæ Flabonis-montis, in qua divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus : in primis siquidem statuentes, ut ordo canonicus qui secundum Deum et beati Augustini Regulam, atque institutiones Præmonstratensium fratrum in eadem ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet, vel in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Locum ipsum in quo fundata est ecclesia, qui antiquitus vulgo Flabonis-montis appellatur, et cum nemore de Wathes. Pasturas in ipsis pratis, aquis, nemoribus; glandem et fagenam in iisdem nemoribus; ligna tam ad ædificandum, quam ad comburendum et ad quoslibet usus : quæ dederunt vobis in suis portionibus totius territorii de Baigneval, Wido de Acrimonte, et Wiardus Ruffus de Daville, Genoldus et Herbertus de S. Juliano, Wido assensu Hugonis comitis de Wadmonte ; Guidus et Herbertus assensu Olrici de Gisnei; Wiardus assensu ejusdem Guidonis, a quibus ea in feodum tenebant; Guido etiam assensu Olrici de Posternis, et uxoris suæ Esclamundiæ, et Walteri de Deully, etc. (*Hic longissime recenset pontifex omnes possessiones ecclesiæ Flabonis-montis; deinde suam bullam claudit eidem concedendo privilegia et exemptiones ordinarias.*)

Ego Clemens catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Theobaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus.

Ego Joannes presbyt. card. tit. S. Marci.

Ego Laborans presbyt. card. S. Mariæ Trans-Tiberim.

Ego Albinus tit. S. Crucis in Jerusalem presbyt. card.

Ego Melchior presbyt. card. SS. Joannis et Pauli tit. Pamachii.

Ego Sacerdos diac. card. S. Mariæ in Cosmedin.

Ego Decamanus SS. Sergii et Bacchi diac. card.

Ego Soffridus S. Mariæ in Via Lata diac. card.

Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Tulliano diac. card.

Ego Radulphus S. Georgii ad Velum Aureum diac. card.

Datum Laterani, per manum Moysi Lateranensis canonici, vices agentis cancellarii, IV Kal. Martii, indictione VI, Incarnationis Dominicæ anno 1187, pontificatus domini Clementis papæ anno primo.

XXX.

Bulla abbatiam B. Mariæ de Herivalle confirmantis.

(Laterani, Mart. 2.)

[*Gall. Christ.*, VII, Instrum., 274.)

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati ecclesiæ beatæ Mariæ de Herivalle, ejusque fratribus tam præsentibus, quam futuris regularem fratribus vitam professis in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit ! sacræ religionis infringat. Ea-

propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam Sanctæ Mariæ de Herivalle, in qua divini mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus; imprimis statuentes, ut ordo canonicus, qui secundum Deum et B. Augustini Regulam, atque institutionem fratrum S. Victoris Parisiensis in eadem ecclesia noscitur esse institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Locum ipsum, in quo præfata ecclesia sita est cum omnibus pertinentibus suis, terris, vineis, pratis, silvis, pascuis et vinariis ac decimis; ex dono Rainaldi Claromontis comitis et Matthæi comitis Bellimontis Herivallem et nemus ac planum eidem loco circumadjacens, quantum vos et successores vestri suis sumptibus et animalibus excolere poterunt, ab omni seculari exactione liberum penitus et immune : ecclesiam de Marliaco villa cum pertinentiis suis ; ex dono Odonis Apri duos sextarios frumenti annuatim in molendino Forti, et quod in eodem molendino fratres ipsius loci statim post primum molentem, quantum ad fratrum sufficientiam oportuerit, semper absque molitura molant; ex dono Rainaldi comitis tres sextarios frumenti et tres mixturæ in molendino de Coya; ex dono Alberici militis unum sextarium frumenti de domo ejus de Fossis annuatim, quicunque eam possederit; ex dono Girardi de Atrio unam minam annonæ de allodio de Compens, qualiscunque annona ibi venerit : decimam, quam Guido miles de assensu diœcesani episcopi ecclesiæ vestræ dimisit : sexaginta arpenta terræ a Rerico de Fossis, et triginta ab Hugone majore de Luzarchiis, ecclesiæ vestræ emptionis titulo acquisita : bosculum domui vestræ vicinum : ex dono Amaurici de Villariobello et Elisabeth uxoris suæ vineas quasdam et terras apud Villariumbellum; sexaginta arpenta nemoris et dimidium, quæ a supradicto Rerico de Fossis tenetis sub annuo censu sex denariorum pro arpentis singulis solvendorum; sex arpenta terræ, quæ jam dictus Rericus ecclesiæ vestræ in eleemosynam libera et absoluta donavit. Nemus de Roissy, quod ab Alberico de Fossis milite, et Huberto sororio ejus et Odone de Bellofonte sub annuo censu quatuor denariorum pro singulis arpentis ejusdem nemoris solvendorum tenetis; duodecim arpenta terræ arabilis et decem nemoris, quæ Hugo major de Luzarchiis in territorio Fossarum villæ perpetua largitione donavit; immunitatem etiam decem solidorum ab eodem Hugone ecclesiæ vestræ conces- A sam, quos ei annis singulis pro quodam nemore vestra ecclesia solvere tenebatur; decimam præterea, quam idem Hugo ecclesiæ vestræ apud Fossas et Marliacum de assensu diœcesani episcopi dimisit; decimam, quam Milo de Bellofonte de suæ uxoris et hæredum suorum assensu, in loco Bernerii, et eam etiam, quam Malcerius miles de Balanval apud Survilliers cum tribus frumenti sextariis de assensu diœcesani episcopi vestræ ecclesiæ dimiserunt : ex dono Odonis majoris de Luzarchiis sextarium unum annuatim et quatuor arpenta terræ pro anima uxoris suæ; ex dono Radulfi de Aquabona militis duos frumenti sextarios apud Villariumsiccum; ex dono Brunisendis mulieris duos frumenti sextarios in villa Marioli; ex dono Idoneæ B mulieris de Doemunt et filii ejus Cunavi hostisiam liberam apud Villare, et duo arpenta terræ pro anima Adæ viri sui; dimidiam partem quartæ partis decimæ de Fossis, quam Robertus Bochardus ecclesiæ vestræ de assensu diœcesani episcopi dimisit.

Sane novalium vestrarum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum decimas a vobis nullus extorquere præsumat; liceat quoque vobis clericos vel laicos e sæculo fugientes liberos et absolutos ad conversionem recipere, et eos sine contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ne ulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit sine abbatis sui licentia de eodem loco discedere, C seu proprium levitate aliqua detinere; discedentem vero absque communium licentiarum cautione nullus audeat retinere : cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Sepulturam præterea ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati sint vel interdicti, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptione et astutia, seu D violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum major pars consilii sanioris secundum Dei timorem et beati Augustini Regulam providerint eligendum. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prædictam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus commodis profutura, salva in omnibus apostolicæ sedis auctoritate et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, etc.

Datum Laterani, per manum Moysi Lateranensis canonici, gerentis vicem cancellarii, sexto Nonas

Martii, indictione sexta, Incarnationis Dominicæ anno 1187 (qui nunc 1188), pontificatus vero domini Clementis papæ III anno primo A

XXXI.

Universis episcopis significat de privilegio fratrum S. Mariæ de Reno, « ut a quocunque maluerint Catholico antistite ordinentur. »

(Laterani, Mart. 3.)

[TROMBELLI, *Mem. di Reno*, 436.]

CLEMENS episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus universis episcopis ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum dilectis filiis nostris Hugoni priori subdiacono nostro, et conventui sanctæ Mariæ de Reno B ab episcopis Bononiensibus fuerit jam pridem indultum, et apostolico eis privilegio confirmatum, ut a quocunque maluerint catholico antistite ordinentur, providere volumus et debemus, ut eis libertas ista futuris temporibus servetur illæsa. Quapropter fraternitati vestræ ad instar felicis recordationis Lucii et Urbani prædecessorum nostrorum per apostolica scripta mandamus, quatenus cum ad vos aliquis eorum accesserit ordinandus, juxta tenorem privilegii sui, nullius contradictione vel appellatione obstante, auctoritate apostolica ordinetis. Nolumus autem ut pro eo quod ab aliquo semel aut sæpius receperint ordines, facultas eis adeundi alium vel alios aliquatenus denegetur.

Datum Laterani, v Nonas Martii, pontificatus C nostri anno primo.

XXXII.

Monasterio Cluniacensi Sanam villam asserit.

(Laterani, Mart. 5.)

[*Bullar. Cluniac.*, 92.]

CLEMENS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis HUGONI abbati et conventui Cluniac., salutem et apostolicam benedictionem.

Preces quæ a rationis tramite non discordant, prona nos voluntate decet admittere, et effectui debito mancipare. Inde est quod vestra justa postulatione induiti villam Sanam quam vir nobilis... D Despire per manum venerabilis fratris nostri Theobaldi Ostiensis episcopi, tunc vestri abbatis, monasterio vestro in ultima voluntate legavit, sicut eam juste ac sine controversia possidetis, auctoritate vobis apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani, III Nonas Martii, pontificatus nostri anno primo.

XXXIII.

Ad Willelmum regem Scotorum. — De exemptione Ecclesiarum terræ suæ.

(Laterani, Mart. 11.)

[MANSI, *Concil.*, XXII, 548.]

Cum universi Christi jugo subjecti ad sedem apostolicam patrocinium invenire debeant et favorem, illos tamen specialius convenit munimine protectionis confoveri, quorum fidem ac devotionem ut pluribus est experta: ut ad ipsius electionis favorem tanto amplius provocetur, et ejus reverentiæ devotiori affectione subdantur, quanto benevolentiæ ipsius et gratiæ pignus se noverint certius assecutos. Eapropter, charissime in Christo fili, reverentiam ac devotionem quam ad Romanam te habuisse a longis retro temporibus Ecclesiam novimus, attendentes, præsentis scripti pagina duximus statuendum, ut Scoticana Ecclesia apostolicæ sedi, cujus filia specialis existit, nullo mediante debeat subjacere. In qua hæc sedes episcopales esse noscuntur: ecclesiæ videlicet Sancti Andreæ, Glascuensis, Dunkeldensis, Dumblinensis, Brehinensis, Aberdonensis, Moraviensis, Rosensensis, Katinensis: et nemini liceat nisi Romano pontifici, vel legato ab ipsius latere destinato, in regnum Scotiæ interdicti vel excommunicationis sententiam promulgare, et si promulgata fuerit, decernimus non valere. Adjicimus ut nulli de cætero, qui de regno Scotiæ non fuerit; nisi quem apostolica sedes propter hoc de corpore suo specialiter destinaverit, licitum sit in eo legationis officium exercere. Prohibemus autem ut controversiæ quæ fuerint in regno illo de possessionibus ejus exortæ, ad examen extra regnum positorum judicum non trahantur, nisi ad Romanam Ecclesiam fuerit appellatum. Si qua vero scripta contra hujus libertatis statuta apparuerint impetrata, vel in posterum, istius concessionis mentione non habita, contigerit impetrari, nullum tibi vel ipsi regno circa hujus prærogativæ concessionem præjudicium generetur. Præterea libertates et immunitates tibi vel eidem regno, vel ecclesiis in eo constitutis, a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus indultas, et hactenus observatas, ratas habemus, et illibatas futuris temporibus statuimus permanere. Nulli ergo hominum liceat paginam nostræ constitutionis et prohibitionis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani, III Idus Martii, pontificatus nostri anno primo.

XXXIV.

Monasterii Sanctæ Mariæ Moncellensis protectionem suscipit, possessionesque ac privilegia confirmat.

(Laterani, Mart. 16.)

[HUGO, *O. P. A.*, II, Pr., p. 193.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dile-

ctis filiis ALBERTO abbati Sanctæ Mariæ de Moncellis, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris religiosam vitam professis, in perpetuam memoriam.

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse subsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit! sacræ religionis infringat. Eapropter, dilectissimi in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam Sanctæ Mariæ de Moncellis, in qua divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo canonicus, qui secundum Deum et beati Augustini Regulam, atque institutionem Præmonstratensem, in eadem ecclesia institutus esse noscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, donatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus propriis duximus exprimenda vocabulis:

Locum ipsum in quo sita est abbatia vestra, quam habetis ab Anselmo de Moncellis, per manum comitis Theobaldi et assensu Wiburgæ a qua illum in feudum tenebat; molendina, duas carrucatas terræ, prata, piscationem, nemus et duos homines Giguardum et Albricum et cætera appendicia. Tertiam partem decimæ de Moncellis tam minutæ quam majoris; usuarium quod comes Henricus in nemore suo tam ad comburendum, tam ad omnimoda ædificia Ecclesiæ vestræ construenda vobis concessa, cum omnibus pasturis ejusdem nemoris, cum quadam terra quæ est apud Volliers per manum Bosonis quondam Catalaunensis episcopi assensu prædicti Radulphi qui ab eo illud in feudum tenebat, terram exstirpandam ad culturam carrucarum sufficienter certis metis distinctam, quam dedit vobis comes Henricus in nemore de Luorico cum alia terra quæ suffecit ad faciendas viginti falcatas prati extra prædictas metas de nemore adjacenti, terram quam dedit vobis idem comes in eodem nemore rogatu magistri Hugonis quæ sita est inter Lefridis fontem et cason et viam de. . . . cum nemore et alia terra. . . . ultra rivum de Casum quantum arcus jacere potest ad domum occultandam, ita quod. . . . sui nec costumiam aliquam vel exactionem aliquam a vobis debent exigere. Quatuor sextarios bladi, duos tremeciati et duos tremesagii, quos Guido dominus de Cytripeio dedit ecclesiæ vestræ de Casu singulis annis percipiendos in terragiis de Moncel, duodecim denarios censuales quod dedit ecclesiæ de Casum apud Pontium Herseudis de Troam, quorum sex. . . . alios sex Hugo ejusdem villæ. . . . quotannis priori de Casum persolvere debent, grangiam de Vilo quæ sita est juxta Rosemont, quam habetis a comite Henrico, ab abbate et capitulo Belli-loci cum omnibus pertinentiis suis, sicut ecclesia Belli loci tenuerat, exceptis his quæ eadem ecclesia habebat apud. . . . tali siquidem conditione, quod singulis annis tres modios annonæ ad mensuram de S. Marguareta, medietatem frumenti et medietatem avenæ solvere debetis Radulpho de Blanciaco clerico ipsius comitis, obeuntibus vero Radulpho et comite, duos tantummodo modios annonæ ad prædictam mensuram reddetis hæredi prænominati comitis. Domum quam habetis apud Vitriacum in foro, ex dono Ludovici de eodem castro, assensu comitis Henrici, duas partes, tres partes grossæ decimæ de Maweu, tertiam partem decimarum tam grossarum quam minutarum, quam habetis infra parochiam de Boran-curiata libere, quod nihil solvere debetis pro. . . . de vestra parte, tertiam decimæ tam grossæ quam minutæ quam habetis apud Libatiam, tertiam partem apud Blesiam, duos sextarios frumenti quos habetis apud S. Veranum in terragiis quos tenet Simon et minam frumenti apud Sapignecourt, sex denarios censuales pro anima uxoris Oddonis de Cloes, quæ omnia prædictus Simon vel qui prænominata terragia tenebant Ecclesiæ vestræ quotannis solvere debebant. Locum de Avigneio in quo claustrum sororum ædificatum est. . . a campo Petri Piguis usque ad pratum de Avigneio cum eodem prato quod dederunt vobis Guido dominus de Dampetra, et Helaydis uxor sua pro remedio animarum suarum, assensu filiorum suorum videlicet Andreæ et Milonis; pratum de Insula, pratum quod vocatur Arrandicampus; decimationem totius annonæ suæ omnium terrarum ad dominum de Moilen pertinentium, carrucas molendinorum et terragiorum suorum, exceptis seminibus et talearis, usum piscationis a ponte Altæ-villæ usque ad Moilen; usuarium totius nemoris sui exceptis defensis suis, tam ad comburendum, quam ad omnimoda ædificia ecclesiæ vestræ construenda, cum pascuis porcorum, pecorum et animalium in planis et silvis absque aliqua coustumia vel exactione ministerialium. Duo molendina quæ habetis ab Hilduino de Moilen et ab. . . . de Cosantia militibus sub sensu viginti quatuor sextariorum annonæ, quorum sexdecim sunt frumenti et octo de tremesagio, assensu Guidonis de Dampetra, terram quam dederunt vobis Guido de Habucort et Beraldus frater ejus, quæ est a Sabico de Horecourt. . . . Campum in confinio pontis Novæ-villæ, dimidiam partem molendini de Guigny, piscationem liberam a consueto cursu Marnæ usque ad divisionem aquæ de Sapignicourt; libertatem quam concessit ecclesiæ vestræ Guido dominus de Dampetra, scilicet quod si hominum suorum aliquis sive liber sive servus

ad vos converti voluerit, et habitum religionis A assumere, libere cum possessione sua debetis eum recipere, salvo censu atque terragio excepto, quod militibus sive in vita sive in morte non totum feudum licet vobis dare, sed partem, salvo hominio suo; et si quis eorumdem hominum terram aliquam vobis vendere voluerit, licet eam vobis recipere, salva tamen ejusdem terræ consuetudine; octo solidos censuales quos habetis ex dono Milonis conversi vestri et Petri filii ejus apud Ramerum percipiendos, in festo S. Remigii de manu villici de Insulis apud Dommartinum; tertiam partem decimæ et sexdecim denarios censuales apud decem et novem sextarios annonæ, medietatem siliginis, et medietatem avenæ; tertiam partem decimæ quam habetis in villa quæ dicitur Piper, B scilicet tres sextarios ex octo eo anno quo cum abbatissa Trecensi accipitis; quando vero cum Pagano, quartam partem ejusdem decimæ debetis eo vero anno..... accipit, in eadem decima nihil habetis. Eleemosyna Beliardis conversæ vestræ et Milonis Cose sororis ejusdem Beliardis, terragium et censum quod habetis ex dono prædictorum apud Magnam villam et ad Doenum. Tertiam partem decimæ majoris minutæ quam habetis in villa quæ dicitur Mallyacum et ad Romanam..... quartam partem decimæ quam habetis ad Vallem putei; sextam partem ejusdem molendini cum medietate custodiæ ejusdem quam habetis apud mansum Willermini.... minutam decimæ quam habetis apud.... quos recipit C capellanus pro cantuario suo, tertia parte minutæ decimæ ibidem vobis retenta. Majorem decimam quam habetis apud Vaspium in tertio anno, tertiam partem minoris decimæ singulis annis, et quidquid..... habebat in terragiis et censibus ejusdem villæ, et quidquid habebat in terragiis censibus et consuetudinibus apud Albeme; annuum censum sex sextariorum frumenti et dimidii, et sex sextariorum avenæ et dimidii, quæ tam Robertus de Walsecourt, filius Walticæ cognomento Britel, quam successores sui solvere debent quotannis in festo S. Remigii fratribus de Avigniaco, a quibus mediam partem molendinorum de Walsecourt sub eodem censu recepit; quin etiam annuum censum quam D fratres Avegniorum singulis annis solvere solebant monachis de Hozecort, idem Robertus et successores sui pro receptione eorumdem molendinorum quotannis prædictis monachis solvere teneantur; ita tamen, quod si eadem molendina aliquo modo per culpam ejusdem Roberti omnino destructa fuerint, prædicti fratres mediam partem reficiant et Robertus alteram. Singulis vero triennis dabuntur fidejussores novi, super censu duos sextarios frumenti quos Robertus de Walsecourt dedit vobis cum matre sua dum ad vestram conversionem venit, quos tres ex Altofonte eodem Roberto, singulis annis, pro censu reddebant, pro terra illa, quæ est inter stagnum et terram de Blefia, assensu domini de Dampetra, a quo terram illam in feudum tenebat.

Allodium quod habetis ab ecclesia S. Mariæ de Vanno, et ab abbate Bartholomæo et capitulo Sancti Pauli Virdunensis, sub annuo censu quinque solidorum Cathalaunensis monetæ, in festo S. Remigii eidem ecclesiæ de Walfno quotannis persolvendorum; allodium quod dedit vobis Jacobus de Graveria in rivo juxta villam quæ vocatur Loisis, salvo censu, annuentibus dominis suis, a quibus illud tenebat cum quadam domo et uno manso, sicut in authentico scripto Cathalaunensis episcopi continetur. Medietatem cujusdam prati quod vocatur Manbre cum medietate terræ arabilis eidem prato adjacentis quas dedit vobis Guido filius..... Ruffi de Walsecourt, assensu fratrum suorum et Hilduini Petri pro sorore sua in ecclesia vestra conversa; aliam medietatem ejusdem prati cum prædicta terra quam dedit vobis..... assensu prædictorum fratrum Hilduini Petri, et pro qua concessione, tribus prænominatis fratribus ecclesia vestra medietatem molendinorum de Walsecourt, quam eidem ecclesiæ pro decem libris Trecensis monetæ pignori obligaverant, remisit. Aliam medietatem eorumdem molendinorum ex dono supradicti Galbæ sibi retinentis allodium de Hescalaron, quod dedit vobis Stephanus de One, quantum ad eum de jure spectabat.

Sane laborum vestrorum quos propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat; licet fundorum dominis pro rei proprietate censum vel quotamlibet frugum partem reddatis.

Liceat quoque vobis clericos et laicos e sæculo fugientes, liberos et absolutos ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ne ulli fratrum vestrorum, post factam in eodem loco professionem, fas sit, absque abbatis sui licentia de ipso discedere; discedentem vero sine communium litterarum cautione nullus audeat retinere.

Inhibemus etiam ne ecclesias aut terras seu aliquod beneficium ecclesiæ vestræ collatum, liceat alicui personaliter dari, sive alio modo alienari, sine consensu totius capituli, aut majoris et sanioris partis ejusdem.

Si quæ vero donationes vel alienationes aliter quam dictum est factæ fuerint, eas irritas esse censemus. Ad hæc autem adjicimus ne aliqui canonici sive conversi sub professione domus vestræ adstricti, sine consensu abbatis et majoris partis capituli vestri pro aliquo fidem inhibeant, vel ab aliquo pecunias mutuo accipiant ultra pretium..... vestra providentia provisum, nisi propter manifestam domus vestræ utilitatem. Quod si facere forte præsumpserint, non teneatur conventus, sine cujus licentia et consensu id egerant, pro his aliquatenus respondere. Licitum præterea vobis sit in cau-

sis vestris fratres vestros idoneos ad testificandum A adducere atque ipsorum testimonio sicut rectum fuerit et propulsare violentiam et justitiam vindicare. Ob evitandas vero sæcularium frequentationes, liberum sit vobis salvo jure diœcesani episcopi et ecclesiæ parochialis, oratoria in grangiis vestris construere, et in ipsis, cum necesse fuerit, vobis et familiæ vestræ divina officia celebrare.

Sepulturam præterea ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Pro chrismate vero, oleo sancto, consecrationibus ecclesiarum, ordinationibus clericorum, qui ad sacros ordines B fuerint promovendi, sive abbate deducendo ad sedem, vel quibuslibet aliis ecclesiasticis sacramentis, nullus a vobis, aut sub obtentu consuetudinis, aut quolibet alio modo, quidquam audeat postulare.

Si quis autem contra hæc venire præsumpserit, portionem cum Giezi se noverit habiturum, cujus factum exactione turpis muneris imitatur. Paci quoque et tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus ne quis infra clausuram locorum vestrorum seu grangiarum vestrarum furtum rapinamve committere, ignem apponere, hominem capere, vel interficere, seu aliquam violentiam temere C audeat exercere.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum, etc.

Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ episcopus

Ego Theobaldus Ostiensis episcop.

Ego Joannes presbyter card. titulo S. Marcelli.

Ego Laborans presb. card. Sanctæ Mariæ trans D Tiberim tit. S. Calixti.

Ego Albinus tit. S. Crucis in Jerusalem presb. card.

Ego Melior presbyter cardinalis tit. S. Cæciliæ.

Ego Rodulphus, presbyter cardinalis tit. S. Praxedis.

Ego Petrus tit. S. Clementis presb. card

Ego Jordanus presb. card. S.-Prudentianæ tit. Pastoris

Ego Jacobus diac. card. S. Mariæ in Cosmedin.

Ego Octavianus SS. Sergii et Bacchi diac. cardinalis.

Ego Soffredus S. Mariæ in Via Lata diac. cardinalis.

Ego Bobo S. Sergii diac. card.

Ego Joannes S. Theodori diac. card.

Datum Laterani per manum Moysi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, vicem gerentis cancellarii, XVIII Aprilis (4), indictione VI, Incarnationis Dominicæ anno 1188, pontificatus vero domni Clementis papæ III anno primo.

XXXV.

Ecclesiam S. Mariæ de Reno tuendam suscipit, et ejus bona ac privilegia confirmat.

(Laterani, Mart. 17.)

[TROMBELLI, *Mem. di Reno*, 381.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis HUGONI, priori Sanctæ Mariæ de Reno, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Cum nobis sit, licet immeritis, omnium ecclesiarum cura et sollicitudo commissa, pro statu ecclesiæ vestræ pastoralem cogimur sollicitudinem gerere, et paci vestræ, prout nobis Dominus dederit, intendere diligenter. Ut autem a pravorum incursibus, apostolica sitis defensione muniti ecclesiam vestram, in qua divino estis obsequio mancipati, inducti piis precibus et justis postulationibus vestris, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Statuentes ut ordo canonicus qui secundum Deum et beati Augustini regulam in eadem ecclesia noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Locum ipsum in quo præscripta ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis ; ecclesiam Sancti Andreæ in Turicella ; ecclesiam Sancti Domnini juxta Bagnum ; ecclesiam Sancti Salvatoris. Possessiones quæ fuerunt Girardi de Sala, cum decimis et fictis, et omnibus pertinentiis suis ; hospitale de Casaiola cum pertinentiis suis ; ecclesiam Sanctæ Praxedis, sicut a piæ memoriæ prædecessoribus nostris Anastasio, Alexandro, Lucio, et Urbano Romanis pontificibus, vobis concessa est ; salvo jure et reverentia cardinalis qui pro tempore in eadem ecclesia fuerit. Ecclesiam Sancti Jacobi, quæ dicitur Casa-Dei, cum pertinentiis suis. Pontem qui juxta ecclesiam vestram super Renum situs est cum suis possessionibus. Libertates quoque et immunitates rationabiliter indultas a bonæ memoriæ Henrico et Gerardo, Bononensibus episcopis, ecclesiæ vestræ et aliis ecclesiis vestris quas præ-

(4) Pro XVIII *Aprilis*, leg. XVI *Kal. April.*

diximus, videlicet ut cum omnibus rebus suis tam mobilibus quam immobilibus, ab omni conditione et a servitio et tributo tenentium ab episcopo tam monachorum et clericorum quam laicorum vel alicujus tam magnæ quam parvæ personæ dominio, præter episcopale jus, liberæ sint penitus et quietæ, ratas habemus et firmas, easque perpetuis temporibus illibatas manere censemus.

Liceat etiam vobis clericos et laicos e sæculo fugientes, liberos et absolutos, ad conversionem recipere, et eos in ecclesia vestra absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit de eodem loco, absque prioris sui licentia, nisi obtentu arctioris religionis, discedere; discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Et si aliquis ipsorum fratrum extra claustrum ausus fuerit sine prædicta licentia permanere, si secundo tertiove commonitus, resipiscere forte contempserit, liceat priori ejusdem loci excommunicationis in ipsum tanquam in professum suum sententiam promulgare. Præterea decimas quas a quadraginta annis inconcusse tenuistis, et nunc pacifice tenere noscimini, vobis et ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus. Prohibemus etiam ut nulli fas sit vobis et ecclesiæ vestræ novas et indebitas exactiones imponere; sed ipsam ea gaudere decernimus libertate, quam a quadraginta annis elapsis, usque ad hæc tempora noscitur habuisse.

Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat; salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Ad hæc, ordinationes clericorum vestrorum a quo malueritis episcopo Catholico suscipiendi liberam vobis concedimus facultatem, sicut memorati episcopi facultatem ipsam nobis per authentica scripta indulsisse noscuntur. Fructuum quoque vestrorum, undecunque de episcopatu Bononiensi venientium, vobis decimas confirmamus, sicut eædem decimæ sunt ab eisdem episcopis ecclesiæ vestræ provida circumspectione concessæ. Obeunte vero te nunc ejusdem loci priore vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia vel violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem et beati Augustini regulam providerint eligendum.

Ad indicium autem hujus a sede apostolica perceptæ protectionis et libertatis, duos solidos Lucensis monetæ nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas sit præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra ad usum conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate et Bononiensis episcopi canonica justitia.

Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat.

Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Theobaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus.

Ego Joannes presb. card. tit. S. Marci.

Ego Laborans presb. card. S. Mariæ trans Tiberim tit. Calixti.

Ego Albinus tit. S. Crucis in Jerusalem presb. card.

Ego Melior presb. card. SS. Joannis et Pauli tit. Pamachii.

Ego Jacobus diac. card. S. Mariæ in Cosmedin.

Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani diac. card.

Ego Gerardus S. Adriani diac. card.

Ego Octavianus SS. Sergii et Bacchi diac. card.

Ego Soffredus S. Mariæ in Via Lata diac. card.

Ego Petrus S. Nicolai in Carcere Tulliano diac. card.

Ego Radulphus S. Georgii ad Velum Aureum diac. card.

Datum Laterani, per manum Moysi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, vicem agentis cancellarii, XVI Kalendas Aprilis, indictione VI, Incarnationis Dominicæ anno 1187, pontificatus domni Clementis papæ III anno primo.

XXXVI.

Abbatibus et fratribus ordinis Præmonstratensis decimarum immunitatem asserit.

(Laterani, Mart. 17.)

[Lepaige, *Bibl. Præm.*, 641.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbatibus et fratribus Præmonstratensis ordinis, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis facilem nos convenit præbere consensum, et vota quæ a rationis tramite non discordant, effectu sunt prosequente complen-

A da. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, ne de cætero alicui de novalibus vestris, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, decimas persolvatis, auctoritate apostolica vobis vestrisque successoribus indulgemus, firmiter prohibentes ne quis eas amodo a vobis exigat, vel extorquere præsumat. Decimas quoque novalium vestrorum vobis clementer annuimus, quæ habetis infra parochiam de Firmitate, in nemore quod vobis Gobertus de Firmitate dimidia fructuum parte, exceptis messorum garbis, sibi et hæredibus suis retenta, misericorditer contulit, et ea ad exemplar domini Urbani prædecessoris nostri, auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus, B statuentes ut nulli omnino hominum, etc.

Datum Laterani, XVI Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

XXXVII.

Priori de Fauersham et magistro Firmino mandat, ut bonorum Ecclesiæ Cantuariensis invasores, si admoniti damna non sarserint, excommunicatos declarent.

(Laterani, Mart. 17.)

[GERVASII *Imagin.* ap. TWYSDEN II. A. *Scr.*, I, 1321.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori de Fauersham et magistro FIRMINO salutem et apostolicam benedictionem.

C Horrendi facinoris detestanda præsumptio vehementer animum nostrum pro sui atrocitate commovit ut illos debitæ severitatis jaculo feriamus, qui more prædonum Cantuariensis Ecclesiæ possessiones nequiter invaserunt, vel in septa curiæ monachorum et officinas, effractis muris crudeliter irruentes, eorum bona sacrilego ausu diripuisse noscuntur. Eos quoque qui, monachis et hominibus eorum violentiam inferentes, curiam ipsis contradicentibus occuparunt. Unde quoniam prædictorum fratrum injurias dissimulare nec possumus nec debemus, quibus tanto benignius in suo jure tenemur adesse, quanto in partibus Anglicanis majori præminent honestate, præsumptores illos qui tam enormis sacrilegii facinus admiserunt et eorum compli- D ces, usque ad satisfactionem condignam, auctoritate præsentium decernimus anathemati subjacere, per apostolica vobis scripta præcipienda mandantes, quatenus ipsos, si admoniti noluerint congrue satisfacere, excommunicatos, sicut moris est, contradictione et appellatione cessante, solemniter et publice nuntietis, et faciatis ab omnibus cautius evitari; attentius provisuri ne, quod absit! ex desidia vestra in hac parte mandatum apostolicum negligatur, quod grave nobis esset modis omnibus et molestum; nec possemus æquanimiter sustinere. Quod si ambo his exsequendis nequiveritis interesse, alter vestrum ea nihilominus exsequatur.

Datum Laterani, XVI Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

XXXVIII.

Willelmo episcopo Wigorniensi et abbati de Theokesbr. et priori Sancti Sepulcri de Warwic, mandat ut judicent inter canonicos de Kinildewrde et clericos de Gnoshale.

(Laterani, Mart. 23.)

[MANSI, *Concil.* XXII, 943.]

Referentibus nobis canonicis de Kinildewrde, accepimus quod cum controversia quæ vertebatur inter ipsos et clericos de Gnoshale, super ecclesia de Cule, fuisset dilectis filiis nostris de Cumbermere et de Derlee abbatibus et archidiacono Coventrensi, ab apostolica sede commissa canonice dirimenda, procurator R. militis de Stanford, qui jus habet defensionis in illa ecclesia, sentiens partem canonicorum injuste gravari, cum ipsi clerici illam contra antiquam libertatem vellent jurisdictioni capellæ suæ de Gnoshale subjugare, vocem appellationis ad sedem apostolicam emisit. Judices vero appellationi legitime interpositæ minime deferentes, in decisione controversiæ, absente altera parte, processerunt. Quia vero ipsi canonici juri suo in hoc queruntur plurimum derogari, discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus partibus ad vestram præsentiam convocatis, audiatis causam et, appellatione remota, mediante justitia terminetis.

Datum Laterani, decimo Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

XXXIX.

Ecclesiæ Sancti Piati Siclíniensis protectionem suscipit, bonaque ac privilegia confirmat.

(Laterani, Mart. 26.)

[BUZELINI, *Gallo-Flandria*, 297.

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis præposito Sancti Piati Sicliniensis, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris canonice substituendis, in perpetuum.

Effectum justa postulantibus indulgere et vigor æquitatis, et ordo exigit rationis, præsertim quando petentium voluntatem et pietas adjuvat, et ratio non relinquit. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Statuentes, ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia inpræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum, concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Ecclesiam ipsam cum pertinentiis, scilicet de Houptine, Lechin, Anquene [*alias* Ancoisne], Attiche, Martinsart, Watiessart, Ploiek, cum omnibus decimationibus suis, etc.... Altare de Chemy, cum decimatione integra.....; altare de Godencourt cum

omnibus redditibus, quos ibidem habetis, et terra arabili; altare de Carnin cum consimilibus redditibus. Villam de Tumeries totam cum altari, cum justitia, cum terragio, et cæteris redditibus...., altare de Tourmegnies cum terragio et cæteris redditibus, altare de Lòs, etc. Altare de Croix cum consimilibus redditibus, altare de Mesnil...., altare de Fressin...., altare de Wahegnies cum omnibus redditibus quos ibidem habetis... Visitationes insuper ecclesiarum omnium ad Insulensem decanatum spectantium, quæ fiunt ad ecclesiam vestram in honore beati Piati martyris sexta feria Pentecostes, sicut a quadraginta retro annis noscitur observatum, eidem ecclesiæ auctoritate apostolica confirmamus.

Præterea ex dono nobilis viri Philippi, Flandrensis comitis, quindecim solidos, quos ecclesiæ vestræ donavit, ad emendum panem et vinum, de quibus altaris conficitur sacramentum.

Præterea libertates et immunitates antiquas, et rationabiles consuetudines ecclesiæ vestræ collatas, et hactenus observatas ratas habemus, easque perpetuis temporibus illibatas permanere sancimus. Novas insuper et indebitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis, archidiaconis seu decanis, aliisque omnibus ecclesiasticis sæcularibusve personis in vos et ecclesiam vestram omnino fieri prohibemus.

Prohibemus insuper, ut infra terminos parochiæ vestræ nullus sine assensu diœcesani episcopi et vestro, capellam seu oratorium de novo ædificare præsumat, salvis privilegiis Romanorum pontificum. Auctoritate quoque apostolica inhibemus, ne quis in vos, aut ecclesiam vestram excommunicationis, suspensionis aut interdicti sententiam sine manifesta et rationabili causa promulget. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare.

Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberarint, nisi forte excommunicati sint vel interdicti, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur, etc.

Datum Laterani, per manum Moysi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, vicem agentis cancellarii, VII Kalendas Aprilis, indictione VI, Incarnationis vero Dominicæ anno 1188, pontificatus autem domni Clementis papæ III, anno primo.

XL.

Ecclesiam S. Salvatoris Venetam tuendam suscipit et ejus possessiones privilegiaque confirmat.

(Laterani, Mart. 28.)

[CORNELIUS *Ecclesiæ Venetæ*, XIV, 117.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis GREGORIO, priori ecclesiæ Sancti Salvatoris de Rivoalto, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit! sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam Sancti Salvatoris, in qua divino mancipati estis obsequio, ad exemplar prædecessorum nostrorum, felicis memoriæ Innocentii, Eugenii, Anastasii, Lucii, Urbani, et Gregorii, Romanorum pontificum, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo canonicus, qui secundum Deum et beati Augustini regulam in eadem Ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Propterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet; aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis, domos atque terras, vineas, salinas, et quidquid juris habetis in Clugia. Molendinum et terras, quas habetis in Barbana; in territorio Dese molendinum, mansum, cum vineis, silvis et aliis suis pertinentiis, sicut nobiles viri Leonardus, Philippus, et Rigetus filiique Girardi de Inginulfo Ecclesiæ vestræ donarunt; terras de Liguentia, terras de Flumisello, terras de Marsiliaco, et terras de Sacco. Medietatem decimarum, quas parochiani ecclesiæ vestræ persolvunt, sicut beatæ memoriæ prædecessor noster mandavit, et beatæ recordationis Joannes Polanus q. diœcesanus episcopus privilegio suo vobis indulsit, tam pro clericis, quam pro sartatectis reficiendis, auctoritate vobis apostolica confirmamus; et ut in parochianos vestros, qui vos de medietate ipsarum decimarum defraudare præsumpserint, per priorem ecclesiæ vestræ excommunicationis sententia promulgetur, ei plenam concedimus potestatem, quemadmodum felicis recordationis prædecessores nostri Adrianus, Alexander, Lucius, Urbanus et Gregorius, Romani pontifices, scriptis suis indulsisse noscuntur. Indulgemus etiam vobis, sicut a prædictis antecessoribus nostris indultum esse dignoscitur, ut prior loci vestri qui pro tempore fuerit, pro ipsis decimis libere possit securitatem, juxta morem terræ, præstare.

Liceat quoque vobis, ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem, sine prioris suis licentia fas sit de claustro discedere. Discedentem vero sine litterarum communium cautione nullus audeat retinere. Præterea sententiam, quam venerabilis frater noster Henricus Graden-

sis patriarcha, et bonæ memoriæ Ildebrandus basilicæ Duodecim Apostolorum presbyter cardinalis, A tunc apostolicæ sedis legatus super controversia inter vos, et Dominicum plebanum Sancti Bartholomæi de quibusdam parochialibus domibus, scilicet super domibus Justorum, Maurocenorum, Gradonicorum, Græcorum, Leonardi Fradelli et Dominici Aurei quas quisque sui juris esse dicebat, quondam diutius agitata rationabiliter protulerunt, sicut in authentico scripto illorum exinde facto noscitur contineri, auctoritate apostolica confirmamus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistere præsumat, salva tamen justitia illarum Ecclesiarum, B a quibus mortuorum corpora assumuntur. Statuentes ut nullus sine vestro consensu parochianis vestris in infirmitate positis pœnitentiam dare, aut eas injungere, vel ad sepulturam recipere audeat, nisi salva justitia ecclesiæ nostræ sacris canonibus instituta. Obeunte vero te nunc ejusdem loci priore, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi assensu, vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Deum et beati Augustini regulam canonice providerint eligendum

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat ecclesiam vestram temere perturbare, aut ejus C possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva in omnibus sedis apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in D extremo examine divinæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ episcopus

Ego Theobaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus.

Ego Joannes presb. card. tit. S. Marci.

Ego Laborans presb. card. S. Mariæ trans Tiberim tit. Calixti.

Ego Albinus tit. S. Crucis in Jerusalem presb. card.

Ego Jacobus diacon. cardin. S. Mariæ in Cosmedin.

Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani diacon. cardin.

Ego Bobo S. Angeli diac. card.

Ego Octavianus SS. Sergii et Bacchi diac. card.

Datum Laterani per manum Moysi, S. R. E. subdiaconi vicem agentis cancellarii, v Kal. Aprilis, indictione VI, Incarnationis Dominicæ anno 1188, pontificatus vero domni Clementis papæ III anno primo.

XLI.

Priori et capitulo S. Salvatoris Venetæ œconomi instituendi facultatem concedit.

(Laterani, Mart. 29.)

[CORNELIUS, *Ecclesiæ Venetæ*, XIV, 119.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... priori et capitulo S. Salvatoris de Venetiis, salutem et apostolicam benedictionem.

Quanto laudabilius imminetis servitio Conditoris, tanto vobis ex his quæ juste requiritis libentius adesse volumus, et quæ honestatem vestram deceant benignius indulgere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris precibus inclinati liberam vobis tribuimus auctoritate præsentium, facultatem instituendi pro vobis œconomum, qui et negotia vestra utiliter exsequatur, et ubi necesse fuerit, pro Ecclesia vestra juramentum debeat exhibere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum

Datum Laterani, IV Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

XLII.

Canonicos ecclesiæ Sancti Salvatoris Venetæ solvendis decimis liberat.

(Laterani, Mart. 29.)

[*Ibid.*, p. 119.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis.... priori et canonicis S. Salvatoris de Venetiis salutem et apostolicam benedictionem.

Cum sitis regularem ordinem, Domino inspirante, professi, communi et speciali debito vobis volumus, sicut debemus, adesse, et in his quæ juste requiritis favorem apostolicum efficaciter indulgere. Eapropter, dilecti in Domino filii, præsentibus vobis litteris indulgemus, ut de laboribus vestris nullus laicus a vobis exigendi, vel extorquendi decimas habeat facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani, IV Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

XLIII.

Monasterii Præmonstratensis protectionem suscipit, possessionesque et privilegia confirmat.

(Laterani, April. 1.)

[Lepaige, *Bibl. Præm.*, 641.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio abbati Hugoni Præmonstratensis Ecclesiæ ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus, apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, (quod absit!) sacræ religionis infringat. Ea-propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam Præmonstratensem Ecclesiam, in qua divino estis obsequio mancipati, ad instar felicis recordationis Adriani, Alexandri et Urbani prædecessorum nostrorum, Romanorum pontificum, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc duximus exprimenda propriis vocabulis:

Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis, totam videlicet vallem Præmonstratam, immunem et liberam ab omni exactione et consuetudine, et valles eidem valli adjacentes, et proclivia montium, sicut valles perportant, et nemus quod est in eis ad opus ædificiorum et necessitatum vestrarum, et usuagium de mortuo nemore in foresta de Vois, et pascua animalibus vestris, sicut hæc omnia de concessione bonæ memoriæ Bartholomæi quondam episcopi, et Thomæ domini de Couciaco rationabiliter possidetis, universa etiam quæ a Radulpho ejusdem Thomæ nepote, et de feodatis et aliis hominibus ejus, de concessione ejusdem Radulphi tenetis; ita ut, ob recognitionem eorum et concessionem, justitiam quam in villa de Sorni habuistis libere dimittatis eidem Radulpho; stagna etiam et molendina prædictorum vallium ab omni decimatione et exactione libera; silvam in vestros usus ad Halierpre usque ad Humberti pontem, et ex alia parte per mediam vallem Robardi usque ad Monandi vicinum, etc.

Apostolica auctoritate sancimus ut nullus ecclesiasticorum prælatorum ipsam ecclesiam vestram, aut oratoria ejus, in quibus cura parochialis non est, nisi per expressum apostolicæ mandatum divinorum interdicto supponat. Sed, cum generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis januis, non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis et interdictis, suppressa voce, divina officia celebrare. Concedimus etiam tibi, fili abbas, ut, cum ecclesias quaslibet tui ordinis duxeris visitandas, liceat tibi confessionem fratrum, qui tibi delictorum suorum secreta confiteri voluerint, recipere et eis pœnitentiæ atque absolutionis remedium impertiri. Ut vestimenta etiam sacerdotalia et pallas altaris benedicere valeas, et, venientibus abbatibus, cum episcopus absens fuerit, in conclusionem capituli benedictionem proferre devotioni tuæ præsenti pagina indulgemus.

Ad hæc quoties diœcesanum episcopum adesse contigerit, vel esse in præsentia sua negligentem in correctione malefactorum vestrorum, incendiariorum ac prædonum, liceat tibi, fili abbas, si episcopus eos infra quadraginta dies, postquam ei conquesti fueritis, neglexerit emendare, ipsos maleficos, incendiarios, prædones rerum vestrarum, in co-abbatum vestrorum collegio excommunicationis pœna ferire; quos episcoporum nullus, citra dignam satisfactionem, absolvat. Volumus etiam ut liberum tibi sit fugitivos aut ejectos ordinis vestri, post statutam pœnitentiam injunctam, propriis restituere domibus, nisi forte tales existant quos enormitas criminis evidens ab ordine debeat sequestrare. Sed et hoc charitatis intuitu præcipimus ut nullus de laboribus vestris, quos propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, decimas a vobis exigere vel extorquere præsumat, licet fundorum dominis pro rei proprietate aliquem censum, vel quotamlibet partem frugum reddatis. In parochialibus autem Ecclesiis quas habetis, liceat vobis quatuor vel tres de canonicis vestris ponere, quorum unum diœcesano episcopo præsentetis, qui ei de spiritualibus, vobis autem de temporalibus et de ordinis observantia debeat respondere. Inhibemus etiam ecclesias aut terras seu aliquod beneficium ecclesiæ vestræ collatum, liceat alicui personaliter dare, sive aliquomodo alienari sine consensu totius capituli, vel majoris et sanioris partis ejusdem. Si quæ vero donationes vel alienationes aliter quam dictum est factæ fuerint, eas irritas esse censemus.

Ad hæc autem adjicimus ne aliqui canonici seu conversi sub potestate domus vestræ astricti, sine consensu abbatis et majoris partis capituli vestri, pro aliquo fidejubeant vel ab aliquo pecuniam mutuo accipiant, ultra pretium capituli vestri providentia provisum, nisi propter domus vestræ manifestam utilitatem. Quod si facere præsumpserint, non teneatur conventus, sine cujus licentia et consensu hoc egerant, pro iis aliquatenus respondere. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum, etc. Sed omnia integra, etc., salva sedis apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, etc.

Datum Laterani, Kalend. Aprilis, indictione VI, Incarnationis Dominicæ 1188, pontificatus domni Clementis papæ tertii anno primo.

XLIV.

Lanfranco episcopo Bergomati permittit ut Ecclesiæ possessiones, invito capitulo alienatas, recolligat.

(Laterani, April. 7.)

[Lupi, *Cod. diplom. Bergom.*, II, 1387.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, venerabili L[anfranco] Pergamensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Ob hoc sumus ad regimen universalis Ecclesiæ assumpti, ut ecclesiarum utilitati debeamus diligenter insistere, et si quid in ipsarum dispendium temere novimus immutatum, ad statum debitum revocare..... Quod Ecclesiam tuæ curæ commissam intelligentes per minus cautam provisionem ipsius magnum bonorum suorum dispendium incurrisse; venditiones, commutationes, pignorationes et alienationes alias, de possessionibus et aliis rebus ipsius ecclesiæ sine consensu capituli vel majoris et sanioris partis in detrimentis ecclesiæ factas, præsentium auctoritate cassamus. Fraternitati tuæ litteris apostolicis indulgentes ut eas sine alicujus contradictionis vel appellationis obstaculo valeas legitime revocare.

Datum Laterani, vii Idus Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

XLV.

Eidem significat se bonorum alienationes a Girardo decessore ejus invito capitulo factas rescidisse.

(Laterani, April. 8.)

[*Ibid.*, p. 1389.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri L[anfranco] episcopo Bergamensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Sicut ea quæ a prælatis Ecclesiarum rationabiliter conceduntur debita convenit firmitate servari, sic illa quæ contra formam canonum et in detrimentum ecclesiæ Bergamensis a G. prædecessore tuo, absque assensu capituli vel majoris et sanioris partis, sunt aliquibus in detrimentum ecclesiæ assignata, de canonum auctoritate cassamus, ipsa nihil habere roboris statuentes. Cæterum sententiam quam in bonorum spectantium ad tuam ecclesiam detentores, canonice promulgandam duxeris, usque ad satisfactionem congruam ratam mandamus haberi. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani, vi Idus Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

XLVI.

Parthenonem S. Mariæ Molianensem tuendum suscipit et ejus possessiones bonaque confirmat. (Fragmentum.)

(Laterani, April. 9.)

[Ughelli, *Italia sacra*, V, 528, ubi revocatur lector ad privilegium eidem parthenoni iisdem omnino verbis, ab Alexandro III concessum anno 1172, die 6 mensis Octobris. Vide *Patrologiæ* t. CC.]

Datum Laterani per manum Moysi, S. R. E. subdiaconi, vicem gerentis cancellarii, v Idus Aprilis, ind. vi, Incarnationis Dominicæ an. 1188, pontificatus vero D. Clementis papæ III an. i.

XLVII

Lanfranco archiepiscopo Bergomati concedit ut clericos inobedientes pœna afficiat.

(Laterani, April. 9.)

[Lupi, *Cod. diplom. Bergom.*, II, 1389.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri L[anfranco] episcopo Bergamensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex susceptæ administrationis officio sollicite quantum possumus compellimur providere, ne per aliquorum studia proprias sectantium voluntates possit utilitas ecclesiastica deperire. Eapropter fraternitati tuæ præsentibus litteris duximus indulgendum, quatenus si qui clericorum tuorum dum super ecclesiæ tuæ negotiis communi deliberatione tractatur, a te vocati præsentiam suam sub occasione dissensionis vel alia simili recusaverint exhibere, tibi liceat, eorum appellatione postposita, quod ecclesiarum poscit utilitas cum assensu præsentium ordinare.

Datum Laterani, v Idus Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

XLVIII.

Conventui Cassinensi asserit pecuniam fratrum usibus a B. M. Petro abbate deputatam.

(Laterani, April. 10.)

[Tosti, *Storia di Monte-Casino*, II, 213.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis..... conventui Cassinensi salutem et apostolicam benedictionem.

Cum monasterium Cassinense, in quo estis divinis obsequiis dediti, specialis charitatis brachiis amplectamur et ad ejus commodum velimus semper attentius, sicut debemus, intendere, de ipsius vobis profectibus non immerito congaudemus, et ad conservandum quod est pro ejus bono rationabili constitutione statutum, sollicitam volumus operam adhibere. Inde est utique quod si quando postulatis a nobis quæ ad commodum universitatis vestræ pertinent, petitionibus vestris tanto facilius favorem apostolicum impertimur, quanto præscriptum monasterium specialius ad provisionem nostram respicit, et tutelam. Sane cum claustrales fratres ipsius monasterii in vestimentis defectum aliquando sustinerent, bonæ memoriæ Gentilis de Palearia, qui apud idem monasterium sepulturam elegerat, pietatis intuitu et propriæ salutis obtentu vobis, sicut accepimus, ad investituram filtrorum, et ad stricta pellicea biennio comparanda, sedecim millia tarenorum salubri consideratione donavit. Cum autem bonæ memoriæ Petrus quondam abbas vester pecuniam prætaxatam in aliam utilitatem

monasterii convertisset, in recompensatione ejus viginti uncias auri de Castellone, et quinque de ecclesia de Cinglis in usus quos prædiximus concessit perpetuo fratribus erogandas. Unde quia nobis imminet ex injuncto officio providendum ne quod provide fit, temeritate quorumlibet dissolvatur, nos vestris postulationibus clementer inducti, præscriptas viginti uncias auri de Castellone, et quinque alias de ecclesia de Cinglis fratrum usibus, quibus a prescripto abbate deputatæ sunt, sicut in instrumento publico continetur, ad instar felicis recordationis Alexandri papæ prædecessoris nostri auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Statuentes, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Laterani, IV Idus Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

XLIX.

Ecclesiam S. Laurentii Florentinam tuendam suscipit, ejusque bona et privilegia confirmat.

(Laterani, April. 12.)

[LAMI, *Ecclesiæ Florentinæ Monum.*]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis ILDEBRANDO, priori S. Laurentii Florentinæ civitatis, ejusque fratribus tam futuris quam præsentibus canonice substituendis, in perpetuum.

Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, ut et devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus; statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona inpræsentiarum juste et canonice possidetis, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Parochiam vestræ ecclesiæ pertinentem, sicut hactenus habuistis; hospitale, quod juxta camdem ecclesiam B. Laurentii situm est, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Marci cum omnibus pertinentiis suis; montem S. Laurentii cum decimis et pertinentiis suis; citinas S. Laurentii ibi juxta positas cum decimis et pertinentiis suis; congregationem Portæ S. Laurentii; ecclesiam S. Bartholomæi sitam in Faltignano, cum omnibus pertinentiis suis et possessiones omnes quas in eadem curia possidetis; ecclesiam S. Andreæ in Percussine; quæcunque etiam a prædecessoribus nostris Romanis pontificibus vobis concessa sunt, et ecclesiæ vestræ eorum privilegiis confirmata, ad exemplar felicis recordationis Lucii papæ prædecessoris nostri, similiter roboramus. Prohibemus insuper ut nemini liceat infra terminos parochiæ vestræ, sine auctoritate diœcesani episcopi et assensu vestro, salvis privilegiis apostolicæ sedis, ecclesiam vel oratorium ædificare de novo. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat; salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat jam dictam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet molestiis fatigare; sed omnia integre conserventur eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva tamen sedis apostolicæ auctoritate et Florentini episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Clemens catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Theobaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus.

Ego Joannes presb. card. tit. S. Marci.

Ego Laborans presb. card. S. Mariæ trans Tiberim tit. Calixti.

Ego Pandulphus presb. card. basilicæ XII Apostolorum.

Ego Albinus tit. S. Crucis in Hierusalem presb. card.

Ego Melior presb. card. SS Joannis et Pauli tit. Panmachii.

Ego Jacobus diac. card. S. Mariæ in Cosmedin.

Ego Soffredus S. Mariæ in Via Lata diac. card.

Ego Joannes S. Theodori diac. card.

Ego Bernardus S. Mariæ Novæ diac. card.

Datum Laterani per manum fratris Moysi, S.R.E. subdiaconi vices agentis cancellarii, II Idus Aprilis, indictione VI, Incarnationis Dominicæ anno 1188; pontificatus vero domni Clementis papæ III anno primo.

L.

Priori et fratribus Carthusiensibus concedit, ut quicunque inferioris religionis clerici sive laici ad or-

dinis eorum propositum duxerint ascendendum, liberum iis sit eos recipere. › Alia privilegia addit.

(Laterani, April. 12.)

[*Privil. ord. Carth..*, fol. 3.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filii. priori et fratribus Carthusiensibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Inter virtutum aromata et sanctorum fragrantiam studiorum, opinionis vestræ balsamus suo nobis odore discernitur, quod quum se asperioribus institutis a mundana separet vanitate et præclara resplendeat gloria meritorum, nobis est amplius honoranda. Providendum quoniam diligentius est et cavendum, ne quietem sanctam improbitas alicujus valeat conturbare. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestra humili supplicatione inducti, præsentibus vobis litteris indulgemus, ut quicunque inferioris religionis clerici sive laici, ad ordinis vestri propositum duxerint ascendendum, liberum vobis sit eos recipere de licentia nostra, et receptos postquam professionem penes vos fecerint, retinere, salvis tamen privilegiis super hoc a sede apostolica impetratis. Si vero privilegiatorum aliquis per annum, postquam fratribus domus innotuerit de quo egressus est, apud vos non requisitus moram fecerit, postea non licet ei ordinem vestrum deserere, vel ab ipso per violentiam revocari. Consecrationes quoque ecclesiarum, ordinationes clericorum, si vel proprii episcopi non habueritis copiam, vel requisitus præstare noluerit, prout debet, licitum sit vobis a quocunque postulare episcopo; qui rogatus ad ecclesias vestras accedens, sacra vobis necessaria, nostra fretus auctoritate impendat. Eos etiam qui de ordine vestro, vel ex subventione terræ orientalis, vel ex aliis causis quibuslibet, occasiones evagandi assumunt, si commoniti non duxerint a proposito desistendum, liceat tibi, dilecte fili prior, per excommunicationis sententiam coercere.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani, II Idus Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

LI.

Monasterii S. Benedicti Gualdenensis protectionem suscipit, possessionesque ac privilegia confirmat.

(Laterani, Maii 6.)

[MITTARELLI, *Annal. Camaldul.*, IV, App., p. 168.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis SENEBALDO, abbati monasterii S. Benedicti de Waldo, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam profitentibus in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet aut

A robur (quod absit!) sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium S. Benedicti de Waldo, quod specialiter Romanæ Ecclesiæ juris existit, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione, ad exemplar felicis memoriæ Nicolai, Cœlestini, Eugenii, Adriani et Alexandri, prædecessorum nostrorum, Romanorum pontificum, suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus; in primis siquidem statuimus ut ordo monasticus, qui secundum Deum, et Beati Benedicti Regulam et institutionem Camaldulensium fratrum in monasterio vestro institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter
B observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium inpræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, aut aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum plebe et omnibus pertinentiis suis; ecclesiam Sancti Martini de Collis, ecclesiam Sancti Nicolai de Capriano, ecclesiam Sancti Christophori de Bantiara, jus quod habetis in ecclesia de castello de Valle, ecclesiam sancti Laurentii de Saxo
C sp...., ecclesiam Sanctæ Mariæ de Fricco, ecclesiam Sancti Joannis de Castellano, ecclesiam Sanctæ Mariæ de Umbracia cum medietate curtis, ecclesiam Sancti Nicolai de Vultule, ecclesiam Sancti Savini de Serra, ecclesiam Sancti Angeli de Fabrica, ecclesiam Sancti Angeli de Flea, quidquid habetis in ecclesia Sanctæ Mariæ de Noscano, ecclesiam Sancti Angeli de Terrasicca, jus quod habetis in ecclesia Sancti Cassiani de Palatiolo, ecclesiam Sancti Martini de Valle Vajeria, jus quod habetis in ecclesia Sancti Georgii de Corneto, ecclesiam sancti Laurentii de Collebassani, ecclesiam Sancti Petri de Collebassani, ecclesiam Sancti Petri de Crucicle, ecclesiam Sancti Paterniani de Corrutone, ecclesiam Sancti Gregorii Joannis de Serra-
D radica, ecclesiam Sancti Joannis de Serrapila, ecclesiam Sancti Victorini juxta Nebulam, ecclesiam Sancti Pauli de Cavalalx, ecclesiam Sancti Petri de Roccacontrada, ecclesiam Sancti Petri de Monte Boddo, ecclesiam Sancti Stephani de la Calcinaria cum omnibus pertinentiis supradictarum ecclesiarum.

Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus vel sumptibus colitis, et sive de.... animalium vestrorum, nullus a vobis decimas extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos, liberos et absolutos, a sæculo fugientes, ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere; prohibentes insuper ut nulli fratrum vestrorum, post factam in eodem loco professionem,

fas sit, nisi arctioris religionis obtentu, absque abbatis sui licentia de eodem discedere; discedentes autem sine communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare. Chrisma vero, oleum sacrum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum vestrorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a diœcesano suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit, et gratiam atque communionem apostolicæ sedis habuerit, et ea gratis et absque pravitate aliqua voluerit exhibere; alioquin liceat vobis quemcunque malueritis catholicum adire antistitem, qui nostra fultus auctoritate, quod postulatur indulgeat. Sepulturam præterea ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem, et Beati Benedicti Regulam providerint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum, etc.

Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Joannes presb. card. titulo S. Marci.

Ego Laborans presb. card. S. Mariæ trans Tiberim titulo Calixti.

Ego Pandulphus presbyter cardinalis titulo basilicæ XII Apostolorum.

Ego Melior presb. card. Sanctorum Joannis et Pauli tit. Pamachii.

Ego Petrus tit. Sancti Clementis presb. card.

Ego Bobo tit. Sanctæ Anastasiæ presb. card.

Ego Alexander tit. Sanctæ Susannæ presb. card.

Ego Petrus presb. card. tit. Sancti Petri ad Vincula.

Ego Radulfus tit. Sanctæ Praxedis presb. card.

Ego Hyacinthus Sanctæ Mariæ in Cosmedin presbyter card.

Ego GG. Sanctæ Mariæ in Porticu diac. card.

Ego Soffredus S. Mariæ in Via Lata diaconus cardinalis.

Ego Joannes Felix Sancti Eustachii diac. card. juxta templum Agrippæ.

Ego Joannes Sancti Theodori diac. card.

Ego Bernardus Sanctæ Mariæ Novæ diac. card.

Ego Gregorius Sanctæ Mariæ in Aquiro diac. card.

Datum Laterani per manum fratris Moysis, S. R. E. subdiaconi, vicem agentis cancellarii, II Novas Maii, indictione VI, Incarnationis Dominicæ 1188, pontificatus domni Clementis papæ III anno primo.

LII.

Sententiam præsente Urbano III latam inter sorores S. Hilarii et præpositum Florentinum confirmat

(Laterani, Maii 6.)

[*Ibid.*, p. 171.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus abbatissæ et sororibus Sancti Hilarii, salutem et apostolicam benedictionem.

Intelleximus ex quodam authentico instrumento exhibito nobis, quod cum inter vos et dilectum filium nostrum præpositum Florentinum super quibusdam decimis quæstio verteretur, et fuisset causa dilectis filiis Camaldulensi et Sanctorum Apostolorum prioribus a felicis recordationis Urbano prædecessore nostro commissa, ipsi, partibus in sua præsentia constitutis et rationibus hinc inde auditis et cognitis, pro vobis et ecclesia vestra super illis decimis sententiam promulgarunt. Cum itaque controversias, quæ de mandato apostolico calculum definitionis accipiunt, dignum sit firmitatem perpetuam obtinere, sententiam ipsam, sicut rationabiliter lata est, nec legitima appellatione suspensa, et in scripto authentico continetur, auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum, etc. Si quis, etc.

Datum Laterani, II Nonas Maii, pontificatus nostri anno primo.

LIII.

Privilegium pro ecclesia S. Joannis Modoetiensi.

(Laterani, Maii 15.)

[Ughelli, *Italia sacra*, IV, 62.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Oberto, Modoetiensi archipresbytero, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, canonice substituendis in perpetuum.

Pia postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, ut et devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Quapropter, dilecti in Domino filii, vestris postulationibus clementer annuimus, et ecclesiam B. Joannis Baptistæ de Modoetia, in qua divino mancipati estis obsequio, ad exemplar prædecessorum nostrorum beatæ memoriæ Callixti, Innocentii, Cœlestini, Anastasii et Alexandri, Romanorum pontificum, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, et quæcunque bona eadem Ecclesia usque ad tempus promotionis domini Urbani prædecessoris nostri, juste pacificeque possedit, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, ipsam videlicet ecclesiam S. Joannis Baptistæ, cum omnibus capellis et pertinentiis suis, videlicet ecclesiam

S. Michaelis, S. Salvatoris, S. Petri, S. Victoris, S. Laurentii cum hospitali, S. Alexandri de Blandino, S. Martini, S. Blasii, S. Agathæ, S. Mauritii cum hospitali, S. Ambrosii, S. Donati cum hospitali, S. Fidelis, S. Anastasiæ in Dotano; ecclesias S. Carpophori et S. Mariæ de Surturi in Sexto; ecclesias S. Alexandri, S. Salvatoris, S. Michaelis, S. Eusebii, S. Mariæ de Teneblavo, S. Mariæ de Sundri; plebem S. Juliani de Colonia cum omnibus capellis suis, videlicet in Albariat; ecclesias S. Martini, S. Mauritii in vico Modroni; ecclesiam S. Remigii in Colonia, ecclesias S. Gregorii, et S. Nazarii in Caliate; ecclesias S. Carpophori et S. Alexandrini cum hospitali in Concorctio; ecclesiam S. Eugenii in Valate, ecclesias S. Mariæ et S. Fidelis in Clamella, ecclesiam S. Sisinnii, et monasterium S. Petri.

Confirmationem quoque electionis Cremellensis abbatissæ, sicut a bonæ memoriæ quondam Robaldo Mediolanensi archiep. rationabiliter vobis concessa est, et scripto suo firmata; jus etiam et rationabiles consuetudines, quas in eadem B. Petri Ecclesia de Cremella habetis, vobis pariter confirmamus. Ecclesiam etiam S. Gregorii in Ormano, in Blociano, ecclesiam S. Joannis, S. Gregorii de Calciago, S. Joannis de Varena, S. Mariæ de Sara, S. Petri de Sirone, S. Joannis de Castro Marcio; decimam totius territorii de Modoetia, decimam totius territorii de Sexto, decimatione de Tenebioco excepta; decimam totam de territorio de Coliate, decimam de Conceretio, decimam quæ pervenit ex locis de plebe Coloniæ, videlicet ex loco Coloniæ, ex loco vico Modroni, et ex loco Albatiate; principales etiam possessiones, videlicet curiam Cremellæ, curiam Bruciati, curiam Varenæ, curiam castri Martis, curiam Lauredi, curiam Calphurii, curiam de Leucate, vobis, et per vos Ecclesiæ vestræ nihilominus confirmamus. Sane illa feudorum beneficia, quæ reverendæ memoriæ Jordanis, quondam Mediolanensis archiepiscopus, vestræ Ecclesiæ in prænominatis ecclesiis ad communem fratrum sustentationem discrete concessit, vobis vestrisque successoribus auctoritate apostolica roboramus, prohibentes ut nulli omnino hominum liceat ea deinceps a communi fratrum utilitatem auferre, subtrahere, vel modis quibuslibet immutare. Libertates prætera, et immunitates antiquas, et rationabiles consuetudines Ecclesiæ vestræ concessas, nec non a prædictis prædecessoribus nostris confirmatas, et usque ad tempora promotionis memorati Urbani prædecessoris nostri observatas, ratas statuimus, easque futuris temporibus illibatas manere censemus, non obstante si quid contra concessionem et confirmationem prædictorum Romanorum pontificum rationabiliter fuerit immutatum. Prohibemus insuper ut nullus infra parochiam vestram, absque vestro assensu, ecclesiam vel capellam de novo ædificare præsumat, salvis privilegiis Romanorum pontificum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, etc., salva in omnibus sedis apostolicæ auctoritate, et Mediolanensis archiepiscopi canonica instituta. Si qua igitur. Amen.

Ego Clemens Ecclesiæ catholicæ episcopus.

Ego Theobaldus Ostien. et Vellet. episcopus.

Ego Joannes presbyter cardinalis tit. Sancti Marci.

Ego Laborans presbyt. cardinalis Sanctæ Mariæ trans Tiberim titulo Calixti.

Ego Pandulfus presb. card. titulo Basilicæ XII Apostolorum.

Ego Melior presb. card. SS. Joan. et Pauli, tit. Pamachii.

Ego Rad. tit. S. Praxedis presb. card.

Ego Petrus tit. S. Clementis presb. card.

Ego Bobo tit. S. Anastasiæ presb. card.

Ego Alexius presb. card. tit. S. Susannæ.

Ego Petrus diaconus card. Sanctæ Mariæ in Cosmedin.

Ego Gratianus Sanctorum Cosmæ et Damiani diaconus cardinalis.

Ego Octavianus Sanctorum Sergii et Bacchi diaconus cardinalis.

Ego Soffredus Sanctæ Mariæ in Via Lata diac. card.

Ego Joannes Felix S. Eustachii diac. card. juxta templum Agrippæ.

Datum Laterani per manum fratris Moysi, Romanæ Ecclesiæ subdiaconus, vicem agentis cancellarii, Id Maii, indict. sexta, Incarnationis Dominicæ 1188, pontificatus vero domni Clementis papæ III anno primo.

LIV.

Privilegium pro ecclesia S. Germani.

(Laterani, Maii 17.)

[Tosti, *Storia di Monte-Casino*, II, 211, ex originali.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Joanni, archipresbytero ecclesiæ S. Germani, et clericis tam præsentibus quam futuris canonice substituendis in perpetuum.

Effectum justa postulantibus indulgere, et vigor æquitatis, et ordo exigit rationis, præsertim quando petentium voluntatem et pietas adjuvat, et veritas non relinquit. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et felicis recordationis Alexandri papæ prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, præfatam ecclesiam S. Germani, in qua divino mancipati estis obsequio sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia inpræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, et illibata permaneant. Sane quia sacris ca-

nonibus cautum est ut nullus sacerdos, seu diaconus, vel subdiaconus, aut de qualicunque gradu clericorum ad forum judicis sæcularis trahatur, sancimus et apostolica auctoritate statuimus, ut sicut bonæ memoriæ Gerardus quondam Cassinensis abbas cum assensu fratrum suorum decrevit, ut nullus clericorum in toto territorio Sancti Benedicti habitantium sæculari judicio constringatur, nec ab aliqua persona laica judicetur, vel purgationem facere, aut legem subire, sive guadium aut fidejussorem præstare cogatur. Verum si aliquis de prædictis clericis in quodlibet crimen, vel culpam lapsus fuerit, vel aliquod crimen ei fuerit objectum, per te, fili archipresbyter, vel per successores tuos, qui per abbatem Sancti Benedicti fuerint instituti, et non per publicos judices judicetur; ita tamen quod cum res exegerit, et fuerit necesse, consilium et licentia ejusdem abbatis super hoc requiratur, sicut vobis in authentico scripto suo noscitur indultum fuisse. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas sit supradictam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, et Cassinensis abbatis canonica justitia, et debita reverentia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei, et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Clemens catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Joannes presbyter cardinalis tituli Sancti Marci.

Ego Laborans presb. card. Sanctæ Mariæ trans Tiberim tit. Calixti.

Ego Pandulfus presb. card. Basilicæ XII Apostolorum.

Ego Bobus titulo Sanctæ Anastasiæ presbyter cardinalis.

Ego Jacobus diaconus cardinalis Sanctæ Mariæ in Cosmedin.

Ego Gratianus Sanctorum Cosmæ et Damiani diaconus cardinalis.

Ego Soffredus Sanctæ Mariæ in Via Lata diac. cardinalis.

Ego Bobo Sancti Gregorii ad Velum Aureum diac. cardinalis.

Ego G. G. Sanctæ Mariæ in porticu diaconus cardinalis.

Ego Joannes S. Theodori diaconus cardinalis.

Datum Laterani per manum Moysi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, vicem agentis cancellarii, XVI Kalendas Junii indictione VI, Incarnationis Dominicæ anno 1188, pontificatus vero domini Clementis papæ III anno primo.

LV.

Consulibus et populo Pisano significat, Petrum S. Cæciliæ presbyterum et Soffredum S. Mariæ in Via Lata diaconum cardinales, missos esse ad componendam eorum cum Januensibus de Sardinia litem.

(Laterani, Maii 19.)

[TRONCI *Mem. di Pisa*, 151.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis consulibus et populo Pisano salutem et apostolicam benedictionem.

Pro sedandis injuriis et contentionibus sopiendis, quæ inter vos et Januenses, instigante humani generis inimico, a longis retro temporibus, occasione Sardiniæ, pullularunt, dilectos filios nostros P. ecclesiæ S. Cæciliæ presbyterum, et S. Sancti Marci [*leg.* Sanctæ Mariæ] in Via Lata diaconum cardinales, viros utique providos et discretos, de consilio et assensu fratrum nostrorum ad partes illas duximus destinandos. Ut igitur cujuslibet dissensionis scrupulus in hac parte de cætero sopiatur, et nulla possit, auctore Domino, materia scandali suboriri, universitati vestræ sub debito juramenti quod nobis super hoc præstitistis mandamus atque præcipimus, quatenus mandata quæ prædicti cardinales super omnibus capitulis ex parte nostra vobis indixerint, sicut ex ore nostro prolata suscipiatis, et inviolabiliter sine contradictione qualibet observetis; scientes quod Januensibus sub simili districtione hoc idem dedimus in mandatis.

Datum Laterani, XIV Kalendas Junii, pontificatus nostri anno primo.

LVI.

Ta[i]moni episcopo Verdensi, abbati Lunensi, et magistro scholarum Verdensi mandat, ne parthenoni Levenensi curiam quamdam adimi ab Hortwigo archiepiscopo Hamburgensi patiantur.

(Laterani, Maii 25.)

[LAPPENBERG, *Hamb. Urkund.*, I, 244.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei...., Verdensi episcopo et dilectis filiis, abbati Luen. et magistro scholarum Verdensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilectarum in Christo filiarum, monialium ecclesiæ Sancti Viti in Quivena, insinuationem recepimus, quod cum Sifridus, quondam archiepiscopus Bremensis, curiam quamdam cum pertinentiis suis ad Bremensem ecclesiam pertinentem, quam mulier quædam vidua possidet, post illius obitum, ea consentiente, illis perpetuo possiden-

dam concesserit, sub interminatione anathematis inhibens, ne quis contra factum suum venire præsumeret, et venerabilis frater noster H. successor ipsius, hoc firmitatem decreverit obtinere, contra confirmationem tamen suam et interminationem anathematis veniens, donationem illam irritare contendit. Quia vero illis tanto fortius in jure suo debemus assistere, quanto devotius suum Christo exhibent famulatum, per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus, si res ita se habeat, donationem illam faciatis, prout rationabiliter facta est, auctoritate nostra illibatam firmiter observari, eos qui contra venire præsumpserint, per censuram ecclesiasticam compescentes. Quod si omnes his exsequendis nequiveritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur.

Datum Laterani, VIII Kalendas Junii, pontificatus anno primo.

LVII.

Privilegium pro Ecclesia Ravellensi.

(Laterani, Maii 29.)

[UGHELLI, *Italia sacra*, I, 1186.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, ven. fr. Jo. Ravellensi. episcopo, ejusque success. canonice substituendis in perpetuum.

Cum ex injuncto nobis a Deo apostolatus officio, quo cunctis Christi fidelibus, auctore Domino, præeminemus, et, *ut in Lucii* III, *privilegio verbatim habetur* (5). In *fine papæ et card. subscriptiones leguntur.*

Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Theobaldus Ostiensis et Velietrensis episcopus.

Ego Laborans presb. card. S. M. trans Tiberim, tit. Calixti.

Ego Pandulphus presb. card. basilicæ duodecim Apostolorum.

Ego Melior presb. card, SS. Joan. et Pauli, tit. Pammachii.

Ego Ruffinus tit. S. Praxedis presb. card.

Ego Bobo tit. S. Anastasii presb. card.

Ego Alexius tit. S. Susannæ presb. card.

Ego Petrus presb. card. tit. S. Petri ad Vincula.

Ego Jordanus presb. card. S. Pudentianæ, tit. Pastoris.

Ego Jacobus diac. card. S. Mariæ in Cosmedin:

Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani diac. card.

Ego Octavianus SS. Sergii et Bacchi diac. card.

Ego Gregorius S. Mariæ in Porticu diac. card.

Ego Joann. Ecclesiæ S. Eustachii diac. card.

Ego Joannes S. Theodori diac. card.

Ego Bernardus San. Mariæ Novæ diac. card.

Ego Gregorius Sanctæ Mariæ in Aquiro diacon. card

(5) Vide *Patrologiæ* tom. CCI, in Lucio III, sub num. 68.

A Datum Laterani per manus Moysi S. R. E. subdiaconi, vicem agentis cancellarii, IV Kal. Junii, Indict. VII, Incarn. Dom. anno 1188, Pontificatus vero D. Clementis papæ III anno I.

LVIII.

Ecclesiam Brandeburgensem tuendam suscipit et ejus bona et jura confirmat, rogante Balderamo episcopo.

(Laterani, Maii 29.)

[RIEDEL *Codex diplomaticus Brandenburgensis*, t. I, partie VIII, p. 119.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri BALDERAMO, Brandenburgensi episcopo, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum.

B In eminenti sedis apostolicæ speculo, disponente Domino, constituti, fratres et coepiscopos nostros tam prope positos quam remotos fraterna debemus charitate diligere et Ecclesiis sibi a Deo commissis paterna sollicitudine providere. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis justis postulationibus clementer annuimus et præfatam Brandeburgensem Ecclesiam cui Deo auctore præesse dignosceris, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Brandeburgensis ecclesia inpræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, C oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis

Medietatem Brandeburgensis civitatis aquilonarem, dimidiam partem totius insulæ septentrionalem, in qua civitas eadem habetur constructa, dimidiamque partem omnium villarum illuc pertinentium; duas insuper civitates integre cum omnibus pertinentiis suis Pritzerwe et Elzeri nominatas, provincias Moraciani, Zierfwifti, Ploni, Zpriavani, Heveldun, Vuueri, Riacani, Zamcici, Dassia, Lusici, ecclesiæ tuæ ab illustris memoriæ imperatoribus Othone et Henrico concessas; omnem etiam decimationem totius Brandeburgensis parochiæ, D exceptis decimis possessionum Magdeburgensis ecclesiæ, quas eadem Magdeburgensis ecclesia studio bonæ memoriæ Conradi Magdeburgensis archiepiscopi et Wigeri Brandeburgensis episcopi, tempore felicis recordationis Innocentii papæ prædecessoris nostri et Conradi regis per concambium obtinuit. Præterea mercatum, monetam, thelonium, districtum cæteraque omnia, ad hæc juste legaliterque pertinentia, in loco Urslebe et in pago Northuringa et in comitatu Liuttere comitis sita, terminos etiam Brandeburgensis episcopatus constitutos, videlicet orientem versus ad flumen Oderam, et occidentem ac austrum versus ad Albiam flumen, ad aquilonem

vero usque ad fines provinciarum supra nominatarum Vuucri, Riaciani, Daciæ, auctoritate apostolica confirmamus. Præterea antiquas et rationabiles consuetudines et hactenus observatas nec non immunitates et libertates tam super eligendis advocatis in toto Brandeburgensi episcopatu quam super aliis episcopis Brandeburgensibus concessas, quæ hucusque Brandeburgenses episcopi habuerunt, tibi nihilominus tuisque successoribus præsentis scripti munimine roboramus.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temere perturbare aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura salva sedis apostolicæ auctoritate et Magdeburgensis archiepiscopi debita reverentia. Si qua igitur in futurum, etc.

(*L. S.*)

Ego Clemens catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Deinde subscriptio XIII *cardinalium sequitur.*

Datum Laterani per manum fratris Moysi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, vicem agentis cancellarii, IV Kal. Julii, indictione VI, Incarnationis Dominicæ anno 1188, pontificatus vero domni Clementis papæ III, anno primo.

LIX.

Brandenburgensis capituli possessiones et privilegia confirmat.

(Laterani, Maii 29.)

(*Ibid.*, p. 117.)

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis HENRICO, præposito Brandeburgensis Ecclesiæ ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.

Dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et præfatam Brandeburgensem Ecclesiam, in qua divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus, imprimis siquidem statuentes, ut ordo canonicus, qui secundum Deum et beati Augustini regulam atque institutionem Præmonstratensis ordinis in eadem ecclesia noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur; præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia inpræsentiarum juste et canonice possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

Locum ipsum, in quo præfata Ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam beati Godehardi in Pardewin et beati Nicolai in Encherbereh, ecclesiam Sanctæ Mariæ in Harlungeberg cum tertia parte decimarum ex adjacentibus partibus vinearum, villas etiam Bukowe, Garceliz, Bultiz, Kik, Museltiz, Gorne cum decimis et omnibus appendiciis earum cultis et incultis, silvestribus, palustribus cunctisque utilitatibus cum duobus lacubus inter Gorne et Solve sitis, villas quoque a marchione Ottone et filiis ejus Ottone et Henrico ecclesiæ vestræ collatas, scilicet Muczoe, Tremene, Thure cum decimis et omnibus appendiciis earum, ecclesiam in Thure cum tertia parte decimarum de villis ad eam pertinentibus, scilicet de Izin, Crelin, Bauwerstorp et quæcunque villæ ibi fuerint; centum mansos in Zucha sitos, quos prædictus Otto princeps pro anima patris et matris et uxoris suæ Judithæ Marchionissæ, eorum filiis consentientibus, obtulit cum omnibus attinentiis suis; quinque modios majoris mensuræ salis annuatim persolvendos, villam insuper, Dambe dictam, a Rudolpho de Jericho in opus ecclesiæ Ottoni Marchioni resignatam et ab eo et filiis ejus cum omnibus ad eam pertinentibus ecclesiæ nostræ oblatam; decimas ejusdem villæ a Wilmaro episcopo in usus vestros concessas; molendinum quoque in Clinke, sex etiam arearum fundos in civitate Pardewin a fidelibus oblatos, ecclesiam Ceelowe cum dote sua, scilicet duobus mansis et omnibus decimis ejusdem villæ et tertiam partem decimarum de villis ad eam pertinentibus; ecclesiam in Golitz cum dote sua, scilicet duobus mansis; ecclesiam Verchiecere cum dote sua, scilicet duobus mansis; ecclesiam in Nibede cum dote sua, scilicet duobus mansis et tertiam partem decimarum tam harum villarum quam villæ Vachowa pertinentiis in Goliz, totam villam Plussin in Zuche sitam cum omnibus pertinentiis suis et totam decimam ejusdem villæ; capellam Marzanæ ecclesiæ Verchiecere pertinentem cum dote sua, scilicet cum uno manso; villam Sconelo, in qua sunt triginta mansi cum tota decima et omnibus pertinentiis suis, curam animarum urbis Brandeburg, quæ vos jure sedis episcopalis contingit, sicut eam Wilmarius, Sifridus et Balderamus episcopi vobis concesserunt et curam animarum de ecclesiis, quæ ad usus vestros pertinent vel in posterum pertinebunt. Ad hæc omnia jura, quæ vestra ecclesia juxta, morem aliarum ecclesiarum Saxoniæ, juste et pacifice possidet, vobis et eidem ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus, specialiter autem antiquas et rationabiles consuetudines ecclesiæ vestræ hactenus observatas, auctoritate duximus apostolica confirmandas. Obeunte quidem ejusdem ecclesiæ præsule in successore ipsius antistitis eligendo, primam vocem decernimus, vos habere nullusque, vobis invitis, per subreptionem aliquam vel violentiam præponatur, sed ille debeat in vestra ecclesia locum et officium pontificis obtinere, quem unanimi voluntate vel de consilio majoris et sanioris partis de gremio ipsius ecclesiæ videritis eligendum. Si autem in vestra ecclesia persona non potuerit idonea reperiri, de alia ecclesia eligendi personam idoneam licentiam

habeatis. Statuimus insuper, ut archidiaconatum Brandeburgensem videlicet de Kytin et Juterbuch et terræ de Havela versus orientem usque Oderam, item versus occidentem usque ad aquam, quæ Yla dicitur, sicut eum ecclesiæ vestræ præpositi hactenus rationabiliter et absque controversia possederunt, tu, fili præposite, tuique successores indivisum, nec aliquatenus diminutum debeatis in perpetuum obtinere.

Prohibemus etiam, ut infra terminos vestros sive in ecclesiæ vestræ debita sepultura, sive in aliis quæ juste possedistis hactenus et quiete, nullus ipsius ecclesiæ jura temeritate qualibet audeat perturbare; denique ne plebani vestræ diœcesis contra consuetudinem cæterarum cathedralium sedum Saxoniæ atque vestrum in electione pontificum faciendis ingerere se præsumant, auctoritate apostolica inhibemus.

Sane agrorum vestrorum quos propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos e sæculo fugientes liberos et absolutos ad conversionem recipere, et eos sine contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ne ulli fratrum vestrorum post factam in loco vestro professionem fas sit absque præpositi sui licentia de ipso discedere, discedentem vero sine communium litterarum cautione, nullus audeat retinere. In causis autem propriis sive civilem sive criminalem contineant quæstionem, liceat vobis fratres vestros idoneos ad testificandum adducere, atque ipsorum testimonio, sicut rectum fuerit, et propulsare violentiam et justitiam vindicare.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, etc.

Ego Clemens catholicæ Ecclesiæ episcopus.

(*Sequuntur subscriptiones* XI *cardinalium.*)

Datum Laterani per manum Moysi, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, vicem agentis cancellarii, IV Kal. Junii, indictione VI, Incarnationis Dominicæ anno 1188, pontificatus vero domni Clementis papæ III anno primo.

LX.

Ecclesiæ S. Nicolai Stendalensis protectionem suscipit, bonaque et privilegia confirmat ea lege, ut auri uncia quotannis Ecclesiæ Romanæ persolvatur.

(Laterani, Maii 29.)

[RIEDEL, *Cod. Dipl. Br.*, I, V., 22.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis A filiis præposito S. Nicolai in Stendale, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris canonice substituendis in perpetuum.

Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam S. Nicolai de Stendale, in qua divino estis obsequio mancipati, in jus et proprietatem beati Petri et sub apostolicæ sedis protectionem suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia vestra in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis B vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis; villam Garlippe cum omnibus ad eamdem pertinentibus, omnes ecclesias in Stendale constitutas; duo talenta in areis, et tria talenta in domo mercatorum in eodem castro; ecclesiam Scinne, molendinum Rokenzhe. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, et cætera ecclesiastica sacramenta a diœcesano recipiatis episcopo, siquidem Catholicus fuerit, et C gratiam atque communionem apostolicæ sedis habuerit, et ea vobis gratis et absque aliqua pravitate voluerit exhibere; alioquin ad quemcunque malueritis, recurratis antistitem, qui nostra fultus auctoritate, quod postulatur indulgeat.

Ad hæc præsenti scripto statuimus, ut animarum curam non ab archidiacono sed a diœcesano recipiatis episcopo, si eam vobis duxerit committendam: alioquin eam de commissione apostolica teneatis.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, vel ejus possessiones auferre, aut ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed D omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Ad indicium autem quod eadem ecclesia specialiter beati Petri juris existat, et perceptæ a sede apostolica libertatis, unam unciam auri nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Si qua igitur in futurum, etc.

Datum Laterani, per manum fratris Moysi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, vicem agentis cancellarii, IV Kalendas Junii, indictione VI, Incarnationis Dominicæ anno 1188, pontificatus vero domni Clementis papæ III anno primo.

LXI.

Canonicis ecclesiæ S. Petri (Romanæ) asserit privilegium ab Eugenio III concessum (6).

(Laterani, Jun. 2.)

[*Bullar. Vatic.*, I, 72.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis canonicis basilicæ Principis apostolorum, et rectoribus quatuor monasteriorum Sanctorum Joannis et Pauli, Sancti Martini, Sancti Stephani Majoris et Sancti Stephani Minoris, tam præsentibus quam futuris canonice substituendis, in perpetuum.

Beatorum Petri et Pauli tam eminens est et tam gloriosa societas, ut et ambo sint doctores gentium, auctores martyrum, principes sacerdotum. Et cum inter universos apostolos peculiari quadam prærogativa præcellant, æquatis in cœlo meritis, disparitatem non sentiunt. Petro ab ipso Salvatore nostro Domino Jesu Christo claves regni cœlorum sunt commissæ; Paulus a Deo electus est, ut de multitudine gentium regnum cœlorum impleat sua prædicatione. Petrus petra est et fundamentum fidei, et ne ruamus in soliditate nos firma sustentat; Paulus ne pravo hæreticorum dogmate vulneremur, moralitatis honestate, et invincibili ratione fidei nos armat. Petrus principatum tenens ex potestate ligat et solvit; Paulus diligens prædicator, ne quid reprehensibile vel ligatione dignum in nobis appareat mirabili nos exhortatione præmunit. Petrus firmamentum nostrum est ac domus fortitudinis, et in fide ejus plantati et radicati sumus; Paulus vas electionis prædestinatos a Deo et electos cœlestis tubæ sonoritate vocavit, et pro nobis sine intermissione orans, ne a fide et veritate deviemus, apud Deum interveniendo nos protegit. Cum igitur hi duo maxima luminaria, Dei Ecclesiam illustrantia pari et amicabili splendore, et fraterno amore præfulgeant, æquitatis et justitiæ ratio persuadet ut nos qui, licet indigni, Christi vices in terris agimus, et in ejusdem apostolorum Principis cathedra residere conspicimur, domesticam beati Petri familiam paterno diligamus affectu, et pia eam provisione in suis necessitatibus adjuvemus. Hujus itaque rationis debito provocati, dilecti in Domino filii, ad exemplar felicis memoriæ Eugenii papæ prædecessoris nostri, quartam partem omnium oblationum, quæ de altari ejusdem beati Petri apostoli, et tam de arca quam de omnibus ministeriis ecclesiæ, præter de ministerio beati Leonis, proveniunt, vobis ex consensu fratrum nostrorum episcoporum et cardinalium, sedis apostolicæ auctoritate concedimus, et præsentis scripti pagina confirmamus. Ita videlicet, ut semper cum volueritis, facultatem liberam habeatis eamdem oblationem in vestris manibus retinendi atque custodiendi, seu aliis quibus volueritis, cum nostro atque successorum nostrorum consensu vendendi; salva in A omnibus aliis, et retenta in nostris et successorum nostrorum manibus, ipsius ecclesiæ libera dispositione atque custodia. Hoc autem ideo facere dignum duximus, ut vos die ac nocte studiose in Dei laudibus desudantes, tam in missarum celebratione, quam in matutinis, et aliis horis, pro vivorum ac defunctorum salute, attenta diligentia et honeste decantandis, prædictam beati Petri ecclesiam obsequio debito veneremini, et Dei fideles apostolorum limina devotione debita visitantes, locum ipsum in majori devotione ac veneratione semper habeant.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas sit hujus nostræ concessionis paginam temerario ausu infringere seu modis quibuslibet perturbare. B Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona id attentare præsumpserit, secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei ac Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat.

Cunctis autem hanc nostram constitutionem eidem loco servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et in futurum præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

C Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Theobaldus Ostiensis et Velletrensis episcopus.

Ego Joannes presb. card. tit. Sancti Marci.

Ego Laborans presb. card. Sanctæ Mariæ trans Tiberim. tit. Calixti.

Ego Pandulphus presbyter card, tit. Basilicæ XII Apostolorum.

Ego Melior presb. card. SS. Joannis et Pauli tit. Pammachii.

Ego Petrus presb. card. tit. S. Cæciliæ.

Ego Petrus tit. Sancti Clementis presb. card.

Ego Bobo tit. Sanctæ Anastasiæ presb. card.

Ego Alexius tit. S. Susannæ presb. card.

Ego Petrus presb. card. tit. Sancti Petri ad Vin- D cula.

Ego Jordanus presb. card. Sanctæ Pudentianæ tit. Pastoris.

Ego Jacobus diac. S. Mariæ in Cosmedin.

Ego Gratianus tit. SS. Cosmæ et Damiani diac. card.

Ego Octavianus SS. Sergii et Bacchi diacon. card.

Ego Goffredus tit. S. Mariæ in Via Lata diac. card.

Ego Bobo diac. card. Sancti Georgii ad Velum Aureum.

Ego Gregorius S. Mariæ in Porticu diac. card.

(6) Vide *Patrologiæ* t. CLXXX, an. 1153, April. 10, sub num. 577.

Ego Joannes Felix Sancti Eustachii diac. card. juxta templum Agrippæ.

Ego Joannes S. Theodori diac. card.

Ego Bernardus S. Mariæ Novæ diac. card.

Ego Gregorius S. Mariæ in Aquino diac. card.

Datum Laterani, per manum Moysi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, vicem agentis cancellarii, IV Nonas Junii, indictione VI, incarnationis Dominicæ anno 1188, pontificatus vero domni Clementis papæ III anno primo.

LXII.

Privilegium pro monasterio S. Gilberti Novem-Fontium, diœcesis Claromont.

(Laterani, Jun. 3.)

[LABBE, *Nova Bibliotheca mss.*, II, 752.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis JOANNI abbati ecclesiæ B. Gilberti de Novem-Fontibus, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis.

Religiosorum votis, quæ rationi et honestati conveniunt, nos decet libenter annuere, et eadem cum effectu prosequente complere, ut Ecclesiæ Romanæ ferventiori devotione adhæreant, cum se viderint in suis justis postulationibus diligentius et efficacius exauditos. Eapropter, dilecti in Domino filii, rationabili petitioni vestræ clementer annuimus, et præfatam Ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, ad exemplar felicis recordationis Lucii papæ prædecessoris nostri, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus : imprimis siquidem statuentes ut ordo canonicus, qui, secundum Deum, et beati Augustini Regulam et institutionem Præmonstratensium fratrum, in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea, quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia inpræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Locum ipsum in quo ecclesia ipsa sita est, cum omnibus pertinentiis suis ; terram de Insula, nemus et terram de Monte Cesant, et terram a Robe usque Andalo, quam Hugo de Castellione eidem ecclesiæ dedit ; feuda etiam totius dominii Scholæ, quæ justo modo acquirere poteritis, sicut prædictus Hugo et filii ejus vobis legitime concesserunt ; nemus et terram de Born, nemus Bruvenc, decimam de Aubin, grangiam de Bostat, grangiam et nemus de Agilaret cum pertinentiis suis ; grangiam et nemus de Bornat cum pertinentiis suis ; grangiam de Schola cum pertinentiis suis ; grangiam Edumarii cum pertinentiis suis, grangiam de Vercilloliis, grangiam de Rozeria, grangiam de Montecanino et de Cotors, ecclesiam Sancti Joannis de Monteladerio, capellam sororum de Schola, molendinum de Vante et prata, ecclesiam de Lezach, decimam de tem de Eschances ; molendinum de Buifferia, annuos census quos habetis in Castellania Montispanceri, terram de Mazeriis, decimam quam habetis in vineis castri Scholæ, decimam S. Remigii. Sane laborum vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, seu de nutrimentis vestrorum animalium, nullus a vobis decimas extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos et laicos a sæculo fugientes, liberos et absolutos, ad conversionem recipere, et eos sine contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum, post factam in eodem loco professionem, sine abbatis sui licentia fas sit de eodem loco discedere. Discedentem vero sine litterarum communium cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, januis clausis, exclusis excommunicatis et interdictis, submissa voce divina officia celebrare. Inhibemus etiam, ne ecclesias, aut terras, seu aliquod beneficium Ecclesiæ vestræ collatum liceat alicui personaliter dari, sive aliquo modo alienari sine licentia totius capituli, vel majoris et sanioris partis ejusdem. Si quæ vero donationes, vel alienationes, aliter quam dictum est, factæ fuerint, eas irritas esse censemus. Ad hæc autem adjicimus, ne aliqui canonici, sive conversi, sub professione domus vestræ astricti, sine consensu abbatis et majoris partis capituli vestri, pro aliquo fidejubeant, vel ab aliquo mutuo pecuniam accipiant, ultra pretium capituli vestri providentia constitutum, nisi propter manifestam domus vestræ utilitatem. Quod si facere præsumpserint, non teneatur conventus pro his aliquatenus respondere. Præterea, licitum sit vobis in causis vestris fratres vestros idoneos ad testificandum deducere, atque ipsorum testimonio, sicut justum fuerit, et propulsare injuriam et justitiam vindicare. Ob evitandas vero sæcularium frequentationes liberum sit vobis, salvo jure diœcesani episcopi et ecclesiæ parochialis, oratoria in grangiis vestris construere, et in ipsis, cum necesse fuerit, vobis tantum et familiæ vestræ divina officia celebrare. Pro chrismate vero, oleo sancto, consecrationibus ecclesiarum, ordinationibus clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, sive abbate deducendo ad sedem, vel quibuslibet aliis sacramentis, nullus a vobis, aut sub obtentu consuetudinis aut quolibet alio modo quidquam audeat postulare. Quia vero decimæ ministris Ecclesiæ, tam veteri quam nova lege noscuntur indultæ per laicos, vos decimarum exactione vexari sub interminatione anathematis prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia ecclesiarum illarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Paci quoque et tranquillitati vestræ paterna sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica

prohibemus, ut infra clausuras locorum, seu grangiarum vestrarum nullus rapinam sive furtum committere, ignem apponere, hominem capere, vel interficere, seu aliquam violentiam audeat exercere. Obeunte vero te ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptione, astutia, vel violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel major pars consilii sanioris, secundum Deum et beati Augustini Regulam providerint eligendum.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia illibata et integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in posterum ecclesiastica vel sæcularis persona, etc.

Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Theobaldus Ostiensis et Belligensis episcopus.

Ego Joannes presbyter cardinalis tituli Sancti Marci.

Ego Laborans presbyter cardinalis Sanctæ Mariæ trans Tiberim titulo Calixti.

Ego Melior presb. card. SS. Joannis, Pauli et Pammachii.

Ego Petrus presbyter cardinalis tituli Sanctæ Cæciliæ.

Ego Radulfus tituli Sancti Praxedis presbyter cardin.

Ego Petrus, tituli Sancti Clementis presbyter cardinalis.

Ego Jacobus diac. card. S. Mariæ.

Ego Gratianus Sanctorum Cosmæ et Damiani diac. card.

Ego Octavianus Sanctorum Georgii et Bacchi diac. card.

Ego Baro S. Georgii diac. card.

Ego Joannes S. Theodori diac. card.

Datum Laterani per manum Moysi, S. R. E. subdiaconi, vicem agentis cancellarii, III Nonas Junii, indictione sexta, incarnationis Dominicæ anno 1188, pontificatus vero domini Clementis papæ III anno primo.

Sigillata sigillo plumbeo super cordulam sericam.

LXIII.

Joachimum abbatem de Curatio hortatur ut « Expositionem Apocalypsis et opus Concordiæ compleat et diligenter studeat emendare. »

(Laterani, Jun. 8.)

[MANRIQUE, *Annal. Cisterc.*, III, 211.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio JOACHIMO, abbati de Curatio, salutem et apostolicam benedictionem.

Rationis ordo suadet, et debitum exigit charitatis, ut in cunctis actibus nostris ad id plurimum intendamus, qualiter secundum veritatis evangelicæ testimonium, opera nostra luceant coram hominibus, ut ex eis proficiendi materiam capiant et exemplum. Cum ergo jubente et exhortante te bonæ memoriæ Lucio papa, prædecessore nostro, expositionem Apocalypsis et opus concordiæ inchoasse, et postmodum de papæ Urbani auctoritate, successoris ipsius, composuisse dicaris, charitatem tuam monemus et hortamur in Domino, per apostolica scripta mandantes, quatenus laboribus tuis in hac parte optatum et debitum finem imponens, gratia Dei prosequente, ad utilitatem proximorum opus illud complere et diligenter studeas emendare, ut veniens ad nos, quam citius se opportunitas dederit, discussioni apostolicæ sedis et judicio te præsentes: si enim velis in abscondito retinere, diligenti cura prospicias, qua possis summi Patrisfamilias offensam, de talento scientiæ tibi commisso satisfactione placare.

Data Laterani, sexto Idus Junii, pontificatus nostri anno primo.

LXIV.

Ecclesiæ S. Mariæ Vibergensis protectionem suscipit, bonaque ac privilegia confirmat.

(Laterani, Jun. 8.)

[THORKELIN, *Diplom. Arna-Magn.*, I, 61.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis TUCHONI, præposito ecclesiæ Sanctæ Mariæ Wibergensis ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.

Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, ut devotionis sinceritas laudabiliter innotescat, et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et prædecessorum nostrorum piæ recordationis Innocentii et Alexandri Romanorum pontificum vestigiis præfatam ecclesiam Sanctæ Mariæ, in qua divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo canonicus, qui secundum Deum et beati Augustini Regulam in eadem ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

Ecclesiam Beatæ Margaretæ virginis, quam venerabilis frater noster Nicolaus episcopus vester, sicut ex litteris ejus accepimus, vobis resignavit. Nec non et ecclesiam B. Martini quæ in insula Fur est, ita quod utraque illarum de cætero in ordi-

natione et dispositione vestra consistat, devotioni vestræ apostolica auctoritate confirmamus. De victu etiam quadragesimali, quem episcopus in ecclesia vestra aliquando habuit, unde contentiones et religio vestra non modicum turbari consuevit, statuimus ut, sicut jam dictus episcopus eum vobis per privilegium suum æqua consideratione resignasse dignoscitur et in posterum remisisse, ita de cætero conservetur, quod nec ei vel successori suo victum a vobis contra hoc aliquo tempore exigere liceat. Prohibemus insuper ut episcopus de oblationibus, quæ ad corpora sanctorum in vestra afferuntur ecclesia, nihil ultra quartam partem, quam consuevit habere, recipiat. Ad hæc, significatione præsentium, indulgemus ut prædia vel possessiones ecclesiæ vestræ sive infra civitatem vestram sive extra consistant, nullus injuste contra dispositionem vestram invadere præsumat. In electione vero episcopi vestri primam vocem, cum sitis cathedralis ecclesiæ canonici, habeatis, quemadmodum noscitur vobis de canonum jure competere, et de antiqua consuetudine usque ad hæc tempora observata, nec aliunde quis in vestrum episcopum eligatur, quandiu secundum statuta canonum in vestra ecclesia, quæ cathedralis est, reperitur idoneus, qui de canonico et concordi assensu, sine omni pravitate possit assumi. Consuetudines autem claustrales, quæ in eodem loco vestro laudabiliter hactenus conservatæ noscuntur, nemo prorsus in deterius audeat commutare, sed semper inconvulsæ in suo robore perseverent. Ad hæc adjicientes statuimus, ut nulli omnino principum absque præpositi et fratrum consensu aliquem de claustro liceat amovere.

Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te nunc ejusdem loci præposito vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel major pars consilii sanioris, secundum Deum et beati Augustini Regulam providerint eligendum.

Decernimus igitur, ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate et episcopi vestri canonica justitia.

Si qua igitur ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra

A eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat.

Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Clemens, Catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Theobaldus, Ostiensis et Velletrensis episcopus. B

Ego Joannes, presbyter cardinalis tit. Sancti Marci.

Ego Laborans, episcopus presb. card. S. Mariæ trans Tiberim tit. Calixti.

Ego Pandulphus, presb. card. tit. Basilicæ XII Apostolorum.

Ego Melior, presb. card. SS. Joannis et Pauli tit. Gamacl.

Ego Petrus, presbyter cardinalis tit. Sanctæ Cæciliæ.

Ego Rad., presbyter cardinalis tit. Sancti Praxedis.

Ego Petrus, tit. Sancti Clementis presbyter cardinalis. C

Ego Bob., tit. S. Anastasiæ presb. card.

Ego Alexius, presbyter cardinalis tit. Sanctæ Susannæ.

Ego Petrus, presbyter cardinalis tit. S. Petri ad Vincula.

Ego Jordanus, presb. card. S. Pudentianæ, tit. Pastoris.

Ego Jac., diac. cardinalis Sanctæ Mariæ in Cosmedin.

Ego Gratianus, SS. Cosmæ et Damiani diacon. card.

Ego Joannes, Sancti Theodori diaconus cardinalis.

Ego Octavianus, SS. Sergii et Bacchi diaconus cardinalis. D

Ego Bernardus, Sanctæ Mariæ Novæ diaconus card.

Datum Lateranis, per manum Moysi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, vicem agentis cancellarii, VI Idus Junii, indictione VI, incarnationis Dominicæ 1188, pontificatus domni Clementis papæ III anno primo.

LXV.

Absaloni, archiepiscopo Lundensi, permittit ut Ketillum, quondam præpositum S. Mariæ Vibergensis, in sanctorum numerum referat.

(Laterani, Jun. 9.)

[Langebek, *Scr. Rer. Dan.*, IV, 452.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, vene-

rabili in Christo fratri ABSALONI Lundensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Ad audientiam nostri apostolatus litterarum tuarum et dilecti in Christo filii nostri Kanuti Danorum regis, pariter et suffraganeorum insinuationem pervenit, quod bonæ memoriæ Ketillus vir religiosus, præpositus ecclesiæ Sanctæ Mariæ Vibergis, dum viveret, apud vos virtutibus multis emicuit. Post ejus obitum ipsius meritis mirabilis Deus in sanctis suis miracula plurima jugiter operatur, ut qualis vitæ fuerit, post transitum ejus miraculorum indicia sine qualibet ambiguitate declarent.

Licet autem suggestum sit nobis, ut prædicti Ketilli memoriam faceremus in sanctorum catalogo celebrari, quia tamen ad plenum de hujus facti veritate non consistit firmiter, tibi per apostolica scripta mandamus, quatenus, advocatis suffraganeis tuis et viris religiosis, illis præcipue, qui vitam et conversationem ipsius novisse dicuntur, cum testimonio et asservatione ipsorum, de operibus ejus et miraculis, quibus post mortem proponitur coruscare, sollicitudine vigilanti requiras et si tibi congruum videbitur, et honestum canonizes ipsius memoriam, et, sicut hominis sancti celebrationem habendam futuris sæculis, apostolica auctoritate decernas.

Datum Laterani, v Idus Junii, pontificatus nostri anno primo.

LXVI.

Inter Marcum, episcopum Castellanum (Venetum), et plebanos sacerdotesque ecclesiarum quarumdam de quibusdam decimis sententiam a Gerardo episcopo et Vitaliano archidiacono Patavino latam, probat. Ecclesiæ S. Cantiani possessiones confirmat.

(Laterani, Jun. 9.)

[HORMAYR, *Gesch. d. ges. Grafschast Tirol*, I, II, 121.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis PEREGRINO plebano ecclesiæ Sancti Cantiani, ejusque fratribus et ejus successoribus canonice substituendis, in perpetuum.

Æquum est et rationi conveniens ut perlatas ad audientiam apostolatus nostri controversias, mediante justitia, terminemus, et ut ea quæ vel judicio vel quocunque juste titulo ecclesiarum fuerint utilitatibus attributa, apostolica taliter auctoritate firmentur, ut non valeant aliquorum malitia in posterum perturbari. Nam inutiliter ferri sententiæ viderentur, si eas liceret cuilibet pro suo arbitrio violare, ac sæpius revocarentur in dubium; nisi litterarum essent munimine roboratæ. Cum vero lites judicio fuerunt seu concordia terminatæ, et sententiæ in scripta redactæ, si qua posterum dubietas oriatur et eadem fuerit superioris auctoritate sopita ne in contentionis scrupulum relabatur, finem impositum scripturæ convenit munimine roborari. Cum igitur olim inter vos et quarumdam aliarum ecclesiarum plebanos et sacerdotes ex una parte, et venerabilem fratrem nostrum Marcum Castellanensem episcopum ex alia, super quibusdam partibus decimarum controversia fuerit ventilata, quam venerabilis frater noster Girardus episcopus, et dilectus filius Vitalianus archidiaconus, et canonicus Paduanus, de mandato felicis recordationis Urbani et Gregorii prædecessorum nostrorum Romanorum pontificum, sua sententia terminarunt, et postea Philippo de Lupriolo plebano ecclesiæ Sancti Lucæ, et Joanne de Lanza presbytero ecclesiæ Sancti Cassiani procuratoribus vestris, et Michaele Sancti Angeli procuratore ipsius Castellanensis episcopi et canonicorum Castellanensis ecclesiæ atque clericorum aliarum ecclesiarum, qui eamdem conabantur sententiam infirmare, in nostra præsentia constitutis, de mandato nostro sub examine dilecti filii nostri Soffredi, Sanctæ Mariæ in Via Lata diaconi cardinalis super exortis quæstionibus fuerint hinc inde propositæ rationes. Nos eamdem sententiam de communi fratrum nostrorum consilio, auctoritate duximus apostolica confirmandam, et litterarum nostrarum patrocinio muniendam. Pro firmitate vero majori tenorem instrumenti, ejusdem sententiæ de verbo ad verbum jussimus inserendam.

In nomine Dei æterni anno Nativitatis ejusdem 1188, indictione VI, die 14 intrante Januario, in eorum præsentia, quorum nomina dicentur inferius, super causa quæ vertebatur Marcum Castellanensem episcopum, inter et plebanos et sacerdotes de Venetiis, dominus Vitalianus canonicus Paduanus et archidiaconus delegatus, cum domino Gerardo Dei gratia Paduano episcopo a domino papa Urbano ex voluntate supradicti domini episcopi eo præsente et consentiente, pro se et pro ipso episcopo talem recitavit sententiam dicens :

In nomine Domini, nos, Dei gratia Gerardus Paduanus episcopus et Vitalianus canonicus Paduanus et archidiaconi delegati a bonæ memoriæ domino Urbano super causa quæ vertitur inter Marcum venerabilem episcopum Castellanensis Ecclesiæ ex una parte, et inter plebanos et sacerdotes Sancti Canciani, Sanctæ Sophiæ, Sanctæ Mariæ matris Domini, Sancti Pauli, Sancti Lucæ, Sancti Jeremiæ, Sancti Hermacoræ, Sancti Bandi, Sanctæ Margaritæ, Sancti Simeonis prophetæ, Sancti Gervasii, super quibusdam partibus decimarum archipresbytero Paduano qui ab eodem domino papa nobis ad cognoscendum socius datus fuerat, remoto et in loco ejus abbate de Carario substituto et demum præfato abbate per dominum papam Gregorium felicis recordationis a prædicta cognitione excluso, constitutus in hac causa Leonardo primicerio a Castellanensi episcopo et Dominico primo archidiacono a præfatis plebanis et sacerdotibus procuratoribus, quæ causa coram nobis sic incæpta est et ventilata. Petebat archidiaconus pro his quorum procurator est a præfato procuratore episcopi, quod dominus episcopus dimitteret plebanos et sacerdotes prædictarum ecclesiarum quartam partem decimarum clericis debitam, habere integram. Ita tamen quod clerici uniuscujusque ecclesiæ habeant præcipuam, et inter se dividant quartam illam quæ provenerit ex decimis suorum parochianorum. Petebat etiam ut idem episcopus integre dimitteret eis quartam debitam pauperibus et partem debitam fabricis ecclesiarum, nulla quarta ex ipsis retenta. Econtra procurator episcopi dicebat, quod quartam clericis debitam integre habere non debebant, imo inter omnes clericos juxta dispositionem episcopi, sicuti consuetum fuerat, distribui debebat. Quartam quartæ pauperibus debitæ tum ex consensu clericorum, tum quia præcipue ad ipsum cura pauperum respicit, de

jure retinere poterat; porro quartam quartæ fabricis debitæ, pro restauratione matricis ecclesiæ, juste detinebat. Ideoque nos de prædictis remoto appellationis obstaculo cognoscentes, auditis et cognitis rationibus, attestationibus et allegationibus utriusque partis et diligenter inspectis, habito quoque quorumdam sapientum clericorum consilio, pronuntiamus, ut prædicti plebani et sacerdotes quartam clericis deputatam a parochianis suis provenientem, habeant præcipuam et integram, et cujusque ecclesiæ clerici prædictarum ecclesiarum quartam quæ de decimis suorum parochianorum provenerit inter se dividant, et condemnamus prædictum Leonardum procuratorem et episcopum, ut permittant eos quiete sic habere, et dividere. Præfatum Leonardum procuratorem et ipsum episcopum a petitione quartæ partis, quam episcopus solitus est retinere, ex quarta pauperibus debita et a petitione alterius quartæ partis quam de quarta parte fabricis debita pro restauratione matricis ecclesiæ detinebat, quam præfatus archidiaconus et procurator pro sæpe dictis plebanis et sacerdotibus faciebat absolvimus. Et ut hæc verius a nobis acta credantur, propriis sigillis nostris ipsam insigniri fecimus.

Datum in camera episcopali Paduana. Testes: Adamus, Almericus, Cerutus, Tamboanus, Theotonicellus, Ugolinus, canonici Paduani, Presbyter Paulus de ecclesia Sancti Andreæ magister episcopellus Sancti Martini, Michael presbyter et plebanus Sancti Angeli de Venetiis, Rainaldus clericus ejusdem ecclesiæ. Gufredinus clericus Sanctæ Luciæ, Gnafus et alii multi.

Ego Boninus domini Frederici imperatoris tabellio interfui, et hanc sententiam jussu domini episcopi jam dicti, et Vitaliani canonici Paduani et archidiaconi scripsi.

Quia vero de quarta parte quæ restaurationi est ecclesiæ deputata, quartam sibi et successoribus suis memoratus episcopus pro matricis ecclesiæ utilitate perpetuo reservavit, et alias partes ejusdem quartæ tibi et successoribus tuis in communi privilegio plebanis, sacerdotibus atque clericis aliarum ecclesiarum concesso, pro reficiendis ecclesiæ vestræ fabricis atque libris, aliisque necessitatibus statuit conferendas, ac de quarta pauperibus assignata, sicut ex tenore privilegii ejusdem episcopi manifeste comparuit, tres partes parochiæ tuæ pauperibus statuit idem episcopus erogandas, quarta sibi dum viveret reservata, nos concessionem ipsam sicut ab eodem episcopo canonice facta est et scripto authentico firmata, præsentis scripti pagina roboramus, faciendi præterea securitatis chartulas parochianis tuis a quibus decimas receperis, plenam tibi et successoribus tuis tribuimus facultatem. Statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona supradicta ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis, cum terris, callibus et aliis omnibus eidem ecclesiæ pertinentibus.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas sit præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, et diœcesani episcopi canonica justitia.

Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat.

Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ episcopus ss.

Ego Theobaldus Hostiensis et Velletrensis episcopus ss.

Ego Joannes presb. card. tunc temporis Sancti Marci ss.

Ego Laborans presb. card. S. Mariæ trans Tiberim tunc temporis Calixti ss.

Ego Pandulfus presb. card. Sanctorum Joannis et Pauli tunc temporis Pammachii ss.

Ego Petrus presb. card. tunc temporis Sanctæ Ceciliæ ss.

Ego Radulfus ecclesiæ Praxedis presb. card. ss.

Ego Jacobus diac. card. Sanctæ Mariæ in Cosmedin ss.

Ego Gratianus Sanctorum Cosmæ et Damiani diac. card. ss.

Ego Octavianus Sanctorum Sergii et Bacchi diac. card. ss.

Ego Soffredus Sanctæ Mariæ in Via Lata diac. card. ss.

Ege Gregorius Sanctæ Mariæ in Porticu diac. card. ss.

Ego Joannes Felix diac. card. Sancti Eustachii juxta templum Agrippæ ss.

Ego Joannes Sancti Theodori diac. card. ss.

Datum Laterani per manum Moysi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, vicem agentis cancellarii, v Idus Junii, indictione vi, incarnationis Dominicæ anno 1188, pontificatus vero domini Clementis papæ III, anno primo.

LXVII.

Sacerdotibus et clericis Sanctæ Mariæ matris Domini portionem decimarum ipsis a Marco Nicolao episcopo Castellano concessam apostolica auctoritate confirmat, atque bona ipsius ecclesiæ salva et illibata decernit.

(Laterani, Jun. 9.)

[F. Cornelius, *Eccles. Venet.*, t. II, p. 305.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis

filiis sacerdotibus et clericis ecclesiæ Sanctæ Mariæ Matris Domini, tam præsentibus quam futuris canonice substituendis in perpetuum.

Æquum est et rationi conveniens, ut perlatas ad audientiam apostolatus nostri controversias mediante justitia terminemus, etc., *ut in epistola superiori.*

Ego Clemens catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Theobaldus Hostiensis et Velletren. episcopus.

Ego Joannes presb. cardinalis titul. Sancti Marci.

Ego Laborans presb. card. Sanctæ Mariæ Trans Tiberim, tit. Calixti.

Ego Pandulfus presb. card. Basilicæ XII. Apostolorum.

Ego Melior presb. card. SS. Joannis et Pauli tit. Pammachii.

Ego Petrus presb. cardinal. titul. Sanctæ Cæciliæ.

Ego Rodulfus tit. S. Praxedis card.

Ego Jacobus diacon. card. Sanctæ Mariæ tit. Cosmedin.

Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani diaconus card.

Ego Octavianus SS. Sergii et Bacchi diaconus card.

Ego Siffredus Sanctæ Mariæ in Via Lata diacon card.

Ego Gregorius Sanctæ Mariæ in Porticu diacon. card.

Ego Joannes Felix diac. card. S. Eustachii juxta templum Agrippæ.

Datum Laterani per manum, Moysi S. R. E. subdiac., vicem agentis Cancellarii, v Idus Junii, Indictione vi, Incarnationis Dominicæ anno 1188, pontificatus vero domini Clementis papæ III anno primo.

Ego Donatus Sanctæ Mariæ Matris Domini presb. et not. hoc exemplum exemplavi sumptum ex authentico domini Clementis papæ III, ejus sigillo plumbeo sigillatum anno Domini 1200, vigesimo octavo mensis Novembris, Indictione secunda, Rivoalto, nihil addens vel minuens, quod sententiam mutet, scripsi, complevi et roboravi.

LXVIII.

Ecclesiam S. Cassiani Venetiarum sub Sancti Petri protectione recipit, atque ejusdem jura et redditus apostolica auctoritate confirmat.

(Laterani, Jun. 9.)

[*Ibid.* p. 399.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Dominico Pino plebano Sancti Cassiani, ejusque procuratoribus et ejus successoribus canonice substituendis, in perpetuum.

Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, ut et devotionis sinceritas laudabiliter enitescat et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam Sancti Cassiani, in qua divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti patrocinio, communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis, cum terris et callibus eidem ecclesiæ pertinentibus.

præterea quartam partem parochialium decimarum, quæ ad clericos spectat, quam ven. frater noster Henricus, Gradensis patriarcha, de assensu ven. fratris nostri Marci Castellani episcopi, ad mandatum bonæ memoriæ Urbani prædecessoris nostri, vobis canonice concessisse dignoscitur, sicut eam juste ac pacifice possidetis, ad exemplar ejusdem Urbani et fel. rec. Gregorii, prædecessorum nostrorum Romanorum pontificum, auctoritate vobis apostolica confirmamus. Quia vero de quarta parte, quæ restaurationi est ecclesiæ deputata, quartam sibi et successoribus suis memoratus piscopus pro matricis ecclesiæ utilitate perpetuo reservavit, et alias partes ejusdem quartæ tibi et successoribus tuis in communi privilegio plebanis, sacerdotibus atque clericis aliarum ecclesiarum concesso pro reficiendis ecclesiæ tuæ fabricis, atque libris aliisque necessitatibus statuit conferendas; ac de quarta pauperibus assignata, sicut ex tenore privilegii ejusdem episcopi manifeste comparuit, tres partes parochiæ tuæ pauperibus statuit idem episcopus erogandas, quarta sibi, dum viveret, reservata; nos concessionem ipsam, sicut ab eodem episcopo canonice facta est, et scripto authentico confirmata, præsentis scripti pagina roboramus, faciendi præterea securitatis chartulas parochianis tuis, a quibus decimas receperis, plenam tibi et successoribus tuis tribuimus facultatem.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum fas sit præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de per-

petrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Clemens catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Theobaldus Hostiensis et Velletrensis episcopus.

Ego Joannes presb. cardinal. titul. Sancti Marci.

Ego Laborans, presb. card. Sanctæ Mariæ trans Tiberim tit. Calixti.

Ego Pandulfus presb. card. Basilicæ XII Apostolorum.

Ego Melior presb. card. SS. Joannis et Pauli, tit Pammachii.

Ego Petrus presb. cardinal. titul. Sanctæ Ceciliæ.

Ego Rodulphus titul. Sancti Praxedis presb. card.

Ego Jacobus diacon. cardinal. Sanctæ Mariæ Cosmedin.

Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani diacon. card.

Ego Octavianus SS. Sergii et Bacchi diacon. card.

Ego Sofredus Sanctæ Mariæ in Via Lata diacon. card.

Ego Gregorius Sanctæ Mariæ in Porticu diac. card.

Ego Jos. Felix diac. card. S. Eustachii juxta templum Agrippæ.

Ego Joannes Sancti Theodori diaconus cardinal.

Datum Laterani per manum Moysi, S. R. E. subdiac., vicem agentis cancellar, V Idus Junii, indict. VI, incarnationis Dominicæ anno 1188, pontificatus domini Clementis papæ III anno primo.

LXIX.

Abbati S. Genovefæ, decano et cantori Parisiensi mandat cogant [Manassem] episcopum Trecensem ut « de ecclesia S. Lupi Trecensi canonicos regulares assumat et eos in ecclesia de Marigniaco instituat. »

(Laterani, Jun. 15.)

[*Stephani Tornacensis epistolæ*, ed. Du Molinet, p. 411.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbatis Sanctæ Genovefæ, decano et cantori Parisiensi salutem et apostolicam benedictionem.

Ad notitiam vestram volumus pervenire, quod venerabili fratri nostro Trecensi episcopo ab apostolica sede mandatum fuit, semel iterumque præceptum ut in parochiali ecclesia de Marigniaco, salva omni justitia sua, canonicos assumere regulares, qui in ea juxta pium desiderium fundatorum religionis ordinem instituerent, et sub regularibus disciplinis omnipotenti Domino deservirent. Prædictus autem episcopus non amore religionis induci, nec apostolicis jussionibus potuit emolliri, ut a duritia, quam in mandatis apostolicis solitus est habere, se converteret ad benignitatem charitatis, cui piæ petitioni et voto laudabili postulantis consensus benevolentiam indulgeret. Unde discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus eum admonere propensius et inducere laboretis, ut, secundum quod toties in mandatis accepit, de ecclesia Sancti Lupi Trecensis canonicos regulares assumat, et eos in prædicta ecclesia, salvis justitiis omnibus diœcesanæ rationis, instituat, per quos et religionis ordo dilatetur et crescat, et tam jussionibus apostolicis quam fundatoris desiderio satisfaciat; quod si infra triginta dies post admonitionem vestram faecre sponte noluerit, vos eum ad id exsequendnm auctoritate nostra, sine appellationis obstaculo, per censuram ecclesiasticam compellatis.

Quod si omnes his exsequendis nequieritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur.

Datum Laterani, XVII Kalendas Julii, pontificatus nostri anno primo.

LXX.

Consulibus Grassensibus ecclesiam S. Honorati commendat.

(Laterani, Jun. 20.)

[*Hist. patr. Mon.*, Script., p. 468.

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis consulibus de Grassa salutem et apostolicam benedictionem.

Commissum vobis consulatus officium secundum beneplacitum geritis Creatoris, si Ecclesiam Dei et viros in ea impendentes Domino famulatum habueritis in reverentia, et curaveritis potestate vobis commissa ab aliorum injuriis defensare. Inde est quod universitatem vestram monemus in Domino et rogamus, quatenus ecclesiam S. Honorati et personas commorantes in ea habeatis attentius commendatas, et ita ab aliorum injuriis defensare curetis, quod vobis ad æternum præmium proficiat, et ecclesiæ ipsæ per defensionem vestram optata perfrui sese quiete lætentur.

Datum Laterani, XII Kal. Julii, pontificatus nostri anno primo.

LXXI.

Ecclesiam Ragusinam, rogante Tribuno archiepiscopo tuendam suscipit, ejusque privilegia confirmat.

(Laterani, Jun. 21.)

[Hormayr, *Gesch. d. gef. Grassch. Tirol*, I, II, 127.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Tribuno Ragusino archiepiscopo ejusque successoribus canonice substituendis, in perpetuum.

In eminenti apostolicæ sedis specula disponente Domino, licet immeriti constituti, fratres nostros archiepiscopos et episcopos tam vicinos quam longe positos, fraterna debemus charitate diligere, et ec-

clesias eorum gubernatione commissas apostolicæ sedis privilegio communire. Eapropter, venerabilis in Christo frater Tribune archiepiscope, tuis justis postulationibus clementer annuimus, et ecclesiam Ragusinam cui, auctore Deo, præesse dignosceris, ad exemplar prædecessorum nostrorum felicis recordationis Innocentii, Anastasii, Adriani, et Urbani Romanorum pontificum sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus. Statuentes ut quascunque possessiones, quæcumque bona eadem ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis. Omnes parochias ad jus commissæ tibi Ecclesiæ pertinentes scilicet, regnum Zachuliniæ, regnum Servuliæ, quod est Bosna, ac regnum Tribuniæ, civitatem quoque Catarinensem, seu Rosæ Guduanensem, Antivarensem, Liciniacensem, Suacensem, Scodrinensem, Divasterinensem et Polatensem, cum abbatiis, ecclesiis, et parochiis suis. Confirmamus etiam vobis omnes possessiones, et quæcunque bona in ecclesiis, decimis, vallibus, colonis, prædiis, agris, nemoribus, montibus, collibus, aquis, pratis aut quibuslibet aliis rebus diœcesanæ vel proprietariæ dispositionis titulo, prædicta Ragusina Ecclesia juste et canonice possidet, pallii quoque usum pontificalis, videlicet officii plenitudinem, humilitatis et justitiæ signum ad missarum solemnia celebranda, sicut antecessoribus tuis concessum fuisse dignoscitur, et in festivitate Beati Blasii et in præcipuis festivitatibus ecclesiæ tuæ tibi tuisque successoribus auctoritate apostolica confirmamus. Quo his diebus tantum adjuncto festo Beati Blasii et præcipuis festivitatibus ecclesiæ tuæ fraternitas tua uti meminerit quibus antecessoribus tuis ab apostolica sede constat indultum. Sane successores tuos a nobis nostrisque successoribus consecrationis gratiam in perpetuum decernimus recepturos. Prohibemus insuper ne interdictos vel excommunicatos tuos ad divinum officium aut communionem ecclesiasticam, quisquam recipere sine congrua satisfactione præsumat nisi forte periculum mortis immineat, ut, dum præsentiam tuam habere nequierint, per alium secundum formam Ecclesiæ satisfactione præmissa, oporteat ligatum absolvi.

Ad hoc libertates et immunitates a regibus, principibus et ab aliis personis tam ecclesiasticis quam mundanis ecclesiæ tuæ concessas, et antiquas et rationabiles consuetudines hactenus observatas, integras et illibatas præsenti decreto manere sancimus.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas sit præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni subjaceat.

Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ episcopus ss.

Ego Joannes presb. card. tunc temporis Sancti Marci ss.

Ego Laborans presb. card. Sanctæ Mariæ Trans-Tiberim tunc temporis Calixti ss.

Ego Pandolfus presb. card. tit. Basilicæ XII Apostolorum ss.

Ego Melior presb. card. Sanctorum Joannis et Pauli tunc temporis Pammachii ss.

Ego Rad. tunc temporis Sanctæ Praxedis presbyter card. ss.

Ego Petrus tunc temporis Sancti Clementis presb. card. ss.

Ego Bobo tunc temporis Sanctæ Anastasiæ presb. card. ss.

Ego Alex. tunc temporis Sanctæ Susannæ presb. card. ss.

Ego Petrus pres. card. tunc temporis Sancti Petri ad Vincula ss.

Ego Jordanus presb. card. Sanctæ Pudentianæ tunc temporis Pastoris ss.

Ego Jacobus diac., card. Sanctæ Mariæ in Cosmedin ss.

Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani diac. card. ss.

Ego Octavianus Sanctorum Sergii et Bacchi diac. card. ss.

Ego Gregorius Sanctæ Mariæ in Porticu diac. card. ss.

Ego Joannes Felix Sancti Eustachii diac. diac. juxta templum Agrippæ ss.

Ego Joannes Sancti Theodori diac. card. ss.

Ego Bernardus Sanctæ Mariæ Novæ diac. card. ss.

Ego Gregorius Sanctæ Mariæ in Aquino diac. card. ss.

Datum Laterani, per manum Moysi, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, vicem agentis can-

cellarii, XI Kal. Julii indictione VI, incarnationis Dominicæ anno 1188, pontificatus vero Clementis III anno primo.

LXXII.

Ecclesiæ S. Laurentii Florentinæ protectionem suscipit, bonaque confirmat.

(Laterani, Jun. 21.)

[Lami, *Ecclesiæ Florent. Monum.*, III, 1785.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Ildebrando priori S. Laurentii Florentinæ civitatis, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris canonice substituendis, in perpetuum.

Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, ut et devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam S. Laurentii in qua divino estis obsequio mancipati, ad exemplar recordationis Nicolai, Alexandri II, Alexandri III et Lucii prædecessorum nostrorum Romanorum pontificum, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut quascunque possessiones, quæcunque bona, eadem ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

Parochiam ecclesiæ vestræ pertinentem, sicut hactenus habuistis; hospitale quod juxta ecclesiam supradictam B. Laurentii situm est cum omnibus pertinentiis suis; hospitalem domum a Spina Petrioli in Plebeio Sancti Stephani in Pace construtam, et ab ejus uxore ecclesiæ S. Laurentii collatam, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Marci cum omnibus pertinentiis suis; montem S. Laurentii qui ex uno latere proximatur terræ S. Joannis, et duabus viis decurrentibus, et ex alio S. Romuli, tertio S. Mariæ, quarto decurrit ei via regia, cum decimis et primitiis suis; abbaticum Portæ S. Laurentii cum ipsa etiam congregatione: ecclesiam S. Bartholomæi sitam in Faltignano cum omnibus pertinentiis suis, et possessiones omnes quas in eadem curia possidetis; ecclesiam S. Andreæ in Percussine; quæcunque etiam a prædictis prædecessoribus nostris Romanis pontificibus vobis concessa sunt, et ecclesiæ vestræ eorum privilegiis confirmata, similiter roboramus. Prohibemus quoque ut nemini liceat intra terminos parochiæ vestræ sine auctoritate diœcesani episcopi et vestro assensu ecclesiam vel oratorium de novo ædificare, salvis privilegiis Romanorum pontificum. Sepulturam præterea illius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat; salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas sit præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, Florentinique episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat; et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat; atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Theobaldus Hostiensis et Velletrensis episcopus ss.

Ego Joannes presbyter cardinalis tit. S. Marii ss.

Ego Laborans presb. card. S. Mariæ trans Tiberim tit. Calixti ss.

Ego Pandulphus presb. card. Basilicæ XII Apostolorum ss.

Ego Melior presb. card. SS. Joannis et Pauli tit. Pammachii ss.

Ego Radulphus tit. S. Praxedis presbyter cardinalis ss.

Ego Petrus tit. S. Clementis presbyter cardinalis ss.

Ego Bobo tit. S. Anastasiæ presbyter cardinalis ss.

Ego Alexander tit. Susannæ presbyter cardinalis ss.

Ego Petrus presb. cardinalis S. Petri ad Vincula ss.

Ego Jordanus presb. card. S. Pudentianæ tit. Pastoris ss.

Ego Jacobus diac. card. S. Mariæ in Cosmedin ss.

Ego Octavianus SS. Sergii et Bacchi diac. cardinalis ss.

Ego Gregorius S. Mariæ in Porticu diac. cardinalis ss.

Ego Joannes Felix S. Eustachii diaconus juxta templum Agrippæ ss.

Ego Joannes S. Theodori diaconus cardinalis ss.

Ego Bernardus S. Mariæ Novæ diaconus cardinalis ss.

Datum Laterani per manum Moysi, S. R. E. subdiaconi, vicem agentis cancellarii, XI Kal. Julii, indictione VI, Incarnationis Dominicæ anno 1188; pontificatus domini Clementis papæ III anno primo.

LXXIII.

Privilegium pro ecclesia S. Anscharii Bremensi.

(Laterani, Jun. 22.)

[LAPPENBERG, *Hamburg. Urkund.*, I, 245.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, præposito Ecclesiæ Sancti Anscharii Bremensis et ejus fratribus, tam præsentibus quam futuris canonice substituendis, in perpetuum.

Ideo, licet immeriti, ad apicem summi pontificatus providentia sumus supernæ dispositionis assumpti, ut circa universas Dei Ecclesias debeamus aciem nostræ considerationis extendere, et eas a pravorum incursibus apostolicæ sedis patrocinio communire. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam vestram, in qua divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis; curtem quæ vocatur Spenchoph cum pertinentiis suis, curtem in Sluttere cum pertinentiis suis, curtem Leste cum omnibus ad eam spectantibus, curtem in Stenthorpe cum pertinentiis suis, ecclesiam cum banno de Horne, decimam de Swechusen, decimam de Ascwarde, tres quadrantes Hollandienses, quos habent ex dono venerabilis fratris nostri Hardwici, Bremensis archiepiscopi; ex dono Theodorici laici, dimidium quadrantem, ex dono Alardi advocati unam aream et censum quatuor arearum, ex dono Theodorici de Horst censum unius areæ.

Statuimus autem ut stipendia de prædictis curtibus, pauperibus tam majori quam vestræ ecclesiæ deservientibus assignata, sicut a beato Anschario pie statutum est, eis semper integraliter et sine diminutione solvantur.

Ad hæc auctoritate vobis apostolica indulgemus ut cum præpositura seu aliæ dignitates aut præbendæ, sive alia beneficia ecclesiæ vestræ vacaverint, eligendi ad eas personas idoneas liberam habeatis de licentia sedis apostolicæ facultatem; investitura tamen prædictorum diœcesano episcopo reservata. Cum autem generale interdictum terræ

A fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare. Præterea quoniam decimæ utriusque testamenti pagina sint ecclesiasticis personis concessæ, auctoritate apostolica inhibemus ne quis laicus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Illud etiam nihilominus prohibemus, ne quis in vos vel ecclesiam vestram excommunicationis, suspensionis aut interdicti sententiam, sine manifesta et rationabili causa promulget, vel novas et indebitas exactiones vobis vel hominibus vestris imponat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum fas sit prædictam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibus-

B libet vexationibus fatigare, sed omnia illibata et integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione aut sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se judicio divino existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem

C eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen.

Ego Clemens, Catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Joannes, presbyter cardinalis tt. Sancti Marci.

Ego Laborans, pbr. card. S. Mariæ Trans Tiberim tt. Calixti.

Ego Pandulfus, pbr. card. Basilicæ. XII Apost.

Ego Theobald. Hostien. et Velletren. eps.

Ego Jacintus, diacon. cardinalis S. Mariæ in Cosmedin.

Ego Gratianus, SS. Cosmæ et Damiani diac.

D card.

Ego Octavianus, SS. Sergii et Bacchi diac. card.

Ego Radulfus, tt. S. Praxedis pbr. card.

Ego Petrus, tt. S. Clementis pbr. card.

Ego Bobo, tt. S. Anastasiæ pbr. card.

Ego Petrus, pbr. card. S. Petri ad Vincula.

Ego Jordanus, pbr. card. S. Pudentianæ tt. Pastoris.

Ego Gregorius, S. Mariæ in Porticu diac. card.

Ego Joannes, S. Theodori diac. card.

Ego Bernardus, S. Mariæ Novæ diac. card.

Ego Gregorius, S. Mariæ in Aquino diac. card.

Data Laterani, per manum Moysi Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, vices agentis cancellarii, X Kalendas Julii, indictione sexta, incarnationis

Dominicæ anno 1188, pontificatus vero domni Clementis papæ III anno primo.

LXXIV.

Fratribus ordinis Grandimontensis nuntiat se et Guillelmum et Stephanum a prioratu removisse. Liberum successoris eligendi arbitrium iis concedit.

(Laterani, Jun. 25.)

[*Gallia Christiana nova*, t. II, col. 192.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus ordinis Grandimontis salutem et apostolicam benedictionem.

Ne in quæstionis scrupulum recidant, quæ sub examine apostolicæ sedis judiciali sententia terminantur, dignum est et consonum rationi ad posteritatis memoriam ea litteris comprehendi, et rescripti apostolici munimine roborari. Sane cum pro controversia quæ de abrenunciatione Guillelmi quondam prioris vestri, et substitutione Stephani prioris, suadente Christianæ religionis persecutore, cœpit inter vos diutius agitari, quidam inter vos tam clerici quam conversi in nostra essent præsentia constituti, certa ratione comperimus memoratum Guillelmum, prioratus honorem coram delegatis a sede apostolica judicibus se abrenuntiaturum ad certam diem, juramento præstito, promisisse; et postmodum alia vice in manibus dilecti filii nostri Octaviani, sanctorum Sergii et Bacchi diaconi cardinalis, tunc apostolicæ sedis legati, et venerabilis fratris nostri Petragoricensis episcopi, et dilecti filii abbatis de Corona, sine juramento viva voce renunciasse. De alterius vero, videlicet Stephani substitutione, licet ejus electio, memorato Guillelmo abrenunciante, canonica esse potuerit, intelleximus quibusdam ex vobis, videlicet clericis, grave scandalum generari. Volentes ergo tranquillitati et quieti vestræ circumspectione moderaminis apostolici providere, ut omnis inter vos de cætero, auctore Deo, dissensionum et jurgiorum materia sopiatur, de consilio et assensu fratrum nostrorum, tam Guillelmum qui abrenunciasse dignoscitur, quam Stephanum, pro bono pacis et concordiæ inter vos reformandæ, a prioratus regimine duximus amovendos, eligendi priorem facultatem vobis liberam concedentes. Volumus etiam et præcipimus ut Regulam ordinis vestri, sicut eam bonæ memoriæ Urbanus prædecessor noster, de consilio et assensu cardinalium, multorumque episcoporum Italiæ, præsentibus ex vobis tam clericis quam conversis, ad ejus firmitatem et perpetuam pacem invicem osculum sibi præsentibus, correxisse dignoscitur, et tam in privilegio suo quam nostro plenius reperitur, in posterum sine contradictione qualibet observetis. Ut autem sententia ista perpetuis temporibus inviolata et stabilis perseveret, eam auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Statuentes ut nulli omnino hominum liceat paginam nostræ diffinitionis et confirmationis infringere, etc.

Datum Laterani septimo calendas Julii, pontificatus nostri anno I.

LXXV.

Henricum Campaniæ comitem de composito fratrum Grandimontensium dissidio certiorem facit.

(Laterani, Jun. ?)

[*Ibid.*]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro comiti Henrico Campaniæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Inter cætera quæ diversis mundi partibus, apostolatus nostri tempore, ad sedem apostolicam docenda pervenerunt, et gravia, Grandimontensis domus turbatio non minimum nobis dolorem incussit. Quis enim absque amaritudine audiat domum tam celebris religionis præconio divulgatam, de pacis unanimitate religiosis institutis amica, ad tantum turbationis scandalum pertransisse ut factis partibus velut acies hinc inde consisterent, et judiciariis disceptationibus mutuo concertarent, quos sub religioso silentio traditas oportuerat observantias custodire. Proh dolor! Adeo valuit inimicus, ut eos de latebris custodiæ claustralis eduxerit, et in omnem fere ventum et regionem ipsos suscitata disperserit tempestate. Nos sane tanto ipsorum naufragio ex intimis cordis affectibus condolentes, fratribus convocatis, de illorum colligenda dispersione tractavimus, et pacis inter eos fœdere reformando; tandem diligenti deliberatione, de fratrum nostrorum consilio, rem in hunc modum duximus disponendam. «Clemens episcopus,» etc. *ut supra in bulla supra relata*. Pietatem igitur tuæ celsitudinis quæ loca religiosa fovere ac defendere consuevit, monemus et exhortamur in Domino, et in remissionem injungimus peccatorum, quatenus socios Guillelmi quondam prioris, qui in terra tuæ jurisdictioni subjecta commorantur, commoneri facias ut ad domum Grandimontis sine dilatione aliqua revertantur, et domos quas detinent, conversis fratribus secundum statutum ordinis ipsius absque difficultate restitui, ab eis pacifice disponendas, et præfatam provideas, quantum in te fuerit, institutionem nostram observari. Sane quoniam tua discretio non ignorat quantum divisiones sunt religiosis observantiis inimicæ, si quos nostræ institutioni repereris adversari, eis omnimodum subtrahas tuum in sua observatione favorem. Illis qui humiliter obedierint et ad fraternam redierint unitatem, benignum patrocinium et defensionem impendas.

Datum, etc.

LXXVI.

Regulam Grandimontensem confirmat.

(Laterani, Jun. 27.)

[*Ibid.*, col. 191.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis fratribus Grandimontensibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Rationis ordo requirit, et consuetudinis eccle-

siasticæ norma commendat, ut quæ dubitationem in observantia Christianæ religionis adducunt, provisione moderationis apostolicæ declarentur. Ne igitur de Regula vestra in posterum quæstio referatur, quam bonæ memoriæ Urbanus prædecessor noster de consilio et assensu cardinalium et multorum episcoporum Italiæ, præsentibus ex vobis tam clericis quam conversis, ad ejus firmitatem et perpetuam pacem per osculum pacis assensum præbentibus, noscitur correxisse, ut in ejusdem privilegio et in ipso plenius continetur, eam sub sigillo in præsentibus scriptis de verbo ad verbum duximus inserendam, quæ talis est : « Quisquis hanc religionem, etc., usq. salvus erit, amen. » Ut autem prædicta Regula perpetuis temporibus illibata consistat, ipsam prout ab eodem Urbano prædecessore nostro, ut superius diximus, correcta est, auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere.

Datum Laterani, pontificatus nostri anno primo.

LXXVII.

M[auricio] episcopo Parisiensi privilegium tribuit de procuratione et ei et ejus archidiaconibus, parochias circumeuntibus, a regularibus ecclesiarum canonicis præstanda.

(Laterani, Jul. 5.)

[*Cartulaire de Notre-Dame de Paris*, t. I, 64.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri M., Parisiensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Sicut certum est de constitutione canonica episcopis imminere, ut diligenter intendant ad parochias visitandas, quo facilius et plenius valeant exstirpare quæ fuerint exstirpanda, et quæ noverint inserenda inserant ; sic utique spectat ad eos qui in diœcesibus commorantur, ut de procurationis obsequio exhibendo visitatoribus sollicitudinem habeant competentem, nisi privilegio vel alia causa rationabili valeant se tueri; nec episcopi debent per appellationis obstaculum impediri, quominus prædictum officium exsequantur, nec est aliis concedendum subterfugium appellandi, ut a debitarum sic procurationum valeant exhibitione defendi. Hac itaque consideratione inducti, et tuis justis petitionibus provocati, auctoritate apostolica tibi, frater episcope, duximus indulgendum ut, cum tuas parochias visitabis, et canonici regulares in parochialibus ecclesiis tuæ diœcesis constituti procurationem tibi et archidiaconibus tuis per eos transitum facientibus, sicut a cæteris ecclesiis impenditur, per appellationis diffugium præsumpserint denegare, tali appellatione nequaquam obstante, licentiam habeas eosdem canonicos et eorum ecclesias subjicere interdicto, nisi per privilegium speciale super hoc eis indultum immunes se esse ab illius procurationis præstatione demonstrent, aut aliarum ecclesiarum parochialium ejusdem diœcesis generali consuetudine se defendant.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis et concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani, III Nonas Julii, pontificatus nostri anno primo.

LXXVIII.

Silvecano abbati et sacristæ Aquensi mandat, u. monachos S. Victoris Massilienses tueantur contra canonicorum injurias.

(Laterani, Jul. 5.)

[*L'Antiquité de Marseille*, I, 525.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Silvecano abbati et sacristæ Aquensi, salutem.

Dilecti filii nostri, abbas et fratres Massiliensis monasterii proposita nobis conquestione monstrarunt, quod præpositus et quidam alii Massilienses canonici et ecclesiarum parochialium capellani, filios eorum et posteros qui in cœmeterio suo sunt sepulti, ab ejus monasterii prohibent sepultura. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis ad præsentiam vestram, etc., ab his et aliis ejusdem monasterii vexationibus... compescatis.

Datum Later., III Nonas Julii, pontificatus nostri anno primo.

LXXIX.

Ratisponensi et Frisingensi episcopis mandat, ut monasterium Alderspacense ab injuriis Alberti de Kam, qui monasterii advocatiam sibi arrogaverit. defendant.

(Laterani, Jul. 9.)

Hundius, *Metropol. Salisburg.*, II, 60.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Ratispon. et Frisingen. episcopis, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex parte dilectorum filiorum abbatis et conventus de Aldersbach in audientia fuit nostra propositum, quod nobilis vir Albertus de Kam jus advocatiæ in monasterio et rebus earum, licet frater ipsius per sententiam illud amiserit, sibi per injuriam nititur vindicare, cujus occasione eis damna plurima et injurias irrogare præsumit. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus si verum est quod asseritur, militem memoratum ab eorumdem fratrum vexatione indebita compescatis, et ut ablata restituat, prout justum fuerit, cum per censuram ecclesiasticam postposita appellatione compellatis.

Datum Laterani, VII idus Julii, pontificatus nostri anno primo.

LXXX.

Ad Henricum Bituricensem archiepiscopum.— Quod monachi et canonici regulares per oppida soli non morentur.

(Laterani, Jul. 11.)

[Marten., *Thesaurus*, I, 631.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Henrico Bituricensi archiepiscopo Aquitaniæ primati, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum in Lateranensi concilio fuerit generaliter interdictum ne monachi aut etiam canonici regulares singuli in oppidis vel aliis locis popularibus habitent, sunt nonnulli qui capellanorum vices agentes in parochialibus ecclesiis soli morantur, et suæ professionis immemores conversari sæculariter non formidant. Nos itaque providere volentes ne quod provida fuit in concilio deliberatione statutum, pro privato aliquorum commodo irritetur, præsenti fraternitati tuæ scripto concedimus, ut abbates eorum de illis reducendis ad claustrum, aut adimplendo quod in decreto exprimitur, non differas diligentius commonere. Si vero abbates commonitionem tuam fortasse contempserint, tu quod scribimus auctoritate nostra, remoto appellationis obstaculo, exsequaris. Ad hoc nihilominus tibi auctoritate apostolica indulgemus, ut si monachi vel canonici in tua diœcesi constituti infra tres menses ad ecclesias in quibus illis præsentatio competit, et ad te institutio pertinet, non præsentaverint idoneos capellanos, tu non exspectata diutius præsentatione illorum easdem ecclesias appellatione remota canonice ordinandi liberam habeas facultatem. Sic tamen ut ex hoc illis in posterum nullum debeat præjudicium generari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani, v Julii, pontificatus nostri anno 1.

LXXXI.

Monasterii Jesu Nazareni (Montis Aragonensis) possessiones confirmat.

(Laterani, Jul. 18.)

[Ayusa, *Fundacion de la ciudad de Huesca*, p. 456.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio..... abbati monasterii Montis-Aragonum, ad Romanam Ecclesiam nullo mediante pertinentis, ordinis S. Augustini Oscen. diœces., salutem et apostolicam benedictionem.

Gerentes erga personam tuam tuumque monasterium sanctæ dilectionis affectum et volentes te ac monasterium tuum ipsum præcipuis favoribus prosequi et specialibus gratiis honorare, tibi et successoribus tuis qui usum annuli et baculum pastoralis tantum habetis, ut mitra alba imaginibus contexta et lapidibus pretiosis ornata ac aliis pontificalibus uti possitis, benedictionem quoque episcopis non præsentibus more pontificum largiendi et etiam benedicendi, ac consecrandi calices et altaria, pallas altaris, et alia ornamenta ecclesiastica ad vestri monasterii usum nec non reconciliandi ecclesiam, et cœmeteria ipsius monasterii et deferendi et habendi vobiscum altare portatile, et super eo divina officia celebrandi, et facere celebrari in loco congruo et honesto, liberam in perpetuum auctoritate præsentium concedimus potestatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani per manum Moysi sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, vicem agentis cancellarii, xv Kalendas Augusti, indictione iv, incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo octuagesimo octavo, pontificatus vero domni Clementis papæ III anno primo.

LXXXII.

Hartwigo archiepiscopo Ecclesiæque Hamburgensi asserit Lubecensem, Suerinensem, Raceburgensem, Uxhullensem episcopatus suffraganeos.

(Romæ, ap. S. Mariam Novam, Sept. 25.)

[Lappenberg, *Hamburg. Urkund.*, I, 247.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Hartwico, Bremensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex injuncto nobis a Deo apostolatus officio fratres et coepiscopos nostros, tam vicinos quam longe positos, sincere charitatis affectu debemus diligere et Ecclesiis, in quibus, auctore Domino, militare noscuntur, suam dignitatem et justitiam integram conservare. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, ecclesiam ipsam, cui auctore Domino præsides, cum omnibus pertinentiis suis, Lubicensem quoque Zuirinensem, Racesburgensem et Ixscolanensem episcopatus, cum universis bonis, tam spiritualibus quam temporalibus, sicut juste et sine controversia possides, tibi et Ecclesiæ tuæ auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc nostræ paginam confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, vii Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno primo.

LXXXIII.

Lubecensi, S. Pauli Bremensi, Stadensi abbatibus mandat, si [*Hartwigus*] *archiepiscopus Hamburgensis monasterio Rameslensi T. abbatem juste præfecerit, ut hunc confirment.*

(Romæ, ap. S. Mariam-Majorem, Sept. 27.)

[*Ibid.*, p. 248.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, Lubecensi, Sancti Pauli Bremensi et Stadensi abbatibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum inter venerabilem fratrem nostrum, Bremensem archiepiscopum, et dilectos filios canonicos Rameslenses, super electione præpositi in ecclesia Rameslensi quæstio suborta fuisset, et utraque pars electionem ad se assereret pertinere, quia idem B archiepiscopus ex rectoris defectu conspiciebat Ecclesiam detrimentum non modicum sustinere, canonicos sæpe curavit inducere, ut ad præpositi canonicam electionem procederent. Verum cum illi hoc quasi sub dissimulatione transirent, post x menses, quemdam, T. nomine, canonicum Sancti Petri in Brema, sacerdotem, litteratum virum pariter et honestum, sicut asseritur, de consilio synodi, quæ illic erat congregata, præpositum in illa ecclesia ordinavit. Ideoque per apostolica nobis scripta mandamus, quatenus super institutione memorati T. quæratis sollicite veritatem, confirmantes ipsam sine appellationis obstaculo, si de jure eam videritis confirmandam; præterea, B. comitem ad restituenda ablata jam dictæ præpositura C per excommunicationis sententiam compellatis, nullis litteris veritati et justitiæ præjudicium facientibus, si quæ apparuerint a sede apostolica impetratæ. Quod si omnes his exsequendis nequiveritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exsequantur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam-Majorem, v Kalendas Octobris, pontificatus......

LXXXIV.

[*Hartwigo*] *Hamburgensi archiepiscopo asserit episcopatum Vexhullensem.*

(Romæ, ap. S. Mariam Majorem, Oct. 1.)

[*Ibid.*]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri, Bremensi archiepiscopo, salutem et D apostolicam benedictionem.

Fratres et coepiscopos nostros speciali tenemur charitate diligere et justis eorum postulationibus favorem apostolicum benignius impertiri. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis justis postulationibus clementer annuimus et Ixscolanensem episcopatum, quem tu et clerus tuæ curæ commissus, per ministerium Meynardi sacerdotis, religiosi et discreti viri, in Ruthenia, sancti Spiritus gratia donante, acquisivisse dicimini, et usque adeo, tuba sacri eloquii in intimis quorumdam barbarorum mentibus intonante, fides Christiani nominis tales proponitur posuisse radices, quod idem qui seminator exstitit in illis partibus verbi divini, pastor fieri A meruerit et episcopus animarum illarum, ipsum tibi et ecclesiæ tuæ tuisque successoribus, cum observantiis, quas futuris temporibus duraturas canonice posuistis et constituistis ibidem, auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, et nostram se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam-Majorem, Kalendis Octobris, pontificatus nostri anno primo.

LXXXV.

Privilegium pro monasterio Osterholtensi.

(Romæ, ap. S. Mariam Majorem, Oct. 6.)

[*Ibid.* p. 249.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, Eylhardo præposito, fratribus et sororibus de Osterholte, regularem vitam professis, salutem et apostolicam benedictionem.

Quoties ab apostolica sede petuntur ea quæ tutelam Ecclesiarum respiciunt et profectum, animo nos decet libenti concedere, et vota quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, vestris justis postulationibus annuentes, personas vestras et ecclesiam, in qua divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, tam ecclesiasticis quam mundanis, quæ eadem ecclesia juste et canonice possidet, aut in futurum, præstante Domino, poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem curiam de Schermbecke et capellam ipsi curiæ attinentem, sicut eas juste et sine controversia possidetis, devotioni vestræ auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostram protectionem seu confirmationem infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, pridie Nonas Octobris, pontificatus nostri anno primo.

LXXXVI.

Privilegium pro ecclesia Furconiensi.

(Laterani, Oct. 14.)

[Muratori, *Antiq. Ital.*, vi, 497.]

Clemens ep. SS. Dei, venerabili fratri Odorisio Furconen. episcopo ejusque successoribus, in perpetuum.

In eminenti apostolicæ sedis specula..... ad instar prædecessoris fel. record. Alexandri Romani pontif. sub B. Petri et nostra protectione suscipimus. Statuentes..... Castrum Collepaidoni cum ecclesia et ten. suis..... ecclesiam S. Justæ cum capella et hom.

et ten. suis..... eccl. S. Marciani cum hom. et ten. suis..... eccl. S, Silvestri de Collebrinconio cum hom. et ten. et capellis suis; eccl. S. Mariæ de Asserico cum capell. et ten. suis; eccl. S. Grisancti cum capell. et ten. suis; eccl. S. Andreæ de Stiphia cum omnibus pert. suis..... Tornamparte cum eccl. vill. et suis pert. Civitatem Forulæ cum duabus ecclesiis et suis pert.....

Ego Clemens catholicæ sedis episc.

Ego Albinus tit. S. Crucis in Hierusalem presb. card.

Ego Bobo tit. S. Anastasiæ presb. card.

Ego Alesius tit. S. Susannæ presb. card.

Ego Jacobus diaconus cardinalis S. Mariæ in Cosmidin.

Ego Gregorius S. Mariæ in Porticu diac. card.

Ego Bernardus S. Mariæ Novæ diac. card.

Ego Gregorius S. Mariæ in Aquino diac. card.

Datum Laterani, per manum Moysi, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiac., vicem agent. cancellarii, II Idus Oct., indictione VII, incarnationis Domin. anno 1188, pontificatus vero D. Clementis P. III anno I.

LXXXVII.

Donationes factas canonicis ecclesiæ Cæsarisaugustæ confirmat.

(Laterani, Oct. 14.)

[Arruego, *Cathed. episcop. de Çaragoça*, 686.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis capituli Cæsaraugustæ ecclesiæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, et vota quæ a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, donationem a venerabili fratre nostro Petro episcopo vestro et a vobis ipsis ad vestræ reædificationem ecclesiæ factam, sicut eadem donatio rationabiliter facta est eidem ecclesiæ auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus; statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani, II Idus Octobris, pontificatus nostri anno primo.

LXXXVIII.

Ordinis Præmonstratensis leges confirmat.

(Laterani, Oct. 15.)

[Le Paige, *Bibl. Præm.* 643.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Hugoni, abbati Præmonstratensi, et cæteris abbatibus et canonicis Præmonstratensis ordinis, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

In eminenti apostolicæ sedis specula, licet immeriti, disponente Domino constituti, pro singulorum statu solliciti esse compellimur, et ea sincere tenemur amplecti quæ ad incrementum religionis pertinent, et ad virtutum spectant ornatum, quatenus religiosorum quies ab omni sit perturbatione secura et a jugo mundanæ oppressionis servetur illæsa, cum apostolica fuerit tuitione munita. Attendentes itaque quomodo religio et ordo vester, multa refulgens gloria meritorum et gratia redolens sanctitatis, palmites suos a mari usque ad mare extenderit, ipsum ordinem et universas domos ejusdem ordinis, apostolicæ protectionis præsidio duximus confovendas et præsenti privilegio muniendas. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus benignius annuentes, ad exemplar felicis recordationis Alexandri, Lucii et Urbani prædecessorum nostrorum Romanorum pontificum, universas regulares institutiones et dispositiones, quas de communi consensu vel majoris et sanioris partis fecistis, sicut inferius denotantur, auctoritate apostolica roboramus et præsentis scripti privilegio communimus, videlicet ut ordo canonicus, quemadmodum in Præmonstratensi ecclesia secundum beati Augustini Regulam, dispositionem recolendæ memoriæ Norberti quondam Præmonstratensis ordinis institutoris et successorum suorum, in candido habitu institutus esse dignoscitur, per omnes ejusdem ordinis ecclesias perpetuis temporibus inviolabiliter observetur, et eadem penitus observantia iidem quoque libri qui ad divinum officium pertinent, ab omnibus ejusdem ordinis ecclesiis uniformiter teneantur, etc., *prout jacent in privilegio seu diplomate Lucii III, usque ad ea quæ sequuntur.*

Ego Clemens Ecclesiæ catholicæ episcopus.

Ego Henricus Albanensis episcopus.

Ego Theobaldus Ostiensis et Velletrensis episc.

Ego Laborans presbyter cardinalis S. Mariæ trans Tiberim tit. Calixti.

Ego Hyacinthus S. Mariæ in Cosmedin diaconus cardinalis.

Ego Radulphus S. Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis.

Ego Albinus cardinalis S. Mariæ Novæ (7).

Datum Laterani per manum Moysi, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, vicem agentis cancellarii, Idibus Octobris, indictione VI, incarnationis Dominicæ 1188, pontificatus vero domini Clementis papæ III anno primo.

LXXXIX.

Litteris ad Guillelmum archiepiscopum Monteregalensem præcipit ut episcopi Syracusani usu pallii abstineant.

(Laterani, Oct. 19.)

[Pirri, *Sicilia Sacra*, I, 624, ubi fragmento infra edendo hæc præmittit: « Autographum invenire minime potui; legi tamen in libro ms. privilegio-

(7) Aut falsa est bulla aut testium nomina ex aliis litteris casu, nescio quo, transposita in apographum sunt. Jaffe.

rum eccles. Monteregalensis apud monachos ejusdem hanc formam :]

Venerabili fratri Guillelmo archiep. Montisregal.

Præcipimus ut Syracusanus episcopus ejusque successores ab usu pallii debeant a modo penitus abstinere.

Datum Laterani, XIV Kal. Novemb., anno Sal. 1188, pont. ann. I.

XC

Guillelmi archiepiscopi Montisregalensis privilegia confirmat, palliique usum ei concedit.

(Laterani, Oct. 28.)

[MARGARINI, *Bullar. Casin.* II, 213.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri GUILLELMO Montisregalis archiepiscopo ejusque successoribus canonice substituendis.

Licet Dominus Jesus Christus Ecclesiam suam instituens, eamque discipulis suis super credentes ligandi ac solvendi dederit potestatem (*Joan.* XX), unum tamen in ea, beatum scilicet Petrum apostolum, voluit præeminere, dicens : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et quodcunque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis, et quodcunque solveris super terram erit solutum et in cœlis* (*Matth.* XVI), intelligendum ex hoc tribuens fidelibus universis quod, sicut unus erat mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus (*I Tim.* II, 5), pacificans quæ in cœlis erant et quæ super terram (*Coloss.* I), dissolvens maceriarum parietem ac faciens utraque unum (*Ephes.* II), sic et in Ecclesia sua unum ex ipso et per ipsum esset omnium, cum omnium caput esset; nec in membris fieret ulla diversitas quæ non per unius auctoritatem ac providentiam capitis ad unam fidei veritatem eamdemque religionis regulam reduceretur, et vel jam, quod etiam in eo loco monstratur, in quo et de confirmandis fratribus (*Luc.* XXII) et de pascendis Dominicis ovibus (*Joan.* XXI) præceptum a Domino nostro legitur ei datum.

Ex hac itaque potestate, quæ ad B. Petrum ex Dominica traditione pervenit, sacrosancta Romana Ecclesia quæ per Dominum Jesum Christum ab eodem beato Petro instituta est et fundata, super universas ecclesias auctoritatem obtinuit, ut ubique ratum esset ac solidum quod ipsius providentia statuisset. Quod etiam ab universis Ecclesiis, per orbem terrarum usquequaque diffusis, et receptum est et servatum, ita ut per eam et distributio facta sit dignitatum, et indictum Christi fidelibus et diligentius ordinatum quod ad cultum pertinere visum est pietatis. Ex hac siquidem data beato Petro a Domino potestate, ipse ac successores ipsius per diversi mundi loca constituerunt episcopos, et dignitates per provincias diviserunt. Nos etiam, qui eis, licet impares meritis, Domino vocante, successimus, in loco qui Montis Regalis dicitur, pro multa utilitate populi Christiani, metropolitanam sedem, a piæ memoriæ domino Lucio prædecessore nostro statutam, auctoritate apostolica confirmamus

Cum enim Christianissimus, in Christo filius noster, Guillelmus illustris rex Siciliæ, divinæ charitatis succensus, ad gloriam Dei et salutem suam ac parentum suorum monasterium ibi fundasset, et primo loco ad id agendum beato Petro et Romanæ Ecclesiæ obtulisset, ab episcopali subjectione per auctoritatem prædecessoris nostri felicis memoriæ Alexandri papæ, assensuque venerabilis fratris nostri Gualterii Panormitani archiepiscopi liberum reddidit et quietum, ac sic ædificiis regiis erigendis regiam curam impendens brevi tempore, templum Domino multa dignum admiratione construxit, castris munitissimis et redditibus ampliavit, libris, et sacris vestibus, et argento decoravit et auro, et tandem multitudinem monachorum de Cavensi ordine introduxit, et in tantum ædificiis et rebus extulit aliis locum ipsum, ut simile opus per aliquem regem factum non fuerit a diebus antiquis, et in admiratione homines adducat, ad quos ex auditu solo potuerit quod factum est pervenire.

Deinde ad opus bonum, sicut cervus ad fontes aquarum anhelans, modicum reputans quidquid desiderio fecerat æternorum, juxta id quod Sapientia dicit : *Qui edunt me adhuc esurient, et qui bibunt me adhuc sitient* (*Eccli.* XXIV); a prædicto Alexandro et Lucio, prædecessoribus nostris ac fratribus cum multa instantia postulavit ut idem locus dignitate metropolitica donaretur, præsertim cum et illuc populum congregare cœpisset; et disponeret congregare, qui ex illa parte contra omnium inimicorum incursus inexpugnabile munimen posset toti terræ conferre. Porro idem dominus Lucius, deliberatione habita non parva cum fratribus, et attendens communem utilitatem quæ de incremento ipsius loci speraretur, desiderio et petitioni ejus liberaliter acquievit ne, ubi liberalissimus ipse de thesauro et lenimentis suis exstiterat, idem papa de his quæ ad injunctum sacri apostolatus officium pertinebant, existere difficilis videretur, et tanta ejus minueretur tarditate devotio, quanto summi pontificis studio de bono congruebat ad melius incitari. Nam et hoc pro desiderio ejus non parum facile videbatur, quod, licet esse insolitum quod, duæ metropoles tam vicinæ existerent. Ex hac tamen nova constitutione, quanquam jus minueretur alterius, cum jam ante monasterium ipsum per archiepiscopos et episcopos, tam in se quam in omnibus locis suis, ab omni episcopali jure fuisset exemptum, et plena in omnibus libertate donatum, ita ut nulli archiepiscopo, vel episcopo; nisi tantum Romano pontifici subjaceret.

Te itaque venerabilem in Christo fratrem Guillelmum, in ejusdem loci archiepiscopum, suis tanquam beati Petri manibus, consecravit, et pallii dignitate statuit decorandum ; recipiens eamdem ecclesiam, ad honorem Domini Dei nostri et memo-

riam beatæ Mariæ semper virginis regia liberalitate fundatam, sub apostolicæ tuitione muniminis, et suo privilegio quod factum fuerat roboravit.

Statuit autem imprimis ut ordo monasticus, qui secundum Dei timorem et B. Benedicti Regulam et Cavensis monasterii observantias in eo loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia impræsentiarum ex dono prænominati regis et quorumlibet rationabiliter possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis poterit adipisci, firma eidem ecclesiæ et illibata permaneant.

In quibus, episcopatum Cataniensem proprio duximus vocabulo designandum, quem idem dominus Lucius, de fratrum communi consilio, ad multam prædicti regis instantiam, tibi tuisque successoribus, sicut propriis archiepiscopis, metropolitano in perpetuum constituit jure subesse. Episcopaleque jus, et omnia quæ in subscriptis locis ex concessione fratrum et coepiscoporum habes auctoritate apostolica tibi tuisque successoribus confirmavit; et firma et illibata permanere perpetuis temporibus decrevit, ex concessione scilicet venerabilis fratris nostri Gualterii Panormitani archiepiscopi, cum voluntate, consilio et assensu omnium canonicorum suorum, et regia etiam conniventia, tam parochiam quam diœcesim castelli Corleonis cum monasterio Sanctæ Mariæ Magdalenæ et aliis ecclesiis, cum decimis et aliis justitiis quas de baronibus et aliis hominibus ipsius castelli et pertinentiarum ejus Panormitana Ecclesia solebat percipere, et cum omni parochiali jure et episcopali, quod in eisdem parochia et diœcesi videbatur habere; ecclesiam propterea Sancti Sylvestri quæ fuerat dominii et proprii juris Panormitanæ ecclesiæ, quam, pro eo quod tuæ ecclesiæ multum vicina erat et multum utilior erat ei quam Panormitanæ ecclesiæ, jam dictus archiepiscopus, sicut in ejus scripto authentico continetur, de consilio et assensu omnium fratrum suorum eidem ecclesiæ libera et spontanea voluntate tradidit, cum omnibus tenimentis, villanis, possessionibus et jure; ex concessione bonæ memoriæ Nicolai, quondam Messanensis primi archiepiscopi, cum totius capituli sui consensu, omne jus episcopale, quod Ecclesia Messanensis debet habere in monasterio et omnibus pertinentiis suis, quod illustris recordationis Margareta, gloriosa quondam regina, in loco qui dicitur Maniachium, in diœcesi Messanensi, ad Dei honorem et beatissimæ semperque virginis memoriam, pro sua devotione, construxit, et per prædictum archiepiscopum ab omni debito Messanensis Ecclesiæ liberum obtinuit et quietum; ex concessione Thomæ Regiensis archiepiscopi cum communi capituli sui consensu, totum jus episcopale vel quodcunque aliud ad Regiensem Ecclesiam pertinebat in monasterio Sancti Salvatoris de Marcello, quod construxit Joannes Calomenus regius quondam camerarius, et in monasterio monialium Sancti Joannis Essocaliva, quod est extra muros civitatis Regii, cum cellis, obedientiis, possessionibus, tenimentis ac pertinentiis monasteriorum ipsorum, juxta quod jam dicti archiepiscopi privilegio continetur; ex concessione Bartholomæi Agrigentini episcopi, cum capituli sui assensu, tam parochiam et diœcesim quam universum jus episcopale cum omnibus decimis et aliis justitiis suis, quas de baronibus et aliis hominibus castelli Batalarii et pertinentiis ejus habebat, sicut in scripto ipsius episcopi dignoscitur contineri; ex concessione Matthæi Mazariensis episcopi, parochiam et diœcesim et jus episcopale omnesque decimas et alios redditus, quos ecclesia Mazariensis habebat in municipio Jati et municipio Calatrosi, cunctisque cum eorum pertinentiis, sicut in scripto præfati episcopi manifestius continetur; ex concessione Roboam Anglonensis episcopi, cum communi capituli sui consensu, in monasterio Carbonensi, cum cellis, obedientiis et possessionibus ejus, totum jus episcopale, et quodcunque aliud in eo Anglonensis habebat ecclesia, sicut in ipsius episcopi scripto denotatur expressum; ex concessione Rinaldi Bisinianensis episcopi cum capituli sui assensu, ecclesiam Sanctæ Mariæ de Macla cum episcopali jure et omnibus obedientiis et pertinentiis suis, sicut in ejusdem episcopi privilegio demonstratur; ecclesiam quoque Sancti Martini, constructam in tenimentis ecclesiæ a Petro Indulfo, quam ipse Petrus obtulit eidem ecclesiæ, cum tenimentis, possessionibus et pertinentiis suis.

Pallium ad hæc, ad plenitudinem scilicet pontificali officii, fraternitati tuæ, de sedis apostolicæ auctoritate ac liberalitate largimur, qui intra Ecclesiam tuam ad missarum solemnia celebranda, subscriptis diebus, uti debebis, nativitate scilicet Domini nostri Jesu Christi, festo Sancti Stephani, Octava Domini Nativitatis, Epiphania, Dominica in Ramis palmarum, Cœna Domini, Sabbato Sancto, Pascha et duobus diebus sequentibus, Ascensione, Pentecoste, tribus festivitatibus beatæ Virginis Dei genitricis, Natalitio beati Joannis Baptistæ, commemoratione Omnium Sanctorum, solemnitatibus omnium apostolorum, et præcipuis festis Ecclesiæ tuæ, dedicationibus ecclesiarum, consecrationibus episcoporum, ordinationibus clericorum, et anniversario tuæ consecrationis die. Provideas igitur quomodo hujus indumenti honor modestia sit ac actuum vivacitate servandus, ut ei morum tuorum ornamenta conveniant, et esse valeas plus bonis actibus quam hujusmodi ornamento, Deo auctore, conspicuus, et quem pastoralis curæ constringit officium dilectionem proferis fratribus exhibere, et in humilitatis virtute fundatus, nec eleveris prosperis, nec fatigeris adversis; ipsi etiam adversarii, propter mandatum Dominicum, tuo circa te copa-

lentur affectu, et, quantum, in te fuerit, pacem habeto cum omnibus, et ad pacem studete reducere discordantes. Fulgeat in pectore tuo rationale judicii, cum superhumerali ratione conjunctum; et ita in conspectu Dei procedas et hominum, quatenus commisso tibi Dominico gregi virtutis præstes exemplum, ut videntes opera tua bona glorificent Patrem nostrum qui in cœlis est (*Matth.* v), et gaudeant se talem habere rectorem per quem erudiantur ad fidem et ad recta opera provocentur. Obeunte vero te, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem monachi ejusdem loci, vel melior pars consilii sanioris de ipso collegio, siquidem idoneus fuerit in eo repertus, secundum Deum et canonicas sanctiones crediderint eligendum. Quod si forte idoneus ibi reperiri nequiverit, et aliunde fuerit assumendus per fratres ipsius loci monachus eligatur, qui nimirum regularibus cibis et indumentis utatur. Quæ omnia sicut ab eodem prædecessore nostro provide facta sunt, rata omni tempore volentes, et inconcussa servari nostri quoque privilegii munimine roboramus. Adjicimus etiam ut Ecclesia Syracusana, quæ nulli hactenus, nisi Romano tantum pontifici subjecta fuisse dignoscitur, tibi deinceps et successoribus tuis catholicis metropolitano debeat jure subesse.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Ad indicium sane devotionis tuæ, ac demonstrandum quod eadem ecclesia Romano tanto pontifici subjaceret, supra nominatus filius noster rex, cum eam sub nomine monasterii fundare cœpisset, centum tarenos Romano pontifici annis singulis statuit persolvendos. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei ac Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Clemens catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Theobaldus, Ostiensis et Velletrensis episcopus.

Ego Joannes, presbyter cardinalis tit. Sancti Marci.

Ego Laborans, presb. card. tit. Sanctæ Mariæ trans Tyberim tit. Calixti.

Ego Pandulphus presb. card. tit. Basilicæ Duodecim Apostolorum.

Ego Albinus tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem presb. card.

Ego Petrus tit. S. Clementis presb. card.

Ego Adelardus tit. Sancti Marcelli presb. card.

Ego Bobus tituli Sanctæ Anastasiæ presb. card.

Ego Alexius tituli Sanctæ Susannæ presb. card.

Ego Petrus tituli Sancti Laurentii in Damaso presb. card.

Ego Jacinthus diac. card. tit. Sanctæ Mariæ, in Cosmedin.

Ego Octavianus tit. Sanctorum Sergii et Bacchi diac. card.

Ego Gregorius tit. Sanctæ Mariæ in Porticu diacon. card.

Ego Joannes Felix tit. Sancti Eustachii juxta templum Agrippæ diac. card.

Ego Joannes tit. S. Theodori diac. card.

Ego Bernardus tit. Sanctæ Mariæ Novæ diac. card.

Ego Gregorius tit. Sanctæ Mariæ in Aquiro diac. card.

Datum Laterani, per manum Moysi sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, vicem agentis cancellarii, v Kalendas Novembris, indictione VII, Incarnationis Dominicæ 1188, pontificatus vero domni Clementis papæ tertii anno primo.

Signum Clementis III papæ.

DOCE ME, DOMINE, FACERE VOLUNTATEM TUAM

XCI.

Sententiam episcoporum Equilensis, et Torcellani pro susceptione episcopi Castellani ab abbate S. Nicolai de Litore in die Ascensionis confirmat.

(Laterani, Oct. 31.)

[F. Cornelius, *Eccles. Venet.*, t. XIII, p. 322.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, ven. Fr. Marco Castellano episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Ea quæ judicio statuuntur, in sua debent firmitate consistere, et apostolico robore communiri, ne alicujus valeant malignitate per præsumptionem turbari. Intelleximus siquidem quod cum ven. fratres nostri Equilensis et Torcell. episcopi causam quæ vertebatur inter te et abbatem ac monachos S. Nicolai super susceptione tua ab ipso abbate et fratribus, in die Ascensionis Domini in missa majori, et ad processionem, et ad refectionem tibi, cum tuis præstandam de mandato nostro appellatione remota diffiniendam suscepissent, tandem super susceptione ipsa, processione, ac refectione rationibus auditis plenius, et intellectis, et veritatem rei per confessionem abbatis et monachorum ejusdem monasterii sufficienter cognita, sententiam pro te diffinitivam tulerunt, quam utique ratam et firmam habentes, ad exemplar bon. mem. Urbani papæ, prædecessoris nostri auctoritate apostolica præsentis scripti patrocinio communimus; statuen-

tes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani, II Kal. Novembris, pontificatus nostri anno primo.

XCII.

Inter ecclesias S. Triphonis, S. Nicolai de Præfecto, S. Salvatoris de Sere et ecclesiam S. Mariæ in Campo-Martis, latam ab Alexio presb. card. tit. S. Suzannæ et Joanne diac. card. S. Theodori sententiam jubet ratam esse.

(Laterani; Nov. 4.)

[Marini, *Diplomat. pontif.*, pag. 67.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis clericis Sancti Triphonis, S. Nicolai de Præfecto et Sancti Salvatoris de Sere, salutem et apostolicam benedictionem.

Ea quæ fuerint judicio vel concordia terminata, ne in recidivæ contentionis scrupulum relabantur aut alicujus malignitate turbentur, juxta petentium voluntatem consentaneam rationi, apostolica convenit auctoritate firmari. Eapropter, vestris justis postulationibus annuentes, sententiam quam dilecti filii nostri, Alexius tituli Sanctæ Suzannæ presbyter, et Joannes Sancti Theodori diaconus, cardinales, de mandato sedis apostolicæ promulgarunt, sicut eadem sententia scripto authentico continetur, auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem autem firmitatem tenorem ipsius authentici instrumenti super sententia promulgata de verbo ad verbum jussimus inserendum :

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Nos Alexius, Dei miseratione tituli Sanctæ Susannæ presbyter, et Joannes S. Theodori diaconus, cardinales, notum facimus omnibus ad quos litteræ istæ pervenerint quod cum clerici S. Triphonis, S. Nicolai de præfecto, et S. Salvatoris de Sere in præsentia Domini Papæ Clementis III querelas proponerent, quod sanctimoniales Beatæ Mariæ in campo Martis statum parochiarum suarum multiplici arte turbarent, hanc causam dominus papa nobis audiendam commisit. In præsentia itaque nostra utrisque partibus constitutis, cur abbatissa Agnes non venisset vel sufficientem responsalem non misisset a sororibus quæ venerant requisivimus. Quæ respondentes dixerunt hanc causam per sententiam rectorum Romanæ fraternitatis de mandato domini Lucii P. esse finitam et ab eodem summo pontifice confirmatam, ideoque non fuisse opus ut vel abbatissa veniret, vel responsalem misisset. Quod cum audissemus, ne acta negare videremur, instrumentum quod nobis in occulto demonstratum fuerat, cum in eo vituperatio non appareret, duximus coram partibus legendum. Sed cum in prosecutione instrumenti contineretur quod in præsentia domini Obicionis cardinalis S. Clementis, et magistri Raineri diaconi cardinalis S. Adriani causa hæc diligentissime fuisset pertractata et testibus idoneis coram domino P. de Rustico judice, quem assessorem rectores habebant comprobata, et a subscriptis rectoribus per sententiam esset decisa et terminata; quæ sententia talis est : In nomine Domini. Nos rectores Romanæ fraternitatis, P. scilicet Christianus basilicæ S. Petri, Guido de Papa titulo S Mariæ in trans Tyberim, Joannes archipresbyter S. Joannis de Insula, Gregorius Lateranensis basilicæ, Jordanus prior S. Mariæ Novæ, presbyter, Girardus S. Nicolai de Marmorata, Bobo tituli S. Marcelli; presbyter Jonathas S. Pantaleonis, presbyter Ugo S. Mariæ in Transpadin. Ex auctoritate et mandato domini papæ Lucii absolvimus te, Agnes monasterii S. Mariæ in Campo Martis abbatissa, ab omni petitione, querela ac molestia, quam P. Albertini supradictarum ecclesiarum œconomus adversus te pro jam dicto monasterio fecit vel facere potuit, de subscriptis domibus infra suos fines constitutis, scilicet a domo Pauli de Nuzo et infra, a domo Buccacanum et infra, a via majore quæ vadit ante turrem Armeldrigi Scorsasanti et infra, ab utroque latere viæ, a domo Monachi et infra, et a domo Benencas de Romanello et infra, ita quod amodo liceat tibi tuisque successoribus et pro populo et sicut populum jure parochiali perpetuo tenere, possidere, et omnia divina ministeria per tuum videlicet capellanum eis tribuere et ministrare. »

Clerici prænominatarum Ecclesiarum cum hoc audissent, statim exclamaverunt tale instrumentum omnino falsum esse, tum quia nunquam in conspectu domini Obicionis cardinalis S. Clementis pro hac causa convenerunt, tum quia nulli testes coram prædicto judice producti fuerunt, tum quia rectores qui sunt in instrumento conscripti dedisse sententiam, ullam nunquam ipsis præsentibus dederunt sententiam. Cum itaque pars utraque inter se clamose contenderet, præfiximus diem quo pars abbatissæ ad faciendam fidem instrumento veniret. Nos vero interim convenimus rectores semotim, et simul, scilicet Guidonem de Papa, Gerardum abbatem S. Sabbe, qui tunc erat archipresbyter S. Nicolai de Marmorata, et rector Romanæ fraternitatis, presbyterum Ugonem S. M. in Transpadin, Leonem archipresbyterum S. Ciciliæ, et Rollandum archipresbyterum S. Mariæ in Aquiro; et separatim convenimus judicem P. de Rustico, et interrogavimus utrum hæc omnia ita se haberent, sicut superius est commemoratum. Responderunt rectores sine ulla hæsitatione dominum Obicionem in hac causa nunquam secum fuisse, nec testes aliquos esse productos, nec sententiam de hac causa dedisse. Dominus P. judex hoc idem dixit et adjecit quod non nisi semel cum rectoribus pro hac causa convenit. Cum itaque ad præfixum diem pars utraque in nostra præsentia convenisset, et

nostro præcepto de calumnia jurasset, abbatissa de calumnia jurata, et a nobis interrogata dixit, quod alicui sententiæ de hac causa non interfuit, nec testes aliquos produxit, vel produci fecit super hac causa, nec quando chartam instrumenti accepit audivit, quod fuerit super hoc sententia data.

Post hæc pars clericorum, habito consilio advocatorum scilicet domini Joannis archipresbyteri S. Maguti, et domini Tholomæi causidici ad majorem et evidentiorem cautelam testes produxit. Presbyter Carisomus juratus dixit quod super hac quæstione quæ inter ecclesiam Beatæ Mariæ in Campo Martis et ecclesias S. Triphonis, S. Salvatoris de Sere, S. Nicolai de Præfecto, de statu parochiarum vertitur, sententia data non fuit, nec testes ab aliqua parte producti, nec P. Albertini œconomus supradictarum ecclesiarum, sicut continetur in instrumento in ista causa nisi de ecclesia S. Triphonis tantum, et pro his omnibus dixit instrumentum falsum, et dixit quod pro hac causa nunquam fuerunt coram Domino Obicione, nec causa ista ei delegata fuit. Presbyter Girardus juratus dixit quod, cum pro querela super statu parochiarum quæ tunc vertebatur et hodie vertitur inter ecclesiam Beatæ Mariæ de Campo Martis, et prænominatas ecclesias, in præsentia rectorum ipse cum aliis sociis constitutus fuisset, et sentirent quod non sicut debebant procederent, ad dominum Lucium papam appellaverunt. Qui causam istam audiendam magistro Ranerio S. Andreæ diacono cardinali commisit. A quo nec sententia data est, nec testes ab aliqua partium in hac causa producti fuerunt; de P. Albertini, et de domino Obicione idem dixit quod presbyter Carisomus, presbyter Petrus juratus, idem dixit quod alii, de commissione facta tantum magistro Ranerio et de sententia non data, et de testibus non productis. Idem dixit quod aliis, et addidit etiam quod cum archipresbyter Sancti Joannis de Insula vocaretur Nicolaus Buccalata, in instrumento conscriptus est Joannes, et archipresbyter S. Blasii cum vocetur Joannes, ibi scriptus est Petrus, et cum presbyter Carisomus nunquam fuerit archipresbyter, ibi scriptus est archipresbyter. Et pro his omnibus asserit instrumentum esse falsum. Joannes Ranucii hostiarius juratus dixit idem de sententia non data et de testibus non productis, et de commissione facta tantum Magistro R. dixit quod alii, de appellatione facta ad Dominum papam Lucium, eo quod rectores non sicut debebant, procedebant, idem dixit quod presbyter Girardus. Addidit etiam quod P. domini Rustici judex a rectoribus assessor fuit constitutus, et non a domino papa Lucio, ad quem causa nondum appellata erat, et de P. Albertini idem dixit quod alii.

Quibus omnibus auditis utraque pars sæpe et sæpius si quid novi addere vellent, ut juris et moris est a nobis interrogata, suis allegationibus de communi voluntate et de consilio advocatorum renuntiavit. Facta itaque ab utraque parte renuntiatione, ut dictum est, et testium depositionibus, præsente utraque parte, perlectis et publicatis, omnia seriatim: domini papæ Clementis mandato et autoritate, et consensu et voluntate cardinalium, talem protulimus sententiam: « In nomine Domini. Nos Alexius Dei miseratione tituli S. Susannæ presbyter, et Joannes eadem miseratione Sancti Theodori diaconus, cardinales, A. domino Clemente papa delegati super querela falsi instrumenti quæ vertitur inter ecclesiam Sanctæ Mariæ Campi Martis ab una parte; et ecclesias Sancti Triphonis, Sancti Nicolai de præfecto, et Sancti Salvatoris de Sere ex alia: de quadam charta falsa quam Agnes abbatissa Sanctæ Mariæ Campi Martis et sanctimoniales deferebant, per quam se asserebant a rectoribus Romanæ fraternitatis absolutas ab omni querela et molestia quam prædictarum ecclesiarum Petrus Albertini œconomus, ut in illa charta continebatur, faciebat; scilicet a domo Pauli de Nuso et infra, a domo Buccacanum et infra, a via majore quæ vadit ad turrim Armeldrigi Scorzasanti, et infra, ab utroque latere viæ, a domo monachi et infra, et a domo Benencase de Romanello et infra. Auditis utriusque partibus allegationibus diligenter examinatis, auctoritate et mandato Domini Clementis tertii papæ et cardinalium consensu et voluntate, judicamus prædictam chartam falsam esse et omni tempore viribus carere, et clericis prædictarum ecclesiarum incisam tradi jubemus, et quidquid ad ejus chartulæ falsæ confirmationem a quacunque persona factum est, domini papæ Clementis auctoritate irritamus atque cassamus. Hæc sententia data est præsentibus Agnete abbatissa Campi Martis, et Monachabus scilicet Odolina de Ravenna, Lucia, Scolastica, Theodora, Agnete, Catharina, Petro de rogata procuratore monasterii ejusdem in hac causa; ex parte vero Ecclesiarum, Octaviano archipresbytero S. Triphonis, Nicolao justo ejusdem ecclesiæ clerico, Romano archipresbytero Sancti Salvatoris de Sere, Leone Archipresbytero Sancti Nicolai de præfecto, Carisomo presbytero ejusdem ecclesiæ, Jordano de Malabranca, Corrado nepote suo, Stephano Filio Corradi. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ confirmationis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Amen.

Ego Clemens catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Albinus divina permissione. tit. S. Crucis in Jerusalem presb. card.

Ego Bobo tit. S. Anastasiæ presb. card.

Ego Alexius tit. S. Susannæ presb. card.

Ego Petrus S. Laurentii in Damaso presb. card.

Ego Jac. diac. card. S. Mar. in Cosmedin.

Ego Octavianus SS. Sergii et Bacchi diac. card.

Ego Gregorius S. Mariæ in Porticu diac. card.

Ego Bernardus S. Mariæ Novæ Diac.

Ego Joannes S. Theodori diac. card.

Datum Laterani, per manum Moysi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi et vicem agentis cancellarii, pridie Nonas Novemb., indictione VII, Incarnationis Dominicæ anno 1188, pontificatus vero domini Clementis papæ III, anno primo. Amen.

XCIII.

Privilegium pro monasterio Casinensi.

(Laterani, Nov. 19.)

[Tosti, *Storia di Monte-Casino*, II, 214.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... abbati, et monachis Casinensibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum vobis tam in capite quam in membris ab apostolica sede sit concessa libera sepultura, vobis quoque de consueta clementia ejusdem sedis, cui nullo mediante noscimini subjacere, duximus indulgendum, ut quoties pro corporibus mortuorum in processione vos exire contigerit, crucem, incensum, et aquam benedictam portandi juxta morem terræ liberæ, nullius contradictione vel appellatione obstante, habeatis de nostra licentia facultatem. Verum si aliqui contra vos causam movere voluerint quod libertatem hujusmodi non debeatis habere, in nostra præsentia suam justitiam assequantur.

Datum Laterani XIII Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno primo.

XCIV.

Casinense monasterium sub B. Petri et apostolicæ sedis protectione suscipit. Cœnobium idem, cæteris per Occidentem præferendum esse declarat. Abbatem ejusdem cœnobii in conventibus, superiorem cæteris abbatibus locum tenere ac priorem sententiam proferre decernit.

(Laterani, Nov. 21.)

[Margarini, *Bullar. Casin.*, II, 216.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Roffrido abbati monasterii S. Benedicti Casinensis ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Omnipotenti Deo cujus melior est misericordia super vitas gratias agimus, quoniam gloriosus in sanctis suis atque mirabilis est, et virtutes suas ubicunque vult, ineffabili bonitate ostendit. Ipse quippe dignationis suæ potentia beatissimum Benedictum patrem omnium constituit monachorum. Ipse enim monasticæ legis latorem et operatorem esse disposuit. Ipse illius meritis, Casinense monasterium in quo, et sanctissime vixit, et gloriosissime obiit, omnibus per occidentem monasteriis, clementi benignitate, præfecit. Quoniam igitur dignum est ut tam celebre et solemne monasterium, apostolica sedes specialius amplectatur, monasterium ipsum ad exemplar Romanorum pontificum prædecessorum nostrorum felicis memoriæ, sub sancti Petri et nostra protectione suscipimus, et

A præsentis scripti pagina communimus. Præterea prædecessorum nostrorum sanctæ memoriæ Urbani et Calixti Romanorum pontificum vestigia subsequentes, vestrumque cœnobium cæteris per occidentem cœnobiis præferendum asserimus. Et tam te quam successores tuos in omni conventu episcoporum, seu principum, superiorem omnibus abbatibus consedere, atque in judiciis priorem cæteris sui ordinis juris sententiam proferre sancimus. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, et a sacratissimo corpore ac

B sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Datum Laterani, per manum Moysi sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, vicem agentis cancellarii, X Kalend. Decembris, indictione VIII, anno Incarnationis Dominicæ 1188, pontificatus vero domni Clementis papæ III anno I.

XCV.

C *Ecclesiam S. Michaelis Nonantulanam tuendam suscipit ejusque possessiones et privilegia confirmat.*

(Laterani, Nov. 22.)

[Tiraboschi, *Storia di Nonantola*, II, 317.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Sigifredo archipresbytero et universis canonicis ecclesiæ S. Michaelis juxta Nonantulæ castrum sitæ, tam præsentibus quam futuris canonicam vitam ducentibus, in perpetuam memoriam.

Monet nos apostolicæ sedis, cui, licet immeriti, deservimus, auctoritas pro ecclesiarum statu provida circumspectione satagere, et ne malignorum rapinis vel molestiis exponantur, apostolicum ipsis patrocinium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino

D filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam S. Michaelis, in qua divino estis obsequio mancipati, ad exemplar felicis recordationis Alexandri et Urbani PP. prædecessorum nostrorum sub beati Petri et nostra protectione suscepimus, et præsentis scripti communivimus privilegio, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis ducimus exprimenda vocabulis.

Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis, et terris tam cultis quam his quæ ad cultum pervenerint; ecclesiam quoque S. Mariæ de la Banzola, ecclesiam S. Laurentii, ecclesiam S. Salvatoris, ecclesiam S. Nicolai, ecclesiam S. Mariæ del Cantone, ecclesiam S. Senesii, ecclesiam S. Mariæ de Reduto, ecclesiam S. Petri de Rubiaro, ecclesiam S. Michaelis de Senaida, ecclesiam S. Joannis de Gazo, ecclesiam S. Ambrosii, ecclesiam S. Joannis de Runco, ecclesiam S. Mariæ de Bagazzano, ecclesiam S. Joannis de Panaro, ecclesiam SS. Cosmæ et Damiani de Ravarino, ecclesiam S. Agnetis de Ronco de Præposo. Decimas quoque a bonæ memoriæ Rodulpho quondam abbate Nonant. monasterii cum consilio et assensu capituli sui a strata Claudia usque ad Portiolam, et a Mucia usque ad Panarum flumen, et ultra Panarum usque ad Fossam scuram, quidquid et quantum ab hominibus villæ prædicti fluminis seu Nonantulæ habitatoribus laboratur vel laborabitur ecclesiæ vestræ concessas, quemadmodum in privilegiis prædecessorum nostrorum felicis recordationis Sergii, Alexandri et Urbani Romanorum pontificum noscitur rationabiliter contineri, et decimas terrarum de curte de Sicco et Crepacore positarum, scilicet juxta fluvium currentem per pontem longum inferius, superius vero infra fossam, quæ dicitur Rabiosa, ex altera parte infra Bisentulum, et fossam quæ dicitur cenosa, prout eas rationabiliter acquisistis, has siquidem omnes sicut impræsentiarum canonice et pacifice possidetis vobis vestrisque successoribus auctoritate apostolica confirmamus, statuentes et penitus inhibentes ne laicis personis a quoquam in beneficium concedantur.

Præterea villa quæ dicitur Salicetum, sicut pro sollicitudine et cura, quam in divinorum celebratione officiorum, in receptione hospitum, in luminarium et architecturæ provisione, in decimis et oblationibus inter fratres dividendis, præ cæteris habere dignosceris, archipresbytero ejusdem ecclesiæ concessa est; tibi tuisque successoribus illibata permaneat. Porro ne cordi contrito et humiliato atque se suis excessibus satisfacere volenti exhibere condignam pœnitentiam denegetur, ad exemplar jam dictorum prædecessorum nostrorum super criminalibus culpis illorum, qui ad jus præfati monasterii pertinent et nulli episcopo subjecti sunt, ligandi et solvendi, cum consilio tamen alicujus religiosi et discreti episcopi, si necessitas incubuerit, liberam tibi concedimus facultatem. Antiquas quoque ac rationabiles consuetudines et libertates seu et dignitates in ecclesia vestra hactenus observatas, ratas habemus, easque perpetuis temporibus illibatas permanere censemus, et ne quis vos vel ecclesiam ipsam novis aut indebitis exactionibus aggravare præsumat, auctoritate apostolica prohibemus.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, et Nonantulani monasterii canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Clemens catholicæ Ecclesiæ episcopus ss.

Ego Joannes presb. card. tit. S. Marci.

Ego Albinus tit. S. Crucis in Jerusalem presb. card.

Ego Rodulphus tit. S. Praxedis presb. card.

Ego Bobo tit. S. Anastasiæ presb. card.

Ego Alexius tit. S. Susannæ presb. card.

Ego Bobo diaconus cardinalis S. Mariæ in Cosmedin.

Ego Gregorius diaconus cardinalis S. Mariæ in Porticu.

Ego Joannes S. Theodori diaconus cardinalis.

Ego Bernardus S. Mariæ Novæ diaconus carnalis.

Datum Laterani, per manum fratris Moysi Lateranensi canonici S. Romanæ Ecclesiæ subdiacon. vicem agentis cancellarii, x Kalend. Decembr., indictione vii, Incarnationis Dominicæ anno 1188, pontificatus vero domini Clementis papæ III anno primo.

XCVI.

Monasterii S. Martini Metensis protectionem suscipit disciplinamque ac possessiones confirmat.

(Laterani, Nov. 29.)

[*Histoire de Metz*, III, Pr., p. 144.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati monasterii Sancti Martini Metensis ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus apostolicam convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit! sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus annuentes, præfatum beati Martini Metensis

monasterium in quo, auctore Deo, divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et apostolicæ sedis privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Deum et Beati Benedicti Regulam in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea, quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Conductum ecclesiæ Sancti Martini cum decima, et totam decimam perticarum, et . . . . . . terræ, et villam ipsam cum boum et centania; conductum ecclesiæ de Hatrise (*Hatrize*) et mansum unum; et capellam de Valleroi; capellam Sancti Juliani cum atrio; allodium de Wazumaitul, et molendinum et terram de Burtville (*Burville*), et de Boumont (*Beaumont*); conductum ecclesiæ de Abbatisvilla (*Abbeville*), villam ipsam cum banno, totam decimam sartacionum et apum; conductum ecclesiæ de Sauneio (*Sauny*); conductum ecclesiæ de Vineolis (*Vigneules*), cum tota decima perticarum, medietatem decimæ ultra rivulum et villam ipsam cum banno; conductum Sancti Hilarii Metensis; conductum ecclesiæ de Otranges, tertiam partem villæ cum banno, capellam ipsius loci et decimam perticarum; conductum ecclesiæ de Guelanges (*Gueblanche*), et duos jornales terræ; conductum ecclesiæ de Mayaco (*Maye*), ecclesiæ de Guen (*Goin*), ecclesiæ de Faumacres (*Famech*) cum capella de Morlanges; conductum ecclesiæ de Celleio (*Sailly*) cum capellis, et de Juez decimam indominicatæ terræ; conductum ecclesiæ de Luceio (*Lucy*) cum tota decima laborum, fructuum, et villam ipsam cum banno; capellas cum oblationibus Sancti Christophori, Sanctæ Mariæ de Buis (*Bey*), Braconis vallis (*Baronville*), villam ipsam cum banno, decimam a regia superius sartacionum et opum; etiam decimam indominicatæ terræ de Scholanges, et villam ipsam cum banno; conductum ecclesiæ de Buseio (*Busy*), cum capellis et totam decimam perticarum et indominicatæ terræ ducis, et decimam de duabus domibus quæ sunt in atrio, et ex ipsis quatuor denarios, et de duobus molendinis quatuor denarios; duas partes oblationum in festivitate Omnium sanctorum, Nativitate Domini et in Pascha; duas etiam partes de eleemosynis defunctorum, infra octo dies Paschæ, et infra tredecim dies Natalis Domini, vel in ipso die omnium sanctorum; et quatuor solidos, et quartarum annonæ pro manso uno, pratum indominicatum, et de sartatione et decima pascationis porcorum quatuor solidos; et totam decimam indominicatæ terræ Sanctæ Mariæ Virdunensis; apud Moulins mansum unum cum banno; potestatem Mauridomus cum capella; totam decimam molendinorum, pratorum et omnium laborum fratrum et sartationum, et totam decimam nutrimentorum fratrum et de indominicatis terris et de accingiis quartariis ad manus abbatum venientibus; similiter de Busiaco totam decimam nutrimentorum domus et regalis fisci; et sicut de Mauridomo decimam de accingiis et quartariis ad manus abbatum venientibus, laborum fratrum, molendinorum, pratorum et quatuor denarios pro palo de Chinel; ecclesiam de Condeto, cum capellis de Wormeranges et Sancti Germani, et villam ipsam cum banno; piscaturam ab Arnulphi fonte usque Astat, et Conis usque ad Bruscas; et apud Vy sexdecim mensuras salis et sex solidos, et dimidium pro manso uno; libertatem etiam in ministerialibus creandis, vel amovendis, et totam decimam indominicatæ terræ quæ ad ecclesiam ipsam pertinet; et de angeria triginta denarios in villa Sancti Martini, et in Vineolis, et in Otranges pro quolibet manso; in Abbatisvilla etiam duos solidos; in aliis villis, tantum de angeria, quantum de censu, in festo Sancti Martini; libertatem quoque tam atrii memoratæ ecclesiæ Sancti Martini, quam omnium grangiarum suarum, ab omni exactione et procuratione advocatorum; a pastore de Buseio duos solidos; similiter de Atrise, de Famacres, de Guelanges, de Otranges, de Guen et de Cerleio. Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Sepulturam quoque ipsius monasterii liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva justitia ecclesiarum illarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem et beati Benedicti Regulam, duxerint eligendum; chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes monachorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, sive clericorum ejusdem monasterii cellis vel ecclesiis pertinentium, a diœcesano suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit et gratiam atque communionem apostolicæ sedis habuerit, et si ea gratis et sine pravitate exhibere voluerit, alioquin ad quemcunque malueritis antistitem recurratis qui nostra fultus auctoritate, quod postulatur indulgeat.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum cœnobium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut injuste datas suis usibus vindicare, temere seu temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac

sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, et diœcesani episcopi canonica justitia.

Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat.

Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Joannes, presbyter cardinalis titulo Sancti Marci.

Ego Pandulphus, presbyter cardinalis Basilicæ XII Apostolorum.

Ego Albinus, presbyt. card. Sanctæ Crucis in Jerusalem.

Ego Rodulphus, tit. Sanctæ Praxedis, presbyter card.

Ego Bob. tit. S. Anastasiæ presb. card.

Ego Alexius, tit. S. Susannæ presb. card

Ego Jacobus, diaconus cardinalis Sanctæ Mariæ in Cosmedin.

Ego Octavianus, Sanctorum Sergii et Bacchi diac. card.

Ego Gregorius, beatæ Mariæ in Porticu, diac. card.

Ego Joannes Sancti Theodori diac. card.

Ego Bernardus Sanctæ Mariæ Novæ diac, card.

Ego Gregorius Sanctæ Mariæ in Aquino diac. card.

Datum Laterani per manum Moysi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, vicem agentis cancellarii, III Kal. Decembris, indict. VI, Incarnationis Dominicæ anno 1188, pontificatus vero domni Clementis papæ III, anno primo.

XCVII.

B[alduino], archiepiscopo Cantuariensi, præcipit, ut monachis Cantuariensibus quæ abstulerit intra dies XL *restituat. Privilegia et sedis apostolicæ et Ecclesiæ Cantuariensis in constituendo priore novo lædi vetat; alioquin R[adulfum], presbyterum cardinalem tit. S. Praxedis, legatum suum, severitate usurum ostendit.*

(Laterani, Dec. 10.)

[GERVASII *Chron.* ap. TWYSDEN *H. A. Scr.*, I, 1537.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri B. Cantuariensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Quanto in Ecclesia Dei scientiæ munere et religionis præemines honestate, dignitatis apicem in partibus Anglicanis obtines ampliorem tanto decet charitatem tuam vigilantiori studio a subjectorum injuriis vel oppressionibus temperare, et his postpositis quæ justitiæ pulchritudinem decolorant, odoremque bonæ opinionis exstinguunt, obedientiam et reverentiam debitam majoribus exhibere. Unde non sine causa miramur quod, sicut nobis proponitur, post appellationem ad sedem apostolicam factam, et bonæ memoriæ prohibitionem Urbani prædecessoris nostri, adeo circa novæ capellæ constructionem et alia multa manus tuas in Ecclesiæ tibi commissæ fratrum molestias aggravasti, ut nihil eis de interpositæ appellationis remedio accessisse, prout ratio juris expostulat existimetur, nec tu honori sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matris tuæ videaris prout oportuit detulisse. Licet autem propositum nobis sit fraternitati tuæ, quantum cum Deo possumus deferendi, et personam tuam in omnibus quæ ex officio nobis incumbunt, statuerimus honorare, quia tamen eorumdem fratrum pressuras pariter et clamores cum bona conscientia præterire clausis oculis nec possumus, nec debemus, fraternitati tuæ de consilio fratrum nostrorum per apostolica scripta mandamus et districte præcipimus quatenus, contradictione et occasione postposita, eo etiam non obstante si te abesse contigerit ab Ecclesia, quidquid post appellationem ad sedem apostolicam factam, vel prædecessoris nostri prohibitionem in opere capellæ actum est, non differas demoliri, revocans et deducens prorsus in irritum, quidquid de instituendis canonicis et aliis circa capellam factum est et perperam innovatum. Eos etiam qui post inhibitionem sæpedicti prædecessoris nostri in capella ipsa divina officia celebrare præsumpserunt, donec condignam nobis satisfactionem exhibeant, ab officio et beneficio habeas interdictos. Ministros conventus quos post appellationem interpositam amovisti, quos et idem prædecessor noster restituit habeas restitutos, et eos quos pariter post appellationem interpositam excommunicare vel suspendere voluisti, habeas nihilominus absolutos, et universa quæ post appellationem ipsam in eorum gravamen attentata sunt, in invasione videlicet villarum et possessionum suarum, reddit27uum quoque et aliorum quæ ante appellationem habuerant, et ablatione similiter aliarum rerum, in statum pristinum, appellatione et contradictione cessante, reducas. Ad hæc quia, secundum formam juris, post appellationem nihil est innovandum, volumus et præcipimus ut pendente judicio in eorumdem fratrum detrimentum circa statum monasterii nihil omnino satagas immutare. Nihilominus præcipiendo mandantes, ut omnia quæ ipsis monachis a tempore promotionis tuæ, vel post appellationem vel ante absque juris ordine illicite abstulisti, in ecclesiis, exeniis, villis, possessionibus, redditibus, seu rebus aliis, cum congrua recompensatione fructuum postea illicite perceptorum, et libertatibus et administratione competenti et libera, infra XL dies post harum ro-

ceptionem litterarum restituere non moreris. Ipsis quoque monachis præcipiendo mandamus, ut si ab eodem tempore aliqua contra jus tuum et honorem præsumpserint, satisfactionem tibi, appellatione remota, exhibeant competentem. Quia vero prior monasterii in prosecutione negotii concessit in fata, volumus et præcipiendo mandamus ut in institutione prioris, contra privilegia sedis apostolicæ et Regulam beati Benedicti et consuetudinem Ecclesiæ hactenus observatam non procedas, et si feceris, appellatione remota non differas revocare, nullis litteris obstantibus a sede apostolica impetratis. Alioquin dilecto filio nostro R. titulo Sanctæ Praxedis presbytero cardinali apostolicæ sedis legato dedimus in mandatis, ut apostolica auctoritate te et omnes contradictores, et monachos ipsos, si rebelles exstiterint, ad hoc remoto appellationis obstaculo, ecclesiastica districtione compellat.

Datum Laterani, IV Idus Decembris, pontificatus nostri anno primo.

XCVIII.

Monasterium S. Nicolai de Frutino tuendum suscipit ejusque disciplinam, possessiones et privilegia confirmat.

(Laterani, Dec. 12.)

[D. Erasmi GATTULA, *Supplem. historiæ Cassinensis*, tom. 1, p. 200.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati S. Nicolai in Trotino, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Quoties nobis........ Religioni et honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus annuentes, præscriptum monasterium S. Nicolai quod ad jus seu provisionem Cassinensis monasterii pertinet sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, in primis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui in ipso monasterio secundum Dei timorem, et S. Benedicti Regulam atque institutionem prædicti monasterii Cassinensis institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea, quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, et illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

Ecclesiam S. Martini juxta ipsum monasterium, ecclesiam S. Jacobi, turrem de Summosano cum ecclesia S. Mariæ, tenimentum in Gardeto, et Laterneto, casale de Tocsano cum ecclesia S. Mariæ, castellum de Cerreto cum ecclesia S. Angeli, castellum de Nepocsano cum ecclesia S. Martini, A ecclesiam S. Salvatoris in Rusticiliane, ecclesiam S. Sylvestri, ecclesiam S. Scholasticæ, ecclesiam S. Mariæ in Camerone, ecclesiam S. Mariæ de Biensa, tenimentum in Artesano, et in Pucsatello, tenimentum juxta Salanellum cum uno molendino in arenariæ, tenimentum terræ mille modiorum, tenimentum in Velleri; et in Allano portionem Gerardi de Totonis Frum, de castello Velleri, cum ecclesia S. Angeli intus etiam in ipso castello, et per diversa loca terræ modia mille, Pojum de Festagiano cum ecclesia S. Savini, Pojum de Varano cum ecclesia S. Juvenalis, ecclesiam S. Petri ad Allianum, ecclesiam S. Andreæ, ecclesiam S. Felicis ad Tullianum cum pertinentiis suis, in Calducso, ecclesiam S. Salvatoris cum casale suo, B Pojum de Spoltino cum pertinentiis suis; Pojum de Botunto cum ecclesia S. Petri, et omnibus pertinentiis, et unum sedium Molendini.... insulam de Ficu, tenimentum in Arn..... collem de Ascutula, cum duobus Molendinis casalem de Aven.... tenimentum in pla..... et in Sportellis, tenimentum in Pacsano, et in plano de Mortula terram duo millia modiorum, tenimentum in Paragano, et in Monteaureo, tenimentum in Sorbellis, et in Grecana, tenimentum in Cerritulo, et in Fontejano, tenimentum in Nepocsano, in Vi o de Naretulo, et Moserano in Aprutio; quartam partem de Collerotundo, quartam partem de Frundarolo et duodecim mansiones hominum, cum ecclesia S. Angeli ad Saldinum, et ecclesiam S. Salvatoris, et S. Crucis ad C Scilianum, tenimentum de Oferano, centum modia terræ in Roccha de Cameliano, ecclesiam ad Cellas, et ecclesiam S. Petri, et tenimentum per diversa loca modiorum mille, castellum de Montino cum pertinentiis suis, curtem de Cabiano cum ecclesia S. Nicolai, et omnibus pertinentiis suis, castellum de Oregnano cum introitu et exitu suo, ecclesiam S. Mariæ et ecclesiam S. Petri cum pertinentiis de Pacsano; et in campo Nerino, et Fageto modiorum mille, tenimentum in Paterno, et Ancarano, castellum de Carrusa, et ecclesiam S. Angeli cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam S. Martini in Barano cum pertinentiis suis, ecclesiam S. Donati in campo Nerino, ecclesiam S. Martini in Galegnano D cum pertinentiis suis, ecclesiam S. Flaviani in Torano cum pertinentiis suis, in Colondelle ecclesiam S. Salvatoris, et duodecim mansiones hominum in pertinentiis castelli de Cosenulis, ecclesiam S. Martini cum pertinentiis suis, ecclesiam S. Joannis de ad Gavanne cum pertinentiis suis. In ejusdem pertinentiis ecclesiam S. Felicitatis cum curte sua, tenimentum ad Pat., tenimentum in Ripa Alta, ecclesiam S. Benedicti de Cablano cum pertinentiis suis, castellum Montorii ad mare cum ecclesia S. Salvatoris; in Tortoreto, Pojum Oddonis, cum ecclesia S. Liberatoris, Pojum de Foreman, cum ecclesia S. Angeli, Pojum de Tassello cum pertinentiis suis, et cum uno molendino in Bibrata, tenimentum de Laciano cum ecclesia S. Pardi, te-

rimentum in Ponesano cum littore maris in piscatione sua. In tentorium Tor..... et pertinentiis suis donationes Transmundi comitis....... cum ecclesia S. Crucis, castellum de Monticulo cum ecclesia S. Pauli, ecclesiam S. Vitalis cum pertinentiis suis, ecclesiam S. Stephani ad Cesule, ecclesiam S. Gervasii, ecclesiam S. Laurentii cum castello de Patemo, ecclesiam S. Angeli in Cucero, ecclesiam S. Laurentii ad Monianum cum tenimentis suis, ecclesiam S. Mariæ in Romeliano cum pertinentiis suis, castellum de Casa Domnica cum duobus molendinis, curtem de Antojano in integrum cum ecclesia S. Crucis, ecclesiam S. Petri ad Opacum cum pertinentiis suis, ecclesiam S. Flatiani, ecclesiam S. Joannis in castello de Ripa, ecclesiam S. Joannis ad Baeclianum, cum castellis et pertinentiis de Cacsiano, diversa tenimenta in territorio de Podio, ecclesiam S. Victoriæ, ecclesiam S. Ægidii, et S. Rustici cum pertinentiis suis, castellum de Pharaone cum pertinentiis suis, in comitatu Pinnehen. In territorio de Bassano tenimentum quoddam cum uno molendino in fluvio de Maone, ecclesiam S. Joannis de Gaminaro cum pertinentiis suis, ecclesiam S. Mariæ super ipsam ecclesiam S. Joannis, ecclesiam S. Crucis de Scafeniano, Pojum S. Angeli de Camarda cum ecclesia S. Angeli et S. Savini, et terræ per diversa loca modiorum duo millia, curtem de Cæseriano cum tenimentis suis, ecclesiam S. Petri ad Collealtum cum uno molendino, ecclesiam S. Mariæ ad Eubillos, curtem in Albeto cum tenimentis suis, tenimentum in Cæsellijano, in fluvio Magone, et rivo de Temerino, ecclesiam S. Cassiani, cum curte, et omnibus pertinentiis suis, ecclesiam S. Petri, et S. Crucis de Monte, ecclesiam S. Agnetis, ecclesiam S. Joannis, ecclesiam S. Andreæ de Collegræco cum cellis et pertinentiis suis, ecclesiam S. Salvatoris de Castellis cum castello suo, ecclesiam S. Martini in loco, qui dicitur ad Cæselian. et Pacsanum, ecclesiam S. Martini in campo de Jove, ecclesiam S. Petri in loco qui dicitur Valdaresco, et in rivo Eutoso, et S. Mauro, et ficu Nereca juxta fluvio fine, castellum, de Genestrule, cum ecclesia S. Nicolai, Pojum de Pecsano, cum terris de Roceto modiorum tria millia, ecclesiam S. Victorini, S. Salvatoris et S. Sylvestri, ecclesiam S. Mariæ in loco qui dicitur Genestrule, ecclesiam S. Salvatoris in Bifero cum pertinentiis suis, ecclesiam S. Crucis in Cerreto, ecclesiam S. Martini in Solenianum, insulam de Marnarolo cum tenimentis suis, ecclesiam S. Mariæ de Casaleneja cum pertinentiis suis, ecclesiam S. Donati....... cum pertinentiis suis. In Termulis, ecclesiam S. Pauli de...... Actico, tenimentum de Petacsato cum aqua. et piscatione maris, ecclesiam S. Georgii de Montecello in territorio Esculano, curtem de Morule cum ecclesia S. Salvatoris ad locum qui dicitur Ableto, et tenimentum per mensura ducentorum modiorum, curtem de Tolloman. cum tenimentis suis, ecclesiam S. Savini cum pertinentiis suis; in loco qui dicitur Frisian., ecclesiam S. Vincentii cum pertinentiis suis et uno molendino in flumicello, castellum de Pecsano cum ecclesia S. Salvatoris, Pojum de Petra Capellata, cum ecclesia S. Petri, ecclesiam S. Archangeli in Poppleto cum terris duo millia modiorum, castellum de Ancarano cum ecclesia S. Mariæ, et terris modiorum mille in marchia, ecclesiam S. Benedicti in Salbuceto, juxta fluvium Tisinum, ecclesiam S. Paratiadæ cum casale suo, ecclesiam S. Mariæ in Silvis, cum pertinentiis suis; in Ajello, ecclesiam S. Crucis, ecclesiam S. Apollinaris, ecclesiam S. Valentini, ecclesiam S. Petri in Cerreto, ecclesiam S. Quirici juxta fluvium Menoccle, ecclesiam S. Petri in Lamentian. cum pertinentiis suis, ecclesiam S. Mariæ in Libiano, ecclesiam S. Bartholomæi in campo Fullonis cum pertinentiis suis; sane novallum vestrorum quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de mentionatis........ exigere, vel extorquere præsumat; liceat quoque vobis clericos......, liberos, et absolutos ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere.

Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis, clausis januis, exclusis interdictis et excommunicatis, non pulsatis campanis, suppressa, voce divina officia celebrare. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum, post factam in eodem loco professionem, fas sit nisi arctioris religionis obtentu, sine abbatis sui licentia de eodem loco discedere, discedentem vero absque communium litterarum cautione, nullus audeat retinere. Interdicimus etiam ne vos vel ecclesiarum vestrarum sæculares personæ vexationibus, vel exactionibus aliquibus inquietare audeant, aut in vos, vel in ipsarum ecclesiarum exerceant, potestatem........ et inquietin. aux. religionis propositum, quod sumpsistis divinis possitis obsequiis imminere. Sepulturam...... ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni, et extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati, vel interdicti sint, nullus obsistat.

Decrevimus ergo ut nulli omnino hominum fas sit præfatum monasterium temere perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, et prædicti monasterii Cassinensis debita obedientia et reverentia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat; cunctis

autem....... servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi quatenus et fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Clemens catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Joannes tit. S. Marci. presb. card.

Ego Laborans card. presb. Sanctæ Mariæ trans Tyberim tit. Calixti.

Ego Pandulphus presb. card. Basilicæ XII Apostolorum.

Ego Jacobus diaconus card. S. Mariæ in Cosmedin.

...... SS. Cosmæ et Damiani diac. card.

...... Sergii et Bacchi diaconus card.

Ego Joannes Sancti..... card

Ego Bernardus S. Mariæ Novæ diac. card.

Datum Laterani, per manum Moysi S. R. E. subdiaconi vicem agentis cancellarii....... septima, anno Incarnationis Dominicæ 1188, pontificatus vere domini Clementis papæ III anno primo.

XCIX.

Pacem a Petro S. Cæciliæ presbytero et Sofredo S. Mariæ in Via Lata diacono cardinalibus conciliatam inter Pisanos et Januenses, confirmat.

(Laterani, Dec. 12.)

[Tronci, *Mem. di Pisa*, 152.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filijs consulibus et populo Pisanæ diœcesis, in perpetuum.

Inutiliter inter discordantes compositiones siccæ sententiæ proferentur, si ad memoriam posterorum non redigerentur in scriptum, et ad recidivæ contentionis scrupulum certandum eis omnes disceptandi aditus clauderetur. Eapropter, dilecti in Domino filii, paci vestræ et tranquillitati in posterum providere volentes, compositionem quæ inter vos et dilectos filios nostros consules, et populum Januensem et civitates vestras per dilectos filios Petrum tit. S. Cæciliæ presbyterum, et Sofredum S. Mariæ in Via Lata diaconum, cardinales apostolicæ sedis legatos, est provide confirmata, sicut in eorum authentico continetur, et ipsa est a partibus sine pravitate recepta, et juramento firmata, devotioni vestræ duximus confirmandam, auctoritate apostolica statuentes ut futuris temporibus inviolabiliter observetur. Quam etiam juxta prædictorum cardinalium scriptum authenticum, præsenti paginæ duximus inserendam de verbo ad verbum, cujus tenor talis est, videlicet:

« Petrus Dei gratia tit. S. Cæciliæ presbyter, et Sofredus Sanctæ Mariæ in Via Lata diaconus cardinalis apostolicæ sedis legati, universis Dei fidelibus in pace et dilectione colen. pacis et dilectionis amorem.

« Inter cætera, quæ summo pontifici, utpote Patri et pastori universalis Ecclesiæ, imminent ex officio pastoralis sollicitudinis exsequenda, curam *ad hoc* tenetur gerere specialem, ut materia seditionis, et scandali, prorsus tollatur de medio, et tranquillitas inter Dei fideles per Christi gratiam et ejus sollicitudinem conformetur. Hac igitur consideratione inducti, et specialiter habentes ad subventionem terræ sanctæ respectum, felicis recordationis PP. Gregorius primo, et subsequenter eidem substitutus venerabilis Pater universalis Ecclesiæ Clemens per se, et sibi subditos instantissime laborarunt, ut inter Pisanos, et Januenses, quos iniqua, et periculosa guerrarum seditio diutius non absque suo et aliorum discrimine fatigaverat, per bonum pacis ad plenum possent, auxiliante Domino, reformari. Instanter proinde commoniti consules Pisanorum juraverunt, prout prædicto domino papæ Clementi placuit, super omnibus controversiis quæ inter Januenses et Pisanos vertebantur, stare mandatis ejus, quæcunque per se ipsum, vel per certos nuntios, aut litteras suas eis imponeret. Et nobiles prudentesque viri Nicolaus et Picchius, nuntii Januensium consulum, continuo hoc idem in animam ipsorum consulum juraverunt. Quo facto gratanter pacis osculum ad invicem sibi dederunt. Dominus papa autem de communi consilio suorum fratrum incontinenti præcepit ipsis Januensibus, ut mille de civibus suis, quos Pisani eligerent, ut unum hominem in animam totius populi eodem modo facerent pacem juramento firmare. Similiter etiam præcepit ipsis Pisanis, ut mille de civibus suis, quos Januenses eligerent, ut unum hominem in animam totius populi eodem modo facerent juramento firmare, quod per Dei gratiam feliciter adimpletum est. Super hoc ergo solitam et paternam gerens sollicitudinem summus pontifex ad imponendum finem supradictis litibus et controversiis, nos, licet insufficientes et immeritos, de communi fratrum consilio specialiter destinavit, certam in nonnullis articulis formam definiendi præfigens.

« De speciali itaque apostolicæ sedis mandato, mercandi, imo fœnerandi detestabile genus, quod donnicalia consuevistis nomine palliare in Sardinia penitus irritamus, vobis et Januensibus præcipientes sub debito juramenti, ne præteritis hujusmodi contractibus aliquid addatis, vel ulterius de novo taliter præsumatis inire : licentiam tamen habetis ea absque omni dolo et fraude colligere, quæ vobis et tali mercatione debentur. Præcipimus etiam vobis Pisanis, ne quovis ingenio aliquod impedimentum præstetis, quominus Januenses universa pignora et possessiones quas in Sardinia habent, vel habere debent, et præcipue pignora Bartolum q. regis Arboreæ quiete et pacifice teneant, quousque ipsis de sorte plenaria fuerit satisfactum. Hoc ipsum vobis Januensibus de pignoribus, et possessionibus Pisanorum sub districtu simili præcipimus observandum. Vobis quoque Pisanis districte sub debito juramenti præcipimus, ne aliquod per vos vel per alios præstetis impedimentum, quominus universi judices Sardiniæ, et decem de magnatibus et potentioribus in unoquoque judicatu, et interposito

juramento, promittant omnimodam securitatem Januensibus, et universis de eorum districtu in terra, et aqua, et ubicunque habent posse, et facultatem, et ut de suis hominibus, quoties Januenses contra ipsos querimoniam deposuerint, faciant eis justitiæ plenitudinem exhiberi, nec impedimento sitis, quominus prædicta juramenta securitatis in terra, et in mari firma et illibata serventur. Vobis etiam tam Januensibus quam Pisanis in commune præcipimus sub debito juramenti, ut liberam vobis adinvicem promittatis habere facultatem, atque licentiam per pelagus quocunque volueritis navigandi, et ad portum quemcunque volueritis applicandi, et exinde mercimonia transvehendi.

Præterea vobis Pisanis sub debito juramenti præcipimus, ne Januenses prohibeatis ad civitatem et alia loca de districtu, et fortia vestra libere accedere, et apud vos, sicut amicos, negotiari; salvis decretis ab utraque civitate absque malitia factis. De cæteris autem capitulis id statuentes præcipimus observandum, ut si qua partium se in aliquo senserit prægravatam, et voluerit justitiam postulare, illa pars contra quam fuerit querela deposita, de plano, sine omni dolo et absque ulla malitiosa dilatione, et quolibet maligno subterfugio, coram judicibus sive arbitris ab utraque parte electis, ei parti quæ conquesta fuerit, exhibeat justitiæ complementum : sententias quoque quas prædicti judices, sive arbitri, duxerint promulgandas, præcipimus utrique parti, ut consules suos faciant intra quadraginta dies a tempore latæ sententiæ numerandos fideliter, et sine fraude exsecutioni mandare. Et ut hoc, quod statuimus debitum sortiatur effectum, præcipimus ut Januenses de civitate Pisana, et Pisani de civitate Januense ab hodie intra menses duos, vel plures, si voluerint, judices sive arbitros eligant, qui interposito juramento promittant se, quod prædiximus de justitia facienda, fideliter adimplere. Ut autem, quod in fine ponitur, melius memoriæ commendetur, et tam hoc quam supradicta omnia firmius observentur sub debito juramenti vobis Januensibus et Pisanis districte præcipimus, ut firmam et perpetuam inter vos de cætero pacem teneatis, et ubique tam in terra quam in mari inconcusse servetis, et in nullo in personis, vel rebus studiose vos præsumatis offendere. Hæc autem juramenta pacis per majores consules civitatis singulis annis, et per trecentos idoneos viros, quos Pisani de civitate Januense, et alios trecentos, quos Januenses de civitate Pisana duxerint eligendos, qui tamen pacem istam specialiter non viratim habuerint, et per unum publicum hominem in animam totius populi, præsente et acclamante populo de sexto in sextum annum præcipimus innovari.

Statuimus quoque ut consules sive rectores, qui pro tempore fuerint in alterutra civitate, prædicta innovationis juramenta exigant, recipiant et faciant sine dolo et fraude præstari. Si vero, quod Deus avertat! contra pacem supra firmatam pro commune alterutrius civitatis contra alteram offendendo fuerit foris factum, pace in suo robore permanente, per archiepiscopos utriusque civitatis et duos viros jurisperitos, quos ipsi archiepiscopi elegerint, sine dolo et fraude, et malitiosa dilatione in integrum emendetur offensa. Illi autem jurisperiti, quos archiepiscopi secum elegerint, statuimus, ut jurent, quod bona fide cum ipsis archiepiscopis ad reformationem pacis laborabunt; et statuimus atque præcipimus ut consules civitatum, juxta quod archiepiscopi ordinaverint, fideliter et bona fide studeant observare, adimplere et exsecutioni mandare.

« Statuimus etiam ut consules illorum mercatorum, qui ad diversas provincias destinantur, jurent quod de querimoniis, quæ ad eos deferrentur, bona fide justitiam facient, et executioni mandabunt, et ad pacem inviolabiliter observandam absque omni fraude studium adhibebunt, et operam efficacem.

« Hæc omnia supradicta ex parte domini papæ et auctoritate. Qua de mandato ejus fungimur, in hac parte vobis consulibus Pisanis et Januensibus, et per vos universitati civitatum vestrarum, quarum vicem de mandato ipsarum geritis, in hac parte mandamus atque præcipimus ut ad bonum et purum intellectum perpetuo et inviolabiliter observetis. Ut autem hæc definitio, et statutum nostrum perpetuam firmitatem et irrevocabile robur obtineat præsenti scripto et sigillorum nostrorum munimine vobis tradimus insignitum.

« Data et recitata est hæc sententia in Lucana civitate, in curia domini episcopi Lucensis, præsentibus eodem domino Guillelmo episcopo Lucense, et Alcherio Vecchii Lucense potestate, et Donato de Ricottis, et Locterio Bernardi ejus consiliariis, et Bonfilio ejusdem Lucanæ civitatis publico cancellario, et Forteguerra, et Rolando Guarmignani, et Jacobo de Cervasiis jurisperitis, et Salamoncello, et Ildebrandino filio Malpilii, et Borcaino Alteminello de Alteminellis, Batroso, Guidone Uberti de Fralmo, et Ildebrando de Goltellis egregiis Lucensibus consulibus, et Gargosso de Alica, et aliis pluribus nobilibus Lucanæ civitatis concivibus et multis aliis Lucani populi, et præsentibus Pisanis consulibus, videlicet Ugone Alde vicecomite, Ildebrando Bambone, et Vitale Gattabianca, et Lamberto olim Rainerii Pandulphi, et Philippo olim Vernagalli et Pipino olim Henrici Friderici; et præsentibus viris sapientibus civitatis Pisanæ scilicet, Bulgherino vicecomite olim Ugonis, et Uguccione olim Lamberti Bononis, et Gaetano Burgundi, et Bulso olim Petri Albitonis, et Gulielmo filio Gerardi Seretti, et Ugone olim Bernardi Marignani judice, et notario; præsentibus quoque Nicola Ebriaco Jannense consule, et Nuccelone viro utique sapiente, et Guglielmo Caligopalli publico Januense cancellario. Anno autem Incarnationis Dominicæ 1188, indictione VI, Nonas Julii. »

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum li-

ceat hanc paginam nostræ constitutionis, et prædictorum fratrum nostrorum sententiæ paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire præsumpserit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei ac Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinæ subjaceat ultioni.

Cunctis autem prædictam compositionem et pacem servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Clemens catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Joannes tituli S. Marci presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Laborans presbyter cardinalis Sanctæ Mariæ trans Tyberim tituli S. Calixti subscr.

Ego Pandulphus presbyter cardinalis basilicæ XII Apostolorum, subscr.

Ego Albinus tituli S. Crucis in Jerusalem presbyter cardinalis subscr.

Ego Alexander presb. card. tit. Sanctæ Susannæ subscr.

Ego Hiacynthus Sanctæ Mariæ in Cosmedin diac. card. subscr.

Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani diac. card. subscr.

Ego Octavianus SS. Sergii et Bacchi diac. card. subscr.

Ego Gregorius S. Mariæ in Porticu diac. card. subscr.

Ego Joannes Felix S. Eustachii diac. card. juxta templum Agrippæ subscr.

Ego Joannes Sancti Theodori diaconus cardinalis subscr.

Ego Bernardus Sanctæ Mariæ Novæ diac. card. subscr.

Ego Gregorius Sanctæ Mariæ in Aquiro diaconus card. subscr.

Datum Laterani, per manum Moysi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, vicem agentis cancellarii, II Idus Decembris, anno 1188, pontificatus vero Clementis papæ III anno primo.

C.

Privilegium pro Roffrido abbate Cassinensi.

(Laterani, Dec. 13.)

[D. Tosti, *Storia di Monte-Casino*, II, 214.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, in quorum episcopatibus sunt ecclesiæ, et alia bona monasterii Cassinensis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum monasterium Cassinense inter alia monasteria magnæ sit dignitatis, et nominis, et ad Romanam Ecclesiam nullo mediante pertineat, circa statum ejus communi et speciali debito vigilare nos convenit, et ipsius jura pastoralis sollicitudinis studio conservare, ne de minori possemus diligentia reprehendi, si bona ejus aliquorum pateremur violentiis, vel rapinis exponi. Hac itaque consideratione inducti ad exemplar prædecessorum nostrorum dilecto filio nostro R. Cassinensi abbati per privilegium fratrum nostrorum subscriptionibus roboratum duximus indulgendum, ut in malefactores monasterii sui, si archiepiscopi vel episcopi, in quorum episcopatibus habitant, secundo vel tertio requisiti de ipsis justitiam facere noluerint vel distulerint, ecclesiasticam sententiam proferendi de auctoritate nostra libere habeat facultatem. Inde est quod fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus de malefactoribus præscripti monasterii parochianis vestris, de quibus idem abbas vel fratres ejus, vel ipsorum nuntius apud vos querimoniam deposuerint, dilatione, et conditione cessante, districtam justitiam faciatis, vel sententiam, quam idem abbas in eos juxta indulgentiam sedis apostolicæ dederit, sublato appellationis obstaculo firmiter observetis, et usque ad dignam satisfactionem jubeatis ab omnibus observari. . . . . .

Datum Laterani, Idibus Decembris pontificatus nostri anno primo.

CI.

Privilegium pro monasterio S. Petri Massæ montis Neronis.

(Laterani, Dec. 15.)

[Ughelli, *Italia sacra*, II, 814.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Miloni abbati S. Petri Massæ montis Neronis, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Religiosis desideriis, etc. Præfatum monasterium in vestro territorio constitutum et in allodio beati Petri constructum, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuimus, ut ordo monasticus, qui ibi secundum Deum et Beati Benedicti Regulam institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, etc., *usque* exprimenda vocabulis : In comitatu Corcellano ecclesiam S. Mariæ in Sorripule, ecclesiam S. Andreæ in Petroniano, ecclesiam S. Christophori in Barbiano; in comitatu Senogalliensi ecclesiam S. Bartholomæi cum pertinentiis suis; in comitatu Eugubino ecclesiam S. Agathæ in capite; ecclesiam S. Mariæ in Villano, ecclesiam S. Mariæ in Belforte, ecclesiam S. Sylvestri in Testo cum pertinentiis earum. Ad instar etiam prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Benedicti, atque Joannis Romanorum pontificum confirmamus vobis quidquid infra præscriptos

fines in præsenti indictione septima possidere videmini, et infra hos fines. A primo latere terra Calliensis, a secundo aqua Glaciata, a tertio vallis Major, a quarto aqua, quæ vocatur Partita, a quinto terra Major, a sexto terra Lucelana. Necnon concedimus vobis, et confirmamus terram, quæ vestro monasterio in Massa montis Neronis pertinere videtur, salvo nimirum jure, atque dominio sanctæ R. E., cui Deo auctore deservivimus, cujus juris supradicta omnia existunt, consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinationes clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a quocunque malueritis episcopo recipietis (siquidem Catholicus fuerit, et gratiam atque communionem apostolicæ sedis habuerit, et id vobis absque pravitate impendere voluerit) alioquin quemcunque malueritis antistitem, qui nostra fultus auctoritate, quod postulatur impendat. Sepulturam quoque loci ipsius liberam esse sancimus, ut eorum donationi, et extremæ voluntati, qui illic sepeliri deliberaverint (salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora efferuntur).

Decernimus ergo ut nulli omnino, etc. Si qua igitur, etc.

Cunctis autem. etc. Amen, amen.

Ego Clemens catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Joannes tituli Sancti Bacchi presbyter cardinalis.

Ego Laborans tituli Sanctæ Mariæ trans Tyberim, tit. Calixti.

Ego Pandulphus presb. card. Basil. XII Apostolorum.

Ego Albinus tit. S. Crucis in Hierusalem presb. card.

Ego Bobo tituli Sanctæ Anastasiæ presbyter cardinalis.

Ego Alexander tituli Sancti Sylvestri presbyter card.

Ego Jacobus diaconus cardinalis S. Mariæ in Cosmedin.

Ego Gratianus Sanctorum Cosmæ et Damiani diaconus card.

Ego Gregorius Sanctæ Mariæ in Porticu diac. card.

Ego Bernardus Sanctæ Mariæ Novæ diaconus card.

Datum Laterani, per manum Moysi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, vicem gerentis Cancellarii, XVIII Kal. Januar. ind. VII, anno Incarnationis Dominicæ 1188, pontificatus vero D. Clementis papæ III anno primo.

CII.

(*Ad preces Petri episcopi omnia privilegia quæ Romani pontifices Signinæ Ecclesiæ quondam indulserant confirmat, ubi inter alia loca hæc præcipue numerantur castella* : Collis Medius, Mattelonicus, Gabilianus, Plumbinaria, Valmontonius, Lacus ac mons Fortinius. — Datum Laterani, XIV Kalend. Jan., ind. VII, anno 1188, pontificatus anno I. — *Id totum jampridem eidem Petro episcopo Lucius III contulerat amplissimo privilegio, quod multum facit ad diffinienda confinia Signinæ diœcesis* (Vide *Patrologiæ tom.* CCI, *in Lucio III, sub num.* 67).

[UGHELLI, *Italia sacra*, I, 1237.]

CIII.

Capituli ecclesiæ S. Alexandri Bergomatis jura quædam confirmat.

(Laterani, Dec. 23.)

[UGHELLI, *Italia sacra*, IV, 472.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis OBERTO Pergam. Eccles. præposito et capitulo Sancti Alexandri, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum ab apostolica sede, etc. Eapropter, vestris justis, postulationibus annuentes, ut vobis liceat ecclesiastica censura compellere presb. qui ordinantur, ad fidelitatem ipsi Ecclesiæ faciendam, sicuti per consuetudinem hactenus est obtentum, quod eam fidelitatem facere debent. Et ab Anastasio et Adriano prædecessoribus nostris fuit apostolico munimine confirmatum et statutum ut a susceptis ordinibus arceantur, si post susceptos ordines eam statim noluerint exhibere, et illos similiter qui ad eamdem Ecclesiam venire debent ad missam majorem in dominicis diebus, et aliis solemnitatibus, ut accedant, sicut in summorum pontificum Innoc. et Eugenii sententia continetur, et absque controversia hactenus observatum, devotioni vestræ liberam tribuimus auctor. apostol. facultatem.

Datum Laterani, X Kal. Jan., pontific. nostri an. II.

CIV.

Ecclesiæ SS. Felicis et Regulæ Turicensis protectionem suscipit possessionesque confirmat..

(Laterani.)

[NEUGART, *Cod. diplom. Aleman.*, II, 115.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis WALTERO præposito ecclesiæ Sanctorum Felicis et Regulæ Turegiensis, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris canonice substituendis, in perpetuum.

Effectum justa postulantibus indulgere et vigor æquitatis et ordo postulat rationis, præsertim cum petentium voluntates et pietas adjuvat et veritas non relinquit. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et prædictam sanctorum Felicis et Regulæ ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona, eadem ecclesia inpræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Locum ipsum, in quo præfata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam de Clus-

sennaco cum tertia parte ipsius fundi, et aliis quæ ibidem habetis; ecclesiam de Swanligen cum omni jure quod habetis in ea; decimas villarum Mediolani, Mure, Wittalicon, Henco, et civitatis Turegiensis. Jus etiam quod regulares canonici ecclesiæ S. Martini, quæ in fundo Turegiensis præposituræ consistit, tam in censu quam in decimis et proventibus aliis, vobis annis singulis exhibere tenentur cum omnibus aliis possessionibus vestris, quas juste et pacifice possidetis, vobis et per vos ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus. Libertates quoque et communitates, nec non rationabiles et antiquas consuetudines, tam ab ecclesiasticis quam mundanis personis ecclesiæ vestræ concessas et hactenus observatas, ratas habemus, easque futuris temporibus illibatas manere sancimus. Auctoritate quoque apostolica prohibemus ne quis in vos, vel ecclesiam vestram excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiam sine manifesta et rationabili causa promulget, seu novas et indebitas exactiones vobis vel hominibus vestris imponat, nec advocatus ecclesiæ vestræ curtes vestras aliquatenus intret, nisi de assensu vestro, vel a vobis fuerit invitatus. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci præposito, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communiter vel fratrum major pars consilii sanioris, sicut hactenus observatum est, secundum Deum providerint eligendum. Nec aliquis in eadem Ecclesia vestra nisi canonicus, qui a vobis eligi debeat, instituatur plebanus.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus et commodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi justitia. Si qua igitur, etc.

Datum Laterani, per manum Moysi Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, vices agentis cancellarii, III Kal. . . . . indictione sexta, Incarnationis Dominicæ anno 1188, pontificatus vero domini Clementis papæ anno I.

CV.

Isaaco imperatori Constantinopolitano scribit: edicto suo principes suos excitatos esse contra Saladinum; præcipuos fuisse: Fridericum, alterum imperatorem, Philippum Francorum regem, Richardum Angliæ et Othonem Burgundiæ; Guillelmum regem Siciliæ, pacato a piratis mari, annonam ex Sicilia et Apulia profecturis ministrasse; Frisones quoque et Danos triremes quinquaginta et duodecim Flandrenses armasse, qui transeuntes in Mauritaniam et ad Africæ littora flectentes, Saracenos magnis incommodis afflixerint et Sylvinam urbem vi captam diripuerint; regem Hungarum Venetis pacem dedisse; rogat ut hoc bellum instauratum quibuscunque modis poterit juvet. »

[Vide Reusneri *Epist. Turc.*, p. 16.]

ANNO 1189.

CVI.

Monasterium S. Salvii Florentinum tuendum suscipit et ejus bona ac jura confirmat.

(Laterani, Jan. 2.)

[Lami, *Eccl. Florent. Monum.*, II, 995.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Gilberto abbati monasterii Sancti Salvii, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit! sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Statuentes ut, quascunque possessiones, quæcunque bona..... idem monasterium impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. Prædecessorum vero nostrorum felicis memoriæ Urbani, Gregorii, Innocentii et Alexandri Romanorum pontificum vestigiis inhærentes statuimus, ut nulli archiepiscopo, sive episcopo, aut alicui prælato ecclesiastico, sive sæculari, excepta Vallumbrosana congregatione, aliquod super ecclesia vestra dominium liceat obtinere, sicut ab eisdem prædecessoribus nostris fuisse noscitur institutum. Præterea, sicut capella S. Nicolai de Casa Arsa ad vestrum jus pertinet, ab omni jugo totius dominationis episcopi, et plebani, hactenus immunis noscitur exstitisse, ita et de cætero eam immunem decernimus permanere. Illud etiam jus quod in hospitali de Capraria hactenus habuistis, vobis nihilominus confirmamus. Ecclesiam quoque Sancti Jacobi sitam in civitate Florentina a bonæ recordationis Julio quoddam ejusdem civitatis episcopo de consensu capituli Florentini, Ecclesiæ vestræ concessam cum sepultura et parochia ejus, cum limitibus certis, qui in chartula, quam idem episcopus de illa vobis et ecclesiæ Sancti Silvii donatione tradidit, leguntur expresse, ad instar felicis memoriæ Urbani prædecessoris nostri, monasterio vestro duximus confirmandum. Libertates præterea, immunitates antiquas, et rationabiles consuetudines, vobis et monasterio vestro collatas, sicut hactenus observatæ sunt, ratas habemus easque perpetuis temporibus illibatas, manere sancimus.

Liceat quoque vobis clericos vel laicos e sæculo fugientes, liberos et absolutos in monasterio vestro

recipere, et eos sine contradictione aliqua retinere; ac eos, cum fuerit necesse, in causis vestri monasterii ad testificandum adducere. Prohibemus siquidem ne aliquis post factam in eodem loco professionem, nisi arctioris religionis obtentu, sine abbatis licentia, præsumat discedere, et discedentem nullus audeat retinere. Inhibemus insuper ne monachos aut conversos, eidem monasterio dare vel auferre, sine consensu abbatis et capituli, quilibet audeat; vel novas aut indebitas exactiones jam dicto monasterio, vel ecclesiis aut hominibus vestris imponere. Ad hoc auctoritate apostolica interdicimus, ne quis in vos, vel monasterium, aut abbatem ipsius, sive clericos vestros, excommunicationis, suspensionis aut interdicti sententiam absque manifesta et rationabili causa promulget. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium, ordinationes clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a diœcesano suscipietis episcopo, siquidem Catholicus fuerit, et gratiam atque communionem apostolicæ sedis habuerit, et ea gratis et absque pravitate voluerit exhibere; alioquin ad quemcunque malueritis recurretis antistitem, qui nostra fretus auctoritate vobis quod postulatur indulgeat. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic deliberaverint sepeliri, nisi forte excommunicati, vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen canonica justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Sane laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis decimas præsumat exigere. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, seu quolibet successorum tuorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem et beati Benedicti Regulam, providerint eligendum.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas sit supradictum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia illibata et integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, etc.

Ego Clemens catholicæ Ecclesiæ episcopus subscripsi.

Ego Joannes presb. card. tit. S. Marci.

Ego Laborans presb. card. S. Mariæ trans Tiberim tit. Calixti.

Ego Pandulfus presb. card. Basilicæ XII Apostolorum.

Ego Albinus tit. S. Crucis in Hierusalem presb. card.

Ego Petrus tit. S. Laurentii in Damaso presb. card.

Ego Hiacynthus diac. card. Sanctæ Mariæ in Cosmidin.

Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani diac. card.

Ego Octavianus SS. Sergii et Bacchi diac. card.

Ego Gregorius S. Mariæ in Porticu diac. card.

Ego Joannes S. Theodori diac. card.

Ego Bernardus S. Mariæ Novæ diac. card.

Ego Gregorius S. Mariæ in Aquino diac. card.

Datum Laterani per manus Moysi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi et vicem gerentis cancellarii, IV Nonas Januarii, Incarnationis Dominicæ anno 1189, indictione VII, pontificatus vero domini Clementis papæ III anno secundo.

CVII.

Universis clericis per Norvegiam constitutis interdicit, « ne quis eorum, nisi forte ut tribuat pœnitentiam et sacramenta ecclesiastica morientibus et prava opera dissuadeat, in expeditionem ire præsumat; » alioquin fore, ut ea, quam archiepiscopus Nidrosiensis in eos protulerit, sententia a sese confirmetur.

(Laterani, Jan. 28.)

[THORKELIN, *Diplom. Arna-Magn.*, II, 11.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universis clericis per Norvegiam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum arma clericorum, juxta sacræ Scripturæ testimonium, orationes et lacrymæ judicentur, periculosum est vobis et professioni vestræ penitus inimicum, bellis vos carnalibus immiscere, qui debetis etiam a curis sæcularibus abstinere, juxta illud Apostoli: « Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, etc. » Inde est quod universitati vestræ auctoritate apostolica prohibemus, ne quis vestrum nisi forte ut tribuat pœnitentiam et sacramenta ecclesiastica morientibus, et prava opera dissuadeat, in expeditionem ire, aliqua temeritate præsumat. Alioquin sententiam quam propter hoc venerabilis frater noster Nidrosiensis archiepiscopus in vos tulerit, nos auctoritate Domino ratam habebimus, et mandabimus inviolabiliter observandam.

Datum Laterani, V Kal. Februarii, pontificatus nostri anno secundo.

CVIII.

Ad sorores ecclesiæ Langenhorstensis.

(Laterani, Febr. 10.)

[NIESERT, *Munster. Urkundens.*, IV, 219.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus monialibus ecclesiæ de Langenhorst, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum ab apostolica sede petuntur quæ tutelam ecclesiarum respiciunt et profectum, animo nos decet libenti concedere, et juxta petentium voluntatem consentaneam rationi, affectu prosequente complere. Significavit quidam nobis dilectus filius Franco vicedominus Monasteriensis ecclesiæ, quod cum quædam hæreditas ad eum fuisset jure hære-

ditario devoluta, pro salute animæ suæ in honorem Sancti Joannis Baptistæ in proprio fundo suo monasterium vestrum construxit. Et quia quam plures ecclesias in partibus illis videbat advocatorum importunitate gravari in vestra ecclesia statuit, ut eligendi advocatum facultatem liberam habeatis hoc modo. Quod si idem electus fuerit importunus, potestatem liberam habeatis alium eligendi, nec in eo officio filius primi hæreditario jure succedat.

Nos itaque ejusdem vicedomini justis postulationibus annuentes, ordinationem illam sicut rationabiliter facta est, auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani, IV Idus Februarii, pontificatus nostri anno secundo.

CIX.

B[alduino], archiepiscopo Cantuariensi, eadem quæ supra scribit, nisi quod non Radulphum sed Joannem, tit. S. Marci presbyterum cardinalem apostolicæ sedis legatum, nuntiat præcepta sua perficienda curaturum..

(Laterani, Mart. 12.)

[*Gervasii Imaginat.*, ap. TWYSDEN *H. A. Scr.*, I, 1522.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri B. Cantuariensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Quanto in Ecclesia Dei scientiæ munere et religionis præemines honestate, dignitatisque apicem in partibus Anglicanis obtines ampliorem, tanto decet charitatem tuam vigilantiori studio a subjectorum injuriis vel oppressionibus temperare, et his postpositis quæ justitiæ pulchritudinem decolorant, odoremque bonæ opinionis exstinguunt, obedientiam et reverentiam debitam majoribus exhibere. Unde non sine causa miramur quod, sicut proponitur, post appellationem ad sedem apostolicam factam, et bonæ memoriæ prædecessoris nostri Urbani prohibitionem, adeo circa novæ capellæ constructionem et alia multa manus tuas in Ecclesiæ tibi commissæ fratrum molestias aggravasti, ut nil eis de interpositæ appellationis remedio accessisse, prout ratio juris expostulat æstimetur, nec tu honori sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matris tuæ videaris, prout oportuit detulisse. Licet autem propositum nobis sit fraternitati tuæ quantum cum Deo possumus deferendi, et personam tuam in omnibus quæ ex officio nobis incumbunt statuerimus honorare, quia tamen eorumdem fratrum pressuras pariter et clamores, cum bona conscientia præterire, clausis oculis nec possumus, nec debemus, fraternitati tuæ de consilio fratrum nostrorum per apostolica scripta mandamus et districte præcipimus, quatenus, omni contradictione et occasione postposita, eo etiam non obstante, si te abesse contigerit ab ecclesia tua, quidquid post appellationem ad sedem apostolicam factam, vel prædecessoris nostri prohibitionem in opere capellæ actum est non differas demoliri, revocans et deducens prorsus in irritum quidquid de instituendis canonicis et aliis circa capellam factum est et perperam innovatum. Eos etiam qui post inhibitionem sæpe dicti prædecessoris nostri in capella ipsa divina officia celebrare præsumpserunt, donec condignam nobis satisfactionem exhibeant, ab officio et beneficio habeas interdictos. Ministros conventus quos post appellationem interpositam amovisti, quos et idem prædecessor noster restituit, habeas restitutos, et eos quos pariter post appellationem interpositam excommunicare vel suspendere voluisti, habeas nihilominus absolutos; et universa quæ post appellationem ipsam in eorum gravamen attentata sunt, in invasione videlicet villarum et possessionum suarum, redditaum quoque et aliorum quæ ante appellationem habuerant, et ablatione similiter aliarum rerum in statum pristinum, appellatione et contradictione cessante, reducas.

Ad hæc quia secundum formam juris post appellationem nil est innovandum, volumus et præcipimus ut, pendente judicio, in eorumdem fratrum detrimentum circa statum monasterii nihil omnino satagas immutare. Nihilominus præcipiendo mandantes, ut omnia quæ ipsis monachis post appellationem vel ante absque juris ordine illicite abstulisti, in exeniis, ecclesiis, villis, possessionibus, redditibus, seu rebus aliis, cum congrua recompensatione fructuum postea illicite perceptorum, et libertatibus et administratione competenti et libera, infra quadraginta dies post harum receptionem litterarum restituere non moreris.

Ipsis quoque monachis præcipienda mandamus, ut si aliqua contra jus tuum et honorem præsumpserunt, satisfactionem tibi appellatione remota exhibeant competentem. Quia vero Prior ipsius monasterii in prosecutione negotii concessit in fata, nolumus et præcipiendo mandamus, ut institutione Prioris contra privilegia sedis apostolicæ vel Regulam beati Benedicti atque rationabilem consuetudinem monasterii hactenus observatam non procedas, et si feceris, appellatione remota non differas revocare, nullis litteris obstantibus in præjudicium juris eorum a sede apostolica impetratis. Alioquin dilecto filio nostro Joanni titulo Sancti Marci presbytero cardinali, apostolicæ sedis legato, dedimus in mandatis, ut apostolica auctoritate te et omnes contradictores et monachos ipsos, si rebelles exstiterint, ad hæc remoto appellationis obstaculo ecclesiastica districtione compellat, et eos quos ad veritatem plenius indagandam scierit nominari, quod gratia et timore postpositis testimonium perhibeant veritati, simili censura cogere non postponat.

Datum Laterani, IV Idus Martii, pontificatus nostri anno secundo.

CX.

Monasterium Murense in protectionem S. Petri recipit omniaque privilegia ab Alexandro papa etiam data confirmat novaque superaddit.

(Laterani, Mart. 13.)

[HERGOTT, *Genealog. diplom. gen. Habsb.*, II, 202.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis ANSELMO, abbati monasterii S. Martini Murensis ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Ilis qui, postpositis sæcularibus desideriis voverunt in religionis habitu debitam Domino servitutem dependere, propensius apostolicum debet esse suffragium, ne cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit! religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et præfatum monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et ad instar felicis recordationis Alexandri papæ prædecessoris nostri, præsentis scripti privilegio communimus; inprimis siquidem statuentes ut ordo monasticus, qui secundum Deum et B. Benedicti Regulam in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium inpræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

Ecclesiam Buoches, ecclesiam Stannes, ecclesiam Gersowo, ecclesiam Riske, ecclesiam Chussennacho, ecclesiam Agetiswilare, ecclesiam Telleuwilare, ecclesiam Rordorf, ecclesiam Egenwilare, ecclesiam Stallenchon, ecclesiam Gorelinchon, ecclesiam Urtinchon; quintam partem decimarum in ecclesia Stallenchon; duodecimam partem decimarum in ecclesia Reinfriswile; vicesimam partem decimarum in ecclesia Surse; prædium Gersogo cum pertinentiis suis; prædium Spreitenbach, quo redduntur vobis septem hircinæ pelles; prædium Buoches cum pertinentiis suis; prædium Chussennacho cum pertinentiis suis, prædium Gangolfeswile, prædium Trespach. In Waltrat novem mansos; prædium Alinchon cum pertinentiis suis; prædium Vicwile cum pertinentiis suis, prædium Cunentvellum, prædium Gopenowo cum pertinentiis suis; prædium Chalpac, prædium Wilperc, prædium Cholumbrowo, prædium Columhare, prædium Chutingen, prædium Tintinkon, prædium Hechilingen, prædium Totinkon, prædium Tulleheim, prædium Rainfriswile, prædium Rotwile cum pertinentiis suis; prædium Bellenchon cum pertinentiis suis; prædium Urdorf, prædium Spreitenbach, prædium Tellinchon, prædium Winchele, prædium Escherwile, prædium Boranwile, prædium Holunstraze, prædium Tegerano, prædium Otwizingen, prædium Hagenbuochon, prædium Ratolfesperc; prædium Wirteswille, prædium Lennes, prædium Renferswile, prædium Boswile cum pertinentiis suis; prædium Ruti, prædium Wolpswile, prædium Maswandom, prædium Gamelinchon, prædium Pensiwile, prædium Ipinchon, prædium Selenburon, prædium Tennenwile, prædium Schinsenacho, prædium Bozeberch, prædium Sizinchon; parochialem ecclesiam cum tribus capellis Hermotcswile Pozwilo, Wolon, sicut prædicta ecclesia et capellæ victui et vestitui vestro sunt rationabiliter deputatæ, sic vos in eas inpræsentiarum habere concedimus, et auctoritate apostolica confirmamus. Insuper etiam auctoritate præsentium indulgemus ut, si advocatus vester advocatiæ jura transgrediens, in vos et in monasterium vestrum, aut in ea quæ ad monasterium ipsum pertinent, exactiones indebitas exercuerit, et alias se gravem vobis et inutilem exhibuerit, nisi commonitus resipuerit, liceat vobis alium advocatum eligere natu majorem de castro Abespurc, per quem jura ipsius monasteriis melius illibata a malefactorum rapinis et violentiis defendantur. Ipse etiam advocatus nullo modo quidquam de rebus monasterii, sive in fundis, sive in mancipiis, sive de ipsa advocatia cuiquam præstare audeat. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotionis et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat; salva tamen justitia ecclesiarum illarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clausis januis, non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis et interdictis, suppressa voce divina officia celebrare. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem et beati Benedicti Regulam, providerint eligendum.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra et illibata permaneant eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, et in ecclesiis vestris parochialibus diœcesanorum episcoporum canonica justitia. Ad indicium autem hujus a sede apostolica perceptæ protectionis, aureum unum nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis

Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, etc.

Ego Clemens catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Joannes presbyter cardinalis tit. Sancti Marci.

Ego Albertus presbyter cardinalis tit. Sanctæ Crucis in Jerusalem.

Ego Alexius presbyter cardinalis tit. S. Susannæ.

Ego Jac. diaconus cardinalis S. Mariæ in Cosmidin.

Ego Gratianus Sanctorum Cosmæ et Damiani diaconus cardinalis.

Ego Gerardus S. Adriani diac. card.

Datum Laterani per manum Moysi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, vicem agentis cancellarii, III Idus Martii, indictione VII, Incarnationis Dominicæ anno 1188 (8), pontificatus vero domni Clementis papæ III anno II.

CXI.

Monasterii Sanctæ Mariæ Esromensis protectionem suscipit, possessionesque ac privilegia confirmat.

(Laterani, Mart. 16.)

[THORKELIN, *Diplom. Arna-Magn.*, I, 277.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati Sanctæ Mariæ de Esrom, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.

Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit! sacræ religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium Sanctæ Mariæ de Esrom, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum et beati Benedicti Regulam atque institutionem Cisterciensium fratrum institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium inpræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

Locum ipsum, in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus adjacentiis et pertinentiis suis; claustrum ipsum de Hesram cum silvis, pratis, molendinis piscariis, et omnibus pertinentiis suis. Widlingruth, Hafreholm, Byrgisholm, Sande, Fumathorp, Stenholt; domos Sancti Martini Hiarnetorp, Cracadal, Mothorp in Hallandia et Glumsiensivig cum villis, pratis, silvis et reliquis appendiciis suis.

Sane laborum vestrorum quos propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos e sæculo fugientes liberos et absolutos ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ne ulli fratrum vestrorum, post factam in eodem loco professionem, fas sit de ipso sine licentia sui abbatis discedere; discedentem vero sive communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Paci quoque et tranquillitati vestræ paterna in posterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ne quis infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum furtum rapinamve committere; ignem apponere, hominem capere vel interficere audeat, seu aliquam violentiam exercere.

Insuper etiam apostolica auctoritate sancimus ut, quemadmodum a prædecessoribus nostris statutum est, nullus episcopus, neque aliqua persona ad synodos vel conventus forenses vos ire compellat. Sed nec ad domos vestras causa ordines celebrandi, chrisma conficiendi, causas tractandi vel aliquos conventus publicos convocandi, quisquam, vobis invitis, præsumat accedere. Sancimus etiam ut, si episcopus, in cujus parochia domus vestra fundata est, tertio per intervalla temporum, cum humilitate qua convenit requisitus, substitutum abbatem benedicere forte noluerit, (8*) proprios novitios benedicere, et alia quæ ad officium suum pertinent exercere, donec idem episcopus duritiam suam recogitet, et benedicendum abbatem benedicere non recuset. Sane si episcopi aliquid a vobis, præter obedientiam debitam, vel principes terræ contra libertatem ordinis a prædecessoribus nostris et a nobis indultam expetierint, liberum sit vobis auctoritate apostolica denegare quod petitur, ne occasione ista prædictus ordo, qui hactenus liber exstitit, humanæ servitutis laqueo vinciatur: illud adjicientes, ut nullus episcopus regularem abbatis vestri electionem impediat, aut de instituendo vel removendo, seu deponendo eo qui pro tempore fuerit, contra statuta Cisterciensis ordinis et auctoritatem privilegiorum vestrorum se nullatenus intromittat. Quod si episcopi aliquam propter hoc in ecclesias vestras vel personas sententiam promulgaverint, eamdem sententiam, tanquam contra apostolicæ sedis indulta prolatam, statuimus irritandam. Cum vero propriorum episcoporum copiam non potestis habere, si aliquem episcopum per vos transire contigerit, de quo plenam notitiam habeatis, ab illo et vicinis episcopis, cum diœcesana sedes vacaverit, benedictiones vasorum, vestium, monachorum ordinationes, et altarium consecrationes recipere valeatis; sic tamen ut propriis episcopis ex hoc in posterum nullum præjudicium generetur.

Auctoritate quoque apostolica interdicimus ne

(8) Substitue an. 1189, et concordat chronologia.

(8*) *Supple: vobis liceat alium quemcunque voluerit adire antistitem qui, nostra fretus auctoritate, possit proprios novitios*, etc.

quis vicinos vel mercenarios viros, pro eo quod vos ad laborandum adjuverint, in illis diebus in quibus laboratis et alii feriantur, ut aliqua occasione eorum quæ ab apostolica benignitate vobis indulta sunt, seu benefactores vestros, pro eo quod aliqua beneficia de proprio vobis aut obsequio ex charitate præstiterint, interdicere, aut vinculo anathematis audeat innodare. Quod si quis aliquem de familia vestra, donec in famulatu vestro permanserit, propter detentionem decimarum, vel alius quis, a sede apostolica ordini vestro concessum, excommunicationis vel interdicti sententiam promulgaverit, liceat vobis eos metu mortis absolvere, et si eorum presbyteri humiliter requisiti, id efficere forte noluerint, vel malitiose distulerint, ipsis ecclesiastica sacramenta conferre. Liceat quoque vobis in monachos vel conversos vestros, qui de claustro vestro sine licentia abbatis sui exierint, si forte vobis invitis aliquis eos retinere præsumpserit, sententiam regularem ex nostra auctoritate proferre.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura; salva sedis apostolicæ auctoritate. Si quæ igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, etc.

Ego Clemens catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Joannes Sanctæ Mariæ presb. card.

Ego Pandulfus presb. card. basilicæ XII Apostolorum.

Ego Albrand tit. S. Crucis in Jerusalem presb. card.

Ego Bobo tit. S. Anastasiæ presb. card.

Ego Alexander presb. card. tit....

Ego Petrus tit. S. Laurentii in Damaso presb. card.

Ego Jacobus diac. card. S. Mariæ in Cosmidin.

Ego Gratianus SS Cosmæ et Damiani diac. card.

Ego Gerardus S. Adriani diac. card.

Ego Bernardus S. Mariæ Novæ diac. card.

Ego Gregorius S. Mariæ in Aquino diac. card.

Datum Laterani per manum Moysi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, vicem agentis cancellarii, XVII Kal. Aprilis, indictione VII, Incarnationis Dominicæ anno 1188, pontificatus vero domini Clementis papæ III anno secundo.

CXII.

Priori et fratribus Frontis-Avellanæ concedit, ut monasterii S. Victoris statum corrigant.

(Laterani, Mart. 16.)

[Mittarelli, *Annal. Camaldul.*, IV, App., p. 179.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis... priori et fratribus Fontis-Avellanæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum a sede apostolica fuerunt postulata quæ ad religionis pertinent honestatem et pacem Ecclesiarum respiciunt et profectum, animo nos decet libenti concedere et effectu prosequente complere. Eapropter, vestris postulationibus annuentes, ut monasterium Sancti Victoris cum pertinentiis suis ad vos pertinens, quod in temporalibus et in spiritualibus est plurimum deformatum, et expedit ut reducatur in statum vestra sollicitudine meliorem, licitum sit vobis, sicut ad vos pertinet, specialiter disponere, et, salva sedis apostolicæ auctoritate et canonica justitia diœcesani episcopi, regulariter ordinare, auctoritate apostolica indulgemus. Nulli ergo, etc. Si quis, etc.

Datum Laterani, XVII Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

CXIII.

Geraldo priori et fratribus Grandimontensibus significat, se Joanni presbytero cardinali tit. S. Marci, apostolicæ sedis legato, dedisse mandatum, ut Stephanum ordinis Grandimontensis institutorem sanctis ascriptum esse palam faceret.

(Laterani, Mart. 21.)

[*Acta SS.* Febr. t. III, 204.]

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Geraldo priori et fratribus Grandimontis, salutem et apostolicam benedictionem.

Ideo sacrosanctam Romanam Ecclesiam redemptor noster caput omnium esse voluit et magistram, ut ad ejus dispositionem et nutum, divina gratia præeunte, quæ ubicunque a fidelibus gerenda sunt ordinentur, et errata in melius corrigantur, et ad ejus consilium in ambiguis recurratur; quod ipsa statuerit nemini, quantumcunque de suis meritis glorietur, liceat immutare. Ne, si forte promiscua daretur universis licentia, quæcunque sibi secundum voluntatem propriam occurrerent, perpetrandi confusa libertas, cum secundum personarum diversitatem vota dissentiant, in aliorum aliquando scandalum, sine justi discretione libraminis, commendanda supprimeret, et minus digna laudibus immeritis celebraret. Inde siquidem fuit quod bonæ memoriæ prædecessor noster Urbanus, audita fama religionis, et vitæ commendabilis puritate, qua sanctæ recordationis Stephanus Grandimontensis ordinis institutor emicuit, quantis etiam miraculorum testimoniis omnipotens Deus ipsius voluit mundo merita declarare, legatis, quos ad partes illas direxit pro quibusdam negotiis Ecclesiæ tractandis, plenam circa hæc investigationem committere voluit, ut et ipsorum cæterorumque virorum, quibus sine dubitatione fides esset adhibenda, testimonio, ad id agendum consulto procederent, quod et fidelium commodis et ipsius sancti viri honori, qui hactenus velut in sterquilinio gemma latuerat, congrue videretur.

Nos etiam et testimonio charissimi filii nostri Henrici, illustris Anglorum regis, nec non venerabilium fratrum nostrorum, Guillelmi Remensis S. Sabinæ presbyteri cardinalis, Bartholomæi Turonensis, et Heliæ Burdegalensis archiepiscoporum et Seibrandi

Lemovicensis episcopi, et dilectorum Bobardi tunc S. Angeli et Octaviani SS. Sergii et Bacchi diaconorum cardinalium, qui in partibus illis functi sunt legationis officio, et aliorum multorum episcoporum plenius instructi de vita, meritis et conversatione, qua supradictus vir sanctus asseritur floruisse, et quod multimodis miraculorum indiciis divina voluit pietas eum illustrare, hujus exsecutionem negotii dilecti filii nostri Joannis S. Marci presbyteri cardinalis, apostolicæ sedis legati, duximus arbitrii committendam, per apostolica illi scripta mandantes, ut ad locum vestrum accedens, et convocatis adjacentium illarum partium episcopis, cæterisque viris religiosis, ipsum inter sanctos, auctoritate qua fungimur, nos denuntiet ascripsisse; deinceps in sanctorum catalogo numerandum, et per ipsius merita Redemptoris suffragia decrevisse cum reliquorum sanctorum interventionibus postulanda.

Datum Laterani, XII Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

CXIV.

Ecclesiæ Sancti Petri Duacensis protectionem suscipit, bonaque confirmat.

(Laterani, Mart. 31.)

[MIRÆI *Opp. dipl.*, III, 356.]

CLEMENS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis præposito ecclesiæ S. Petri Duacensis, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris canonice substituendis, in perpetuam memoriam.

Effectum justa postulantibus indulgere et vigor postulat æqualitatis et ordo exigit rationis; præsertim quando petentium voluntatem et pietas adjuvat et veritas non relinquit. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam Sancti Petri Duacensis, in qua divino estis obsequio mancipati, ad instar felicis recordationis Alexandri papæ prædecessoris nostri, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut quascunque possessiones, quæcunque eadem ecclesia inpræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

Ex dono Roberti quondam Atrebatensis episcopi, altare de Marcha Gotranni, ad usus canonicorum inibi Deo servientium, salvo in omnibus jure Atrebatensis episcopi et ministrorum ejus. Ex dono ejusdem altare Sanctæ Rietrudis de Wasiers, cum dotibus suis, ad usus eorumdem, ita liberum et absolutum sicut ipse vobis concessit; salvis in omnibus redditibus episcopi et consuetudinibus archidiaconi et ministrorum ejus. Presbytero vero illius loci, defuncto seu rationabiliter inde remoto, vestrum erit alienum providere idoneum presbyterum et Atrebatensi episcopo præsentare; cui obedientiam promittat. Omnes decimas parochiæ vestræ et omnes oblationes, quas Gerardus Cameracensis quondam episcopus ad usus canonicorum ecclesiæ vestræ concessit, dum adhuc Cameracensis et Atrebatensis episcopatus conjuncti essent; ea scilicet conditione, ut ecclesiam vestram et res ejus nulla unquam regat laicalis persona, sed solummodo ei provideat præpositus, qui clericus sit, et in præbendis locandis curam agens, et in cæteris rebus ipsius ecclesiæ ordinandis. Liberam quoque et ab omnibus obsoniis omnique censuali respectu absolutam manere voluimus, sicut idem episcopus statuit; salva tamen, sicut in aliis abbatiis, Atrebatensis episcopi justitia. Ex dono memorati Roberti, quondam Atrebatensis episcopi, altaria et ecclesias Sancti Martini de Sin et Sancti Remigii de Marcha cum dotibus et appendiciis suis, ad usus canonicorum ibidem Deo servientium, remota per eumdem episcopum omni venalitate et turpis lucri exactione, ita libere jure perpetuo possidenda, sicut ea vobis rationabiliter concessit; salvis in omnibus cathedraticis redditibus episcopi et consuetudinibus archidiaconi.

De quolibet locorum prædictorum presbytero defuncto sive rationabiliter inde remoto, alium idoneum presbyterum Atrebatensi episcopo præsentetis, cui obedientiam promittat, et sic in populo curam gerendam de manu episcopi gratis accipiat. Aliqui tamen vestrum singulis annis Atrebatensi synodo studeant interesse, nisi forte benevolentia episcopi fuerint relaxati. Duas capellas Beatæ Mariæ, quarum una est in suburbio Duacensi, et altera extra suburbium, quam Dulcelns fecit fieri liberas et absolutas, sicut ecclesia vestra eas hactenus rationabiliter noscitur possedisse. Presbytero vero loci illius defuncto sive rationabiliter inde remoto, alium idoneum presbyterum ibi providebitis. De præbendis quoque mutandis quæ de bonis Roberti præpositi, Simonis et Gerardi in ecclesia vestra sunt institutæ, quorumlibet laicorum assensus contra ipsius ecclesiæ consuetudinem nullatenus admittatur. Capellam Sancti Nicolai in parochia de Sin, et alteram Capellam Sancti Nicolai quæ est in parochia Sancti Petri Duacensi extra posternam, ad eorum usus et consuetudines ad quos pie constructæ noscuntur.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura; salva sedis apostolicæ auctoritate, et diœcesani episcopi canonica justitia.

Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, etc.

Ego Clemens catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Laborans presb. card. S. Mariæ trans Tiberim tit. Calixti.

Ego Pandulphus presb. card. basilicæ XII Apostolorum.

A Ego Albinus tit. S. Crucis in Jerusalem presb. card.

Ego Robertus presb. cardinalis tit. S. Anastasiæ.

Ego Petrus tit. S. Laurentii in Damaso presb. card.

Ego Jacobus diac. card. Sanctæ Mariæ in Cosmidin.

Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani diac. card.

Ego Gerardus S. Adriani diac. card.

Ego Gregorius S. Mariæ in Aquiro diac. cardinalis.

Datum Laterani per manum Moysi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, vicem agentis cancellarii, II Kalendas Aprilis, indictione VII, Incarnationis B Dominicæ anno 1189, pontificatus vero domini Clementis papæ III anno secundo.

CXV.

[Pistori] episcopo Vicentino mandat, cognoscat, num sorores S. Christinæ, destructa ecclesia, aliam intra civitatem Tarvisinam, adversante episcopo ædificent. Moniales coerceat.

(Laterani, April. 15.)

[MITTARELLI, *Annal. Camaldul.*, IV, Append., 176.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri ... Vicentino episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Dilectis filiis nostris decano et canonicis Tarvisinis significantibus, intelleximus quod venerabilis C frater noster Conradus eorum episcopus, ad preces felicis recordationis Urbani papæ prædecessoris nostri, quibusdam monialibus ordinem Camaldulensem professis, locum quemdam extra murum civitatis concessit, in quo ad honorem Dei et memoriam beatæ Christinæ ecclesiam fabricarunt, in qua idem episcopus divina officia sæpius celebravit, et per eum eidem loco beneficia plurima sunt collata. Cæterum earum abbatissa de præsenti vita subtracta, et a sororibus ibidem sepulta, eædem moniales præscriptam ecclesiam destruxerunt, et præscripta abbatissa exhumata eam intra muros civitatis in eorum parochia, sine ipsarum et episcopi diœcesani consensu, in loco minus idoneo tumularunt; ecclesiam ibidem, sicut dicitur, erigentes, et non D attendentes quod nullus, sine illorum et episcopi diœcesani assensu, salvis Ecclesiæ Romanæ privilegiis, in eorum parochia valeat ecclesiam fabricare. Quia igitur, si verum est quod asseritur, tantæ præsumptionis audacia non est sine correctione debita relinquenda, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus inquiras super his sollicitus veritatem, et quod a prædictis monialibus noveris esse præsumptum, auctoritate nostra, cessante appellatione, corrigas et emendes.

Datum Laterani, XVII Kalendas Maii, pontificatus nostri anno secundo.

CXVI.

Ecclesiam Senensem tuendam suscipit ejusque bona et privilegia confirmat.

(Laterani, April. 20.)

[LAMI, *Ecclesiæ Florent. Monum.*, IV, 9.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri BONO Senensi episcopo ejusque successoribus.

In eminenti sedis apostolicæ specula, licet immeriti, disponente Domino, constituti, fratres nostros, tam propinquos quam longe positos, fraterna tenemur charitate diligere, et Ecclesiis, in quibus Domino militare noscuntur, suam dignitatem et justitiam conservare. Quapropter, venerabilis in Christo frater, Bone episcope, tuis justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam Ecclesiam, in qua, Deo auctore, præesse dignosceris, prædecessorum nostrorum felicis mem. Cœlestini, Eugenii Anastasii, Adriani et Alexandri Romanorum pontificum vestigiis inhærentes, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus: statuentes ut ecclesiæ, xenodochia, et castella, cum omnibus bonis et possessionibus, quæ inpræsentiarum juste Ecclesia tibi commissa et legitime possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

Baptismales siquidem ecclesias, cum prioratibus earum, atque capellis, quæ ad jurisdictionem Ecclesiæ tibi commissæ pertinere noscuntur, plebem videlicet S. Agnetis cum omnibus pertinentiis suis, plebem de Liliano, plebem de Larnano, plebem de Sciara, plebem S. Andreæ de Bozzone, plebem S. Martini in Grania cum omni jure quod habet in eodem castello et in Villania; plebem S. Christinæ de Liciniano, plebem de S. Perena, plebem S. Nazarii, plebem de Saturniano cum omni jure quod habet in ecclesia S. Mariæ, quæ est in burgo Sancti Quirici in Osenna, et in circum adjacentibus locis, plebem de Oppiano, plebem de Ancaiano, plebem de monte Condano, plebem S. Georgii in Valona, plebem S. Valentini, plebem de Coppiano, plebem S. Innocentiæ, plebem de Carli et Murlo, plebem de Creola, plebem S. Christianæ in Caio, plebem de Montaleino, ecclesiam S. Mariæ de burgo Sancti Quirici, Carcianum etiam, quod specialiter ad tuam gubernationem, et providentiam, dominationem et pertinentiam pertinet, titulum S. Angeli de Tressa, plebem de Corsiano, plebem de Ricensa, plebem de Ruscia, plebem de Pentolina, plebem de Sovicille, plebem de Fogliano, plebem S. Justi de Casciano, plebem de Marmorala cum omnibus rebus et pertinentiis earum, castellum de Pordano, castellum de Pogna, castellum de Mentido, castellum de Furcole, castellum de Sovicille, castellum de Murlo, castellum de Crevole cum arce

nominis ejusdem, castellum de Monteciano cum A curte sua, et omnibus earum pertinentiis, quod habet in castello Sylvulæ, quod habet in monte Piscino, et in Vallerano, medietatem de Silva, et lacum de Verrano, medietatem de lacu, et palude de Falano; quintam partem de Aquatico, quartam partem decimarum, et oblationum in ecclesiis ad jus Senensis Ecclesiæ pertinentibus; quintam partem de Montacutulo, qui est super fluvium de Rosia, tertiam partem de castello et curte de Radi in episcopatu Volaterrano, quartam partem de castello et curte de Valle Aspero in episcopatu Massano, cum omnibus pertinentiis partium supradictarum; castella quoque et possessiones, quæ a Traduto filio Bernardi comitis, tam in comitatu Senensi quam Volaterrano, Florentino, et Fæsulano, Senensi Ecclesiæ concessæ sunt; illud quod dedit Adolasia de Bibiano, quod Rugettus filius Bernardi dedit in paterno fundo, quod habet de hæreditate Rolandini Longobardi; possessiones, quas habet in comitatu castelli Felicitatis; quod habet in castello de Strove, et in Castilione; castella, et possessiones omnes, quas tu, vel alius per te tenet, in comitatu Senensi, Volaterrano, Florentino, Fesulano, et Aretino. Ordinationes etiam ecclesiarum, quæ sunt in tua jurisdictione constitutæ, sicut prædecessores tui habuerunt eas, et tu ipsas hactenus habuisti, devotioni tuæ auctoritate apostolica confirmamus.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus C possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integre conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva nimirum per omnia apostolicæ sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine Dei, et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ul- D tioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Clemens catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Laborans presb. card. S. Mariæ trans Tiberim ecclesiæ Calixti.

Ego Pandulphus basilicæ Duodecim Apostolorum presb. card.

Ego Albinus ecclesiæ Sanctæ Crucis in Hierusalem presb. card.

Ego Bobo ecclesiæ S. Anastasiæ presb. cardinalis.

Ego Petrus ecclesiæ S. Laurentii in Damaso presb. card.

Ego Jacobus diaconus card. S. Mariæ in Cosmedin.

Ego Gratianus, SS. Cosmæ et Damiani diac. card.

Ego Gerardus S. Adriani diac. card.

Ego Octavianus SS. Sergii et Bacchi diac. cardinalis.

Ego Goffredus, Sanctæ Mariæ in Via Lata diac. card

Ego Bernardus S. Mariæ Novæ diac. card.

Ego Gregorius S. Mariæ in Agro diac. card.

Datum Laterani per manum Moysi, S. R. E. subdiaconi vicem gerentis cancellarii, B XII Kal. Maii, indictione VII, Incarnationis Dominicæ anno 1189, pontificatus vero Clementis papæ III anno secundo.

CXVII.

Sublacense monasterium ejusque bona, quæ enumerat, sub sanctæ Romanæ Ecclesiæ protectione confirmat, in lacu monasterii piscari vel molendina construere absque abbatis licentia cuicunque prohibet; episcopum pro ecclesiarum dedicationibus et monachorum seu clericorum ordinationibus a summo pontifice expetendum, quod si id opportunitas temporis non permiserit, a quocunque ea recipere indulget; jurisdictionem in eodem cœnobio habere cuicunque præterquam sedi apostolicæ interdicit; abbatis electionem ad monachos, consecrationem ad summum pontificem spectare declarat; pœnas contra inobedientes decernit; benefactoribus benedictionem elargitur.

(Laterani, April. 20.)

[MARGARINI, *Bullar. Casin.*, II, 218.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis BERALDO abbati monasterii Sublacensis ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.

Quamvis universarum Ecclesiarum curam ex officiis susceptæ administrationis gerere teneamur, illarum tamen quæ ad Romanam Ecclesiam, nullo mediante, respiciunt, sollicitudinem habere nos convenit specialem et eam paci ac tranquillitati, Domino auxiliante, providere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum Sublacense monasterium quod beati Petri juris existit, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus, inprimis siquidem statuentes ut ordo monasticus qui, secundum Deum et beati Benedicti Regulam, in eodem monasterio noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata perma-

neant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

Locum vestrum in quo monasterium est, cum omnibus pertinentiis suis; specum in quo beatus Benedictus in suæ conversationis exordio habitavit, cum adjacenti silva, et monte toto circumcirca et cum omnibus finibus, aut pertinentiis antiquitus constitutis; et sub eodem specu lacum sive fluvium ex eo procedentem, in quibus videlicet aquis, nemini præter abbatis et fratrum voluntatem aut piscari, aut molendinum ædificare liceat usque ad arcum qui dicitur de Ferrata, in territorio Ruviano. De forma quoque antiqua, quæ ducit aquam de flumine ad plebem Sancti Laurentii, de aqua quæ vocatur Augusta, nemini liceat, præter voluntatem vestram aquam derivare, nisi quantum sufficiat terris rigandis et replendo fontem baptismatis in eadem ecclesia. Nec aquimolum quisquam illic præter voluntatem vestram ædificare præsumat usque ad prædictum arcum de Ferrata. Si quis vero aliter egerit, banno Romanæ curiæ distringatur; cujus banni medietas sacro nostro palatio, medietas eidem monasterio persolvatur.

Confirmamus etiam vobis et vestro monasterio castellum, quod Sublacum dicitur, cum omnibus suis pertinentiis, sicut a prædecessoribus nostris constat esse concessum, cum montibus et collibus, fundis et casalibus, cum omnibus ecclesiis et rebus ad eos generatim et in integrum pertinentibus; fundum canalis, et fundum Gennæ in integrum cum pertinentiis suis fundum Frassinum cum omnibus suis pertinentiis, et locum qui vocatur Fundi, sicut extenditur usque ad petram Imperatoris, et vadit in montem qui vocatur Pionica, inde per serram in monte Romano, et exit in campum Longum, inde in campum Catinum, deinde redit ad supradictam petram Imperatoris; locum qui dicitur Seminariam cum finibus suis, sicut in antecessorum nostrorum privilegio continetur; collem Altulum, castellum Augustæ cum fundis et casalibus suis, casale Sanctæ Felicitatis cum eadem ecclesia, cum fundis et casalibus suis, et cum omnibus suis pertinentiis, sicut in eisdem privilegiis continetur; roccam Ceruariæ cum fundis et casalibus suis et cum omnibus suis pertinentiis; roccam Incameratæ, castellum Maranum et roccam Martini et roccam de Meso cum omnibus eorum pertinentiis; cum veteri hæreditate monasterii; castrum Camoranum cum rocca sua et fundis et casalibus suis, montem de Griffo, vallem Frigidam, montem de Meso et Finistellæ cum omnibus eorum pertinentiis; castellum Cerretum cum omnibus pertinentiis suis, castrum Geramum cum montibus et collibus, fundis et casalibus suis, cum massis et omnibus suis pertinentiis, et cum veteri hæreditate monasterii; castellum Ampollonii cum montibus et casalibus suis et medietatem castri Sancti Angeli cum ecclesiis, fundis, massis, et pertinentiis eorum; roccam Sancti Stephani cum pertinentiis suis; vallem de Anigno, cellam de Occia cum montibus et collibus et fundis et casalibus suis; Toccianellum, fundum Orarum, fundum Micronianum, fundum Canianum, fundum Conuitellum, fundum Aquævivæ; et medietatem montis Afilani cum omnibus eorum pertinentiis; castrum Afilæ cum montibus et collibus et medietatem montis Afilani, et cum omnibus eorum pertinentiis; castrum Pontiæ cum montibus et collibus, et cum omnibus eorum pertinentiis; castrum Roijate cum Rocca sua; præterea quæ ex antiquo jure, et tam Romanorum pontificum quam etiam imperatorum concessionibus et privilegiis ad idem monasterium Beati Benedicti pertinere noscuntur; Salam civitatem quæ vocatur Carsoli cum massis et fundis et casalibus suis, Auricula, roccam de Butte, roccam Aprunii, Arsule, Rubianum; et super fluvium Anticulum, Sarraciniscum, roccam de Miazi, roccam de Sunici, Sambuci, Sicilianum, medietatem de Ilice, massam Sancti Valerii, Piscanum, montem Casalem, Civitellam, clibanum cum omnibus fundis et casalibus eorum, oppidum Tusculanum cum rocca sua et cum omnibus pertinentiis suis; castellum Gallicani cum ecclesiis, fundis et casalibus et omnibus pertinentiis suis.

Confirmamus etiam vobis cellas ad idem monasterium pertinentes, videlicet ecclesiam Sancti Angeli in Afila positam, ecclesiam Sancti Georgii cum omnibus earum pertinentiis et cum veteri hæreditate beati Benedicti, ecclesiam Sancti Stephani in Pilio, ecclesiam Sancti Angeli in Petra Lata, Sancti Sebastiani in Paliano, ecclesias Sancti Quintini et Sancti Blasii in Anticulo, ecclesiam Sancti Leucii in Babuco, cum omnibus earum pertinentiis, positas in territorio Campanino; in Cartorio ecclesiam Sancti Petri in Cammerata et Sancti Petri de Aprunio; in territorio Morsicano Sancti Petri in Nerse, Sancti Benedicti in rocca de Meruli, Sanctum Thomam de Transaquis cum ecclesia Sancti Nicolai in villa posita cum eorum pertinentiis; Sanctum Angelum in Albe, Sanctum Salvatorem in Avezano, Sanctam Mariam de Tufo cum suis pertinentiis; in valle Sorana ecclesiam Sancti Pauli cum aliis tribus ecclesiis cum villa juxta se posita et cum omnibus eorum pertinentiis; S. Joannem de Pesculo, Sanctam Mariam de Anticulo, Sanctam Mariam de Rubiano, Sanctam Mariam de Arsule; in civitate Tiburtina, ecclesiam Sancti Antonini, Sanctæ Crucis et Sanctæ Barbaræ cum omnibus eorum pertinentiis; aliam cellam ad honorem Sanctæ Crucis in Quintiliano, cum oliveto suo et cæteris suis pertinentiis, et sex uncias de ecclesia Sancti Petri, cum terris et vineis, sicut per antiquos confines constat; villam quæ vocatur Papi cum ecclesia Sanctæ Mariæ cum terris et vineis, et monte qui vocatur Mansula; ecclesiam Sanctæ Mariæ quæ ponitur in porta; ecclesiam Sancti Sebastiani cum omnibus suis pertinentiis; aquincolos tres, unum in castro veteri, alium fo-

ris portam majorem et alium in Vesta; juxta castellum Gallicanum ecclesias Sancti Pastoris, Sancti Angeli, Sanctæ Mariæ, Sancti Laurentii in Aqua Alta cum omnibus earum possessionibus; Romæ, monasterium Sancti Erasmi, cum domibus et hortis et cæteris possessionibus ad ipsum pertinentibus.

Ad hæc, propter frequentes injurias quæ ab episcopis, vel ipsorum ministris monasteriis ingeruntur, datam vestro cœnobio facultatem a nostris prædecessoribus vobis quoque ratam manere decernimus, ut ad ecclesias, cum expedierit, dedicandas, aut clericos in monasterio, sive in cellis, sive in castellis aut villis monasterii ordinandos, a nobis episcopum postuletis. Quod si ad nos in tempore venire nequiveritis, quem malueritis episcoporum Catholicum adeatis, qui apostolicæ sedis fultus auctoritate, quæ postulantur exhibeat; nec a quoquam Ecclesiæ alicujus episcopo, super hoc contradictionem aut quærimoniam patiatur. Eapropter omnem cujuslibet ecclesiæ sacerdotem in præfato Beati Benedicti monasterio ditionem quamlibet, præter sedem apostolicam, habere prohibemus. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem et beati Benedicti Regulam, prævidcrint eligendum; electus autem a Romano pontifice consecretur.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut possessiones ipsius auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, et Prænestini episcopi consueta justitia in Pontia, vel Roiate, sicut in instrumento compositionis de utriusque partis assensu facto exinde continetur. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Clemens catholicæ Ecclesiæ episcopus ss.

Datum Laterani per manum Moysi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, vices agentis cancellarii, duodecimo Kalend. Maii, indictione VII, Incarnationis Dominicæ anno 1189, pontificatu vero domni Clementis papæ III anno secundo.

CXVIII.

Ecclesiæ Ferrariensis protectionem suscipit et possessiones juraque confirmat.

(Laterani, April. 20.)

[MURATORI, *Antiq. Ital.*, VI, 439.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, venerabili STEPHANO Ferrariensi episcopo, ejusque successoribus canonice substituendis, in perpetuum.

In eminenti sedis apostolicæ specula, licet immeriti, disponente Domino, constituti, fratres nostros episcopos tam vicinos quam longe positos fraterna debemus charitate diligere et Ecclesiis a Deo sibi commissis paterna sollicitudine providere. Eapropter, venerabilis in Christo frater episcope, tuis justis postulationibus clementer annuimus, et felicis recordationis prædecessorum nostrorum Innocentii, Cœlestini, Lucii, Alexandri et Gregorii Romanorum pontificum vestigiis inhærentes præfatam Ferrariensem Ecclesiam, cui Deo auctore, præesse dignosceris, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus; statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia inpræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

Monasterium Sancti Sylvestri, monasterium Sancti Bartholomæi, plebem Sancti Georgii ultra Padum, plebem Sanctæ Mariæ de Gabiana, plebem Sanctæ Mariæ de Vicoventia, cum castro et curte, et toto honore ac districtu Vicoventiæ; plebem Sancti Martini de contra Padum, plebem Sancti Apollinaris de Trisicalio, plebem Sancti Stephani de Firminiana, cum tota curte Firminianæ et Trisicali, cum honore et districtu; plebem Sancti Petri de Copario, plebem Sancti Georgii de Tamara, plebem Sancti Martini de Rupina, plebem Sanctæ Mariæ de septem Policinis, plebem Sanctæ Mariæ de Vicariano, cum curte Vicariani et toto honore ac districtu; plebem Sancti Donati de Pedrurio cum curte Sancti Donati et districtu, plebem Sancti Stephani de Bolonitico, cum curte Bolonitici et honore ac districtu; plebem Sancti Georgii de Tricenta, cum curte Tricenta, et honore ac districtu, plebem Sancti Antonini de Ficarolo, plebem Sanctæ Mariæ de Civisello, plebem Sancti Michaelis de Brancantino, cum curte Melaria et toto honore ac districtu; ecclesiam Sancti Stephani de Staurano, cum tota ejus curte; ecclesiam Sancti Romani de Tartaro, ecclesiam de Cadaldo, cum hospitali; ecclesiam Sancti Thomæ, cum hospitali subtus Buranam; ecclesiam Sancti

Matthæi, cum hospitali de Rupta Petri Scorti; A hospitale omnium Sanctorum, hospitale Fratris Duranci, hospitale de Caudalonga, ecclesiam Sancti Lazari cum hospitale de campo Mercati, curtem Francolini, cum toto honore et districtu, curtem Vadrignanai et Bragantini, cum toto honore et districtu; vallem Theodoram, campum Ducis, dossum Pontuariæ, cum tota Vallada sibi pertinente; ecclesiam Sancti Martini de Boscho, hospitale de Ruptulo, cum omnibus capellis et tenutis, et earum pertinentiis.

Antiquas igitur et rationabiles consuetudines, quas antecessores tui in canonica majori, et in ecclesiis tui episcopatus hactenus habuerunt, tibi et successoribus tuis auctoritate apostolica confirmamus, statuentes ut nulli liceat aliquem in eccle- B sia majori canonicum, vel in aliquam prælationem, non requisito consilio et scientia tua seu successorum tuorum, recipere. Nec cuiquam fas sit in cæteris ecclesiis capellanum absque tuo consensu constituere vel amovere. Correctionem quoque canonicorum Ecclesiæ tuæ, et aliorum clericorum tui episcopatus et monachorum libere habeas, et eorumdem ordinationem, sicut prædecessores tui habuisse noscuntur, tibi et successoribus tuis duximus concedendam. Illud etiam, ad exemplar supradictorum prædecessorum nostrorum, omnimodis sancientes, ut Ferrariensis Ecclesia cum tota parochia sua in jure et dominio ac privilegio sanctæ Romanæ Ecclesiæ beati Petri, cu- C jus est patrimonium, perpetuo conservetur, et sit semper sub nostra nostrorumque successorum electione, ordinatione atque consecratione, ut quicunque illic electus, ordinatus et consecratus fuerit, ille honoris hujus ac potestatis integritate fungatur. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat, etc.

Ego Clemens catholicæ Ecclesiæ episcopus subscripsi.

Ego Laborans presbyter cardinalis Sanctæ Mariæ trans Tiberim et Calixti subscripsi.

Ego Pandulphus basilicæ Duodecim Apostolorum presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Albinus presbyter cardinalis titulo Sanctæ Crucis in Jerusalem subscripsi. D

Ego Bobo presbyter cardinalis titulo Sanctæ Anastasiæ subscripsi.

Ego Petrus titulo Sancti Laurentii in Damaso presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Jacobus diaconus cardinalis Sanctæ Mariæ in Cosmidin subscripsi.

Ego Gratianus Sanctorum Cosmæ et Damiani diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Bernardus Sancti Adriani diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Octavianus Sanctorum Sergii et Bacchi diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Gofredus Sanctæ Mariæ in Via Lata diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Joannes Felix diaconus cardinalis Sancti Eustachii juxta templum Agrippæ subscripsi.

Ego Gregorius Sanctæ Mariæ in Agro diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Bernardus Sanctæ Mariæ Novæ diaconus cardinalis subscripsi.

Datum Laterani per manum Moysi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi vicem agentis cancellarii, XII Kalendas Maii, indictione VII, Incarnationis Dominicæ anno 1189, pontificatus vero domni Clementis papæ tertii anno secundo.

CXIX.

Eberhardo Merseburgensi et Ottoni Eischtettensi episcopis mandat ut de vita et miraculis Ottonis I, episcopi Bambergensis, diligenter inquirant, eumque, nisi impedimenta invenerint, sanctis ascriptum declarent.

(Laterani, April. 29.)

[USSERMANN, *episcopatus Bambergensis*, Prob., 133.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus E. Merseburgensi et O. Eistettensi episcopis, et dilectis filiis S. Emmerammi Ratisponensi et Schwartzensi abbatibus, decano et scholastico Wirtziburgensi salutem et apostolicam benedictionem.

Ad audientiam apostolatus nostri ex quarumdam serie litterarum et relatione multorum pervenit, quod divina potentia per merita et interventum beati Ottonis, qui Bambergensis fuit episcopus, multam est operata salutem, præcipue in gente Pomeranica, ad quam fuit ab apostolica sede transmissus, et in ea compluribus miraculis donavit illi Dominus coruscare. Quoniam igitur juxta divinæ Scripturæ testimonium lucerna non sub modio sed supra candelabrum est ponenda, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus de vita ipsius et miraculis diligentius inquiratis, quæ nobis fuerunt per multorum litteras indicata; et si non inveneritis aliquid quod obsistat, ipsum canonizatum auctoritate freti apostolica solemniter et publice nuntietis, anniversarium diem sui transitus facientes et publice nuntiantes ad honorem Dei et ipsius beati viri memoriam solemnem habere.

Datum Laterani, III Kal. Maii pontificatus nostri anno secundo.

CXX.

Ottonem II episcopum Bambergensem de mandato Merseburgensi et Eischtetensi episcopis dato, certiorem facit.

(Laterani, Maii 1.)

[*Ibid.*]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri OTTONI episcopo et dilectis filiis canonicis et universo clero et populo Bambergensi montis S. Michaelis, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum sedi apostolicæ referuntur ea quæ ad salutem pertinent animarum et devotionem cleri et populi manifestis indiciis respicere comprobantur,

ea sicut convenit libenter audimus, et ut debeant in Domino promoveri favorem ut expedit impertimur apostolicum et assensum. Hinc est quod cum ad audientiam apostolatus nostri quarumdam serie litterarum et multorum relatione pervenerit, quod divina potentia per miracula et interventum B. Ottonis, qui Bambergensis fuit episcopus, sit multorum operata salutem, præcipue in gente Pomeranica, ad quam fuit ab apostolica sede transmissus, in qua donavit illi Dominus Deus compluribus miraculis coruscare.

His gratanter auditis, et pro tantis beneficiis omnipotenti Domino gratiarum actionibus exsolutis, vestris piis desideriis ad laudem Dei satisfacere cupientes, venerabilibus fratribus nostris Merseburgensi, et Eistettensi, episcopis, et dilectis filiis S. Emmerami Ratisponensi et Schwartzensi abbatibus, decano et scholastico Wirtzeburgensi dedimus in mandatis, quatenus de vita ipsius et miraculis diligenter inquirant, quæ nobis fuerunt per multorum litteras indicata. Et si non fuerit inventum aliquid, quod obsistat, ipsum canonizatum prædictæ magnæ personæ debeant solemniter et publice auctoritate freti apostolica nuntiare, anniversarium diem sui transitus facientes et publice nuntiantes ad honorem Dei et ipsius beati viri memoriam solemnem haberi.

Datum Laterani, Kalend. Maii, pontificatus nostri anno secundo.

CXXI.

Monasterio S. Dionysii ecclesiam S. Blasii de Grandiputeo asserit.

(Laterani, Maii 18.)

[Doublet, *Histoire de saint Denys*, 525.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et fratribus Sancti Dionysii salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere assensum, et vota quæ a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, grato concurrentes assensu, ecclesiam Sancti Blasii de Grandiputeo cum pertinentiis suis, quam Hevardus divinus fundator ejusdem ecclesiæ, de assensu et confirmatione venerabilis fratris Guillelmi Senonensis archiepiscopi vobis donavit, sicut eum juste ac pacifice possidetis, vobis et Ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nihilominus etiam vobis præsentium auctoritate concedimus ut, si generale interdictum terræ fuerit, si delicto proprio non fueritis interdicti, liceat vobis in ea clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare, et homines de familia vestra nisi excommunicati vel interdicti fuerint, ecclesiasticæ tradere sepulturæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis et concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani, xv Kalendas Junii, pontificatus nostri anno secundo.

CXXII.

Monasterii S. Matthæi de Castello tutelam suscipit, disciplinamque, bona, jura confirmat.

(Laterani, Jun. 12.)

[Gattula, *Hist. Casin.*, 403.]

Clemens, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Jacob abbati monasterii S. Matthæi servorum Dei de Castello ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

In eminenti apostolicæ sedis specula, largiente Domino, quanquam immeriti, constituti, ad universum corpus Ecclesiæ aciem nostræ considerationis debemus extendere, et servorum Dei quieti attentiori studio providere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et felicis recordationis Alexandri, Lucii prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes præfatum monasterium, in quo estis divino obsequio mancipati, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo monasticus qui secundum Deum, et beati Benedicti Regulam in vestro monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones quæcunque bona idem monasterium inpræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principium, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus et illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

Locum ipsum in quo præscriptum monasterium constructum est, cum omnibus pertinentiis suis; terras, et vineas, quas habetis in territorio Aquinati, possessiones, et terras, quas habetis in terra S. Benedicti, sive terragio; justitiam panis et vini, quam de veteri concessione hactenus observata, diebus singulis a Cassinensi monasterio, et eam quam ab ecclesia S. Mariæ de Albancta, et S. Nicolai de Ciconia recipitis, sicut eas vobis prædictum monasterium Cassinense in perpetuum obtinendas pietatis obtentu concessit. Libertatem etiam a bonæ memoriæ Raynaldo, Theodino, Petro, et dilecto filio Roffrido tituli SS. Marcellini et Petri presbytero cardinali Cassinensibus abbatibus, cum assensu capituli, sicut in eorum scriptis authenticis continetur, monasterio vestro indultam, et bonas consuetudines hactenus observatas, nec non ecclesiam S. Martini de Montemontano, et ecclesiam S. Leonardi Juxta Montem Sambuclum cum pertinentiis suis, et ecclesiam S. Mariæ de Radicelo cum pertinentiis suis, ab eisdem abbati-

bus rationabiliter vobis concessas, cum hominibus A quos a præfato monasterio Casinensi tenetis, nihilominus vobis et monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus. Liceat quoque vobis clericos, vel laicos fugientes, liberos, et absolutos ad conversionem recipere, et in vestro monasterio, sine contradictione qualibet retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum, post factam in loco vestro professionem, fas sit eodem loco, absque licentia abbatis sui discedere. Discedentem vero sine communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Interdicimus etiam ne alicui liceat aliquem monachum in eamdem domum contra vestram voluntatem inducere, aut ex ea quemlibet de fratribus vestris, vobis volentibus, sine causa rationabili removere. Sane novalium vestrorum quæ pro- B pri s manibus, vel sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, nullus omnino a vobis decimas præsumat exigere. Statuimus insuper ut nulli penitus liceat eidem monasterio vestro indebitas exactiones aut novos census imponere, seu veteres contra statuta sacrorum canonum adaugere; sepulturam quoque loci ipsius liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia, seu violen- C tia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars sanioris consilii, secundum Dei timorem, et beati Benedicti Regulam providerint eligendum.

Decernimus ergo, ut nulli omnino nominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra et illibata serventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate, et Cassinensis monasterii debito jure, et reverentia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo, ter- D tiove commonita nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore, et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus, et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Clemens catholicæ Ecclesiæ episcopus subscripsi.

Ego Albanus Albanensis episcopus subscripsi.

Ego Bobo Portuensis Sanctæ Ruffinæ sedis episcopus subscripsi.

Ego Octavianus Ostien., et Velletren. episcopus subscripsi.

Ego Laborans presbyter cardinalis S. Mariæ trans Tisberim tit. Calixti subscripsi.

Ego Pandulfus presbyter card. basilicæ XII Apostolorum.

Ego Jordanus presbyter card. Pudentianæ tt. Pastoris.

Ego Joannes tituli S. Clementis card. et Tuscan. episcopus subscripsi.

Ego Jacinthus S. Mariæ in Cosmidin diac. card. subscripsi.

Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani diac. cardinalis.

Ego Gerardus S. Adriani diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Gofridus Sanctæ Mariæ in Via Lata diac. card. subscripsi.

Ego Berardus S. Mariæ Novæ diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Gregorius S. Mariæ in Aquiro diaconus cardinalis.

Datum Laterani per manum Moysi, S. R. E. subdiaconi vicem agentis cancellarii, II Idus Junii, indictione septima, anno incarnationis Dominicæ 1189, pontificatus vero domni Clementis papæ tertii, anno secundo.

CXXIII.

Universum capitulum Trevirense et omnem clerum et populum per archiepiscopatum consistentem a Fulmari archiepiscopi et R. præpositi obedientia in spiritualibus et temporalibus absolvit.

(Laterani, Jun. 26.)

[Guenther, *Cod. diplom. Rheno-Mosell.*, I, 459.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, universo capitulo Trevirensis Ecclesiæ, et omni clero et populo per Trevirensem archiepiscopatum consistentibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Multiplicibus perturbationum gravaminibus, quæ occasione dissensionis in electione archiepiscopi Trevirensis incurrit Ecclesia, paterno compatientes affectu, considerantes etiam quot et quanta universali Ecclesiæ ex dissensione quæ inter Romanam Ecclesiam et imperium propter hoc emerserat, dispendia poterant evenire, ab ipso nostræ promotionis initio, quanto studio quantaque sollicitudine potuimus ne ulterius dicta mala procederent, et quæ excitata fuerant sopirentur, per nos et fratres et legatos nostros sine intermissione curavimus laborare. Et quoniam ipsius pacis tractatus, et totius negotii consummatio venerabilis fratris nostri Fulmari archiepiscopi vestri præsentiam exigebat, ipsum ad nos impetrata sibi a charissimis in Christo filiis nostris. F. imperatore, et H. filio ejus rege Romanorum semper augustis omnimoda securitate, apostolici auctoritate præcepti, curavimus

evocare Dilecti etiam filii nostri P. titulo Sancti A Petri ad Vincula, et J. sanctæ Pudentianæ presbyteri cardinales, apostolicæ sedis legati, hoc ipsum ei ex parte nostra et sua missis litteris, cum quanta potuere districtione injungere curaverunt. Abjectum est etiam quod nisi pridie Idus Februarii jam præteriti, nostro se conspectui præsentaret, nihilominus ad negotii consummationem de fratrum nostrorum consilio procedere curaremus. Quoniam igitur haetenus nescimus qua intentione seu animositate nobis suam noluit præsentiam exhibere, ipsam de communi fratrum consilio, ceu contumacem et inobedientem, auctoritate qua fungimur, illa quam in vos ecclesiam Trevirensem, suffraganeos, et totum archiepiscopatum de jure archiepiscopati hactenus habuit, potestate privamus; statuentes, ut B tam ab ipsius quam a R. præpositi obedientia tam vos quam universus archiepiscopatus, sitis deinceps in spiritualibus et temporalibus quantum ad jus archiepiscopale pertinet, præpetuo penitus absoluti, sicut dum Verone essemus vivente adhuc bonæ memoriæ Urbano prædecessore nostro, inter ipsum et imperiales nuntios condictum fuerat et statutum, prout in litteris compositionis apparet, dictorum cardinalium legatorum nostrorum, et venerabilium fratrum nostrorum, Bauembergensis, et G. Herbipolensis episcoporum, et dilecti filii S. Hersfeldensis abbatis sigillorum testimonio consignatis. Præbendas tamen et beneficia quæ uterque, et clerici qui pro Fulmaro ejecti fuerunt ipsius C electionis tempore possidebant; omnibus volumus et mandamus sine aliqua diminutione persolvi. Nos etenim Fulmaro jam dicto alicubi per sedem apostolicam honeste volumus provideri. Interdicimus etiam ne idem Fulmarus ullo unquam tempore in tota Trevirensi diœcesi legatione fungatur, aut cum pontificalibus debeat insignibus ministrare. Si quos autem occasione non impensæ sibi obedientiæ, memoratus Fulmarus deposuit, excommunicavit, officioque suspendit, aut beneficio, in integrum esse decernimus restitutos. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri D et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Ego Clemens catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Albinus Albanensis episcopus.

Ego Bobo Portuensis et et Sanctæ Rufinæ sedis episcopus.

Ego Octavianus Ostiensis episcopus, et, Velletrensis.

Ego Laborans presbyter cardinalis Sanctæ Mariæ trans Tiberim, titulo Calixti.

Ego Jordanus Sanctæ Pudentianæ titulo Passionis presbyter cardinalis.

Ego Joannes titulo Sancti Clementis cardinalis et Tuscanensis episcopus.

Ego Jac. diaconus cardinalis Sanctæ Mariæ in Cosmidin.

Ego Goffredus Sanctæ Mariæ in Via Lata diaconus cardinalis.

Ego Gregorius Sanctæ Mariæ in Aquiro diaconus cardinalis.

Datum Laterani per manum Moysi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, vicem agentis cancellarii, XI Kal. Junii, indictione septima, Incarnationis Dominicæ anno 1189, pontificatus vero domni Clementis papæ III anno secundo.

CXXIV.

Monasterio S. Chrysogoni Jadrensis ecclesiam S. Martini asserit.

(Laterani, Jun. 28.)

[FARLATI, *Illyricum sacrum*, V, 65.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis G..... abbati et fratribus, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum et vota quæ a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu ecclesiam Sancti Martini cum omnibus pertinentiis suis a patronis ipsius ecclesiæ de consensu Jadertini capituli, monasterio vestro pia largitione concessam, sicut ipsam juste ac sine controversia possidetis, vobis et per vos eidem monasterio auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus: statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani, IV Kal. Julii, pontificatus nostri anno secundo.

CXXV.

Hermano magistro et fratribus hospitalis Hierosolymitani asserit ea quæ Philippus archiepiscopus Coloniensis hospitali de Sancto Sepulcro Duisburgensi donaverat.

(Laterani, Jul. 14.)

[LACOMBLET, *Urkund.*, I, 362.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis HERIMANNO magistro et fratribus Jerosolymitani hospitalis salutem et apostolicam benedictionem.

Vidimus authenticum instrumentum venerabilis fratris nostri Philippi Coloniensis archiepiscopi, ex cujus tenore nobis innotuit quod idem archiepiscopus hospitali vestro de Sancto Sepulcro in Dusburg pia donatione concessit domum Conradi de Dicke, domum Alexandri filii Lodewici, domum Lanthfridi Brunckini Sifredi cum spatiis interjectis, nec non et omnes terminos versus ecclesiam S. Mariæ

infra murum et extra murum civitatis sitos, tali tenore videlicet ut habitatores prædictarum domorum baptismalia, sepulturas, visitationes infirmorum in eadem hospitali domo cum omni jure parochiali recipiant; synodo tamen pastoris ecclesiæ S. Salvatoris et archidiaconi Sanctensis ac præpræpositi S. Cuniberti, qui jure decanatus eidem ecclesiæ prælatus est, statutis debent, sicut prius, temporibus interesse. Statuit etiam idem archiepiscopus ut decimas animalium cum obolis qui vulgo appellantur *Orkemscherf* de domibus prædictis memoratæ ecclesiæ Beatæ Mariæ tradatur, pro quorum recompensatione pastori ecclesiæ S. Salvatoris dimidia marca debet annuatim persolvi. A. quoque sacerdos et successores ejus tertiam partem cathedratici prædicti archiepiscopi et servitii archidiaconi Sanctensis atque præpositi S. Cunnberti, omni contradictione remota, persolvant. Ut igitur constitutio prædicti archiepiscopi et concessio vel confirmatio robur obtineat firmitatis, ipsam sicut rationabiliter facta est et in ejus scripto authentico continetur, ratam habemus et sicut prædicta omnia pacifice possidetis, devotioni vestræ auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus; statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et BB. Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Data Laterani, II Idus Julii, pontificatus nostri anno secundo.

CXXVI.

Canonicis ecclesiæ S. Thomæ de Louvrea Parisiensis asserit possessiones a Roberto comite collatas.

(Laterani, Jul. 26.)

[Dom Félibien, *Hist. de Paris*, III, 75.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis canonicis ecclesiæ S. Thomæ de Louvrea, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis facilem nos convenit præbere consensum, et vota quæ a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, precibus inclinati nobilis feminæ comitissæ Brayæ, possessiones et redditus a Roberto comite quondam marito suo ab ipsa et liberis ejus in eleemosynam ecclesiæ vestræ concessos, scilicet curiam, in qua erant ædificata stabula, ut ibi construeretur hospitale; partem virgulti (vulgo *du verger*) inter hospitale canonicos attingentis, a claustro quod est ante januam ecclesiæ, usque ad extremitatem muri, et redditus ad sustentationem canonicorum sacerdotum manentium, in decimis de Torciano, Galliaco et de Braya; et centum solidos Parisiensis monetæ apud Villamnovam Sancti Georgii annuatim in festo sancti Remigii persolvendos; vineam etiam et arpentum terræ, quæ jacent extra muros prædicti loci S. Thomæ, sicut ea juste et sine controversia possidetis, et in eorum scripto authentico continetur, ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus; statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani, VII Kal. Augusti, pontificatus nostri anno secundo.

CXXVII.

Præposito et fratribus ecclesiæ S. Nicolai Stendalensis privilegia concedit.

(Laterani, Sept. 11.)

[Riedel, *Cod. dipl. Brem.*, I, v, 22.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis præposito et fratribus Sancti Nicolai in Stendale.

. . . . . Tam vestris quam dilecti filii nostri nobilis viri Henrici comitis, vestræ ecclesiæ fundatoris, precibus inclinati, præsenti pagina vobis vestrisque successoribus duximus indulgendum, ut sit diœcesanus vester a vobis cum humilitate debita sub testimonio prudentum virorum pluries requisitus, sacramenta ecclesiastica gratis vobis et sine difficultate ac pravitate aliqua non indulserit, a quocunque malueritis Catholico episcopo gratiam apostolicæ sedis habente, ea vobis liceat postulare, qui, nostra fretus auctoritate, quod postulatur, impendat.

Nulli ergo omnino hominum liceat, etc.

Datum Laterani, III Idus Septembris, pontificatus nostri anno secundo.

CXXVIII.

Universis episcopis præcipit, ut sacramenta, cum a fratribus ecclesiæ S. Nicolai Stendalensis fuerint requisiti, dilatione et appellatione remota impendant.

(Laterani, Sept. 11.)

[*Ibid.*]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus universis episcopis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Etsi universarum ecclesiarum quieti teneamur sollicite providere, de illarum tamen tranquillitate ac pace nos convenit vigilantius cogitare, quæ nostri juris existunt, et ad Romanam Ecclesiam, nullo mediante pertinere noscuntur. Inde est quod cum dilectis filiis nostris præposito et fratribus ecclesiæ S. Nicolai de Stendale, quæ beati Petri juris existit et ad nos specialiter pertinere dignoscitur, de apostolicæ sedis clementia sit indultum, ut si diœcesanus episcopus sub testimonio prudentum virorum, ab eis cum humilitate debita pluries requisitus, sacramenta ecclesiastica gratis illis et absque difficultate vel pravitate aliqua non indulserit, ea possint a quocunque maluerint Catholico episcopo po-

stulare, fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus sacramenta ipsa cum ab eisdem fratribus fueritis requisiti, dilatione et appellatione remota, libere de auctoritate apostolica impendatis.

Datum Laterani, III Idus Septembris, pontificatus nostri anno secundo.

CXXIX.

Monasterium Baumburgense tuendum suscipit, ejusque possessiones ac privilegia confirmat.

(Laterani, Sept. 12.)

[Hund, *Metropolis Salisburg.*, III, 85.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Marsilio præposito ecclesiæ Sanctæ Margaretæ de Baumburg, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Quoties illud a nobis petitur quod honestati et religioni convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum suffragium impartiri. Unde quia Berengarius comes Sulzbachen allodium suum in Sulzburgen. territorio beato Petro et sanctæ Romanæ Ecclesiæ sub unius Bizantii annuo censu pia devotione obtulit, in quo in honorem Dei et memoriam beatæ Margaretæ virginis ecclesiam vestram construens eam ordini canonicorum regularium deputavit, nos sequentes vestigia prædecessorum nostrorum Romanorum pontificum Paschalis, Honorii, Innocentii, Lucii, secundi et Lucii tertii, locum ipsum quoniam beati Petri juris existit, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes ut ordo canonicus qui secundum Deum et beati Augustini Regulam institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia inpræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

Archidiaconatum, parochiam Sancti Georgii, ecclesiam sancti Jovanis in Fruchtlachingen, Frulestorf cum pertinentiis suis, Funigen cum pertinentiis suis, Varnaspacht cum pertinentiis suis, Meglinger cum pertinentiis suis, Windbret cum pertinentiis suis. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus ut eorum devotioni et extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat; salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. Liceat etiam præposito qui pro tempore fuerit advocatum quem eidem loco perutilem et necessarium esse perspexerit, communi vel sanioris partis fratrum consilio secundum Deum eligere, et si inutilis apparuerit removere, sicut a prædecessoribus nostris felicis recordationis, Pascali, Honorio, Innocentio, Lucio secundo et Lucio tertio statutum esse et scripto suo firmatum. Obeunte vero te, nunc ejusdem loci præposito vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi quolibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem, canonice providerint eligendum. Sane post professionem exhibitam, nemini vestrum liceat proprium quid habere, nec sine præpositi vel congregationis licentia de claustro discedere. Sua etiam tuorumque successorum charitati apostolicæ sedis benignitate permittimus et roboramus ut licitum vobis sit ordinationes clericorum, aliaque ecclesiastica sacramenta a bonis episcopis et religiosis accipere, si vester episcopus Simoniaca vel alia hæretica pravitate infectus fuerit, et gratiam sedis apostolicæ non habuerit; ad indicium autem hujus ab apostolica sede perceptæ tuitionis, Bizantium unum singulis annis nobis nostrisque successoribus persolvetis. Insuper etiam ut Domino nostro Jesu Christo liberiori animo serviatis, vestræ saluti per omnia providentes, statuimus ut servientes vestri qui in curia vestra vobis serviunt, absque impulsione parochiani in ecclesia vestra verbum Dei et missas audiant, sacramenta percipiant, cæterisque divinis legibus subjaceant; decimas vero novalium vestrorum, vobis vestrisque successoribus habendas, remota episcopalium ministrorum contradictione concedimus, ut quiete in eo quod assumpsistis proposito, largiente Domino, in perpetuum maneatis.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat eamdem ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate ac diœcesani episcopi in subjectis vobis prædictis parochiis canonica justitia. Si qua igitur in futurum, etc.

Ego Clemens catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Datum Laterani, II Id. Sept.

CXXX.

Præposito et fratribus S. Nicolai Stendalensis concedit, ut in parochiis quæ ad eos pertinent, per se vel per capellanos ministrent.

(Laterani, Sept. 13.)

[Riedel., *Cod. dipl. Brand.*, I, v, 23.]

Clemens episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis præposito et fratribus Sancti Nicolai in Stendale.

.... Tam vestris quam dilecti filii nobilis viri Henrici comitis, vestræ ecclesiæ fundatoris, precibus inclinati, præsenti pagina vobis vestrisque successoribus duximus indulgendum ut, si diœcesanus episcopus sub honestarum testimonio personarum pluries humiliter requisitus personis ido-

neis a vobis canonice præsentatis curam animarum illarum parochiarum, quæ ad vos pertinent, sine difficultate ac pravitate aliqua non impenderit, ex tunc eam de auctoritate apostolica, cessante appellatione absque calumnia, teneatis et in eis per vos vel per capellanos vestros libere ministretis, donec episcopus duritiam suam recogitans præsentatos a vobis sicut debet admittat.

Nulli ergo omnino hominum liceat, etc.

Datum Laterani, Idus Septembris, pontificatus nostri anno secundo.

CXXXI.

Præposito et fratribus S. Nicolai Stendalensis permittit ut « decimas de manibus redimant laicorum, et eas suis successorumque usibus libere deputent. »

(Laterani, Sept. 13.)

[Riedel, *ibid.*, I, v, 24.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis præposito et fratribus Sancti Nicolai in Stendale.

.... Vobis præsentium auctoritate duximus indulgendum, ut liceat vobis decimas, ad vestras parochias pertinentes, de manibus redimere laicorum, et eas vestris vestrorumque successorum usibus libere deputare.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam indulgentiæ nostræ infringere, etc.

Datum Laterani, Idus Septembris, pontificatus nostri anno secundo.

CXXXII.

Al. præposito et fratribus S. Nicolai Stendalensis concedit, « ut nulli synodum in ecclesia eorum liceat celebrare, nec quisquam episcopus vel prælatus eos excommunicare aut eorum ecclesiam præsumat subjicere interdicto. »

(Laterani, Nov. 4.)

[*Ibid.*]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Al. præposito et fratribus ecclesiæ de Stendale, salutem et apostolicam benedictionem.

.... Dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, auctoritate vobis præsentium indulgemus, ut nulli synodum in ecclesia vestra, vobis invitis, liceat celebrare; auctoritate etiam apostolica prohibemus, ne quisquam episcopus vel prælatus personas vestras excommunicare aut vestram ecclesiam præsumat subjicere interdicto, salva sedis apostolicæ et ipsius legati auctoritate.

Nulli ergo omnino hominum liceat, etc.

Datum Laterani, II Non. Novembris, pontificatus nostri anno secundo.

CXXXIII.

Ad Ger. comitem et universum populum Ragusinum.

(Laterani, Nov. 25.)

[Farlati, *Illyricum sacrum*, VI, 83.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis nobili viro Ger... comiti et universo populo Ragusino, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum venerabilis frater noster Ber. Ragusinus archiepiscopus ad sedem apostolicam accessisset, ipsum suæ probitatis, honestatis et litteraturæ intuitu benigne recepimus, eique pallium scilicet pontificalis officii plenitudinem clementer curavimus impertiri. Ipsum igitur, quem suæ discretionis et probitatis consideratione sincera charitate diligimus, ad vos eum cum gratia sedis apostolicæ remittentes universitatem vestram monemus et per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus eum benigne curetis et devote recipere, et ei obedientiam et reverentiam debitam exhibentes ipsius salubria monita et mandata reverenter et sine refractione servetis, et in his quæ ad Deum sunt, ei tanquam patri et animarum vestrarum pastori cum omni mansuetudine ac devotione assistere studeatis, et favorem vestrum fidenter impertiri, ut ipse in suscepto ministerio vobis et commissæ sibi Ecclesiæ utiliter proficere valeat, et vos de obedientiæ et fidelitatis observantia præmium a Domino possitis indeficienter exspectare.

Datum Laterani, VII Kal. Decembris, pontificatus nostri anno secundo.

CXXXIV.

Monasterium S. Quintini Bellovacensis in protectionem suscipit, disciplinamque et possessiones confirmat.

(Romæ.)

[Louvet, *Antiquités du Beauvoisis*, I, 477.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Petro abbati et cæteris fratribus in B. Quintini Ecclesia secus Belvacum sita, canonicam vitam professis, eorumque successoribus regulariter victuris, in perpetuum.

Piæ voluntatis affectus prosequente debet studio confoveri ut ecclesiastica utilitas apostolicæ sedis favore vires accipiat et accrescat. Eapropter, dilecti in Christo filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus et præfatam ecclesiam in qua divino mancipati estis obsequio, ad instar felicis recordationis Alexandri, prædecessoris nostri, Romani pontificis, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus: imprimis siquidem statuentes ut ordo canonicus, qui secundum Dei timorem et B. Augustini Regulam in ecclesia vestra statutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia inpræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

Locum in quo ecclesia ipsa sita est cum omnibus pertinentiis suis, videlicet præbendam in ecclesia

beati Belvacensis integram atque perpetuam, annualia etiam in eadem ecclesia præbendarum quando dimittuntur vel mutantur de persona in personam, sive post demissionem ad eamdem personam redeant, anno integro et integre; præbendam in ecclesia S. Bartholomæi integram atque perpetuam; præbendam in ecclesia S. Vedasti integram atque perpetuam; præbendam in ecclesia S. Laurentii integram atque perpetuam; præbendam in ecclesia S. Arnulphi de Claromonte cum vinea ad præbendam pertinente integram atque perpetuam; præbendam in ecclesia Beatæ Mariæ de Mertolo cum vinea ad præbendam pertinente integram atque perpetuam, domum etiam quamdam infra muros ejusdem castelli. Decimationem omnium molendinorum episcopi quæ sunt Belvaci, ad annonas molendas; B tredecimum denarium in omnibus molendinis fullonum episcopi, ecclesiam Sancti Hippolyti, silvam de Parco quibuscunque nominibus designatur, ad usus vobis necessarios, ad coquendos panes burgensium et Bolengariorum vestrorum, ad clausuras et escaratz (*sic*) vinearum et curticulorum vestrorum et spinas; quatuor asinos ad igni necessaria quotidie deferenda et in eadem silva mortua ligna et incisa terræque jacentia. Terram in insula prædictæ ecclesiæ adjacentem, et molendinum et furnum cum aqua quæ per terram ipsam discurrit, excussa omni aliena potestate. Nullus in præfatis et burgo et terra eidem ecclesiæ adjacente dispositionem, ditionem aut judicium præter Romanam Ecclesiam C vendicare præsumat, salvo jure canonico Belvacensis episcopi. Justitiam in viis et pratis terræ ecclesiæ vestræ adjacentibus porrectis in longum usque ad curtem ejusdem ecclesiæ quæ sita est citra monasterium S. Justi de Marisco, in latum vero usque ad fossatum, quod dividit prata a communibus pascuis et a novo fossato et a superiori alveo fluminis usque ad curtem vestram de Marisco. Parochiam Sancti Gervasii de Bragella, parochiam quæ vocatur Flagellatum Sancti Quintini et justitiam omnem ejusdem villæ et terram tribus aratris sufficientem cum parte silvæ. Ecclesiam de Novovico et molendinum et furnum; ecclesiam de Fuscinæ villa, altare de Temerii villa, altare de Audoeni villa, altare de Arione, altare de Bussy, altare de D Medianvilla, altare de Fredinvilla, altare de Dudonis villari, altare de Novavilla Regis cum tota minuta decima et tertia parte grandis decimæ; altare de Hamenvillare, altare de Monciaco, altare de Autollo cum omni grandi decima et minuta. Terram quæ appellatur mansionile Alberti ab omni justitia liberam, usuarium in omnibus silvis de Altiollo, fratribus ibidem manentibus; in Belvaco censum duarum portarum et censum pellium; cellam B. Mariæ de Gornaco cum appenditiis suis, unum modicum frumenti et unum avenæ quos reddit vobis annuatim ecclesia de Ressonis; sextam partem totius decimæ de villa S. Menelai, unum modium frumenti apud Gremeviller quem debent

A vobis canonici S. Michaelis; medietatem Grandisvillaris, quatuor altaria quæ tenent a vobis monachi; mansionile de Furnodo ab omni justitia et vicaria liberum.

In episcopatu Ambianensi ecclesiam B. Dionysii de Piccio cum appenditiis suis, parochiam S. Martini cum tota decima grandi et minuta, parochiam de Sancet cum tota decima, ecclesiam Conteiens. cum appendiciis. Altare S. Martini et capellam de Tilleio, altare de Corcellis, medietatem decimæ de Riveriis, capellam de Ferreriis, cum decima tota grandi et minuta, mansionile de Vagella et Molaria.

In episcopatu Noviomensi altare de Partin cum pertinentiis suis; in ecclesia B. Quintini Viromandensis præbendam unam et integram atque perpetuam. In ecclesia B. Mariæ de Nigella præbendam unam integram atque perpetuam. In episcopatu Suessionensi cellam S. Adriani cum appenditiis suis; hospites etiam qui in terra canonicorum hospitati sunt ab omni justitia et exactione; in Reinvalle quartam partem in omnibus terragiis omnium seminum.

In archiepiscopatu Rothomagensi altare de Spei cum præsentatione sacerdotis et tertiam partem decimæ et unum hospitem. In episcopatu Trecensi cellam Sancti Georgii cum appenditiis suis, curtem etiam canonicorum et atrium ejusdem loci jure parochiali liberum, vineas etiam et terras uni aratro sufficientes ab omni decima et exactione liberas; in ecclesia B. Petri Trecensis præbendam unam atque perpetuam; Trecis portam quæ dicitur Belonis; ecclesiam S. Mariæ de Druto cum omni decima grandi et minuta, et furno et justitia ejusdem villæ; capellam de Fontanis cum furno ejusdem villæ. et medietatem ejusdem villæ; capellam de Auriniaco et tertiam partem totius grandis decimæ cum tota minuta; terram de Mariniaco ab omni decima et justitia liberam; parochiam de Maceriis cum tota minuta decima, et in eadem parochia insulam Grancearum ab omni justitia liberam; parochiam de Villenosse cum omni decima grandi et minuta ejusdem parochiæ et homines vestros ab omni justitia liberos, et molendinum, capellam de Fontanellis et decimam ejusdem loci, capellam Sancti Jacobi, dimidium modium annonæ in decima de Loen, ecclesiam Sancti Andreæ de Baldement cum appenditiis suis et furno ejusdem villæ et medietatem grandis decimæ, et tertiam partem decimæ de Pars.

Ad hæc auctoritate apostolica prohibemus ne aliquis sine manifesta et rationabili causa excommunicationis vel suspensionis, aut in ecclesiis vestris interdicti sententiam ferre præsumat aut eisdem ecclesiis novas vel indebitas exactiones præsumat imponere. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur nisi quem fratres de communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum

Deum et beati Augustini Regulam providerint eligere. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati, qui illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu aliis quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate.

Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine, districtæ ultioni subjaceat; cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Actum Romæ, anno 1189.

ANNO 1190.

CXXXV.

Sententiam de jure fundationis trium ecclesiarum de Chilcheim, Eimuotingen et Matra, ab O[ttone] quondam episcopo Constantiensi probatam, confirmat.

(Laterani, Febr. 6.)

[SCHOEPFLIN, *Historia Zaringo-Badensis*, IV, 130.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis ALGOTO, LUPULTO et THEODRICO de Chilcheim, salutem et apostolicam benedictionem.

Quoties litigia super rebus ecclesiasticis orta ad legitimam discussionem deveniunt et in judicio proposita diutius disceptationibus partium ventilata per diffinitivam sententiam, mediante prælatorum discretione, legitime sopiuntur, decens est atque conveniens, ne iterum alicujus temeritate in contentionis scrupulum relabantur, sententias ipsas sedis apostolicæ auctoritate firmare. Cum autem super jure fundationis trium ecclesiarum, de Chilcheim videlicet Eimuotingen et Matra, inter vos et B. abbatem de Stein quæstio emersisset, vobis quod intendebatis legitima testium assertione probantibus, sententia fuit pro vobis legitime promulgata, quam bonæ memoriæ O., olim Constantiensis episcopus confirmavit. Nos itaque eamdem sententiam, sicut rationabiliter lata est nec legitima appellatione suspensa ratam habentes, ipsam auctoritate A apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus noverit se incursurum.

Datum Laterani, VIII Id. Februarii, pontificatus nostri anno tertio.

CXXXVI.

Abbati et conventui Cisterciensi asserit ecclesiam Schardeburgensem, a Richardo Anglorum rege donatam.

(Laterani, Febr. 9.)

[HENRIQUEZ, *Regula*, p. 232.]

B CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui Cistercii, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos faciliter præbere consensum, et vota quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, ecclesiam de Schardeburg, cum omnibus pertinentiis et libertatibus suis sicut scripta authentica Richardi illustris Anglorum regis exinde facta testantur, qui vobis eamdem ecclesiam pia largitione in perpetuam eleemosynam concessit, ad procurationem abbatum capituli generalis. devotioni vestræ auctoritate apostolica confirmamus et præsentis C scripti patrocinio communimus: statuentes, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani, V Idus Februarii, pontificatus nostri anno tertio.

CXXXVII.

Ecclesiæ Eboracensis suffraganeis et universis abbatibus, prioribus et populo ac clero per provinciam constitutis, Guafridum, fratrem Ricardi, Anglorum regis, nuntiat archiepiscopum Eboracensem a sese agnitum esse.

(Laterani, Mart 7.)

D [Radulf. de Diceto *Imag. Hist*, ap. TWYSDEN *H. A. Script.*, I, 653.]

CLEMENS episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus suffraganeis Eboracensis Ecclesiæ, et dilectis filiis universis abbatibus, prioribus, et populo, et clero per Eboracensem provinciam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Per litteras charissimi in Christo filii nostri R. illustris Anglorum regis, et venerabilis fratris nostri H. Dunelmensis episcopi, et dilectorum filiorum Eboracensis capituli, et multorum religiosorum conventuum ipsius diœcesis, intellecto, quod idem capitulum Eboracensis Ecclesiæ dilectum filium Gaufridum, fratrem prædicti regis, voto unanimi et pari consensu in patrem et archiepiscopum elege-

runt, et quod dilectus filius noster J. tituli Sancti Martini presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, sicut ex ipsius litteris plenius intelleximus, electionem ipsam auctoritate legationis, qua in Anglia fungebatur, confirmaverit; considerantes etiam quod Eboracensis Ecclesia, quæ pastoris consilio diutius destituta, in multis ex defectu prælati dispendium passa fuerit, per ejus sollicitudinem et potentiam ad statum poterit reparari meliorem, electionem ipsam, sicut concorditer facta est, et ab eodem legato nostro confirmata, præsertim cum piæ memoriæ Alexander papa prædecessor noster circa personam ejus dispensaverit, ratam habemus, et de fratrum nostrorum consilio auctoritate sedis apostolicæ confirmamus.

Monemus igitur universitatem vestram, et per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi ceu prælato vestro reverentiam et honorem quem prædecessoribus suis exhibuistis, sine refragatione impendere studeatis, ut propterea valeatis apud Deum et homines merito commendabiles apparere.

Datum Laterani, Nonas Martii, pontificatus nostri anno tertio.

CXXXVIII.

Miloni archiepiscopo Mediolanensi et ejus suffraganeis significat, se [Theobaldo] episcopo Placentino mandasse, ut in consules Placentinos, nisi ab injuriis in ecclesias recessissent, graviter incederet.

(Laterani, Mart. 29.)

[Campi, *Hist. di. Piac.*, II, 371.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Mediolanensi archiepiscopo, et suffraganeis ejus, salutem et apostolicam benedictionem.

Gravis et detestandæ præsumptionis audacia nuper ad aures apostolatus pervenit, quod Placentinæ civitatis consules in ecclesias ausu temerario insurgentes, non solum earum januas confregerunt, sed exinde clavibus asportatis eas reddere noluerunt, donec a quibusdam cautione recepta, quod nullas de ipsarum facultatibus, nisi quantum ad victum solummodo pertineret, distraherent, fuit eis firmiter repromissum. His etiam temeritatibus non contenti, præstito juramento firmarunt, quod usque ad Kalendas Junii, nisi de consilio ipsius civitatis ad campanæ pulsationem remanserit, sexcentas libras auferre ipsis ecclesiis conabuntur. Unde quia licet ipsius civitatis populum, sicut qui ad nos specialiter pertinet, sincere in Domino diligamus, sustinere tamen nolumus, nec debemus, ut super his eorum præsumptio remaneret impunita; ne, si forte in eos rigor ecclesiasticus tepidus exstiterit, vel remissus, aliis præbeatur materia delinquendi, venerabili fratri nostro.... Placentino episcopo dedimus in mandatis ut, nisi prædicti consules, juxta quod eis dedimus in mandatis, a tam nefario proposito quantocius duxerint desistendum, in ipsos consules ecclesiasticam censuram, et in totam civitatem exceptis pœnitentiis, et baptismate parvulorum, sententiam proferat interdicti.

Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus sententiam, quam prædictus episcopus in ipsos propter hoc promulgaverit, ratam habeatis et firmam, et faciatis, quantum in vobis fuerit, inviolabiliter observari, vestris parochianis districtius prohibentes, ne cum ipsis Placentinis contractum aliquem, sive mercimonium contrahere aliqua ratione præsumant.

Datum Laterani, v Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

CXXXIX.

Privilegium pro ecclesia Thenensi. — Collata ab Alberto archidiacono ipsi confirmat.

(Laterani, Mart. 30.)

[Marten *Ampl. Collect.*, I, 992.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis præposito et canonicis Thenensis ecclesiæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Etsi de omnium tranquillitate ex debito commissi nobis officii esse solliciti non immerito debeamus, major tamen cura de ecclesiarum libertate manutenenda nos de ratione sollicitat, ut per nostræ dispositionis providentiam temporaliter et spiritualiter recipiant incrementum, et quæ bene in eis ordinata sunt et disposita, ne ipsis valeant deperire, apostolicæ confirmationis munimine roborentur. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris postulationibus annuentes, canonicam ordinationem et dispositionem ipsius ecclesiæ, et rationabiles constitutiones ratas habemus, et quæcunque vobis et ecclesiæ vestræ a dilecto filio Alberto Leodiensi archidiacono filio nobilis viri ducis Lovaniensis collata sunt, sicut ipsa juste et sine controversia possidetis, vobis et per vos ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani, III Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno tertio.

CXL.

Privilegium pro ecclesia Radesdorfensi.

(Laterani, Maii 25.)

[Dronke, *Cod. diplom. Fuld.*, 412.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Conrado, præposito Sancti Joannis Baptistæ in Radesdorf, ejusque fratribus, tam præsentibus quam futuris canonice substituendis, in perpetuum.

Effectum justa postulantibus indulgere et vigor postulat æquitatis et ordo exigit rationis, præsertim quando petentium voluntates et pietas adjuvat et veritas non relinquit. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatam ecclesiam Sancti Joannis

Baptistæ et Sanctæ Cæciliæ in Radesdorf, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia inpræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est, cum omnibus suis pertinentiis; ecclesiam Sancti Laurentii in Ussine cum ipsa villa et omnibus suis pertinentiis, Doftaha, Ingimaristat, Sulaha cum earum pertinentiis, Geitinstat, Isilcibes, Negilstete, cum earum pertinentiis; Melre, Cledistete cum omnibus suis pertinentiis; Datinberch, Serlinges, Gozoldesdorf, Haselaha, cum aliis villis et pertinentiis omnium supradictarum villarum. Libertates præterea et immunitates curiarum claustralium vestrorum, nec non antiquas et rationabiles consuetudines, ecclesiæ vestræ concessas et hactenus observatas, ratas habemus et eas futuris temporibus illibatas manere sancimus. Auctoritate quoque apostolica nihilominus duximus prohibendum ne advocatus vester, qui pro tempore fuerit, locum ipsum vel quæ ad eum pertinent gravare seu quibuslibet indebitis exactionibus, tam in forestis et nemoribus quam novalibus ecclesiæ vestræ, fatigare præsumat, sed his quæ antiquitus sibi concessa sunt et ad justitiam suam pertinent contentus existat.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate et diœcesani canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine divinæ ultioni subjaceat.

Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Datum Later., per manum Moysi, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi vicem agentis cancellarii, VII Kalend. Junii, indictione VIII, Incarnationis Dominicæ anno 1190, pontificatus vero domini Clementis papæ III anno tertio.

CXLI.

Parthenonis S. Cosmæ Talliacotiensis tutelam suscipit, ac possessiones juraque confirmat

(Laterani, Jun. 4.)

[GATTULA, *Supplem. Hist. Cassin.*, tom. II, p. 803.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus AUDOISÆ, abbatissæ monasterii S. Cosmæ de Talliacotio, ejusque sororibus, tam præsentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.

Quoties a nobis petitur quod religioni et honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere et petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Eapropter, dilectæ in Domino filiæ, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et præfatum monasterium, in quo divino mancipatæ estis obsequio, ad exemplar fel. rec. Alexandri papæ prædecessoris nostri, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum, concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis et his quæ post vos successerint et illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

Ecclesiam S. Viti cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam S. Joannis de Camerate cum pertinentiis suis, jus quod habetis in ecclesia S. Andreæ, quæ est in Clereto; medietatem oblationum quæ in ecclesiis castris de Talliacotio in solemnitatibus Paschæ et Natalis Domini, et medietatem de oblationibus mortuorum; sepulturam majorum hominum præfati castri, sepulturam Podii Bufaræ cum medietate oblationum mortuorum, decimas molendinorum, quæ sunt in valle Sanctorum Cosmæ et Damiani; et in alveo suo triginta modios sementariotios terræ, vineas, terras, silvas, domos, casularia, quæ in prædicto castro habetis; duo molendina, viginti duos pedes terrarum, de quibus homines vestri monasterii sunt infeodati, ecclesiam S. Mariæ de Sorbo cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam S. Ceciliæ cum pertinentiis suis, ecclesiam S. Ægidii cum pertinentibus suis, ecclesiam S. Nicolai cum pertinentiis suis, ecclesiam S. Petri cum pertinentiis suis, extra præfatum castrum, ecclesiam S. Joannis de Camerata in colle de Palanga, quidquid habetis in ecclesia S. Andreæ. Præterea refutationem coram prædicto prædecessore nostro promissam, quam nobilis vir Bartholomæus de Talliacotio de pravis consuetudinibus, quas a vestro monasterio exigebat coram personis pluribus fecit, ratam et firmam habentes auctoritate apostolica probibemus, ne consuetudines ipsas idem Bartholomæus, vel hæredes ejus aliquo tempore in

monasterium exercere præsumant. Statuimus etiam ut nullus Marsorum episcopus in eamdem ecclesiam, vel ejus moniales et clericos aliquid juridictionis exerceat. Nulli etiam episcopo, vel legato, qui a latere nostro, vel successoris nostri specialiter directus non fuerit, liceat suæ legationis obtentu vos vel succedentes vobis ecclesiam, aut homines vestros aut servientes, in ecclesia vestra manentes, ulla interdicti, vel excommunicationis sententia prægravare, et nulli etiam fas sit præter Romanum pontificem, vel legatum ab ejus latere missum absque speciali mandato nostro moniales domus vestræ vel clericos excommunicationis, vel interdicti vinculo innodare, et nulli episcoporum, vel alicui personæ ecclesiis vestris, maxime ecclesiæ S. Mariæ de Sorbo, quæ proprii juris vestri existit, liceat novas et indebitas exactiones imponere, vel in eis procurationes, aut tallias sive demandas contra antiquam et rationabilem consuetudinem exercere, sicut est ibidem hactenus observatum. Præterea decimas, ad ecclesias vestras spectantes, de manibus laicorum redimendi et quibuscunque rationabilibus modis poteritis acquirendi vobis licentiam indulgemus, prohibentes ut nullus easdem decimas absque consensu vestro de laica manu recipiat.

Statuimus insuper ut infra fines parochiarum vestrarum ecclesiam, vel capellam, seu altare contra altare sine assensu diœcesani episcopi et vestro nullus ædificet vel erigat, salvis tamen privilegiis Romanorum pontificum. Præterea nulli sororum vestrarum, vel clericorum liceat, post factam in eodem loco professionem, aliqua levitate, sine abbatissæ suæ licentia de claustro discedere, discedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Licet autem abbatissæ, quæ pro tempore fuerit, in eam de sororibus suis, quæ vobis ignorantibus aut invitis, ab ecclesia vestra discesserit, et secundo tertiove commonita ad monasterium redire contempserit, regularem sententiam promulgare. Ecclesia S. Petri, in Castro quod dicitur Falliacozzo sita, et ejusdem capellani, in eadem libertate permaneat quam tempore antiquo habuit, et nunc habere noscitur. In eadem etiam libertate capellam S. Ægidii ibidem sitam volumus permanere; medietatem molendini Joannis Froctæ, quam domina Aduisa abbatissa emit a domino Philippo de S. Donato, et medietatem silvæ capitis aquæ, et silvam collis de Coci. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis in monasterio vestro, clausis januis, exclusis excommunicatis, et interdictis, non pulsatis campanis, submissa voce, divina officia celebrare. Statuimus insuper ut abbatissis, quæ pro tempore fuerint, non liceat terras, ecclesias, seu possessiones alias, vel bona ecclesiæ vestræ, sine communi consensu capituli vestri, vel majoris et sanioris partis, imminuere, vel aliquid in beneficium seu precariam personaliter, vel in perpetuum de cætero dare, aut modo aliquo alienare.

A Interdicimus etiam ne ulla monialis vestra, vel clericus, seu conversus sine licentia capituli vel etiam ipsa abbatissa pro aliquo fidejubeat; quod si fecerit, nec ecclesia vestra, nec aliquis locus vester ex illa fidejussione obligetur. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum, ordinationes clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, absque omni contradictione et appellatione, a quocunque malueritis suscipietis episcopo, sive ad ecclesiam vestram a vobis vocato, sive in sua propria, sive in alterius ecclesia licite celebrante, siquidem catholicus fuerit, et gratiam atque communionem apostolicæ sedis habuerit, sicut est hactenus observatum.

B Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia et integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate et Cassinensis monasterii debita justitia et reverentia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a C sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat.

Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Ego Clemens catholicæ Ecclesiæ episcopus subscripsi.

Ego Albinus Albanensis episc. subscripsi.

Ego Octavianus Ostiensis et Velletrensis episc. subscripsi.

Ego Joannes presbyter cardinalis tit. Sancti Mar- D ci subscripsi.

Ego Pandulphus presbyt. card. basilicæ Duodecim Apostolorum subscripsi.

Ego Petrus presb. card. tit. Sanctæ Mariæ subscripsi.

Ego Petrus tit. S. Laurentii in Damaso presb. card. subscripsi.

Ego Petrus presb. card. S. Petri ad Vincula tit. Eudoxiæ subscripsi.

Ego Jordanus S. Pudentianæ tit. Pastorum presb. card. subscripsi.

Ego Joannes tit. S. Clementis card. Tuscanus episc. subscripsi.

Ego Joannes Felix presb. card. tit. S. Susannæ subscripsi.

Ego Jacobus diac. card. S. Mariæ in Cosmedin subscripsi.

Ego Gregorius S. Mariæ in Porticu diac. card. subscripsi.

Ego Joannes S. Theodori diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Gregorius S. Mariæ in Aquiro diac. card. subscripsi.

Datum Laterani per manum Moysi Romanæ Ecclesiæ subdiaconi vicem gerentis cancellarii, II Nonas Junii, indictione VIII, anno Dominicæ Incarnationis 1190, pontificatus domini nostri Clementis papæ III anno tertio.

CXLII.

Privilegium pro ecclesia Trevirensi.

(Laterani. Jun. 4.)

[GUENTHER. *Cod diplom.*, I, 470.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio JOANNI Trevirensi electo ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum.

Ineffabilis providentia majestatis ideo nos in apostolicæ sedis sublimitate constituit et universarum ecclesiarum nobis gubernationem curamque commisit, ut corpori ejus, quod est ecclesia, providere utiliter debeamus, et fratres nostros episcopos aliosque prælatos ecclesiarum in jure suo nos oporteat attentius confovere. Ipsi enim de suorum subjectorum salute et regimine subditorum non vere poterunt esse solliciti, nec officii sui prosecutioni poterunt efficacius imminere, nisi nos abundantiorem sibi senserint honorem impendere, et sinceriori affectu diligere charitatis. Quocirca, dilecte in Domino fili, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, personam tuam, et Trevirensem ecclesiam, cui Deo auctore præesse dignosceris, sub beati Petri et nostra protectione speciali quadam prærogativa esse censemus; et dignitates omnes seu honores et libertates ipsius a prædecessoribus nostris Joanne XIII, Benedicto VII, Leone IX, Victore II, Innocentio, Eugenio et Adriano, felicis memoriæ Romanis pontificibus, aut imperatoribus, vel regibus, eidem ecclesiæ concessas, tibi tuisque successoribus auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti privilegio communimus. Statuentes ut quascunque possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia inpræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum, concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant, nominatim ecclesiam de Logenstein, castrum de Muncler, castrum Tris appellatum cum banno et appenditiis suis, quod nobilis vir comes Otto assensu et voluntate uxoris suæ Gertrudis Palatinæ comitissæ prædictæ ecclesiæ noscitur contulisse. Sancimus etiam ut juxta quod in sacro Calcedonensi concilio statutum est, etc.

Ego Clemens Catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Albinus Albanensis episcopus.

A Ego Octavianus Ostiensis et Velletrensis episcopus.

Ego Joannes presbyter cardinalis tituli Sancti Marci.

Ego Pandulfus basilicæ XII Apostolorum presb. card.

Ego Petrus presbyter cardinalis tituli Sanctæ Ceciliæ.

Ego Petrus presb. card. tit. S. Laurentii in Damaso.

Ego Petrus presb. card. S. Petri ad Vincula tit. Eudoxiæ.

Ego Jordanus S. Pudentianæ tit. Pastoris presb. card.

Ego Joannes tit. S. Clementis cardin. Tuscanus

B episcopus.

Ego Joannes Felix tituli Sanctæ Susannæ presb. cardinalis.

Ego Jacobus diaconus cardinalis. S. Mariæ in Cosmedin.

Ego Gratianus Sanctorum Cosmæ et Damiani diac. card.

Ego Soffridus S. Mariæ in Via Lata diaconus cardinalis.

Ego Gregorius Sanctæ Mariæ in Porticu diaconus card.

Ego Joannes Sancti Theoderici diaconus cardinalis.

Ego Gregorius Sanctæ Mariæ in Aquino diaconus

C cardinalis.

Datum Laterani, per manum Moysis, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subdiaconi, vicem agentis cancellarii, II Nonas Junii, indictione VIII, Incarnationis Dominicæ, anno 1190, pontificatus vero domini Clementis papæ III anno tertio.

CXLIII.

Willelmo episcopo Eliensi, rogatu Ricardi Anglorum regis, legationis officium committit.

(Laterani, Jun. 5.)

[*Radulf. de Diceto, Imag. Hist.*, ap. TWYSDEN H. A. *Script.*, I, 656.]

CLEMENS papa, WILLELMO episcopo, salutem.

Juxta commendabile desiderium et salubrem postulationem charissimi in Domino filii nostri Ri-

D chardi, illustris regis Anglorum, fraternitati tuæ legationis officium in tota Anglia, Wallia, tam per Cantuariensem quam Eboracensem archiepiscopatum, et in illis partibus Hyberniæ, in quibus nobilis vir Joannes, comes Moritoniensis, frater ipsius regis, jurisdictionem habet et dominium, auctoritate duximus apostolica committendum.

Datum Laterani, Nonas Junii, pontificatus nostri anno tertio.

CXLIV.

Fratrum Carthusiensium protectionem suscipit, possessionesque et privilegia confirmat.

(Laterani, Jun. 6.)

[*Privil. Ord. Carth.*, fol. 3.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis

filiis priori et fratribus Carthusiensibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Inter virtutem aromata et sanctorum fragrantiam, studiorum opinionis vestræ balsamus suo nobis odore discernitur, quæ cum se asperioribus institutis a mundana separet vanitate, et præclara resplendeat gloria meritorum, nobis est amplius honoranda. Providendum quoque diligentius est et cavendum, ne quietem sanctam improbitas alicujus valeat conturbare. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestra humili supplicatione inducti, domum vestram cum omnibus pertinentiis suis, et omnibus bonis quæ impræsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum pia vobis fuerint donatione concessa, aut aliquibus justis modis poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti patrocinio communimus: statuentes ut omnia vobis firma et illibata permaneant, nec alicui liceat vos super his indebite molestare. Novas etiam et indebitas exactiones a quibuslibet tam clericis quam laicis a vobis exigi auctoritate apostolica districtius inhibemus. Ad hæc præsentibus vobis litteris indulgemus ut quicunque clerici sive laici ad ordinis vestri propositum duxerint accedendum, liberum sit vobis eos recipere de licentia nostra, et receptos postquam professionem penes vos fecerint, retinere; salvis tamen privilegiis super hoc a sede apostolica impetratis. Si vero privilegiatorum aliquis per annum postquam fratribus domus innotuerit de qua egressus est, apud vos non requisitus moram fecerit, postea non licet ei ordinem vestrum deserere, vel ab ipso per violentiam revocari. Consecrationes quoque ecclesiarum, ordinationes clericorum, si vel proprii episcopi non habueritis copiam, vel requisitus præstare noluerit, prout debet, licitum sit vobis a quocunque postulare episcopo, qui rogatus ad ecclesias vestras accedens, sacra vobis necessaria, nostra fretus auctoritate, impendat. Eos etiam qui de ordine vestro vel ex subventione terræ orientalis, vel ex aliis causis quibuslibet occasiones evagandi assumunt, si commoniti non duxerint a proposito desistendum, liceat tibi, dilecte fili prior, per excommunicationis sententiam coercere.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Dei omnipotentis et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Laterani, VIII Idus Junii, pontificatus nostri anno tertio.

CXLV.

Archiepiscopis et episcopis ordinem Carthusiensem commendat.

(Laterani, Jun. 6.)

[*Ibid.*, fol. 3 b.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ad A quos litteræ istæ pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum dilectos filios nostros fratres Carthusienses merito suæ religionis charos habeamus plurimum et acceptos, mandatum quod pro eis facimus, tanto voluimus efficacius adimpleri, quanto gravius Creatorem nostrum offendunt, qui eos ex occasione aliqua persequuntur. Quapropter universitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus si quis contra indulta eisdem fratribus privilegia venire præsumpserit, et admonitus resipiscere forte noluerit, eum nullius contradictione vel appellatione obstante, per censuram ecclesiasticam compescatis; ita quod iidem fratres per instantiam vestram debita pace lætentur, et vos de B cœlo justitiæ et ope pietatis possitis apud Deum et homines commendabiles apparere; nullis litteris obstantibus, tacita pravitate a sede apostolica impetratis.

Datum Laterani, VIII Idus Junii, pontificatus nostri anno tertio.

CXLVI.

Prioribus et fratribus ordinis Carthusiensis concedit, « ne alicui de prioribus aut fratribus sine consensu capituli domus suæ, licentia pateat appellandi. »

(Laterani, Jun. 7.)

[*Ibid.*]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universis prioribus et fratribus Carthusiensis ordinis, salutem et apostolicam benedictionem. C

Cum ab omnibus tumultuum sæcularium agitationibus, non solum mentibus et professione, sed etiam locis et habitationibus separati, summa vos oportet diligentia præcavere, ne alicujus temporalis commodi causa, vos iterum contra propositum ordinis vestri, sæculi turbinibus immergatis, et sub recti specie vosmetipsos decipientes, ob temporale commodum acquirendum, vel incommodum evitandum, temere causarum vos altercationibus inseratis. Inde enim quod et paci et tranquillitati vestræ providere volentes, firmiter inhibemus, ne alicui de prioribus aut fratribus vestris, quacunque D temeraria præsumptione, sine consensu et voluntate capituli domus suæ, vel majoris et sanioris partis, licentia pateat appellandi.

Præterea cum generale vos capitulum, sicut annis singulis consuevistis, celebrare contigerit, si omnes convenire forte nequiverint, quidquid a majori priore ordinis cum majoris partis ac sanioris consilio rationabiliter ac provide statutum fuerit, ratum habeatur et firmum, et ab omnibus vestri ordinis fratribus irrefragabiliter observetur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beato-

rum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Laterani, VII Idus Junii, pontificatus nostri anno tertio.

CXLVII.

Monasterio Eihamensi altaria duo asserit.

(Laterani, Jun. 17.)

[MIRÆI *Opera dipl.*, IV, 29.]

CLEMENS episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis abbati et conventui de Eiham, salutem et apostolicam benedictionem.

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere consensum, et vota quæ a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, altare quod in ecclesia de Roesbeke in episcopatu Fornacensi, et altare de Dorna, quod in episcopatu Cameracensi canonice estis adepti, sicut illa juste et sine controversia possidetis, devotioni vestræ auctoritate apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani, XV Kal. Julii, pontificatus nostri anno tertio.

CXLVIII.

Pacem inter canonicos S. Vincentii et S. Alexandri Bergomates reconciliatam confirmat.

(Laterani, Jun. 21.)

[UGHELLI, *Italia sacra*, IV, 472.]

CLEMENS episcopus, dilectis filiis ALDERADO archidiacono, OBERTO præposito, et universis clericis Bergomensis Ecclesiæ, salutem, etc.

Ea quæ post discordiam et controversiam habitam inter partes, meliori consilio subsecuto fuerint amicabili concordia terminata, ut inviolabilem obtineant firmitatem, et futuris temporibus nemo temeritate qualibet obviare præsumat juxta postulantium voluntatem consentaneam rationi convenerint apostolicæ auctoritatis robore communiri. Eapropter vestris justis postulationibus annuentes, pacem et concordiam, et vestri collegii unionem inter vos prudenter conceptam; et unanimi voluntate receptam, atque redactam in scriptum, sicut rationabiliter facta est, recepta pariter, et servata de fratrum nostrorum assensu auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Ad majorem vero firmitatem tenorem ipsius scripti de verbo ad verbum duximus inserendum. « In Christi nomine, anno Domini 1190, quadam die, » etc. *Vide Ughelli, loco laudato.*

Decernimus ergo ut nulli hominum, etc. Amen.

Ego Clemens, Catholicæ Ecclesiæ episcopus subscripsi.

A Ego Albinus Albanensis episcopus.

Ego Octavianus Ostien. et Velletren. episcop. subsc.

Ego Joannes presb. card. tit. S. Marci subsc.

Ego Pandulphus Basilicæ XII Apost. presb. card. subsc.

Ego Petrus presbyt. card. tit. S. Ceciliæ subsc.

Ego Petrus presbyt. card. tit. S. Laurentii in Damaso subsc.

Ego Petrus presbyt. card. S. Petri ad Vincula tit. Eudoxiæ subsc.

Ego Jordanus S. Pudentianæ tit. Pastoris presb. card. subsc.

Ego Joannes tit. S. Clementis card. Tusculan. episc. subsc.

B Ego Joannes Felix presbyt. card. tit. S. Susannæ subsc.

Ego Jacobus S. Mariæ in Cosmedin diac. card. subsc.

Ego Gratianus SS. Cosmæ et Damiani diacon. card. subsc

Ego Soffredus S Mariæ in Via Lata diac. card. subsc.

Ego Gregorius S. Mariæ in Porticu diac. card. subsc.

Ego Bernardus S. Mariæ Novæ diacon. cardin. subsc.

Ego Gregorius S. Mariæ in Aquiro diacon. card. subsc.

C Datum Lateran. per manum Moysis, S. R. E. subdiaconii vicem agentis cancellarii, IX Kal. Julii indict. octava, Incarnationis Dominicæ 1190, pontificatus vero domini Clementis papæ III an. tertio.

CXLIX.

Bulla canonisationis B. Malachiæ.

(Laterani, Jul. 6.)

[*Opp. S. Bernardi*, ed. 1719, I, 697.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universis abbatibus ad Cisterciense capitulum convenientibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Ideo sacrosanctam Romanam Ecclesiam Redemptor noster caput omnium fidelium esse voluit et magistram, ut ad ejus dispositionem et nutum, D divina gratia præeunte, quæ ubique a fidelibus gerenda sunt, ordinentur, et errata in melius corrigantur, et ad ejus consilium in ambiguis recurratur; et quod ipsa statuerit, nemini, quantumcunque de suis meritis glorietur, liceat immutare: ne si forte promiscua daretur universis licentia quæcumque sibi secundum voluntatem propriam occurrerint perpetrandi, confusa libertas, cum secundum voluntatem personarum vota dissentiant, in aliorum aliquando scandalum sine justi discretione libraminis commendanda suppirmeret, et minus digna laudibus indebitis celebraret Inde si quid fuit quod dilectus filius noster Jordanus Sanctæ Pudentianæ tituli Pastoris presbyter cardinalis, ad preces quorumdam vestrum, vitam sancti cujusdam viri, no-

mine Malachiæ, qui apud Claramvallem in Domino requiescit, a B. Bernardo primo, Clarævallensi abbate, conscriptam, et miracula quæ Dominus ob ipsius merita declaranda per ipsum dignatus est operari, cum multorum vestri ordinis testimoniis nobis devote præsentare curavit, ut auctoritate apostolica quod de ipsius meritis sentire deberet Ecclesia publice deberemus omnibus declarare. Visis ergo tantorum virorum testimoniis, vita etiam ipsius et miraculis diligenter inspectis, precibus etiam et testimonio ipsius cardinalis, et dilecti filii abbatis Casemarii, aliorumque quamplurium, quibus fidem omnimodam adhibendam credebamus, inducti, dictum sanctum virum Malachiam in sanctorum catalogo, de communi fratrum nostrorum consilio duximus ascribendum, et per ipsius merita Redemptoris suffragia cum reliquorum sanctorum interventionibus a Christifidelibus statuimus postulanda. Volumus igitur ut eam sibi reverentiam quæ sanctis debetur, universus ordo vester et alii fideles, de licentia sedis apostolicæ devote exhibeant, et in sanctorum numero secure conscribant.

Datum Lateran., II Non. Julii, pontificatus nostri anno tertio.

CL.

Clemens tertius in litteris datis Viterbii IV *Nonas Augusti, pontificatus sui anno* III, *ita alloquitur Floriacenses :*

. . . . Cupientes ut ecclesia monasterii vestri, in honore Sancti Benedicti dedicata, congruis honoribus frequentetur, universis Christifidelibus vere pœnitentibus et confessis, qui eamdem ecclesiam in die natalis ejusdem sancti, et translationibus ipsius, etc.

Et centum dies indulgentiarum elargitur.

[SAUSSEY, *Annal. Ecclesiæ Aurel.*, 201.]

CLI.

Ecclesiæ S. Crucis Guingampensis protectionem suscipit, possessionesque ac privilegia confirmat.

(Laterani, Sept. 1.)

[MORICE, *Mém. p. s. à l'hist. de Bret.*, I, 717.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis JODOINO, abbati ecclesiæ S. Crucis de Guingampo et ejusdem fratribus tam præsentibus quam futuris vitam religiosam professis, in perpetuam memoriam.

Piæ postulationes volunt... effectu debent prosequente compleri, et ut devotionis sinceritas laudabilius enitescat, et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Eapropter, dilecti in Christo Domino filii, vestris justis postulationibus libenter annuimus, et præfatam ecclesiam S. Crucis de Guingampo, in qua divino estis obsequio mancipati, ad exemplar prædecessorum nostrorum felicis recordationis Innocentii et Alexandri Roma-

A norum pontificum, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus; imprimis siquidem statuentes, ut ordo canonicus qui secundum Deum et beati Augustini Regulam in eadem Ecclesia institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur ; præterea quascunque possessiones quæcunque bona eadem Ecclesia impræsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis :

B Locum ipsum in quo præfata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis; terram quæ sita est juxta fluvium Trevium cum burgo et aliis ad ipsam pertinentibus; ecclesiam S. Mandeti juxta Guingampum cum tribus villis terræ; dimidiam decimam totius parochiæ Plomagor, quatuor molendina supra Treviam, quæ dedit comitissa Havis; novem villas Rivalloni liberas ab omni servitio; duas nummatas panis omni die quas dedit. . . . dimidium molendinum Colel ante motam comitis quam dedit comes Stephanus, quintam partem villæ Sulbar cum suo prato, dimidiam villam Guidamori quam dedit Gaufridus dapifer, tertiam partem villæ S. Mariæ de Lesquilli quam C dedit Rogus, et quartam partem ejusdem villæ quam dedit comes Stephanus, terram quæ est inter duos torrentes quæ fuit Quiniou, filii Kaermaroc, quas dedit Dongualus filius Markoet; ecclesiam Christi de Pleian cum pertinentiis suis, terram de Corle et tres arpennos terræ, quos dedit Yvon, filius Conec, juxta burgum S. Crucis decimam de Porhic, domum comitissæ juxta portam Redonensem quam dedit comitissa, duo molendina Chostella intra Guingampum, quæ dedit comitissa; pratum et terra quæ est in australi parte torrentis qui juxta Motam defluit in Treviam, minagium castri Guingampi quod dedit comes Stephanus; insulam quæ dicitur Guirguenis; ecclesiam S. Quirini, quæ sita est in silva quæ dicitur Meuc, dimi-D dium molendinum Choesel, quod nuncupatur molendinum Louhen, unum molendinum super Treviam in loco qui dicitur Rupis Suhart, quod dedit comes Stephanus; unum molendinum Chosel ex occidentali parte Treviæ, super burgum S. Crucis, tres marchas argenti in Anglia quas dedit comes Stephanus de decima quam tenuit Eudo presbyter de Lambolia, et ecclesiam B. Mariæ Magdalenæ juxta Montem Consularem (Montcontour) cum omnibus appenditiis suis, quatuor arpennos prati juxta molendinum Locon quos dedit Hamo filius Gualteri, nec non et duos arpennos prati juxta vestrum molendinum Choesel, quos ecclesiæ vestræ dedit comitissa; quatuor insuper arpennos terræ arabilis inter ecclesiam vestram et Guingampum,

quos ad plantandam vineam sæpe memorata comitissa ecclesiæ vestræ donavit. Capellam S. Gerani de Telerna et insulam cum appenditiis suis, capellam de Portal cum pertinentiis suis; ecclesiam S. Gildasii de Ploetmagoer, grandem villam de Tremeler Pordic cum suis pertinentiis. Sancimus etiam ne homines præfati loci S. Crucis ad vestram Ecclesiam pertinentes ad aliquas indebitas vel illicitas exactiones vel angarias compellantur.

Sane novalium vestrorum quæ propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat, liceatque vobis clericos vel laicos in sæculo peragentes liberos et absolutos ad conservationem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit absque abbatis sui licentia, nisi arctioris religionis obtentu, de eodem loco discedere, discedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis et interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti fuerint, nullus obsistat, salva tamen illarum ecclesiarum a quibus mortuorum corpora assumuntur. . . .

Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars major consilii sanioris secundum Dei timorem et beati Augustini Regulam providerint eligendum.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas sit præfatam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate et diœcesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica, sæcularisve persona, etc.

Ego Clemens, catholicæ Ecclesiæ episcopus.

Ego Petrus presbyter cardinalis S. Petri ad vincula, etc.

Datum Laterani per manum Moysi, S. R. E. subdiaconi, vicem agentis cancellarii, Kal. Septembris, indictione VIII, Incarnationis Dominicæ anno 1190; pontificatus vero domini Clementis papæ III anno tertio.

CLII.

Abbati S. Genovefæ, decano et cantori Parisiensibus scribit de præbenda ecclesiæ Meldensis, a P[etro] quondam episcopo Tusculanensi condita, secundum conditoris voluntatem conservanda.

(Laterani, Oct. 17.)

[Du Plessis, *Hist. de Meaux*, II, 77.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati S. Genovefæ, decano et cantori Parisiensibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum bonæ memoriæ P., quondam Tusculanensis episcopus, ad constituendam in Ecclesia Meldensi præbendam, CL libras Parisiensis monetæ in ultima sua voluntate legasset, dilecti filii nostri abbas S. Victoris et magister N. olim prædicti Tusculan. clericus, quibus tam ab ipso testatore, quam a sede apostolica fuerat exsecutio testamenti commissa, venerabili fratri episcopo et dilectis filiis capitulo Meldensi ad titulum jam dictæ præbendæ personam, sicut decuit, præsentarunt, ordinantes insuper, ut is qui præbendam illam successione temporum obtineret, in choro et capitulo cum illa dignitatis et honoris integritate qua cæteri canonici antiquitus instituti gaudebant, canonicus haberetur, et ecclesia S. Mariæ de Cagia redditus illius præbendæ, postquam persona decederet, per annum, sicut aliarum præbendarum, sine diminutione teneret. Sed, cum quidam ne ille canonicus haberetur impedire pro suæ voluntatis arbitrio molirentur, et prædicti exsecutores nollent memoratum propositum pro illorum contradictione mutare, a nobis super hoc ad petitionem jam dicti episcopi et canonicorum ad nos litteræ manaverunt. Cumque pendente causa, etc. . . . Vos voluntatem ultimam testatoris attendentes, et nolentes tantam utilitatem quorumlibet versutia de cætero præpediri, præscriptam ordinationem in utroque articulo, super quibus quæstio diutius fuerat, approbastis; et ipsam nostra auctoritate firmantes decrevistis, in ea dignitatis et honoris integritate qua cæteri antiquitus instituti, canonicus semper exístat, et ecclesia jamdicta de Cagia, sicut de aliis præbendis annuales fructus, istius præbendæ decedente persona, per annum ex integro debeat obtinere.

Nos igitur quod a vobis super hoc factum prævia ratione ratum habentes, etc. . . .

Datum Laterani, XVI Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno tertio.

CLIII.

Bulla pro confirmatione bonorum ecclesiæ S. Mariæ Deauratæ Tolosanæ.

(Laterani, Oct. 19.)

[*Gall. Christ.*, XIII, 26.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis B. priori et fratribus ecclesiæ Beatæ Mariæ Deauratæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, ut devotionis sinceritas laudabi-

liter enitescat, et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, devotionem quam erga B. Petrum et nos ipsos habere noscimini, attendentes, personas vestras cum omnibus bonis tam ecclesiasticis quam mundanis quæ in præsentiarum laudabiliter possidetis, aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub protectione B. Petri et nostra suscipimus, specialiter autem ecclesiam Sanctæ Mariæ Dealbatæ, ecclesiam Sancti Petri et Sancti Martini, ecclesiam Sancti Nicolai, capellam Sancti Jacobi, capellam Sanctæ Mariæ quæ est in domo Branbanonis, ecclesiam Sancti Martialis, ecclesiam Sancti Joannis de Saviniaco, ecclesiam S. Eleutherii, ecclesiam S. Joannis de Gorionis, ecclesiam Sancti Amantii, ecclesiam Sancti Petri de Quinto, ecclesiam Sancti Salvii de Dalbs, ecclesiam Sancti Sulpitii de Cella, et ecclesiam Sanctæ Mariæ de Salvenes cum pertinentiis earum, sicut eas juste et sine controversia possidetis, vobis et ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus: statuentes ut si vos in aliquo gravari senseritis, libere vobis liceat sedem apostolicam appellare. Nulli ergo omnino hominum liceat personas seu bona vestra temere perturbare, seu hanc paginam nostræ confirmationis et protectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani, XIV Kal. Novemb., pontificatus nostri anno tertio.

CLIV.

Præposito Sanctæ Mariæ Magdeburgensi chirothecarum usum concedit.

[LUDEWIG, *Reliquiæ mss.*, II, 407.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio præposito ecclesiæ Beatæ Mariæ in Magdeburg.

Ad universalis Ecclesiæ regimen providentia supernæ dispositionis assumpti, sic administrare debemus dispensationis nobis creditæ ministerium, ut oculos apostolicæ sedis saluti ac profectui singulorum invigilet, et eos præcipue ad observationem bonorum operum debeat sollicitius provocare qui sub regulari militia sacram exhibere Domino nituntur servitutem. Cum autem Ecclesia, tibi commissa per felicis memoriæ N. quondam Magdeburgensem archiepiscopum, regularibus institutionibus per Dei gratiam fuerit informata, et in ea rigor canonicus et regularis observantia disciplinæ laudabiliter hactenus, Domino faciente, viguerit, et per ipsam laudabilis honestatis fragrantiam nonnullæ in partibus illis ecclesiæ sint constructæ, attentius sollicitudini tuæ imminet præcavendum, ne (quod absit!), inimico humani generis suadente, ipsius religionis puritas refrigescat, et fraterna in vobis charitas et religionis observantia temporibus tuis sustineat detrimentum. Ideoque discretionem tuam monemus attentius et exhortamur in Domino, et præsentium auctoritate injungimus, quatenus ad ea quæ anteriora sunt jugiter te extendens, circa susceptæ administrationis officium attenta sollicitudine prosequaris, sic subditos tuos salubribus monitis instruas et horteris, corrigas quæ fuerint corrigenda, ædifices et plantes, ut et Deus in tuis actibus honoretur, et, tuo studio faciente, non solum in ecclesia tua, sed in cæteris ex ea transplantatis, nec non in omnibus de ordine vestro per totam Saxoniam, sicut de jure ad te respectum habere debent, et resecentur vitia et virtutum germina propagentur. Juxta subditorum necessitates et indigentiam apostolicæ sedis censura suæ discretionis moderari consuevit indulgentiam, ut quæ omnibus tenetur prospicere, nullius fortunam vel meritum videatur negligere. Inde est quod nos bonæ conversationis tuæ famam favorabiliter prosequentes, desiderio tuo efficaciter concurrimus et assiduum tibi chirothecarum usum concedimus, ne videlicet manus tuas, quas spiritualiter sacris usibus devovisti, alicujus fœditatis tactus commaculet; sed ab æstu eas et gelu uredine continui operimenti consuetudo incontaminatas conservet, etc.

CLV.

Monasterii S. Dionysii de Nogento protectionem suscipit, bonaque ac previlegia confirmat.

[*Bullar. Cluniac.*, 92.]

CLEMENS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis SIMONI, priori monasterii Sancti Dionysii de Nogento, ejusdemque fratribus, tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum.

Religiosis desideriis dignum est facilem præbere consensum, ut fidelium devotio celerem sortiatur effectum, et tanto libentius sacræ religionis observantiæ et aliis bonis operibus insistat, quando senserit ab apostolica sede in pio et beato proposito benigne confoveri. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus gratum impertientes assensum, præfatum monasterium Sancti Dionysii de Nogento, in quo Dominico mancipati estis obsequio ad exemplar felicis memoriæ prædecessoris nostri Alexandri papæ, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quæcunque bona idem cœnobium impresentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant; in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis:

Ecclesiam Beati Hilarii de Nogento cum capellaniis et appenditiis suis; burgum S. Dionysii liberum et absolutum ab omni jurisdictione et exa-

ctione alicujus, furnos, piscariam in eadem villa, molendina, nemus de Croisillis et calefactiones de nemoribus comitis et reparationes ad domos proprias, ruricolas circa aquam Eduliæ, et ultra aquam cum propriis meteriis, decimam telonei ejusdem castri; in his omnibus, burgensibus videlicet et rusticis totum dominium præter duellum, ecclesiam Sanctæ Mariæ de Margon, duos modios apud Arcias, ecclesiam de Petra Fixa, ecclesiam Sancti Martini de Prunellis, ecclesiam de Campo Rotundo, capellam Sanctæ Mariæ Magdelenæ de Perraria, ecclesiam de Cidroerillo, ecclesiam Sancti Andreæ de Fretiniaco, ecclesiam Sancti Albini de alio Campo Rotundo, ecclesiam Sancti Petri de Harponvillario cum appenditiis suis, ecclesiam Sancti Hilarii de Bellonvilla, ecclesiam Sanctæ Anastasiæ de Nonvillario, ecclesiam Sancti Martini de Universio cum appenditiis suis, capellam de Oroneo, ecclesiam de Flacciaco cum appenditiis suis, domum in Carnotensi urbe, et omnia quæ ibidem rationabiliter possidetis; rusticos apud Roemvillam et quæcunque alia in Carnotensi parochia canonice possidetis; ecclesiam Sancti Petri de Bosvillette cum appenditiis suis, quæ in eadem parochia sita est; ecclesiam Sancti Petri de Cetone cum burgo, et molendinis et furno, et rusticis et appenditiis suis; ecclesiam Sancti Vulphacii cum appenditiis suis, et quæcunque in Cænomanica parochia possidetis; ecclesiam Sancti Martini de Berzelis, ecclesiam Sancti Petri de Brueria, ecclesiam Sancti Andoenis de Verreriis, ecclesiam Sancti Martini de Beloup cum appendiciis suis, ecclesiam de Gimagiis, ecclesiam Sanctæ Mariæ de Bure, ecclesiam de Fadentivilla prope Mauritaniam cum quadam parte decimæ; decimam de Burethe, ecclesiam Sancti Petri et Sancti Joannis de Mannis cum Agripenno prato; decimas apud Cerbon, ecclesiam de Comblou; decimas apud Corgon, ecclesiam Sancti Martini de Loisel, ecclesiam Sancti Præsceti, ecclesiam Sancti Gervasii de Faunis, ecclesiam Sancti Germani de Loscio cum capellanis et appenditiis suis, ecclesia scilicet Beatæ Mariæ, et ecclesiam Beati Maenti et ecclesiam Sancti Joannis, quæ sunt positæ in Mauritani Castro.

Decimam telonei de Mauritania cum furno; decimam pasnagii de Resnou, et de eodem nemore calefactiones, et reparationes domorum monachorum de Loscio; quidquid juris habetis in ecclesia Sancti Hilarii juxta Sanctam Ceronam; decimam de Fesvallo, decimam apud Ortum robur, decimam apud Lineroles, decimam de Corbeon, et quidquid juris habetis in parochia Sagiensi, in cœmeteriis primitiis Burgensibus, molendinis, in agris, pratis sive aliis possessionibus, vobis auctoritate sedis apostolicæ confirmamus. Liceat etiam vobis in ecclesiis vestris presbyteros eligere, et diœcesano episcopo præsentare; qui si idonei fuerint, ab ipso gratis et absque pravitate aliqua curam animarum suscipiant, eique de plebis cura rationem reddant, vobis autem pro rebus temporalibus debitam subjectionem exhibeant. Adjicientes insuper, auctoritate apostolica prohibemus, ut nulli archiepiscopo vel episcopo liceat in prædictum monasterium vel in vos interdicti vel excommunicationis sententiam promulgare, aliquasque consuetudines ibi exigere, seu alicujus gravaminis causa manum apponere, vel missas publicas, seu stationes sine assensu vestro celebrare, quatenus ab omni servitii sæcularis infestatione securi, omni gravamine mundanæ oppressionis remoti, in sanctæ religionis observatione seduli ac quieti, Domino annuente, permaneatis. Si vero in atrio vestro, vel in sanguinis effusione, vel in verborum illatione, sive in aliquo hujusmodi violentiam contigerit irrogari, forte nequaquam propter hoc a divinis ecclesia prohibeatur officiis.

Libertates siquidem et immunitates, nec non antiquas et rationabiles consuetudines, vestro monasterio concessas et hactenus observatas, ratas habemus, easque futuris temporibus illibatas manere sancimus. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi, et cætera ecclesiastica sacramenta a diœcesano suscipiatis episcopo, siquidem Catholicus fuerit et gratiam et communionem apostolicæ sedis habuerit, et ea gratis et absque pravitate aliqua vobis voluerit exhibere, alioquin vobis liceat quemcunque malueritis adire antistitem Catholicum, qui nimirum nostra fultus auctoritate, quod postulatur indulgeat. Sepulturam præterea ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum a quibus corpora mortuorum assumuntur. Ecclesiarum vestrarum decimas quæ a laicis obtinentur, si secundum Dominum eorum potestati subtrahere vestræ religionis reverentia poterit, ad vestram et pauperum gubernationem vobis liceat possidere. Præcipimus etiam ut omnes ecclesiæ seu capellæ vestræ et cœmeteria sint omnis exactionis immunia, præter consuetam episcopi paratam et justitiam in presbyteros, si adversus sui ordinis offenderint dignitatem. Prohibemus etiam ut, infra fines parochiarum vestrarum, nullus ecclesiam vel oratorium sine assensu vestro ædificare præsumat, salvis tantum privilegiis Romanorum pontificum. Sancimus insuper ut donationes et alienationes, quæ de possessionibus capituli vestri et locorum vestrorum, absque consensu ipsius capituli vel majoris partis et sanioris, a quadraginta annis infra illicite factæ sunt, legitime revocentur, et ne de cætero taliter fiant auctoritate apostolica prohibemus.

Confirmamus etiam ne cellarum vestrarum, ubilibet positarum, fratres, pro qualibet interdictione vel excommunicatione, divinorum officiorum suspensionem patiantur; sed tam monachi ipsi et fa-

muli eorum, et qui se monasticæ devotioni devoverunt, clausis ecclesiarum januis..... non admissis, divinæ servitutis officia celebrent, et sepulturæ debita peragant. Concedimus etiam vobis laicos seu clericos sæculares liberos et absolutos, nisi pro certis criminibus excommunicati sint, ad conversionem seu sepulturam per loca vestra suscipere. Pro altaribus quoque et ecclesiis vestris nulli episcoporum facultas sit gravamen aliquod vobis, aut molestias irrogare, sed quidquid juris in eis habuistis, canonice in futurum habeatis. Inhibemus etiam ne terras seu possessiones alias et thesauros ecclesiarum vestrarum liceat alicui vendere, seu alio modo alienare, vel loco pignoris obligare, vel alicui fratrum vestrorum fidejubere, absque consensu capituli vestri, aut majoris et sanioris partis; quod si factum fuerit, decernimus irritandum. Paci quoque et tranquillitati vestræ paterna imposterum sollicitudine providere volentes, auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum, seu cœmeteriorum ambitum, nullus violentiam, seu furtum committere vel sacrilegium, ignem apponere, hominem capere vel interficere, aut quamlibet personam ausu temerario lædere audeat.

Decernimus ergo ut nulli omnino hominum fas sit præfatum monasterium et loca ei subdita temere perturbare, aut eorum possessiones auferre, aut ablata temere retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integre conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolicæ auctoritate et Cluniacensis monasterii ad quod spiritualiter spectat debita reverentia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, etc.

CLVI.

Mauritio episcopo Parisiensi hoc privilegium asserit, ut quotiescunque decanatus vacaverit, redditum ejus percipiat.

[Theodori *Pœnitentiale*, II, 640.]

Clemens Mauritio Parisiensi episcopo.

Ex quodam scripto authentico exhibito nobis didicimus, quod, cum causa quæ inter te et canonicos Ecclesiæ tuæ super redditibus decanatus, dum vacaret, percipiendis, emerserat, venerabili fratri nostro Remensi archiepiscopo sanctæ Sabinæ cardinali, tunc Senonensi archiepiscopo a felicis recordationis Alexandro papa prædecessore nostro commissa fuisset, decanus, et cantor, et quamplures canonici ejusdem Ecclesiæ infra diem tibi et canonicis ab ipso archiepiscopo assignatam in domo tua nova eadem præsente archiepiscopo convenerunt, et se causæ illi renuntiasse penitus, et in tuæ voluntatis arbitrio posuisse, ac omnes alios canonicos in pleno capitulo communiter fecisse, idipsum coram sæpedicto archiepiscopo sunt confes-

A si. Nolentes igitur quod imposterum super hoc litigium indebite suscitetur, renuntiationem quæstionibus illis, sicut a capitulo tuo coram prædicto archiepiscopo facta est spontanea voluntate, et hactenus observata, et in scripto ejusdem archiepiscopi facto exinde continetur, ratam habemus, et auctoritate apostolica confirmamus: statuentes, ut nulli omnino hominum, etc.

CLVII.

Petente Mauritio, episcopo Parisiensi, concordiam inter Stephanum quondam episcopum et Theobaldum archidiaconum compositam conservari jubet.

[Theodori *Pœnitentiale*, II, 718, ubi revocatur lector ad privilegia Eugenii III et Alexandri III de eadem re episcopo Parisiensi concessa. Vide *Patrologiæ* tt. CLXXX et CC.]

B

CLVIII.

Mauritio episcopo (Parisiensi) scribit, mirari se, quod archiepiscopus Senonensis parochianos ejus, « eo nesciente et inrequisito, ad alios judices mittat, interdum et propriæ sententiæ definitionem condemnet. » Concedit, « ut liceat ei sententiam salva appellatione promulgatam ipso jure proponere, et parochianis, ne coram judicibus sic datis respondeant, prohibere. »

[Theodori *Pœnitentiale*, II, 563.]

Clemens Mauritio episcopo.

Cum ex auctoritate canonum liqueat quid archiepiscopis jure metropolitico debeatur, et scriptum sit, ne quis terminos alienos usurpet, mirabile gerimus et satis reprehensibile judicamus, quod venerabilis frater noster archiepiscopus Senonensis C parochianos tuæ jurisdictioni subjectos, te nesciente et inrequisito, quosdam ad alios judices mittit, interdum et propriæ sententiæ definitionem condemnat. Sane quia hoc inhibitum prohibitione canonica reperitur, salvo eo quod de articulo appellationis excipitur, et sententia a non suo judice lata nihil obtinet firmitatis, fraternitati tuæ præsentibus litteris duximus concedendum, ut liceat tibi sententiam taliter promulgatam ipso jure proponere et parochianis tuis, ne coram judicibus sic datis respondeant, prohibere.

Nulli ergo, etc.

CLIX.

D *Petente Alphonso, Castellæ rege, in civitate Placentina sedem episcopalem constituit, diœcesimque a rege institutam confirmat.*

[Fernandez, *Historia y Annales de Plasencia*, p. 23.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, charissimo in Christo filio illustri regi Castellæ Alphonso, salutem et apostolicam benedictionem.

Tunc Dei beneplacitum in humanis impletur actibus, cum corda principum ad hoc conspicimus viribus totis intendere, ut cultus divini nominis dilatetur, et inimici fidei catholicæ conterantur. Unde nos qui quorumlibet pia desideria quadam manu sollicitudinis adjuvare tenemur, tanto ad conceptorum executionem eos volumus diligenti adhorta-

tione inducere, et annuendo. quæ postulant, invitare, quanto pia exordia, quæ de bona intentione procedunt, sperantur, laudabiliorum exitu concludenda. Inde est, quod intentionem regiam modis omnibus commendantes, de amplificandis Christianæ religionis terminis, jam conceptam in Placentina civitate, quam in terra per strenuitatem tuam de manu Ismaelitarum acquisita, divina prosperante clementia, populasse dignosceris, auctoritate apostolica episcopalem cathedram constituimus. Diœcesim quoque habendam juxta dispositionem regiam, ab eadem ecclesia cathedrali decernimus, ut villæ, sicut præsenti scripto concluditur, quæ sua sunt ei largitione concessa diœcesano jure ad eam perpetuo debeant pertinere; Targellum scilicet, et Medelinum, et Mons Fragorum, et Sanctacruz cum omnibus pertinentiis suis. Ut autem hæc concessio futuris temporibus integra et illibata servetur, statuimus ut nulli omnino hominum fas sit hanc nostræ confirmationis paginam infringere aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

CLX.

Waldemaro episcopo Slesvicensi asserit quam « Canutus rex Daniæ, consanguineus ejus ei et successoribus libertatem concessit, ut tam villici quam coloni ab omni gravamine regio vel officialium suorum liberi maneant et immunes; in cognitionibus quoque et exsecutionibus, quæ prius per officiales regios tracturi solebant, nunc nemini respondeant, sed ejus sint vroorio mandato subjecti, nec ullius sæculari posthac sint subjecti potestati. »

[Vide Cypræi *Annal.* episc. Slesvicensis, 202.]

CLXI (9).

Ad Petrum abbatem Harteriensem.— Mettis damnationem chartarum contra antiquam libertatem Harteriensis Ecclesiæ falsa suggestione acquisitarum, comprobat, ipsumque ecclesiam liberam esse confirmat.

(Laterani, Jun. 4.)

[Miræi *Opera dipl.* III, 368.]

Clemens episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Petro abbati Harteriensis ecclesiæ, ejusque fratribus tam futuris quam præsentibus.

Ex litteris sigillatis domni Stephani Mettensis episcopi et conventus ejusdem ecclesiæ didicimus, chartas sigillis Benedicti papæ VIII, et Eugenii papæ III, et imperatorum Ottonis I et Conradi confirmatas, et contra antiquam libertatem Hasteriensis Ecclesiæ falsa suggestione acquisitas, Mettis judicio esse damnatas. Quod juste et canonice factum esse approbamus, et prædictas chartas, et quidquid libertati vestræ obviare potest, in perpetuum damnamus, et ecclesiam vestram in omni jure conventualis ecclesiæ liberam esse per se, apostolica auctoritate et præsentis scripti patrocinio confirmamus. Statuentes, ut nulli omnino hominum liceat huic confirmationi ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, in extremo examine divinæ ultioni subjaceat.

Datum Laterani, IV Nonas Junii, pontificatus nostri anno secundo.

(9) Dubium.

CLEMENTIS III PAPÆ DECRETA.

(Mansi, *Concilia*, tom. XXII, pag. 549.)

—

I.

Ad abbatem et archipresbyterum Montulanum. — Ut Gant. acolytho beneficium ablatum restituant.

Querelam Gand. acolythi nos accepisse noscatis, sicut prædecessor noster Gregorius, qui ad vos propter eum bis scripisse noscitur, qui cum a G. muliere peteretur in virum, inde sumpta occasione, ipsum beneficio, quod a nobis habebat, post appellationem ad sedem apostolicam factam minus rationabiliter spoliastis. Unde, quia omnibus injuste gravatis patrocinium tenemur apostolicum impertiri; d. v. ro. attentius et per A. s. p. m. qua. si rem sic se habere constiterit, memorato clerico beneficium illud taliter subtractum absque dilatione reddentes, ap. re. pacifice dimittatis, ita quod querelam ad nos non debeat iterare, memorati abbatis sententia non obstante, super matrimonio lata, quominus beneficium debeat obtinere, nisi curam habeat animarum annexam.

II.

Ad Oddonem episcopum Verulanum. — De quodam matrimonio non dissolvendo.

Litteras tuas recepimus, ex quarum tenore cognovimus, quod cum lator præsentium quamdam feminam jam elapso quinquennio sibi matrimonio

copulasset, et secum per tres menses in eodem lecto dormisset, maleficio suo creditur impeditus quod cognoscere illam nequivit. Super quo sedis apostolicæ litteras recepisti, in quibus continebatur, quod de Romanæ Ecclesiæ consuetudine non erat talium matrimonium separandum. Unde convocatis eis ad tuam præsentiam, cum viverent separatim, compulisti eos ad habitationem redire communem, et licet postmodum in eadem domo et lecto fuissent, et idem homo multa verba, sicut tibi constitit, eidem feminæ contulisse, ei tamen non potuit carnaliter commisceri; propter quæ tu timens, ne idem vir homicidii reatum incurrat; quod in hoc casu esset agendum, nos consulere voluisti. Quocirca d. t. per A. s. m. qua. pro memoratis occasionibus non dimittas, quin prædictos virum et uxorem per censuram ecclesiasticam insimul habitare compellas.

III.

Ad Anconitanum archiepiscopum. — De lege ab Anconitanis statuta.

Præterea de lege illa, vel errore quam [quem] cives tuos asseris statuisse, videlicet, ut si quis teneret per xxx annos possessiones alicujus ecclesiæ, nec reddidisset canonem constitutum non ideo caderet ad pensionem possessionis illius, nihil certi tibi possumus respondere, donec constitutionem illam ab ipsis factam nobis verbo ad verbum expositam studeas destinare.

IV.

Ad episcopum quemdam. — De sacerdotibus qui reatum adulterii incurrerint, vel perjurii, vel falsi testamenti.

Ex tuæ fraternitatis consulto percepimus, te velle a se. A. certitudine edoceri utrum sacerdotes, vel alii, in quibuslibet sacris ordinibus constituti, qui per lapsum carnis, reatum adulterii incurrerunt, vel perjurii, vel alii falsi testimonii, vel crimine homicidii irretiti, bonum rectæ conscientiæ perdiderunt, si peracta condigna pœnitentia de commisso, in prioribus tolerari, vel suffragantibus meritis provehi valeant ad majora. Super quo fraternitati tuæ respondemus, quatenus si notoria sint crimina, quæ prædiximus vel ordine judiciario comprobata, tales reos censura sacrorum canonum, etiam post peractam pœnitentiam, non tantum ad altiora progredi non permittit, verum etiam jubet gradum pristinum non tenere. Porro si proposita crimina contra aliquem notoria non fuerint vel ordine judiciario comprobata, monendi sunt tales qui eisdem tenentur obnoxii et sub interminatione divini judicii obtestandi, ut in testimonium damnationis suæ in suscepto ordine non ministrent.

Cum sacrosancta Romana Ecclesia, etc. *Et infra:* Alios autem, qui propter impedimentum ætatis presbyterii honorem adipisci non possunt, si id solum obstare cognoverit, licet forsan ad talia officia in ea ætate non debuerint assumi, æquo animo A debes usque ad illud tempus sine rancore aliquo tolerare; quos eos ad suscipiendum onus sacerdotii de constitutione canonum idoneos, si aliud non obstiterit comprobabis, quos utique præfatæ animadversionis sententia curabis auctoritate nostra perstringere, si tunc a te commoniti contempserint in presbyteros ordinari.

V.

Rescriptum ad quemdam archiepiscopum.

Si matrimonii causa possit per procuratorem expediri nos tua duxit prudentia consulendos. Hic autem decernimus distinguendum, quod si in ipsa causa matrimoniali criminaliter quæstio ventilatur, et ob eamdem ab adversa parte criminali sit agendum, non per interpositam personam, sed per ipsam B personam principalem causam matrimonii terminari oportet, cum sicut jura testantur, præsens præsentem accusare debet, et se talionis vinculo obligare. Secus autem in causa matrimoniali, in qua non criminaliter agitur, credimus procedendum; securius tamen ageretur, si cum haberi possit principalium præsentia personarum, ipsis præsentibus in utroque ad definitionis calculum procedatur.

VI.

Ad quemdam archiepiscopum. — De absolutione eorum qui vocati ad judicium venire contemnunt et pro contumacia sua vinculo anathematis innodantur.

Significavit nobis tua fraternitas, quod quidam C in provincia tua vocati aliquando ad judicium venire contemnunt, et pro contumacia sua per te, vel per aliquem suffraganeorum tuorum vinculo anathematis innodantur. Tandem vero ad se redeuntes offerunt se ad justitiam, et quod juri pareant, jurisjurandi volunt religione firmare. Sed ne ante decisionem causæ a sententia possint excommunicationis absolvi, pars adversa appellationis ob. interponit. Sunt insuper alii [etiam], qui excommunicati se juramento præstito justitiæ stare promittunt; sed post absolutionem suam diffugiunt, et appellant. Super his igitur f. t. duximus respondendum, quod absolutio prædictorum, qui pro eo, quod cum venire noluerint ad causam, excommunicationis sententiam receperunt, prohibitione seu appellatione D adversæ partis impediri non potest; dummodo parendi juri sufficientem præstent et idoneam cautionem. Illi vero qui jurejurando promittunt se justitiæ parituros; et per appellationis obstaculum subterfugiunt, nisi infra convenientem terminum appellationem fuerint prosecuti, a te cogi possint, et debent ut sicut juraverint, ap. re. juris pareant æquitati.

VII.

Ad quemdam episcopum. — De consecrando oratorio.

Tenor litterarum tuarum apostolatum nostrum edocuit, quod cum nobilis quidam C. de tuo episcopatu recepto a prædecessore tuo primario lapide, oratorium in stadio suo [proprio] construxit; et

cum ad instantiam ejus paratus esses consecrationis munere illud insignire, ab alio nobili fuit, ne procederes, in ejus ut credis [credit] odium appellatum. Tu autem volens appellationi, prout fraternitatem tuam decuit, cum humilitate deferre, et a consecratione abstinuisti, et terminum ei, infra quem debeat prosequi appellationem, præfixisti; cumque appellationem [prosecutus] sit ille nullatenus et annus sit a die appellationis elapsus, fundator prædictus consecrationem dicti oratorii a te cum instantia petere non omittit. Quia vero præsumendum videtur eum vere, [non], propter gravamen, vel oppressionem aliquam in sui juris dispendium appellasse, cum voluntatem non habuerit infra præfixum sibi terminum super appellationis causa procedere, præsertim cum de jure communi anni spatium appellantibus sit indultum, intra quod secundum se, communiterve litem exerceant, f. t. per a. s. m. qua. si ita processum cognoveris, sicut ipsarum habuit continentia litterarum, cum exinde fueris requisitus, præscriptum oratorium ap. ces. reddas munere consecrationis insigne.

VIII.

Ad episcopum quemdam. — De appellationibus.

Licet appellationis remedium ad levamen inventum fuerit oppressorum, nonnulli tamen clerici tuæ fraternitati subjecti, sicut accepimus, ad appellationis diffugium malitiose recurrunt, et, dum examen tui judicii temere subterfugiunt, contingit sæpius ut non solum ipsi, sed etiam alii, qui ab hujusmodi culpa sint penitus immunes ad sæculare judicium protrahuntur [pertrahuntur]; unde fit ut pro calumniosis a laicis innocentes prolixius molestentur. Nos igitur tantæ incommoditati clericorum volentes pastorali sollicitudine providere et laicis ipsis auferre materiam sugillandi clericos vel eos sub eorum judicio [eodem judicio] coercendi, tibi nos super hoc consulere curanti, taliter duximus respondendum, ut, si cujuslibet clerici tibi subjecti quæstio fuerit ad tuam fraternitatem delata, et quod in quæstione vertitur XL solidorum valentiam non attingat, clerico qui ex hoc ad sedem duxerit apostolicam appellandum, necessitatem tibi non imponimus deferendi, quominus si malueris, causam ipsam sine ap. ob. valeas terminare, nisi manifesta contra te suspicionis causa fuerit ostensa.

IX.

Ad Andegavensem episcopum.—Prævaleat semper quod a majori et saniori parte concilii fuerit statutum.

Fraternitatis tuæ prudentiam, etc. *Et infra :* Secundæ quæstionis nodum auctoritate duximus Lateranens. concilii resolvendum, ut nisi videlicet de aliquo, vel de [ab] aliquibus [potioribus], vel inferioribus irrationabile [irrationabile tamen, vel minus rationabile] (9*) aliquid objici et probari contigerit, prævaleat semper et obtineat debitum re. ap. ob. firmamentum, quod a majoris et sanioris parte concilii fuerit constitutum, nisi antiqua consuetudo Ecclesiæ, hactenus observata et apostolicæ sedis auctoritate confirmata, aliud suaserit observandum. Sic enim et audacia dante Domino refrenabitur improborum, et Ecclesiarum utilitas latius per ejus misericordiam extendetur.

X.

Ad episcopum Segoviensem. — De Judæis vel Saracenis ad fidem Christianam conversis.

Interrogatum est ex parte vestra utrum Judæi vel Saraceni ad fidem Christianam conversi suis uxoribus cohabitare valeant, quas in secundo, tertio et quarto gradu sibi, dum fuissent in infidelitate positi, matrimonialiter copularunt; an ipsis conversis liceat relictis conjugibus ad alias nuptias convolare. Auctoritate tibi præsentium respondemus quod taliter ad fidem Christi conversi, quandiu voluerint uxores eorum remanere cum ipsis, eas sive conversæ sint, sive non, licentiam habeant, si voluerint, retinendi; non tamen sunt cogendi ad hoc. Cæterum ipsis viventibus et volentibus remanere, cum aliis contrahere non debent [debebunt]; quod si in odium Christianæ fidei receperint, cum teste Gregorio, contumelia Creatoris circa eum, qui relinquitur, jus matrimonii solvat, alias in matrimonium ducere non prohibentur; nec refert utrum in secundo, vel tertio gradu, dum fuissent a fide alieni, contraxerint, cum fuisset in veteri tantum lege prohibitum ne sororum suarum turpitudinem revelarent.

XI.

Ad.... — Respondet de voto comitis cujusdam.

Perpendimus, etc. Cæterum de voto quod ipsum comitem fecisse proponis, ut scilicet singulis sextis feriis in pane et aqua jejunaret, non videtur, quod redemptio illa sufficiat de altari construendo, [quia] cum quavis voluntarium sit vovere, ex necessitate tamen vota facta illicita [licite] sunt solvenda. Ad ultimum quod de subveniendo terræ Hierosolymitanæ promisit ipsum ad eumdem illuc in propria persona, si fieri potest, diligentius exhorteris; vel in voti supplementum competentia subsidia euntibus Hierosolymam subministret.

XII.

Ad monachos quosdam. — De ecclesiis ad eorum præsentationem spectantibus.

De minori possemus sollicitudine argui merito, si ad ea conservanda jura vestri monasterii, quæ ad provisionem vestram [nostram] specialiter respiciunt, animum non accumularemus. Quapropter verbis et justitiis [rusticis] vestris pontificali volentes diligentia providere, auctoritate apostolica prohibemus ne in ecclesiis ad præsentationem vestram spectantibus ulli, nisi a vobis præsentati fuerint, ordinentur; sed si quos vobis non præsentantibus ordinari [ordinare] contigerit, ab ecclesiis eis per vosmetipsos auctoritate apostolica amoveantur, et eorum ordinatio penitus irrita habeatur, nisi forte, quod absit! præsentationem clericorum vos constiterit malitiose differre.

(9*) Restituenda sunt hæc verba ut legitur in decr. 44, infra.

XIII.

Ad episcopum quemdam. — De dissolvendo militis cujusdam matrimonio.

Nobis ex tuarum innotuit continentia litterarum, quod quidam miles parochianus tuus olim quamdam nobilem juravit filio suo tradere in uxorem, circa annos nubiles existenti, quam idem filii nomine traduxit; postmodum etiam quatuor annis, et amplius eamdem nurum in propria domo enutrivit, processu vero temporis uxor præfati militis diem clausit extremum; et ipse cum traducta filii instinctu diabolico dormivit, et cum id postremo [postremum] publicum exstitisset, eam sibi matrimonialiter copulavit; cui firmiter vetuisti, ut cum ea amplius non dormiret, si saluti propriæ vellet providere. Verum quia quid super hoc fieri debeat sedem duxisti apostolicam consulendam; nos tuam diligentiam approbantes per a. s. m. qua. militi prænominato sub excommunicatione prohibeas, ne ad eam carnaliter de cætero præsumat accedere, vel ei se audeat ulterius admiscere.

XIV.

Ad.... — De iis qui contra inhibitionem clandestina conjugia contraxerint.

Cum sis præditus scientia litterarum et ad ea sufficiens quæ a nobis requirere voluisti, quia tamen ad majorem certitudinem judicium nostrum sollicitudine pastorali requiris, et prudentiam tuam exinde commendamus et responsum nostrum pro suscepto [susceptis] officii nostri debito destinamus. Consuluit nos sane tua discretio utrum ii qui contra inhibitionem annuatim in suo synodo cum excommunicatione in genere facta clandestina conjugia contraxerunt, separandi sint, an tolerari debeant sic contracta matrimonia, vel taliter contrahentes excommunicandi sunt [sint], donec satisfaciant Ecclesiæ, quam læserunt. Super quo utiq. f. t. duximus respondendum quod, licet sic contracta matrimonia conjugia esse negentur [videantur], sacri tamen canones ideo prædicta prohibere noscuntur, ne si alter contrahentium mutata voluntate in aliud votum se publice transferret, pro conjugio, quod incertum est, judicis [est, judici] sententia promulgari non possit. Verum, si contrahentium voluntas propria suffragaverit, et legitima vota succurrerint [succurrunt], licet ab initio tale matrimonium non tenuerit, ex post facto tamen subsequente voto utriusque legitimo roboratur, et tolerandi sunt taliter contrahentes, nisi matrimonium fuerit accusatum. Sed quoniam contra interdictum Ecclesiæ, et excommunicationem generaliter factam agere præsumpserunt [præsumpserint], nominatim excommunicati denuntiandi sunt pro contempta, donec Ecclesiæ satisfecerint, et postmodum eis inspecta personarum et temporis qualitate, pœnitentia est indicenda.

A

XV.

Ad archiepiscopum Cantuariensem. — De B. militis matrimonio non dirimendo.

Ex litteris tuæ fraternitatis accepimus, quod cum B. miles L. mulierem xxv annis tenuerit in uxorem, nunc dictus miles ab ea separari desiderans, matrimonium ipsum accusavit, asserens, se ad invicem in septimo consanguinitatis gradu attingere, idemque [ideoque, *al.* idem quoque] coram te sufficienter se probaturum idoneis testibus proponebat; adjiciens insuper quod ob hanc causam a G. prædecessore tuo in primo anno nuptiarum vinculo fuit excommunicationis astrictus : ex adverso vero præfata mulier dixit accusationem suam [ejus] nullatenus audiendam, eo quod, sicut se manifeste probare B dicebat, per xxv annos idem vir tanquam legitimam uxorem eam tenuisset. Unde quia super hoc nos consulere voluisti, consultationi tuæ taliter respondemus quod, si tibi constiterit prædictum virum mulierem illam xxv annis tanquam uxorem legitimam tenuisse, ipsum ad eam [ut] in uxorem de cætero detinendam, et maritali affectione tractandam ap. re. compellas, perpetuum ipsi vero super eadem quæstione silentium auctoritate apostolica imponens

XVI.

Ad episcopum quemdam. — De duobus viris qui duas acceperint sorores.

Dilectus filius noster archipresbyter tuus per suas C nobis litteras intimavit quod, cum duo viri duas accepissent sorores, altera sine liberis ex hac vita subtracta, vir ejus accepit aliam in uxorem, ex qua filium generavit, cui filia sororis alterius fuit tempore procedente in matrimonium copulata; cum qua jam permanens filios ex ipsa, ac filias, qui adhuc superstites sunt, accepit. Quia vero ex matrimonio illo sinistra opinio est exorta, per memoratas litteras idem archipresbyter apostolicum duxit super hoc consilium requirendum. Unde licet publicæ honestatis justitia hujusmodi prohibeat matrimonia contrahi, quia tandiu insimul permanserunt, ut accusatores (si qui fuerint) debeant suspecti haberi, qui, cum præsentes exstiterint, per tam longa temporis spatia tacuisse noscuntur, hoc tibi super hoc D duximus consulendum, ut contra matrimonium illud accusatio nullatenus deinceps admittatur; sed potius sub dissimulatione personæ illæ permittantur insimul permanere.

XVII.

Ad.... — De H. et R. mulieris matrimonio.

Sicut ex litteris tuis et petitionis tenore nobis oblatæ cognovimus, cum olim inter H. et R. mulierem matrimonium esset juramento firmatum, quod quidam asserebat eos adinvicem consanguinitatis se gradu attingere, tunc vocato plebano, de cujus parochia vir et mulier fuerant oriundi, ei districtius injunxisti, ut super negotio illo veritatem inquireret diligentius, et accusatoribus ipsius matrimonii ex tua parte præciperet, ut infra termi-

num, quem plebanus ille statueret, ad accusationem A conveniirent; quod si in illo termino non accederent, ulterius minime audirentur. Unde quia idem accusatores in statuto eis termino minime accesserunt, matrimonium illud fuit utriusque copula confirmatum; quia vero postmodum patruus prædictæ puellæ ad illius, ut dicitur, hæreditatem anhelans, accusaturus matrimonium illud ad præsentiam tuam accessit, duos secum testes adducens, quos præfatus vir et mulier parati erant infames esse incontinenti probare, et quia verbis eorum minime acquiescere videbaris, idem vir ad nostram audientiam appellavit; quia vero contracta matrimonia sine magna deliberatione separari non debent, nec contra ea recipi quæstiones; f. t. m. qua. si vera B sunt quæ prædiximus, testes et accusatores ipsius matrimonii, tanquam suspectos abjicias, nec te ipse mittas, nec sinas, quantum interfuerit, a quoquam admitti.

XVIII.

Ad episcopum quemdam. — Will. de Rimare divortium facere cum secunda uxore non debere.

Comes Wll. de Rumaren [W. de Rimare], vir nobilis parochianus tuus, prout nobis per tuas litteras retulisti, tibi fuit secreto confessus quod, cum ipse cum quadam muliere nobili matrimonium contraxisset, ipsa instinctu quorumdam admonita, consanguinitatem inter se et eum esse proposuit, per Ricardum olim Cantuarien. archiepiscopum, postulavit divortium celebrari; licet autem prædictus comes illam crederet ad se nulla consanguinitatis linea pertinere, ferens tamen indigne quod C uxor sua eum contempserat, cum contradicere potuisset obticuit, nec aliquatenus ad sedem apostolicam appellavit [voluit appellare]: sed post consanguinitatem probatam, et divortio judicio Ecclesiæ consecuto muliere jam dicta ad matrimonium cujusdam nobilis transeunte, idem Wll. aliam sibi matrimonialiter copulavit; quia vero ipsum propria conscientia remordet, ut asseris, de eo quod sciens inter se et primam uxorem nullam esse consanguinitatem, ab ea sustinuit separari; cum ab ipso commonitus quid sibi agendum sit diligenter inquiras: præsenti pagina respondemus quod, quamvis in conscientia scrupulum gerat de prima conjuge derelicta, non debet tamen a secunda recedere, et conjugale debitum denegare, expedit tamen ut pœnitentiam ei competentem jungas, pro eo quod contra conscientiam suam separari consensit, et insuper eam pœnitentiam sibi experiatur inflictam; ut ad secundæ coitum cum dolore, si fuerit requisitus, etiam teneatur accedere; tamen arbitretur se jus reposcendi ab ea carnale debitum amisisse.

XIX

Ad quemdam. — De cujusdam electione probanda.

Super eo vero quod quærere voluisti, si alicujus electio cassata fuerit, et idem [*f.* ad] regimen ejusdem Ecclesiæ iterum concorditer nominatus, an secunda electio debeat confirmari, hoc tuam tenere volumus discretionem quod, si prior electio non vitio personæ, sed modo electionis cassatur, nisi forte Simoniæ pravitatis aliquid intercessisse constiterit, promotionem ejus in eadem Ecclesia non debeat impedire.

XX.

Ad Willelmum regem Siciliæ. — De juramento fidelitatis ab hæredibus regis pontificibus Romanis præstando.

Charitatis amica simplicitas nullis verborum fallaciis, nullis appetit ambiguitatum involucris offuscari. Frequenter igitur est necesse ut quæ minus plenæ dicta videntur, et ambiguitatis scrupulos possent sane dicta generare, explanatione veridica clarius elucescant. Eapropter, benigne in Domino fili, audito, quod in magnitudinis tuæ præsentia quæstio mota fuerit, utrum ex nostri tenore rescripti colligeretur quod singuli hæredum tuorum singulis nostris successoribus fidelitatis præstare debeant hujusmodi juramentum; intellecta etiam expositione dilectorum filiorum A. in titulo S. Crucis in Jerusalem, et P. in titulo S. Laurentii in Damaso presbyterorum cardinalium, sedis apostolicæ legatorum, quæ ad nos fuit sub sigillorum suorum testificatione transmissa, a sano eorumdem intellectu nolentes aliquatenus dissentire, serenitati regiæ duximus intimandum quod, cum intentio nostra sit nil intolerabile tibi, vel hæredibus tuis imponere, taliter in hoc titulo tibi duximus respondendum, ut hæredes tui qui nobis, vel alii successorum nostrorum juraverint, alii postea jurare minime compellantur; catholicis tamen successoribus nostris, qui præpositi fuerint, et hominii, et fidelitatis puritatem nihilominus, ac si juraverint, omni tempore teneantur absque tergiversatione aliqua fideliter observare, nisi forte alicui eorum, sicut personæ tuæ fuerit hominium benignitate sedis apostolicæ relaxatum, qui tamen non se propterea credit a fidelitatis observatione immunem.

Datum Laterani.

XXI.

D *Ad Abserentem [Absorensem] episcopum et abbatem S. Andreæ de Bergis. — De pœnitentia injungenda presbytero cuidam, cujus vitio num famulus quidam mortuus sit incertum.*

(10) Ad audientiam apostolatus nostri ex parte vestra pervenit quod quidam presbyter volens corrigere quemdam de familia sua eo cingulo, quo cingi solebat, illum verberare tentavit: et contingit quod cultellus de vagina, quæ cingulo adhærebat, elapsus eum in dorso aliquantulum vulneravit. Postmodum vero cum ille vulneratus aliquandiu vixisset, et jam convaluisset a vulnere, graviori, ut creditur, infirmitate perculsus, cum sana mente,

(10) Uncis inclusa desunt in Decret.

ac devotione debita viam est universæ carnis ingressus. Quia vero utrum occasione vulneris decessisset dubium habebatur, [eodem presbytero ab omni officio, beneficioque suspenso,] quid super hoc vobis esset agendum apostolicam sedem consultare voluistis. Nunc itaque vestræ discretionis industriæ duximus respondendum, quod, cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit injungere presbytero memorato, ne de cætero in sacris ordinibus administrare accedat; injuncta tamen pœnitentia congruenti potestis ei concedere, ut sit contentus in minoribus ordinibus ministrare. Si vero [vobis legitime constiterit, quod] ex alia infirmitate obierit, de vestra licentia poterit, sicut erat solitus, divina officia celebrare.

[Datum Laterani.]

XXII.

Ad episcopum quemdam. — De quadam parochiana ejus quæ annos undecim nondum adhuc nata Teutonico cuidam in matrimonium tradita fuerat, quamvis renitens.

Ad id quod nobis per litteras tuas intimasti de quadam parochiana tua, quam suus vitricius cuidam Teutonico matrimonialiter copulavit, taliter respondemus quod, quamvis undecim annos adhuc habens ab initio ei invita fuisset tradita et renitens, tamen, quia postmodum per annum dimidiumve ei cohabitans consensisse videtur, ad ipsum est cogenda redire; nec de cætero recipiendi sunt testes, si quos memorata mulier ad probandum quod non consenserit in eum nominavit producendos, cum mora tanti temporis hujusmodi probationem excludat. Volumus igitur et mandamus ut, propter hoc non omittas quominus [appellatione remota] per censuram ecclesiasticam utrumque compellas ad alterum maritali affectione reamandum, nisi forte vellent ad religionem pariter convolare, pœna eis inflicta pro eo quod ad alienos et illicitos concubitus uterque transiverit.

[Datum Laterani.]

XXIII.

Ad Formolensem episcopum. — Quæstionibus ejus respondet.

Consanguinei Ermengardæ, latoris præsentium, sicut nobis litteris tuis intimasti [productis jure sub examine testibus], compaternitatem inter ipsam et virum suum legitime provenire, ita quod inter eos sententiam divortii protulisti. Prædicta vero E. cum sit tibi postmodum confessa ejus commater in veritate ante sententiam non fuisse, post separationem compaternitatem eam contraxit, et tamen ad secundas nuptias convolavit. [Quia igitur reatum suum recognoscens hunc consilium nostrum super hoc expetat, tu a nobis in hoc postulasti responsum. Fraternitati tuæ præsenti pagina respondemus quod propter solam confessionem mulieris non est recedendum a sententia per judicium A Ecclesiæ rationabiliter promulgata, nisi forte in contrarium legitime probaretur. Ad ultimum eidem mulieri vero delictum suum tibi confessæ pœnam illam injungas, quam juxta qualitatem personæ et quantitatem excessus ei videris imponendam.]

Martinus Bertham duxit in uxorem; Tebergam sibi Lotharius copulavit; Lotharius Martini et Berthæ filium de sacro fonte suscepit; Lotharius vero et Bertha sublatis de medio, Martinus cum Teberga contraxit. (Quærit tua fraternitas utrum tales sint ab invicem separandi.) Nos autem tuæ consultationi duximus respondendum quod, cum secundum verbum Domini vir et mulier una per connubium caro efficiantur, liquidum est Tebergam non posse Martino B matrimonialiter copulari, qui eam par [*f.* compater] ejus fuerat, cum quo ipsa Teberga una noscitur caro exstitisse.

[Super alium vero de quo rescriptum apostolicæ sedis postulasti, utrum conjugatus, qui ante contractum matrimonium uxoris suæ consanguineam propinquam carnali commistione cognovit, cum id uterque confiteatur, et aliqua pars viciniæ id acclamare dicatur, sit ab uxore sua Ecclesiæ judicio separandus, tali responso tuæ fraternitati rescribimus, quod si aliter veritas ordinario judicio non patuerit in muliere, propter eorum confessionem tantummodo, vel rumorem viciniæ separari non debent. Cum enim quando nonnulli inter se contra C matrimonium colludere velint, ad confessionem incestus facile prosilirent, si suo desiderio crederent præjudicium concurrendum. Rumor autem viciniæ non est momenti usque adeo judicandus valide, quod nisi rationabiles et fide dignæ probationes accedant, possint bene constitutum matrimonium vitare.]

[Tertio loco quæstionis hujusmodi nodum fraternitas tua petiit explicandum, an juvenis sponsam suam in quantum per verba de præsenti consensit, uxorem debeat habere, ad quorum matrimonium impediendum neptis ipsius sponsæ prosiliens se a juvene carnaliter præcognitam proponebat; et cum de hoc testes produceret, dixerunt illi se pro certo credere quod illa prædicti juvenis D concubina exstiterit, et ei carnali commistione conjuncta, adjicientes quod eos insimul videbant per plana, et nemora, vias, et in via pluries convagantes, et testimonium viciniæ se super hoc recepisse dicebant. Ad majorem autem certitudinem quod minus sufficienter credidisti probatum, quod eadem mulier asserebat tam ipsam quam juvenem juramentis astrictos dicentem convenisti, et seorsum venti confessi sunt, quod se ad invicem carnaliter præcognoverant, licet juvenis nollet ab ea quam desponsaverat separari. Nos autem iis quæ dicta sunt intellectis attendentes viciniæ famam et dictorum mulieris, ac juvenis confictas confabulationes et per solitudines vagos incessus per testes esse probatos, et de carnali cognitione eos per ju-

ramentum separatim fuisse confessos, præsertim A cum hoc non dicatur occultum, sed quam manifeste a pluribus prædicitur, prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, et præsertim felicis memoriæ Alexandri papæ statuta sectantes, consultius et securius esse credimus, ut matrimonialiter non jungantur, sed ab invicem solutis sponsalibus separentur.]

[Datum Laterani.]

XXIV.

Ad Gotifredum Aquileiensem patriarcham. — De excommunicatorum absolutione.

Cum desideres [quid tua fraternitas observare super his quæ dubietatem continent, apostolicæ sedis scripto plenius edoceri, nos, qui licet immeriti B ex susceptæ administrationis officio consultationibus respondere cogimur, singulorum interrogationum tuarum nodos præsenti rescripto solvere volumus; et tuam in hoc prudentiam commendamus, qui cum juris canonici peritiam habeas, et prudentum consilio perfruaris, ad majorem tamen evidentiam, et formam cæteris præfigendam, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matris tuæ consulta requiris, in quo spiritum consilii, et fortitudinis, sicut vir dilectus, et prudens te habere ostendis.] Fuit autem primæ quæstionis tenor hujusmodi, utrum alicui excommunicato, qui mandato Ecclesiæ stare juravit, et ante absolutionem episcopus ei communionem reddidit, sit communicandus ab aliis, et an episcopus id facere debeat? Cui siquidem quæstioni C taliter duximus respondendum quod cum cautio juratoria, quam hodie, qui excommunicati sunt, præstant, potius ad cautelam ex consuetudine Ecclesiæ, quam ex rigore canonum sit inducta, neque momenti tam validi reputetur, ut nisi absolutionis beneficium subsequatur, ille qui excommunicatus est debeat aliorum communioni restitui, præsertim cum ex eo juramento absolutionem consecutus non sit, et constat eum excommunicatum fuisse et verum sit absolutum non esse, non potest episcopus, nec debet (ei communionem reddere), nec alii eidem communicare, nisi fuerit secundum formam ecclesiasticam post juramentum præstitum absolutus, quia [secundum apostolorum canones, et Fabiani statuta pontificis]: qui cum D excommunicato scienter communicaverit, est communione privandus, imo, [juxta Isidorum] statim cum eo excommunicationis contrahet pœnam.

Secundæ quæstioni [statuta canonum et præcipue piæ memoriæ Alexandri papæ III prædecessoris nostri sequentes] hunc finem duximus imponendum quod, si publica fama est aliquem verberasse clericum, nec episcopus, nec alii ei communicare debent, nisi legitime ad arbitrium episcopi de hoc se purgaverit vel ad majorem cautelam beneficium absolutionis acceperit.

Tertio loco tua discretio requisivit. [Si clericus verberatus ab aliquo querimoniam apud episcopum suum deposuit, et testes producere paratus fuit, et episcopo mediante, et communicante ei, qui verberavit ipsum, amicabiliter cum eo] composuit, et reconciliatus ei fuit, an sit ei communicandum ab aliis; super quo taliter respondemus: quod licet ille, qui violentas manus injecit, [ei] quem læsit, satisfecisse videatur, Ecclesiæ tamen [gratiam] offendit; ex hoc non satisfecisse dignoscitur, nisi forma ecclesiastica, quæ pro absolutione talium, ut supra diximus, introducta est observetur.

[Ultimæ præterea quæstionis perplexionem revolvimus, quod non impari stylo criminis conquadratur, qui clericum captivum detinet, licet violentas manus in ipsum non injecerit, ei, qui violentas manus injecit, nec est communioni fraternæ reddendus, nisi juxta formam Ecclesiæ fuerit, ut supra dictum est, absolutus.

Data, ut supra.]

XXV.

Ad sacerdotes quosdam. — Quæstionibus eorum de « accusatione matrimonii » respondet.

Nobis est ex parte Ecclesiæ vestræ requisitum, utrum aliqui super accusatione matrimonii nil voce propria depromentes debeant per solam chartulæ conscriptionem admitti. Ad hoc dicimus quod in talibus, nisi quantum ad præsumptionem, nullius momenti est conscriptio, qua ad sententiæ calculum proferendum, nisi alia legitime suffragante: præterea quia et hoc consultationi fuit adjectum, unde respondemus quod qui sponsalibus interfuerunt, et tacuere quæsiti, non sunt recipiendi postea si velint contra matrimonium aliqua confiteri, nisi de his aliqua velint dicere quod in veritate postmodum didicerunt, de quibus etiam constet eos nihil factæ interrogationis tempore cognovisse. Qualiter ab his qui accusant matrimonium, vel aliquid protestantur recipiendum sit sacramentum, et post quot annos sint aliqui in accusatione matrimonii audiendi, præsentibus litteris non duximus adnectendum, quia forma hujusmodi sacramenti pene in omnibus patet in canonibus diligenter expressa, tum quia propter varietatem casuum, et diversitates personarum certa de annorum spatio iis non possit meta præfigi.

Data Laterani.

XXVI.

Ad episcopum quemdam. — De pœnitentia sacerdotibus Græcis injungenda si eam sibi postulent pro filiis oppressis injungi.

Quæsitum est a nobis utrum sacerdotibus Græcis, quibus legitimo matrimonio licet uti, publica sit pœnitentia imponenda, si eam sibi postulent pro filiis oppressis injungi. Huic igitur consultationi taliter respondemus, quod si, ipsis procurantibus vel studiose negligentibus, filii in lectis reperiuntur oppressi, ab officio altaris debent perpetuo abstinere, et eis gravior quam laicis, non tamen publica,

nisi id in publicum veniat, pœnitentia debet imponi. A [Qui tamen non solum a sacrorum ordinum exsecutione cessabunt, verum etiam si sunt infra ipsos, ad eos minime assumantur.] Verum si ex incuria mortui inveniantur [filii] in cunis, et fuerit illud occultum, pœna eis pro arbitrio pœnitentiarii imponatur, et in terrorem aliorum ad tempus abstineant a celebratione missarum.

[Datum Laterani.]

XXVII.

Ad episcopum quemdam. — Ut W. ad legitimam uxorem redire compellat.

Ex litteris tuis accepimus quod lator præsentium, W. nomine, de tua diœcesi olim quamdam duxit Luciam videlicet in uxorem: qui maligno spiritu B instigante paucis temporibus fuere concordes. Proponebat etiam idem W. quod illam per violentiam sibi illatam metu etiam mediante duxisset. Tu vero una cum capitulo tuo cum tam minis quam admonitionibus inter eos sæpius pacem reformare studens, et eos temere segregatos reconciliari pariter coegisses, tandem vir uxorem suam super crimine fornicationis..... tentavit. Post longas vero inducias et admonitiones diligenter factas, ut ab hujusmodi litigationibus cessarent, cum ad hoc ulterius sedari non possent, vir etiam eam iterum de crimine fornicationis expressius appellaret, ipsi, nescimus quo ducta spiritu, coegit publice confiteri, quod cum vir ei negaret in debitis et necessariis providere, crimen compulsa est incurrere memoratum. Cum- C que diligentius a te fuisset commonita, ne ad suggestionem alicujus vel iniquum consilium illud tam turpe contra se proponeret, ipsa eadem manifestius asserebat. Sane convocato capitulo tuo, et aliis viris discretis, cum ex eorum consilio utrique parti continentiam firmiter injunxeris observandam, ita quod caste viverent invicem segregati; et ex relatione quorumdam perceperis quod aliam memoratus W. intenderet ducere in uxorem, licet ipsum ne hoc facere aliquatenus attentaret monueris diligenter, ipse nihilominus extra civitatem furtim cum alia sponsalia et nuptias temere celebravit. Verum cum factum inquirere laborares, ut secundum illud procederes, supradictus W. rei seriem, prout factum fuerat, explicans et exponens, D ad nostram audientiam dicitur appellasse. Unde fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quoniam si res ita processit, prætaxatum virum, appellatione remota, ad legitimam uxorem per excommunicationis sententiam redire compellas, et injuncta eidem pœnitentia de commisso adulterio cum secunda, priorem maritali affectione ab ipso facias pertractari. Capellanum nihilominus, quem benedictionem tibi constiterit celebrasse cum secunda, ab officio, beneficioque suspensus cum litterarum tuarum testimonio apud sedem apostolicam nullatenus destinare postponas.

Datum Laterani.

XXVIII.

Ad episcopum quemdam. — De canonico regulari qui in extremis agens proprium noluit resignare.

Super quodam regulari canonico de tua diœcesi, qui in articulo mortis agens, licet a priore suo commonitus, proprium, quod contra regulam latenter habebat, noluit resignare, et sic diem clausit extremum, quid scilicet de illo agendum sit, cum nihilominus sit inter alios fratres traditus sepulturæ, nos duxisti necessario requirendos. Quia vero te ignorare non credimus quid de talibus in Regula S. Augustini habeatur statutum, et quid in synodo Lateranensi constet inhibitum, manifestæ inquisitioni tuæ præsentibus litteris respondemus quod ille canonicus non tantum fuit Christiana sepultura privandus, verum etiam, si sine maximo scandalo potuerit fieri, de ipsa projici dignus, et extra cœmeterium ecclesiæ sepeliri, cum, sicut in ipsa synodo habetur expressum, nec absolutio pro eo facienda sit, nec inter fratres debeat sepulturam habere, hoc autem cum forte contigerit in talibus est agendum.

XXIX.

Ad præpositum Falc...... — Contra clericos militantes.

In audientia nostra talis fuit consultatio ex parte tua proposita, utrum clerici qui arma militaria, relicto habitu clericali, gestare nullatenus erubescunt, si eis fuerit corporalis injuria illata, vel se a captore redemerint, illa debeant clericorum immunitate gaudere, qua pro temeraria manuum injectione facta in clericum excommunicatus quis ipso jure notetur. Ad hoc tibi breviter respondemus quod, cum frustra Ecclesiæ suffragium invocat, qui committit in ipsam, et lex sæcularium principum huic responso satis efficacia afferat argumenta, quo manifeste cassatum habetur: Matronam cujus pudicitia attentata fuerit, non posse injuriarum agere, si fuerit in veste meretricia deprehensa; hujusmodi clerici si fuerint a præfatis suis tertio commoniti, et noluerint arma deponere, de privilegio clericorum habere non debent.

XXX.

Ad episcopum Siguntinum. — Si res aliter probari non potest, etiam in causa criminali compellendi sunt testes, etc.

Pervenit ad nos quod in episcopatu tuo sæpe contingat, quod a laico enormis et intolerabilis injuria clerico, multis astantibus et videntibus inferatur, vel præsente plebe, in ecclesia, cum diabolicæ fraudis instinctu accidit horribiliter sanguinem humanum fundi, et ob hoc injuriantes in causa tracti negant se tantum facinus commisisse, et cum læsus illatam injuriam eorum testimonio, qui præsentes viderunt, probare desideret, [ipsimet, licet veritatem cognoverint, contemnunt] testimonium veritati perhibere, et sic ecclesiastica justitia deperit et clericalis ordo vilescit. [Accidit etiam complures frequenter in clerico violentas manus temere injiciunt, ad sedem nequeunt apostolicam

plurimis obstaculis venire; et quia super his tua nos duxit fraternitas consulendos], tuæ consultationi taliter respondemus: quod qui de rebus ecclesiasticis nolunt testimonium perhibere, si alias veritas nequiverit inveniri [licet juxta rigorem canonum unius testimonio non sit standum], juxta consuetudinem Romanæ Ecclesiæ propter reverentiam ordinis clericalis ipsorum juramento fidem volumus adhibere. Illos autem, qui valetudine præpediti pro absolutionis beneficio ad sedem nequeunt apostolicam venire, recepto ab eis juramento, sicut moris est, potes absolvere; ita quod sanitati pristinæ restituti apostolico conspectui se repræsentent. Sexui vero femineo, et pueris, ac senibus satis credimus te libere dispensare. Ecclesias, quæ fuerint sanguinis effusione pollutæ, civitatis clericis convocatis, et cum processione, et aquæ benedictæ aspersione, prout in ordinario habetur scriptum, poteritis emundare.]

De his vero qui non fratri enormem injuriam irrogant, tuæ fraternitatis arbitrio duximus relinquendum.

XXXI (11).

Ad eumdem. — De Judæis vel Saracenis ad fidem Christianam conversis.

Interrogatum nobis est ex parte vestra utrum Judæi, vel Saraceni ad fidem Christianam conversi suis uxoribus cohabitare valeant, quas in secundo, tertio, et quarto gradu sibi dum fuissent in infidelitate positi, matrimonio copularunt; an et ipsis conversis liceat relictis conjugibus ad alias nuptias convolare. Auctoritate igitur præsentium respondeo quod taliter ad fidem conversi, quandiu volunt uxores eorum remanere cum ipsis, eas sive conversæ sint, sive non, licentiam habent, si voluerint, retinendi; non tamen ad hoc sunt cogendi. Cæterum, ipsis viventibus et volentibus remanere, cum aliis contrahere non debent; quod si in odium fidei Christianæ recesserint, cum, teste Gregorio, contumelia Creatoris solvat matrimonii jus circa eum qui relinquitur, alias ducere minime prohibentur. Nec refert utrum in secundo, vel tertio, vel quarto gradu, dum fuissent in infidelitate, contraxerunt, cum tantum fuisset in veteri lege prohibitum, ne sororum suarum turpitudinem revelarent.

XXXII.

Ad Joannem Lugdunensem archiepiscopum. — De Ecclesiis conventualibus.

[Ad quæstiones solvendas, quæ per fratres et coepiscopos nostros sedi apostolicæ porriguntur, juxta officii nostri debitum, nos convenit solutionem adhibere.] Intelleximus utique ex tuis litteris, quod duæ conventuales Ecclesiæ sunt in tua diœcesi constitutæ, quarum utraque parochialem habet ecclesiam cum possessionibus, magis alteri quam sibi vicinam. Illis autem eas desiderantibus permutare, cum illarum altera, respectu meliorum proventuum possessionum suæ ecclesiæ sibi postulet, adjici certam summam pecuniæ numeratæ, ut sic ad qualitatem præmii valeat perveniri, utrum possit id licite fieri, cœpit ab aliquibus dubitari, [quam ob causam sedem apostolicam consulere voluisti. Licet itaque tuæ discretionis industriam ignorare minime reputemus, quid super eodem articulo sit agendum, nihilominus sic tuæ diligentiæ] respondemus quod cum de jam dictis parochialibus ecclesiis per se queat permutatio celebrari, et in permutatione possessionum per se non sit inhibitum, ubi altera possessionum alteri præponderat, pecuniam posse refundi, de ipsarum quanto possessionibus ad invicem, prout visum fuerit expedire, refusa certæ pecuniæ quantitate, poterit contractus permutationis fieri, sic tamen quod nequaquam contractus sibi invicem misceantur.

XXXIII.

Ad archiepiscopum de Sancto Marino (Darantasino?). — De removendo plebano Simoniace electo et de jure patronatus.

Nobis fuit ex parte tua significatum [cum magna diligentia] quod, cum quatuor essent a capitulo constituti, qui debeant quondam in plebanum eligere, amici illius de electione cujus res habebatur, uni eligentium, vel omnibus promiserint se pecuniam soluturos, eo tamen ignorante, qui hujusmodi interveniente promissione postmodum est electus. Quia igitur nos super hoc consulere voluisti, sollicitudini tuæ taliter respondemus quod, nisi forte constaret illos qui tale promissum fecerunt per fraudem et in dispendium illius qui eligendus erat, id malitiose fecisse, quamvis ipse conscius promissionis non fuerit, tamen electio tanquam Simoniace per pravitatem hujusmodi acquisita est penitus reprobanda.

[Præterea quæsivisti a nobis: Si quis efficiatur suæ ecclesiæ constructione patronus, vel si ad electionem plebani sit cum clericis admittendus, seu ab ipsa omnino repellendus, tametsi de longa consuetudine electioni se allegaverit interesse debere. Et huic siquidem tale damus responsum: Quod si quis ecclesiam consensu diœcesani episcopi construxerit, ex eo jus patronatus acquirit. Cæterum conventuali ecclesia non electioni plebani faciendæ, sed jam factæ, ut honestius patroni postuletur consensus, nisi patronus alias de sua jurisdictione obtineat, ut partes suas interponere debeat electioni tractandæ. Secus tamen est in capella, in qua unus presbyter statuendus, quoniam a patrono eligitur, et per institutionem habendam loci episcopo præsentatur. Pro fundatione quoque ipsa honor processionis fundatori servatur, etsi ad inopiam vergit, ab Ecclesia illi modeste succurritur, sicut in canonibus est constitutum.]

Ad ultimum super hoc, quod in fine tuæ epistolæ invenimus, hoc duximus respondendum: Quod aliquis in plebanum seu presbyterum, seu quemlibet Ecclesiæ prælatum electus, et si est per pra-

(12) Eadem, paucis mutatis, ac in decr. 10, supra.

vitatem reprobatus, ab episcopo suo dispensationem aliquam de jure obtinere non debet.

[Datum Laterani, VIII Idus Maii.]

XXXIV.

Ad Roffridum SS. Marcellini et Petri presbyterum cardinalem, abbatem Casinensem. — Ut de quæstione matrimonii inter Robertum et B. mulierem decernat.

Tenor litterarum tuarum nobis transmissus ostendit, quod [cum in archipresbyteratu S. Germani] inter Robertum, et B. mulierem quæstio matrimonii verteretur, [ipsa testes pro matrimonio producente, vir ad sedem apostolicam appellavit. Cumque venerabili fratri] Telesino [Theatino] episcopo causa commissa fuisset, [quia terra illa tunc pro regis morte turbata, mulier sibi evidenti periculo viarum præcavens, non poterat se judici, quo ab eo tertio cito fuerat, præsentare, licet nuntium cum excusatione transmiserit, episcopus tamen] eumdem R. postmodum muliere absente ab impetitione ipsius absolvit. Cæterum eadem mulier [ad præsentiam nostram accedens] a nobis ad te litteras impetravit, ut de causa cognoscens, et eam debito fine dirimeres, [quandoquidem coram memorato episcopo pro commotione terræ non poterat diffiniri.] Dictus vero R. a te convocatus ad causam infirmitate prætensa non adfuit; sed quia nocte sequente aliam sibi copulare præsumpsit, in eum excommunicationis sententiam promulgasti, a qua tandem fuit postmodum absolutus, cum ante te in propria persona veniens ostendit litteras episcopi memorati, quibus eum ab inquietatione ipsius ab hoc absolutum fuisse patebat, [quod ad præsentiam episcopi non accessit.] Quia igitur, [sicut proponis, mulier eadem cum lacrymis quotidie clamat post te,] suos testes afferens ad probandum, quod idem eam desponsationis annulo publice subarrhasset, tu quid super his agere debeas humiliter postulas edoceri. Inquisitioni tuæ taliter respondemus quod, non obstante tali illicita absolutione quam episcopus fecit, in causa [sublato appellationis impedimento procedas, et eam debito fine decidas,] eidem Roberto sub pœna excommunicationis arctius interdicens, ne ad eam, quam superinduxit, accedat, priusquam fuerit causa decisa. [Testes autem non respuas, quos de parentela sua, vel aliis, dummodo alias idonei sint, prænominata B. duxerit producendos, cum consanguinei tum chartis tum testibus, tum et recitatione majorum, vel argumentis aliis melius quam extranei suam consueverint cognoscere parentelam].

XXXV

De eo qui cognovit consanguineam uxoris.

Ex litteris tuæ discretionis accepimus quod, cum G. a te pœnam postulasse confessus quamdam intra nubiles annos desponsasse; sed cum in domo patris sui cum ipsa maneret, ad sororem suæ sponsæ accessit, eamque carnaliter, diabolo suggerente, cognovit; sed postmodum cum a parentibus cogeretur, ut sponsam acciperet, eis confessus est præscriptum facinus perpetrasse; sed archidiaconus loci nihilominus ipsum sponsæ suæ debitum carnaliter persolvere ecclesiastica censura coegit. Qui licet invitus se asserit paruisse. Cæterum quia prohibuisse diceris, ut ad neutram carnalem accessum habeat, et nos consulere voluisti, quid officio tuo competat faciendum, consultationi tuæ taliter respondemus: quod ex sola ipsius viri confessione super hoc crimine, a sponsa sua non debet aliquatenus abstinere.

XXXVI.

Ad Gilbertum episcopum Claromontanum. — De jurejurando.

Cum te audiremus ante consecrationem tuam juramenta adeo in damnum episcopalis juris et dignitatis canonicis dare monitum præstitisse, quod ex eo robur episcopale videatur nimium enervari, tu super hoc, sicut providus et discretus, nos consulere voluisti, et huic incommoditati remedium apostolicum suppliciter implorasti. Nos itaque et auctoritate pro nostri officii debito providere volentes tuæ sollicitudini respondemus, quod illicita juramenta in damnum episcopatus Claremontano capitulo a te præstita nullum tibi debent impedimentum afferre, et ut super hoc contra detrahentium objectiones tutus et præmonitus existas, nostras absolutionis litteras tibi in testimonium duximus indulgendas.

XXXVII.

Ad Cæsaraugustanum episcopum. — De pœnitentia injungenda Simoniacis.

De regularibus canonicis, seu monachis nos voluisti consulere, qui per Simoniam ingressum, ipsis scientibus [et machinantibus], habuerunt. Verum cum super hoc auctoritates multæ inveniuntur expressæ, non aliud quam statutum est respondemus, ut locum qui taliter accepti sunt omnino dimittant, et solitudines seu alia monasteria districtiora adeant, in quibus tam exsecrabilem excessum absque intermissione deplorent. Si autem ignorantibus ipsis pecunia data fuerit, cogas eos ad renuntiandum loco eidem; et postmodum in ipsum reduces, si ibi absque scandalo remanere potuerint, vel in aliquo, quod sit de ordine ipso ad serviendum poteris collocare.

XXXVIII.

Ad consules et populum Genuæ. — De D. subdiacono qui puerum invitus necaverat.

Suggestum est auribus nostris quod cum D. subdiaconus, præsentium lator, aliqua die per quemdam pontem transitum faceret, et casu in eo moram faceret, vidisset juvenes quemdam puerum contendentes in flumine violenter; bono zelo ductus, ne ab eis suffocaretur in aqua, ipsos leviter arguere cœpit ut puerum relaxarent. Illi vero puero dimisso eumdem subdiaconum conati sunt ad flumen per pedes attrahere. Verum cum ad ripam

proximus erat, ne pro eorum violento tractu præceps rueret, se, ut poterat, tenuisset, lapis tamen avulsus eumdem puerum, quem prius liberare voluerat, interfecit. Quocirca fraternitati tuæ per apostolicum scriptum mandamus, quatenus, si res ita se habet, eodem subdiacono per aliquod tempus, prout tibi visum fuerit, ab ordinis suscepti exsecutione suspenso, ipsum in eodem postea ministrare permittas. Ad majores autem ordines, ne scandalum populo Dei ingeneretur, licet quoad hoc in culpa non videatur fuisse, nequaquam ascendat, nisi forte ad monasterium, seu canonicam regularem, circa ipsum de suspensis ordinibus fiat dispensatio, et ordinatori suo visum fuerit faciendum.

XXXIX.

Ad archiepiscopum Cassinensem [*Cassiliensem?*]

Ad hoc ex tua parte nostris auribus relatum est, etc. Quod a nobis tua fraternitas requisivit, an a pontificibus generati valeant ad [gradus ecclesiasticos] promoveri, si scientia fuerint et morum honestate probabiles. Sciat discretio tua quod dummodo ex legitimo matrimonio sint procreati, nec aliud canonicum obviat, licite possunt in sacris ordinibus ordinari, et in eisdem Ecclesiis, in quibus præsunt, vel etiam præfuerint genitores, eorum beneficium obtinere.

XL.

Ad Lironiensem episcopum et socios. — Concedit ut cibis utantur qui iis ab infidelibus apponantur.

Quam sit laudabile, etc. *Et infra.* Tuis, frater episcope, petitionibus annuentes, tibi tuisque sociis, cum ad prædicandam Christi fidem paganis exibitis apostolica auctoritate concedimus ut vobis iis cibis, cum modestia et gratiarum actione, servata temporum qualitate juxta canonicas sanctiones, uti liceat, qui vobis ab ipsis infidelibus apponuntur. Insuper indulgemus ut quicunque viri monachi seu clerici idonei ad nuntiandam gentibus evangelicam veritatem, requisita et habita suorum prælatorum licentia, si voluerint adhærere, id absque contrarietate aliqua exsequendi liberam habeant auctoritate apostolica facultatem.

XLI.

Ad episcopum quemdam. — Clericorum assultores et incendiarios nonnisi per Romanum pontificem absolvendos. Sacerdotem leprosum ab officio removendum.

Tua nos duxit fraternitas consulendos an ii soli sint ad sedem apostolicam destinandi qui in latæ sententiæ canones incidentes manus in clericos perverterunt violentas, et utrum possint ab eadem sententia, nisi per Romanum pontificem, liberari. Unde fraternitati tuæ respondemus quod non solum ii qui in clericos temerarias manus mittunt, sed etiam incendiarii, ex quo sunt per ecclesia- A sticam sententiam publicati, pro absolutionis beneficio ad sedem sunt apostolicam destinandi, (et nonnisi per Romanum pontificem absolvendi).

[Illi vero qui ecclesiastica beneficia de manibus præsumunt laicorum accipere, non consueverunt pro tali excessu ad sedem apostolicam laborare.]

De sacerdote vero, qui divino judicio lepra respersus in parochiali ecclesia prælationis officio fungitur, tibi duximus intimandum quod pro scandalo vel ob murmurationem populi, ab administrationis debet officio removeri, ita quod juxta facultatem Ecclesiæ, si quod vixerit, ministretur.

B

XLII.

Ad Turonensem archiepiscopum. — De H. clerico.

Cum H. lator præsentium, sicut sua nobis conquestione monstravit, ad tuam præsentiam ordinationis tempore accessisset, tua ei fraternitas, juxta consuetudinem patriæ quatuor minores ordines contulit, quibus nullatenus contentus, subdiaconatum [eodem die inter alios latens, te inscio, et diaconatum] temerario ausu recepit. Quia vero idem clericus in facto isto multum excessit, fraternitati tuæ mandamus quatenus eum in minoribus ordinibus permittas ministrare. Si vero domum religionis intraverit, et vita ejus et mores exegerint, abbas C suus etiam in aliis cum eo poterit ordinibus dispensare.

XLIII.

Ad Abienensem [*Albiensem?*] *episcopum. — Ut in ecclesiis quibusdam tot religiosas personas statuat quot earum redditus sufficiant.*

Ea noscitur, etc. *Et infra.* Ad audientiam siquidem nostram, te significante, pervenit, quod quædam Ecclesiæ intra vestram diœcesim et ad tuam jurisdictionem spectantes, cum in eis prius fuerint clerici sæculares, ad regularem observantiam sunt translatæ. Verum in qua aliquando viginti clerici soliti fuerunt substentari, vix modo septem in ea, vel octo monachi commorantur, et ubi decem fuerunt clerici, vel quatuor, vel tres mona- D chi sunt statuti, cum possessiones non sint modo diminutæ, nec aliqua alia ex quibus clericis solebant provenire. Quapropter quid tibi super his sit amodo faciendum nostris petisti litteris edoceri. Ne igitur Ecclesiis illis ex mutatione hujusmodi Dei obsequium diutius maneat imminutum, fraternitati tuæ præsentis scripti pagina duximus indulgendum, ut si prælati, ad quos Ecclesiæ istæ pertinent, ad commonitionem tuam in eis tantum religiosorum numerum instituere prætermiserint, quantus ex earum proventu honeste valeat substentari, liberum tibi sit in eis tot religiosas personas ejusdem ordinis, contradictione et appellatione cessante, statuere, quot eorum redditus sufficiunt ad necessaria providenda. Liceat quoque tibi per di-

strictionem ecclesiasticam quos contradictores inveneris, appellatione cessante, cogere ad observationem eorum, quæ super his duxeris statuenda.

XLIV.

Ad episcopum quemdam. — De his quæ fiunt a majori parte capituli.

Fraternitatem tuam etc. *Et infra.* Diligenti siquidem a nobis consultatione credidit tua solertia inquirendum quid observare debeas et apostolica auctoritate statuere super eo. In ecclesia sua quidam vel etiam minimus ipsam ecclesiam, sine tuo, et aliorum canonicorum consensu interdicto supponit, per quod et ipsius ecclesiæ servitium deserit, et in populo scandalum non modicum generatur. Addidit etiam discretio tua super eo se velle rescriptum sedis apostolicæ promereri, quod quidam ex clericis majoris ecclesiæ, vel aliarum in tua diœcesi constitutarum ordinationes earum, et alia rationabilia statuta capituli..... canonicæ contradictionis occasione impediunt, et ordinationem ecclesiasticam procedere non permittunt. Primæ igitur quæstionis articulo respondemus, ut interdictum sine tuo, et fratrum assensu per aliquem ex canonicis in ecclesia positum nullatenus servare debeas, nec sustinere ut alii, præsertim contra justitiam, edictum observent. Secundæ quæstionis nodum auctoritate Lateranensis concilii duximus resolvendum, ut nisi videlicet ab aliquo, vel aliquibus potioribus, vel inferioribus tanquam rationabile aliquid objectum probare contigerit, prævaleat semper et obtineat debitum, appellatione remota, objectum firmatum quod a majori, et saniori parte capituli fuerit constitutum, nisi antiqua consuetudo Ecclesiæ hactenus observata, et auctoritate sedis apostolicæ confirmata, aliud suaserit observandum; sic enim et audacia, dante Domino, refrenabitur improborum, et ecclesiasticorum utilitas latius extendetur.

XLV.

Ad Walterium Rothomagensem archiepiscopum. — De concessione ecclesiæ non vacantis.

Ea noscitur, etc. *Et infra:* Ex tua siquidem nobis est ex parte propositum quidquid dubium tibi exstat, utrum illorum sit appellationi deferendum, qui occasione promissionis sibi factæ super Ecclesiis non vacantibus, cum eis prætermissis, vacantes postmodum Ecclesias intelligant conferendas, in vocem appellationis prorumpunt. Super quo fraternitati tuæ duximus respondendum, quod cum promissiones hujusmodi in concilio Lateranensi fuerint prohibitæ, nisi sedis apostolicæ auctoritas intervenerit, vel aliud quid rationabile obviaverit, pro hujusmodi appellatione non debet vacantium ecclesiarum institutio prorogari, vel aliquatenus impediri.

XLVI.

Ad Asturicensem episcopum. — De præbendis.

In Ecclesia vestra centum numero canonicorum, sicut nobis innotuit, consuevit instituere, et institutionem vestram religione firmare juramenti. Unde quia numero illo successu temporum diminuto in dubitationem deducitis, utrum ipsum de institutione canonicorum supplere possitis laicis computatis, qui in Ecclesia vestra canonicorum titulo nominantur, statutis nostris sit impletum. Ut hæc ambiguitas a vestris cordibus auferatur, nobis videtur quod laici non debent canonicorum numero computari, nec vos debeatis quominus statutum nostrum juramento præstito roboratum, de aliis clericorum personis idoneis canonicos suppleatis. Nec enim alia nostra intentio fuisse putatur, quam quod tales ad supplendum numerum, cum necesse foret, curaretis unanimiter invenire, per quos Deo in divinis officiis per ecclesiasticos ordines congrue serviretis. Ad hæc vero districtius prohibemus ne de cætero laicos ut canonicos admittatis.

XLVII.

Ad Alloçensem (?) electum. — De pænitentia injungenda H. comiti.

Perpendimus ex litteris tuis, quod quidam sacerdos tuæ diœcesis pro eo quod se filium regis nominare præsumpsit, et, armis arreptis in Provincia seditionem fecit et guerram, a dilecto filio H. comite per vicos visus est fustigari, qui postea ejus mandato patibulo traditus exspiravit. Quia igitur tam ipsum comitem quam alios hujus facti participes velle super hæc satisfacere intimasti, præsenti pagina duximus respondendum quod, si memoratus sacerdos tali modo excessit, et arma ferens non propulsando injuriam, sed eam inferendo fuit occisus, non videtur nobis quod interfectores ejusdem propter hæc ad obtinendam absolutionem apostolicam sedem adire cogantur. Tu vero, quod melius nosti merita personarum, eis aliam pœnam competentem adjungas.

Cæterum de voto quod ipsum comitem fecisse proponis, ut scilicet singulis sextis feriis in pane jejunet et aqua, non videtur quod reo e pretio illa sufficiat de altari constructo, cum quamvis voluntarium sit vovere, ex necessitate tamen vota licita sunt solvenda.

Ad ultimum quod de subveniendo terræ Jerosolymorum promisit, ipsum ad eumdem [eundum] illuc in propria persona, si fieri potest, diligentius exhorteris, vel in voti supplemento competentia subsidia euntibus Jerosolymam subministret.

In ultimo litterarum loco requisisti a nobis, utrum baro quidam de tua diœcesi, qui sacerdoti mortem inflixit, et postea ad Cisterciensem ordinem convolavit, jam nunc factus monachus ab abbate tuo possit absolvi. Ad quod breviter respondemus quod, ubi præcessit talis excommunicatio in monachum, nonnisi per Romanum pontificem, vel ejus mandato absolutionem sui poterit obtinere; ex dis-

pensatione tamen ei poteritis auctoritate nostra munus absolutionis impendere, et pro excessu pœnam imponere competentem.

XLVIII.

Ad..... — De duello.

Cura suscepti regiminis nos inducit ut fratrum nostrorum consultationibus respondere [debeamus], et ab eis, quantum humana permittit fragilitas, dubitationis scrupulos amputare. Hinc est quod, cum tua duxerit fraternitas sedem apostolicam consulendam, utrum super Ecclesiarum præsentationibus duella debeant sustineri, tuæ duximus sollicitudini respondendum, quod neque in eodem casu, nec etiam in aliis debes aliquatenus tolerare.

XLIX.

Ad capitulum Lucense. — De sententia excommunicationis.

Cum bonæ memoriæ Clemens papa prædecessor noster L. M. M. et alios quosdam Baren. clericos vocasset, ut Bernardo archidiacono suo, quem graviter læserant, ad ipsius accederent præsentiam responsuri, quia venire, juxta mandatum apostolicum contempserunt, in eos fecit per Vigilem episcopum suspensionis sententiam promulgari, in qua, sicut dicitur, triennio permanentes, quidam ex ipsis suspensi aliud beneficium ecclesiasticum sunt adepti; et quia utrum beneficia adepta possint rationabiliter retinere nos consulere voluisti, significatione præsentium vobis respondemus, quod non liceat illos, nec illa quæ habuerant, nec ea beneficia quæ postmodum sunt adepti, aliquatenus retinere. Unde venerabili fratri nostro Bar. episcopo dedimus in mandatis, ut eos pro tanta pertinacia et contemptu apostolico, beneficiis quæ habent non differat spoliare; ea tandiu in suis manibus detineantur, donec quid super his facere debeas litteras nostras accipiat, et mandatum.

L.

Ad Joannem Ludimensem [Lugdunensem] archiepiscopum. — Ne clericorum quorumdam appellationem admittat.

Cum in Ecclesia Dei pro diversitate ordinum, et honorum jurisdictio possidentium nonnunquam in subditis varietur, et venerabiles fratres nostri episcopi concessam sibi potestatem exerceant in reddendis juribus subditorum populorumque, evenit ut non consideratione justitiæ, sed voluntatis propriæ libertate pensata, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi quærentes, ipsorum episcoporum judicium, potestatemque declinant, appellationis refugium usurpantes, cujus auxilium juste interponendum ad præsidium innocentium noscitur institutum. Accepimus autem venerabilis fratris nostri Lingoniensis episcopi transmissa nobis conquestione querelam, quod quidam clerici de Guilan. gravaminis necessitate non compulsi, et nullius oppressionis mole gravati, sed solo prætextu excutiendi a se jugum ecclesiasticæ disciplinæ, ut possint libentius in sui erroris et nequam propositi libertate bacchari, ab audientia sua [ejus] vocem appellationis emittunt, et occasione judicii tui, quod velle observare se jactant, ejusdem judicis ordinarii sine rationabili cognitione evitant. Quia vero appellationis diffugium non ad defensionem iniquitatis, sed ad remedium oppressorum et damnatorum injuste tam canonica, quam civilia jura induxerunt, ad statuta Lateranensis concilii non est subditorum hujusmodi appellatio admittenda, quæ non porrigitur nisi ubi digna correctio eludi valeat prælatorum et omnium, qui in parte sollicitudinis Ecclesiarum, disponente Domino, convocantur; interesse dignoscitur, ut sua cuique jura illibata serventur, fraternitatem tuam litteris præsentibus duximus commonendam, per apostolicum scriptum tibi mandantes ut, si quando contigerit aliquem de prædictis clericis a præfato episcopo tuam audientiam appellare, non ante sibi audientiam præbeas, nec ejus appellationes admittas, quam tibi constiterit ab appellatione illius, vel a gravamine, vel injusta condemnatione porrectum; alioquin ipsum ad præfati episcopi auditorium, remota appellatione, remittas, in suæ discussionis examine justo ejus judicio permittens. Sic enim contumacia refrenabitur improborum, et honor coepiscopis debitus per fraternæ vicissitudinis observantiam in sua libertate consistet.

LI.

Ad Cæsaraugustanum episcopum. — De præbendis vacantibus.

Quia requisisti a nobis, fili P. præposite, quid agendum sit quando præbenda in Ecclesia tua vacante contigerit complures ex his, qui numerati sunt ibi in vocem appellationis erumpunt, interdicentes expressim ne ad electionem alicujus procedant, consultationi tuæ taliter respondemus, quod si appellationem quam interponunt, intra quadraginta dies prosecuti non fuerint, procedendum est postmodum, appellatione nullius obstante, ad canonicam electionem personæ ministerio Ecclesiæ competentis.

LII.

Ad Gerardum Bononiensem episcopum. — De magistrorum et scholarum hospitiis in inquilinorum injuriam non conducendis.

Ex rescripto litterarum piæ recordationis P. [Petri] quondam Tusculani episcopi nobis innotuit, quod cum civitatem Bononiensem tempore suæ legationis intrans invenit fuisse ibi a bonæ memoriæ W. [Villelm.] quondam Portuensi episcopo constitutum, et sub excommunicatione prohibitum, ne aliqui scholares aliorum hospitia majoris mercedis promissione conducerent, ubi ea sibi vel inanis gloriæ studio quasi potentiores in expensis apparere volentes, vel privatæ utilitatis commodo vindicarent. Unde ipse sollicita provisione considerans, quod hujusmodi conductionis improbitas in discordiæ fornacem, et impedimenta non modica pareret studiorum, prædictam constitutionem legatione qua

fungebatur sedis apostolicæ confirmavit, perpetuis temporibus sub pœna decernens anathematis observandum, ut nullus magistrorum, sive scholarium super ducendis hospitiis, in læsionem et præjudicium habitantium audeat hospitem convenire, nisi prius constiterit tempus conductionis elapsum, vel inquilini in hoc suum præstiterint placido favore consensum. Quocirca nos, qui detestabiles versutias bonæ fidei contractibus inimicas non solum in clericis, sed etiam in quibuslibet etiam mercatoribus condemnamus, prædictam constitutionem a præfato Portuensi episcopo factam, et demum a jam dicto episcopo Tusculano confirmatam, ratam esse decernimus, et eam auctoritate apostolica confirmamus, studentes ut a te, frater episcope, et tuorum omnium successorum singulis annis in communi audientia magistrorum atque scholarium præsens pagina recitetur, et prætaxata pravæ conditionis improbitas innovata per annos singulos excommunicationis sententia reprimatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, etc.

LIII.

Ad archiepiscopum Surunt. (Surrentinum). — De P. de Regali.

Contracto matrimonio inter P. et A. uxorem suam [sicut ejus P. nobis conquestio patefecit, cum per biennium insimul habitassent, et filium ex ipsa uxore memoratus P. suscepisset], quia consanguinei ejusdem A. [volentes eam separari a viro] contracto matrimonio objecerunt, asserentes quod eadem A. in primo sancti salis pabulo filium ex concubina quondam ipsius P. tenuerit, [cum fuit primo in eam inductus, et propter hæc tuam præsentiam adeuntes, dicebant ipsam debere a viro per tuum judicium separari. Tua vero fraternitas, sicut accepimus, causa non cognita, carnale eis commercium interdixit, prohibens ipsi P. ne debitum ab uxore requireret.] Verum si constaret Ecclesiæ vera esse, quæ diximus, non ideo tamen contractum matrimonium solveretur, quæ res utique vix contrahendo matrimonio impedimentum afferret; ideoque tibi per apostolicum scriptum mandamus, quatenus præfato P. firmiter auctoritate nostra injungas, quod memoratam A. sicut uxorem propriam maritali affectione pertractet, et carnale debitum ab ea licenter exigat et persolvat. Sive, quod supra dictum est, ipsam A. ante matrimonium contractum cum P. sive postea egisse constiterit, dum tamen, si in fraudem causa separandi matrimonii id fecit, pœnam pro præsumptione accipiat, matrimonio in sua firmitate durante.

LIV.

Ad episcopum quemdam. — De C. subdiacono qui puerum invitus interfeceral.

Inspectis litteris, quas bonæ memoriæ Urbano prædecessori nostro misisti, plene cognovimus quod perlator C. subdiaconus, dum olim in minori ætate positus, cum quodam puero ludum exercens, jactu
A lapidis uteretur, ipsum puerum, non studiose, sed causaliter vulneravit, de quo vulnere vix fuit cura medicorum agentes (*sic*) infra breve temporis spatium, sicut credebatur, plene curatus; tamen elapso anno vulnus fecit postmodum aperturam; sed quia medicus, qui fuit adhibitus ad curandum, circa ipsum negligentia seu ignorantia, vel etiam alia culpa, minus necessariam sollicitudinem creditur habuisse, puer occasione ipsius vulneris exspiravit. Respondentes igitur ad hæc, fraternitati tuæ mandamus, quatenuscunque res ita processerit, eumdem in minoribus ordinibus ministrare, permittas. Acturus circa eum bene dicere de beneficio, quod per te illi postulas conferendum, sicut ejus merita postulant, et tuæ melius insederit voluntati. Ad al-
B taris vero officium non accedat, qui occasionem morti ejusdem pueri dedisse videtur.

LV.

Ad decanum Cama Cen. . . . (Tarvanensem?). — De novo censu ecclesiis diœcesis Morinensis non imponendo.

Gravis admodum, et correptione [dignissima nuper querela in audientia nostra est proposita, quod salva conscientia sub dissimulatione transire non possumus. Cum enim quædam] ecclesiasticæ personæ ecclesias [quasi plebes in Morinensi diœcesi habeant]; cum eas vacare contigerit, non aliter quemquam ad ipsarum regimen volunt vocare, nisi antea novum censum ecclesiis illis imponant, aut
C illæ terræ contra constitutionem Lateranensem augmentent, ad ipsius solutionem instituendum [episcopum] presbyterum juratoria cautione, vel fidejussoria cautione cogentes,[quamdam etiam partem reddituum suis usibus applicare contendunt. Unde sæpe contigit ut diœcesano episcopo excessus hujusmodi ignorante, vel eo minime requisito in ecclesiis illis inducant pro suo voluntatis arbitrio sacerdotes. Quoniam igitur constitutiones prædicti concilii pati noluimus, neque debemus aliquorum malitia violari], discretioni vestræ per apostolicum scriptum mandamus atque præcipimus, quatenus [cum super hoc fueritis requisiti, partibus ad vestram præsentiam convocatis] quæcunque noveritis
D contra constitutionem prædictam super ecclesias illas, vel earum censu ab aliquibus, et tempore prædictæ constitutionis attentata, [contradictione et appellatione cessante,] in irritum revocantes [ab augmentatione censuum ecclesias penitus absolvatis, et ad statum debitum reducatis.] Presbyteros quos super his illicita juramenta præstitisse noveritis congrua satisfactione imposita faciatis absolvi. Eos etiam quos de cætero contra formam canonum super his venire noveritis [sine cujusquam personæ [*f.* respectu] sublato appellationis obstaculo] censura canonica puniatis.

LVI.

Ad R. canonicum Coloniensem « in arte physica eruditum. » — Suadet ne ad majores sacros ordines

ascendat, quod pluribus medicinas tribuerit qui inde mortis periculum incurrerint.

Ad aures nostras, te significante, pervenit quod cum in arte physica eruditus existas, pluribus circa ipsius artis traditiones medicinas cum diligentia tribuisti, licet pluries in contrarium tibi successerunt, et quibus putaveras adhibere cautelam, me- A dicinis perceptis, mortis periculum incurrerunt. Verum quia [sicut asseris] ad sacros desideras ordines promoveri et nos super hoc consulere voluisti, tibi duximus respondendum, quod si super præmissis conscientia [videtur te quomodolibet] remordere, ad majores ordines de nostro consilio non ascendas.

EPISTOLA RICHARDI

ANGLORUM REGIS

AD CLEMENTEM III PONTIFICEM ROMANUM

De pace facta inter ipsum et Tancredum regem.

(Rymer, *Fœdera, Conventiones, Litteræ inter reges Angliæ et alios.* Londini 1816, in-fol.; tom. I, pag. 68.)

Reverendissimo domino ac beatissimo Patri Clementi, Dei gratia summo pontifici, Ricardus, eadem gratia rex Angliæ et dux Normanniæ et Aquitaniæ, et comes Andegaviæ, salutem et sinceræ in Domino devotionis affectum.

Justiorem exitum facta principum sortiuntur, cum a sede apostolica robur et favorem accipiunt, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ colloquio diriguntur. Proinde dignum duximus ad notitiam beatitudinis vestræ quæ inter nos et dominum Tancredum illustrem Siciliæ regem, publico nuper et admodum necessario celebrata sunt tractatu [proponere].

Sane dilectionem fraternam et pacem perpetuam cum eo firmavimus, quam magnatum nostrorum archiepiscoporum, episcoporum et plurimorum virorum illustrium juramentis ei, et suis, et regno suo, et toti terræ dominationis suæ, nos illibata fide promisimus servaturos. Cum ipso etiam pacis et amicitiæ fœdus arctiori adhuc vinculo astringentes, inter Arthurum, egregium ducem Britanniæ, charissimum nepotem nostrum et hæredem, si nos decedere sine prole contigerit, et illustrem filiam ejus matrimonium, volente Domino, condiximus contrahendum, quod Domino largiente debitam consummationem accipiet, cum illustris puella nubiles annos attigerit, aut prædicto domino Tancredo regi placuerit ut infra nubiles annos illa in uxorem nepoti nostro desponsanda tradatur, nos ipsum nepotem nostrum hoc facturum concessimus, si sancta Romana Ecclesia decreverit super hoc dispensare. Pecuniam vero quam pro matrimonio ipso ad opus nepotis nostri ab eodem domino rege Tancredo recepimus, scilicet viginti millia unciarum auri, si B forte, quod absit, morte interveniente alterius, aut culpa nostra aut nostri nepotis, aut partis ipsius matrimonium non staret, nos aut hæredes nostri ipsi domino regi Tancredo aut hæredibus ejus ex integro restituere, præstitis super hoc sacramentis, ex parte nostra tenemur.

Ut igitur tenor pacis initæ et initiati matrimonii fides cum integritate debita ex parte nostra et nepotis nostri servetur, sicut ipsi domino Tancredo, interposita jurisjurandi religione, firmavimus, sanctitatem vestram et sanctam Romanam Ecclesiam obnixe rogamus, quatenus et firmatæ pacis servandæ perpetuo et matrimonii consummandi, vel, si ex prædictis causis matrimonium ipsum non fieret, restituendæ pecuniæ sancta sedes apostolica fidejussionem pro nobis suscipiat erga dominum regem Tancredum et hæredes ipsius. C Cujus fidejussionis onus, ut confidenter nobiscum Romana Ecclesia suscipiat, præsentiarum litterarum testimonio vobis et sanctæ Romanæ Ecclesiæ liberam concedimus potestatem nos et hæredes nostros, et terram nostram districtius coercere, si contra pacem præfatam venerimus, vel prædictis causis matrimonio non secuto, nos aut hæredes nostri solutionem pecuniæ negaremus.

Ad honorem utriusque regni vestra novit beatitudo spectare si, mediante Romana Ecclesia, pacis pariter, et matrimonii bonum ad congruum finem deveniat; unde multiplex in futurum utilitas consequatur. D

Testibus nobis ipsis, 11 die Novembris, apud Messanam.

CONCORDIA

Inter dominum papam Clementem III et senatores populumque Romanum, super regalibus et aliis dignitatibus Urbis.

Anno 1188.

(MURATORI, *Antiq. Ital.*, tom. III, pag. 785.)

—

Sanctissimo Patri et domino, CLEMENTI, Dei gratia summo pontifici et universali papæ, senatus populusque Romanus, salutem et fidele cum subjectione servitium. A

Dignitas senatus populique Romani in optimum statum roboratur, et reipublicæ nimium confert, si pacis concordiam inter sacrosanctam Ecclesiam et inclytam Urbem firmiter stabilitam ad posterorum memoriam solemni scripturarum exaratione reducamus, ne forte per negligentiam vel socordiam inæstimabilis pacis veritas temporis lapsu depereat; quæ suæ excellentiæ prærogativa ab omnibus est tam colenda quam perpetuis temporibus observanda. Per abundantiam namque pacis, auxiliante Deo Patre, crescit defensio, et Ecclesiæ Romanæ, atque Urbi egregiæ dignitas conservatur illæsa. Hinc agrorum fertilitas procreatur, quæ in usum humanæ vitæ multiplici commoditate porrigitur; per quam equidem nobis et vobis, cæterisque illam conservantibus utilitates et lucra generantur quamplurima, et hostibus nostris vestrisque male merentibus digna præparantur exitia. Proinde, piissime in Christo Pater et domine, tenores ejusdem pacis ad perennem rei memoriam per præsentem senatoriæ dignitatis paginam decreto amplissimi ordinis sacri senatus, et aliorum quamplurimorum tam sapientum quam multorum prudentum virorum consulto duximus roborandam, et vobiscum taliter componendam. Videlicet, ad præsens reddimus vobis senatum, et Urbem, ac monetam. Tamen de moneta C habebimus tertiam partem, sicut inferius continetur. Item ecclesiam Beati Petri absolutam reddimus, et episcopatus, et alias ecclesias obligatas pro guerra reddimus absolutas hoc modo, quod de tertia parte monetæ, quam senatus habebit, singulis annis exonerentur, donec tota pecunia, pro qua obligata sunt, solvatur; et sicut sors minuetur, ita minuantur usuræ pro rata parte. Reddimus omnia regalia tam infra quam extra Urbem, quæ tenemus, præter Pontem Lucanum, quem tamen non refutatis his, quæ alii tenent, non faciemus vobis contrarium. De capitaneis similiter, salvo quod ex eis infra scriptum est. Defendemus omnes dignitates et honores Urbis ad opus et utilitatem vestram et Romanæ Ecclesiæ. Et tam nos senatores quam alii senatores, qui erunt per tempora, singulis annis jurabimus fidelitatem et pacem vobis et successoribus vestris, sicut consuetum est. Et faciemus quod omnes perdentes, susceptis emendationibus, sicut concordatum fuerit, faciant inde refutationem per publicum instrumentum vobis successoribusque vestris, et Romanæ Ecclesiæ. Et quocunque modo Tusculanum dirui contigerit, nihilominus omnes possessiones et tenimenta ejus intus et extra cum omnibus bonis et rebus eorum sint in jure et potestate Romanæ Ecclesiæ. Vos autem dabitis senatoribus qui erunt per tempora, beneficia et presbyteria (12) consueta: item B judicibus, advocatis, scriniariis a Romano pontifice ordinatis, et officialibus senatus presbyteria consueta dabitis. Deperdentibus autem res eis ablatas per masnadam Romani pontificis, et forisfactores, et Tusculanenses per guerram, sicut promissum est a vobis per concordiam, emendabitis, salvis exceptionibus a vobis factis; quibus dependentibus observabitis conventiones a vobis factas, sicut cum eis convenistis; et deperdentes observabunt vobis conventiones ab ipsis factas, sicut vobiscum convenerunt.

Et dabitis singulis annis pro restauratione murorum hujus excellentissimæ Urbis centum libras bonorum provenientium. De Tusculano scilicet, quocunque modo ad manus nostras devenerit. Infra dimidium annum omnes muros et carbonaria civitatis, et Roccæ Tusculani, et suburbiorum dabitis nobis ad diruendum, quos et quæ nunquam reficietis, nec refici facietis in vita vestra: retentis et salvis tam vobis quam successoribus vestris, et Romanæ Ecclesiæ, omnibus possessionibus, tenimentis et pertinentiis ejusdem Tusculani intus et extra, cum hominibus rebusque eorum. Quod si hinc usque ad Kalendas Januarias dictum Tusculanum ad manus nostras non venerit, tunc excommunicabitis Tusculanos, et per fideles vestros de Campania et de Romania cogetis eos perficere de Tusculano quod dictum est supra, cum adjutorio nostro. Propter hoc autem nos senatores pacem et

(12) Id est donativa quæ summi pontifices interdum distribuere magistratibus Romanorum consueverant.

securitatem vobis et episcopis, et cardinalibus, totique curiæ vestræ, et euntibus ad curiam, et moram facientibus et redeuntibus jurabimus, salvis justitiis Romanorum, quas petent bona fide, sine malitia. Et insuper vos eligetis per singulas contradas universarum regionum Urbis decem viros sine malitia, de quibus nos senatores faciemus vobis jurare vestrisque hanc pacem, cum beneficiis quæ a Romana curia habere consueverunt. Et si plures hanc pacem jurare voluerint, nos senatores permittemus. Si ad defensionem patrimonii beati Petri Romanos vocaveritis, ipsi ibunt cum expensis quas prædecessores eorum a Romana curia habere consueverunt. De capitaneis sit salvum Urbi et populo Romano quidquid ab eis conventum est, et permissum Romæ per scriptum et juramenta, ac plenarias, et stararias, ac præcones : salva proprietate Romanæ Ecclesiæ, quam de Prænestina civitate habet, et salvo hominio capitaneorum quod debent vobis et Romanæ Ecclesiæ. Tibur non recipietis ad detrimentum et damnum Urbis; sed si Tiburtinos impugnare voluerimus, non facietis nobis contrarium. Monetam facietis fieri intra Urbem, ubi vobis placuerit : de qua tertiam partem dabitis senatoribus per tempora. Si nos præcepto vestro guerram alicui fecerimus, et propter hoc nobis aliquis contrarium fecerit, juvabitis nos inde atque defendetis cum adjutorio vestro. Omnia supradicta vos et universi episcopi et cardinales Romanæ Ecclesiæ, et pro vobis et successoribus vestris promittetis observare senatui populoque Romano in perpetuum. Et nos senatores et universus populus Romanus promittemus pro nobis et successoribus nostris, omnia ista observare vobis et toti curiæ, successoribus vestris in perpetuum. Hæc omnia bona fide et sine fraude ab utraque parte observentur. Ut autem compositio ista perpetuis temporibus illibata consistat, eam decreto senatus confirmamus, et præsentis scripti patrocinio communimus. Auctoritate itaque omnipotentis Dei, et magnificentissimi ordinis senatus edicto firmiter præcipimus ut nullus noster concivis, amicus vel fidelis contra hæc, quæ perscripta et firmiter stabilita sunt, aliquo modo venire præsumat, si amorem et bonam nostram voluntatem habere desiderat; alioquin iram amplissimi senatorii, et metuendi populi Romani gravissime incurrat et odium.

Actum XLIV anno senatus, indictione sexta, mense Maii, die ultimo, jussu senatorum consiliariorum, Angeli Ser Romani de Pinea, Bobonis Stephani de Octaviano, Petri Stephani de Transtiberim, Romani Senebaldi, Rainerii Rainaldi de Ramucio, Joannis de Schinando, Cafari Bartholomæi, Petri Nicolai, Fusconis de Berta, Bubonis Donnæ Scottæ, et Ilperini Domnici.

Et senatorum, Stephani Contebracæ, Petri Berardi, Centii Muti, Joannis Centii, Guidonis Bobonis, Joannis Leonis, Joannis Parentii, Gregorii Malebranchæ, Guidonis Roffredi, Jordani de Ponte Sancti Petri, Oddonis Caputferri Romani, Joannis de Flajano, Petri Joannis Adæ, Centii de Gulferamo, Stephani Judicis, Nicolai Buccæmazi, Gerardi Petri de Gerardo, Jaquinti de Tosto, Piscionis Nicolai, Joannis Saxonis, Joannis Guidonis de Papa, Petri de Gerardo, Joannis Bartholomæi, Joannis Centii, Benonis Petri de Octaviano, Vitalis Pauli, Franconis Stephani, Petri Latronis, Cuntebrace, Petri de Gregorio, Petri Berardi de Blanca, Rainonis Buccænuzæ, Octaviani Joannis de Octaviano, Joannis Plage, Joannis Buccæmazi, Jordani Oddonis, Centii de Bertranno, Silvestri Petri Artonis, Joannis Scriniarii, Bartholomæi Ciconnis, Nicolai de Antonio, Joannis Astulfi, Angeli Romani de Joanne, Astaldi de Transtiberim, Joannis Gulferami, Matthæi Mecuminpunga, Jacobi Oddonis Franconis (13).

(13) Vide quot Romanos proceres una patris appellatio alterum ab altero distingueret. Qui inter eos *Guido Bobonis* appellabatur, patruus fortasse fuit Hyacinthi cardinalis Ursini, qui in cathedra Romana tribus post annis Cœlestini III nomen assumpsit; ei enim pater fuit Petrus Bobonis.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

FINIS TOMI DUCENTESIMI QUARTI.

Ex Typis MIGNE, au Petit-Montrouge.